Universidad de Deusto
Biblioteca

BIBLIA SACRA VERSICULIS DISTINCTA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

BIBLIA
SACRA
VERSICULIS
DISTINCTA.

De la Librería del Colegio de la Compañía
de Jesus de S.n Sebastian.
Año 1765 se aplico por disposicion del
S.r Rec.r al aposento de un Operario.

Universidad de Deusto
Biblioteca



LUGDUNI,

Ex Typographiis PETRI GUILLIMIN, & ANTONIJ LAURENT. M.DC.LXXV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BIBLIA SACRA,

VULGATÆ EDITIONIS,

SIXTI V. PONT. MAX.

JUSSU RECOGNITA,

ET CLEMENTIS VIII.

AUCTORITATE EDITA.

DISTINCTA VERSICULIS,

Indicéque Epistolarum, & Evangeliorum aucta.



LUGDUNI,
Sumptibus ANTONII LAURENS, in vico Bellæ-Corderiæ.

M. DC. LXXV.
CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Colegio de S. Ignacio
BIBLIOTECA
Adquirida
de SAN SEBASTIAN

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

IN multis magníſque beneficiis, quæ per ſacram Tridentinam Synodum Eccleſiæ ſuæ Deus contulit, id in primis numerandum videtur, quod inter tot Latinas editiones Divinarum Scripturarum, ſolam veterem, ac vulgatam, quæ longo tot ſæculorum uſu in Eccleſia probata fuerat, graviſſimo Decreto authenticam declaravit. Nam, ut illud omittamus, quòd ex recentibus editionibus non paucæ ad hæreſes hujus temporis confirmandas licenter detortæ videbantur: ipſa certè tanta verſionum varietas atque diverſitas, magnam in Eccleſia Dei confuſionem parere potuiſſet. Jam enim hac noſtra ætate illud ferè eveniſſe conſtat, quod S. Hieronymus tempore ſuo accidiſſe teſtatus eſt, tot ſcilicet fuiſſe exemplaria, quot codices; cùm unuſquiſque pro arbitrio ſuo adderet vel detraheret. Hujus autem veteris ac vulgatæ Editionis tanta ſemper fuit auctoritas, támque excellens præſtantia, ut eam ceteris omnibus Latinis editionibus longè anteferendam eſſe, apud æquos judices in dubium revocari non poſſet. Qui namque in ea Libri continentur (ut à Majoribus noſtris quaſi per manus traditum nobis eſt) partim ex ſancti Hieronymi tranſlatione, vel emendatione, ſuſcepti ſunt; partim retenti ex antiquiſſima quadam editione Latina, quam ſanctus Hieronymus communem & Vulgatam, ſanctus Auguſtinus Italam, ſanctus Gregorius Veterem tranſlationem appellat. Ac de Veteris quidem hujus ſive Italæ editionis ſinceritate atque præſtantia, præclarum ſancti Auguſtini teſtimonium extat in ſecundo Libro de Doctrina Chriſtiana, ubi Latinis omnibus editionibus, quæ tunc plurimæ circumferebantur, Italam præferendam cenſuit, quòd eſſet, ut ipſe loquitur, verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ. De ſancto verò Hieronymo multa extant veterum Patrum egregia teſtimonia: eum enim ſanctus Auguſtinus hominem doctiſſimum, ac trium linguarum peritiſſimum vocat; atque ejus tranſlationem ipſorum quoque Hebræorum teſtimonio veracem eſſe confirmat. Eumdem ſanctus Gregorius ita prædicat, ut ejus tranſlationem, quam novam appellat, ex Hebræo eloquio cuncta veriùs transfudiſſe dicat: atque idcircò digniſſimam eſſe, cui fides in omnibus habeatur. Sanctus autem Iſidorus non uno in loco Hieronymianam verſionem ceteris omnibus anteponit, eámque ab Eccleſiis Chriſtianis communiter recipi ac probari affirmat, quòd ſit in verbis clarior, & veracior in ſententiis. Sophronius quoque vir eruditiſſimus, ſancti Hieronymi tranſlationem non Latinis modò, ſed etiam Græcis valdè probari animadvertens, tanti eam fecit, ut Pſalterium & Prophetas ex Hieronymi verſione in Græcum eleganti ſermone tranſtulerit. Porrò qui ſecuti ſunt, viri doctiſſimi, Remigius, Beda, Rabanus, Haymo, Anſelmus, Petrus Damiani, Richardus, Hugo, Bernardus, Rupertus, Petrus Lombardus, Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura, ceteríque omnes, qui his nongentis annis in Eccleſia floruerunt, ſancti Hieronymi verſione ita ſunt uſi, ut ceteræ, quæ penè innumerabiles erant, quaſi lapſæ de manibus Theologorum, penitus obſoleverint. Quare non immeritò Catholica Eccleſia, ſanctum Hieronymum Doctorem maximum, atque ad Scripturas ſacras interpretandas divinitus excitatum, ita celebrat, ut jam difficile non ſit illorum omnium damnare judicium, qui vel tam eximij Doctoris lucubrationibus non acquieſcunt, vel etiam meliora, aut certè paria, præ-

Præf. in Joſue.

S. Hier. in c. 49. Iſa. S. Auguſt. Lib. 2. Doctr. Chriſt. c. 15. S. Greg. Epiſt. Dedic. ad Leand. c. 5. in fine. S. Aug. ubi ſup. Lib. 18. de Civ. Dei c. 43. Lib. 10. Moral. 24. Lib. 6. Etym. c. 5.

Lib. 1. de Divinis offic. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtare ſe poſſe confidunt. Ceterùm ne tam fidelis tranſlatio, támque in omnes partes Eccleſiæ utilis, vel injuria temporum, vel impreſſorum incuria, vel temerè emendantium audacia, ulla ex parte corrumperetur, eadem ſacroſancta Synodus Tridentina illud Decreto ſuo ſapienter adjecit, ut hæc ipſa vetus ac vulgata Editio emendatiſſimè, quoad fieri poſſet, imprimeretur: neque ulli liceret eam ſine facultate & approbatione Superiorum excudere. Quo Decreto ſimul typographorum temeritati ac licentiæ modum impoſuit; & Paſtorum Eccleſiæ, in tanto bono quàm diligentiſſimè retinendo & conſervando, vigilantiam atque induſtriam excitavit. Et quamvis inſignium Academiarum Theologi in Editione vulgata priſtino ſuo nitori reſtituenda magna cum laude laboraverint: quia tamen in tanta re nulla poteſt eſſe nimia diligentia; & codices manuſcripti complures & vetuſtiores Summi Pontificis juſſu conquiſiti, atque in Urbem advecti erant; & demum, quoniam executio generalium Conciliorum, & ipſa Scripturarum integritas ac puritas, ad curam Apoſtolicæ Sedis potiſſimùm pertinere cognoſcitur: ideò Pius IV. Pontifex Maximus, pro ſua in omnes Eccleſiæ partes incredibili vigilantia, lectiſſimis aliquot ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, aliiſque tum Sacrarum litterarum, tum variarum linguarum peritiſſimis viris, eam provinciam demandavit, ut vulgatam editionem Latinam, adhibitis antiquiſſimis codicibus manuſcriptis, inſpectis quoque Hebraicis Græciſque Bibliorum fontibus; conſultis denique veterum Patrum commentariis, accuratiſſimè caſtigarent. Quod itidem inſtitutum Pius V. proſecutus eſt. Verùm Conventum illum, ob varias graviſſimáſque Sedis Apoſtolicæ occupationes jam dudum intermiſſum, Sixtus V. divina providentia ad ſummum Sacerdotium evocatus, ardentiſſimo ſtudio revocavit, & opus tandem confectum typis mandari juſſit. Quod cùm jam eſſet excuſum, & ut in lucem emitteretur, idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in ſacra Biblia præli vitio irrepſiſſe, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus ſub incudem revocandum cenſuit atque decrevit. Id verò cùm morte præventus præſtare non potuiſſet, Gregorius XIV. qui poſt Urbani VII. duodecim dierum Pontificatum Sixto ſucceſſerat, ejus animi intentionem executus, perficere aggreſſus eſt, ampliſſimis aliquot Cardinalibus, aliiſque doctiſſimis viris, ad hoc iterùm deputatis. Sed eo quòque, & qui illi ſucceſſit, Innocentio IX. breviſſimo tempore de hac luce ſubtractis; tandem ſub initium Pontificatus Clementis VIII. qui nunc Eccleſiæ univerſæ gubernacula tenet, opus, in quod Sixtus V. intenderat, Deo benè juvante perfectum eſt. Accipe igitur Chriſtiane Lector, eodem Clemente Summo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia, veterem ac vulgatam ſacræ Scripturæ Editionem, quanta fieri potuit diligentia caſtigatam: quam quidem ſicut omnibus numeris abſolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile eſt, ita ceteris omnibus, quæ ad hanc uſque diem prodierunt: emendatiorem puriorémque eſſe, minimè dubitandum. Et verò quamvis in hac Bibliorum recognitione, in codicibus manuſcriptis, Hebræis Græciſque fontibus, & ipſis veterum Patrum commentariis conferendis, non mediocre ſtudium adhibitum fuerit; in hac tamen pervulgata Lectione, ſicut nonnulla conſultò mutata, ita etiam alia quæ mutanda videbantur, conſultò immutata relicta ſunt: tum quòd ita faciendum eſſe, ad offenſionem populorum vitandam, ſanctus Hieronymus non ſemel admonuit: tum quòd facilè fieri poſſe credendum eſt, ut majores noſtri, qui ex Hebræis, & Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum & emendatiorum librorum habuerint, quàm ij, qui poſt illorum ætatem ad nos pervenerunt; qui fortaſſe, tam longo tempore identidem deſcribendo, minus puri atque integri evaſerunt: tum denique, quia ſacræ Congregationi Ampliſſimorum Cardinalium, aliiſque eruditiſſimis viris ad hoc opus à Sede Apoſtolica delectis, propoſitum non fuit, novam aliquam editionem

Epiſt. ad Sunniam & Fretellam. Præf. Evang. ad Damaſum.

editionem cudere, vel antiquum interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare; ſed ipſam veterem ac vulgatam editionem Latinam, à mendis veterum Librariorum, necnon pravarum emendationum erroribus repurgatam, ſuæ priſtinæ integritati ac puritati, quoad ejus fieri potuit, reſtituere; eáque reſtituta, ut quàm emendatiſſimè imprimeretur juxta Concilij Oecumenici Decretum, pro viribus operam dare. Porrò in hac Editione nihil non canonicum, nihil adſcititium, nihil extraneum apponere viſum eſt: atque ea cauſa fuit, cur Liber III. & IV. Eſdræ inſcripti, quos inter Canonicos libros ſacra Tridentina Synodus non annumeravit, ipſa etiam Manaſſæ regis Oratio, quæ neque Hebraïcè, neque Græcè quidem exſtat, neque in manuſcriptis antiquioribus invenitur, neque pars eſt ullius Canonici libri, extra Canonicæ ſcripturæ ſeriem poſita ſint: & nullæ ad marginem concordantiæ (quæ poſthac inibi apponi non prohibentur) nullæ notæ, nullæ variæ lectiones, nullæ denique præfationes, nulla argumenta ad librorum initia conſpiciantur. Sed ſicut Apoſtolica Sedes induſtriam eorum non damnat, qui concordantias locorum, varias lectiones, præfationes ſancti Hieronymi, & alia id genus in aliis editionibus inſeruerunt: ita quoque non prohibet, quin alio genere characteris in hac ipſa Vaticana editione ejuſmodi adjumenta, pro ſtudioſorum commoditate atque utilitate in poſterum adjiciantur; ita tamen, ut lectiones variæ ad marginem ipſius Textus minimè annotentur.



CLEMENS

Universidad de Deusto
Biblioteca

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM *sacrorum Bibliorum vulgatæ Editionis Textus, summis laboribus ac vigiliis restitutus, & quàm accuratissimè mendis expurgatus, Benedicente Domino, ex nostra Typographia Vaticana in lucem prodeat; Nos, ut in posterum idem Textus incorruptus, ut decet, conservetur, opportunè providere volentes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium districtiùs inhibemus, ne intra decem annos, à data præsentium numerandos, tam citra, quàm ultra montes, alibi quàm in nostra Vaticana Typographia, à quoquam imprimatur. Elapso autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi præcipimus, ut nemo hanc sanctarum Scripturarum editionem typis mandare præsumat, nisi habito priùs exemplari in Typographia Vaticana excuso; cujus exemplaris forma, ne minimâ quidem particulâ de Textu mutatâ, additâ, vel ab eo detractâ, nisi aliquid occurrat, quod Typographicæ incuriæ manifestè adscribendum sit, inviolabiliter observetur. Si quis verò Typographus in quibuscumque Regnis, Civitatibus, Provinciis, & locis tam nostræ S. R. E. ditioni in temporalibus subjectis, quàm non subjectis, hanc eandem Sacrarum Scripturarum editionem intra decennium prædictum quoquo modo, elapso autem decennio, aliter quàm juxta hujusmodi exemplar, ut præfertur, imprimere, vendere, venales habere, aut aliàs edere vel evulgare; aut si quis Bibliopola à se vel ab aliis quibusvis, post datam præsentium, hujus editionis impressos libros, seu imprimendos à præfato restituto & correcto Textu in aliquo discrepantes, seu ab alio, quàm à Typographo Vaticano, intra decennium excusos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare præsumpserit, ultra amissionem omnium librorum, & alias arbitrio nostro infligendas pœnas temporales; etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurrat: à qua nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi non possit. Mandamus itaque universis & singulis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum & locorum etiam regularium Prælatis, ut præsentes litteras in suis quisque Ecclesiis & Iurisdictionibus ab omnibus inviolatè perpetuò observari curent ac faciant. Contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis; Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Generalibus, Provincialibus, vel Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, ac quarumcumque Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum, Collegiorum, atque Universitatum, etiam studiorum generalium juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac privilegiis indultis, ac litteris Apostolicis in contrarium quomodocumque emanatis, & emanandis: quibus omnibus ad hunc effectum latissimè derogamus, ac derogatum esse decernimus. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam in ipsis voluminibus impressis eadem, in judicio & extra, fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die IX. *Novembris,* M. D. XCII. *Pontificatus nostri anno* I.

M. VESTRIUS BARBIANUS.

DE

DE CANONICIS SCRIPTURIS
DECRETUM,
EX CONCILIO TRIDENTINO,
SESSIONE QUARTA.

SACROSANCTA, Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, hoc sibi perpetuò ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelij in Ecclesia conservetur.

Et infrà:

Sacrorum verò librorum Indicem huic Decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt verò infrascripti: Testamenti veteris, Quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Josue, Judicum, Ruth: Quattuor Regum: Duo Paralipomenon: Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Nehemias: Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel: Duodecim Prophetæ minores: id est, Osea, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, Duo Machabæorum, primus, & secundus. Testamenti Novi: Quattuor Evangelia, secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem: Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti: Quattuordecim Epistolæ Pauli Apostoli; Ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apostoli duæ: Joannis Apostoli tres: Jacobi Apostoli una: Judæ Apostoli una: & Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.

PERMISSION.

JE consens pour le Roy qu'il soit permis à ANTOINE LAURENT, d'imprimer le livre intitulé, BIBLIA SACRA Vulgatæ Editionis, par Verset; & que les defences ordinaires luy soient accordées pour trois années. A Lyon le 22. May 1674.

VAGINAY.

SOIT fait suivant les Conclusions du Procureur du Roy, ce vingt-deuxiéme May mil six cens septante quatre.

DE SEVE.

Ledit sieur ANTOINE LAURENT a fait part de la susdite Permission, à PIERRE GUILLIMIN, suivant l'accord fait entr'eux.

ORDO

Universidad de Deusto
Biblioteca

ORDO LIBRORUM
VETERIS TESTAMENTI.

LIBRI PRIMÆ PARTIS.

Geneſis.	1
Exodus.	35
Leviticus.	63
Numeri.	83
Deuteronomium.	110
Joſue.	135
Liber Judicum.	152
Ruth.	169
Regum primus.	172
Regum ſecundus.	196
Regum tertius.	215
Regum quartus.	238
Paralipomenon primus.	260
Paralipomenon ſecundus.	280
Eſdræ primus.	304
Eſdræ ſecundus.	311
Tobias.	321
Judith.	329
Eſther.	338
Job.	346
Liber Pſalmorum.	367
Proverbia Salomonis.	415
Eccleſiaſtes.	432
Canticum Canticorum.	437
Liber Sapientiæ.	440
Eccleſiaſticus.	452

LIBRI SECVNDÆ PARTIS.

Iſaias.	1
Jeremias.	35
Baruch.	78
Ezechiel.	83
Daniel.	119
Oſee.	132
Joel.	139
Amos.	145
Abdias.	145
Jonas.	ibid.
Michæas.	147
Nahum.	151
Habacuc.	153
Sophonias.	151
Aggæus.	154
Zacharias.	156
Malachias.	162
Machabæorum primus.	164
Machabæorum ſecundus.	186

ORDO LIBRORUM
NOVI TESTAMENTI.

Evangelium ſecundùm Matthæum.	203
Evangelium ſecundùm Marcum.	226
Evangelium ſecundùm Lucam.	241
Evangelium ſecundùm Joannem.	266
Acta Apoſtolorum.	285
Pauli Epiſtola ad Romanos.	309
ad Corinthios prima.	319
ad Corinthios ſecunda.	328
ad Galatas.	335
ad Epheſios.	338
ad Philippenſes.	341
ad Coloſſenſes.	343
ad Theſſalonicenſes prima.	346
ad Theſſalonicenſes ſecunda.	348
ad Timotheum prima.	349
ad Timotheum ſecunda.	351
ad Titum.	353
ad Philemonem.	354
ad Hebræos.	355
Jacobi Epiſtola.	362
Petri Epiſtola prima.	364
Petri Epiſtola ſecunda.	367
Joannis Epiſtola prima.	369
Joannis Epiſtola ſecunda.	371
Joannis Epiſtola tertia.	ibid.
Judæ Epiſtola.	372
Apocalypſis.	373
Oratio Manaſſæ.	385
Eſdræ liber tertius.	ibid.
Eſdræ liber quartus.	393

LIBER



LIBER GENESIS,
HEBRAICE BERESITH.

CAPUT PRIMUM.

De mundi creatione, rerum creatarum diſtinctione & ornatu, déque hominis formatione, cui ſubjecit Deus omnia quæ creaverat.

A 1 IN principio creavit Deus cælum & terram.
Pſal.32. b.6.135. a.5. Eccli.18. a.1. Act.14. c.14.17. e.24.
2 Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.
**Heb.11 a.3.*
3 Dixítque Deus: * Fiat lux. Et facta eſt lux.
4 Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona: Et diviſit lucem à tenebris.
5 Appellavítque lucem Diem, & tenebras Noctem: Factúmque eſt veſpere & manè, dies unus.
6 Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: & dividat aquas ab aquis.
7 Et fecit Deus firmamentum, divisítque aquas
**Pſalm. 135.a.6. 148.a.4. Jere. 10. b.12.51. b.15.* quæ erant ſub firmamento, ab his * quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita.
8 Vocavítque Deus firmamentum, Cælum: & factum eſt veſpere & manè, dies ſecundus.
9 Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum unum: & appareat arida. Et factum eſt ita.
B
Job. 38. a.4. Pſal.32. b.7.88. b.11.135 a.6.
10 Et vocavit Deus aridam, * Terram, congregationéſque aquarum appellavit Maria. Et vidit Deus quòd eſſet bonum.
11 Et ait: Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita.
12 Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignúmque faciens fructum, & habens unumquodque ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam. Et vidit Deus quòd eſſet bonum.
13 Et factum eſt veſpere & manè, dies tertius.
14 Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & ſint
* in ſigna & tempora, & dies & annos: ** Pſal. 135.a.7.*
15 Ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum eſt ita.
16 Feciſque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præeſſet diei: & luminare minus, ut præeſſet nocti: & ſtellas.
17 Et poſuit eas in firmamento cæli, ut lucerent ſuper terram,
18 Et præeſſent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quòd eſſet bonum.
19 Et factum eſt veſpere & manè, dies quartus.
20 Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli. C
21 Creavítque Deus cete grandia, & omnem animam viventẽ atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundùm genus ſuum. Et vidit Deus quòd eſſet bonum.
22 Benedixítque eis, dicens: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris: avéſque multiplicentur ſuper terram.
23 Et factum eſt veſpere & manè, dies quintus.
24 Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundũ ſpecies ſuas. Factúmque eſt ita.
25 Et fecit Deus beſtias terræ juxta ſpecies ſuas, & jumenta & omne reptile terræ in genere ſuo. Et vidit Deus quòd eſſet bonum,
26 Et ait: Faciamus hominem * ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, univerſæque terræ, omníque reptili quod movetur in terra.
** Inſ.5. a.1.9. a.6. 1.Cor.11 b.7. Col.3 b. 10.*
27 Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: * ad imaginem Dei creavit illum, * maſculum & feminam creavit eos.
*c. Eccl. 17. a.1. * Inſ. 9. a.4. * Inſ. 8. c.17.9.*
28 Benedixítque illis Deus, & ait: * Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & univerſis animãtibus, quæ moventur ſuper terram.
29 Dixítque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, * ut ſint vobis in eſcam: D
*a.1. * Inſ. 9. a.3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

30 Et cunctis animantibus terræ, omníque volucri cæli, & universis quæ moventur in terra, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita.

*Ecc.39. b.21. Mar.7. d.37.

31 * Vidítque Deus cuncta quæ fecerat: & erant valdè bona. Et factum est vesperè, & manè, dies sextus.

Caput II.

Deus, completo sex diebus opificio, septimo quiescit, cui & benedixit: hominem in Paradisum variis arboribus fructiferis, ac fluminibus insignitum posuit, cui Evam ex ipsius costa in adjutorium formavit. ac matrimonium instituit.

A 1 IGitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum.

2 Complevítque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & * requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.

*Exod. 20.b.11. 31.d.17. Deut. 5. b.14. Heb. 4. b. 4.

3 Et benedixit diei septimo: & sanctificavit illum: quia in ipso cessaverat ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret.

4 Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum & terram.

5 Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnémque herbam regionis priusquàm germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terrã.

6 Sed fons ascendebat è terra, irrigans universam superficiem terræ.

7 Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & * factus est homo in animam viventem.

* 1. Cor. 15.f.45.

B 8 Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem quem formaverat.

9 Produxítque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignúmque scientiæ boni & mali.

10 Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quattuor capita.

*Ecc.24. c. 35.

11 Nomen * uni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum:

12 Et aurum terræ illius optimum est: ibi invenitur bdellium, & lapis onychinus.

13 Et nomen fluvij secundi Gehon: ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ.

14 Nomen verò fluminis tertij, Tygris: ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates.

C 15 Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum:

16 Præcepítque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede:

17 De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.

18 Dixit quoque Dñs Deus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutoriũ simile sibi.

19 Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.

20 Appellavítque Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia cæli, & omnes bestias terræ: Adæ verò non inveniebatur adjutor similis ejus. D

21 Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cúmque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea.

22 Et ædificavit Dñs Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.

23 Dixítque Adam: * Hoc nunc, os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.

* 1. Cor. 11.b.9. Matt.19 a. 5. Mar.10. a.7.

24 Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ: * & erunt duo in carne una.

*Eph.5. g. 31.

25 Erat autem uterque nudus, Adam scilicet & uxor ejus: & non erubescebant.

* 1. Cor. 6.d.16.

Caput III.

Serpentis astutia, primi parentes Dei præceptum transgrediuntur; atque indicta singulis pœna, è paradiso pelluntur.

1 SEd & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi? A

2 Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur:

3 De fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.

4 Dixit autem serpens ad mulierem: * Nequaquam morte moriemini.

*2. Cor. 11.a 3.

5 Scit enim Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut dij, scientes bonum & malum.

6 Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile: & tulit de fructu illius, & * comedit: dedítque viro suo, qui comedit.

*Eccli. 25.d 33. 1. Tim 2. d. 14.

7 Et aperti sunt oculi amborum: cúmque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. B

8 Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.

9 Vocavítque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es?

10 Qui ait: Vocem tuam audivi in paradiso: & timui eò quòd nudus essem: & abscondi me.

11 Cui dixit: Quis enim indicavit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?

12 Dixítque Adam: mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.

13 Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, & comedi.

14 Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. C

15 Inimicitias ponam inter te & mulierem, &

& semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.

16 Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & cõceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, * & ipse dominabitur tui.

* 1. Cor. 14.g.34.

17 Adæ verò dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.

18 Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ.

D 19 In sudore vultus tui vescêris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem revertêris.

20 Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Heva: eò quòd mater esset cunctorum viventium.

21 Fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos:

22 Et ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.

23 Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terrã, de qua sumptus est.

24 Ejecítque Adam, & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendã viam ligni vitæ.

Caput IV.

Impius Cain pium Abel fratrem occidit, & à Deo punitus, ac profugus vitam agens, Henoch genuit, sed & Adam Seth generavit, cui natus est Enos.

A 1 ADam verò cognovit uxorem suam Hevam: quæ concepit & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum,

2 Rursúmque peperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel pastor ovium, & Cain agricola.

3 Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.

Heb.11. a.4.

4 Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.

5 Ad Cain verò, & ad munera illius non respexit: iratúsque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus.

6 Dixítque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua.

B 7 Nonne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.

8 Dixítque Cain ad Abel fratrẽ suum: Egrediamur foras. Cúmque essent in agro, cõsurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel, & * interfecit eum.

*Sap.10. a.3. Matt. 23.d. 35. 1.Ioan. 3.b.12. Iudæ b. 11.

9 Et ait Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio. Num custos fratris mei sum ego?

10 Dixítque ad eum: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

11 Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.

12 Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram.

13 Dixítque Cain ad Dominum: Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.

14 Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, occidet me. C

15 Dixítque ei Dominus: Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuítque Dominus Cain, signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum.

16 Egressúsque Cain à facie Domini, habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.

17 Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit & peperit Henoch, & ædificavit civitatem, vocavítque nomen ejus ex nomine filij sui, Henoch.

18 Porrò Henoch genuit Irad, & Irad genuit Mauiaël, & Mauiaël genuit Mathusaël, & Mathusaël genuit Lamech.

19 Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, & nomen alteri Sella.

20 Genuítque Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum.

21 Et nomen fratris ejus Iubal: ipse fuit pater D canentium cithara & organo.

22 Sella quoque genuit Tubalcain qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris & ferri. Soror verò Tubalcain, Noëma.

23 Dixítque Lamech uxoribus suis Adæ & Sellæ. Audite vocem meam uxores Lamech, auscultate sermonẽ meum: quoniam occidi virum in vulnus meũ, & adolescentulum in livorem meum.

24 Septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech verò septuagies septies.

25 Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam: & peperit filium, vocavítque nomen ejus Seth, dicens. Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.

26 Sed & Seth natus est filius quem vocavit Enos: iste cœpit invocare nomen Domini.

Caput V.

Propagatio Adæ ac posterorum, annique vitæ ipsorum usque ad Noë.

1 HIc est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, * ad similitudinem Dei fecit illum; A

*Sup.1. d. 27. Infr. 9. b.6. Sap. 2. d.23. Eccl.17. a.1.

2 Masculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis: & vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt.

3 Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem, & similitudinem suam; vocavítque nomen ejus Seth.

4 Et facti sunt dies * Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni: genuítque filios & filias.

*1. Par. 1. a.1.

5 Et factum est omne tempus quod vixit Adam anni nongenti triginta, & mortuus est.

6 Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos.

7 Vixítque Seth postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuítque filios & filias.

8 Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum B duodecim annorum, & mortuus est.

9 Vixit verò Enos nonaginta annis, & genuit Cainan.

10 Post cujus ortum vixit octingentis quindecim annis & genuit filios & filias.

Universidad de Deusto
Biblioteca

11 Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est.

12 Vixit quoque Cainan septuaginta annis,& genuit Malaleel.

13 Et vixit Cainan postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios & filias.

14 Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus est.

15 Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, & genuit Jared.

16 Et vixit Malaleel postquam genuit Jared, octingentis triginta annis:& genuit filios & filias.

17 Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, & mortuus est.

18 Vixitque Jared centum sexaginta duobus annis, & genuit Henoch.

C 19 Et vixit Jared postquam genuit Henoch, octingentis annis & genuit filios & filias.

20 Et facti sunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, & mortuus est.

Eccl.44. c.16. Hebr.11. a.5. 21 Porrò Henoch vixit sexaginta quinque annis, & genuit Mathusalam.

22 Et ambulavit Henoch cum Deo, & vixit, postquam genuit Mathusalam, trecentis annis,& genuit filios & filias.

23 Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni.

24 Ambulavitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus.

25 Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech.

26 Et vixit Mathusala, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, & genuit filios & filias.

D 27 Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni, & mortuus est.

28 Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium:

29 Vocavitque nomen ejus Noë, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum,in terra cui maledixit Dominus.

30 Vixitque Lamech postquam genuit Noë, quingentis nonaginta quinque annis, & genuit filios & filias.

31 Et facti sunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni, & mortuus est. Noë verò cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Japheth.

Caput VI.

Hominis peccata fuere diluvij causa : Noë tamen justus inventus est, cui arca fabricanda mandatur, in qua ipse & cunctorum animantium genera serventur.

A 1 CUmque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent,

2 Videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.

3 Dixitque Deus : Non permanebit spiritus meus in homine in æternum,quia caro est: erúntque dies illius centum viginti annorum.

4 Gigantes autem erant super terram in diebus illis: postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi.

5 Videns autem Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & * cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, ** Inf.8. d.21. Mat.15. c.19.*

6 Pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus,

7 Delebo, inquit, hominem, quem creavi à facie terræ, ab homine usque ad animantia, à reptili usque ad volucres cæli : pœnitet enim me fecisse eos. B

8 Noë verò invenit gratiam coram Domino.

9 Hæ sunt generationes Noë : * Noë vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit. ** Eccl. 44.c.17.*

10 Et genuit tres filios Sem,Cham,& Japheth.

11 Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate.

12 Cúmque vidisset Deus terram esse corruptam(omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) C

13 Dixit ad Noë: Finis universæ carnis venit coram me : repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.

14 Fac tibi arcam de lignis lævigatis : mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus.

15 Et sic facies eam : Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.

16 Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem ejus : ostium autem arcæ pones ex latere : deorsum, cœnacula, & tristega facies in ea.

17 Ecce ego adducam aquas diluvij super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum : Universa quæ in terra sunt, consumentur. D

18 Ponámque fœdus meum tecum : & ingredieris arcam tu, & filij tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum, tecum.

19 Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum : masculini sexus & fœminini.

20 De volucribus juxta genus suum, & de jumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundùm genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere.

21 Tolles igitur tecum, ex omnibus escis,quæ mandi possunt,& comportabis apud te : & erunt tam tibi quàm illis in cibum.

22 Fecit igitur Noë omnia, quæ præceperat illi Deus.

Caput VII.

Ingresso Noë cum suis in arcam, statim aqua omnium montium cacumina centum quinquaginta diebus superavit, reliquáque animantia submersit.

1 DIxítque Dominus ad eum : Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam : te enim * vidi justum coram me in generatione hac. A ** Hebr. 11.b.7. 2.Pet.2. a.5.*

2 Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena, masculum & fœminam: de animantibus verò immundis duo & duo, masculum & fœminam.

3 Sed

3 Sed & de volatilibus cœli septena & septena, masculum & fœminam : ut salvetur semen super faciem universæ terræ.

4 Adhuc enim & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus : & delebo omnem substantiam quam feci, de superficie terræ.

5 Fecit ergo Noë omnia quæ mandaverat ei Dominus.

B 6 Erátque sexcentorum annorum quando diluvij aquæ inundaverunt super terram.*

** Matt. 24.c.37. Luc.17. f.26. 1.Petr.3. d.20.* 7 Et ingressus est Noë & filij ejus,uxor ejus & uxores filiorum ejus cum eo, in arcam propter aquas diluvij.

8 De animantibus quoque mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni quod movetur super terram,

9 Duo & duo ingressa sunt ad Noë in arcam, masculus & fœmina, sicut præceperat Dominus Noë.

10 Cumque transissent septem dies, aquæ diluvij inundaverunt super terram.

11 Anno sexcentesimo vitæ Noë,mense secundo, septimodecimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ,& cataractæ cœli apertæ sunt.

12 Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

C 13 In articulo diei illius ingressus est Noë, & Sem,& Cham,& Iapheth, filij ejus ; uxor illius,& tres uxores filiorum ejus cum eis in arcam:

14 Ipsi & omne animal secundùm genus suum, universáque jumenta in genere suo, & omne quod movetur super terram in genere suo, cunctúmque volatile secundùm genus suum,universæ aves, omnesque volucres,

15 Ingressæ sunt ad Noë in arcam;bina & bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ.

16 Et quæ ingressa sunt, masculus & fœmina ex omni carne introïerunt, sicut præceperat ei Deus : & inclusit eum Dominus de foris.

17 Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram : & multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt arcam in sublime à terra.

18 Vehementer enim inundaverunt:& omnia repleverunt in superficie terræ : porrò arca ferebatur super aquas.

D 19 Et aquæ prævaluerunt nimis super terram : opertíque sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo.

20 Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat.

**Sap.10. a.4. Eccles.39. c.28. 1.Pet.3. d.20.* 21 * Consumptáque est omnis caro quæ movebatur super terram,volucrum,animantium, bestiárum,omniúmque reptilium,quæ reptant super terram : universi homines,

22 Et cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt.

23 Et delevit omnem substantiam, quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quàm volucres cœli : & deleta sunt de terra : remansit autem solus Noë, & qui cum eo erant in arca.

24 Obtinuerúntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.

Caput VIII.

Imminutis paulatim aquis diluvij, post corvi ac columbæ emissionem, Noë cum universis qui in arca continebantur, egreditur : & altari extructo offert holocausta.

1 REcordatus autem Deus Noë, cunctórúmque animantium, & omnium jumentorum, quæ erant cum eo in arca,adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ. A

2 Et clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cœli : & prohibitæ sunt pluviæ de cœlo.

3 Reversæque sunt aquæ de terra euntes & redeuntes : & cœperunt minui post centum quinquaginta dies.

4 Requievítque arca mense septimo, vigesimoseptimo die mensis, super montes Armeniæ.

5 At verò aquæ ibant & decrescebant usque ad decimum mensem:decimo enim mense, prima die mensis,apparuerunt cacumina montium.

6 Cumque transissent quadraginta dies aperiés B Noë fenestrã arcæ,quam fecerat,dimisit corvum :

7 Qui egrediebatur, & non revertebatur,donec siccarentur aquæ super terram.

8 Emisit quoque columbam post eum, ut videret si jam cessassent aquæ super faciem terræ.

9 Quæ cùm non invenisset ubi requiesceret pes ejus,reversa est ad eum in arcam : aquæ enim erant super universam terram : extenditque manum,& apprehensam intulit in arcam.

10 Expectatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex arca.

11 At illa venit ad eum ad vesperam,portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo; intellexit ergo Noë quòd cessassent aquæ super terram.

12 Expectavítque nihilominùs septem alios C dies : & emisit columbam, quæ non est reversa vltra ad eum.

13 Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense,prima die mensis,imminutæ sunt aquæ super terram:& aperiens Noë tectum arcæ, aspexit, vidítque quòd exiccata esset superficies terræ.

14 Mense secundo, septimo & vigesimo die mensis, arefacta est terra.

15 Locutus est autem Deus ad Noë, dicens.

16 Egredere de arca, tu & vxor tua, filij tui & vxores filiorum tuorum tecum :

17 Cuncta animantia quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus quàm in bestiis & vniuersis reptilibus, quæ reptant super terram, educ tecum,& ingredimini super terram:* crescite & multiplicamini super eam. ** Sup.1. c.22. d.28.*

18 Egressus est ergo Noë,& filij ejus; uxor illius, & uxores filiorum ejus, cum eo. *Infr.9.a.1.b.7.* D

19 Sed & omnia animantia,jumenta,& reptilia quæ reptant super terram, secundùm genus suum, egressa sunt de arca.

20 Ædificavit autem Noë altare Domino : & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.

21 Odoratúsque est Dominus odorem suavitatis, & ait: Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines: * sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua : non igitur vltrà percutiam omnem animam viventem sicut feci. ** Sup.6. a.5. Matth. 15.c.19.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

22 Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hiems, nox & dies non requiescent.

Caput IX.

Deus Noë & filiis ejus benedicit, cunctáque animantia una cum piscibus in cibum tribuit, prohibito tamen illis sanguine: fœdus inter Deum & homines de non inducendis amplius aquis diluvij, iride firmatur. Noë ebrium ridens filius Cham, in Chanaan filio maledicitur: Sem verò & Iapheth benedicuntur.

A 1 BEnedixítque Deus Noë & filiis ejus. Et dixit ad eos: * Crescite & multiplicamini, & replete terram.
*Sup.1. c.22.d.28.8. c.17.

2 Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum universis quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.

*Sup.1. d.29.

3 Et omne quod movetur & vivit, * erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.

*Leu.17 d.14.

4 * Excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis.

5 Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri & fratris ejus, requiram animam hominis.

B 6 Quicumque * effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: * ad imaginem quippe Dei factus est homo.
*Matth. 26.c.52. *Apoc. 13.c.10.

7 * Vos autem crescite & multiplicamini, & ingredimini super terram, & implete eam.
*Sup.1. d.28.8. c.17.

8 Hæc quoque dixit Deus ad Noë, & ad filios ejus cum eo.

9 Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos:

10 Et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, tam in volucribus quàm in jumentis & pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, & universis bestiis terræ.

11 * Statuam pactũ meum vobiscum, & nequaquam ultrà interficietur omnis caro aquis diluvij, neque erit deinceps diluvium dissipans terram.
*Isa.54. d.9.

12 Dixítque Deus: Hoc signum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscũ in generationes sempiternas.

13 Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.

C 14 * Cúmque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus:
*Eccl. 43.b.12.

15 Et recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima vivente quæ carnem vegetat: & non erunt ultrà aquæ diluvij ad delendum universam carnem.

16 Erítque arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni quod pactum est inter Deum & omnem animam viventem universæ carnis quæ est super terram.

17 Dixítque Deus ad Noë. Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me & omnem carnem super terram.

18 Erant ergo filij Noë, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, & Iapheth: porrò Cham ipse est pater Chanaan.

19 Tres isti filij sunt Noë: & ab his dissemi-natum est omne genus hominum super universam terram.

20 Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam. D

21 Bibénsque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo.

22 Quod cùm vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras.

23 At verò Sem & Iapheth pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui: faciésque eorum aversæ erant, & patris virilia non viderunt.

24 Evigilans autem Noë ex vino, cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor,

25 Ait: Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.

26 Dixítque: Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus.

27 Dilatet Deus Japheth, & habitet in tabernaculis Sem, sítque Chanaan servus ejus.

28 Vixit autem Noë post diluvium trecentis quinquaginta annis.

29 Et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum: & mortuus est.

Caput X.

Genealogia filiorum Noë, à quibus divisæ sunt gentes post diluvium.

1 HÆ sunt generationes filiorum Noë, Sem, Cham & Iapheth: natíque sunt eis filij post diluvium. A 1.Par.1. a.5.

2 Filij Iapheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Iavan, & Thubal, & Mosoch, & Thiras.

3 Porrò filij Gomer: Ascenez & Riphath & Thogorma.

4 Filij autem Iavan: Elisa & Tharsis, Cetthin, & Dodanin.

5 Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis: unusquisque secundùm linguam suam & familias suas in nationibus suis.

6 Filij autem Cham: Chus & Mesraïm, & Phuth, & Chanaan.

7 Filij Chus: Saba, & Hevila, & Sabatha, & Regma, & Sabathaca. Filij Regma: Saba, & Dadan.

8 Porrò Chus genuit Nemrod: ipse cœpit B esse potens in terra,

9 Et erat robustus venator coram Domino. Ob hoc exivit proverbium: Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.

10 Fuit autem principium regni ejus Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne, in terra Sennaar.

11 De terra illa egressus est Assur, & ædificavit Niniven, & plateas civitatis, & Chale.

12 Resen quoque inter Niniven & Chale: hæc est civitas magna.

13 At verò Mesraïm genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, Nephtuim,

14 Et Phetrusim, & Chasluim: de quibus egressi sunt Philisthiim & Caphtorim.

15 Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum,

16 Et Jebusæum, & Amorrhæum, Gergesæum, C

17 Hevæum, & Aracæum: Sinæum,

18 Et Aradium, Samaræum, & Amathæum: & post hæc disseminati sunt populi Chananæorum.

19 Factíque sunt termini Chanaan venientibus

tibus à Sidone Geraram usque Gazan, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham, & Adamam, & Seboim, usque Lesa.

20 Hi sunt filij Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus, terrísque & gentibus suis.

21 De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheth majore.

*1.Par. 1.b.17. 22 * Filij Sem: Ælam & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram.

23 Filij Aram: Vs, & Hul & Gether, & Mes.

24 At verò Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber.

D 25 Natíque sunt Heber filij duo: nomen vni Phaleg, eò quòd in diebus ejus divisa sit terra: & & nomen fratris ejus Jectan.

26 Qui Jectan genuit Elmodad, & Saleph, & Asarmoth, Jare,

27 & Aduran, & Vzal, & Decla,

28 Et Ebal, & Abimaël, Saba,

29 Et Ophir, & Hevila, & Jobab; omnes isti filij Jectan.

30 Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem orientalem.

31 Isti filij Sem, secundùm cognationes, & linguas, & regiones, in gentibus suis.

32 Hæ familiæ Noë juxta populos, & nationes suas. Ab his divisæ sunt gẽtes in terra post diluviũ.

Caput XI.

In turris Babel ædificatione, superborum fastus, ac lingua confunditur. Sem genealogia usque ad Abram texitur.

Sap.10. n.5. 1 ERat autem terra labij unius, & sermonum eorundem.

A 2 Cúmque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, & habitaverunt in eo.

3 Dixítque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habuerúntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmẽto.

4 Et dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.

5 Descendit autem Dominus ut videret civitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam,

6 Et dixit: Ecce, unus est populus, & unũ labium omnibus: cœperúntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.

B 7 Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.

8 Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessavertt ædificare civitatem.

9 Et idcircò vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ: & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.

*1.Par. 1.b.17. 10 Hæ sunt generationes Sem: * Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium.

11 Vixítque Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios & filias.

12 Porrò Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale.

13 Vixítque Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis, & genuit filios & filias.

14 Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber.

15 Vixítque Sale postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis, & genuit filios & filias. C

16 Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg.

17 Et vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringẽtis triginta annis: & genuit filios & filias.

18 Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu.

19 * Vixítque Phaleg postquam genuit Reu, ducentis novem annis: & genuit filios & filias. *1.Par. 1.b.19.

20 Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug.

21 Vixit quoque Reu postquam genuit Sarug, ducentis septem annis: & genuit filios & filias.

22 Vixit verò Sarug triginta annis, & genuit Nachor.

23 Vixítque Sarug postquam genuit Nachor, ducentis annis: & genuit filios & filias.

24 Vixit autem Nachor viginti novem annis, & genuit Thare.

25 Vixítque Nachor postquã genuit Thare, centum decẽ, & novem annis: & genuit filios & filias.

26 Vixítque Thare septuaginta * annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran. D *Ios.24. a.2.

27 Hæ sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porrò Aran genuit Lot. 1.Par.1. b.26.

28 Mortuúsque est Aran ante Thare patrem suum in terra nativitatis suæ in Vr Chaldæorum.

29 Duxerunt autem Abram & Nachor vxores: nomen vxoris Abrã, Sarai, & nomẽ vxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melchæ, & patris Ieschæ.

30 Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos.

31 * Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, * ut irent in terram Chanaan: venerúntque usque * Haran, & habitaverunt ibi. *Ios.24. a.2. 2.Esd.9. b.7. *Iudith. 5.b.7. Act.7. a.2.

32 Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.

Caput XII.

Abram Dei mandato parens, promissáque accipiens, patria relicta, comitante Lot, Domino in Sichem sacrificavit. Inde propter famem Ægyptum ingressus, uxorem suam vocat sororem; quam in domum Regis sublatã, postea ditatus recipit.

1 DIxit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terrã quam monstrabo tibi. Act.7. a.3. A

2 Faciámque te in gentem magnam, & benedicã tibi, & magnificabo nomẽ tuum, erísq; benedictus.

3 Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque * IN TE benedicentur universæ cognationes terræ. *Inf.18. c.18.22. d.17.

4 Egressus est itaque * Abram sicut præceperat ei Dominus, & ivit cum eo Lot: septuaginta quinq; annorum erat Abram cùm egrederetur de Haran. Gal.3. b.8. *Heb. 11.b.8.

5 Tulítque Sarai uxorem suam, & Lot filium fratris sui universámque substantiã quam possederant & animas quas fecerant in Haran: & egressi sunt ut irent in terrã Chanaan. Cúmque venissent in eam,

6 Pertransivit Abram terram usque ad locum B

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sichem, usque ad convallem illustrém: Chananæus autem tunc erat in terra.

7 Apparuit autem Dominus Abram, & dixit ei: * Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.

*Inf.13. c.15.15. d.18.26. a. 4. Deut. 34.b.4.

8 Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: ædificavit quoque ibi altare Domino, & invocavit nomen ejus.

9 Perrexítque Abram vadens, & ultrà progrediens ad meridiem.

C 10 Facta est autem fames in terra: descendítque Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terra.

11 Cúmque propè esset, ut ingrederetur Ægyptũ, dixit Sarai uxori suæ: Novi quod pulchra sis mulier.

12 Et quòd cùm viderint te Ægyptij, dicturi sũt: Vxor ipsius est: & interficiét me, & te reservabunt.

*Inf. 20.c.11. 13 * Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis: ut benè sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.

14 Cùm itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem quòd esset pulchra nimis.

15 Et nuntiaverunt principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum: & sublata est mulier in domum Pharaonis.

16 Abram verò benè usi sunt propter illam:
D fuerúntque ei oves, & boves, & asini, & servi & famulæ, & asinæ & cameli.

17 Flagellavit autem Dñs Pharaonem plagis maximis, & domũ ejus, propter Sarai uxorem Abram.

18 Vocavítque Pharao Abram, & dixit ei: Quidnam est hoc quod fecisti mihi? quare non indicasti quòd uxor tua esset?

19 Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce conjux tua, accipe eam, & vade.

20 Præcepítque Pharao super Abram viris: & deduxerunt eum, & uxorem illius, & omnia quæ habebat.

Caput XIII.

Abram & Lot Ægyptum egressi, præ nimia opulentia separantur; & Lot Iordanis fines eligente, Abram habitat in terra Chanaan: ubi rursum Dei promissiones de multiplicando semine, terráque possidenda, accipit.

A 1 Ascendit ergo Abram de Ægypto, ipse & uxor ejus, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo, ad Austrálem plagam.

2 Erat autem dives valdè in possessione auri & argenti.

3 Reversúsque est per iter, quo venerat, à meridie in Bethel, usque ad locum ubi priùs fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai:

*Sup. 12.b.7. 4 In loco altaris * quod fecerat priùs, & invocavit ibi nomen Domini.

5 Sed & Lot qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, & armenta, & tabernacula.

B 6 Nec poterat eos capere terra, ut habitarent
*Inf.36. a.7. simul: * erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.

7 Vnde & facta est rixa inter pastores gregum Abram & Lot. Eo autem tempore Chananæus & Pherezæus habitabant in terra illa.

8 Dixit ergo Abram ad Lot: Ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus.

9 Ecce universa terra coram te est: recede à me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.

10 Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circà regionem Iordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor.

11 Elegítque sibi Lot regionem circa Jordanem, & recessit ab oriente: divisíque sunt alterutrum à fratre suo. C

12 Abram habitavit in terra Chanaan: Lot verò moratus est in oppidis, quæ erant circa Jordanem, & habitavit in Sodomis.

13 Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.

14 Dixítque Dominus ad Abram, postquam divisus est ab eo Lot: * Leva oculos tuos, & vide
*Sup. 12.b.7. Inf.15. c.18.26. à loco, in quo nunc es; ad aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem.

15 Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo
a. 4. Deut. 34.b.4. & semini tuo usque in sempiternum.

16 Faciámque semen tuum sicut pulverem D terræ: si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit.

17 Surge, & perambula terram in longitudine, & in latitudine sua: quia tibi daturus sum eam.

18 Movens igitur tabernaculum suum Abram, venit & habitavit juxta convallem Mambre, quæ est in Hebron: ædificavitque ibi altare Domino.

Caput XIV.

Devictis quinque Regibus, ac spoliatis Sodomis, Lot cum plerisque aliis captivus ducitur à quatuor Regibus victoribus: quos Abram persecutus, omnes captivos, spoliaque reduxit; atque benedictione à Melchisedech accepta, cuncta Regi Sodomorum reddidit.

1 Factum est autem in illo tempore, ut Amra- A
phel Rex Sennaar, & Arioch Rex Ponti, & Chodorlahomor Rex Elamitarum, & Thadal Rex Gentium,

2 Inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Bersa regem Gomorrhæ, & contra Sennaab regem Adamæ, & cõtra Semeber regem Seboim, contráque regem Balæ, ipsa est Segor.

3 Omnes hi convenerunt in vallem Silvestrem, quæ nunc est mare salis.

4 Duodecim enim annis servierant Chodorlahomor, & tertiodecimo anno recesserunt ab eo.

5 Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erant cum eo: percussérúntque Raphaim in Astarothcarnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in Save Cariathaim,

6 Et Chorræos in montibus Seir, usque ad Campestria Pharan, quæ est in solitudine.

7 Reversíque sunt, & venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades: & percusserunt omnem regionem Amalecitarum, & Amorrhæum qui habitabat in Asasonthamar.

8 Et egressi sunt, rex Sodomorum, & rex Go- B
morrhæ, rexque Adamæ, & rex Seboim, nec non &

& rex Balæ, quæ est Segor: & direxerunt aciem contra eos in valle Silvestri:

9 Scilicet adversùs Chodorlahomor regem Elamitarum, & Thadal regem Gentium, & Amraphel regem Sennaar, & Arioch regem Ponti: quattuor reges adversus quinque.

10 Vallis autem Silvestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum, & Gomorrhæ, terga verterunt, ceciderúntque ibi: & qui remanserant, fugerunt ad montem.

11 Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum & Gomorrhæ, & universa quæ ad cibum pertinent, & abierunt:

C 12 Necnon & Lot & substantiam ejus, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.

13 Et ecce unus qui evaserat, nuntiavit Abram Hebræo, qui habitabat in convalle Mambre Amorrhæi, fratris Escol, & fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram.

14 Quod cùm audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est usque Dan.

15 Et divisis sociis, irruit super eos nocte: percussítque eos, & persecutus est eos usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci.

16 Reduxítque omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque & populum.

17 Egressus est autem rex Sodomorum in occursum ejus, postquam reversus est à cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis regis.

D *Heb.7. a.1. 18 * At verò Melchisedech rex Salem, proferẽs panem & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi,

19 Benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cœlum & terram,

20 Et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.

21 Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi.

22 Qui respondit ei: Levo manum meam ad Dñm Deum excelsum possessorem cæli & terræ,

23 quòd à filo subtegminis usque ad corigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas. Ego ditavi Abram:

24 Exceptis his, quæ comederunt juvenes, & partibus virorum qui venerunt mecum, Aner, Escol, & Mambre: isti accipient partes suas.

Caput XV.

Deus Abræ de posteritate desperanti filium promittit, cui credens Abram justificatur; & in signum promissæ terræ, præscriptum à Domino offert sacrificium, auditque suæ posteritatis futuram peregrinationem.

A 1 His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.

2 Dixítque Abram; Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer.

3 Addidítque Abram: Mihi autem non dedisti semen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit.

4 Statímque sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem. B

5 Eduxítque eum foras, & ait illi: * Suspice
*Rom.4. c. 18. cœlum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum.

6 * Credidit Abram Deo, & reputatum est
*Rom.4. a. 3. illi ad justitiam.

7 Dixítque ad eum: Ego Dominus qui eduxi
Gal. 3. a.6. Isa. 2. d. 23. te de Vr Chaldæorum, ut darem tibi terram istam & possideres eam.

8 At ille ait: Domine Deus, unde scire possum, quòd possessurus sim eam?

9 Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi, vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam.

10 Qui tollens universa hæc, * divisit ea per me-
*Ierem. 34.d.18. dium, & utráque partes contra se altrinsecus posuit: aves autem non divisit.

11 Descenderúntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abram.

12 Cúmque sol occumberet, sopor irruit super C
Abrã, & horror magnus, & tenebrosus invasit eum.

13 Dictúmque est ad eum: Scito prænoscens quòd * peregrinum futurum sit semen tuum in
*Act.7. a.6. terra non sua, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis.

14 Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo, & post hæc egredientur cum magna substantia.

15 Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.

16 Generatione autem quarta revertentur huc: D
necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus.

17 Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas.

18 In illo die * pepigit Dominus fœdus cum
*Sup. 12. b. 7. 13.c.15. Inf.26. a.4. Deut. 34.b.4. 3.Reg.4. f.21. 2.Par.9. f.26. Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluvio Ægypti usque ad fluviũ magnum Euphraten.

19 Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos,

20 Et Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque,

21 Et Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Jebusæos.

Caput XVI.

Agar à domina Sarai traditur Abræ uxor: quæ ubi concepisset, atque ob id dominam contemneret, ab illa afflicta, fugam init; sed jussu Angeli eidem submissa, parit Ismaëlem.

A 1 Igitur Sarai, uxor Abram, non genuerat liberos: sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar,

2 Dixit marito suo: Ecce conclusit me Dominus, ne parerem, ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa susciam filios. Cúmque ille acquiesceret deprecanti,

3 Tulit Agar Ægyptiam ancillam suam, post annos decem quàm habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit eam viro suo uxorem.

4 Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse B
se videns, despexit dominam suam.

5 Dixítque Sarai ad Abram: Iniquè agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quòd conceperit, despectui me habet, judicet Dominus inter me & te.

6 Cui

Universidad de Deusto
Biblioteca

6 Cui respondens Abram: Ecce, ait ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit.

7 Cúmque invenisset eam Angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine, qui est in via Sur in deserto,

8 Dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, unde venis? & quò vadis? quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.

C 9 Dixítque ei angelus Domini: Revertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.

10 Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuũ, & non numerabitur præ multitudine.

11 Ac deinceps: Ecce, ait, concepisti, & paries filium: vocabísque nomen ejus Ismaël, eò quòd audierit Dominus afflictionem tuam.

12 Hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes & manus omnium contra eum: & è regione universorum fratrum suorũ figet tabernacula.

13 Vocavit autem nomen Domini qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim: Profectò hîc vidi posteriora videntis me.

Inf. 24. *g.* 62. 14 Propterea appellavit puteum illũ, Puteum viventis & vidétis me. Ipse est inter Cades & Barad.

15 Peperítque Agar Abræ filium: qui vocavit nomen ejus Ismaël.

16 Octoginta & sex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Ismaëlem.

Caput XVII.

Abræ repetuntur promissiones, ipsius, & Sarai nomina immutantur, circumcisio præcipitur, filius ex Sara promittitur una cum successu Ismaëlis, & Abraham circumcisionis præceptum exequitur.

A 1 Postquàm verò nonaginta & novem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus: dixítque ad eum: Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus.

2 Ponámque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis.

3 Cecidit Abram pronus in faciem.

* *Eccl.* 44. *c.* 20. *Rom.* 4. *c.* 17. 4 Dixítque ei Deus: Ego sum, & pactum meum tecum, * erísque pater multarum gentium.

5 Nec ultrà vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te.

6 Faciámque te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, regésque ex te egredientur.

7 Et statuam pactum meũ inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, & seminis tui post te.

B 8 Dabóque tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eróque Deus eorum.

* *Act.* 7. *d.* 8. 9 Dixit iterùm Deus ad Abraham: * Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis.

10 Hoc est pactum meum quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum:

11 Et circumcidetis carnem præputij vestri, ut sit * in signum fœderis inter me & vos.

* *Lev.* 12. *d.* 3. *Luc.* 2. *c.* 21. *Rom.* 4. *b.* 11. 12 Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra:

13 Erítque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.

14 Masculus, cujus præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.

15 Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. C

16 Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, erítque in nationes, & reges populorum orientur ex eo.

17 Cecidit Abraham in faciem suam, & risit, dicens in corde suo: Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?

18 Dixítque ad eum: Utinam Ismaël vivat corã te.

19 Et ait Deus ad Abraham: * Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabísque nomen ejus Isaac, & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini ejus post eum. * *Inf.* 18. *b.* 10. 21. *a.* 2.

20 Super Ismaël quoque exaudivi te: ecce, benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum valdè: duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam.

21 Pactum verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero. D

22 Cúmque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ad Abraham.

23 Tulit autem Abraham Ismaël filium suum, & omnes vernaculos domus suæ: universósque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ: & circumcidit carnem præputij eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus.

24 Abraham nonaginta & novem erat annorum quando circumcidit carnem præputij sui.

25 Et Ismaël filius tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suæ.

26 Eadem die circumcisus est Abraham & Ismaël filius ejus.

27 Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quàm emptitij & alienigenæ pariter circumcisi sunt.

Caput XVIII.

Angeli ab Abraham hospitio suscepti, filium ex Sara promittunt: quæ ob id ridens, corripitur. Sodomorum eversio prædicitur, pro quibus Abraham sapiùs deprecatur.

A 1 Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso fervore diei. *Heb.* 13. *a.* 2.

2 Cúmque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adoravit in terram.

3 Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum:

4 Sed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes vestros, & requiescite sub arbore.

5 Ponámque buccellam panis, & confortare cor vestrum, posteà transibitis: idcircò enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt: Fac ut locutus es.

6 Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixítque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes.

7 Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum

vitulum tenerrimum & optimum, dedítque puero: qui festinavit & coxit illum.

8 Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis, ipse verò stabat juxta eos sub arbore.

9 Cúmque comedissent, dixerunt ad eum: Ubi est Sara uxor tua? ille respondit: Ecce in tabernaculo est.

* *Sup.* 17. *c.* 19. *Inf.* 21. *a.* 1. *Rom.* 9. *b.* 9. 10 Cui dixit: * Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara uxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi.

11 Erant autem ambo senes, provectæque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria.

* 1. *Pet.* 3. *a.* 6. 12 Quæ risit occultè, dicens: Postquam consenui, & * dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?

13 Dixit autem Dominus ad Abraham. Quare risit Sara, dicens: Num verè paritura sum anus?

14 Numquid Deo quidquam est difficile? juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium.

15 Negavit Sara dicens, non risi: timore perterrita. Dominus autem: Non est, inquit, ita: sed risisti.

16 Cùm ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam: & Abraham simul gradiebatur, deducens eos.

17 Dixítque Dominus: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum:

Sup. 12. *a.* 3. *Inf.* 22. *d.* 18. 18 Cùm futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & BENEDICENDÆ sint in illo omnes nationes terræ?

C 19 Scio enim quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam: ut adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum.

20 Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.

21 Descendam & videbo, utrùm clamorem qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.

22 Converterúntque se inde, & abierunt Sodomam: Abraham verò adhuc stabat coram Dño.

23 Et appropinquans ait: Numquid perdes justum cum impio?

24 Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint in eo?

25 Absit à te, ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fiátque justus sicut impius, non est hoc tuum: qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc.

26 Dixítque Dominus ad eum: Si invenero Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos.

D 27 Respondénsque Abraham ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dñm meum, cùm sim pulvis & cinis.

28 Quid si minus quinquaginta justis, quinque fuerint? delebis, propter quadraginta quinque, universam urbem? Et ait: Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque.

29 Rursúmque locutus est ad eum: Sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? Ait. Non percutiam propter quadraginta.

30 Ne quæso, inquit, indigneris Domine si loquar: Quid si ibi inventi fuerint triginta? Respondit: Non faciam, si invenero ibi triginta.

31 Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum: Quid si ibi inventi fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter viginti.

32 Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel: Quid si inventi fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem.

33 Abiítque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham: & ille reversus est in locum suum.

Caput XIX.

Lot, Angelis hospitio susceptis, à Sodomitis vim patitur: cum uxore & utraque filia à Sodomitico ereptus incendio, uxorem in via amisit: tandémque inebriatus, cum utraque filia incestum ignorans cõmisit, unde ortum habuerunt Moabitæ & Ammonitæ.

A 1 Venérúntque duo Angeli Sodomam vespere, & sedente Lot in foribus civitatis. Qui cùm vidisset eos, surrexit, & ivit obviàm eis, adoravítque pronus in terram, *Heb.* 13. *a.* 2.

2 Et dixit: Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: lavate pedes vestros, & manè proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt: Minimè, sed in platea manebimus.

3 Compulit illos oppidò ut diverterent ad eum: ingressísque domum illius fecit convivium, & coxit azyma: & comederunt.

4 Priùs autem quàm irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum à puero usque ad senem, omnis populus simul.

5 Vocaverúntque Lot, & dixerunt ei: Ubi sunt viri qui introïerunt ad te nocte? educ illos huc, ut cognoscamus eos.

6 Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium, ait:

7 Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere.

8 Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodò viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbra culminis mei. B

9 At illi dixerunt: Recede illuc: Et rursus: Ingressus es, inquiunt, ut advena, numquid ut judices? ergo ipsum magis quàm hos affligemus. * Vímque faciebant Lot vehementissimè: jámque propè erat ut effringerent fores. * 2. *Pet.* 2. *b.* 8.

10 Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Lot, clauserúntque ostium:

11 Et eos, qui foris erant, * percusserunt cæcitate à minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent. * 1. *Sap.* 19. *c.* 16.

12 Dixerunt autem ad Lot: Habes hîc quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes qui tui sunt, educ de urbe hac: C

13 Delebimus enim locum istum, eò quòd increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos ut perdamus illos.

14 Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos qui accepturi erant filias ejus, & dixit: Surgite, egredimini de loco isto: quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui.

15 Cúmque esset manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes:

Universidad de Deusto
Biblioteca

habes: ne & tu pariter pereas in scelere civitatis.
D 16 Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eò quòd parceret Dominus illi.
*Sap.10. b.6. 17 * Eduxerúntque eum, & posuerunt extra civitatem: ibique locuti sunt ad eum, dicentes: Salva animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circà regione: sed in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.
18 Dixítque Lot ad eos: Quæso Domine mi,
19 Quia invenit servus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ut salvares animam meam, nec possum in monte salvari, ne fortè apprehendat me malum, & moriar:
20 Et civitas hæc juxtà, ad quam possum fugere, parva, & salvabor in ea: numquid non modica est, & vivet anima mea?
21 Dixítque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi
E preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es.
*Sap.10. b.6. 22 *Festina & salvare ibi: quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc. Idcircò vocatum est nomen urbis illius Segor.
23 Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor.
*Deut. 29.d.15. Isa.13.d. 19. Iere, 50. f. 40. Ezech. 16.f.49. Ose.11.c. 8. Amos 4. d.11. Luc. 17. f. 28. Ind. 1. b.7. *Luc.17. g. 32. *Sup.18. a. 1. 24 * Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo:
25 Et subvertit civitates has, & omnem circà regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.
26 * Respiciénsque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.
27 Abraham autem consurgens manè, ubi steterat * priùs cum Domino,
28 Intuitus est Sodomam & Gomorrham, & universam terram regionis illius: vidítque ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum.
29 Cùm enim subverteret Deus civitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberavit Lot de subversione urbium in quibus habitaverat.
F 30 Ascendítque Lot de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ ejus cum eo (timuerat enim manere in Segor) & mansit in spelunca ipse, & duæ filiæ ejus cum eo.
31 Dixítque major ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra qui possit ingredi ad nos juxta morem universæ terræ.
32 Veni, inebriemus eum vino, dormiamúsque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen.
33 Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est major, dormivítque cum patre: at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.
G 34 Altera quoque die dixit major ad minorem: Ecce dormivi heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormies cum eo, ut salvemus semen de patre nostro.
35 Dederunt etiam & illa nocte patri suo bibere vinum, ingressáque minor filia, dormivit cum eo: & ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit.
36 Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo.
37 Peperítque major filium, & vocavit nomen ejus Moab: ipse est pater Moabitarum usque in præsentem diem.
38 Minor quoque peperit filium, & vocavit nomen ejus Ammon, id est, filius populi mei: ipse est pater Ammonitarum usque hodie.

Caput XX.

Abrahæ in Geraris peregrinanti uxor à rege tollitur; quæ ad Domini jussum cum magnis donis intacta redditur, & Abraham orante salus domui regis restituitur.

A 1 PRofectus inde Abraham in terram australem habitavit inter Cades & Sur: & peregrinatus est in Geraris.
2 Dixítque de Sara uxore sua, Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam.
3 * Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum.
4 Abimelech verò non tetigerat eam, & ait: Domine, num gentem ignorantem & justam interficies?
5 Nónne ipse dixit mihi: Soror mea est: & ipsa ait: Frater meus est? in simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum, feci hoc.
6 Dixítque ad eum Deus: Et ego scio quòd simplici corde feceris: & ideò custodivi te ne peccares in me, & non dimisi ut tangeres eam. B
7 Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia prophéta est: & orábit pro te, & vives: si autem nolueris reddere, scito quòd morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt.
8 Statímque de nocte consurgens Abimelech, vocavit omnes servos suos: & locutus est universa verba hæc in auribus eorum, timuerúntque omnes viri valdè.
9 Vocavit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei: Quid fecisti nobis? quid peccavimus in te, quia induxisti super me & super regnum meum peccatum grande? quæ non debuisti facere fecisti nobis. C
10 Rursúmque expostulans, ait: Quid vidisti, ut hoc faceres?
11 Respondit Abraham: Cogitavi mecum, dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto: & interficient me propter uxorem meam:
12 Aliàs autem & * verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorē. *Sup.12 c.13.
13 Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: * Hanc misericordiam facies mecum: In omni loco, ad quem ingrediemur, dices quòd frater tuus sim. *Inf.21. c.23.
14 Tulit igitur Abimelech oves & boves, & servos & ancillas, & dedit Abraham: reddidítque illi Saram uxorem suam,
15 Et ait: Terra coram vobis est, ubicumque tibi placuerit habita. D
16 Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris: mementóque te deprehensam.
17 Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech & uxorem, ancillásque ejus, & pepererunt:
18 Concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ.

CAPUT

Caput XXI.

Nascitur Isaac, & ablactatur; Ismaël verò cum matre domo pellitur in desertis victurus. Abimelech cum Abraham fœdus medio juramento percussit.

A 1 VIsitavit autem Dominus Saram sicut * promiserat: & implevit quæ locutus est.
*Sup. 17.c.19. 18.b.10. *Gal.4. c.23. Heb.11. c.11. 2 Concepítque & * peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus.
3 Vocavítque Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara Isaac:
*Sup. 17.b.10. Addit. 1. a.2. 4 Et circumcidit eum octavo die, sicut * præceperat ei Deus:
5 Cùm centum esset annorum: hac quippe ætate patris, natus est Isaac.
6 Dixítque Sara: Risum fecit mihi Deus: quicumque audierit, corridebit mihi.
7 Rursúmque ait: Quis auditurum crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei jam seni?
8 Crevit igitur puer & ablactatus est: fecítque Abraham grãde convivíũ in die ablactationis ejus.
9 Cúmque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham:
*Gal.4. d.30. 10 * Ejice ancillam hanc, & filium ejus: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.
11 Durè accepit hoc Abraham pro filio suo:
B 12 Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum
*Rom. 9.b.7. Heb.11. d.18. super puero, & super ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus: quia * in Isaac vocabitur tibi semen.
13 Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.
14 Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem & utrem aquæ, imposuit scapulæ ejus, tradidítque puerum, & dimisit eam. Quæ cum abiisset, errabat in solitudine Bersabee.
15 Cúmque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborum, quæ ibi erant.
16 Et abiit, sedítque è regione procul quantum potest arcus jacere, dixit enim: Non videbo morientem puerum: & sedens contrà, levavit vocem suam & flevit.
17 Exaudivit autem Deus vocem pueri: vocavítque Angelus Dei Agar de cælo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo est.
C 18 Surge, tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum.
19 Aperuítque oculos ejus Deus: quæ videns puteum aquæ, abiit, & implevit utrem, deditque puero bibere.
20 Et fuit cum eo: qui crevit, & moratus est in solitudine, factúsque est juvenis sagittarius.
21 Habitavítque in deserto Pharan, & accepit illi mater sua uxorem de terra Ægypti.
22 Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps exercitus ejus, ad Abraham: Deus tecum est in universis quæ agis.
23 Jura ergo per Deum, ne noceas mihi, & posteris
*Sup. 20.d.14. meis, stirpíq; meæ: sed juxta misericordiã, * quã feci tibi, facies mihi, & terræ in qua versatus es advena.
24 Dixítque Abraham: Ego jurabo.
25 Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ quem vi abstulerant servi ejus.
26 Respondítque Abimelech: Nescivi quis fecerit hanc rem: sed & tu non indicasti mihi, & ego non audivi præter hodie.
27 Tulit itaque Abraham oves & boves, & de- D
dit Abimelech: percussérúntque ambo fœdus.
28 Et statuit Abraham septẽ agnas gregis seorsum.
29 Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum?
30 At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea: ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum.
31 Idcircò vocatus est locus ille Bersabee: quia ibi uterque juravit.
32 Et inierunt fœdus pro puteo juramenti.
33 Surrexit autẽ Abimelech, & Phicol Princeps exercitus ejus, reversíq; sunt in terram Palæstinorum. Abraham verò plantavit nemus in Bersabee, & invocavit ibi nomen Domini Dei æterni.
34 Et fuit colonus terræ Palæstinorũ diebus multis.

Caput XXII.

Fides & obedientia Abrahæ in filij sui præcepta immolatione probatur, sed ab ipsius immolatione prohibetur, promissionésq; ei confirmantur: & filij Nachor fratris Abrahæ numerantur.

A 1 QUæ postquam gesta sunt, * tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum.
*Iudith 8.c.22. Heb.11. d.17. 2 Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi.
3 Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit asinum suum: ducens secum duos juvenes, & Isaac filium suum: Cúmque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus.
4 Die autẽ tertio, elevatis oculis, vidit locũ procul:
5 Dixítque ad pueros suos: Expectate hìc cum asino: ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.
6 Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit su- B
per Isaac filium suũ: ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. Cúmque duo pergerent simul,
7 Dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna: ubi est victima holocausti?
8 Dixit autem Abraham: Deus providebit sibi victimã holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter,
9 Et venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & desuper ligna composuit: cúmque alligasset Isaac filium suum: posuit eum in altare super struem lignorum.
10 * Extendítque manum, & arripuit gladium, *Iac. 2. d.21. ut immolaret filium suum.
11 Et Ecce Angelus Domini de cælo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum.
12 Dixítque ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi quòd times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.
13 Levavit Abraham oculos suos, vidítque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assúmens obtulit holocaustum pro filio.
14 Appellavítque nomen loci illius, Dominus videt. Unde usque hodie dicitur. In monte Dominus videbit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

15 Vocavit autem Angelus Domini Abraham
secundò de cælo, dicens :
16 * Per memetipsum juravi, dicit Dominus :
* Psal. 104. a. 9. Eccli. 44. d. 21. 1. Mach. 2. b. 52. Hebr. 6. g. 13. d. 17.
quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo
unigenito propter me.
17 Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum
sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore
maris : possidebit semen tuum portas inimicorum
suorum.
18 Et * BENEDICENTUR in semine tuo omnes
D gentes terræ, quia obedisti voci meæ.
* Sup. 22. a. 3. 18. b. 18. Inf. 26. b. 4. Eccli. 44 d. 25. Act. 3. d. 25.
19 Reversus est Abraham ad pueros suos, abierúntque Bersabee simul, & habitavit ibi.
20 His ita gestis, nuntiatum est Abrahæ quòd
Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo,
21 Hus primogenitum, & Buz fratrem ejus, &
Camuel patrem Syrorum,
22 Et Cased, & Azau, Pheldas quoq; & Jedlaph,
23 Ac Bathuel, de quo nata est Rebecca : octo
istos genuit Melcha, Nachor fratri Abrahæ.
24 Concubina verò illius, nomine Roma, peperit Tabee, & Gaham, & Tahas, & Maacha.

CAPUT XXIII.

Sara mortua plangitur, atque in spelunca duplici, quam Abrahã ab Ephron cum agro præsenti emit pecunia, sepelitur.

A 1 VIxit autem Sara centum viginti septẽ annis.
2 Et mortua est in civitate Arbee, quæ
est Hebron, in terra Chanaan : venitque Abraham ut plangeret & fleret eam.
3 Cúmque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens :
4 Advena sum & peregrinus apud vos : date
mihi jus sepulchri vobiscũ, ut sepeliã mortuũ meũ.
5 Responderunt filij Heth, dicentes :
6 Audi nos domine, princeps Dei es apud nos :
in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum :
nullúsque te prohibere poterit quin in monumento ejus sepelias mortuum tuum.
7 Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ, filios videlicet Heth :
B 8 Dixítque ad eos : Si placet animæ vestræ ut
sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor :
9 Ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui : pecunia digna tradat eam mihi corã vobis in possessionẽ sepulchri.
10 Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Respondítque Ephron ad Abraham cunctis audientibus qui ingrediebantur portam civitatis illius, dicens :
C 11 Nequaquam ita fiat, domine mi, sed tu magis ausculta quod loquor : Agrum trado tibi, &
speluncam quæ in eo est, præsentibus filiis populi mei, sepeli mortuum tuum.
12 Adoravit Abraham coram populo terræ.
13 Et locutus est ad Ephron circumstante plebe : Quæso, ut audias me : Dabo pecuniam pro agro : suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in eo :
14 Respondítque Ephron :
15 Domine mi, audi me : Terra, quam postulas, quadringentis siclis argenti valet : istud est pretium inter me & te : sed quantum est hoc ? sepeli mortuum tuum.
16 Quod cùm audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.
17 Confirmatúsque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre, tam ipse, quàm spelunca, & omnes arbores D
ejus in cunctis terminis ejus per circuitum.
18 Abrahæ in possessionem, videntibus filiis Heth, & cunctis qui intrabant portã civitatis illius.
19 Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre, * hæc est Hebron in terra Chanaan.
* Inf. 35. d. 27.
20 Et confirmatus est ager, & antrum quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti à filiis Heth.

CAPUT XXIV.

Servus Abrahæ ab ipso adjuratus & in Mesopotamiam ad quærendam uxorem Isaac missus, signo à Domino perito, Rebeccam invenit, & habito parentum ac fratris ipsiúsque consensu adducit ad Isaac ; quam ille ducit in uxorem, & ita super matris morte accipit consolationem.

1 ERat autem Abraham senex, dierúmq; multorũ : & Dominus in cunctis benedixerat ei. A
2 Dixítque ad servum seniorem domus suæ,
qui præerat omnibus quæ habebat : * Pone manum tuam subter femur meum,
* Inf. 47. g. 29
3 Ut adjurem te per Dominum Deum cæli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito :
4 Sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo Isaac.
5 Respondit servus : Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es ?
6 Dixítque Abraham : Cave nequando reducas filium meum illuc :
7 Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra nativitatis meæ, qui locutus est mihi, & juravit mihi, dicens : * Semini tuo dabo terram hanc : ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies inde uxorem filio meo :
* Sup. 12. b. 7. 13. c. 15. 15. d. 18. Inf. 26. a. 4.
8 Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis juramento : filium meum tantùm ne reducas illuc.
9 Posuit ergo servus manum sub femore Abraham domini sui, & juravit illi super sermone hoc.
10 Tulítque decem camelos de grege domini B
sui, & abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum, profectúsque perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor.
11 Cúmque camelos fecisset accumbere extra oppidum juxta puteum aquæ vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit :
12 Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham.
13 Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam.
14 Igitur puella, cui ego dixero : Inclina hydriam tuam ut bibam : & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum : ipsa est, quam præparasti

parasti servo tuo Isaac : & per hoc intelligam quòd feceris misericordiam cum domino meo.
15 Necdum intra se verba compleverat, & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filij Melchæ uxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua :
16 Puella decora nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro : descenderat autem ad fontem, & impleverat hydriam, ac revertebatur.
C 17 Occurrítque ei servus, & ait : Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua.
18 Quæ respondit : Bibe domine mi, celeritérque deposuit hydriã super ulnam suã, & dedit ei potum.
19 Cúmque ille bibisset, adjecit : Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.
20 Effundénsque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum ut hauriret aquam : & hausta omnibus camelis dedit.
21 Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens utrùm prosperum iter suum fecisset Dominus, an non.
22 Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem.
23 Dixítque ad eam : Cujus es filia ? indica mihi : est in domo patris tui locus ad manendum ?
24 Quæ respondit : Filia sum Bathuelis, filij Melchæ, quem peperit ipsi Nachor.
25 Et addidit, dicens : Palearum quoque & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum.
26 Inclinavit se homo, & adoravit Dominum,
27 Dicens : Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam & veritatem suam à domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei.
28 Cucurrit itaque puella, & nuntiavit in domum matris suæ omnia quæ audierat.
D 29 Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, ubi erat fons.
30 Cúmque vidisset inaures & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cuncta verba referentis : Hæc locutus est mihi homo : venit ad virum, qui stabat juxta camelos, & prope fontem aquæ :
31 Dixítque ad eum : Ingredere, benedicte Domini : cur foris stas ? præparavi domum, & locum camelis.
32 Et introduxit eum in hospitium : ac destravit camelos, dedítq; paleas & fœnum, & aquam ad lavandos pedes ejus, & virorũ qui venerant cum eo.
33 Et appositus est in conspectu ejus panis. Qui ait : Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit ei : Loquere.
34 At ille : Servus, inquit, Abraham sum :
35 Et Dominus benedixit domino meo valdè, magnificatúsq; est : & dedit ei oves & boves, argentum & aurum, servos & ancillas, camelos & asinos.
36 Et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia quæ habuerat.
37 Et adjuravit me dominus meus, dicens : Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito :
38 Sed ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies uxorem filio meo :
39 Ego verò respondi domino meo : Quid si noluerit venire mecum mulier ?
40 Dominus ait, in cujus conspectu ambulo, E
mittet angelum suum tecum, & diriget viam tuam : accipiésque uxorem filio meo de cognatione mea & de domo patris mei.
41 Innocens eris à maledictione mea, cùm veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi.
42 Veni ergo hodie ad fontem aquæ, & dixi : Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo,
43 Ecce sto juxta fontem aquæ ; & virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit à me : Da mihi pauxillũ aquæ ad bibendũ ex hydria tua.
44 Et dixerit mihi : Et tu bibe, & camelis tuis hauriam : ipsa est mulier quam præparavit Dominus filio domini mei.
45 Dúmque hæc tacitus mecum volverem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula : descendítque ad fontem, & hausit aquam. Et aio ad eam : Da mihi paululum bibere.
46 Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi : Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potum. Bibi, & adaquavit camelos.
47 Interrogavíque eam, & dixi : Cujus es filia ? Quæ respondit : Filia Bathuelis sum, filij Nachor, quẽ peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus, & armillas posui in manibus ejus.
48 Pronúsque adoravi Dominum, benedicens F
Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris domini mei filio ejus.
49 Quamobrem si facitis misericordiam & veritatem cum domino meo, indicate mihi : sin autem aliud placet, & hoc dicite mihi, ut vadam ad dextram, sive ad sinistram.
50 Respondérúntque Laban & Bathuel : A Domino egressus est sermo : non possumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum.
51 En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit uxor filij domini tui, sicut locutus est Dominus.
52 Quod cùm audisset puer Abraham, procidens adoravit in terram Dominum.
53 Prolatísque vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque ejus & matri dona obtulit.
54 Inito convivio, vescentes pariter & bibentes manserunt ibi. Surgens autem manè, locutus est puer : Dimittite me, ut vadam ad dominum meum.
55 Respondérúntque fratres ejus & mater : Maneat puella saltem decem dies apud nos, & posteà proficiscetur.
56 Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam : dimittite me ut pergam ad dominum meum.
57 Et dixerunt : Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem.
58 Cúmque vocata venisset, scíscitati sunt : Vis G
ire cum homine isto ? Quæ ait : Vadam.
59 Dimiserunt ergo eam & nutricem illius, servúmque Abraham, & comites ejus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

60 Imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes: Soror nostra es: crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

61 Igitur Rebecca & puellæ illius, ascensis camelis, secutæ sunt virum: qui festinus revertebatur ad dominum suum.

62 Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad Puteum,* cujus nomen est Viventis & videntis: habitabat enim in terra australi:

*Sup.16. d.14.

63 Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die: cúmque elevasset oculos, vidit camelos venientes procul.

64 Rebecca quoque, conspecto Isaac, descendit de camelo,

65 Et ait ad puerum: Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixítque ei: Ipse est dominus meus. At illa tollens citò pallium, operuit se.

66 Servus autẽ cuncta quæ gesserat, narravit Isaac.

67 Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam uxorem: & in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.

Caput XXV.

Abraham multis ex Cetura susceptis filiis mortuus est: Ismael quoque postquam duodecim genuit duces, moritur. Isaac pro uxore sua sterili precatus, geminos genuit Esaü & Iacob, quorum major vendidit minori primogenita.

A 1 ABraham verò aliam duxit uxorem nomine Ceturam:

1.Par.1. c.32.

2 Quæ peperit ei Zamran & Jecsan, & Madan, & Madian, & Jesboc, & Sue.

3 Jecsan quoque genuit Saba, & Dadan. Filij Dadan fuerunt, Assurim, & Latusim, & Loomim.

4 At verò ex Madian ortus est Epha, & Opher, & Enoch, & Abida, & Eldaa: omnes hi filij Ceturæ.

5 Dedítque Abrahã cuncta quæ possederat, Isaac:

6 Filiis autem concubinarum largitus est munera, & separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret, ad plagam orientalem.

7 Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni.

8 Et deficiens mortuus est in senecture bona, provectæque ætatis, & plenus dierum: congregatúsque est ad populum suum.

9 Et sepelierunt eum Isaac & Ismaël filij sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron filij Seor Hethæi, è regione Mambre,

10 Quem emerat à filiis Heth: ibi sepultus est ipse, & Sara uxor ejus.

B 11 Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio ejus, qui habitabat juxta puteum nomine Viventis & videntis.

12 Hæ sunt generationes Ismaël filij Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia famula Saræ:

13 Et hæc nomina filiorum ejus in vocabulis & generationibus suis. * Primogenitus Ismaëlis Nabaioth, deinde Cedar, & Adbeel, & Mabsam,

*1.Par.1.b.29.

14 Masma quoque, & Duma, & Massa,

15 Hadar, & Thema, & Jethur, & Naphis, & Cedma.

16 Isti sunt filij Ismaëlis: & hæc nomina per castella & oppida eorum, duodecim principes tribuum suarum.

17 Et facti sunt anni vitæ Ismaëlis centum triginta septem, deficiénsque mortuus est, & appositus ad populum suum.

18 Habitavit autem ab Hevila usque Sur, quæ respicit Ægyptum introëuntibus Assyrios. coram cunctis fratribus suis obiit. C

19 Hæ quoque sunt generationes Isaac filij Abraham: Abraham genuit Isaac:

20 Qui cùm quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban.

21 Deprecatúsque est Isaac Dominum pro uxore sua, eò quòd esset sterilis: qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.

22 Sed collidebantur in utero ejus parvuli; quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexítque ut consuleret Dominum.

23 Qui respondens ait: * Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populúsque populum superabit, & major serviet minori.

*Rom.9.c.10.

24 Jam tempus pariendi advenerat, & ecce gemini in utero ejus reperti sunt.

25 * Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatúmque est nomen ejus Esaü. * Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: & idcircò appellavit eum Jacob.

*Osee 12.a.3. D *Matt.1.a.2.

26 Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei parvuli.

27 Quibus adultis, factus est Esaü vir gnarus venandi, & homo agricola: Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.

28 Isaac amabat Esaü, eò quòd de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Jacob.

29 Coxit autem Jacob pulmentum: ad quem cùm venisset Esaü de agro lassus,

30 Ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen ejus * Edom.

*Abd.a.1. Heb.12. c.16.

31 Cui dixit Jacob: Vende mihi primogenita tua.

32 Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita?

33 Ait Jacob: Jura ergo mihi. Juravit ei Esaü, & vendidit primogenita.

34 Et sic accepto pane & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit; parvipendens quòd primogenita vendidisset.

Caput XXVI.

Isaac ob famem in Geraris peregrinatus, post acceptam Terræ promissionem & seminis benedictionem, reprehenditur ab Abimelech, quòd Rebeccam dixerit suam esse sororem: & pastoribus ipsorum pro puteis jurgantibus, Abimelech cum Isaac fœdus percussit.

1 ORta autem fame super terram, post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara. A

2 Apparuítque ei dominus, & ait: Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quã dixero tibi.

3 Et peregrinare in ea, eróque tecum, & benedicam tibi: tibi enim & semini tuo dabo universas regiones has, * complens juramentum quod spopondi Abraham patri tuo.

*Sup.12. b.7.15. d.18.

4 Et multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli: dabóque

B dabóque posteris tuis universas regiones has: * & BENEDICENTUR in semine tuo omnes gẽtes terræ,

*Sup.12.a.3. 18.c.18. 22.d.17. Inf.28. c.14.

5 Eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & cerimonias legésque servaverit.

6 Mansit itaque Isaac in Geraris.

7 Qui cum interrogaretur à viris loci illius super uxore sua, respondit: Soror mea est: timuerat enim cõfiteri quòd sibi esset sociata conjugio, reputãs ne fortè interficerent eũ propter illius pulchritudinẽ.

8 Cúmque pertransissent dies plurimi, & ibidem moraretur, prospiciens Abimelech rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca uxore sua.

9 Et accersito eo, ait: Perspicuum est quòd uxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse? Respondit: timui ne morerer propter eam.

C 10 Dixítque Abimelech: Quare imposuisti nobis? potuit coïre quispiam de populo cum uxore tua, & induxeras super nos grande peccatum. Præcepítque omni populo, dicens:

11 Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.

12 Sevit autem Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum: benedixítque ei Dominus.

13 Et locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est:

14 Habuit quoque possessiones ovium & armentorum, & familiæ plurimùm. Ob hoc invidentes ei Palæstini,

D 15 Omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo:

16 In tantum, ut ipse Abimelech diceret ad Isaac: Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valdè.

17 Et ille discedens, ut veniret ad torrentem Geraræ, habitarétque ibi:

18 Rursum fodit alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham, & quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philisthiim: appellavítque eos eisdem nominibus quibus antè pater vocaverat.

19 Foderúntque in Torrente, & repererunt aquam vivam.

20 Sed & ibi jurgium fuit pastorum Geraræ adversus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua, quam ob rem nomen putei, ex eo quod acciderat, vocavit Calumniam.

E 21 Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati sunt, appellavítque eum, Inimicitias.

22 Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocavit nomen ejus, Latitudo, dicens: Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit crescere super terram.

23 Ascendit autem ex illo loco in Bersabee,

24 Vbi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicẽs: Ego sum Deus Abrahã patris tui, noli timere, quia ego tecum sum: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham.

F 25 Itaque ædificavit ibi altare: & invocato nomine Domini: extendit tabernaculum: præcepítque servis suis ut foderent puteum.

26 Ad quem locum cùm venissent de Geraris, Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum,

27 Locutus est eis Isaac: Quid venistis ad me, hominem quem odistis, & expulistis à vobis?

28 Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum, & idcircò nos diximus: Sit juramentum inter nos, & ineamus fœdus,

29 Vt non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet: sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini.

30 Fecit ergo eis convivium, & post cibum & potum,

31 Surgentes manè, juraverunt sibi mutuò: dimisítque eos Isaac pacificè in locum suum. G

32 Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac, annuntiantes ei de puteo quem foderant, atque dicentes: Invenimus aquam.

33 Unde appellavit eum, Abundantiam: & nomen urbi impositum est Bersabee, usque in præsentem diem.

34 Esaü verò quadragenarius duxit uxores, Judith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon ejusdem loci:

35 * Quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ.

*Inf.27.g.46.

Caput XXVII.

Iacob matris consilio benedictionem loco Esaü accepit; ad cujus odium fugiendum monetur à matre ut in Haran ad Laban concedat.

1 SEnuit autem Isaac, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat: vocavítque Esaü filium suum majorem, & dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum. A

2 Cui pater: Vides, inquit, quòd senuerim, & ignorem diem mortis meæ.

3 Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras: cúmque venatu aliquid apprehenderis,

4 Fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, & affer ut comedam: & benedicat tibi anima mea antequam moriar.

5 Quod cùm audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum ut jussionem patris impleret,

6 Dixit filio suo Jacob: Audivi patrem tuum loquentem cum Esaü fratre tuo, & dicentem ei:

7 Affer mihi de venatione tua, & fac cibos ut comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar. B

8 Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis:

9 Et pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur:

10 quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi priúsquam moriatur.

11 Cui ille respondit: Nosti quòd Esaü frater meus homo pilosus sit, & ego lenis:

12 Si attrectaverit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione.

13 Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantùm audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi.

14 Abiit, & attulit, dedítque matri. Paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem illius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

15 Et vestibus Esaü valdè bonis, quas apud se habebat domi induit eum:

16 Pelliculásque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.

17 Dedítque pulmentum,& panes,quos coxerat, tradidit.

C 18 Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille respondit: Audio. Quis es tu fili mi?

19 Dixítque Jacob:Ego sum primogenitus tuus Esaü: feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua.

20 Rursúmque Isaac ad filium suum: Quo modo, inquit, tam citò invenire potuisti, fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit ut citò occurreret mihi quod volebam.

21 Dixítque Isaac:Accede huc,ut tangam te fili mi,& probem utrùm tu sis filius meus Esaü,an non.

22 Accessit ille ad patrem, & palpato eo, dixit Isaac: Vox quidem, vox Jacob est: sed manus, manus sunt Esaü.

23 Et non cognovit eum,quia pilosæ manus similitudinẽ majoris expresserant.Benedicẽs ergo illi,

24 Ait:Tu es filius meus Esaü?Respõdit,Ego sum.

D 25 At ille:Affer mihi,inquit, cibos de venatione tua, fili mi,ut benedicat tibi anima mea.Quos cùm oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum, quo hausto,

26 Dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi.

27 Accessit: & osculatus est eum. Statímque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

28 Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini.

29 Et serviant tibi populi, & adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filij matris tuæ: qui maledixerit tibi,

E sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi,benedictionibus repleatur.

30 Vix Isaac sermonem impleverat: & egresso Jacob foras, venit Esaü,

31 Coctósque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge pater mi,& comede de venatione filij tui: ut benedicat mihi anima tua.

32 Dixítque illi Isaac:Quis enim es tu?Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esaü.

33 Expavit Isaac stupore vehementi: & ultrà quàm credi potest,admirans,ait: Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priusquam tu venires? benedixíque ei, & erit benedictus.

34 Auditis Esaü sermonibus patris irrugiit clamore magno: & consternatus ait: Benedic etiam & mihi, pater mi.

35 Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.

F 36 At ille subjunxit: Justè vocatum est nomen ejus Jacob:supplantavit enim me en altera vice:* primogenita mea ante tulit,& nunc secundò surripuit benedictionem meam. Rursúmque ad patrem: Numquid non reservasti, ait,& mihi benedictionem?

*Sup. 25. d. 34.

37 Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres ejus servituti illius subjugavi: frumento & vino stabilivi eum,& tibi post hæc, fili mi, ultrà quid faciam?

38 Cui Esaü: Num unam,inquit,tantùm benedictionem habes, pater? mihi quoque obsecro ut benedicas. Cúmque ejulatu magno fleret,

39 Motus Isaac,dixit ad eum:* In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper,

*Heb. 11.d.20

40 Erit benedictio tua. Vives in gladio, & fratri tuo servies: tempúsque veniet, cùm excutias & solvas jugum ejus de cervicibus tuis.

41 Oderat ergo semper Esaü Jacob pro benedictione qua benedixerat ei pater: dixítque in corde suo: * Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.

G

*Abd. c. 10.

42 Nuntiata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens & vocans Jacob filium suum, dixit ad eum: Ecce Esaü frater tuus minatur ut occidat te.

43 Nunc ergo,fili mi, audi vocẽ meam,& consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran:

44 Habitabísque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui,

45 Et cesset indignatio ejus,obliviscatúrque eorum quæ fecisti in eum:posteà mittã, & adducam te inde huc. cur utroque orbabor filio in uno die?

46 Dixítque Rebecca ad Isaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere.

*Sup. 26. 8.35.

Caput XXVIII.

Iacob in Mesopotamiam transiens, videt in somnis scalam cui innitebatur Dominus:& accepta de terra ac seminis multiplicatione promissione,experrectus votum Deo vovet.

A 1 VOcavit itaque Isaac Jacob, & benedixit eum, præcepítque ei dicens: Noli accipere conjugem de genere Chanaan:

2 Sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ,ad domũ Bathuel patris matris tuæ,& accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui.

3 Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet: ut sis in turbas populorum.

4 Et det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te: ut possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est avo tuo.

5 * Cúmque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ.

*Osee 12.d.12.

B 6 Videns autem Esaü quòd benedixisset pater suus Jacob, & misisset eum in Mesopotamiam Syriæ,ut inde uxorem duceret;& quòd post benedictionem præcepisset ei, dicens: Non accipies uxorem de filiabus Chanaan:

7 Quódque obediens Jacob parentibus suis isset in Syriam:

8 Probans quoque quòd non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus:

9 Ivit ad Ismaëlem, & duxit uxorem, absque iis quas prius habebat,Maheleth filiam Ismaël filij Abraham, sororem Nabajoth.

10 Igitur egressus Jacob de Bersabee pergebat Haran.

11 Cúmque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum,tulit de

de lapidibus qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco.

C 12 Vidítque in somnis scalam stantem super terram,& cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendẽtes per eam.

13 Et Dominum innixum scalæ dicentem sibi:

*Inf.35. a.1.48. a.3.

* Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui,& Deus Isaac: Terram, in qua dormis, tibi dabo & semini tuo.

*Deut. 12.c.20. 19.b.8. † Sup. 26.b.4.

14 Erítque semen tuum quasi pulvis terræ: * dilataberis ad Occidentem,& Orientem,& Septentrionem, & Meridiem: & † BENEDICENTUR IN TE & in semine tuo cunctæ tribus terræ.

15 Et ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi.

16 Cúmque evigilasset Jacob de somno,ait:Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.

D 17 Pavénsque, Quam terribilis est, inquit, locus iste: non est hic aliud nisi Domus Dei, & porta cæli.

18 Surgens ergo Jacob manè, tulit lapidem quem suppositum fuerat capiti suo, & erexit in titulum, * fundens oleum desuper.

*Inf.31. b.13.

19 Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur.

20 Vovit etiam votum,dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum,

21 Reversúsque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum,

22 Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorúmque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

Caput XXIX.

Iacob à Laban susceptus, septem annis pro Rachel servivit; cui cùm supposita esset Lia, septem alios annos pro eadem implere coactus est: Rachele autem sterili, Lia quatuor peperit filios.

A 1 PRofectus ergo Jacob venit in terram Orientalem.

2 Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium accubantes juxta eum:nam ex illo adaquabantur pecora, & os ejus grandi lapide claudebatur.

3 Morísque erat ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem & refectis gregibus rursum super os putei ponerent.

4 Dixítque ad pastores: Fratres, unde estis? Qui responderunt: De Haran.

5 Quos interrogans, Nunquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt: Novimus.

6 Sanúsne est? inquit. Valet, inquiunt:& ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo.

7 Dixítque Jacob: Adhuc multum diei superest, nec est tempus ut reducãtur ad caulas greges:date antè potum ovibus,& sic eas ad pastum reducite.

B 8 Qui responderunt:non possumus,donec omnia pecora congregentur,& amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus greges.

9 Adhuc loquebantur,& ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui:nam gregem ipsa pascebat.

10 Quam cùm vidisset Jacob, & sciret consobrinam suam, ovésque Laban avunculi sui: amovit lapidem quo puteus claudebatur.

11 Et adaquato grege, osculatus est eam: & elevata voce flevit,

12 Et indicavit ei quòd frater esset patris sui,& filius Rebeccæ:at illa festinans nuntiavit patri suo.

13 Qui cùm audisset venisse Jacob filium sororis suæ, cucurrit obviàm ei, complexúsque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris,

14 Respondit: Os meum es, & caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis unius,

15 Dixit ei: Num quia frater meus es, gratis servies mihi? dic quid mercedis accipias.

16 Habebat verò duas filias, nomen majoris Lia: minor verò appellabatur Rachel.

17 Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu.

18 Quam diligens Jacob, ait: Serviam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis. C

19 Respondit Laban: Melius est ut tibi eam dem quàm alteri viro, mane apud me.

20 Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.

21 Dixítque ad Laban:Da mihi uxorem meam: quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam.

22 Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias.

23 Et vespere Liam filiam suã introduxit ad eum,

24 Dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cùm ex more Jacob fuisset ingressus, facto manè vidit Liam:

25 Et dixit ad socerum suum: Quid est quod facere voluisti? nónne pro Rachel servivi tibi? quare imposuisti mihi?

26 Respondit Laban:Non est in loco nostro consuetudinis,ut minores antè tradamus ad nuptias.

27 Imple & hebdomadam dierum hujus copulæ: & hanc quoque dabo tibi pro opere quo serviturus es mihi septem annis aliis. D

28 Acquievit placito:& hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem:

29 Cui pater servam Balam tradiderat.

30 Tandémque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, serviens apud eum septem annis aliis.

31 Videns autẽ Dominus quod despiceret Liam, aperuit vulvam ejus, sorore sterili permanente.

32 Quæ conceptum genuit filium, vocavítque nomen ejus Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.

33 Rursúmque concepit & peperit filium, & ait: Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui,dedit etiam istum mihi, vocavítque nomen ejus Simeon.

34 Concepítque tertiò, & genuit alium filium: dixítque: Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eò quòd pepererim ei tres filios: & idcircò appellavit nomen ejus, Levi.

35 Quartò concepit, & peperit filium, & ait: Modò confitebor Domino. * & ob hoc vocavit eum, Judam: cessávitque parere.

*Matt. 1.d.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput XXX.

Rachel sterilis & Lia parere cessans ancillas suas marito tradunt ex quibus singulæ binos suscipiunt filios : prater quos Lia duos alios & filiam parit : Rachel verò Ioseph : quibus natis, Laban de mercede paciscitur cum Iacob, qui hoc modo plurimum ditatus est.

A 1 CErnens autem Rachel quòd infecunda esset, invidit sorori suæ, & ait marito suo : Da mihi liberos, alioquin moriar.

2 Cui iratus respondit Jacob : Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui ?

3 At illa : Habeo, inquit, famulam Balam : ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, & habeam ex illa filios.

4 Deditque illi Balam in conjugium, quæ,

5 Ingresso ad se viro, concepit, & peperit filium.

6 Dixítque Rachel : Judicavit mihi Dominus, & exaudivit vocem meam, dans mihi filium : & idcircò appellavit nomen ejus, Dan.

B 7 Rursúmque Bala concipiens peperit alterum,

8 Pro quo ait Rachel : Comparavit me Deus cum sorore mea, & invalui : vocavítq; eum, Nephthali.

9 Sentiens Lia quòd parere desiísset, Zelpham ancillam suam marito tradidit.

10 Qua post conceptum edente filium,

11 Dixit : Feliciter : & idcircò vocavit nomen ejus, Gad.

12 Peperit quoque Zelpha alterum.

13 Dixítque Lia : Hoc pro beatitudine mea : Beatam quippe me dicent mulieres. propterea appellavit eum, Aser.

14 Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras : quas matri Liæ detulit. Dixítque Rachel : Da mihi partem de mandragoris filij tui.

C 15 Illa respondit : Parúmne tibi videtur, quòd præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filij mei tuleris ? Ait Rachel : Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui.

16 Redeuntíque ad vesperam Jacob de agro, egressa est in occursum ejus Lia, & Ad me, inquit, intrabis : quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei. Dormivítque cum ea nocte illa.

17 Et exaudivit Deus preces ejus : concepítque & peperit filium quintum,

18 Et ait : Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo. appellavítque nomen ejus, Issáchar.

19 Rursum Lia cõcipiens, peperit sextum filium,

20 Et ait : Dotavit me Deus dote bona : etiam hac vice mecum erit maritus meus, eò quòd genuerim ei sex filios : & idcircò appellavit nomen ejus, Zabulon.

D 21 Post quem peperit filiam, nomine Dinam.

22 Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudivit eam, & aperuit vulvam ejus.

23 Quæ concepit & peperit filium, dicens : Abstulit Deus opprobrium meum.

24 Et vocavit nomen ejus Joseph, dicens : Addat mihi Dominus filium alterum.

25 Nato autẽ Joseph, dixit Jacob socero suo : Dimitte me ut revertar in patriam, & ad terrã meam.

26 Da mihi uxores, & liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam : tu nosti servitutem qua servivi tibi.

27 Ait illi Laban : Inveniam gratiam in conspectu tuo : experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te :

28 Constitue mercedem tuam quam dem tibi.

29 At ille respõdit : Tu nosti quomodo servierim E
tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua.

30 Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc dives effectus es : benedixítque tibi Dominus ad introïtum meum. Justum est igitur ut aliquando provideam etiam domui meæ.

31 Dixítque Laban : Quid tibi dabo ? At ille ait : Nihil volo : sed si feceris quod postulo, iterùm pascam, & custodiam pecora tua.

32 Gyra omnes greges tuos, & separa cunctas oves varias & sparso vellere : & quodcumque furvum, & maculosum, variúmque fuerit, tam in ovibus quàm in capris, erit merces mea.

33 Respondebítque mihi cras justitia mea, quãdo placiti tempus advenerit coram te : & omnia quæ non fuerint varia, & maculosa, & furva, tam in ovibus quàm in capris, furti me arguent.

34 Dixítque Laban : Gratum habeo quod petis.

35 Et separavit in die illa, capras, & oves, & F
hircos, & arietes, varios atque maculosos : cunctum autem gregem unicolorem, id est, albi & nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum.

36 Et posuit spatium itineris trium dierum inter se & generum, qui pascebat reliquos greges ejus.

37 Tollens ergo Jacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas : detractísque corticibus, in his quæ spoliata fuerant candor apparuit : illa verò quæ integra fuerant, viridia permanserunt : atque in hunc modum color effectus est varius.

38 Posuítque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua : ut cùm venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent.

39 Factúmque est ut in ipso calore coïtus oves G
intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diverso colore respersa.

40 Divisítque gregem Jacob, & posuit virgas in canalibus ante oculos arietum : erant autem alba & nigra quæque, Laban : cetera verò, Jacob, separatis inter se gregibus.

41 Igitur quando primo tempore ascendebantur oves, ponebat Jacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum & ovium, ut in earum contemplatione conciperent :

42 quando verò serotina admissúra erat, & conceptus extremus, non ponebat eas. Factáque sunt ea quæ erant serotina, Laban : & quæ primi temporis, Jacob.

43 Ditatúsq; est homo ultra modũ, & habuit greges multos, ancillas & servos, camelos & asinos.

Caput XXXI.

Iacob, jubente Domino, ad patrem cum omnibus suis tacitus revertitur, quem Laban insequitur : Rachel autem patris idolis ablatis, ipsum quærentem astu decepit : tandémque Iacob & Laban inito fœdere, ad propria quisque discedit.

1 POstquam autem audivit verba filiorum La- A
ban dicentium : Tulit Jacob omnia quæ fuerunt

fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus :

2 Animadvertit quoque faciem Laban, quòd non esset erga se sicut heri & nudiustertius,

3 Maximè dicente sibi Domino : Revertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eróque tecum.

4 Misit, & vocavit Rachel & Liam in agrum, ubi pascebat greges,

5 Dixítque eis : Video faciem patris vestri quòd non sit erga me sicut heri & nudiustertius : Deus autem patris mei fuit mecum.

6 Et ipsæ nostis quòd totis viribus meis servierim patri vestro.

7 Sed & pater vester circumvenit me, & mutavit mercedem meam decem vicibus : & tamen non dimisit eum Deus ut noceret mihi.

8 Si quando dixit : Variæ erunt mercedes tuæ : pariebant omnes oves varios fœtus. quando verò e contrario ait : Alba quæque accipies pro mercede : omnes greges alba pepererunt.

B 9 Tulítque Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi.

10 Postquam enim conceptus ovium tempus advenerat, levavi oculos meos, & vidi in somnis ascendentes mares super feminas, varios & maculosos, & diversorum colorum.

11 Dixítque Angelus Dei ad me in somnis : Jacob ? Et ego respondi : Adsum.

12 Qui ait : Leva oculos tuos, & vide universos masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban.

* Sup. 28.d.18. 13 Ego sum Deus Bethel, * ubi unxisti lapidem, & votũ vovisti mihi. Nunc ergo surge, & egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuæ.

14 Respondérúntque Rachel & Lia : Numquid habemus residui quidquam in facultatibus & hereditate domus patris nostri ?

15 Nónne quasi alienas reputavit nos, & vendidit, comedítque pretium nostrum ?

16 Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filiis nostris : unde omnia quæ præcepit tibi Deus, fac.

C 17 Surrexit itaque Jacob, & impositis liberis ac conjugibus suis super camelos, abiit.

18 Tulítque omnem substantiam suam, & greges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan.

19 Eo tempore ierat Laban ad tondendas oves, & Rachel furata est idola patris sui.

20 Noluítque Jacob confiteri socero suo quòd fugeret.

21 Cúmque abiisset tam ipse quàm omnia quæ juris sui erant, & amne transmisso pergeret contra montem Galaad,

22 Nuntiatum est Laban die tertio quòd fugeret Jacob.

23 Qui, assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem : & comprehendit eum in Monte Galaad.

24 Vidítque in somnis dicentem sibi Deum : Cave ne quidquam asperè loquaris contra Jacob.

D 25 Jámque Jacob extenderat in monte tabernaculum : cúmque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem Monte Galaad fixit tentorium.

26 Et dixit ad Jacob : Quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas quasi captivas gladio ?

27 Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis ?

28 Non es passus ut osculares filios meos & filias : stultè operatus es : & nunc quidem

29 Valet manus mea reddere tibi malum : sed Deus patris vestri heri dixit mihi : * Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius. * Inf. 48. c. 16.

30 Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui : cur furatus es deos meos ?

31 Respondit Jacob : Quòd inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas.

32 Quòd autem furti me arguis : apud quem- E
cumque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris. scrutare, quidquid tuorum apud me inveneris, & aufer. hæc dicens, ignorabat quòd Rachel furata esset idola.

33 Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob & Liæ, & utriusque famulæ, non invenit. Cúmque intrasset tentorium Rachelis,

34 Illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper : scrutantíque omne tentorium, & nihil invenienti,

35 ait : Ne irascatur dominus meus quòd coram te assurgere nequeo : quia juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi. sic delusa solicitudo quærentis est.

36 Tuménsque Jacob, cum jurgio ait : Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me,

37 Et scrutatus es omnem suppellectilem meam ? Quid invenisti de cuncta substantia domus tuæ ? pone hîc coram fratribus meis & fratribus tuis, & judicent inter me & te.

38 Idcircò viginti annis fui tecum : oves tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi :

39 Nec captum à bestia ostendi tibi, ego dam- F
num omne reddebam : quidquid furto peribat, à me exigebas :

40 Die noctúque æstu urebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.

41 Sícque per viginti annos in domo tua servivi tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis : immutasti quoque mercedem meam decem vicibus.

42 Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, forsitan modò nudum me dimisisses : afflictionem meam & laborem manuum mearum respexit Deus, & arguit te heri.

43 Respondit ei Laban : Filiæ meæ & filij, & greges tui, & omnia quæ cernis, mea sunt : quid possum facere filiis & nepotibus meis ?

44 Veni ergo & ineamus fœdus : ut sit in testimonium inter me & te.

45 Tulit itaque Jacob lapidem, & erexit illum in titulum :

46 Dixítque fratribus suis : Afferte lapides. Qui congre

Universidad de Deusto
Biblioteca

congregantes fecerunt tumulum, comederúntque
super eum:
47 Quem vocavit Laban Tumulum teſtis, &
Jacob, Acervum teſtimonij, uterque juxta proprie-
tatem linguæ ſuæ.
G 48 Dixítque Laban: Tumulus iſte erit teſtis in-
ter me & te hodie, & idcircò appellatum eſt no-
men ejus Galaad, id eſt, Tumulus teſtis.
49 Intueatur & judicet Dominus inter nos
quando receſſerimus à nobis,
50 Si afflixeris filias meas, & ſi introduxeris alias
uxores ſuper eas: nullus ſermonis noſtri teſtis eſt
abſque Deo, qui præſens reſpicit.
51 Dixítque rurſus ad Jacob: En tumulus hic,
& lapis quem erexi inter me & te,
52 Teſtis erit: tumulus, inquam, iſte & lapis
ſint in teſtimonium, ſi aut ego tranſiero illum per-
gens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans.
53 Deus Abraham, & Deus Nachor, judicet
inter nos, Deus patris eorum. Juravit ergo Jacob
per timorem patris ſui Iſaac:
54 Immolatíſque victimis in monte, vocavit
fratres ſuos ut ederent panem. Qui cum comedíſ-
ſent, manſerunt ibi.
55 Laban verò de nocte conſurgens, oſculatus
eſt filios & filias ſuas, & benedixit illis: reverſúſ-
que eſt in locum ſuum.

CAPUT XXXII.

Jacob, viſis Angelis, nuntios & munera ad fratrem ſuum Eſau territus mittit, interea cum Angelo luctans, & benedictionem ac nominis mutationem tacto femoris nervo accepit.

A 1 JAcob * quoque abiit itinere quo cœperat:
Inf. 48. 6. 16. fuerúntque ei obviàm Angeli Dei.
2 Quos cùm vidiſſet, ait: Caſtra Dei ſunt hæc. &
appellavit nomen loci illius Mahanaim, id eſt,
Caſtra.
3 Miſit autem & nuntios ante ſe ad Eſau fra-
trem ſuum in terram Seir, in regionem Edom:
4 Præcepítque eis, dicens: Sic loquimini domino
meo Eſau: Hæc dicit frater tuus Jacob: Apud Laban
peregrinatus ſum, & fui uſque in præſentem diem.
5 Habeo boves, & aſinos, & oves, & ſervos, & an-
cillas: mittóque nunc legationem ad dominum
meum, ut inveniam gratiam in conſpectu tuo.
B 6 Reverſíque ſunt nuntij ad Jacob, dicentes:
Venimus ad Eſau fratrem tuum, & ecce properat
tibi in occurſum cum quadringentis viris.
7 Timuit Jacob valdè: & perterritus diviſit po-
pulum qui ſecum erat, greges quoque & oves &
boves, & camelos, in duas turmas,
8 Dicens: Si venerit Eſau ad unã turmam, & per-
cuſſerit eam, alia turma, quæ reliqua eſt, ſalvabitur.
9 Dixítque Jacob: Deus patris mei Abraham,
& Deus patris mei Iſaac: Domine qui dixiſti mihi:
Revertere in terram tuam, & in locum nativitatis
tuæ, & benefaciam tibi:
C 10 Minor ſum cunctis miſerationibus tuis, &
veritate tua quam expleviſti ſervo tuo. In baculo
meo tranſivi Jordanem iſtum: & nunc cum duabus
turmis regredior.
11 Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valdè
eum timeo: ne fortè veniens percutiat matrem
cum filiis.
12 Tu locutus es quòd benefaceres mihi, & di-
latares ſemen meum ſicut arenam maris, quæ præ
multitudine numerari non poteſt.
13 Cúmque dormiſſet ibi nocte illa, ſeparavit de D
his quæ habebat, munera Eſau fratri ſuo,
14 Capras ducentas, hircos viginti, oves ducen-
tas, & arietes viginti,
15 Camelos fœtas cum pullis ſuis triginta, vac-
cas quadraginta, & tauros viginti, aſinas viginti,
& pullos earum decem.
16 Et miſit per manus ſervorum ſuorum ſingu-
los ſeorſum greges, dixítque pueris ſuis: Antece-
dite me: & ſit ſpatium inter gregem & gregem.
17 Et præcepit priori dicens: Si obvium habue-
ris fratrem meum Eſau: & interrogaverit te, Cujus
es? aut, Quò vadis? aut, Cujus ſunt iſta quæ ſequeris? E
18 Reſpondebis: Servi tui Jacob, munera miſit
domino meo Eſau: ipſe quoque poſt nos venit.
19 Similiter dedit mandata ſecundo, & tertio, &
cunctis qui ſequebantur greges, dicens: Iiſdem ver-
bis loquimini ad Eſau, cùm inveneritis eum.
20 Et addetis: Ipſe quoque ſervus tuus Jacob
iter noſtrum inſequitur: dixit enim: Placabo il-
lum muneribus quæ præcedunt, & poſteà videbo
illum, forſitan propitiabitur mihi.
21 Præceſſerunt itaque munera ante eum, ipſe
verò manſit nocte illa in caſtris.
22 Cúmque maturè ſurrexiſſet, tulit duas uxo- F
res ſuas & totidem famulas, cum undecim filiis, &
tranſivit vadum Jaboc.
23 Traductíſque omnibus quæ ad ſe pertinebant,
24 Manſit ſolus: & ecce vir luctabatur cum eo
uſque manè.
25 Qui cũ videret quòd eum ſuperare non poſſet,
tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit.
26 Dixítque ad eum: Dimitte me, jam enim aſ-
cendit aurora. Reſpondit: Non dimittam te, niſi
benedixeris mihi.
27 A it ergo: Quod nomen eſt tibi? Reſpõdit: Jacob.
28 At ille, Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur
nomen tuũ, ſed Iſraël: quoniam ſi cõtra Deum fortis
fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis?
29 Interrogavit eum Jacob: Dic mihi, quo ap-
pellaris nomine? Reſpondit: Cur quæris nomen G
meum? Et benedixit ei in eodem loco.
30 Vocavítque Jacob nomen loci illius Phanuel,
dicens: Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta
eſt anima mea.
31 Ortúſque eſt ei ſtatim ſol, poſtquam tranſgreſ-
ſus eſt Phanuel: ipſe verò claudicabat pede.
32 Quam ob cauſam non comedunt nervum
filij Iſraël, qui emarcuit in femore Jacob, uſque in
præſentem diem: eò quòd tetigerit nervum femo-
ris ejus, & obſtupuerit.

CAPUT XXXIII.

Iacob ab Eſau occurrente benignè excipitur, agréque adigit ut munera accipiat, domúmque revertatur: & ſic Iacob in Salem profectus agri partem emit, fixiſque tabernaculis altare erexit.

1 ELevans autem Jacob oculos ſuos, vidit ve- A
nientem Eſau, & cum eo quadringentos
viros: diviſítque filios Liæ & Rachel, ambarúmque
famularum:
2 Et poſuit utramque ancillam, & liberos ea-
rum, in principio: Liam verò, & filios ejus, in
ſecundo

ſecundo loco: Rachel autem & Joſeph noviſſimos.
3 Et ipſe progrediens adoravit pronus in ter-
ram ſepties, donec appropinquaret frater ejus.
4 Currens itaque Eſau obviàm fratri ſuo, am-
plexatus eſt eum: ſtringénſque collum ejus & oſ-
culans flevit.
5 Levatíſque oculis, vidit mulieres & parvu-
los earum, & ait: Quid ſibi volunt iſti? & ſi ad te
B pertinent? Reſpondit: Parvuli ſunt, quos dona-
vit mihi Deus ſervo tuo.
6 Et appropinquantes ancillæ & filij earum, in-
curvati ſunt.
7 Acceſſit quoque Lia cum pueris ſuis: & cùm
ſimiliter adoraſſent, extremi Joſeph & Rachel
adoraverunt.
8 Dixítque Eſau: Quænam ſunt iſtæ turmæ
quas obviàm habui? Reſpondit: Ut invenirem
gratiam coram domino meo.
9 At ille ait: Habeo plurima, frater mi, ſint tua
tibi.
10 Dixítque Jacob: Noli ita, obſecro: ſed ſi in-
C veni gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum
de manibus meis: ſic enim vidi faciem tuam, quaſi
viderim vultum Dei: eſto mihi propitius.
11 Et ſuſcipe benedictionem quam attuli tibi,
& quam donavit mihi Deus tribuens omnia. Vix
fratre compellente ſuſcipiens.
12 Ait: Gradiamur ſimul, eróque ſocius itine-
ris tui.
13 Dixítque Jacob: Noſti Domine mi, quòd
parvulos habeam teneros, & oves & boves fœtas,
mecum: quas ſi plus in ambulando fecero labora-
re, morientur una die cuncti greges.
14 Præcedat dominus meus ante ſervum ſuum:
& ego ſequar paulatim veſtigia ejus, ſicut vide-
ro parvulos meos poſſe, donec veniam ad domi-
num meum in Seir.
15 Reſpondit Eſau: Oro te, ut de populo qui
mecum eſt, ſaltem ſocij remaneant viæ tuæ. Non
eſt, inquit, neceſſe: hoc uno tantùm indigeo, ut
inveniam gratiam in conſpectu tuo domine mi.
16 Reverſus eſt itaque illo die Eſau itinere quo
venerat in Seir.
D 17 Et Jacob venit in Socoth: ubi ædificata do-
mo & fixis tentoriis, appellavit nomen loci illius
Socoth, id eſt, tabernacula.
18 Tranſivítque in Salem urbem Sichimorum,
quæ eſt in terra Chanaan, poſtquam reverſus eſt
de Meſopotamia Syriæ: & habitavit juxta oppidũ.
19 Emítque partem agri in qua fixerat taberna-
cula, à filiis Hemor patris Sichem, centum agnis.
20 Et erecto ibi altari, invocavit ſuper illud
fortiſſimum Deum Iſraël.

CAPUT XXXIV.

Ob Dinæ raptum ac ſtuprum, Sichemitæ prius circumci-ſi, à Simeone & Levi Dinæ fratribus perimuntur, atque à reliquis Iacob filiis urbs eorum vaſtatur: quapropter Simeon & Levi à patre arguuntur.

A 1. EGreſſa eſt autem Dina filia Liæ ut videret
mulieres regionis illius.
2 Quam cùm vidiſſet Sichem filius Hemor He-
væi, princeps terræ illius, adamavit eam: & rapuit,
& dormivit cum illa, vi opprimens virginem.
3 Et conglutinata eſt anima ejus cum ea, tri-
ſtémque delinivit blanditiis.
4 Et pergens ad Hemor patrem ſuum, Accipe,
inquit, mihi puellam hanc conjugem.
5 Quod cùm audiſſet Jacob, abſentibus filiis,
& in paſtu pecorũ occupatis, ſiluit donec redirẽt.
6 Egreſſo autem Hemor patre Sichem ut lo-
queretur ad Jacob.
7 Ecce filij ejus veniebant de agro: auditóque
quod acciderat, irati ſunt valdè, eò quòd fœdam
rem operatus eſſet in Iſraël, &, violata filia Jacob,
rem illicitam perpetraſſet.
8 Locutus eſt itaque Hemor ad eos: Sichem
filij mei adhæſit anima filiæ veſtræ: date eam illi
uxorem:
9 Et jungamus viciſſim connubia: filias veſtras
tradite nobis, & filias noſtras accipite.
10 Et habitate nobiſcum: terra in poteſtate ve-
ſtra eſt, exercete, negotiamini, & poſſidete eam. B
11 Sed & Sichem ad patrem & ad fratres ejus
ait: Inveniam gratiam coram vobis: & quæcum-
que ſtatueritis, dabo:
12 Augete dotem, & munera poſtulate, & li-
benter tribuam quod petieritis: tantùm date mi-
hi puellam hanc uxorem.
13 Reſponderunt filij Jacob Sichem & patri ejus
in dolo, ſævientes ob ſtuprum ſororis:
14 Non poſſumus facere quod petitis, nec da-
re ſororem noſtram homini incircumciſo: quod
illicitum & nefarium eſt apud nos.
15 Sed in hoc valebimus fœderari, ſi voluerí-
tis eſſe ſimiles noſtri, & circumcidatur in vobis
omne maſculini ſexus.
16 Tunc dabimus & accipiemus mutuò filias
veſtras ac noſtras: & habitabimus vobiſcum, eri-
múſque unus populus.
17 Si autem circumcidi nolueritis, tollemus G
filiam noſtram, & recedemus.
18 Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem
filio ejus.
19 Nec diſtulit adoleſcens quin ſtatim quod
petebatur expleret: amabat enim puellam valdè,
& ipſe erat inclytus in omni domo patris ſui.
20 Ingreſſíque portam urbis, locuti ſunt ad po-
pulum.
21 Viri iſti pacifici ſunt, & volunt habitare no-
biſcum: negotientur in terra, & exerceant eam,
quæ ſpatioſa & lata cultoribus indiget: filias eo-
rum accipiemus uxores, & noſtras illis dabimus.
22 Unum eſt, quo differtur tantum bonum: Si
circumcidamus maſculos noſtros, ritum gentis
imitantes.
23 Et ſubſtantia eorum, & pecora, & cuncta
quæ poſſident, noſtra erunt: tantùm in hoc ac-
quieſcamus, & habitantes ſimul, unum efficie-
mus populum.
24 Aſſenſíque ſunt omnes, circumciſis cun-
ctis maribus.
25 Et ecce, die tertio, quando graviſſimus vul-
nerum dolor eſt: arreptis, duo filij Iacob, Simeon D
& Levi fratres Dinæ, gladiis, ingreſſi ſunt urbem
confidenter: * interfectíſque omnibus maſculis, * *Inf.*
26 Hemor & Sichem pariter necaverunt, tol- *49. 5. 6.*
lentes Dinam de domo Sichem ſororem ſuam.

27 Qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

27 Quibus egressis, irruerunt super occisos ceteri filij Jacob: & depopulati sunt urbem in ultionem stupri.

28 Oves eorum, & armenta, & asinos, cunctáque vastantes quæ in domibus & in agris erant:

29 Parvulos quoque eorum & uxores duxerunt captivas.

30 Quibus patratis audacter, Jacob dixit ad Simeon & Levi: Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ hujus. nos pauci sumus: illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.

31 Respondérunt: Numquid ut scorto abuti debuere sorore nostra?

Caput XXXV.

Vbi Iacob idola suorum juxta Sichem defodisset, jubente Domino ascendit in Bethel, ubi Debora moritur: nascitur Benjamin cum morte matris Rachel: Ruben cum Bala dormit: numerantur filij Iacob, cujus pater Isaac moritur.

A 1 INterea locutus est Deus ad Jacob: Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, fácque altare
* Sup. 28.c.13. Deo qui * apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum.

2 Jacob verò convocata omni domo sua, ait: Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra.

3 Surgite, & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo; qui exaudivit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei.

4 Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter terebinthum, quæ est post urbem Sichem.

5 Cúmque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, & non sunt ausi persequi recedentes.

B 6 Venit igitur Jacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel: ipse & omnis populus cum eo.

7 Ædificavítque ibi altare, & appellavit nomen loci illius, Domus Dei: ibi enim * apparuit
* Sup. 28.c.13. ei Deus cùm fugeret fratrem suum.

8 Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum: vocatúmque est nomen loci illius, Quercus fletus.

9 Apparuit autem iterùm Deus Jacob postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ, benedixítq; ei,
* Sup. 32.f.28. 10 Dicens: * Non vocaberis ultrà Jacob, sed Israël erit nomen tuum. Et appellavit eum Israël.

11 Dixítque ei: Ego Deus omnipotens, cresce, & multiplicare: gentes & populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur.

12 Terrámque quam dedi Abraham & Isaac, dabo tibi & semini tuo post te.

C 13 Et recessit ab eo.

14 Ille verò erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, & effundens oleum:

15 Vocánsque nomen loci illius, Bethel.

16 Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam: in qua cùm parturiret Rachel,

17 Ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixítque ei obstetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium.

18 Egrediente autem anima præ dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filij sui Benoni, id est, filius doloris mei: pater verò appellavit eum Benjamin, id est, filius dextræ.

19 Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem.

20 Erexítque Jacob titulum super sepulchrum ejus: * Hic est titulus monumenti Rachel, usque
* Infr. 48. b.7. in præsentem diem.

21 Egressus inde, fixit tabernaculum trans Turrem gregis.

22 * Cúmque habitaret in illa regione, abiit
* Infr. 49.c.4. Ruben, & dormivit cum Bala concubina patris
D sui: quod illum minimè latuit. Erant autem filij Jacob duodecim.

23 Filij Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon, & Levi, & Judas, & Issachar, & Zabulon.

24 Filij Rachel: Joseph & Benjamin.

25 Filij Balæ ancillæ Rachelis: Dan & Nephthali.

26 Filij Zelphæ ancillæ Liæ: Gad & Aser: hi sunt filij Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ.

27 Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre, Civitatem Arbee, hæc est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham & Isaac.

28 Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum.

29 Consumptúsque ætate mortuus est: & appositus est populo suo senex & plenus dierum: & sepelierunt eum Esau & Jacob filij sui.

Caput XXXVI.

Esau cum uxoribus & filiis à fratre Iacob ob nimiam utriusque opulentiam separatur: filiorum Esau genealogia cum habitatione describitur.

1 HÆ sunt autem generationes Esau, ipse est A
Edom.

2 Esau accepit uxores de filiabus Chanaan: Ada filiam Elon Hethæi, & Oolibama filiam Anæ filiæ Sebeon Hevæi:

3 Basemath quoq; filiam Ismaël sororẽ Nabaioth.

4 * Peperit autem Ada, Eliphaz: Basemath
* 1.Par. 1.c.35. genuit Rahuel:

5 Oolibama genuit Jehus & Ihelon & Core. hi filij Esau qui nati sunt ei in terra Chanaan.

6 Tulit autem Esau uxores suas & filios & filias, & omnem animam domus suæ, & substantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan: & abiit in alteram regionem, recessítque à fratre suo Jacob,

7 * Divites enim erant valdè, & simul habitare non poterant: nec sustinebat eos terra pere-
* Sup. 13.b.6. grinationis eorum præ multitudine gregum.

8 * Habitavítq; Esau in monte Seir, ipse est Edom.
* Ios.24. a.4. 9 Hæ autem sunt generationes Esau patris Edom in monte Seir,

10 Et hæc nomina filiorum ejus: * Eliphaz filius
* 1.Par. 1.c.35. Ada uxoris Esau: Rahuel quoque filius Basemath
B uxoris ejus.

11 Fuerúntque Eliphaz filij: Theman, Omar, Sepho, & Gatham, & Cenez.

12 Erat autem Thamna, concubina Eliphaz filij Esau: quæ peperit ei Amalech. hi sunt filij Ada uxoris Esau.

13 Filij

13 Filij autem Rahuel: Nahath & Zara, Samma & Meza. hi filij Basemath uxoris Esau.

14 Isti quoque erant filij Oolibama filiæ Anæ filiæ Sebeon, uxoris Esau, quos genuit ei, Jehus & Ihelon & Core.

15 Hi duces filiorum Esau: filij Eliphaz primogeniti Esau: dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez,

16 Dux Core, dux Gathan, dux Amalech. hi filij Eliphaz in Terra Edom, & hi filij Ada.

17 Hi quoq; filij Rahuel filij Esau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza. hi autẽ duces Rahuel in Terra Edom: isti filij Basemath uxoris Esau.

C 18 Hi autem filij Oolibama uxoris Esau: dux Jehus, dux Ihelon, dux Core. hi duces Oolibama filiæ Anæ uxoris Esau.

19 Isti sũt filij Esau, & hi duces eorũ: ipse est Edom.

* 1.Par. c.38. 20 * Isti sunt filij Seir Horræi, habitatores terræ: Lotan, & Sobal, & Sebeon, & Ana,

21 Et Dison, & Eser, & Disan. hi duces Horræi, filij Seir, in Terra Edom.

22 Facti sunt autem filij Lotan: Hori & Heman. erat autem soror Lotan, Thamna.

23 Et isti filij Sobal: Aluan & Manahat & Ebal, & Sepho & Onam.

24 Et hi filij Sebeon: Aia & Ana. Iste est Ana qui invenit aquas calidas in solitudine, cùm pasceret asinos Sebeon patris sui.

25 Habuítque filium Dison, & filiam Oolibama.

26 Et isti filij Dison: Hamdan, & Eseban, & Jethram, & Charan.

27 Hi quoque filij Eser: Balaam & Zavan, & Acan.

28 Habuit autem filios Disan: Hus & Aram.

29 Hi duces Horræorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon: dux Ana,

30 Dux Dison, dux Eser, dux Disan: isti duces Horræorum qui imperaverunt in Terra Seir.

D 31 Reges autem qui regnaverunt in Terra Edom antequam haberent regem filij Israël, fuerunt hi:

32 Bela filius Beor, nomẽque urbis ejus Denaba.

33 Mortuus est autem Bela, & regnavit pro eo Jobab filius Zaræ de Bosra.

34 Cúmque mortuus esset Jobab, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum.

35 Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab: & nomen urbis ejus Avith.

36 Cúmque mortuus esset Adad, regnavit pro eo Semla de Masreca.

37 Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Saul de fluvio Rohoboth.

38 Cúmque & hic obiisset, successit in regnum Balanan filius Achobor.

39 Isto quoque mortuo, regnavit pro eo Adar, nomẽnque urbis ejus Phau: & appellabatur uxor ejus Meetabel, filia Matred filiæ Mezaab.

40 Hæc ergo nomina ducum Esau, in cognationibus, & locis, & vocabulis suis: dux Thamna, dux Alua, dux Jetheth,

41 Dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon,

42 Dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar,

43 Dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperij sui; ipse est Esau pater Idumæorum.

Caput XXXVII.

Ioseph fratres apud patrem accusans, visáque somnia narrans, fratrum odium in se concitat: quare primùm volentes illum occidere, consilio Iudæ vendunt Ismaëlitis insciо Ruben: à patre autem lugetur, & in Ægypto Putiphari venditur.

1 HAbitavit autem Jacob in terra Chanaan, in A
qua pater suus peregrinatus est.

2 Et hæ sunt generationes ejus: Joseph cùm sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer: & erat cum filiis Balæ & Zelphæ uxorum patris sui, accusavítque fratres suos apud patrem crimine pessimo.

3 Israël autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eò quòd in senectute genuisset eum: fecítque ei tunicam polymitam.

4 Videntes autem fratres ejus quòd à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.

5 Accidit quoque ut visum somnium referret fra- B
tribus suis: quæ causa majoris odij seminarium fuit.

6 Dixítque ad eos: Audite somnium meum quod vidi:

7 Putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrósque manipulos circũstantes adorare manipulum meũ.

8 Respondérunt fratres ejus. Numquid rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, invidiæ & odij fomitem ministravit.

9 Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus ait: Vidi per somnium, quasi solem, & lunam, & stellas undecim, adorare me.

10 Quod cùm patri suo & fratribus retulisset, C
increpavit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terram?

11 Invidebant ei igitur fratres sui: pater verò rem tacitus considerábat.

12 Cúmque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem,

13 Dixit ad eum Israël: Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente.

14 Præstò sum, ait ei: Vade, & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur. Missus de Valle Hebron, venit in Sichem:

15 Invenítque eum vir errantem in agro, & in- D
terrogavit quid quæreret.

16 At ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi ubi pascant greges.

17 Dixítque ei vir: Recessérunt de loco isto: audivi autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit ergo Joseph post fratres suos, & invenit eos in Dothain.

18 Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos: cogitaverunt illum occidere:

19 & mutuò loquebantur: Ecce somniator venit:

20 Venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem: dicemúsque, Fera pessima devoravit eum: & tunc apparebit quid illi profint somnia sua.

21 * Audiens autem hoc Ruben, nitebatur libe- E
* Infr. 42. d.22. rare eum de manibus eorum, & dicebat:

22 Non interficiatis animam ejus, nec effundatis sanguinem: sed projicite eum in cisternam hanc,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ est in solitudine,manúsque vestras servate innoxias:hoc autem dicebat,volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo.

23 Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari & polymita:

24 Miserúntque eum in cisternam veterem,quæ non habebat aquam.

25 Et sedentes ut comederent panem,viderunt Ismaëlitasviatores venire de Galaad:& camelos eorum, portantes aromata, & resinam, & stactem,in Ægyptum.

F 26 Dixit ergo Judas fratribus suis: Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum,& celaverimus sanguinem ipsius?

27 Melius est ut venumdetur Ismaëlitis, & manus nostræ non polluantur:frater enim & caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus illius:

*Sap.10. c.13. 28 * Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaëlitis, viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum.

29 Reversúsque Ruben ad cisternam, non invenit puerum:

30 Et scissis vestibus pergens ad fratres suos,ait: Puer non comparet,& ego quò ibo?

31 Tulerunt autem tunicam ejus,& in sanguine hœdi, quem occiderant,tinxerunt:

G 32 Mittentes qui ferrent ad patrem,& dicerent: Hãc invenimus:vide utrũ tunica filij tui sit,an non.

33 Quam cùm agnovisset pater,ait: Tunica filij mei est,fera pessima comedit eũ,bestia devoravit Joseph.

34 Scisísque vestibus indutus est cilicio,lugens filium suum multo tempore.

35 Congregatis autem cunctis liberis ejus ut lenirent dolorem patris,noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseverante in fletu,

36 Madianitæ vendiderunt Joseph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis,magistro militum.

Caput XXXVIII.

Judas ex uxore Chananæa tribus filiis susceptis,primum & deinde secundũ Thamar copulavit:quibus mortuis,eam inscius pro scorto cognovit,quo concubitu Phares & Zaram genuit.

A 1 EOdem tempore descendens Judas à fratribus suis, divertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram.

*1.Par. 2.a.3. 2 * Viditque ibi filiam hominis Chananæi,vocabulo Sue:& accepta uxore,ingressus est ad eam.

3 Quæ concepit, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Her.

*Num. 26.b.19. 4 * Rursúmque concepto fœtu, natum filium vocavit Onan.

5 Tertium quoque peperit: quem appellavit Sela. quo nato, parere ultrà cessavit.

6 Dedit autem Judas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar.

B 7 * Fuit quoque Her primogenitus Judæ, nequam in conspectu Domini:& ab eo occisus est.

*Num. 26.b.19. 8 Dixit ergo Judas ad Onan filium suum:Ingredere ad uxorem fratris tui, & sociare illi, ut suscites semen fratri tuo.

9 Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui,semen fundebat in terram,ne liberi fratris nomine nascerentur.

10 Et idcircò percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret.

11 Quamobrem dixit Judas Thamar nurui suæ:Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus:timebat enim ne & ipse moreretur sicut fratres ejus. Quæ abiit,& habitavit in domo patris sui.

12 Evolutis autem multis diebus,mortua est filia Sue uxor Judæ:qui post luctum consolatione susC cepta ascendebat ad tonsores ovium suarum, ipse & Hiras opilio gregis Odollamites, in Thamnas.

13 Nuntiatúmque est Thamar quòd socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oves.

14 Quæ depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum:& mutato habitu, sedit in bivio itineris, quod ducit Thamnam:eò quòd crevisset Sela, & non eum accepisset maritum.

15 Quam cùm vidisset Judas, suspicatus est esse meretricem:operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur.

16 Ingrediénsque ad eam, ait: Dimitte me ut D coëam tecum: nesciebat enim quòd nurus sua esset. Qua respondente: Quid dabis mihi ut fruaris concubitu meo?

17 Dixit:Mittam tibi hœdum de gregibus. Rursúmque illa dicente:Patiar quodvis,si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris.

18 Ait Judas:Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit:Annulum tuum, & armillam, & baculum quem manu tenes. Ad unum igitur coïtum mulier concepit,

19 Et surgens abiit:depositóque habitu, quem sumpserat,induta est viduitatis vestibus.

20 Misit autem Judas hœdum per pastorem E suum Odollamitem, ut reciperet pignus quod dederat mulieri: qui cùm non invenisset eam,

21 Interrogavit homines loci illius:Ubi est mulier quæ sedebat in bivio? Respondentibus cunctis:Non fuit in loco isto meretrix;

22 Reversus est ad Judam, & dixit ei:Non inveni eam:sed & homines loci illius dixerunt mihi, nunquam sedisse ibi scortum.

23 Ait Judas:Habeat sibi,certè mendacij arguF ere nos non potest:ego misi hœdum quem promiseram,& tu non invenisti eam.

24 Ecce autem post tres menses nuntiaverunt Judæ,dicentes:Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur uterus illius intumescere. Dixítque Judas: Producite eam ut comburatur.

25 Quæ cùm duceretur ad pœnam, misit ad socerum suum,dicens:De viro,cujus hæc sunt,concepi:cognosce cujus sit annulus,& armilla,& baculus.

26 Qui, agnitis muneribus, ait: Justior me est: quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen ultrà non cognovit eam.

27 * Instante autem partu, apparuerunt gemini G in utero: atque in ipsa effusione infantium, unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens: *Mat.1. a.3.

28 Iste egredietur prior.

29 Illo verò retrahente manum, egressus est alter:dixítq; mulier: Quare divisa est propter te maceria?& ob hãc causam vocavit nomen ejus Phares.

30 * Posteà egressus est frater ejus,in cujus manu erat coccinum: quem appellavit Zara. *1.Par. 2.a.4.

Caput

Caput XXXIX.

Cùm prosperè ageret Joseph apud herum Putipharem,contemnens heram sæpius de concubitu interpellantem,accusatur apud dominum,& in carcerem conjicitur; ubi custodis gratiam nactus, omnium vinctorum curam habet.

A 1 IGitur Joseph ductus est in Ægyptum,emítque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Ægyptius,de manu Ismaëlitarum, à quibus perductus erat.

2 Fuítque Dominus cum eo,& erat vir in cunctis prosperè agens:habitavítque in domo domini sui,

3 Qui optimè noverat Dominum esse cum eo, & omnia,quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius.

4 Invenítque Joseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum,& universa quæ ei tradita fuerant:

B 5 Benedixítque Dominus domui Ægyptij propter Joseph,& multiplicavit tam in ædibus, quàm in agris cunctam ejus substantiam:

6 Nec quidquam aliud noverat: nisi panem quo vescebatur. Erat autem Joseph pulchra facie, & decorus aspectu.

7 Post multos itaque dies injecit domina sua oculos suos in Joseph, & ait: Dormi mecum.

8 Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua:

9 Nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi,præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?

C 10 Hujuscemodi verbis per singulos dies,& mulier molesta erat adolescẽti,& ille recusabat stuprũ.

11 Accidit autem quadam die,ut intraret Joseph domũ, & operis quippiam absque arbitris faceret:

12 Et illa apprehensa lacinia vestimenti ejus, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras.

13 Cúmque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam,

14 Vocavit ad se homines domus suæ,& ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, ut illuderet nobis: ingressus est ad me, ut coïret mecum:cúmque ego succlamassem,

15 Et audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foras.

D 16 In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum,

17 Et ait: Ingressus est ad me servus Hebræus quem adduxisti ut illuderet mihi:

18 Cúmque audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foras.

19 His auditis dominus, & nimiùm credulus verbis conjugis,iratus est valdè:

*Psalm. 104.b. 28. 20 * Tradiditque Joseph in carcerem,ubi vincti regis custodiebantur,& erat ibi clausus.

21 Fuit autem Dñs cum Joseph, & misertus illius dedit ei gratiã in conspectu principis carceris.

22 Qui tradidit in manu illius universos vinctos qui in custodia tenebantur, & quidquid fiebat, sub ipso erat.

23 Nec noverat aliquid,cunctis ei creditis: Dñs enim erat cum illo,& omnia opera ejus dirigebat.

Caput XL.

Eunuchorum Pharaonis in carcere Joseph somnia interpretatus,alterum officio restituendum, alterum suspendio finiendum prædixit:quæ omnia in Pharaonis natalitio evenerunt.

1 HIs ita gestis,accidit ut peccarent duo eunu- A
chi,pincerna regis Ægypti, &-pistor,domino suo.

2 Iratúsque contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat,alter pistoribus)

3 Misit eos in carcerem principis militum in quo erat vinctus & Joseph.

4 At custos carceris tradidit eos Joseph, qui & ministrabat eis. Aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur.

5 Viderúntque ambo somnium nocte una juxta interpretationem congruam sibi:

6 Ad quos cùm introisset Joseph manè,& vidisset eos tristes,

7 Scisćitatus est eos dicens:Cur tristior est hodie solito facies vestra?

8 Qui respondérunt: Somnium vidimus,& non B
est qui interpretetur nobis. Dixítque ad eos Joseph: Numquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis.

9 Narravit prior,præpositus pincernarum, somnium suum: Videbam coram me vitem,

10 In qua erant tres propagines,crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas maturescere:

11 Calicémque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas, & expressi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.

12 Respondit Joseph: Hæc est interpretatio somnij: Tres propagines tres adhuc dies sunt:

13 Post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum: dabísque ei calicem juxta officium tuum, sicut antè facere consueveras.

14 Tantùm memento mei, cùm bene tibi fueC rit, & facias mecum misericordiam: ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere:

15 Quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, & hîc innocens in lacum missus sum.

16 Videns pistorum magister quòd prudenter somnium dissolvisset, ait: Et ego vidi somnium, Quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum:

17 Et in uno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria, avésque comedere ex eo.

18 Respondit Joseph:Hæc est interpretatio som- D
nij. Tria canistra,tres adhuc dies sunt:

19 Post quos auferet Pharao caput tuum,ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.

20 Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande convivium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis.

21 Restituítque alterum in locum suum,ut porrigeret ei poculum:

22 Alterum suspendit in patibulo, ut conjectoris veritas probaretur.

23 Et tamen succedentibus prosperis,præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPUT XLI.

Somnia Pharaonis de bobus & spicis unicus Ioseph interpretatus, toti Ægypto præficitur, & ex Aseneth data sibi à Pharaone uxore duos sustulit filios ante septem famis annos.

A 1 POst duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluvium,

2 De quo ascendebant septem boves, pulchræ & crassæ nimis: & pascebantur in locis paluſtribus.

3 Aliæ quoque septem emergebant de flumine, fœdæ confectæque macie: & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus:

4 Devoraverúntque eas, quarum mira species & habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao,

5 Rursum dormivit, & vidit alterum somnium: Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque formosæ:

6 Aliæ quoque totidem spicæ tenues & percussæ uredine oriebantur,

7 Devorantes omnem priorum pulchritudinem. Evigilans Pharao post quietem,

8 Et facto manè, pavore perterritus, misit ad omnes conjectores Ægypti, cunctósque sapientes: & accersitis narravit somnium, nec erat qui interpretaretur.

B 9 Tunc demum reminiscens pincernarum magister, ait: Confiteor peccatum meum:

10 Iratus rex servis suis, me & magistrum pistorum retrudi jussit in carcerem principis militum:

11 Ubi una nocte uterque vidimus somnium præsagum futurorum.

12 Erat ibi puer Hebræus, ejusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnia,

13 Audivimus quidquid posteà rei probavit eventus. ego enim redditus sum officio meo: & ille suspensus est in cruce.

14 Protinus ad regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt: ac veste mutata, obtulerunt ei.

15 Cui ille ait: Vidi somnia, nec est qui edisserat: quæ audivi te sapientissimè conjicere.

16 Respondit Joseph: absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.

C 17 Narravit ergo Pharao quod viderat: Putabam me stare super ripam fluminis,

18 Et septem boves de amne conscendere, pulchras nimis, & obesis carnibus: quæ in pastu paludis virecta carpebant.

19 Et ecce, has sequebantur aliæ septem boves in tantum deformes & macilentæ, ut numquam tales in terra Ægypti viderim:

20 Quæ, devoratis & consumptis prioribus,

21 Nullum saturitatis dedere vestigium: sed simili macie & squalore torpebant. Evigilans, rursus sopore depressus,

22 Vidi somnium: Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque pulcherrimæ.

23 Aliæ quoque septem tenues & percussæ uredine, oriebantur è stipula:

24 Quæ priorum pulchritudinem devoraverunt. Narravi conjectoribus somnium, & nemo est qui edisserat.

25 Respondit Joseph: Somnium regis unum est: quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni.

D 26 Septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt: eamdémque vim somnij comprehendunt.

27 Septem quoque boves tenues atque macilentæ, quæ ascenderunt post eas, & septem spicæ tenues, & vento urente percussæ: septem anni venturæ sunt famis.

28 Qui hoc ordine complebuntur:

29 Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in universa terra Ægypti:

30 Quos sequentur septem anni alij tantæ sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retrò abundantia: consumptura est enim fames omnem terram,

31 Et ubertatis magnitudinem perditura est inopiæ magnitudo.

32 Quòd autem vidisti secundò ad eamdem rem pertinens somnium: firmitatis indicium est, eò quòd fiat sermo Dei, & velocius impleatur.

33 Nunc ergo provideat rex virum sapientem & industrium, & præficiat eum Terræ Ægypti:

34 Qui constituat præpositos per cunctas regiones: & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis,

35 Qui jam nunc futuri sunt, congreget in horrea: & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, servetúrque in urbibus.

36 Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum, & non consumetur terra inopia. E

37 Placuit Pharaoni consilium & cunctis ministris ejus:

38 Locutúsque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?

39 Dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid sapientiorem & consimilem tui invenire potero?

40 * Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantùm regni solio te præcedam. *Psal.104. b.21. 1.Mac.2. f.53. Act.7. b.10.

41 Dixítque rursus Pharao ad Joseph: Ecce, constitui te super universam terram Ægypti.

42 Tulítque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus: vestivítque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.

43 Fecítque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent universæ Terræ Ægypti.

44 Dixit quoque rex ad Joseph: Ego sum Pharao: absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti. F

45 Vertítque nomen ejus, & vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi. Dedítque illi uxorem Aseneth filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Joseph ad terram Ægypti

46 (Triginta autem annorum erat quando stetit in conspectu regis Pharaonis) & circuivit omnes regiones Ægypti.

47 Venítque fertilitas septem annorum: & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti.

48 Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est.

49 Tantáque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet.

G 50 * Nati sunt autem Joseph filij duo antequam veniret fames: quos peperit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos. *Inf.48. d.20. 49.a.5.

51 Vocavítque nomen primogeniti, Manasses, dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei.

52 Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.

53 Igitur transactis septem ubertatis annis, qui fuerant in Ægypto:

54 Cœperunt venire septem anni inopiæ: quos prædixerat Joseph: & in universo orbe fames prævaluit, in cuncta autem terra Ægypti panis erat.

55 Qua esuriente, clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Joseph: & quidquid ipse vobis dixerit, facite.

56 Crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuítque Joseph universa horrea, & vendebat Ægyptiis: nam & illos oppresserat fames.

57 Omnésque provinciæ veniebãt in Ægyptum, ut emerent escas, & malum inopiæ temperarent.

CAPUT XLII.

Fratres Ioseph in Ægyptum pro emendis frumentis à patre missi, ab eo cognoscuntur, ac durius tractantur, & in carcerem conjiciuntur: tandem Simeone in vinculis relicto revertuntur, pecuniam in saccis una cum frumento inscij referentes.

A 1 AUdiens autem Jacob quòd alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Quare negligitis?

2 Audivi quòd triticum venumdetur in Ægypto: descendite, & emite nobis necessaria, ut possimus vivere, & non consumamur inopia.

3 Descendentes igitur fratres Joseph decem, ut emerent frumenta in Ægypto,

4 Benjamin domi retento à Jacob, qui dixerat fratribus ejus: Ne fortè in itinere quidquam patiatur mali:

5 Ingressi sunt terram Ægypti cum aliis qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in terra Chanaan.

B 6 Et Joseph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutum frumenta populis vendebantur. Cúmque adorassent eum fratres sui,

7 Et agnovisset eos, quasi ad alienos duriùs loquebatur, interrogans eos: Unde venistis? Qui responderunt: De terra Chanaan, ut emamus victui necessaria.

8 Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis.

9 Recordatúsque somniorum, quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores estis: ut videatis infirmiora terræ venistis.

10 Qui dixerunt: Non est ita, domine, sed servi tui venerunt ut emerent cibos.

11 Omnes filij unius viri sumus: pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali.

C 12 Quibus ille respondit: Aliter est: immunita terræ hujus considerare venistis.

13 At illi: Duodecim, inquiunt, servi tui, fratres sumus, filij viri unius in terra Chanaan: minimus cum patre nostro est, alius non est super.

14 Hoc est, ait, quod locutus sũ: Exploratores estis.

15 Iam nunc experimentum vestri capiam: per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus.

16 Mittite ex vobis unum, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis utrùm vera an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis.

17 Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus.

18 Die autem tertio eductis de carcere, ait: Facite quæ dixi, & vivetis: Deum enim timeo.

19 Si pacifici estis, frater vester unus ligetur in carcere: vos autem abite, & ferte frumenta quæ emistis in domos vestras, D

20 * Et fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones, & non moriamini. Fecerunt ut dixerat, *Inf.43. a.5.

21 Et locuti sunt ad invicem: Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus: idcircò venit super nos ista tribulatio.

22 E quibus unus Ruben, ait: Numquid non dixi vobis: * Nolite peccare in puerum: & non audistis me? en sanguis ejus exquiritur. *Sup. 37.e.22.

23 Nesciebant autem quòd intelligeret Joseph: eò quòd per interpretem loqueretur ad eos. E

24 Avertítque se parumper, & flevit: & reversus locutus est ad eos.

25 Tollénsque Simeon, & ligans illis præsentibus, jussit ministris ut implerent eorum saccos tritico, & reponerẽt pecunias singulorum in sacculis suis, datis suprà cibariis in viam: qui fecerunt ita.

26 At illi portantes frumenta in asinis suis, profecti sunt.

27 Apertóque unus sacco, ut daret jumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi,

28 Dixit fratribus suis: Reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti turbatíque, mutuò dixerunt: Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus?

29 Venerúntque ad Jacob patrem suum in terram Chanaan, & narraverunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes: F

30 Locutus est nobis dominus terræ durè, & putavit nos exploratores esse provinciæ.

31 Cui respondimus: Pacifici sumus, nec ullas molimur insidias.

32 Duodecim fratres uno patre geniti sumus: unus non est super, minimus cum patre nostro est in terra Chanaan.

33 Qui ait nobis: Sic probabo quòd pacifici sitis: Fratrem vestrum unum dimittite apud me, & cibaria domibus vestris necessaria sumite, & abite,

34 Fratrémque vestrum minimum adducite ad me, ut sciam quòd non sitis exploratores: & istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis: ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licentiam.

35 His dictis, cùm frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias: exterritíque simul omnibus, G

36 Dixit pater Jacob: Absq; liberis me esse fecistis, Joseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, & Bẽjamin auferetis: in me hęc omnia mala recidérũt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

37 Cui respondit Ruben : Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi : trade illum in manu mea, & ego eum tibi restituam.

38 At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscū: frater ejus mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei adversi acciderit in terra ad quā pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

CAPUT XLIII.

Cogente fame ægrè impetrarunt fratres Ioseph à patre, ut in Ægyptum revertentes cum muneribus ac duplici pecunia, Benjamin secum ducerent: qui eductо Simeone de carcere, simul epulati sunt cum Ioseph.

A 1 INterim fames omnem terram vehementer premebat.

2 Consumptísque cibis quos ex Ægypto detulerant, dixit Jacob ad filios suos : Revertimini, & emite nobis pauxillum escarum.

3 Respondit Judas : Denuntiavit nobis vir ille sub attestatione jurisjurandi, dicens : Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum.

4 Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, & ememus tibi necessaria :

5 Sin autem non vis, non ibimus : vir enim, ut sæpè diximus, denuntiavit nobis, dicens: * Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo. * Sup. 42. d. 20.

B 6 Dixit eis Israël : in meam hoc feciſtis miseriam, ut indicaretis ei & alium habere vos fratrem.

7 At illi respondérunt : Interrogavit nos homo per ordinem nostram progeniem : si pater viveret: si haberemus fratrem: & nos respondimus ei consequenter juxta id quod fuerat scisitatus : numquid scire poteramus quòd dicturus esset : Adducite fratrem vestrum vobiscum ?

8 Judas quoque dixit patri suo : Mitte puerum mecum, ut proficiscamur, & possimus vivere : ne moriamur nos & parvuli nostri.

*Inf. 44. 9. 32. 9 * Ego suscipio puerum : de manu mea require illum, nisi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.

10 Si non intercessisset dilatio, jam vice altera venissemus.

C 11 Igitur Israël pater eorum dixit ad eos : Si sic necesse est, facite quod vultis ; sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum resinæ, & mellis, & storacis, stactes: & terebinthi, & amygdalarum.

12 Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum: & illam, quam inveniſtis in sacculis, reportate, ne fortè errore factum sit:

13 Sed & fratrem vestrum tollite, & ite ad virū.

14 Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem : & remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet, & hunc Benjamin: ego autem quasi orbatus absque liberis ero.

15 Tulerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Benjamin : descenderúntque in Ægyptum, & steterunt coram Joseph.

D 16 Quos cùm ille vidisset, & Benjamin simul, præcepit dispensatori domus suæ, dicens: Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue convivium: quoniam mecum sunt comesturi meridie.

17 Fecit ille quod sibi fuerat imperatum, & introduxit viros domum.

18 Ibíque exterriti, dixerunt mutuò : Propter pecuniam, quam retulimus priùs in saccis nostris, introducti sumus: ut devolvat in nos calumniam, & violèter subjiciat servituti, & nos, & asinos nostros.

19 Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem domus

20 Locuti sunt : Oramus domine ut audias nos.

* Iam antè descendimus ut emeremus escas: * Sup. 42. n. 3.

21 Quibus emptis, cùm venissemus ad diversorium, aperuimus saccos nostros: & invenimus pecuniam in ore saccorum : quam nunc eodem pondere reportavimus.

22 Sed & aliud attulimus argentum, ut emamus quæ nobis necessaria sunt: non est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupiis nostris. E

23 At ille respondit: Pax vobiscum, nolite timere: Deus vester, & Deus patris vestri, dedit vobis thesauros in saccis vestris. nam pecuniam, quam dediſtis mihi, probatam ego habeo. Eduxítque ad eos Simeon.

24 Et introductis domum, attulit aquam, & laverunt pedes suos, dedítque pabulum asinis eorum.

25 Illi verò parabant munera, donec ingrederetur Joseph meridie : audierant enim quòd ibi comesturi essent panem. F

26 Igitur ingressus est Joseph domum suam, obtulerúntque ei munera, tenentes in manibus suis : & adoraverunt proni in terram.

27 At ille, clementer resalutatis eis, interrogavit eos, dicens: Salvus ne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi ? Adhuc vivit ?

28 Qui respondérunt: Sospes est servus tuus pater noster, adhuc vivit. Et incurvati, adoraverunt eum.

29 Attollens autem Joseph oculos, vidit Benjamin fratrem suum uterinum, & ait: Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi ? Et rursum: Deus, inquit, misereatur tui, fili mi.

30 Festinavítque, quia commota fuerant viscera ejus super fratre suo, & erumpebant lacrymæ: & introiens cubiculum flevit. G

31 Rursúmque lota facie egressus, continuit se, & ait: Ponite panes.

32 Quibus appositis seorsum Joseph, & seorsum fratribus, Ægyptiis quoque qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Ægyptiis comedere cum Hebræis, & profanum putant hujuscemodi convivium)

33 Sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, & minimus juxta ætatem suam. Et mirabantur nimis,

34 Sumptis partibus quas ab eo acceperant: majórq; pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet. Biberúntque & inebriati sunt cum eo.

CAPUT XLIV.

Ioseph absconso scypho suo in sacco Benjamin, revocatos ab itinere fratres furti arguit; Iudas autem pro Benjamin se in servitutem offert.

A 1 PRæcepit autem Joseph dispensatori domus suæ, dicens : Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere : & pone pecuniam singulorum in summitate sacci.

2 Scyphum autem meum argenteum, & pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci junioris. Factúmque est ita.

3 Et

3 Et orto manè, dimissi sunt cum asinis suis.

4 Jámque urbem exierant, & processerant paulùm : tunc Joseph accersito dispensatore domus, Surge, inquit, & persequere viros: & apprehensis dicito : Quare reddidistis malum pro bono ?

B 5 Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet: pessimam rem feciſtis.

6 Fecit ille ut jusserat. Et apprehensis per ordinem locutus est.

7 Qui respondérunt : Quare sic loquitur dominus noster, ut servi tui tantum flagitij cōmiserint.

8 Pecuniam, quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terra Chanaan, & quo modo consequens est ut furati simus de domo domini tui aurum vel argentum?

9 Apud quemcumque fuerit inventum servorum tuorum quod quæris, moriatur, & nos erimus servi domini nostri.

C 10 Qui dixit eis: Fiat juxta vestram sententiam: apud quemcumque fuerit inventum, ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxij.

11 Itaque festinatò deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli.

12 Quos scrutatus, incipiens à majore usque ad minimum, invenit scyphum in sacco Benjamin.

13 At illi, scissis vestibus, oneratísque rursum asinis, reversi sunt in oppidum.

14 Primúsque Judas cum fratribus ingressus est ad Joseph (necdum enim de loco abierat) omnésque ante eum pariter in terram corruerunt.

D 15 Quibus ille ait: Cur sic agere voluiſtis? an ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?

16 Cui Judas: Quid respondebimus, inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut justè poterimus obtendere ? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum: en omnes servi sumus domini mei, & nos, & apud quem inventus est scyphus.

17 Respondit Joseph : Absit à me ut sic agam: qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus : vos autem abite liberi ad patrem vestrum.

E 18 Accedens autem propiùs Judas, confidenter ait: Oro domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, & ne iraſcaris famulo tuo : tu es enim post Pharaonem

* Sup. 42. c. 13. 19 Dominus meus. * Interrogasti priùs servos tuos: Habetis patrem, aut fratrem?

20 Et nos respondimus tibi domino meo : Est nobis pater senex, & puer parvulus, qui in senectute illius natus est; cujus uterinus frater mortuus est : & ipsum solum habet mater sua, pater verò tenerè diligit eum.

F 21 Dixiſtíque servis tuis: Adducite eum ad me, & ponam oculos meos super illum.

22 Suggessimus dño meo: Non potest puer relinquere patrē suum: si enim illum dimiserit, morietur.

* Sup. 43. n. 3. & 5. 23 * Et dixisti servis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam.

24 Cùm ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narravimus ei omnia quæ locutus est dominus meus.

25 Et dixit pater noster: Revertimini, & emite nobis parum tritici.

26 Cui diximus: Ire non possumus: si frater noster minimus descenderit nobiscū, proficiscemur simul: alioquin illo absēte, non audemus videre faciē viri.

27 Ad quæ ille respondit : * Vos scitis quòd duos genuerit mihi vxor mea. G * Sup. 37. E. 33. e. 20.

28 Egressus est unus, & dixiſtis : Bestia devoravit eum : & hucusque non comparet.

29 Si tuleritis & istū, & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos.

30 Igitur si intravero ad servum tuum patrem nostrum, & puer defuerit (cùm anima illius ex hujus anima pendeat)

31 Viderítque eum non esse nobiscum, morietur, & deducent famuli tui canos ejus cum dolore ad inferos.

32 Ego propriè servus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens : * Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. * Sup. 43. b. 9.

33 Manebo itaque servus tuus pro puero in ministerio domini mei, & puer ascēdat cū fratribus suis.

34 Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero : ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

CAPUT XLV.

Ioseph se fratribus manifestat, eósque territos cum osculo amplexatur: quare Pharao unà cum tota domo sua exultans, præcepit ut advocetur pater cum universa domo sua in Ægyptum: idem multis verbis denuntiat Ioseph, fratréſque multis donatos muneribus ad patrem remittit.

A 1 NOn se poterat ultrà cohibere Ioseph multis coràm astantibus: unde præcepit ut egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ.

2 Elevavítque vocem cum fletu : quam audierunt Ægyptij, omnísque domus Pharaonis.

3 Et dixit fratribus suis : Ego sum Joseph : adhuc pater meus vivit ? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti.

4 Ad quos ille clementer : Accedite, inquit, ad me. Et cùm accessissent propè, * Ego sum, ait, Joseph, frater vester, quem vendidiſtis in Ægyptum. B * Act. 7. b. 13.

5 Nolite pavere, neq; vobis durum esse videatur quòd vendidiſtis me in his regionibus: *pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. *Inf. 50. d. 20.

6 Biennium est enim quòd cœpit fames esse in terra : & adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit nec meti.

7 Præmisítque me Deus ut reservemini super terram, & escas ad vivendum habere possitis.

8 Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc C missus sum : qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum universæ domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti.

9 Festinate, & ascendite ad patrem meum, & dicetis ei : Hæc mandat filius tuus Joseph : Deus fecit me dominum universæ terræ Ægypti : descende ad me, ne moreris,

10 Et habitabis in terra Gessen : eríque juxta me tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum, oves tuæ, & armenta tua, & universa quæ possides.

11 Ibíque te pascam (adhuc enim quinque anni D residui sunt famis) ne & tu pereas, & domus tua, & omnia quæ possides.

Universidad de Deusto
Biblioteca

12 En oculi vestri, & oculi fratris mei Benjamin, vident quòd os meum loquatur ad vos.
13 Nuntiate patri meo universam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis in Ægypto: Festinate, & adducite eum ad me.
14 Cúmque amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit: illo quoque similiter flente super collum ejus.
15 Osculatúsque est Joseph omnes fratres suos, & ploravit super singulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum.
E 16 Auditúmque est, & celebri sermone vulgatum in aula regis: Venerunt fratres Joseph: & gavisus est Pharao, atque omnis familia ejus.
17 Dixítque ad Joseph ut imperaret fratribus suis, dicens: Onerátes jumenta, ite in terram Chanaan,
18 Et tollite inde patrem vestrum & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ.
19 Præcipe etiam ut tollant plaustra de terra Ægypti, ad subvectionem parvulorum suorum ac conjugum: & dicito: Tollite patrem vestrum, & properate quantocyùs venientes.
F 20 Nec dimittatis quidquam de supellectili vestra, quia omnes opes Ægypti, vestræ erunt.
21 Fecerúntque filij Israël, ut eis mandatum fuerat. Quibus dedit Joseph plaustra, secundùm Pharaonis imperium: & cibaria in itinere.
22 Singulis quoque proferri jussit binas stolas: Benjamin verò dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis:
23 Tantumdem pecuniæ & vestium mittens patri suo, addens & asinos decem, qui subveherent ex omnibus divitiis Ægypti: & totidem asinas, triticum in itinere panésque portantes.
24 Dimisit ergo fratres suos, & proficiscentibus ait: Ne irascamini in via.
G 25 Qui ascendentes ex Ægypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Jacob.
26 Et nuntiaverunt ei, dicentes: Joseph filius tuus vivit: & ipse dominatur in omni terra Ægypti. Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis.
27 Illi è contrà referebant omnem ordinem rei. Cúmque vidisset plaustra, & universa quæ miserat, revixit spiritus ejus,
28 Et ait: Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit: vadam & videbo illum antequam moriar.

Caput XLVI.

Iacob renovata Dei promissione cum universis filiis ac nepotibus, quorum nomina recensentur, in Ægyptum descendit: cui occurrens Ioseph, suadet ut Pharaoni se pastores ovium dicant.

A 1 PRofectúsque Israël cum omnibus quæ habebat, venit ad Puteum juramenti. & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac,
2 Audivit eũ per visionem noctis vocãtem se, & dicẽtem sibi: Jacob, Jacob, cui respõdit: Ecce adsum.
3 Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi.
4 Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem: Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.
5 Surrrexit autem Jacob à Puteo juramenti: * tulerúntq; eum filij cum parvulis & uxoribus suis in plaustris quæ miserat Pharao ad portandum senem, *Act.7. b.15.
6 Et omnia quæ possederat in Terra Chanaan: * venítque in Ægyptum cum omni semine suo, *Ios.24. a.5. Ps.104. b.23. Isa.52. b.4.
7 Filij ejus, & nepotes, filiæ, & cuncta simul progenies.
8 Hæc sunt autem nomina filiorum Israël, qui ingressi sunt in Ægyptum, ipse cum liberis suis.* Primogenitus Ruben. B *Exod.1. a.2.6.c. 14. Numer. 26.a.5. 1.Par.5. a.1.& 3.
9 Filij Ruben: Henoch & Phallu & Hesron & Charmi.
10 Filij Simeon: Jamuel & Jamin & Ahod, & Jachin & Sohar, & Saul filius Chanaanitidis. * Exod. 6.c.15. 1.Par.4. d.24.
11 *Filij Levi: Gerson & Caath & Merari.
12 *Filij Juda: Her & Onan & Sela & Phares & Zara. mortui sunt autem Her & Onan in terra Chanaan. Natíque sunt filij Phares: Hesron & Hamul. * 1.Par. 6.a.1. * 1.Par. 2.a.3.4. d. 22.
13 *Filij Issachar: Thola & Phua & Job & Semron.
14 Filij Zabulon: Sared & Elon & Jahelel. * 1.Par. 7.a.1.
15 Hi filij Lia quos genuit in Mesopotamia Syriæ cum Dina filia sua. omnes animæ filiorum ejus & filiarum, triginta tres.
16 Filij Gad: Sephion & Haggi & Suni & Esebon & Heri & Arodi & Areli.
17 *Filij Aser: Jamne & Jesua & Jessui & Beria, Sara quoque soror eorum. Filij Beria: Heber & Melchiel: * 1.Par. 7.f.30.
18 Hi filij Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ suæ, & hos genuit Jacob sedecim animas.
19 Filij Rachel uxoris Jacob: Joseph & Benjamin.
20 * Natíque sunt Joseph filij in terra Ægypti, quos genuit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos: Manasses & Ephraim. C *Sup.41. g.50.
21 Filij Benjamin: * Bela & Bechor & Asbel & Gera & Naaman & Echi & Ros & Mophim & Ophim & Ared. * 1.Par. 7.b.6.8. a.1.
22 Hi filij Rachel quos genuit Jacob: omnes animæ, quattuordecim.
23 Filij Dan: Husim.
24 Filij Nephthali: Jasiel & Guni & Jesel & Sallẽ.
25 Hi filij Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ suæ: & hos genuit Jacob: omnes animæ, septem.
26 Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex.
27 Filij autem Ioseph, qui nati sunt ei in terra Ægypti, animæ duæ. * Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta. * Deut. 10.d.22.
28 Misit autem Judam ante se ad Joseph, ut nuntiaret ei, & occurreret in Gessen.
29 Quò cùm perveniisset, juncto Joseph curru suo, ascendit obviàm patri suo ad eumdem locum: vidénsque eum, irruit super collum ejus, & inter amplexus flevit. D
30 Dixítque pater ad Joseph: Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.
31 At ille locutus est ad fratres suos, & ad omnem domũ patris sui: Ascendam & nuntiabo Pharaoni, dicámque ei: Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in Terra Chanaan, venerunt ad me:
32 Et sunt viri pastores ovium, curámque habent alendorum gregum: pecora sua, & armenta, & omnia quæ habere potuerunt, adduxerunt secum.
33 Cúmque

33 Cúmque vocaverit vos, & dixerit: Quod est opus vestrum?
34 Respondebitis: Viri pastores sumus servi tui ab infantia nostra usque in præsens, & nos & patres nostri. Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in Terra Gessen: quia detestantur Ægyptij omnes pastores ovium.

Caput XLVII.

Introducto Iacob cum filiis ad Pharaonem Terra Gessen conceditur: fames tantùm premit Ægyptum, ut venditis pecoribus terram quoque vendere sint coacti: quo factum est ut quinta pars fructuum regibus Ægypti perpetuò cedat, præterquam in possessionibus sacerdotum. Post annos septemdecim Iacob plurimùm ditatus adjurat Ioseph de sua sepultura.

A 1 INgressus ergo Joseph nuntiavit Pharaoni, dicens: Pater meus & fratres, oves eorum & armenta, & cuncta quæ possident, venerunt de Terra Chanaan: & ecce consistunt in Terra Gessen.
2 Extremos quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege:
3 Quos ille interrogavit: Quid habetis operis? Respónderunt: Pastores ovium sumus servi tui, & nos, & patres nostri.
4 Ad peregrinandum in terra tua venimus: quoniam non est herba gregibus servorum tuorum, ingravescente fame in terra Chanaan: petimúsque ut esse nos jubeas servos tuos in Terra Gessen.
B 5 Dixit itaque rex ad Joseph: Pater tuus & fratres tui venerunt ad te.
6 Terra Ægypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis Terram Gessen. Quòd si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum.
7 Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad Regem, & statuit eum corã eo: qui benedicens illi,
8 Et interrogatus ab eo: Quot sunt dies annorum vitæ tuæ?
9 Respondit: Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi & mali, & non pervenerunt usque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt.
C 10 Et benedicto rege, egressus est foras.
11 Joseph verò patri & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco, Rameses, ut præceperat Pharao.
12 Et alebat eos, omnémque domum patris sui, præbens cibaria singulis.
13 In toto enim orbe panis deerat, & oppresserat fames terram, maximè Ægypti & Chanaan.
14 Equibus omnem pecuniam congregavit pro venditione frumẽti, & intulit eam in ærarium regis.
D 15 Cúmque defecisset emptoribus pretium, venit cuncta Ægyptus ad Joseph, dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te, deficiẽte pecunia?
16 Quibus ille respondit: Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis.
17 Quæ cùm adduxissent, dedit eis alimenta pro equis, & ovibus, & bobus, & asinis: sustentavítque eos illo anno pro commutatione pecorum.
18 Venerunt quoque anno secundo, & dixerunt ei: Non celabimus dominum nostrũ, quòd deficiente pecunia, pecora simul defecerũt: nec clam te est, quòd absque corporibus & terra nihil habeamus.
19 Cur ergo moriemur te vidente? & nos & terra nostra tui erimus: eme nos in servitutem regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem.
20 Emit igitur Joseph omnem Terram Ægypti, E vendẽtibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subjecítque eam Pharaoni,
21 Et cunctos populos ejus, à novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus,
22 Præter terram sacerdotum quæ à rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcircò non sunt compulsi vendere possessiones suas.
23 Dixit ergo Joseph ad populos: En ut cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet: accipite semina, & serite agros,
24 Ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis: quattuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familiis & liberis vestris.
25 Qui respónderunt: Salus nostra in manu tua F est: respiciat nos tantùm dominus noster, & læti serviemus regi.
26 Ex eo tempore usque in præsentem diem, in universa Terra Ægypti, regibus quinta pars solvitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.
27 Habitavit ergo Israël in Ægypto, id est, in Terra Gessen, & possedit eam: auctúsque est, & multiplicatus nimis.
28 Et vixit in ea decem & septem annis: factíque sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta septem annorum.
29 Cúmque appropinquare cerneret diem mor- G tis suæ, vocavit filium suum Joseph, & dixit ad eum: Si inveni gratiam in conspectu tuo,* pone manum tuam sub femore meo: & facies mihi misericordiam & veritatem, ut non sepelias me in Ægypto: * Sup. 24.a.2.
30 Sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condásque in sepulchro majorum meorum. Cui respondit Joseph: Ego faciam quod jussisti.
31 Et ille: Jura ergo, inquit, mihi. Quo jurante, adoravit Israël Deum, conversus ad lectuli caput.

Caput XLVIII.

Iacob ægrotantem invisit Ioseph, cujus filios Manassen & Ephraim Iacob sibi adoptat, ac benedicit, minorem contradicente Ioseph majori præponens, & suprà fratres partem unam Ioseph tribuens.

1 HIs ita transactis, nuntiatum est Joseph quòd A ægrotaret pater suus: qui, assúmptis duobus filiis Manasse & Ephraim, ire perrexit.
2 Dictúmque est seni: Ecce filius tuus Joseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo.
3 Et ingresso ad se ait: Deus omnipotens * apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan: Benedixítque mihi, * Sup. 28.c.13.
4 Et ait: Ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum: dabóque tibi terram hanc, & semini tuo post te, in possessionem sempiternam.
5 Duo ergo filij tui, qui * nati sunt tibi in Terra Ægypti antequam huc venirem ad te, mei erunt: * Ephraim & Manasses, sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. * Sup. 41.f.50. *Ios.13. b.7.d. 29.
6 Reliquos autem quos genueris post eos, tui B erunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.

7 Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, * mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratque vernum tempus & ingrediebar Ephratam, & sepelivi eam juxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem.

8 Videns autem filios ejus dixit ad eum: Qui sunt isti?

9 Respondit: Filij mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, ut benedicam illis.

10 Oculi enim Israël caligabant præ nimia senectute, & clarè videre non poterat. Applicitósque ad se deosculatus, & circumplexus eos,

11 Dixit ad filium suum: Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuum.

12 Cúmque tulisset eos Joseph de gremio patris, adoravit pronus in terram.

C 13 Et posuit Ephraim ad dexteram suam, id est, ad sinistram Israël: Manassen verò in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicuítque ambos ad eum.

14 Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse qui major natu erat, commutans manus.

15 * Benedixítque Jacob filiis Joseph, & ait: Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem:

16 * Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram.

D 17 Videns autem Joseph quòd posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, graviter accepit: & apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse.

18 Dixítque ad patrem: Non ita convenit, pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput ejus.

19 Qui renuens, ait: Scio: fili mi, scio: & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur: sed frater ejus minor, major erit illo: & semen illius crescet in gentes.

20 Benedixítque eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Israël, atque dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim, & sicut Manasse. Constituítque Ephraim ante Manassen.

21 Et ait ad Joseph filium suum: En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducétque vos ad terram patrum vestrorum.

22 Do tibi * partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu * Amorrhæi in gladio & arcu meo.

CAPUT XLIX.

Jacob singulis filiis suis benedicens, & quorumdam defectus arguens, futura illis prædicit, tandémque declarato sepulturæ suæ loco moritur.

A 1 VOcavit autem Jacob filios suos, & ait eis: Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.

2 Congregamini & audite filij Jacob, audite Israël patrem vestrum.

3 Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, major in imperio.

4 Effusus es sicut aqua, non crescas, * quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus.

5 Simeon & Levi fratres: vasa iniquitatis bellantia:

6 In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: * quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum.

7 Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: * dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israël.

B 8 Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui.

9 * Catulus leonis Juda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?

10 * NON AUFERETUR sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.

11 Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.

12 Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.

13 Zabulon in littore maris habitabit, & in statione navium pertingens usque ad Sidonem.

14 Issachar asinus fortis accubans inter terminos.

15 Vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima, & suppposuit humerum suum ad portandum, factúsque est tributis serviens.

16 Dan judicabit populum suum sicut & alia tribus in Israël.

17 Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, C mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retrò.

18 SALUTARE tuum expectabo Domine.

19 Gad, accinctus præliabitur ante eum: & ipse accingetur retrorsum.

20 Aser pinguis panis ejus, & præbebit delicias regibus.

21 Nephthali, cervus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.

22 * Filius accrescens Joseph, filius accrescens & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum.

23 Sed exasperaverunt eum, & jurgati sunt, inviderúntque illi habentes jacula.

24 Sedit in forti arcus ejus, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Jacob: inde pastor egressus est lapis Israël.

25 Deus patris tui erit adjutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum & vulvæ.

26 Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus: donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Joseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.

27 Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere dividet spolia.

28 Omnes hi in tribubus Israël duodecim: hæc locutus est eis pater suus, benedixítque singulis, benedictionibus propriis.

29 Et præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici quæ est in agro Ephron Hethæi,

30 contra Mambre in terra Chanaan, * quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri.

31 Ibi sepelierunt eum & Saram uxorem ejus: ibi sepultus est Isaac cum Rebecca conjuge sua: ibi & Lia condita jacet.

32 Finitísque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obiit: appositúsque est ad populum suum.

CAPUT L.

Joseph corpus patris curans cum senioribus Ægypti proficiscitur ut in terra Chanaan sepeliat: quo magna solemnitate peracto, fratres ob irrogatam illi injuriam sibi timentes, benignè suscipit & consolatur: qui ubi mandatum dedisset de suis ossibus in Terram Chanaan deferendis, in pace quievit.

A 1 QUod cernens Joseph, ruit super faciem patris flens & deosculans eum,

2 Præcepítque servis suis medicis ut aromatibus condirent patrem.

3 Quibus jussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadaverum conditorum, flevítque eum Ægyptus septuaginta diebus.

4 Et expleto planctus tempore, locutus est Joseph ad familiam Pharaonis: Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis:

5 Eò quòd pater meus adjuraverit me, dicens: En morior, in sepulchro meo * quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me. Ascendam igitur & sepeliam patrem meum, ac revertar.

6 Dixítque ei Pharao: Ascende & sepeli patrem tuum sicut adjuratus es.

B 7 Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctíque majores natu Terræ Ægypti.

8 Domus Joseph cum fratribus suis, absque parvulis & gregibus, atque armentis, quæ dereliquerant in Terra Gessen.

9 Habuit quoque in comitatu currus & equites: & facta est turba non modica.

10 Venerúntque ad Aream Atad, quæ sita est trans Jordanem: ubi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleverunt septem dies.

11 Quod cùm vidissent habitatores Terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus est iste Ægyptiis. Et idcircò vocatum est nomen loci illius, Planctus Ægypti.

12 Fecerunt ergo filij Jacob sicut præceperat eis.

13 Et portantes eum in Terram Chanaan, * sepelierunt eum in spelunca duplici, * quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre.

14 Reversúsque est Joseph in Ægyptum cum C fratribus suis, & omni comitatu, sepulto patre.

15 Quo mortuo, timentes fratres ejus, & mutuò colloquentes: Ne fortè memor sit injuriæ quam passus est, & reddat nobis omne malum quod fecimus,

16 Mandaverunt ei dicentes: Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur,

17 Ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te: nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Joseph.

18 Venerúntque ad eum fratres sui: & proni adorantes in terram dixerunt: Servi tui sumus.

19 Quibus ille respondit: Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?

20 * Vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos. D

21 Nolite timere: ego * pascam vos & parvulos vestros. consolatúsque est eos, & blandè ac leniter est locutus.

22 Et habitavit in Ægypto cum omni domo patris sui: vixítque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. * Filij quoque Machir filij Manasse nati sunt in genibus Joseph.

23 Quibus transactis, * locutus est fratribus suis: Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam juravit Abraham, Isaac, & Jacob.

24 Cúmque adjurasset eos atque dixisset: Deus visitabit vos: * asportate ossa mea vobiscum de loco isto:

25 Mortuus est, expletis centum decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto.

LIBER EXODUS,

HEBRAICE VEELLE SEMOTH.

CAPUT PRIMUM.

Nomina filiorum Israël qui Ægyptum ingressi sunt; quorum multiplicationem novus Pharao frustrà impedire nititur onerum impositione, masculorum cæde ac submersione: de obstetricum miseratione, & earum à Deo præmiatione.

A 1  Æc sunt nomina filiorum Israël qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob: singuli cum domibus suis introierunt:

2 Ruben, Simeon, Levi, Judas,

3 Issachar, Zabulon & Benjamin,

4 Dan & Nephthali, Gad, & Aser.

5 Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta: Joseph autem in Ægypto erat.

6 Quo mortuo, & universis fratribus ejus, omníque cognatione illa,

7 * Filij Israël creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis, impleverunt terram.

8 Surrexit intereà rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph:

9 Et ait ad populum suum: Ecce, populus filiorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

filiorum Israël multus, & fortior nobis est.
10 Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur: & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra.
11 Præposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus: ædificaverúntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom & Rameses.
12 Quantóque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant:
13 Oderántque filios Israël Ægyptij, & affligebant illudentes eis:
C 14 Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omníque famulatu, quo in terræ operibus premebantur.
15 Dixit autem Rex Ægypti obstetricibus Hebræorum: quarum una vocabatur Sephora, altera Phua,
16 Præcipiens eis: Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus advenerit: si masculus fuerit, interficite eum: si femina, reservate.
17 Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares.
D 18 Quibus ad se accersitis, rex ait: Quídnam est hoc quod facere voluistis, ut pueros servaretis?
19 Quæ respondérunt: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habẽt scientiam: & priusquam veniamus ad eas, pariunt.
20 Benè ergo fecit Deus obstetricibus: & crevit populus, confortatúsque est nimis.
21 Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.
22 Præcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite: quidquid feminini, reservate.

Caput II.

Moyses aquis expositus, & inde extractus, ac à matre sua nutritus jussu filiæ Pharaonis quæ ipsum adoptavit, propter Ægyptij cædem in Madian metu regis fugit, ubi accepta uxore filia sacerdotis duos genuit filios.

A 1 Egressus est post hæc vir de domo Levi: * & accepit uxorem stirpis suæ.
*Inf. 6. c. 20. * Heb. 11. c. 23.* 2 Quæ concepit, & * peperit filium: & videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus.
3 Cúmque jam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & linivit eam bitumine ac pice: posuítque intus infantulum & exposuit eum in carecto ripæ fluminis,
4 Stante procul sorore ejus, & considerante eventum rei.
Act. 7. c. 21. Heb. 11. c. 23. 5 * Ecce autem descendebat filia Pharaonis ut lavaretur in flumine: & puellæ ejus gradiebantur per crepidinem alvei. Quæ cùm vidisset fiscellam in papyrione, misit unã è famulabus suis: & allatam
6 Aperiens, cernénsque in ea parvulum vagientem, miserta ejus, ait: De infantibus Hebræorum est hic.
B 7 Cui soror pueri: Vis, inquit, ut vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum?
8 Respondit: Vade. Perrexit puella & vocavit matrem suam.
9 Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum istum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, & nutrivit puerum: adultúmque tradidit filiæ Pharaonis.
10 Quem illa adoptavit in locum filij, vocavítque nomen ejus Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum.
11 In diebus illis postquam creverat Moyses, * egressus est ad fratres suos: vidítque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis. * *Heb. 11. c. 24.*
12 Cúmque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.
13 Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes: dixítque ei qui faciebat injuriam: Quare percutis proximum tuum?
14 Qui respondit: Quis te constituit principem C & judicem super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moyses, & ait: Quomodo palàm factum est verbum istud?
15 Audivítque Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen: qui fugiens de conspectu ejus, moratus est in terra Madian, & sedit juxta puteum.
16 Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam: & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui.
17 Supervenere pastores, & ejecerunt eas: surrexítque Moyses, & defensis puellis, adaquavit oves earum.
18 Quæ cùm revertissent ad Raguel patrem suum, dixit ad eas. Cur velociùs venistis solito?
19 Respondérunt: Vir Ægyptius liberavit nos de manu pastorum: insuper & hausit aquam nobiscum, potúmque dedit ovibus.
20 At ille: Ubi est? inquit. Quare dimisistis hominem? vocate eum ut comedat panem. D
21 Juravit ergo Moyses quòd habitaret cum eo. * Accepítque Sephoram filiam ejus uxorem: *Inf. 18. a. 3. 1. Par. 23. b. 15.*
22 Quæ peperit ei filium, quem vocavit Gersam, dicens: Advena fui in terra aliena. Alterum verò peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis.
23 Post multum verò temporis mortuus est rex Ægypti: & ingemiscentes filij Israël, propter opera vociferati sunt: ascendítque clamor eorum ad Deum ab operibus.
24 Et audivit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Jacob.
25 Et respexit Dominus filios Israël, & cognovit eos.

Caput III.

Dominus Moysi, oves Jethro soceri pascenti, in rubo apparens, mittit eum etiam renitentem ad filios Israël de manu Pharaonis liberandos spoliatis Ægyptiis.

1 Moyses autem pascebat oves Jethro soceri A sui sacerdotis Madian: cúmque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.
2 * Apparuítque ei Dominus in flamma ignis *Act. 7. d. 30.* de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet & non combureretur.
3 Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.
B 4 Cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses. Qui respondit: adsum.
5 At ille: Ne appropies, inquit, huc: solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.
Matt. 22. d. 32. Marc. 12. c. 26. Luc. 20. f. 37. 6 Et ait: * Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Abscondit Moyses faciẽ suam: non enim audebat aspicere contra Deũ.
7 Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui præsunt operibus:
C 8 Et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebusæi.
9 Clamor ergo filiorum Israël venit ad me: vidíq; afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimũtur.
10 Sed veni, & mittam te ad Pharaonem; ut educas populum meum, filios Israël de Ægypto.
11 Dixítque Moyses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto?
12 Qui dixit ei: Ego ero tecũ: & hoc habebis signum, quòd misérim te: Cùm eduxeris populũ meũ de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.
D 13 Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen ejus? quid dicam eis?
14 Dixit Deus ad Moysen: EGO SUM QUI SUM. Ait: Sic dices filiis Israël: QUI EST, misit me ad vos.
15 Dixítque iterùm Deus ad Moysen: Hæc dices filiis Israël: Dominus Deus patrum vestrorũ, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem.
E 16 Vade, & congrega seniores Israël, & dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, dicens: Visitans visitavi vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto:
17 Et dixi ut educam vos de afflictione Ægypti, in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebusæi, ad terram fluentem lacte & melle.
F 18 Et audient vocem tuam: ingredierísque tu, & seniores Israël, ad regem Ægypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocavit nos: ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro.
19 Sed ego scio quòd non dimittet vos rex Ægypti ut eatis, nisi per manum validam.
G 20 Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum: post hæc dimittet vos.
21 Dabóque gratiam populo huic coram Ægyptiis: * & cùm egrediemini, non exibitis vacui: *Inf. 11. a. 2. & 12. c. 35.*
22 Sed postulabit mulier à vicina sua & ab hospita sua, vasa argentea & aurea, ac vestes: ponetísque eas super filios & filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.

Caput IV.

Moyses tribus signis à Deo acceptis, in Ægyptum cum uxore proficiscitur: uxor circumcidit filium. Aaron fratri Moysi occurrit, simúlque venerunt ad filios Israël.

1 Respondens Moyses ait: Non credent mihi, A neque audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.
2 Dixit ergo ad eum: Quid est quod tenes in manu tua? Respondit: Virga.
3 Dixítque Dñs: Projice eam in terram. Projecit, & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses.
4 Dixítque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Extendit, & tenuit, versáque est in virgam.
5 Ut credant, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.
6 Dixítque Dominus rursum: Mitte manum B tuam in sinum tuum. Quam cùm misísset in sinum, protulit leprosam instar nivis.
7 Retrahe, ait, manũ tuam in sinum tuum. Retraxit, & protulit iterùm, & erat similis carni reliquæ.
8 Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonẽ signi prioris, credent verbo signi sequẽtis.
9 Quòd si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam: fume aquam fluminis, & effunde eam super aridam, & quidquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem.
10 Ait Moyses: Obsecrò Domine, non sum elo- C quẽs ab heri & nudiustertius: & ex quo locutus es ad servum tuũ, impeditioris & tardioris linguæ sum.
11 Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum? nónne ego?
12 Perge igitur, * & ego ero in ore tuo: docebóque te quid loquaris. *Matt. 10. b. 20.*
13 At ille: Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missúrus es.
14 Iratus Dñs in Moysen, ait: Aaron frater tuus levites, scio quòd eloquens sit: ecce ipse egreditur in occursum tuum, videnséque te lætabitur corde.
15 Loquere ad eum, & pone verba mea in ore D ejus: & ego ero in ore tuo, & in ore illius, * & *Inf. 7. a. 2.* ostendam vobis quid agere debeatis.
16 Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuũ: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinẽt:
17 Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.
18 Abiit Moyses, & reversus est ad Jethro socerum suum, dixítque ei: Vadam & revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam si adhuc vivant. Cui ait Jethro: Vade in pace.
19 Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madian: E Vade, & revertere in Ægyptum: Mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam.
20 Tulit ergo Moyses uxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum, reverssúsque est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua.
21 Dixítque ei Dominus revertenti in Ægyptum: Vide ut omnia ostenta quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor ejus, & non dimittet populum.
22 Dicéfque ad eum: Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Israël.

Universidad de Deusto
Biblioteca

23 Dixi tibi : Dimitte filium meum ut ſerviat mihi;& noluiſti dimittere eum : ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.

24 Cúmque eſſet in itinere,in diverſorio occurrit ei Dominus,& volebat occidere eum.

25 Tulit illicò Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui , tetigítque pedes ejus,& ait:Sponſus ſanguinum tu mihi es.

26 Et dimiſit eum poſtquam dixerat : Sponſus ſanguinum,ob circumciſionem.

G 27 Dixit autem Dominus ad Aaron: Vade in occurſum Moyſi in deſertum.Qui perrexit obviàm ei in Montem Dei,& oſculatus eſt eum.

28 Narravítque Moyſes Aaron omnia verba Domini quibus miſerat eũ:& ſigna quæ mandaverat.

29 Venerúntque ſimul,& congregaverunt cunctos ſeniores filiorum Iſraël.

30 Locutúſque eſt Aaron omnia verba quæ dixerat Dñs ad Moyſen:& fecit ſigna coram populo,

31 Et credidit populus.Audierúntque quòd viſitaſſet Dominus filios Iſraël,& quòd reſpexiſſet afflictionem illorum:& proni adoraverunt.

CAPUT V.

Moyſes & Aaron Pharaoni Dei mandata referunt: quæ ille contemnens, gravius Iſraëlitas premit negatis paleis: quod audiens Moyſes orat pro eis Dominum.

A 1 POſt hæc ingreſſi ſunt Moyſes & Aaron,& dixerunt Pharaoni : Hæc dicit Dominus Deus Iſraël : Dimitte populum meum ut ſacrificet mihi in deſerto.

2 At ille reſpondit:Quis eſt Dominus ut audiam vocem ejus,& dimittam Iſraël:neſcio Dominum,& Iſraël non dimittam.

3 Dixerúntque: Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in ſolitudinem,& ſacrificemus Domino Deo noſtro : ne fortè accidat nobis peſtis aut gladius.

4 Ait ad eos rex Ægypti:Quare Moyſes & Aaron ſollicitatis populum ab operibus ſuis?ite ad onera veſtra.

5 Dixítque Pharao:Multus eſt populus terræ,videtis quòd turba ſuccreverit:quantò magis ſi dederitis eis requiem ab operibus?

B 6 Præcepit ergo in die illo præfectis operum & exactoribus populi,dicens.

7 Nequaquam ultrà dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, ſicut priùs:ſed ipſi vadant,& colligant ſtipulas.

8 Et Menſuram laterum, quam priùs faciebant , imponetis ſuper eos, nec minuetis quidquam:vacant enim , & idcircò vociferantur, dicentes : Eamus , & ſacrificemus Deo noſtro.

9 Opprimantur operibus,& expleant ea:ut non acquieſcant verbis mendacibus.

10 Igitur egreſſi præfecti operum & exactores, ad populum dixerunt:Sic dicit Pharao:Non do vobis paleas:

11 Ite, & colligite ſicubi invenire poteritis,nec minuetur quidquam de opere veſtro.

12 Diſperſúſque eſt populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.

C 13 Præfecti quoque operum inſtabant,dicentes: Complete opus veſtrum quotidie , ut priùs facere ſolebatis quando dabantur vobis paleæ.

14 Flagellatíque ſunt qui præerant operibus filiorum Iſraël, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus : Quare non impletis menſuram laterum ſicut priùs, nec heri, nec hodie?

15 Venerúntque præpoſiti filiorum Iſraël,& vociferati ſunt ad Pharaonem,dicentes : Cur ita agis contra ſervos tuos?

16 Paleæ non dantur nobis , & lateres ſimiliter imperantur:en famuli tui flagellis cædimur,& injuſtè agitur contra populum tuum.

17 Qui ait:Vacatis otio,& idcircò dicitis:Eamus & ſacrificemus Domino.

18 Ite ergo , & operamini:paleæ non dabuntur vobis,& reddetis conſuetum numerum laterum.

19 Videbántque ſe præpoſiti filiorum Iſraël in malo,eò quòd diceretur eis:non minuetur quidquam D de lateribus per ſingulos dies.

20 Occurrerúntque Moyſi & Aaron,qui ſtabãt ex adverſo , egredientibus à Pharaone :

21 Et dixerunt ad eos:Videat Dominus & judicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus, & præbuiſtis ei gladium, ut occideret nos.

22 Reverſúſque eſt Moyſes ad Dñm,& ait: Domine,cur afflixiſti populum iſtum:quare miſiſti me?

23 Ex eo enim quo ingreſſus ſum ad Pharaonem ut loquerer in nomine tuo,afflixit populum tuum: & non liberaſti eos.

CAPUT VI.

Conſolatur Deus Iſraëlitas per Moyſen, Terræ Chanaan promiſſione; recenſetúrque genealogia Ruben , Simeonis & Levi uſque ad Moyſen & Aaron.

1 DIxítque Dominus ad Moyſen:Nunc videbis quæ facturus ſim Pharaoni:per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſta ejiciet illos de terra ſua. A

2 Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens: Ego Dominus

3 Qui apparui Abraham,Iſaac, & Jacob,in Deo omnipotente:& nomen meum ADONAI non indicavi eis.

4 Pepigíque fœdus cum eis,ut darem eis Terram Chanaan , terram peregrinationis eorum , in qua fuerunt advenæ.

5 Ego audivi gemitum filiorum Iſraël,quo Ægyptij oppreſſerunt eos:& recordatus ſum pacti mei.

6 Ideò dic filiis Iſraël: Ego Dñs qui educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & eruam de ſervitute: ac redimam in brachio excelſo,& judiciis magnis.

7 Et aſſúmam vos mihi in populum, & ero veſter Deus : & ſcietis quòd ego ſum Dominus Deus veſter qui eduxerim vos de ergaſtulo Ægyptiorũ: B

8 Et induxerim in terram ſuper quam levavi manum meã ut darem eam Abraham, Iſaac, & Jacob: dabóque illam vobis poſſidendam , ego Dominus.

9 Narravit ergo Moyſes omnia filiis Iſraël qui non acquieverunt ei , propter anguſtiam ſpiritus, & opus duriſſimum.

10 Locutúſque eſt Dñs ad Moyſen, dicens.

11 Ingredere,& loquere ad Pharaonem regem Ægypti,ut dimittat filios Iſraël de terra ſua.

12 Reſpondit Moyſes coram Domino:Ecce filij Iſraël non audiunt me:& quo modo audiet Pharao, præſertim cùm incircumciſus ſim labiis?

13 Locu

C 13 Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron , & dedit mandatum ad filios Iſraël , & ad Pharaonem regem Ægypti , ut educerent filios Iſraël de Terra Ægypti.

*Gen. 46.b.9. Numer. 26.a.5. 1.Par.5. a.1. *1.Par. 4.d.24.

14 * Iſti ſunt principes domorum per familias ſuas. Filij Ruben primogeniti Iſraëlis : Henoch & Phallu Heſron & Charmi.

15 Hæ cognationes Ruben. *Filij Simeon : Jamuel & Jamin , & Ahod : & Jachin , & Soar, & Saul filius Chananitidis. hæ progenies Simeon.

16 Et hæc nomina filiorum Levi per cognationes ſuas : Gerſon & Caath & Merari.Anni autem vitæ Levi fuerunt centum triginta ſeptem.

*1.Par. 6.a.1. 23.a.6. *Num. 3.c.19. 26.g.57. 58. 1.Par.6. a.2.23. b.18.

17 * Filij Gerſon Lobni & Semei , per cognationes ſuas.

18 *Filij Caath: Amram,& Iſaar,& Hebron,& Oziel.anni quoque vitæ Caath,centũ triginta tres.

19 Filij Merari : Moholi & Muſi. hæ cognationes Levi per familias ſuas.

20 Accepit autẽ Amram uxorẽ Jochabed patruelem ſuam : quæ peperit ei Aaron & Moyſen. Fuerúntque anni vitæ Amram, cẽtum triginta ſeptem. D

21 Filij quoque Iſaar:Core,& Nepheg,& Zechri.

22 Filij quoque Oziel : Miſaël , & Eliſaphan , & Sethri.

23 Accepit autem Aaron uxorem Eliſabeth, filiam Aminadab, ſororem Nahaſon, quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar.

24 Filij quoque Core: Aſer,& Elcana, & Abiaſaph. hæ ſunt cognationes Coritarum.

25 At verò Eleazar filius Aaron accepit uxorem de filiabus Phutiel : quæ peperit ei Phinees. hi ſunt principes familiarum Leviticarum per cognationes ſuas.

26 Iſte eſt Aaron & Moyſes , quibus præcepit Dominus ut educerent filios Iſraël de Terra Ægypti per turmas ſuas.

27 Hi ſunt , qui loquuntur ad Pharaonem regem Ægypti , ut educant filios Iſraël de Ægypto: iſte eſt Moyſes & Aaron,

28 In die qua locutus eſt Dominus ad Moyſen, in Terra Ægypti.

29 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen , dicens: Ego Dominus : loquere ad Pharaonem regem Ægypti, omnia quæ ego loquor tibi.

30 Et ait Moyſes coram Domino : En incircumciſus labiis ſum, quomodo audiet me Pharao ?

CAPUT VII.

Moyſes & Aaron ad Pharaonem loquuntur, virgam vertunt in ſerpentem, & aquam virga percuſſam in ſanguinem: quæ etiam faciunt magi Pharaonis ſuis incantationibus; quam ob cauſam Pharao magis induratur.

A 1 DIxítque Dominus ad Moyſen : Ecce conſtitui te Deum Pharaonis : & Aaron frater tuus erit propetha tuus.

Sup.4. d.15. 2 Tu loquéris ei omnia quæ mando tibi:& ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Iſraël de terra ſua.

3 Sed ego indurabo cor ejus, & multiplicabo ſigna & oſtenta mea in terra Ægypti,

4 Et non audiet vos : immittámque manum meam ſuper Ægyptum , & educam exercitum & populum meum filios Iſraël de terra Ægypti per judicia maxima.

5 Et ſcient Ægyptij quia ego ſum Dominus qui extenderim manum meam ſuper Ægyptum, & eduxerim filios Iſraël de medio eorum.

6 Fecit itaque Moyſes & Aaron ſicut præceperat Dominus : ita egerunt.

7 Erat autem Moyſes octoginta annorum,& Aaron octoginta trium , quando locuti ſunt ad Pharaonem.

8 Dixítque Dominus ad Moyſen & Aaron.

9 Cùm dixerit vobis Pharao , Oſtendite ſigna: dices ad Aaron: Tolle virgam tuam,& projice eam coram Pharaone,ac vertetur in colubrum.

10 Ingreſſi itaque Moyſes & Aaron ad Pharaonem,fecerunt ſicut præceperat Dominus. tulítque Aaron virgam coram Pharaone & ſervis ejus, quæ verſa eſt in colubrum. B

11 * Vocavit autem Pharao ſapientes & maleficos:& fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam ſimiliter. *2.Tim. 3.b.8.

12 Projecerúntque ſinguli virgas ſuas,quæ verſæ ſunt in dracones:ſed devoravit virga Aaron virgas eorum.

13 Induratúmque eſt cor Pharaonis, & non audivit eos,ſicut præceperat Dominus.

14 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ingravatũ eſt cor Pharaonis, non vult dimittere populum.

15 Vade ad eum manè , ecce egredietur ad aquas : & ſtabis in occurſum ejus ſuper ripam fluminis : & virgam , quæ converſa eſt in draconem, tolles in manu tua. C

16 Dicéſque ad eum: Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te , dicens : Dimitte populum meum ut ſacrificet mihi in deſerto : & uſque ad præſens audire noluiſti.

17 Hæc igitur dicit Dominus:In hoc ſcies quòd ſim Dominus : ecce percutiam virga, quæ in manu mea eſt,aquam fluminis,& vertetur in ſanguinem.

18 Piſces quoque,qui ſunt in fluvio,morientur, & computreſcent aquæ,& affligentur Ægyptij bibentes aquam fluminis.

19 Dixit quoque Dominus ad Moyſen : Dic ad Aaron, Tolle virgam tuam,& extẽde manum tuam ſuper aquas Ægypti, & ſuper fluvios eorum, & rivos ac paludes,& omnes lacus aquarum,ut vertantur in ſanguinem:& ſit cruor in omni terra Ægypti,tam in ligneis vaſis quàm in ſaxeis.

20 Fecerúntque Moyſes & Aaron ſicut præceperat Dominus : * & elevans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone & ſervis ejus:quæ verſa eſt in ſanguinem. D *Inſ.17. b.5. Pſ.77. f.44.

21 Et piſces, qui erant in flumine , mortui ſunt: computruítque fluvius , & non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis , & fuit ſanguis in tota Terra Ægypti.

22 *Fecerúntque ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis ; & induratum eſt cor Pharaonis, nec audivit eos, ſicut præceperat Dñs. *Sap.17. b.7.

23 Avertitque ſe,& ingreſſus eſt domum ſuam, nec appoſuit cor etiam hac vice.

24 Foderunt autem omnes Ægyptij per circuitum fluminis aquam ut biberent : non enim poterant bibere de aqua fluminis.

25 Impletíque ſunt ſeptem dies, poſtquam percuſſit Dominus fluvium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput VIII.

Secunda Ægypti plaga est ranarum; pro quarum ablatione promittit Pharao populum dimittere, nec facit: quare additur tertia sciniphum, & quarta muscarum; propter quas rursum promittit Pharao se filios Israël dimissurum, quod non facit.

A Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi:

2 Sin autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis.

3 Et ebulliet fluvius ranas: quæ ascendent; & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos servorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum:

4 Et ad te, & ad populum tuum, & ad omnes servos tuos, intrabunt ranæ.

5 Dixitque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Extende manum tuam super fluvios ac super rivos & paludes, & educ ranas super Terram Ægypti.

B 6 Et extendit Aaron manũ super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operuerúntq; Terrã Ægypti.

* Sap. 17.b.7. 7 *Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter, eduxerúntque ranas super Terram Ægypti.

8 Vocavit autem Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum ut auferat ranas à me & à populo meo: & dimittam populum ut sacrificet Domino.

9 Dixitque Moyses ad Pharaonem: Constitue mihi quando deprecer pro te, & pro servis tuis, & pro populo tuo, ut abigantur ranæ à te & à domo tua & à servis tuis & à populo tuo: & tantùm in flumine remaneant.

C 10 Qui respondit: Cras. At ille: Juxta, inquit, verbum tuum faciam: ut scias quoniam non est sicut Dominus Deus nóster.

11 Et recedent ranæ à te, & à domo tua, & à servis tuis, & à populo tuo: & tantùm in flumine remanebunt.

12 Egressíque sunt Moyses & Aaron à Pharaone: & clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni.

D 13 Fecítque Dominus juxta verbum Moysi: & mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris.

14 Congregaverúntque eas in immensos aggeres, & computruit terra.

15 Videns autem Pharao quòd data esset requies, ingravavit cor suum, & non audivit eos, sicut præceperat Dominus.

16 Dixítque Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute pulverem terræ: sint sciniphes in universa Terra Ægypti.

17 Fecerúntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens: percussítque pulverem terræ, & facti sunt sciniphes in hominibus, & in jumentis: omnis pulvis terræ versus est in sciniphes per totam Terram Ægypti.

18 Fecerúntque similiter malefici incantationibus suis ut educerent sciniphes, & non potuerunt: erántque sciniphes tam in hominibus quàm in jumentis.

19 Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic, induratúmque est cor Pharaonis, E & non audivit eos sicut præceperat Dominus.

20 Dixit quoque Dñs ad Moysen: Consurge diluculo, & sta coram Pharaone; egredietur enim ad aquas: & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi.

21 Quod si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te, & in servos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas, omne genus muscarum, & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis, & universa terra in qua fuerint.

22 Faciámque mirabilem in die illa Terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ: F & scias quoniam ego Dominus in medio terræ.

23 Ponámque divisionem inter populum meum & populum tuum: cras erit signum istud.

24 Fecítque Dominus ita. * Et venit musca gravíssima in domos Pharaonis & servorum ejus, & * Sap. 16.b.9. in omnem Terram Ægypti, corruptáque est terra ab hujuscemodi muscis.

25 Vocavítque Pharao, Moysen & Aaron, & ait eis: Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac.

26 Et ait Moyses: Non potest ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino G Deo nostro. quòd si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptij coram eis, lapidibus nos obruent.

27 Viam trium dierum pergemus in solitudinem: & sacrificabimus Domino Deo nostro * sicut præ- * Sup. 5. f. 18. cepit nobis.

28 Dixítque Pharao: Ego dimittam vos ut sacrificetis Domino Deo vestro in deserto: veruntámen longiùs ne abeatis, rogate pro me.

29 Et ait Moyses: Egressus à te, orabo Dominum: & recedet musca à Pharaone, & à servis suis, & à populo ejus cras: veruntamen noli ultrà fallere, ut non dimittas populum sacrificare Domino.

30 Egressúsque Moyses à Pharaone, oravit Dñm.

31 Qui fecit juxta verbum illius: & abstulit muscas à Pharaone, & à servis suis, & à populo ejus: non superfuit ne una quidem.

32 Et ingravatum est cor Pharaonis, ita ut nec hac quidem vice dimitteret populum.

Caput IX.

Quinta plaga est pestis in jumentis, sexta ulcerum, septima grandinis; ad quam promittit Pharao se dimissurum populum si cesset; verum nec id complet: nullus autem filiorum Israël in his malis ullum patitur damnum.

1 Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum: Hæc A dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi.

2 Quòd si adhuc renuis, & retines eos:

3 Ecce manus mea erit super agros tuos: & super equos, & asinos, & camelos, & boves, & oves, pestis valdè gravis.

4 Et faciet Dominus mirabile, inter possessiones Israël, & possessiones Ægyptiorum, ut nihil omninò pereat ex his quæ pertinent ad filios Israël.

5 Constituítque Dominus tempus, dicens: Cras B faciet Dominus verbum istud in terra.

6 Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die: mortuáque sunt omnia animantia Ægyptiorum de animalibus

animalibus verò filiorum Israël nihil omnino periit.

7 Et misit Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israël. Ingravatúmq; est cor Pharaonis, & non dimisit populum.

8 Et dixit Dominus ad Moysen & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cælum coram Pharaone:

9 Sítque pulvis super omnem Terram Ægypti: erunt enim in hominibus & jumentis ulcera, & vesicæ turgentes, in universa Terra Ægypti.

10 Tulerúntque cinerem de camino, & steterũt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cælum: factáque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus & jumentis:

C 11 Nec poterãt malefici stare corã Moyse propter ulcera quæ in illis erant, & in omni Terra Ægypti.

12 Induravítque Dominus cor Pharaonis, & nõ audivit eos sicut locutus est Dominus ad Moysen.

13 Dixítque Dominus ad Moysen: Manè consurge, & sta coram Pharaone. & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hæbræorum: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi.

14 Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super servos tuos, & super populum tuum: ut scias quòd non sit similis mei in omni terra.

15 Nunc enim extendens manum percutiam te & populum tuum peste, peribísque de terra.

D 16 * Idcircò autem posui te, ut ostendam in te * Rom. 9. d. 17. fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.

17 Adhuc retines populum meum: & non vis dimittere eum?

18 En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, à die qua fundata est, usque in præsens tempus.

19 Mitte ergo jam nunc, & congrega jumenta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim, & jumenta, & universa quæ inventa fuerint foris, nec congregata de agris, ceciderítque super ea grando, morientur.

20 Qui timuit verbum Dñi de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos & jumenta in domos:

21 Qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos & jumenta in agris.

E 22 Et dixit Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum, ut fiat grando in universa Terra Ægypti super homines, & super jumenta, & super omnem herbam agri in Terra Ægypti.

* Sap. 16. c. 16. & 19. d. 19. 23 * Extendítque Moyses virgam in cælum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: pluítque Dominus grandinem super terram Ægypti.

24 Et grando & ignis mista pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quanta antè nunquam apparuit in universa Terra Ægypti ex quo gens illa condita est.

25 Et percussit grando in omni Terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum, cunctámque herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit.

F 26 Tantùm in terra Gessen, ubi erant filij Israël, grando non cecidit.

27 Misítque Pharao, & vocavit Moysen & Aaron, dicens ad eos: Peccavi etiam nunc: Dominus justus: ego & populus meus, impij.

28 Orate Dominum ut desinant tonitrua Dei, & grando: ut dimittam vos, & nequaquam hic ultrà maneatis.

29 Ait Moyses: Cùm egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessábunt tonitrua, & grando non erit: ut scias quia Domini est terra:

30 Novi autem, quòd & tu, & servi tui, necdum timeatis Dominum Deum.

31 Linum ergo & hordeum læsum est, eò quòd G hordeum esset virens, & linum jam folliculos germinaret:

32 Triticum autem & far non sunt læsa, quia serotina erant.

33 Egressúsque Moyses à Pharaone ex urbe, tetendit manus ad Dominum: & cessáverunt tonitrua & grãdo, nec ultrà stillavit pluvia super terrã.

34 Videns autem Pharao quòd cessásset pluvia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum:

35 Et ingravatum est cor ejus, & servorum illius, & induratum nimis: nec dimisit filios Israël, sicut præceperat Dominus per manum Moysi.

Caput X.

Octavum signum est locustarum; quibus ablatis, obduratus Pharao ne sic quidem juxta conditum dimittit populum: quapropter nonum additur, nempe tenebrarum densissimarum, propter quas permittit Pharao ut exeant, sed protinus idem denegat, Moysique minatur.

1 Et dixit Dominus ad Moysen: Ingredere A ad Pharaonem: ego enim induravi cor ejus, & servorum illius: ut faciam signa mea hæc in eo,

2 Et narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, & signa mea fecerim in eis: & sciatis quia ego Dominus.

3 Introierunt ergo Moyses & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei: Hæc dicit Dñs Deus Hebræorum: Usquequò non vis subjici mihi? dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.

4 * Sin autem resistis, & non vis dimittere eum: * Sap. 16. ecce ego inducam cras locustam in fines tuos: b.9.

5 Quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam ejus appareat, sed comedatur quod residuum fue- B rit grandini. corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris.

6 Et implebunt domos tuas, & servorum tuorum, & omnium Ægyptiorum: quantam non viderunt patres tui, & avi ex quo orti sunt super terram usque in præsentem diem. Avertítque se, & egressus est à Pharaone.

7 Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum: Usquequò patiemur hoc scandalum: dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo. nónne vides quòd perierit Ægyptus.

8 Revocaverúntque Moysen & Aaron ad C Pharaonem: qui dixit eis: Ite, sacrificate Domino Deo vestro: quinam sunt qui ituri sunt?

9 Ait Moyses: Cum parvulis nostris & senioribus pergemus, cum filiis & filiabus, cum ovibus & armentis: est enim sollemnitas Domini Dei nostri.

10 Et respondit Pharao: Sic Dominus sit vobiscum, quo modo ego dimittam vos, & parvulos vestros. cui dubium est quòd pessimè cogitetis?

Universidad de Deusto
Biblioteca

11 Non fiet ita,sed ite tantùm viri,& sacrificate Domino: hoc enim & ipsi petistis. Statímque ejecti sunt de conspectu Pharaonis.

D 12 Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam, & devoret omnem herbam quæ residua fuerit grandini.

13 Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti:& Dominus induxit ventum urentem tota die illa & nocte:& manè facto,ventus urens levavit locustas.

14 Quæ ascenderunt super universam Terram Ægypti: & sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant:nec posteà futuræ sunt.

E 15 Operuerúntque universam superficiem terræ,vastantes omnia.Devorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grādo dimiserat:nihílque omnino virens relictum est in lignis & in herbis terræ, in cuncta Ægypto.

16 Quamobrem festinus Pharao vocavit Moysen & Aaron, & dixit eis: Peccavi in Dominum Deum vestrum, & in vos.

17 Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat à me mortem istam.

18 Egressúsque Moyses de conspectu Pharaonis, oravit Dominum.

F 19 Qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, & arreptam locustam projecit in Mare rubrum: non remansit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti.

20 Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israël.

21 Dixit autem Dominus ad Moysen:Extende manum tuam in cælum:& sint tenebræ super Terram Ægypti,tam densæ ut palpari queant.

22 Extendítque Moyses manum in cælum: & factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus.

*Sap.17. a.2. 23 *Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat: *Ubicumque autem habitabant filij Israël, lux erat.
*Sap.18. a.1.

G 24 Vocavítque Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis:Ite, sacrificate Domino:oves tantùm vestræ & armēta remaneāt, parvuli vestri eant vobiscum.

25 Ait Moyses: Hostias quoque & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro.

26 Cuncti greges pergēt nobiscū:non remanebit ex eis ungula: quæ necessária sunt in cultum Dñi Dei nostri:præsertim cùm ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perveniamus.

27 Induravit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos.

28 Dixítque Pharao ad Moysen:Recede à me, & cave ne ultrà videas faciem meam:quocumque die apparueris mihi,morieris.

29 Respondit Moyses:Ita fiet ut locutus es, non videbo ultrà faciem tuam.

Caput XI.

Ante decimum signum quod prædicit Dominus, hortatur ad Ægypti spoliationem.

A 1 Et dixit Dominus ad Moysen: Adhuc una plaga tangam Pharaonem & Ægyptum, & post hæc dimittet vos, & exire compellet.

2 *Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo,& mulierà vicina sua, vasa argentea, & aurea. *Sup.3. c.22. Inf.12. c.35.

3 Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis.*Fuítque Moyses vir magnus valdè in Terra Ægypti, coram servis Pharaonis & omni populo. *Eccli. 45.a.1.

4 Et ait:Hæc dicit Dominus:Media nocte egrediar in Ægyptum: B

5 Et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis qui sedet in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam,& omnia primogenita jumentorum.

6 Erítque clamor magnus in universa Terra Ægypti,qualis nec antè fuit,nec posteà futurus est. C

7 Apud omnes autem filios Israël non mutiet canis ab homine usque ad pecus: ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios & Israël.

8 Descendéntque omnes servi tui isti ad me, & adorabunt me,dicentes:Egredere tu, & omnis populus qui subjectus est tibi:post hæc egrediemur. D

9 Et exivit à Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moysen. Non audiet vos Pharao, ut multa signa fiant in terra Ægypti.

10 Moyses autem & Aaron fecerunt omnia ostenta quæ scripta sunt, coram Pharaone. Et induravit Dominus cor Pharaonis,nec dimisit filios Israël de terra sua.

Caput XII.

Paschalis agni ritu declarato ac celebrato, ejúsque sanguine domorum superliminaribus illito, cæsis omnibus Ægypti primogenitis, Israelita cum divitiis Ægypti egrediuntur:de ritu Phasæ ac esu azymorum, & tempore habitationis Israël in Ægypto.

1 Dixit quoque Dominus ad Moysen & Aaron in Terra Ægypti: A

2 Mensis iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.

3 Loquimini ad universum cœtum filiorum Israël, & dicite eis: Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas.

4 Sin autem minor est numerus,ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui junctus est domui suæ,juxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni.

5 Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus:juxta quem ritum tolletis & hœdum.

6 Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus: immolabítque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam.

7 Et sument de sanguine ejus ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum,in quibus comedent illum. B

8 Et edent carnes nocte illa assas igni,& azymos panes cum lactucis agrestibus.

9 Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm assum igni: caput cum pedibus ejus & intestinis vorabitis.

10 Nec remanebit quidquam ex eo usque manè. si quid residuum fuerit,igne comburetis.

11 Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis,& calceamenta habebitis in pedibus, tenentes

tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter: est enim Phasæ (id est transitus) Domini.

12 Et transibo per Terram Ægypti nocte illa, percutiámque omne primogenitū in Terra Ægypti ab homine usque ad pecus: & in cunctis diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus.

13 Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis: & videbo sanguinem,& transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero Terram Ægypti.

C 14 Habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eam sollemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.

15 Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël,à primo die usque ad diem septimum.

16 Dies prima erit sancta atque sollemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.

17 Et observabitis azyma: in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de Terra Ægypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo.

*Lev. 23.a.5. Numer. 28.c.16. 18 *Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam, comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam.

19 Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israël, tam de advenis quàm de indigenis terræ.

D 20 Omne fermentatum non comedetis:in cunctis habitaculis vestris edetis azyma.

21 Vocavit autem Moyses omnes seniores filiorum Israël,& dixit ad eos: Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phasæ.

*Heb. 12.a.28. 22 *Fasciculúmque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & utrumque postem: nullus vestrûm egrediatur ostium domus suæ usque manè.

23 Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cúmque viderit sanguinem in superliminari, & in utroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere.

24 Custodi verbum istud legitimum tibi & filiis tuis usque in æternum.

25 Cúmque introieritis terram,quam Dominus daturus est vobis ut pollicitus est,observabitis ceremonias istas.

26 Et cùm dixerint vobis filij vestri: Quæ est ista religio?

27 Dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans. Incurvatúsque populus adoravit.

28 Et egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron.

E 29 Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in Terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat* usque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum jumentorum.

*Sup. 11.b.5. Sap.18. a.5.

30 Surrexítque Pharao nocte, & omnes servi ejus, cunctáque Ægyptus, & ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus.

31 Vocatísque Pharao Moyse & Aaron nocte, ait: Surgite & egredimini à populo meo,vos & filij Israël: ite, immolate Domino sicut dicitis.

32 Oves vestras & armenta assumite ut petieratis, & abeuntes benedicite mihi.

33 Urgebántque Ægyptij populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur.

34 Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur: & ligans in palliis, posuit super humeros suos.

35 Fecerúntque filij Israël * sicut præceperat Moyses: & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & aurea, vestémque plurimam. *Sup. 11.a.2.

36 Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut commodarent eis: & spoliaverunt Ægyptios.

37 Profectíque sunt filij Israël de Rameste in Socoth, sexcenta ferè millia peditum virorum, absque parvulis. F

38 Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves & armenta & animantia diversi generis multa nimis.

39 Coxerúntque farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant: & fecerunt subcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quidquam occurrerat præparare.

40 Habitatio autem filiorum Israël qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.

41 Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de Terra Ægypti.

42 Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de Terra Ægypti: hanc observare debent omnes filij Israël in generationibus suis.

43 Dixítque Dominus ad Moysen & Aaron: G Hæc est religio Phasæ: Omnis alienigena non comedet ex eo.

44 Omnis autem servus emptitius circumcidetur, & sic comedet.

45 Advena & mercenarius non edent ex eo.

46 * In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis. *Num. 9.b.12. Ioan.19. a.36.

47 Omnis cœtus filiorum Israël faciet illud.

48 Quòd si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phasæ Domini, circumcidetur priùs omne masculinum ejus, & tunc ritè celebrabit: erítque sicut indigena terræ: si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.

49 Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos.

50 Feceruntque omnes filij Israël sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron.

51 Et eadem die eduxit Dominus filios Israël de Terra Ægypti per turmas suas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput XIII.

Liberationis ab Ægypto Dominus religione Phasc ac primogenitorum consecratione meminisse jubet. Inde Israël per desertum egrediens, ossa Ioseph secum defert, & columnæ ignis ac nubis ducatum accipit.

A 1 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens:
2 * Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israël, tam de hominibus quàm de jumentis: mea sunt enim omnia.
3 Et ait Moyses ad populum: Mementote diei hujus in qua egressi estis de Ægypto & de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto: ut non comedatis fermentatum panem.
4 Hodie egredimini mense novarum frugum.
5 Cúmque introduxerit te Dominus in Terram Chananæi & Hethæi & Amorrhæi & Hevæi & Jebusæi, quam juravit patribus tuis ut daret tibi, terram fluentem lacte & melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto.
6 Septem diebus vescêris azymis, & in die septimo erit sollemnitas Domini.
7 Azyma comedetis septem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.
B 8 Narrabísque filio tuo in die illo, dicens: Hoc est quod fecit mihi Dominus quando egressus sum de Ægypto.
9 Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos: & ut lex Domini semper sit in ore tuo, in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto.
10 Custodies hujuscemodi cultum statuto tempore à diebus in dies.
11 Cúmque introduxerit te Dominus in Terram Chananæi sicut juravit tibi & patribus tuis, & dederit tibi eam:
* *Infr. 22. d. 29. 34. c. 19. Ezech. 44. g. 30.* 12 * Separabis omne quod aperit vulvam Domino, & quod primitivum est in pecoribus tuis: quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino.
13 Primogenitum asini mutabis ove: quod si non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes.
C 14 Cúmque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid est hoc? respondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti de domo servitutis.
15 Nam cùm induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito hominis usque ad primogenitum jumentorum: idcircò immolo Domino omne quod aperit vulvam masculini sexus, & omnia primogenita filiorum meorũ redimo.
Deut. 6. b. 8. 16 * Erit igitur quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid, ob recordationem, inter oculos tuos: eò quòd in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto.
17 Igitur cùm emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim quæ vicina est: reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, & reverteretur in Ægyptum.
D 18 Sed circumduxit per viam deserti, quæ est juxta Mare rubrum: & armati ascenderunt filij Israël de Terra Ægypti.
19 Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum: eò quòd adjurasset filios Israël dicens: * Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum. ** Gen. 50. d. 24.*
20 Profectíque de Socoth castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis.
21 * Dominus autẽ præcedebat eos ad ostendendã viam per diem in columna nubis, & per noctem in colũna ignis: ut dux esset itineris utroque tempore. ** Num. 14. c. 14. 1. Cor. 10. a. 1. 2. Esd. 9. d. 19.*
22 Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.

Caput XIV.

Pharao Israëlem persequens, & mare per siccum post illum ingrediẽs, cũ universo equitatu ac curribus submergitur.

1 Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: A
2 Loquere filiis Israël: Reversi castrametentur è regione Phiahiroth, quæ est inter Magdalum & mare contra Beelsephon: in conspectu ejus castra ponetis super mare.
3 Dicturúsque est Pharao super filiis Israël: Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum.
4 Et indurabo cor ejus, ac persequetur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu ejus. Sciéntque Ægyptij quia ego sum Dominus. Feceruntque ita.
5 Et nuntiatum est regi Ægyptiorũ quòd fugisset populus: immutatúmq; est cor Pharaonis & servorũ ejus super populo, & dixerunt: Quid voluimus facere ut dimitteremus Israël, ne serviret nobis? B
6 Junxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum.
7 Tulítque sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit: & duces totius exercitus:
8 Induravítque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, & persecutus est filios Israël: at illi egressi erant in manu excelsa.
9 * Cúmque persequerentur Ægyptij vestigia præcedentium, repererunt eos in castris super mare: omnis equitatus & currus Pharaonis: & universus exercitus, erãt in Phihahiroth cõtra Beelsephõ. ** 1. Mac. 4. a. 9. Ios. 24. b. 6.*
10 Cúmque appropinquasset Pharao, levantes filij Israël oculos, viderunt Ægyptios post se: & timuerunt valdè: clamaverúntque ad Dominum, C
11 Et dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideò tulisti nos ut moreremur in solitudine: quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto?
12 Nónne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto dicentes: Recede à nobis ut serviamus Ægyptiis? multò enim melius erat servire eis, quàm mori in solitudine.
13 Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: state, & videte magnalia Domini quæ facturus est hodie: Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultrà videbitis usque in sempiternum.
14 Dñs pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.
15 Dixítque Dominus ad Moysen: Quid clamas ad me? Loquere filiis Israël ut proficiscantur. D
16 Tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud: ut gradiantur filij Israël in medio mari per siccum.

17 Ego

17 Ego autem indurabo cor Ægyptiorum ut persequantur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu ejus, & in curribus & in equitibus illius.
18 Et scient Ægyptij quia ego sum Dominus, cùm glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus atque in equitibus ejus.
19 Tollénsque se angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abiit post eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum.
E 20 Stetit inter castra Ægyptiorũ & castra Israël: & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent.
21 Cúmque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi & urente tota nocte, & vertit in siccum: divisáque est aqua.
** Ps. 77. b. 13. 104. d. 37. Ps. 113. a. 3. Heb. 11. f. 29.* 22 * Et ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & læva.
23 Persequentésque Ægyptij ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus ejus & equites, per medium maris.
** Sap. 18. c. 15.* 24 Jámque advenerat vigilia matutina, * & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum: F
25 Et subvertit rotas curruum, ferebantúrque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptij: Fugiamus Israëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.
26 Et ait Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus & equites eorum.
27 Cúmque extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibúsque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus.
G 28 Reversæque sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec unus quidem superfuit ex eis.
29 Filij autem Israël perrexerunt per medium sicci maris, & aquæ eis erant quasi pro muro à dextris & à sinistris:
30 Liberavítque Dominus in die illa Israël de manu Ægyptiorum.
31 Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: timuítque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi servo ejus.

Caput XV.

Israëlita, gratiis Deo cum cantu peractis, venerunt in Marath; ubi amaritudine aquarum versa in dulcedinem, venerunt in Elim.

A 1 Tunc * cecinit Moyses & filij Israël carmen hoc Domino: & dixerunt: Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare.
** Sap. 10. d. 20.*
** Isa. 12. a. 2. Ps. 117. c. 14.* 2 * Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.
3 Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.
4 Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare: electi principes ejus submersi sunt in Mari rubro.
5 Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.
6 Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine: dextera tua, Domine, percussit inimicum.
7 Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos: misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam.
8 Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ: B stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.
9 Dixit inimicus: Persequar & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea: evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.
10 Flavit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.
11 Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?
12 Extendisti manũ tuam, & devoravit eos terra.
13 Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti: & portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum.
14 Ascenderunt populi, & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim.
15 Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.
16 Irruat super eos formido & pavor, in magni- C tudine brachij tui: fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.
17 Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine: sanctuarium tuum Domine, quod firmaverunt manus tuæ.
18 Dominus regnabit in æternum & ultrà.
19 Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus ejus in mare: & reduxit super eos Dominus aquas maris: filij autem Israël ambulaverunt per siccum in medio ejus.
20 Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris,
21 Quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem ejus dejecit in mare.
22 Tulit autem Moyses Israël de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur: ambulaverúntque tribus diebus per solitudinem, & non inveniebant aquam.
23 Et venerunt in Mara, nec poterant bibere D aquas de Mara, eò quòd essent amaræ: unde & congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, id est amaritudinem.
24 Et murmuravit populus contra Moysen, dicens, quid bibemus?
25 At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum: quod * cùm misisset in aquas, in dulce- ** Judith 5. c. 15. Eccl. 38. a. 5.* dinem versæ sunt. ibi constituit ei præcepta, atque judicia, & ibi tentavit eum.
26 Dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

& quod rectum est coram eo feceris, & obedieris mandatis ejus, custodierísque omnia præcepta illius,cunctum languorẽ,quem posui in Ægypto,non inducam super te:ego enim Dominus sanator tuus.

* Num. 33.b.9. 27 * Venerunt autem in Elim filij Israël,ubi erãt duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ: & castrametati sunt juxta aquas.

Caput XVI.

Murmurantibus in Sin pro cibo Israëlitis,pluit Dominus coturnices & Man ad saturitatem:jussio Domini de eo colligendo,& in monumentum reponendo.

A 1 PRofectíque sũt de Elim,& venit omnis multitudo filiorum Israël in desertum Sin, quod est inter Elim & Sinaï: quintodecimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti.

Sap. 11. a.2.

2 Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israël contra Moysen & Aaron in solitudine.

3 Dixerúntque filij Israël ad eos:Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium,& comedebamus panem in saturitate:cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?

B 4 Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce, ego pluam vobis panes de cælo: egrediatur populus,& colligat quæ sufficiunt per singulos dies:ut tentem eum utrùm ambulet in lege mea,an non.

5 Die autem sexto parent quod inferant: & sit duplum quàm colligere solebant per singulos dies.

6 Dixerúntque Moyses & Aaron ad omnes filios Israël:Vespere scietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti:

7 Et manè videbitis gloriam Domini: audivit enim murmur vestrum contra Dominum:nos verò quid sumus,quia mussitastis contra nos?

8 Et ait Moyses:Dabit vobis Dominus vespere carnes edere,& manè panes in saturitate:eò quòd audierit murmurationes vestras quibus murmurati estis cõtra eum: nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum,sed contra Dominum.

C 9 Dixit quoque Moyses ad Aaron:Dic universæ congregationi filiorum Israël:Accedite coram Domino:audivit enim murmur vestrum.

10 Cúmque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israël,respexerunt ad solitudinem:& ecce * gloria Domini apparuit in nube.

* Eccli. 45.a.3.

11 Locutus est autem Dominus ad moysen, dicens:

12 Audivi murmurationes filiorũ Israël, loquere ad eos: Vespere comedetis carnes, & manè saturabimini panibus:scietísque quòd ego sum Dominus Deus vester.

13 Factum est ergo vespere,& ascendens coturnix,cooperuit castra: manè quoque ros jacuit per circuitum castrorum.

D 14 Cúmque operuisset superficiem terræ,* apparuit in solitudine minutum,& quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram.

* Num. 11.b.7. Psal.77. c.24. Sap.16. c.20. Ioan.6. d.31. * 1. Cor. 10.a.3.

15 Quod cum vidissent filij Israël,dixerunt ad invicem:Manhu:quod significat:Quid est hoc?ignorabant enim quid esset.Quibus ait Moyses:* Iste est panis,quẽ Dominus dedit vobis ad vescendum.

16 Hic est sermo, quem præcepit Dominus: Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum: gomor per singula capita, juxta numerum animarum vestrarum quæ habitant in tabernaculo sic tolletis.

17 Fecerúntque ita filij Israël: & collegerunt alius plus,alius minus.

18 Et mensi sunt ad mensuram gomor: * nec qui plus collegerat,habuit amplius:nec qui minus paraverat,reperit minus:sed singuli juxta id quod edere poterant,congregaverunt. E * 2. Cor. 8.c.15.

19 Dixítque Moyses ad eos: Nullus relinquat ex eo in manè.

20 Qui non audierunt eum,sed dimiserunt quidam ex eis usque manè, & scatere cœpit vermibus,atq;computruit.& iratus est cõtra eos Moyses.

21 Colligebant autem manè singuli,quantum sufficere poterat ad vescendum: cúmque incaluisset sol,liquefiebat.

22 In die autem sexta collegerunt cibos duplices,id est duo gomor per singulos homines:venerunt autem omnes principes multitudinis, & narraverunt Moysi.

23 Qui ait eis:Hoc est quod locutus est Dominus: Requies sabbati sanctificata est Domino cras. quodcunque operandum est, facite: & quæ coquenda sunt coquite: quidquid autem reliquum fuerit,reponite usque in manè.

24 Fecerúntque ita ut præceperat Moyses, & non computruit,neque vermis inventus est in eo.

25 Dixítque Moyses: Comedite illud hodie, quia sabbatum est Domini: non invenietur hodie in agro. F

26 Sex diebus colligite: in die autem septimo sabbatum est Domini,idcircò non invenietur.

27 Venítque septima dies: & egressi de populo ut colligerent,non invenerunt.

28 Dixit autem Dominus ad Moysen:Usquequò non vultis custodire mandata mea, & legẽ meam?

29 Videte quòd Dominus dederit vobis sabbatum, & propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices: maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo.

30 Et sabbatizavit populus die septimo.

31 Appellavítque domus Israël nomen ejus Man: quod erat quasi semen coriandri album, gustúsque ejus quasi similæ cum melle.

32 Dixit autem Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes, ut noverint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de Terra Ægypti. G

33 Dixítque Moyses ad Aaron:Sume vas unum, & mitte ibi Man, quantum potest capere gomor: & repone coram Domino ad servandum in generationes vestras,

34 Sicut præcepit Dominus Moysi. Posuítque illud Aaron in tabernaculo reservandum.

35 * Filij autem Israël comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt,usquequò tangerent fines terræ Chanaan. * 2. Esdr. 9.d.21. Iudith. 5.c.15.

36 Gomor autem decima pars est Ephi.

Caput

Caput XVII.

Rursum murmurantibus in Raphidim pro aqua filiis Israël, dat Dominus aquam de petra: & in monte Moysè extensis manibus orante, vincunt ipsi Amalecitas.

A 1 IGitur profecta omnis multitudo filiorum Israël de deserto Sin per mansiones suas, juxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo.

* Num. 20.a.4. 2 * Qui jurgatus contra Moysen,ait: Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses: Quid jurgamini contra me?cur tentatis Dominum?

3 Sitivit ergo ibi populus præ aquæ penuria, & murmuravit contra Moysen, dicens: Cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos,& liberos nostros,ac jumenta, siti?

B 4 Clamavit autem Moyses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? adhuc paululùm, & lapidabit me.

5 Et ait Dominus ad Moysen:Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israël: & virgam qua * percussisti fluvium,tolle in manu tua,& vade.

* Sup.14. c.21. Psal.77. b.15. 1. Cor. 10.a.4.

6 En ego stabo ibi coram te, supra petram Horeb: percutiésque petram,& exibit ex ea aqua, ut bibat populus. Fecit Moyses ita coram senioribus Israël:

7 Et vocavit nomen loci illius,Tentatio,propter jurgium filiorum Israël, & quia tentaverunt Dominum,dicentes:Est ne Dominus in nobis,an non?

C 8 * Venit autem Amalec: & pugnabat contra Israël in Raphidim.

* Deut. 25. d. 17. Iudith 4.c.13. Sap.11. a.3.

9 Dixítque Moyses ad Josue: Elige viros: & egressus, pugna contra Amalec: cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea.

10 Fecit Josue ut locutus erat Moyses, & pugnavit contra Amalec: Moyses autem & Aaron & Hur ascenderunt super verticem collis.

11 Cúmque levaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec.

12 Manus autem Moysi erant graves:sumentes D igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit:Aaron autem & Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte.Et factum est ut manus illius non lassarentur usque ad occasum solis.

13 Fugavítque Josue Amalec, & populum ejus in ore gladij.

14 Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Josue: delebo enim memoriam Amalec sub cælo.

15 Ædificavítque Moyses altare:& vocavit nomen ejus,Dominus exaltatio mea, dicens:

16 Quia manus solij Domini, & bellum Domini, erit contra Amalec, à generatione in generationem.

Caput XVIII.

Iethro socer Moysi uxorem cum filiis ad eum reduxit: & auditis Dei operibus;cum Domino sacrificasset, sanum consilium Moysi dedit in constituendis judiciorum magistratibus.

A 1 CUmque audisset Jethro, sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat Deus Moysi,& Israëli populo suo,& quòd eduxisset Dominus Israël de Ægypto:

2 Tulit Sephoram uxorem Moysi quam remiserat:

3 Et duos filios ejus, quorum unus vocabatur Gersam,dicente patre:* Advena fui in terra aliena. * Sup.2. d.22.

4 Alter verò Eliezer:Deus enim,ait,patris mei adjutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis.

5 Venit ergo Jethro cognatus Moysi,& filij ejus, & uxor ejus, ad Moysen in desertum, ubi erat castrametatus juxta montem Dei.

6 Et mandavit Moysi,dicens:Ego Jethro cognatus tuus venio ad te, & uxor tua, & duo filij tui cum ea.

7 Qui egressus in occursum cognati sui, adoravit, & osculatus est eum: salutaverúntque se mutuò verbis pacificis. Cúmque intrasset tabernaculum.

8 Narravit Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni, & Ægyptiis propter Israël; universúmque laborem, qui accidisset eis in itinere,& quòd liberaverat eos Dominus. B

9 Lætatúsque est Jethro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israëli, eò quòd eruisset eum de manu Ægyptiorum,

10 Et ait, Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu Ægyptiorum,& de manu Pharaonis, qui eruit populum suum de manu Ægypti.

11 Nunc cognovi,quia magnus Dominus super omnes deos: eò quòd * superbè egerint contra illos. * Sup.1. b.14. 5.b.7. 10.c.10. 14.b.8.

12 Obtulit ergo Jethro cognatus Moysi holocausta & hostias Deo: venerúntque Aaron & C omnes seniores Israël, ut comederent panem cum eo coram Deo.

13 Altera autem die sedit Moyses, ut judicaret populum, qui assistebat Moysi à manè usque ad vesperam.

14 Quod cùm vidisset cognatus ejus,omnia scilicet quæ agebat in populo,ait:Quid est hoc quod facis in plebe? cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de manè usque ad vesperam?

15 Cui respondit Moyses: Venit ad me populus quærens sententiam Dei.

16 Cúmque acciderit eis aliqua disceptatio,veniunt ad me ut judicem inter eos, & ostendam præcepta Dei & leges ejus.

17 At ille: Non bonam, inquit, rem facis:

18 Stulto labore consumeris & tu & populus iste qui tecum est: ultra vires tuas est negotium,* solus illud non poteris sustinere. * Deut. 1.c.12.

19 Sed audi verba mea atque consilia, & erit Deus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum:

20 Ostendásque populo ceremonias & ritum colendi, viámque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant.

21 Provide autem de omni plebe viros potentes,& timentes Deum,in quibus sit veritas,& qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones,& quinquagenarios, & decanos, D

22 Qui judicent populum omni tempore:quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodò judicent: leviúsque sit tibi, partito in alios onere.

23 Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta

Universidad de Deusto
Biblioteca

præcepta ejus poteris sustentare : & omnis hic populus revertetur ad loca sua cum pace.

24 Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat.

25 Et electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.

26 Qui judicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodò judicantes.

27 Dimisitque cognatum suum qui reversus abiit in terram suam.

Caput XIX.

Juxta montem Sinai commemorato liberationis ex Ægypto beneficio, populus sanctificari jubetur, ut descendat Dominus in fulgure & tonitru, coram omni plebe Moysi locuturus.

A *Numer. 33.c.15.*

1 Mense tertio egressionis Israël de Terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai.

2 Nam profecti de Raphidim, & pervenientes usq; in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique Israël fixit tentoria è regione montis.

**Act.7. c.38.*

3 * Moyses autem ascendit ad Deum, vocavítque eum Dominus de monte, & ait : Hæc dices domui Jacob, & annuntiabis filiis Israël:

**Deut. 29.a.2.*

4* Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.

5 Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis:* mea est enim omnis terra.

** Psal.23. a.1.*

** 1. Pet. 2.b.9.*

6 * Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. hæc sunt verba quæ loquêris ad filios Israël.

B

7 Venit Moyses: & convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandaverat Dominus.

8 Respondítque omnis populus simul : Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Cúmque retulisset Moyses verba populi ad Dominum,

9 Ait ei Dominus : Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Nuntiavit ergo Moyses verba populi ad Dominum.

10 Qui dixit ei : Vade ad populum: & sanctifica illos hodie & cras, lavéntque vestimenta sua.

11 Et sint parati in diem tertium : in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai.

C

12 Constituésque terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cavete ne ascendatis in montem,* nec tangatis fines illius : omnis qui tetigerit montem, morte morietur.

** Hebr. 12.c.18.*

13 Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis: sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet, cùm cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem.

14 Descenditque Moyses de monte ad populum, & sanctificavit eum. Cúmque lavissent vestimenta sua,

15 Ait ad eos : Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris.

16 Jámque advenerat tertius dies, & manè inclaruerat: & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangórque buccinæ vehementiùs perstrepebat: & timuit populus qui erat in castris.

17 Cúmque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterũt ad radices montis.

18 * Totus autem mons Sinai fumabat: eò quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace : erátque omnis mons terribilis. D ** Deut. 4.b.11.*

19 Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus, & prolixiùs tendebatur: Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei.

20 Descendítque Dominus super montem Sinaï in ipso montis vertice, & vocavit Moysen in cacumen ejus. Quò cùm ascendisset,

21 Dixit ad eum: Descende, & contestare populum : ne fortè velit transcendere terminos ad videndum Dominum : & pereat ex eis plurima multitudo.

22 Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.

23 Dixítque Moyses ad Dominum: Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai: tu enim testificatus es, & jussisti, dicens: Pone terminos circa montem, & sanctifica illum.

24 Cui ait Dominus : Vade, descende : ascendésque tu, & Aaron tecum. sacerdotes autem & populus ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne fortè interficiat illos.

25 Descendítque Moyses ad populum, & omnia narravit eis.

Caput XX.

Moyses decalogum à Domino auditum tersito populo narrat, ac terreum aut lapideum de infectis lapidibus altare fieri jubet, ad quod non sit per gradus ascendendum.

A

1 Locutúsque est Dñs cunctos sermones hos :

2 *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. ** Deut. 5.a.6. Ps. 80. c.11.*

3 Non habebis deos alienos coram me.

4 * Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. ** Levit. 26.a.3. Deut. 4. c.15. Ios. 24. c.14. Ps.96. b.7.*

5 Non adorabis ea, neque coles : ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me:

6 Et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. B

7 * Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. ** Levit. 19.c.12. Deut. 5. b.11. Matt. 5. c.33.*

8 * Memento ut diem sabbati sanctifices. **Ioel.3. c.13. Ezech. 20.b.12.*

9 Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.

10 Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est : non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus & filia tua: servus tuus & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui est intra portas tuas. *Deut. 5. b.13.*

11 * Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcircò benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificavit eum. **Gen.2. a.2.*

12 *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. ** Deut. 5. b.16. Mat.15. a.4. Ephes.6. a.2.*

13 Non

C

13 * Non occides. ** Matth. 5.c.21. Rom. 7. b.7.13. c.8.*

14 Non mœchaberis.

15 Non furtum facies.

16 Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.

17 Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

18 Cunctus autẽ populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumãtem: & perterriti ac pavore concussi, steterunt procul,

19 Dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dñs, ne fortè moriamur.

20 Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: ut enim probaret vos venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis.

** Deut. 20.c.16. Heb.12. c.18.*

21 Stetítque populus de longè. * Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus.

D

22 Dixit prætereà Dominus ad Moysen : Hæc dices filiis Israël : Vos vidistis quòd de cælo locutus sim vobis.

23 Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis.

** Infr.27. b.8.38. a.7.*

24 * Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta & pacifica vestra, oves vestras & boves, in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei : veniam ad te, & benedicam tibi.

** Deut. 27.a.5. Ios. 8. f.31.*

25 * Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus : si enim levaveris cultrum super eo, polluetur.

26 Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.

Caput XXI.

Præcepta judicialia quoad emptitios servos, & ancillas, furta, homicidia, parricidia, parentum maledicta, rixas, & talionis pœnas, atque cornupetam bovem.

A

1 Hæc sunt judicia quæ proponeis eis.

** Deut. 15.c.12. Ierem. 34.c.14.*

2 Si * emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi : in septimo egredietur liber gratis.

3 Cum quali veste intraverit, cum tali exeat : si habens uxorem, & uxor egredietur simul.

4 Sin autem Dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios & filias : mulier & liberi ejus erunt domini sui, ipse verò exibit cum vestitu suo.

5 Quòd si dixerit servus : Diligo dominum meum & uxorem ac liberos, non egrediar liber:

B

6 Offeret eum dominus diis, & applicabitur ad ostium & postes, perforabítque aurem ejus subucula: & erit ei servus in sæculum.

7 Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt.

8 Si displicuerit oculis domini sui cui tradita fuerat, dimittet eam: populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreverit eam.

9 Sin autem filio suo desponderit eam, juxta morem filiarum faciet illi.

10 Quòd si alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias, & vestimenta, & pretium pudicitiæ non negabit.

11 Si tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pecunia.

** Levit. 24.c.17.*

12 * Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.

13 Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus: * constituam tibi locum in quem fugere debeat. C ** Deut. 19.a.3.*

14 Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo evelles eum, ut moriatur.

15 Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.

16 Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.

17 * Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur. ** Levit. 20.b.9. Prov. 20.c.20. Matth. 15.a.4. Marci 7. b.10.*

18 Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo : D

19 Si surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit, ita tamen ut operas ejus & impẽsas in medicos restituat.

20 Qui percusserit servum suum vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit.

21 Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est.

22 Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subjacebit damno quantum maritus mulieris experierit, & arbitri judicaverint.

23 Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, E

24 * Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, ** Levit. 24.d.20 Deut.19.d.21. Matt.5.f.38.*

25 Adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.

26 Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit.

27 Dentem quoque si excusserit servo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos.

28 Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur : & non comedentur carnes ejus, dominus quoque bovis innocens erit.

29 Quòd si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius, & contestati sunt dominum ejus, nec recluserit eum; occiderítque virum aut mulierem: & bos lapidibus obruetur, & Dñm ejus occident. F

30 Quòd si pretium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus.

31 Filium quoque & filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subjacebit.

32 Si servum ancillámq; invaserit, triginta siclos argenti dño dabit, bos verò lapidibus opprimetur. G

33 Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritq; bos aut asinus in eam,

34 Reddet dominus cisternæ pretium jumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit.

35 Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit : vendent bovem vivum, & dividentpretium, cadaver autem mortui inter se dispertient.

36 Sin autem sciebat quòd bos cornupeta esset ab heri & nudiustertius, & non custodivit eum Dominus suus: reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet.

E Caput

CAPUT XXII.

Furti damnig; illati pœna, depositi, cõmodati atq; stupri lex, idololatriæ supplicium: advenæ, viduæ & pupillo nocẽtium pœna: mutui, usura & pignoris lex, ac obedientiæ & decimarum.

A 1 SI quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit vel vendiderit: quinque boves pro
2. Reg. 12.b.6. uno bove restituet,* & quattuor oves pro una ove.

2 Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis.

3 Quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venumdabitur.

4 Si inventũ fuerit apud eum quod furatus est: vivẽs, sive bos, sive asinus, sive ovis: duplũ restituet.

5 Si læserit quispiam agrum vel vineam: & dimiserit jumentum suum ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet.

B 6 Si egressus ignis invenerit spinas, & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit.

7 Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in custodiam, & ab eo qui susceperat, furto ablata fuerint: si invenitur fur, duplum reddet.

8 Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, & jurabit quòd non extenderit manum in rem proximi sui,

9 Ad perpetrandam fraudem, tam in bove, quàm in asino, & ove ac vestimẽto, & quidquid damnum inferre potest: ad deos utriusque causa perveniet: & si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo.

10 Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, & omne jumentum, ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullúsque hoc viderit:

11 Jusjurandum erit in medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi sui: susciptétque dominus juramentũ: & ille reddere non cogetur.

C 12 * Quòd si furto ablatum fuerit, restituet
** Gen. 31.f.39.* damnum domino.

13 Si comestum à bestia, deferat ad eum quod occisum est, & non restituet.

14 Qui à proximo suo quidquam horum mutuò postulaverit, & debilitatum aut mortuum fuerit domino non præsente, reddere compelletur.

15 Quòd si impræsentiarum dominus fuerit, non restituet, maximè si conductum venerat pro mercede operis sui.

** Deut. 22.d. 28.* 16 * Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormierítque cum ea: dotabit eam, & habebit eam uxorem.

17 Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.

18 Maleficos non patieris vivere.

19 Qui coierit cum jumento, morte moriatur.

** Lev. 19.a.4.* 20 * Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli.

D 21 Advenam non contristabis, neque affliges eum: advenæ enim & ipsi fuistis in terra Ægypti.

** Zach. 7.c.10.* 22 * Viduæ & pupillo non nocebitis.

23 Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum:

24 Et indignabitur furor meus, percutiámque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.

25 Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.

26 * Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. ** Deut. 24.c.13.*

27 Ipsum enim est solum quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat: Si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.

28 Diis non detrahes, & * principi populi tui non maledices. ** Act. 23.b.5. Ezech. 44.g.30.*

29 Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere: * primogenitum filiorum tuorũ dabis mihi. ** Sup. 13.a.2. b.12. Inf. 34.*

30 De bobus quoque, & ovibus similiter facies: septem diebus sit cum matre sua, die octava reddes illum mihi.

31 Viri sancti eritis mihi: * carnem, quæ à bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed projicietis canibus. *c.19. * Levit. 22.a.8.*

CAPUT XXIII.

Leges præfixæ judicibus: bos & asinus inimici servandus: non accipienda judicibus munera: de anni & diei septimi quiete, tribúsque festis præcipuis: de Angelo in ducem itineris præmittendo, & præmiis servantium precepta.

1 NOn suscipies vocem mendacij: nec junges manum tuam ut pro impio dicas falsum testimonium. A

2 Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.

3 Pauperis quoque non misereberis in judicio.

4 * Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. ** Deut. 22.a.1.*

5 Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.

6 Non declinabis in judicium pauperis.

7 Mendacium fugies. * Insontem & justum non occides: quia aversor impium. ** Deut. 16.d.19. Eccl.20.d.31.*

8 * Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum. ** Dan. 13.f.53.*

9 Peregrino molestus non eris. Scitis enim advenarum animas: quia & ipsi * peregrini fuistis in Terra Ægypti. B ** Gen. 46.a.6.*

10 Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus.

11 Anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui: & quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri: ita facies in vinea & in oliveto tuo.

12 Sex diebus operaberis: septimo die cessabis, ut requiescat bos & asinus tuus: & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & advena. C

13 Omnia quæ dixi vobis, custodite. Et per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.

14 Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. ** Sup. 13.a.3.4 Inf.34.c.22.*

15 Sollemnitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, * sicut præcepi tibi, tempore mensis novorum quando egressus es de Ægypto: * non apparebis in conspectu meo vacuus. ** Deut. 16.d.16. Eccli. 35.a.6.*

16 Et

D 16 Et sollemnitatem messis primitivorum operis tui, quæcumque seminaveris in agro. sollemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.

** Inf.34. c.23. Deuter. 16.d.16.* 17 * Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.

18 Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps sollemnitatis meæ usque manè.

** Inf.34. d.26. * Deut. 14.c.21.* 19 * Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. * Non coques hœdum in lacte matris suæ.

20 Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paravi:

21 Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cùm peccaveris, & est nomen meum in illo.

E 22 * Quòd si audieris vocem ejus, & feceris
** Deut. 7.b.11.* omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.

** Inf.33. a.2. Ios.24. c.11.* 23 * Præcedétque te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæúmque, & Hevæum, & Jebusæum, quos ego conteram.

24 Non adorabis deos eorum: nec coles eos: non facies opera eorum, sed * destrues eos, & confringes statuas eorum. ** Deut. 7.d.22.*

25 Servietísque Domino Deo vestro, ut benedicam panibus tuis & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui.

F 26 Non erit infœcunda nec sterilis in terra tua: numerum dierum tuorum implebo.

27 Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorúmque inimicorum tuorum coram te terga vertam:

** Deut. 7.c.20.* 28 Emittens * crabrones priùs, qui fugabunt Hevæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introëas.

29 Non ejiciam eos à facie tua anno uno: ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ.

30 Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas Terram.

31 Ponam terminos tuos à Mari rubro usque ad Mare Palæstinorum, & à deserto usque ad fluvium: tradam in manibus vestris habitatores Terræ, & ejiciam eos de conspectu vestro.

** Inf.34. b.15. Deut.7. a.2.* 32 * Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorũ.

33 Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, si servieris diis eorum: quod tibi certè erit in scandalum.

CAPUT XXIV.

Oblatis Domino sacrificiis, fœderíque sanguine in populum respersо, Moyses, cæteris ad radicem montis manentibus, solus in montem ascendit, ubi cum Domino quadraginta diebus permansit.

A 1 MOysi quoque dixit: Ascende ad Dominum tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta senes ex Israël, & adorabitis procul.

2 Solúsque Moyses adscendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt: nec populus ascendet cum eo.

3 Venit ergo Moyses & narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia: respondítque omnis populus una voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.

4 Scripsit autem Moyses universos sermones Domini: & manè consurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israël.

5 Misítque juvenes de filiis Israël, & obtulerunt holocausta, immolaverúntque victimas pacificas Domino, vitulos. B

6 Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare.

7 Assuménsque volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.

8 Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est * sanguis fœderis quod pepigit Dñs vobíscum super cunctis sermonibus his. ** Hebr.9. c.20.*

9 Ascenderúntque Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuagínta de senioribus Israël: C

10 Et viderunt Deum Israël: & sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cùm serenum est.

11 Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israël, misit manum suam, viderúntque Deum, & comederunt, ac biberunt.

12 Dixit autem Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, & esto ibi: dabóque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi, ut doceas eos.

13 Surrexerunt Moyses & Josue minister ejus: adscendénsque Moyses in montem Dei,

14 Senioribus ait: Expectate hîc donec revertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobíscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. D

15 Cúmque ascendísset Moyses, operuit nubes montem,

16 Et habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus: septimo autem die vocavit eum de medio caliginis.

17 Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis, in conspectu filiorum Israël.

18 Ingressúsque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus

CAPUT XXV.

Iubetur primitiarum ac donorum oblatio ad Dei tabernaculum formandum, arcam, mensam, & candelabrum, cunctáque illis pertinentia.

A 1 LOcutúsque est Dominus ad Moysen, dicens:
2 Loquere filiis Israël, ut tollant mihi primitias, ab * omni homine qui offeret ultroneus, accipietis eas. ** Inf.35. a.5.*

3 Hæc sunt autem quæ accipere debetis: Aurum, & argentum, & æs,

4 Hyacinthum & purpuram, coccúmque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum,

5 Et pelles arietum rubricatas, pellésque ianthynas, & ligna Setim:

6 Oleum ad luminaria concinnanda: aromata in unguentum, & thymiamata boni odoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

7 Lapides onychinos & gemmas ad ornandum ephod ac rationale.

8 Faciéntque mihi sanctuarium,& habitabo in medio eorum:

9 * Juxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi,& omnium vasorum in cultum ejus: sícque facietis illud: *Heb.9. 4.2.

10 Arcam de lignis setim compingite, cujus longitudo habeat duos & semis cubitos: latitudo cubitum & dimidium: altitudo, cubitum similiter ac semissem.

11 Et deaurabis eam auro mundissimo intus & foris:faciésque supra,coronã auream per circuitum:

12 Et quattuor circulos aureos, quos pones per quattuor arcæ angulos: duo circuli sint in latere uno, & duo in altero.

13 Facies quoque vectes de lignis setim,& operies eos auro.

14 Inducésque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis: B

15 Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.

16 Ponésque in arca testificationẽ quam dabo tibi:

17 Facies & propitiatorium de auro mundissimo: duos cubitos & dimidium tenebit longitudo ejus, & cubitum ac semissem latitudo.

18 Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies,ex utraque parte oraculi.

19 Cherub unus sit in latere uno,& alter in altero.

20 Utrumque latus propitiatorij tegant,expandentes alas & operientes oraculum,respiciántque se mutuò versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca,

21 In qua pones testimonium quod dabo tibi.

22 Inde præcipiam,& loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonij, cuncta quæ mandabo per te filiis Israël. C

23 Facies & mensam de lignis setim,habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum,& in altitudine cubitum ac semissem.

24 Et inaurabis eam auro purissimo: faciésque illi labium aureum per circuitum,

25 Et ipsi labio coronam interrasilem altam quattuor digitis: & super illam,alterã coronã aureolam.

26 Quattuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quattuor angulis ejusdem mensæ per singulos pedes.

27 Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, & possit mensa portari.

28 Ipsos quoque vectes facies de lignis setim,& circumdabis auro ad subvehendam mensam.

29 Parabis & acetabula, ac phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo.

30 Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.

31 Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile ejus,& calamos, scyphos, & sphærulas,ac lilia, ex ipso procedentia. D

32 Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, & tres ex altero.

33 Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphæruláque simul & lilium:& tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero,sphæruláque simul & lilium. hoc erit opus sex calamorum,qui producendi sunt de hastili:

34 In ipso autẽ candelabro erunt quattuor scyphi in nucis modum,sphærulæque per singulos,& lilia.

35 Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt,procedentes de hastili uno.

36 Et sphærulæ igitur & calami ex ipso erunt, universa ductilia de auro purissimo.

37 Facies & lucernas septem,& pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso.

38 Emunctoria quoque, & ubi quæ emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo.

39 Omne pondus candelabri cum universis vasis suis habebit talentum auri purissimi.

40 * Inspice, & fac secundum exemplar quod tibi in Monte monstratum est. *Heb.8. b.5. Act.7. f.44.

CAPUT XXVI.

Forma ac constructio tabernaculi Moysaici, veli, arcæ, propitiatorij, mensæ, candelabri, & tentorij juxta suas quaque mensuras.

1 TAbernaculum verò ita facies: Decem cortinas de byssо retortas,& hyacintho, ac purpura, coccóque bis tincto, variatas opere plumario facies. A

2 Longitudo cortinæ unius habebit viginti octo cubitos: latitudo, quattuor cubitorum erit. Unius mensuræ fient universa tentoria.

3 Quinque cortinæ sibi jungentur mutuò, & aliæ quinque nexu simili cohærebunt.

4 Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum,ut possint invicẽ copulari.

5 Quinquagenas ansulas cortina habebit in utraque parte, ita insertas, ut ansa contra ansam veniat, & altera alteri possit aptari.

6 Facies & quinquaginta circulos aureos quibus cortinarum vela jungenda sunt,ut unum tabernaculum fiat. B

7 Facies & saga cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi.

8 Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos: & latitudo, quattuor: æqua erit mensura sagorum omnium.

9 E quibus quinque junges seorsum, & sex sibi mutuò copulabis, ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices.

10 Facies & quinquaginta ansas in ora sagi unius, ut conjungi cum altero queat: & quinquaginta ansas in ora sagi alterius, ut cum altero copuletur.

11 Facies & quinquaginta fibulas æneas,quibus jungãtur ansæ,ut unũ ex omnibus operimẽtum fiat.

12 Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto,id est, unum sagum quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi. C

13 Et cubitus ex una parte pendebit, & alter ex altera, qui plus est in sagorum longitudine, utrumque latus tabernaculi protegens.

14 Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: & super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus.

15 Facies & tabulas stantes tabernaculi de lignis setim,

16 Quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant,& in latitudine singulos ac semissem.

17 In

D 17 In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur: atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur.

18 Quarum viginti erunt in latere meridiano quod vergit ad austrum.

19 Quibus quadraginta bases argenteas fundes, ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur.

20 In latere quoque secundo tabernaculi quod vergit ad Aquilonem,viginti tabulæ erunt,

E 21 Quadraginta habentes bases argenteas.binæ bases singulis tabulis supponentur.

22 Ad occidentalem verò plagam tabernaculi facies sex tabulas,

23 Et rursum alias duas quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi.

24 Erúntque conjunctæ à deorsum, usque sursum, & una omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis quæ in angulis ponendæ sunt similis junctura servabitur.

25 Et erunt simul tabulæ octo, bases earum argenteæ sedecim, duabus basibus per unam tabulam supputatis.

26 Facies & vectes de lignis setim quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi,

27 Et quinque alios in altero, & ejusdem numeri ad occidentalem plagam:

28 Qui mittentur per medias tabulas à summo usque ad summum.

F 29 Ipsas quoque tabulas deaurabis,& fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis.

30 Et eriges tabernaculum juxta exemplar quod tibi * in Monte monstratum est. *Sup. 25.d. 40.

31 Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto,& byssо retorta,opere plumario & pulchra varietate contextum:

32 Quod appendes ante quattuor columnas de lignis setim, quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, sed bases argenteas.

33 Inferetur autem velum per circulos, intra G quod pones arcam testimonij,quo & Sanctuarium & Sanctuarij sanctuaria dividentur.

34 Pones & propitiatorium super arcam testimonij in Sancto sanctorum:

35 Mensámque extra velum: & contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte Aquilonis.

36 Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpura,coccóque bis tincto, & byssо retorta,opere plumarij.

37 Et quinque cólumnas deaurabis lignorum setim, ante quas ducetur tentorium:quarum erunt capita aurea, & bases æneæ.

CAPUT XXVII.

Altare & atrium tabernaculi, tentorium, columnæ & oleum lucernarum parari jubentur.

A 1 FAcies & altare de lignis*setim,quod habebit quinq; cubitos in longitudine,& totidẽ in latitudine,id est,quadrũ,& tres cubitos in altitudine. *Inf.38. a.6.

2 Cornua autem per quattuor angulos ex ipso erunt: & operies illud ære.

3 Faciésque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, & forcipes atque fuscinulas, & ignium receptacula. omnia vasa ex ære fabricabis.

4 Craticulámque in modum retis æneam: per cujus quattuor angulos erũt quattuor annuli ænei,

5 Quos pones subter arulam altaris. erítque craticula usque ad altaris medium.

6 Facies & vectes altaris de lignis setim duos, quos operies laminis æneis:

7 Et induces per circulos, erúntque ex utroque latere altaris ad portandum. B

8 * Non solidum,sed inane & cavum intrinsecus facies illud, sicut tibi in Monte monstratum est. * Sup. 20. d. 24.

9 Facies & atrium tabernaculi, in cujus australi plaga cõtra meridiẽ erunt tentoria de byssо retorta: cẽtum cubitos unum latus tenebit in longitudine.

10 Et columnas viginti cum basibus totidẽ æneis quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea.

11 Similiter & in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, & bases æneæ ejusdem numeri, & capita earum cum cælaturis suis argentea.

12 In latitudine verò atrij,quod respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos,& columnæ decem,basésque totidem. C

13 In ea quoque atrij latitudine, quæ respicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt.

14 In quibus quindecim cubitorũ tentoria lateri uno deputabũtur,columnæq; tres & bases totidem:

15 Et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, & bases totidem.

16 In introitu verò atrij fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho & purpura, coccóque bis tincto, & byssо retorta,opere plumarij: columnas habebit quattuor, cum basibus totidem.

17 Omnes columnæ atrij per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis,& basibus æneis:

18 In longitudine occupabit atrium cubitos centum,in latitudine quinquaginta,altitudo quinque cubitorum erit.fiétque de byssо retorta,& habebit bases æneas. D

19 Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus & ceremonias,tam paxillos ejus quàm atrij ex ære facies.

20 Præcipe filiis Israël ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum,piló que contusum: ut ardeat lucerna semper

21 In tabernaculo testimonij,extra velum quod oppansum est testimonio: Et collocabunt eam Aaron & filij ejus, ut usque manè luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum à filiis Israël.

CAPUT XXVIII.

Pontificalia indumenta Aaronis & filiorum ejus describuntur.

1 APplica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israël,ut sacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar. A

2 Faciésque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.

3 Et loquéris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi.

4 Hæc autem erunt vestimenta quæ facient:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rationale, & superhumerale, tunicam & lineam
strictam, cidarim & balteum. Facient vestimenta
sancta fratri tuo Aaron & filiis ejus, ut sacerdotio
fungantur mihi.

5 Accipientque aurum,& hyacinthum,& pur-
puram, coccúmque bis tinctum, & byssum.

B 6 Facient autem superhumerale de auro & hya-
cintho & purpura, coccóque bis tincto, & byssó
retorta, opere polymito.

7 Duas oras junctas habebit in utroque latere
summitatum,ut in unum redeant.

8 Ipsa quoque textura & cuncta operis varie-
tas erit ex auro, & hyacintho, & purpura, coccó-
que bis tincto,& byssó retorta.

9 Sumésque duos lapides onychynos, & sculp-
es in eis nomina filiorum Israël:

10 Sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in
altero juxta ordinem nativitatis eorum.

11 Opere sculptoris & cælatura gemmarij scul-
pes eos nominibus filiorum Israël,inclusos auro at-
que circumdatos:

12 Et pones in utroque latere superhumeralis,
memoriale filiis Israël. Portabítque Aaron nomina
eorum coram Domino super utrúmque humе-
rum,ob recordationem.

C 13 Facies & uncinos ex auro,

14 Et duas catenulas ex auro purissimo sibi in-
vicem cohærentes,quas inseres uncinis.

15 Rationale quoque judicij facies opere po-
lymito juxta texturam superhumeralis, ex auro,
hyacinho,& purpura,coccóque bis tincto, & bys-
so retorta.

16 Quadrangulum erit & duplex:mensuram pal-
mi habebit tam in longitudine quàm in latitudine.

17 Ponésque in eo quattuor ordines lapidum:
in primo versu erit lapis sardius, & topazius, &
smaragdus:

18 In secundo carbunculus,sapphirus, & jaspis:

19 In tertio ligurius,achates, & amethystus:

20 In quarto chrysolithus,onychynus, & beril-
lus. inclusi auro erunt per ordines suos.

21 Habebúntque nomina filiorum Israël: duo-
decim nominibus cælabuntur, singuli lapides no-
minibus singulorum per duodecim tribus.

D 22 Facies in rationali catenas sibi invicem co-
hærentes ex auro purissimo:

23 Et duos annulos aureos, quos pones in utra-
que rationalis summitate:

24 Catenásque aureas junges annulis, qui sunt
in marginibus ejus:

25 Et ipsarum catenarum extrema duobus co-
pulabis uncinis in utroque latere superhumeralis
quod rationale respicit.

26 Facies & duos annulos aureos, quos pones
in summitatibus rationalis, in oris, quæ è regione
sunt superhumeralis, & posteriora ejus aspiciunt.

27 Nec non & alios duos annulos aureos, qui
ponendi sunt in utroque latere superhumeralis
deorsum,quod respicit contra faciem junctura in-
ferioris,ut aptari possit cum superhumerali,

28 Et stringatur rationale annulis suis cum an-
nulis superhumeralis vitta hyacinthina,ut maneat
junctura fabrefacta, & à se invicem rationale &
superhumerale nequeant separari.

29 Portabítque Aaron nomina filiorum Israël E
in rationali judicij super pectus suum, quando
ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Do-
mino in æternum.

30 Pones autem in rationali judicij Doctrinam
& Veritatem,quæ erunt in pectore Aaron,quando
ingredietur coram Domino: & gestabit judicium
filiorum Israël in pectore suo, in conspectu Domi-
ni semper.

31 Facies & tunicam superhumeralis totam
hyacinthinam,

32 In cujus medio supra erit capitium, & ora
per gyrum ejus, textilis, sicut fieri solet in extre-
mis vestium partibus,ne facilè rumpatur.

33 Deorsum verò,ad pedes ejusdem tunicæ,per F
circuitum,quasi mala punica facies,ex hyacintho:
& purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio
tintinnabulis,

34 Ita ut tintinnabulum sit aureum & malum
punicum,rursúmque tintinnabulum aliud aureum
& malum punicum.

35 * Et vestietur ea Aaron in officio minis- * Eccli.
terij, ut audiatur sonitus quando ingreditur & egre- 45.b.11.
ditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non
moriatur.

36 Facies & laminam de auro purissimo:in qua
sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino.

37 Ligabísque eam vitta hyacinthina, & erit
super tiaram,

38 Imminens fronti pontificis. Portabítque Aa-
ron iniquitates eorum, quæ obtulerunt & sanctifi-
caverunt filij Israël,in cunctis muneribus & dona-
riis suis. Erit autem lamina semper in fronte ejus,
ut placatus sit eis Dominus.

39 Stringésque tunicam byssо, & tiaram byssi- G
nam facies,& balteum opere plumarij.

40 Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis,& balteos ac tiaras,in gloriam & decorem:

41 Vestiésque his omnibus Aaron fratrem
tuum & filios ejus cum eo.Et cunctorum consecra-
bis manus,sanctificabísque illos,ut sacerdotio fun-
gantur mihi.

42 Facies & feminalia linea, ut operiant car-
nem turpitudinis suæ, à renibus usque ad femora:

43 Et utentur eis Aaron & filij ejus quando in-
gredientur tabernaculum testimonij, vel quando
appropinquant ad altare ut ministrent in Sanctua-
rio, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum sem-
piternum erit Aaron,& semini ejus post eum.

Caput XXIX.

Quæ fuerit sacerdotum consecratio, ritúsque oblationis pro illis,& qui his oblationibus vescentur:ac de duobus agnis anniculis quotidie offerendis.

1 SEd & hoc facies, ut mihi in sacerdotio con- A
secrentur. * Tolle vitulum de armento, & *Lev.9.
arietes duos immaculatos, a.2.

2 Panésque azymos, & crustulam absque fer-
mento,quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azy-
ma oleo lita: de simila triticea cuncta facies:

3 Et posita in canistro offeres:vitulum autem &
duos arietes.

4 Et Aaron ac filios ejus applicabis ad ostium
tabernaculi testimonij. Cúmque laveris patrem
cum filiis suis aqua,

5 Indues

5 Indues Aaron vestimentis suis, id est, linea
& tunica, & superhumerali & rationali, quod con-
stringes balteo.

6 Et pones tiaram in capite ejus:& laminam san-
ctam super tiaram,

B 7 Et oleum unctionis fundes super caput ejus:
atque hoc ritu consecrabitur.

8 Filios quoque illius applicabis, & indues tuni-
cis lineis,cingésque balteo.

9 Aaron scilicet & liberos ejus, & impones eis
mitras:erúntque sacerdotes mihi religione perpe-
tua. Postquam initiaveris manus eorum,

* Levit. 1.a.3. 10 * Applicabis & vitulum coram tabernaculo
testimonij. Imponéntque Aaron & filij ejus manus
super caput illius,

11 Et mactabis eum in conspectu Domini, juxta
ostium tabernaculi testimonij.

12 Sumptúmque de sanguine vituli pones super
cornua altaris digito tuo, reliquum autem sangui-
nem fundes juxta basim ejus.

* Levit. 3. a.3. 13 * Sumes & adipem totum qui operit intestina:
& reticulum jecoris ac duos renes,& adipem qui
super eos est,& offeres incensum super altare:

C 14 Carnes verò vituli & corium & fimum com-
bures foris extra castra,eò quòd pro peccato sit.

15 Unum quoque arietem sumes, super cujus
caput ponent Aaron & filij ejus manus:

16 Quem cum mactaveris, tolles de sanguine
ejus,& fundes circa altare.

17 Ipsum autem arietem secabis in frusta. lotá-
que intestina ejus ac pedes pones super concisas
carnes,& super caput illius.

18 Et offeres totum arietem in incensum super
altare: oblatio est Domino odor suavissimus victi-
mæ Domini.

19 Tolles quoque arietem alterum,super cujus
caput Aaron & filij ejus ponent manus.

20 Quem cum immolaveris, sumes de sangui-
ne ejus,& pones super extremum auriculæ dextræ
Aaron & filiorum ejus,& super pollices manus eo-
rum ac pedis dextri, fundésque sanguinem super
altare per circuitum.

D 21 Cúmque tuleris de sanguine qui est super al-
tare, & de oleo unctionis,adsperges Aaron & ve-
stes ejus, filios & vestimenta eorum. Consecratís-
que ipsis & vestibus,

22 Tolles adipem de ariete, & caudam & arui-
nam, quæ operit vitalia ac reticulum jecoris, &
duos renes atque adipem qui super eos est,armúm-
que dextrum, eò quòd sit aries consecrationis:

23 Tortámque panis unius,crustulam conspер-
sam oleo,laganum de canistro azymorum,quod po-
situm est in conspectu Domini:

24 Ponésque omnia super manus Aaron & filio-
rum ejus & sanctificabis eos elevans coram Do-
mino

25 Suscipiésque universa de manibus eorum:&
incendes super altare in holocaustum,odorem sua-
vissimum in cõspectu Domini,quia oblatio ejus est.

26 Sumes quoque pectusculum de ariete quo
initiatus est Aaron,sanctificabísque illud elevatum
coram Domino,& cedet in partem tuam.

E 27 Santificabísque & pectusculum consecratum,
& armum quem de ariete separasti,

28 Quo initiatus est Aaron & filij ejus cedént-
que in partem Aaron & filiorum ejus jure perpetuo
à filiis Israël:quia primitiva sunt & initia de victi-
mis eorum pacificis quæ offerunt Domino.

29 Vestem autem sanctam,qua utetur Aaron,ha-
bebunt filij ejus post eum, ut ungantur in ea, &
consecrentur manus eorum.

30 Septem diebus utetur illa qui pontifex pro
eo fuerit constitutus de filiis ejus, & qui ingredie-
tur tabernaculum testimonij ut ministret in San-
ctuario.

31 Arietem autem consecrationis tolles, & co-
ques carnes ejus in loco sancto:

32 Quibus vescetur Aaron & filij ejus. * Panes * Levit. 8.f.31. 24.b.9. Mat.12. a.4.
quoque, qui sunt in canistro in vestibulo taberna-
culi testimonij comedent,

33 Ut sit placabile sacrificium, & sanctificentur
offerentium manus. Alienigena non vescentur ex
eis,quia sancti sunt.

34 Quòd si remanserit de carnibus consecratis,
sive de panibus usque mane, combures reliquias
igni:non comedentur quia sanctificata sunt.

35 Omnia quæ præcepi tibi, facies super Aaron F
& filiis ejus. Septem diebus consecrabis manus
eorum.

36 Et vitulum pro peccato offeres per singulos
dies ad expiandum. Mundabísque altare cùm im-
molaveris expiationis hostiam, & unges illud in
sanctificationem.

37 Septem diebus expiabis altare,& sanctifica-
bis,& erit Sanctum sanctorum. omnis qui tetigerit
illud, sanctificabitur.

38 Hoc est quod facies in altari.* Agnos anni- * Num.
culos duos per singulos dies jugiter, 28.a.3.

39 Unum agnum manè,& alterum vespere,

40 Decimam partem similæ conspersæ oleo tuso,
quod habeat mensuram quartam partem hin, &
vinum ad libãdum ejusdem mensuræ in agno uno.

41 Alterum verò agnum offeres ad vesperam
juxta ritum matutinæ oblationis, & juxta ea quæ
diximus in odorem suavitatis:

42 Sacrificium est Domino,oblatione perpetua G
in generationes vestras,ad ostium tabernaculi te-
stimonij coram Domino,ubi constituam ut loquar
ad te.

43 Ibíque præcipiam filiis Israel, & sanctifica-
bitur altare in gloria mea.

44 Sanctificabo & tabernaculum testimonij cum
altari, & Aaron cum filiis suis, ut sacerdotio fun-
gantur mihi.

45 Et habitabo in medio filiorum Israël,eróque
eis Deus,

46 Et scient quia ego Dominus Deus eorum,
qui eduxi eos de Terra Ægypti, ut manerem in-
ter illos, ego Dominus Deus ipsorum.

Caput XXX.

*Institutio altaris thymiamatis, & pecuniæ in usus taber-
naculi exigendæ,labij æneis construendi, unctionis thymiama-
tis, & reliquorum quæ ad tabernaculum spectant.*

1 FAcies quoque altare ad adolendum thymia- A
ma, de lignis, setim,

2 Habens cubitum longitudinis, & alterum la-
titudinis,id est quadrangulum, & duos cubitos in
altitudine. Cornua ex ipso procedent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Vestiésque illud auro purissimo, tam craticulam ejus, quàm parietes per circuitum,& cornua. Faciésque ei coronam aureolam per gyrum,

4 Et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, & altare portetur.

5 Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, & inaurabis.

6 Ponésque altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonij coram propitiatorio quo tegitur testimonium,ubi loquar tibi.

7 Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans,manè. Quando componet lucernas, incende illud:

8 Et quando collocabit eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras.

9 Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius,nec oblationem,& victimam,nec libabitis libamina.

B 10 Et deprecabitur Aaron super cornua eius semel per annum, in sanguine quod oblatum est pro peccato,& placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum sanctorum erit Domino.

11 Locutúsque est Dominus ad Moysen,dicens:

*Num. 1. a. 2. 12 * Quando tuleris summam filiorum Israël juxta numerum,dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis cùm fuerint recensiti.

13 Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen dimidium sicli juxta mensuram templi. * Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur Domino.

*Lev. 27.c.25. Num. 3. & 47. Ezech. 45.d.12. 14 Qui habetur in numero,à viginti annis & suprà,dabit pretium.

15 Dives non addet ad medium sicli,& pauper nihil minuet.

16 Susceptámque pecuniam,quæ collata est à filiis Israël,trades in usus tabernaculi testimonij, ut sit monimentum eorum coram Domino,& propitietur animabus eorum.

17 Locutúsque est Dominus ad Moysen,dicens:

C 18 Facies & labrum æneum cum basi sua ad lavandum:ponésque illud inter tabernaculum testimonij & altare.Et missa aqua,

19 Lavabunt in ea Aaron & filij ejus manus suas ac pedes,

20 Quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino,

21 Ne fortè moriantur.legitimum sempiternum erit ipsi,& semini ejus per successiones.

22 Locutúsque est Dominus ad Moysen,

23 Dicens:Sume tibi aromata primæ myrrhæ & electæ quingentos siclos,& cinnamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta,

24 Casiæ autem quingentos siclos, in pondere sanctuarij, olei de olivetis mensuram hin:

25 Faciésque unctionis oleum sanctum,unguentum compositum opere unguentarij,

26 Et unges ex eo tabernaculum testimonij, & arcam testamenti,

27 Mensámque cum vasis suis,candelabrum,& utensilia ejus, altaria thymiamatis

28 Et haulocausti, & universam supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet.

29 Sanctificabísque omnia,& erunt sancta sanctorum:qui tetigerit ea, sanctificabitur.

30 Aaron & filios ejus unges, sanctificabísque eos,ut sacerdotio fungantur mihi. D

31 Filiis quoque Israël dices: Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras.

32 Caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compositionem ejus non facietis aliud,quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis.

33 Homo quicumque tale composuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo.

34 Dixítque Dominus ad Moysen: Sume tibi aromata,stacten & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimũ.æqualis ponderis erunt omnia.

35 Faciésque thymiama compositum opere unguentarij, mixtum diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum.

36 Cúmque in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij, in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama.

37 Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino.

38 Homo quicumque fecerit simile,ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.

CAPUT XXXI.

Deputantur à Domino Beseleel & Ooliab ad extructionem tabernaculi ac caterorum quæ dicta sunt:de sabbati observatione, & de tabulis à Domino Moysi datis.

1 LOcutúsque est Dominus ad Moysen,dicens:

A 2 Ecce, vocavi ex nomine Beseleel filium Uri filii Hur de tribu Juda,

3 Et implevi eum spiritu Dei,sapientia,& intelligentia, & scientia in omni opere,

4 Ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento,& ære,

5 Marmore & gemmis, & diversitate lignorum.

6 Dedítque ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan.Et in corde omnis eruditi posui sapientiam:ut faciant cuncta quæ præcepi tibi, B

7 Tabernaculum fœderis,& arcam testimonij, & propitiatorium, quod super eam est, & cuncta vasa tabernaculi,

8 Mensámque & vasa ejus, candelabrum purissimum cum vasis suis,& altaria thymiamatis,

9 Et holocausti, & omnia vasa eorum, labrum cum basi sua,

10 Vestes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti & filiis ejus, ut fungantur officio suo in sacris.

11 Oleum unctionis, & thymiama aromatum in Sanctuario,omnia quæ præcepi tibi, facient.

12 Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

13 Loquere filiis Israël,& dices ad eos: * Videte ut sabbatum meum custodiatis:quia signum est inter me & vos in generationibus vestris:ut sciatis, quia ego Dominus qui sanctifico vos. C * Sup. 20.b.8. Ezech. 20.b.12.

14 Custodite sabbatum meum, sanctum est enim vobis:qui polluerit illud, morte morietur:qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui.

15 Sex diebus facietis opus: in die septimo sabbatum

sabbatum est, requies sancta Domino omnis qui fecerit opus in hac die, morietur.

D 16 Custodiant filij Israël Sabbatũ & celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternũ

17 Inter me & filios Israël, signúmque perpe- *Gen.2. a.2. tuum. * Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & in septimo ab opere cessavit.

18 Dedítque Dominus Moysi,completis hujuscemodi sermonibus in monte Sinai,* duas tabulas *Deut. 9.b.10. testimonij lapideas, scriptas digito Dei.

CAPUT XXXII.

Ob vitulum adoratum Moyses Deum precatur, tabulas frangit,vitulum comburit, & Aarone objurgato idololatras occidi jubet,cæterisque veniam impetrat.

A 1 VIdens autem populus quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congrega- *Act.7. c.40. tus adversus Aaron,dixit: * Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant:Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti,ignoramus quid acciderit.

2 Dixítque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas,de uxorum filiorúmque & filiarum vestrarum auribus,& afferte ad me.

3 Fecítque populus quæ jusserat,deferens inaures ad Aaron.

*Ps.105. c.19. 4 * Quas cùm ille accepisset, formavit opere fusorio,& fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixerúntque: Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de Terra Ægypti.

5 Quod cùm vidisset Aaron, ædificavit altare coram eo,& præconis voce clamavit,dicens: Cras solemnitas Domini est.

B 6 Surgentésque manè, obtulerunt holocausta, *1.Cor. 10.b.7. & hostias pacificas, & * sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.

7 Locutus est autem Dominus ad Moysen, di- *Deut. 9.c.12. cens: * Vade, descende: peccavit populus tuus, quem eduxisti de Terra Ægypti.

8 Recesserunt citò de via, quam ostendisti eis: fecerúntque sibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt: *Isti *3 Reg. 12.g.28. sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de Terra Ægypti.

*Inf.33. a.3. Deut.9. c.13. 9 Rursúmque ait Dominus ad Moysen:*Cerno quòd populus iste duræ cervicis sit:

C 10 Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos,& deleã eos,faciámque te in gentem magnam.

11 Moyses autem orabat Dominum Deum *Ps.105 d.25. Numer. 14.c.13. suum, dicens: *Cur,Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de Terra Ægypti,in fortitudine magna,& in manu robusta?

12 Ne quæso dicant Ægyptij: Callidè eduxit eos,ut interficeret in montibus, & deleret è terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui.

13 Recordare Abraham, Isaac, & Israël, servorum tuorum,quibus jurasti per temetipsum,dicens: *Gen. 22.b.7. 15.b.7. 48.c.16. * Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli:& universam terram hanc,de qua locutus sum,dabo semini vestro, & possidebitis eam semper.

D 14 Placatúsque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum.

15 Et reversus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex utraque parte,

16 Et factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.

17 Audiens autem Josue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen:Ululatus pugnæ auditur in castris.

18 Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio.

19 Cúmque appropinquasset ad castra, vidit vitulum,& choros: iratúsque valdè projecit de manu tabulas,& confregit eas ad radicem montis:

20 Arripiénsque vitulum quem fecerant,com- B
bussit,& contrivit usque ad pulverem,quem sparsit in aquam,& dedit ex eo potum filiis Israël.

21 Dixítque ad Aaron:Quid tibi fecit hic populus,ut induceres super eum peccatum maximũ?

22 Cui ille respondit:Ne indignetur Dominus meus:tu enim nosti populum istum, quòd pronus sit ad malum:

23 Dixerunt mihi:Fac nobis deos,qui nos præcedant:huic enim Moysi, qui nos eduxit de Terra Ægypti,nescimus quid acciderit.

24 Quibus ego dixi: Quis vestrûm habet aurum?Tulerunt,& dederunt mihi: & projeci illud in ignem, egressúsque est hic vitulus.

25 Videns ergo Moyses populum quòd esset nudatus,(spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiã sordis,& inter hostes nudũ constituerat)

26 Et stans in porta castrorum,ait: Si quis est F
Domini, jungatur mihi. Congregatíque sunt ad eum omnes filij Levi:

27 Quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ponat vir gladium super femur suum: ite, & redite de porta usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.

28 Fecerúntque filij Levi juxta sermonem Moysi, ceciderúntque in die illa quasi viginti tria millia hominum.

29 Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.

30 Facto autem altero die, locutus est Moyses G
ad populum:Peccastis peccatum maximum:ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.

31 Reversúsque ad Dominum,ait:Obsecro,peccavit populus iste peccatum maximum, fecerúntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam,

32 Aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.

33 Cui respondit Dominus: Qui peccaverit mihi,delebo eum de libro meo:

34 Tu autem vade, & duc populum istum quò locutus sum tibi: angelus meus præcedet te. Ego autẽ in die ultionis visitabo & hoc peccatũ eorum.

35 Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

CAPUT XXXIII.

Minis Dei in populum sedatis à Moyse, populus luget delictum:loquitur Dominus cum Moyse facie ad faciem, qui cupit videre faciem & gloriam Domini.

1 LOcutúsque est Dominus ad Moysen, di- A
cens: Vade,ascende de loco isto tu,& populus

Universidad de Deusto
Biblioteca

lus tuus quem eduxisti de Terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham, Isaac, & Jacob, dicens:
* Gen. 12.b.7. * Semini tuo dabo eam:
2 Et * mittam præcursorem tui angelum, ut ejiciam * Chananæum, & Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum,
* Sup. 32. g. 34. * Ios. 24. c. 11. Deut. 6. 22.
3 Et intres in terram fluentem lacte & melle. Non enim ascendam tecum, * quia populus duræ cervicis es: ne fortè disperdam te in via.
* Sup. 32. b. 9. Deut. 9. c. 13.
4 Audiensque populus sermonem hunc pessimum, luxit: & nullus ex more indutus est cultu suo.
5 Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israël: Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui: & delebo te. Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi.
6 Deposuerunt ergo filij Israël ornatum suum à monte Horeb.
B 7 Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus, Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad Tabernaculum fœderis, extra castra.
8 Cúmque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, & stabat unusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebántque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium.
9 Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebatúrque cum Moyse.
10 Cernentibus universis quòd columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabántque ipsi, & adorabant per fores tabernaculorum suorum.
C 11 Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Cúmque ille reverteretur in castra, minister ejus Josue filius Nun, puer non recedebat de Tabernaculo.
12 Dixit autem Moyses ad Dominum: Præcipis ut educam populum istum: & non indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim cùm dixeris: Novi te ex nomine, & invenisti gratiam coram me.
13 Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos: respice populum tuum gentem hanc.
14 Dixitque Dominus: Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.
15 Et ait Moyses. Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.
16 In quo enim scire poterimus ego & populus tuus inveniss̃e nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, ut glorificemur ab omnibus populis qui habitant super terram?
D 17 Dixit autem Dominus ad Moysen: Et verbum istud, quod locutus es, faciam: invenisti enim gratiam coram me, & teipsum novi ex nomine.
18 Qui ait: Ostende mihi gloriam tuam.
19 Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te: & * miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.
* Rom. 9. c. 15.
20 Rursúmque ait: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet.
21 Et iterum, Ecce, inquit, est locus apud me, & stabis supra petram.
22 Cúmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam:
23 Tollámque manum meam, & videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris:

Caput XXXIV.

Moyses reparatis tabulis, prohibitáque Gentium societate & idololatria, datisque præceptis de primogenitis, sabbato, azymis, cæterisque festis, post 40. dierum jejunium cornutus de monte descendit, ac velata facie populo loquitur.

1 A C deinceps: * Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti. A * Deut. 10. a. 1.
2 Esto paratus manè, ut ascendas statim in montem Sinai, stabísque mecum super verticẽ montis.
3 Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem: boves quoque & oves non pascantur è contrà.
4 Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antecà fuerant: & de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, sicut præceperat ei Dominus, portans secum tabulas.
5 Cúmque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, invocans nomen Domini.
6 Quo transeunte coram eo, ait: Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax,
7 Qui * custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, * nullúsque apud te per se innocens est. * Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam & quartam progeniem. * Deut. 5. a. 10. Ier. 32. c. 18. * Psalm. 142. a. 2. * Ier. 32. c. 18. Deut. 5. a. 9.
8 Festinúsque Moyses, curvatus est pronus in terram, & adorans
9 Ait: Si inveni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum (populus enim duræ cervicis est) & auferas iniquitates nostras atque peccata, nósque possideas. B
10 Respondit Dominus: * Ego inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam quæ nunquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus: ut cernat populus iste, in cujus es medio, opus Domini terribile quod facturus sum. * Deut. 5. a. 2. Ier. 3. g. 40.
11 Observa cuncta quæ hodie mando tibi: ego ipse ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum, & Hethæum, Pherezæum quoque, & Hevæum, & Jebusæum.
12 Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam:
13 Sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucósque succide:
14 Noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes nomen ejus, Deus est æmulator.
15 * Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne, cùm fornicati fuerint cum diis suis, & adoraverint simulachra eorum, vocet te quispiam ut comedas de immolatis. * Sup. 23. g. 32. Deut. 7. a. 2.
16 * Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in deos suos. * 3. Reg. 11. a. 2.

17 Deos

17 Deos conflatiles non facies tibi.
C 18 Sollemnitatem azymorum custodies. Septem diebus vescèris azymis, sicut præcepi tibi, in tempore mensis novorum: mense enim verni temporis egressus es de Ægypto.
* Sup. 13. a. 2. b. 12, 22. d. 29. 19 * Omne quod aperit vulvam generis masculini, meum erit, de cunctis animantibus, tam de bobus, quàm de ovibus, meum erit.
20 Primogenitum asini redimes ove: sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conspectu meo vacuus.
21 Sex diebus operaberis, die septimo cessabis arare & metere.
* Sup. 23. c. 15. 22 * Sollemnitatem Hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ, & sollemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.
* Sup. 23 d. 17. Deut. 16. d. 16. 23 * Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israël.
24 Cùm enim tulero gentes à facie tua, & dilatavero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.
D 25 * Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ: neque residebit manè de victima sollemnitatis Phase.
* Sup. 23. d. 18. 19. 26 Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. * Non coques hœdum in lacte matris suæ.
* Sup. 23. d. 19.
27 Dixítque Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israël * pepigi fœdus.
* Sup. 24. d. 18. 28 Fuit ergo ibi cum Domino * quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis * verba fœderis decem.
* Deut. 19. b. 9. c. 18. * Deut. 4. b. 13.
29 Cúmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.
30 Videntes autem Aaron & filij Israël cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere.
31 Vocatique ab eo, reversi sunt tam Aaron quàm principes synagogæ. Et postquam locutus est ad eos,
32 Venerunt ad eum etiam omnes filij Israël: quibus præcepit cuncta quæ audierat à Domino in monte Sinai.
* 2. Cor. 3. c. 13. 33 Impletísque sermonibus, * posuit velamen super faciem suam.
34 Quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Israël omnia quæ sibi fuerant imperata.
35 Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos.

Caput XXXV.

Præcipitur sabbatum, petuntur primitiæ & donaria ac artifices ad constituenda omnia quæ dicta sunt, quibus deputati à Domino dicuntur Beseleel & Ooliab.

A 1 I Gitur congregata omni turba filiorum Israël, dixit ad eos: Hæc sunt quæ jussit Dñs fieri.
2 Sex diebus facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum, & requies Domini: qui fecerit opus in eo: occidetur.
3 Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati.
4 Et ait Moyses ad omnem catervam filiorum Israël: Iste est sermo quem præcepit Dominus, dicens:
5 Separate apud vos primitias Domino: * Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino: aurum & argentum, & æs, * Sup. 25. a. 2.
6 Hyacinthum & purpuram, coccúmque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum,
7 Pellésque arietum rubricatas, & ianthinas, ligna setim,
8 Et oleum ad luminaria concinnanda, & ut conficiatur unguentum, & thymiama suavissimum,
9 Lapides onychinos, & gemmas ad ornatum superhumeralis & rationalis.
10 Quisquis vestrûm sapiens est, veniat, & faciat quod Dominus imperavit.
11 Tabernaculum scilicet & tectum ejus, atque operimentum, annulos & tabulata cum vectibus, paxillos & bases:
12 Arcam & vectes, propitiatorium, & velum B quod ante illud oppanditur:
13 Mensam cum vectibus & vasis, & propositionis panibus:
14 Candelabrum ad luminaria sustentanda, vasa illius & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium:
15 Altare thymiamatis, & vectes, & oleum unctionis & thymiama ex aromatibus: Tentorium ad ostium tabernaculi:
16 Altare holocausti, & craticulam ejus æneam cum vectibus & vasis suis: labrum & basim ejus:
17 Cortinas atrij cum columnis & basibus, tentorium in foribus vestibuli,
18 Paxillos tabernaculi & atrij cum funiculis suis:
19 Vestimenta quorum usus est in ministerio sanctuarij, vestes Aaron pontificis ac filiorum ejus, ut sacerdotio fungantur mihi.
20 Egressáque omnis multitudo filiorum Israël de conspectu Moysi,
21 Obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonij. Quidquid ad cultum & ad vestes sanctas necessarium erat, C
22 Viri cum mulieribus præbuerunt, armillas & inaures, annulos & dextralia: omne vas aureum in donaria Domini separatum est.
23 Si quis habebat hyacinthum, & purpuram, coccúmque bis tinctum, byssum & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & ianthinas,
24 Argenti ærísque metalla obtulerunt Domino, lignáque setim in varios usus.
25 Sed & mulieres doctæ quæ neverant, dederunt hyacinthum, purpuram, & vermiculum, ac byssum,
26 Et pilos caprarum, sponte propria cuncta tribuentes.
27 Principes verò obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad superhumerale & rationale,

28 Aroma

Universidad de Deusto
Biblioteca

28 Aromatáque & oleum ad luminaria concinnanda & ad præparandum unguentum,ac thymiama odoris suavissimi componendum.

D 29 Omnes viri & mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera quæ jusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filij Israël voluntaria Domino dedicaverunt.

* Sup. 31. a. 2. 30 Dixítque Moyses ad filios Israël:*Ecce, vocavit Dominus ex nomine Beseleel filium Uri filij Hur de tribu Juda.

31 Implevítque eum spiritu Dei,sapientia & intelligentia, & scientia, & omni doctrina,

32 Ad excogitandum,& faciendum opus in auro & argento,& ære,

33 Sculpendísque lapidibus,& opere carpentario,quidquid fabrè adinveniri potest,

34 Dedit in corde ejus : Ooliab quoque filium Achisamech de tribu Dan:

35 ambos erudivit sapientia, ut faciant opera abietarij, polymitarij, ac plumarij,de hyacintho,ac purpura,coccóque bis tincto,& bysso & texant omnia, ac nova quæque reperiant:

Caput XXXVI.

Oblatis plus quàm opus esset donariis,paratur tabernaculum juxta omnes partes suas, nempe cortinas, saga operitoria, tabulata,vectes,velum & tentorium:

A Sup. 26. a. 1. 1 Fecit ergo Beseleel,& Ooliab, & omnis vir sapiens,quibus dedit Dominus sapientiam & intellectum ut scirent fabrè operari quæ in usus Sanctuarij necessaria sunt, & quæ præcepit Dominus.

1. Par. 21. d. 29. 2 Cúmque vocasset eos Moyses,& omnem eruditum virum,cui dederat Dominus sapientiam, & qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus,

3 Tradidit eis universa donaria filiorum Israël Qui cùm instarent operi, quotidie manè vota populus offerebat.

4 Unde artifices venire compulsi,

5 Dixerunt Moysi : Plus offert populus quàm necessarium est.

6 Jussit ergo Moyses præconis voce cantari:Nec vir nec mulier quidquam offerat ultrà in opere Sanctuarij. Sícque cessatum est à muneribus offerendis,

7 Eò quòd oblata sufficerent & superabundarent.

B 8 Fecerúntque omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi,cortinas decem,de bysso retorta, & hyacintho, & purpura coccóque bis tincto,opere vario & arte polymita:

9 Quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos,& in latitudine quattuor,una mensura erat omnium cortinarum.

10 Conjunxítque cortinas quinque,alteram alteri,& alias quinque sibi invicem copulavit.

11 Fecit & ansas hyacinthinas in ora cortinæ unius ex utroque latere,& in ora cortinæ alterius similiter,

12 Ut contra se invicem venirent ansæ,& mutuò jungerentur.

13 Unde & quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, & fieret unum tabernaculum.

14 Fecit & saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi :

15 Unum sagum in longitudine habebat cubitos triginta,& in latitudine cubitos quattuor:unius mensuræ erant omnia saga:

16 Quorum quinque junxit seorsum, & sex alia separatim.

17 Fecítque ansas quinquaginta in ora sagi unius,& quinquaginta in ora sagi alterius, ut sibi invicem jungerentur.

18 Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus sagis fieret.

19 Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis:aliúdque desuper velamentum de pellibus ianthinis. C

20 Fecit & tabulas tabernaculi de lignis setim stantes.

21 Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius:& unum ac semis cubitũ latitudo retinebat.

22 Binæ incastraturæ erant per singulas tabulas, ut altera alteri jungeretur.Sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis.

23 E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra Austrum,

24 Cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub una tabula ponebantur ex utraque parte angulorum, ubi incastraturæ laterum in angulis terminantur,

25 Ad plagam quoque tabernaculi,quæ respicit ad Aquilonem, fecit viginti tabulas,

26 Cum quadraginta basibus argenteis,duas bases per singulas tabulas.

27 Contra occidẽtem verò,id est,ad eam partem tabernaculi, quæ mare respicit, fecit sex tabulas,

28 Et duas alias per singulos angulos tabernaculi retrò:

29 Quæ junctæ erant à deorsum usque sursum, & in unam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex utraque parte per angulos :

30 Ut octo essent simul tabulæ,& haberent bases argenteas sedecim, binas scilicet bases sub singulis tabulis.

31 Fecit & vectes de liguis setim, quinque ad D continendas tabulas unius lateris tabernaculi,

32 Et quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas : & extra hos, quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare.

33 Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perveniret.

34 Ipsa autem tabulata deauravit, fusis basibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci possent : quos & ipsos laminis aureis operuit.

35 Fecit & velum de hyacintho, & purpura, vermiculo,ac bysso retorta, opere polymitario,varium atque distinctum :

36 Et quattuor columnas de lignis setim, quas cum capitibus deauravit, fusis basibus earum argenteis.

37 Fecit & tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, byssóque retorta, opere plumarij : & columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.

Caput

Caput XXXVII.

Formatur arca,propitiatorium,mensa,candelabrum,lucernæ,altare thymiamatis, ipsumque thymiama.

A 1 Fecit autem Beseleel & arcam de lignis setim, habentem duos semis cubitos in longitudine,& cubitum ac semissem in latitudine, altitudo quoque unius cubiti fuit & dimidij : vestivítque eam auro purissimo intus ac foris.

2 Et fecit illi coronam auream per gyrum,

3 Conflans quattuor annulos aureos per quattuor angulos ejus : duos annulos in latere uno, & duos in altero.

4 Vectes quoque fecit de lignis setim,quos vestivit auro,

5 Et quos misit in annulos, qui erant in lateribus arcæ ad portandum eam.

6 Fecit & propitiatorium, id est oraculum, de auro mundissimo, duorum cubitorum & dimidij in longitudine, & cubiti ac semis in latitudine.

7 Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos posuit ex utraque parte propitiatorij :

B 8 Cherub unum in summitate unius partis, & Cherub alterum in summitate partis alterius:duos Cherubim in singulis summitatibus propitiatorij:

9 Extendentes alas, & tegentes propitiatorium, séque mutuò & illud respicientes.

10 Fecit & mensam de lignis setim in longitudine duorũ cubitorum,& in latitudine unius cubiti,quæ habebat in altitudine cubitum ac semissem.

11 Circumdedítque eam auro mundissimo, & fecit illi labium aureum per gyrum,

12 Ipsíque labio coronam auream interrasilem quattuor digitorum,& super eamdem, alteram coronam auream.

13 Fudit & quattuor circulos aureos, quos posuit in quattuor angulis per singulos pedes mensæ

14 Contra coronam : misítque in eos vectes, ut posset mensa portari.

15 Ipsos quoque vectes fecit de lignis setim,& circumdedit eos auro.

C 16 Et vasa ad diversos usus mensæ, acetabula, phialas,& cyathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina.

17 Fecit & candelabrum ductile de auro mundissimo. De cujus vecte calami, scyphi, sphærulæque ac lilia procedebant :

18 Sex in utroque latere, tres calami ex parte una, & tres ex altera :

19 Tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul & lilia:& tres scyphi instar nucis in calamo altero,sphærulæque simul & lilia. Æquum erat opus sex calamorum,qui procedebant de stipite candelabri.

20 In ipso autem vecte erant quattuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos simul & lilia.

21 Et sphærulæ sub duobus calamis per loca tria, qui simul sex fiunt calami procedentes de vecte uno.

22 Et sphærulæ igitur, & calami ex ipso erant, universa ductilia ex auro purissimo.

D 23 Fecit & lucernas septem cum emunctoriis suis, & vasa ubi ea quæ emuncta sunt extinguantur, de auro mundissimo :

24 Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis.

25 Fecit & altare thymiamatis de lignis setim, per quadrum singulos habens cubitos,& in altitudine duos:è cujus angulis procedebant cornua.

26 Vestivítque illud auro purissimo,cum craticula ac parietibus & cornibus.

27 Fecítque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos sub corona per singula latera,ut mittãtur in eos vectes,& possit altare portari.

28 Ipsos autem vectes fecit de lignis setim, & operuit laminis aureis.

29 Composuit & oleum ad sanctificationis unguentum, & thymiama de aromatibus mundissimis, opere pigmentarij.

Caput XXXVIII.

Formatur altare holocausti, cum labio æneo & atrio, oblatáque donaria recensentur.

1 Fecit & altare holocausti de lignis setim, A quinque cubitorum per quadrum, & trium 2. Par. 1. b. 5. in altitudine :

2 Cujus cornua de angulis procedebant, operuítque illud laminis æneis.

3 Et in usus ejus paravit ex ære vasa diversa,lebetes,forcipes,fuscinulas,uncinos,& ignium receptacula.

4 Craticulámque ejus in modum retis fecit æneam, & subter eam in altaris medio arulam,

5 Fusis quattuor annulis per totidem retiaculi summitates,ad immittendos vectes ad portandum:

6 Quos & ipsos fecit de lignis setim, & operuit laminis æneis :

7 Induxítque in circulos, qui in lateribus altaris eminebant.Ipsum autem altare non erat* soli- * Sup. 27. b. 8. dum,sed cavum ex tabulis, & intus vacuum.

8 Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum,quæ excubabant in ostio tabernaculi.

9 Fecit & atrium, in cujus australi plaga erant B tentoria de bysso retorta, cubitorum centum,

10 Columnæ æneæ viginti cum basibus suis,capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea.

11 Æquè ad septemtrionalem plagam, tentoria, columnæ, basesque & capita columnarum, ejusdem mensuræ,& operis, ac metalli, erant.

12 In ea verò plaga, quæ ad Occidentem respicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta, columnæ decem cum basibus suis æneæ, & capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea.

13 Porrò contra Orientem,quinquaginta cubitorum paravit tentoria :

14 E quibus quindecim cubitos columnarum trium, cum basibus suis unum tenebat latus :

15 Et in parte altera(quia inter utraque introitum tabernaculi fecit) quindecim æquè cubitorum erant tentoria,columnæque tres, & bases totidem.

16 Cuncta atrij tentoria byssus retorta texuerat.

17 Bases columnarum fuere æneæ,capita autem C earum cum cunctis cælaturis suis,argentea : sed & ipsas columnas atrij vestivit argento.

18 Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta, quod habebat viginti cubitos in longi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tudine, altitudo verò quinque cubitorum erat, juxta mensurã, quam cuncta atrij tentoria habebant.

19 Columnæ autem in ingressu fuere quattuor cum basibus æneis, capitáque earum & cælaturæ argenteæ.

20 Paxillos quoque tabernaculi & atrij per gyrum fecit æneos.

21 Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonij, quæ enumerata sunt juxta præceptum Moysi in ceremoniis Levitarum per manum Ithamar filij Aaron sacerdotis:

22 Quæ Beseleel filius Uri filij Hur de tribu Juda, Domino per Moysen jubente, compleverat,

23 Juncto sibi socio Ooliab filio Achisamech de tribu Dan: qui ipse artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius atque plumarius ex hyacintho, purpura, vermiculo & bysso.

D 24 Omne aurum quod expensum est in opere Sanctuarij, & quod oblatum est in donariis, viginti novem talentorum fuit, & septingentorum triginta siclorum, ad mensuram Sanctuarij.

25 Oblatum est autem ab his qui transierunt ad numerum, à viginti annis & suprà, de sexcentis tribus millibus & quingentis quinquaginta, armatorũ.

26 Fuerunt prætereà centum talenta argenti, è quibus conflatæ sunt bases Sanctuarij, & introitus ubi velum pendet.

27 Centum bases factæ sunt de talentis centum, singulis talentis per bases singulas supputatis.

28 De mille autem septingentis & septuaginta quinque, fecit capita columnarum, quas & ipsas vestivit argento.

29 Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, & quadringenti suprà sicli,

30 Ex quibus fusæ sunt bases in introitu tabernaculi testimonij, & altare æneum cum craticula sua, omniáque vasa quæ ad usum ejus pertinent,

31 Et bases atrij tam in circuitu quàm in ingressu ejus & paxilli tabernaculi atque atrij per gyrum.

CAPUT XXXIX.

Pontificalia sacerdotaliáque conficiuntur ornamenta, totúmque injunctum opus perficitur.

A 1 DE hyacintho verò & purpura, vermiculo
Sup. 28. b. 6. ac bysso, fecit vestes, quibus indueretur Aaron quando ministrabat in sanctis, sicut præcepit Dominus Moysi.

2 Fecit igitur superhumerale de auro, hyacintho, & purpura, coccóq, bis tincto, & bysso retorta,

3 Opere polymitario; incidítque bracteas aureas, & extenuavit in fila, ut possent torqueri cum priorum colorum subtegmine,

4 Duásque oras sibi invicem copulatas in utroque latere summitatum,

5 Et balteum ex eisdem coloribus, sicut præceperat Dominus Moysi.

B 6 paravit & duos lapides onychinos, astrictos & inclusos auro, & sculptos arte gemmaria nominibus filiorum Israël:

7 Posuítque eos in lateribus superhumeralis, in monimentum filiorum Israël, sicut præceperat Dominus Moysi.

8 Fecit & rationale opere polymito juxta opus superhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura, coccóque bis tincto, & bysso retorta:

9 Quadrangulum, duplex, mensuræ palmi.

10 Et posuit in eo gemmarum ordines quattuor. C
In primo versu erat sardius, topazius, smaragdus.

11 In secundo, carbunculus, sapphirus, & jaspis.

12 In tertio, ligurius, achates, & amethystus,

13 In quarto, chrysolithus, onychinus, & berillus, circumdati & inclusi auro per ordines suos.

14 Ipsique lapides duodecim, sculpti erant nominibus duodecim tribuum Israël, singuli per nomina singulorum.

15 Fecerunt in rationali & catenulas sibi invicem cohærentes, de auro purissimo:

16 Et duos uncinos, totidémque annulos aureos. Porrò annulos posuerunt in utroq; latere rationalis,

17 Equibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inseruerunt uncinis, qui in superhumeralis angulis eminebant.

18 Hæc & antè & retrò ita conveniebant sibi, D
ut superhumerale & rationale mutuò necterentur,

19 Stricta ad balteum, & annulis fortiùs copulata, quos jungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent, & à se invicem moverentur, sicut præcepit Dominus Moysi.

20 Fecerunt quoque tunicam superhumeralis totam hyacinthinam,

21 Et capitium in superiori parte contra medium, orámque per gyrum capitij textilem:

22 Deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta.

23 Et tintinnabula de auro purissimo, quæ po- E
suerunt inter malogranata, in extrema parte tunicæ per gyrum:

24 Tintinnabulum autem aureum, & malum punicum, quibus ornatus incedebat pontifex quando ministerio fungebatur, sicut præceperat Dominus Moysi.

25 Fecerunt & tunicas byssinas opere textili Aaron & filiis ejus:

26 Et mitras cum coronulis suis ex bysso:

27 Feminalia quoque linea, byssina:

28 Cingulum verò de bysso retorta, hyacintho, purpura, ac vermiculo bis tincto, arte plumaria, sicut præceperat Dominus Moysi.

29 Fecerunt & laminam sacræ venerationis de F
auro purissimo, scripserúntque in ea opere gemmario, Sanctum Domini:

30 Et strinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina, sicut præceperat Dominus Moysi.

31 Perfectum est igitur omne opus tabernaculi & tecti testimonij: fecerúntque filij Israël cuncta quæ præceperat Dominus Moysi.

32 Et obtulerunt tabernaculum & tectum & universam supellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas ac bases,

33 Operiorium de pellibus arietum rubricatis, & aliud operimentum de ianthinis pellibus,

34 Velum: arcam, vectes, propitiatorium,

35 Mensam cũ vasis suis & propositionis panibus:

36 Candelabrum, lucernas, & utensilia earum G
cum oleo:

37 Altare aureum, & unguentum, & thymiama ex aromatibus.

38 Et tentorium in introitu tabernaculi:

39 Altare æneum, retiaculum, vectes, & vasa ejus

ejus omnia: labrum cum basi sua: tentoria atrij, & columnas cum basibus suis:

40 Tentorium in introitu atrij, funiculósque illius & paxillos. Nihil ex vasis defuit, quæ in ministerium tabernaculi, & in tectum fœderis jussa sunt fieri.

41 Vestes quoque, quibus sacerdotes utuntur in Sanctuario, Aaron scilicet & filij ejus,

42 Obtulerunt filij Israël, sicut præceperat Dñs.

43 Quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis.

CAPUT XL.

Primo mense tabernaculum erigendum & consecrandum præcipitur; quo facto, majestate Dei repletur, nube tabernaculum continuè operiente, nisi dum esset proficiscendum.

A 1 LOcutúsque est Dominus ad Moysen, dicẽs:

2 Mense primo, prima die mensis, eriges tabernaculum testimonij,

3 Et pones in eo arcam, demittéisque ante illam velum:

4 Et illata mensa, pones super eam quæ ritè præcepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis,

5 Et altare aureum in quo adoletur incensum, coram arca testimonij. Tentorium in introitu tabernaculi pones,

6 Et ante illud altare holocausti:

7 Labrum inter altare & tabernaculum, quod implebis aqua.

8 Circumdabísque atrium tentoriis, & ingressum ejus.

9 Et assumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur:

10 Altare holocausti & omnia vasa ejus:

B 11 Labrum cum basi sua: omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint Sancta sanctorum.

12 Applicabísque Aaron & filios ejus ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aqua

13 Indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, & unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.

14 Fecítque Moyses omnia quæ præceperat Dominus.

15 Igitur mense primo anni secundi, prima die mensis collocatum est tabernaculum.

* Num. 7. a. 1. 16 *Erexítque Moyses illud, & posuit tabulas ac bases & vectes, statuítque columnas,

17 Et expandit tectum super tabernaculum, impósito desuper operimento, sicut Dominus imperaverat.

18 Posuit & testimonium in arca, subditis infrà vectibus, & oraculum desuper.

19 Cúmque intulisset arcam in tabernaculum, appendit ante eam velum, ut expleret Domini jussionem.

20 Posuit & mensam in tabernaculo testimonij ad plagam Septemtrionalem extra velum,

21 Ordinatis coràm propositionis panibus, sicut præceperat Dominus Moysi.

22 Posuit & candelabrum in tabernaculo testi- C
monij è regione mensæ in parte australi,

23 Locatis per ordinem lucernis, juxta præceptum Domini.

24 Posuit & altare aureum sub tecto testimonij contra velum,

25 Et adolevit super eo incensum aromatum, sicut jusserat Dominus Moysi.

26 Posuit & tentorium in introitu tabernaculi testimonij,

27 Et altare holocausti in vestibulo testimonij, offerens in eo holocaustum, & sacrificia, ut Dominus imperaverat.

28 Labrum quoque statuit inter tabernaculum D
testimonij & altare, implens illud aqua.

29 Laverúntque Moyses & Aaron ac filij ejus manus suas & pedes,

30 Cùm ingrederentur tectum fœderis, & accederent ad altare, sicut præceperat Dominus Moysi,

31 Erexit & atrium per gyrum tabernaculi & altaris, ducto in introitu ejus tentorio. Postquam omnia perfecta sunt,

32 * Operuit nubes tabernaculum testimonij, * Num. 9. c. 15. 3. Reg. 8. b. 10.
& gloria Domini implevit illud.

33 Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & majestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat.

34 Si quando nubes tabernaculum deserebat, proficiscebantur filij Israël per turmas suas:

35 Si pendebat desuper, manebant in eodem loco.

36 Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, & ignis in nocte videntibus cunctis populis Israël per cunctas mansiones suas.

LIBER LEVITICUS,

HEBRAICE VAICRA.

CAPUT PRIMUM.

Varius ritus ac modus holocaustorum, armentorum, pecudum & avium offerendorum.

A 1  VOCAVIT autem Moysen, & locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonij, dicens:

2 Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus & ovibus offerens victimas,

3 *Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armen- * Exod. 29. b. 10.
to; masculum immaculatũ offeret ad ostium tabernaculi testimonij, ad placandum sibi Dominum.

4 Ponétque manum super caput hostiæ, & acce- B
ptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens.

5 Immolabítque vitulum coram Domino, & offerent filij Aaron sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi.

6 Detractáque pelle hostiæ, artus in frusta concident,

Universidad de Deusto
Biblioteca

7 Et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita:
8 Et membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent jecori,
9 Intestinis & pedibus lotis aqua: adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum & suavem odorem Domino.
10 Quòd si de pecoribus oblatio est, de ovibus
C sive de capris holocaustum, masculum absque macula offeret:
11 Immolabítque ad latus altaris, quod respicit ad Aquilonem, coram Domino: sanguinem verò illius fundent super altare filij Aaron per circuitum:
12 Dividéntque membra, caput, & omnia quæ adhærent jecori: & ponent super ligna, quibus subjiciendus est ignis:
D 13 Intestina verò & pedes lavabunt aqua: Et oblata omnia adolebit sacerdos super altare, in holocaustum & odorem suavissimum Domino:
14 Si autem de avibus, holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ,
15 Offeret eam sacerdos ad altare: & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris:
16 Vesiculam verò gutturis, & plumas projiciet prope altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent,
17 Confringétque ascellas ejus, & non secabit, neque ferro dividet eam, & adolebit super altare, lignis igne suppositò. Holocaustum est & oblatio suavissimi odoris Domino.

Caput II.

Ritus oblationis sacrificiorum similæ oleo conspersæ, thuris, panum, laganorum, atque primitiarum, addito in omnibus sale, nusquam autem fermento, nec melle.

A 1 Anima cùm obtulerit oblationem sacrificij Domino, similа erit ejus oblatio, fundétque super eam oleum, & ponet thus.
2 Ac deferet ad filios Aaron sacerdotes: quorum unus tollet pugillum plenum similæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino.
*Exodi.7. d.34. 3 *Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini:
B 4 Cùm autem obtuleris sacrificium coctum in clibano: de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, & lagana azyma oleo lita.
5 Si oblatio tua fuerit de sartagine, similæ conspersæ oleo, & absque fermento,
6 Divides eam minutatim, & fundes super eam oleum.
7 Sin autem de craticula fuerit sacrificium, æquè simila oleo conspergetur:
8 Quam offerens Domino, trades manibus sacerdotis.
C 9 Qui cùm obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare, in odorem suavitatis Domino;
10 Quidquid autem reliquum est, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini.
11 Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino.
12 Primitias tantùm eorum offeretis ac munera: super altare verò non imponentur in odorem suavitatis.
D 13 Quidquid obtuleris sacrificij,* sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal. *Mar.9 g.48.
14 Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino,
15 Fundens suprà oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est.
16 De qua adolebit sacerdos in memoriam muneris, partem farris fracti, & olei, ac totum thus.

Caput III.

Quo pacto offerantur hostiæ pacificorum, nempe de bobus, ovibus, agnis, & capris.

1 Quòd si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem sive feminam, immaculata offeret coram Domino. A
2 Ponétque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonij, fundéntque filij Aaron sacerdotes sanguinem per altaris circuitum.
3 Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino,* adipem qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis est intrinsecus: *Exod. 29.b.13.
4 Duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum jecoris cum renunculis.
5 Adolebúntque ea super altare in holocaustum, lignis igne suppositò: in oblationem suavissimi odoris Domino. B
6 Si verò de ovibus fuerit ejus oblatio & pacificorum hostia, sive masculum obtulerit, sive feminam, immaculata erunt.
7 Si agnum obtulerit coram Domino,
8 Ponet manum suam super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonij: fundéntque filij Aaron sanguinem ejus per circuitum altaris.
9 Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino: adipem & caudam totam C
10 Cum renibus & pinguedinem quæ operit ventrem atque universa vitalia, & utrumque renunculum cum adipe qui est juxta ilia, reticulúmque jecoris cum renunculis.
11 Et adolebit ea sacerdos super altare, in pabulum ignis & oblationis Domini.
12 Si capra fuerit ejus oblatio & obtulerit eā Dño,
13 Ponet manum suam super caput ejus: immolabítque eam in introitu tabernaculi testimonij. Et fundent filij Aaron sanguinem ejus per altaris circuitum.
14 Tolléntque ex ea in pastum ignis Dominici, adipem qui operit ventrem, & qui tegit universa vitalia: D
15 Duos renunculos, cum reticulo quod est super eos juxta ilia, & arvinam jecoris cum renunculis:
16 Adolebítque ea super altare sacerdos, in alimoniam ignis, & suavissimi odoris. Omnis adeps, Domini erit

17 Iure

17 Jure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem nec adipem omnino comedetis.

Caput IV.

Modus offerendi hostias sacerdotis, principis, & multitudinis per ignorantiam peccantis.

A 1 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicēs:
2 Loquere filiis Israël: Anima quæ peccaverit per ignorantiam, & de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quidpiam fecerit:
3 Si sacerdos qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino:
4 Et adducet illum ad ostium tabernaculi coram Domino: ponétque manum super caput ejus, & immolabit eum Domino.
5 Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonij.
B 6 Cúmque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum Sanctuarij.
7 Ponétque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonij. omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi.
8 Et adipem vituli auferet pro peccato, tām eum qui vitalia operit, quā omnia quæ intrinsecus sunt:
9 Duos renunculos, & reticulum quod est super eos juxta ilia, & adipem jecoris cum renūculis,
10 Sicut aufertur de vitulo hostiæ pacificorum: & adolebit ea super altare holocausti.
C 11 Pellem verò & omnes carnes cum capite & pedibus & intestinis & fimo,
12 Et reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent: incendétque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur,
13 Quòd si omnis turba Israël ignoraverit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est,
14 Et postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducétque eum ad ostium tabernaculi.
D 15 Et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino. Immolatóque vitulo in conspectu Domini,
16 Inferet sacerdos, qui unctus est, de sanguine ejus in tabernaculum testimonij,
17 Tincto digito aspergēs septies cōtra velum.
18 Ponétque de eodem sanguine in cornibus altaris quod est coram Domino in tabernaculo testimonij: reliquum autem sanguinem fundet juxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonij.
19 Omnémque ejus adipem tollet, & adolebit super altare:
20 Sic faciens & de hoc vitulo quo modo fecit & priùs, & rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus.
21 Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut & priorem vitulum: quia est pro peccato multitudinis.

22 Si peccaverit princeps, & fecerit ūhum è pluribus per ignorantiā, quod Dñi lege prohibetur, E
23 Et posteà intellexerit peccatum suum; offeret hostiam Dño, hircum de capris immaculatum:
24 Ponétque manum suam super caput ejus: cúmque immolaverit eum in loco ubi solet mactari holocaustum coram Dño, quia pro peccato est,
25 Tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquum fundens ad basim ejus.
26 Adipem verò adolebit suprà, sicut in victimis pacificorum fieri solet: rogabítque pro eo sacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.
27 Quòd si peccaverit anima per ignorantiam, F de populo terræ, ut faciat quidquam de his quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat,
28 Et cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam.
29 Ponétque manum super caput hostiæ quæ pro peccato est, & immolabit eā in loco holocausti.
30 Tollétque sacerdos de sanguine in digito suo: & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus.
31 Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino: rogabítque pro G eo, & dimittetur ei.
32 Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem scilicet immaculatam;
33 Ponet manum super caput ejus, & immolabit eā in loco ubi solent cædi holocaustorū hostiæ.
34 Sumétque sacerdos de sanguine ejus digito suo, & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus.
35 Omnem quoque adipem auferens, sicut auferri solet adeps arietis qui immolatur pro pacificis; cremabit super altare in incensum Dñi: rogabítque pro eo, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.

Caput V.

De hostiis pro peccatis ex silentio veritatis, immunditia, errore, juramento, sacrorum abusu atque ignorantia.

1 Si peccaverit anima, & audierit vocem juran- A
tis, testísque fuerit quòd aut ipse vidit aut conscius est: nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.
2 Anima quæ tetigerit aliquid immundum, sive quod occisum à bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile: & oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, & deliquit:
3 Et si tetigerit quidquam de immunditia hominis juxta omnem impuritatem qua pollui solet, oblitáque cognoverit posteà, subjacebit delicto.
4 Anima, quæ juraverit, & protulerit labiis suis, ut vel malè quid faceret, vel benè, & idipsum juramento & sermone firmaverit, oblitáque posteà intellexerit delictum suum,
5 Agat pœnitentiam pro peccato, &
6 Offerat de gregibus agnam sive capram, orabítque pro ea sacerdos & pro peccato ejus: B
7 Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat
* duos turtures, vel duos pullos columbarum, *Infr.12. d.8. Luc.2. c.24.
Domino, unum pro peccato, & alterum in holocaustum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

8 Dabítque eos ſacerdoti: qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput ejus ad pennulas, ita ut collo hæreat, & non penitus abrumpatur.

9 Et aſperget de ſanguine ejus parietem altaris. quidquid autem reliquum fuerit, faciet diſtillare ad fundamentum ejus, quia pro peccato eſt.

10 Alterum verò adolebit in holocauſtum, ut fieri ſolet: rogabítque pro eo ſacerdos & pro peccato ejus, & dimittetur ei.

C 11 Quòd ſi non quiverit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem ephi decimam. non mittet in eam oleum nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato eſt.

12 Tradétque eam ſacerdoti, qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit ſuper altare in monimentum ejus qui obtulerit,

13 Rogans pro illo & expians, reliquam verò partem ipſe habebit in munere.

14 Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

15 Anima ſi prævaricans ceremonias, per errorem, in his quæ Domino ſunt ſanctificata peccaverit, offeret pro delicto ſuo arietem immaculatum de gregibus, qui emi poteſt duobus ſiclis, juxta pondus Sanctuarij:

D 16 Ipſúmque quod intulit damni reſtituet, & quintam partem ponet ſuprà, tradens ſacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei.

17 Anima ſi peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam:

18 Offeret arietem immaculatum de gregibus ſacerdoti, juxta menſuram æſtimationémque peccati: qui orabit pro eo, quia neſciens fecerit: & dimittetur ei,

19 Quia per errorem deliquit in Dominum.

CAPUT VI.

Oblatio pro peccato ex certa ſcientia commiſſo: leges holocauſti, ignis perpetui, ſingulorum ſacrificiorum & oblationum ſacerdotis in die unctionis ſuæ: & in genere de hoſtia pro peccato: quive & quando his veſci poſſint.

A 1 LOcutus eſt Dominus ad Moyſen: dicens:

2 Anima quæ peccaverit, & contempto Domino, negaverit proximo ſuo depoſitum quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorſerit, aut calumniam fecerit,

3 Sive rem perditam invenerit, & inficians inſuper pejeraverit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus ſolent peccare homines,

4 Convicta delicti, reddet

5 Omnia quæ per fraudem voluit obtinere, in- * *Num. 5. a. 7.* tegra, & * quintam inſuper partem domino cui damnum intulerat.

6 Pro peccato autem ſuo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum ſacerdoti, juxta æſtimationem menſurámque delicti:

7 Qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro ſingulis quæ faciendo peccavit.

8 Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

9 Præcipe Aaron & filiis ejus: Hæc eſt lex holocauſti: Cremabitur in altari tota nocte uſque B manè: ignis ex eodem altari erit.

10 Veſtietur tunica ſacerdos & feminalibus lineis: tollétque cineres quos vorans ignis exuſſit, & ponens juxta altare,

11 Spoliabitur prioribus veſtimentis, indutúſque aliis, efferet eos extra caſtra, & in loco mundiſſimo uſque ad favillam conſumi faciet.

12 Ignis autem in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubjiciens ligna manè per ſingulos dies, &, impoſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum.

13 Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.

14 Hæc eſt lex ſacrificij & libamentorum, quæ offerét filij Aaron coram Domino, & coram altari.

15 Tollet ſacerdos pugillum ſimilæ, quæ conſperſa eſt oleo, & totum thus, quod ſuper ſimilam poſitum eſt: adolebítque illud in altari, in monimentum odoris ſuaviſſimi Domino.

16 Reliquam autem partem ſimilæ comedet Aaron cum filiis ſuis, abſque fermento: & comedet C in loco Sancto atrij tabernaculi.

17 Ideò autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incenſum Sanctum ſanctorum erit, ſicut pro peccato atque delicto.

18 Mares tantùm ſtirpis Aaron comedent illud. Legitimum ac ſempiternum erit in generationibus veſtris de ſacrificiis Domini. omnis qui tetigerit illa, ſanctificabitur.

19 Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

20 Hæc eſt oblatio Aaron & filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis ſuæ. Decimam partem ephi offerent ſimilæ in ſacrificio ſempiterno, medium ejus manè, & medium ejus veſperè:

21 Quæ in ſartagine oleo conſperſa frigetur. Offeret autem eam calidam, in odorem ſuaviſſimum Domino,

22 Sacerdos qui jure patri ſucceſſerit: & tota cremabitur in altari.

23 Omne enim ſacrificium ſacerdotum igne conſumetur, nec quiſquam comedet ex eo. D

24 Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens:

25 Loquere Aaron & filiis ejus: iſta eſt lex hoſtiæ pro peccato: In loco ubi offertur holocauſtum, immolabitur coram Domino. Sanctũ ſanctorum eſt.

26 Sacerdos qui offert, comedet eam in loco ſancto, in atrio tabernaculi.

27 Quidquid tetigerit carnes ejus, ſanctificabitur. Si de ſanguine illius veſtis fuerit aſperſa, lavabitur in loco ſancto.

28 Vas autem fictile, in quo cocta eſt, confringetur. quòd ſi vas æneum fuerit, defricabitur, & lavabitur aqua.

29 Omnis maſculus de genere ſacerdotali veſcetur de carnibus ejus, quia Sanctũ ſanctorum eſt.

30 Hoſtia enim quæ cæditur pro peccato, * cujus ſanguis infertur in tabernaculum teſtimonij ad expiandum in Sanctuario, non comedétur, ſed comburetur igni. * *Hebr. 13. b. 11. Sup. 4. a. 5.*

CAPUT VII.

Ritus oblationis hoſtiæ pro delicto, & hoſtiæ ac victimæ pacificorum: adeps & ſanguis in univerſum comedi prohibentur.

1 HÆc quoque lex hoſtiæ pro delicto, Sancta A ſanctorum eſt:

2 Idcircò ubi immolabitur holocauſtum, mactabitur

ctabitur & victima pro delicto: ſanguis ejus per gyrum altari fundetur.

3 Offerent ex ea caudam & adipem qui operit vitalia:

4 Duos renunculos, & pinguedinem quæ juxta ilia eſt, reticulúmque jecoris cum renunculis.

5 Et adolebit ea ſacerdos ſuper altare: incenſum eſt Domini pro delicto.

6 Omnis maſculus de ſacerdotali genere, in loco ſancto veſcetur his carnibus, quia ſanctum ſanctorum eſt.

7 Sicut pro peccato offertur hoſtia, ita & pro delicto: utriuſque hoſtiæ lex una erit: ad ſacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit.

8 Sacerdos qui offert holocauſti victimam, habebit pellem ejus.

9 Et omne ſacrificium ſimilæ, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula vel in ſartagine præparatur, ejus erit ſacerdotis à quo offertur:

B 10 Sive oleo conſperſa ſive arida fuerint, cunctis filiis Aaron menſura æqua per ſingulos dividetur.

11 Hæc eſt lex hoſtiæ pacificorum quæ offertur Domino:

12 Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes abſque fermento conſperſos oleo, & lagana azyma uncta oleo, coctámque ſimilam, & collyridas olei admiſtione conſperſas:

13 Panes quoque fermentatos, cum hoſtia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis:

14 Ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, & erit ſacerdotis qui fundet hoſtiæ ſanguinem.

15 cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam uſque manè.

16 Si voto vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam, eadem ſimiliter edetur die: ſed & ſi quid in craſtinum remanſerit, veſci licitum eſt:

17 Quidquid autem tertius invenerit dies, ignis abſumet.

18 Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potiùs quæcumque anima tali ſe edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit.

C 19 Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, ſed comburetur igni: qui fuerit mundus veſcetur ex ea.

20 Anima polluta quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis.

21 Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel jumenti, ſive omnis rei quæ polluere poteſt, & comederit de hujuſcemodi carnibus, interibit de populis ſuis.

22 Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

23 Loquere filiis Iſraël: Adipem ovis, & bovis, & capræ, non comedetis.

24 Adipem cadaveris morticini, & ejus animalis quod à beſtia captum eſt, habebitis in varios uſus.

25 Si quis adipem, qui offerri debet in incenſum Domini, comederit, peribit de populo ſuo.

26 Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibo, tam de avibus quàm de pecoribus.

27 Omnis anima, quæ ederit ſanguinem, peribit de populis ſuis.

28 Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

29 Loquere filiis Iſraël, dicens: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat ſimul & ſacrificium, id eſt, libamenta ejus.

30 Tenebit manibus adipem hoſtiæ, & pectuſculum: cúmque ambo oblata Domino conſecraverit, D tradet ſacerdoti,

31 Qui adolebit adipem ſuper altare, pectuſculum autem erit Aaron & filiorum ejus.

32 Armus quoque dexter de pacificorum hoſtiis cedet in primitias ſacerdotis.

33 Qui obtulerit ſanguinem & adipem, filiorum Aaron, ipſe habebit & armum dextrum in portione ſua.

34 Pectuſculum enim elevationis, & armum ſeparationis, tuli à filiis Iſraël de hoſtiis eorum pacificis, & dedi Aaron ſacerdoti, & filiis ejus, lege perpetua, ab omni populo Iſraël.

35 Hæc eſt unctio Aaron & filiorum ejus in ceremoniis Domini, die qua obtulit eos Moyſes ut ſacerdotio fungerentur,

36 Et quæ præcepit eis dari Dominus à filiis Iſraël religione perpetua in generationibus ſuis.

37 Iſta eſt lex holocauſti, & ſacrificij pro peccato, atque delicto, & pro conſecratione & pacificorum victimis:

38 Quam conſtituit Dominus Moyſi in monte Sinai, quando mandavit filiis Iſraël ut offerrent oblationes ſuas Domino in deſerto Sinai.

CAPUT VIII.

Aaronis & filiorum ejus conſecratio, ac tabernaculi ſupellectiliſque ejus unctio.

1 LOcutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicẽs: A

2 Tolle Aaron cum filiis ſuis, veſtes eorum, & unctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, caniſtrum cum azymis.

3 Et congregabis omnem cœtum ad oſtium tabernaculi.

4 Fecit Moyſes ut Dominus imperaverat. Congregatáque omni turba ante fores tabernaculi,

5 Ait: Iſte eſt ſermo, quem juſſit Dominus fieri.

6 Statímque obtulit Aaron & filios ejus. Cúmque laviſſet eos,

7 Veſtivit Pontificem ſubucula linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & deſuper humerale impoſuit,

8 Quod adſtringens cingulo aptavit rationali, in quo erat Doctrina & Veritas.

9 Cidari quoque texit caput: & ſuper eam, contra frontem, poſuit laminam auream conſecratam B in ſanctificatione, ſicut præceperat ei Dominus.

10 Tulit & unctionis oleum quo linivit tabernaculum cum omni ſupellectili ſua.

11 Cúmque ſanctificans aſperſiſſet altare ſeptem vicibus, unxit illud, & omnia vaſa ejus, labrúmque cum baſi ſua ſanctificavit oleo.

12 * Quod fundens ſuper caput Aaron, unxit * *Exod. 29. a. 18.* eum, & conſecravit.

13 Filios quoque ejus oblatos veſtivit tunicis lineis, & cinxit balteis, impoſuítque mitras, ut juſſerat Dominus.

14 Obtulit & vitulum pro peccato. cúmque C

Universidad de Deusto
Biblioteca

super caput ejus posuisset Aaron, & filij ejus manus suas,

15 Immolavit eum: hauriens sanguinem, & tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum.quo expiato & sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta ejus.

16 Adipem verò qui erat super vitalia, & reticulum jecoris, duósque renunculos cum arvinulis suis,adolevit super altare:

17 Vitulum cum pelle & carnibus, & simo, cremans extra castra, sicut præceperat Dominus.

18 Obtulit & arietem in holocaustum, super cujus caput cùm imposuissent Aaron & filij ejus manus suas,

19 Immolavit eum, & fudit sanguinem ejus per circuitum altaris.

20 Ipsúmque arietem in frusta concidens caput ejus,& artus,& adipem adolevit igni,

D 21 Lotis priùs intestinis & pedibus,totúmque simul arietem incendit super altare, eò quòd esset holocaustum suavissimi odoris Domino,sicut præceperat ei.

22 Obtulit & arietem secundum in consecratione sacerdotum: posuerúntque super caput ejus Aaron & filij ejus manus suas.

23 Quem cùm immolasset Moyses, sumens de sanguine ejus, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron,& pollicem manus ejus dextræ, similiter & pedis.

E 24 Obtulit & filios Aaron. cúmque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ, & pollices manus ac pedis dextri,reliquum fudit super altare per circuitum:

25 Adipem verò, & caudam,omnémque pinguedinem quæ operit intestina reticulúmque jecoris, & duos renes cum adipibus suis & armo dextro separavit.

26 Tollens autem de canistro azymorum quod erat coram Domino, panem absque fermento, & collyridam consperśam oleo, laganúmque, posuit super adipes & armum dextrum,

27 Tradens simul omnia Aaron & filiis ejus. Qui postquam levaverunt ea coram Domino,

F 28 Rursum suscepta de manibus eorum, adolevit super altare holocausti, eò quòd consecrationis esset oblatio,in odorẽ suavitatis sacrificij Dño.

29 Tulítque pectusculum, elevans illud coram Domino,de ariete consecrationis in partem suam, sicut præceperat ei Dominus.

30 Assuménsque unguentum & sanguinem qui erat in altari, aspersit super Aaron & vestimenta ejus, & super filios illius ac vestes eorum.

G 31 Cúmque sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis,dicens:Coquite carnes ante fores tabernaculi,& ibi comedite eas.panes quoque consecrationis edite qui positi sunt in canistro, sicut
* *Exod. 29.v.32. Inf. 24. b.9.* præcepit mihi Dominus, dicens: * Aaron & filij ejus comedent eos:

32 Quidquid autem reliquum fuerit de carne & panibus,ignis absumet.

33 De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ.septem enim diebus finitur consecratio:

34 Sicut & impræsentiarum factum est,ut ritus sacrificij compleretur.

35 Die ac nocte manebitis in tabernaculo observantes custodias Domini,ne moriamini: sic enim mihi præceptum est.

36 Fecerúntque Aaron & filij ejus cuncta quæ locutus est Dominus per manum Moysi.

Caput IX.

Primitiis sacrificiorum pro sacerdote ac populo Deo redditis, Aaron populo benedixit, gloria Domini apparuit, igníque holocaustum devoravit.

1 FActo autem octavo die, vocavit Moyses Aaron & filios ejus,ac majores natu Israël, dixítque ad Aaron: A

2 * Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum,utrumque immaculatum, & offer illos coram Domino. * *Exod. 29.a.1.*

3 Et ad filios Israël loquêris:Tollite hircum pro peccato, & vitulum atque agnum anniculos,& sine macula, in holocaustum,

4 Bovem & arietem pro pacificis: & immolate eos coram Domino,in sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes. hodie enim Dominus apparebit vobis.

5 Tulerunt ergo cuncta quæ jusserat Moyses ad ostiũ tabernaculi:ubi cùm omnis multitudo astaret, B

6 Ait Moyses: Iste est sermo quem præcepit Dominus:facite, & apparebit vobis gloria ejus.

7 Et dixit ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo: offer holocaustum, & deprecare pro te & pro populo. cúmque mactaveris hostiã populi,ora pro eo, sicut præcepit Dominus.

8 Statímque Aaron accedens ad altare, immolavit vitulum pro peccato suo:

9 Cujus sanguinem obtulerunt ei filij sui: in quo tingens digitum,tetigit cornua altaris,& fudit residuum ad basim ejus.

10 Adipémque & renunculos,ac reticulum jecoris, quæ sunt pro peccato, adolevit super altare, sicut præceperat Dominus Moysi:

11 Carnes verò & pellem ejus extra castra combussit igni.

12 Immolavit & holocausti victimam: obtulerúntque ei filij sui sanguinem ejus,quem fudit per altaris circuitum. C

13 Ipsam etiam hostiam in frusta concisam, cum capite & membris singulis obtulerunt. quæ omnia super altare cremavit igni,

14 Lotis aqua priùs intestinis & pedibus.

15 Et pro peccato populi offerens mactavit hircum:expiatóque altari,

16 Fecit holocaustum,

17 Addens in sacrificio libamenta,quæ pariter offeruntur,& adolens ea super altare,absque ceremoniis holocausti matutini.

18 Immolavit & bovem atque arietem, hostias pacificas populi: obtulerúntque ei filij sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitum.

19 Adipem autem bovis, & caudam arietis,renunculósque cum adipibus suis,& reticulũ jecoris D

20 Posuerunt super pectora. cúmque cremati essent adipes super altare,

21 Pectora eorũ, & armos dextros, separavit Aaron,elevans coram Dño, sicut præceperat Moyses.

22 Et

22 Et extendens manus ad populum,benedixit ei. Sícque completis hostiis pro peccato, & holocaustis & pacificis, descendit.

23 Ingressi autem Moyses & Aaron in tabernaculum testimonij, & deinceps ingressi benedixe-
*2.*Mac.* 2.*b.*10. runt populo. * apparuítque gloria Domini omni multitudini:

24 Et ecce egressus ignis à Domino, devoravit holocaustum,& adipes qui erant super altare.Quod cùm vidissent turbæ,laudaverunt Dominum,ruentes in facies suas.

Caput X.

Igne Nadab & Abiu consumpti plangúntur à populo,non à sacerdotibus:vino autem sacerdotibus interdicto, præcipitur ut residuum oblationis comedant.

A 1 ARreptísque Nadad & abiu filij Aaron thuribulis,* posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat.
* *Num.* 3.*a.*4. 26.*g.*61. 1. *Par.* 24.*a.*2.

2 Egressúsque ignis à Domino, devoravit eos, & mortui sunt coram Domino.

3 Dixítque Moyses ad Aaron: Hoc est quod locutus est Dominus: Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron.

4 Vocatis autem Moyses Misaël & Elisaphan filiis Oziel, patrui Aaron, ait ad eos: Ite & tollite fratres vestros de conspectu Sanctuarij, & asportate extra castra.

5 Confestímque pergentes, tulerunt eos sicut jacebant,vestitos lineis tunicis,& ejecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum.

B 6 Locutúsque est Moyses ad Aaron,& ad Eleazar,& Ithamar filios ejus:Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne fortè moriamini, & super omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres vestri, & omnis domus Israël, plangant incendium quod Dominus suscitavit:

7 Vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis:oleum quippe sanctæ unctionis est super vos. Qui fecerunt omnia juxta præceptum Moysi.

8 Dixit quoque Dominus ad Aaron:

9 Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui,quando intratis in tabernaculum testimonij, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras.

10 Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum,inter pollutum & mundum:

11 Doceatísque filios Israël omnia legitima mea quæ locutus est Dominus ad eos per manũ Moysi.

C 12 Locutúsque est Moyses ad Aaron,& ad Eleazar, & Ithamar,filios ejus, qui erant residui: Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, & comedite illud absque fermento juxta altare, quia Sanctum sanctorum est.

13 Comedetis autem in loco sancto: quod datum est tibi & filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi.

14 Pectusculum quoque quod oblatum est,& armum qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu & filij tui, & filiæ tuæ tecum. tibi enim ac liberis tuis reposita sunt de hostiis salutaribus filiorum Israël:

15 Eò quòd armum & pectus, & adipes qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino, & pertineant ad te,& ad filios tuos,lege perpetua, sicut præcepit Dominus.

16 * Inter hæc, hircum, qui oblatus fuerat pro D
*2.*Mac.* 2.*c.*11. peccato, cùm quæreret Moyses, exustum reperit: iratúsque contra Eleazar & Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait:

17 Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ Sancta sanctorum est,& data vobis ut portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini,

18 Præsertim cùm de sanguine illius non sit illatum intra sancta, & comedere debueritis eam in Sanctuario, sicut præceptum est mihi?

19 Respondit Aaron: Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino:mihi autem accidit,quod vides. quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in ceremoniis, mente lugubri?

20 Quòd cùm audisset Moyses, recepit satisfactionem.

Caput XI.

Animalium mundorum ab immundis separatio, eorúmque usus, ut sancti sint filij Israël sicut & Dominus.

1 LOcutúsque est Dominus ad Moysen & Aa- A
ron, dicens:

2 Dicite filiis Israël: * Hæc sunt animalia quæ **Deut.* 14.*a.*3. comedere debetis de cunctis animantibus terræ:

3 Omne quod habet divisam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis.

4 Quidquid autem ruminat quidem, & habet ungulam, sed non dividit eam, sicut camelus & cetera, non comedetis illud & inter immunda reputabitis.

5 Chœrogryllus qui ruminat,ungulámque non dividit, immundus est.

6 Lepus quoque: nam & ipse ruminat, sed ungulam non dividit.

7 Et * sus: qui cùm ungulam dividat, non ru- **2.Mac.* 6.*d.*18. minat.

8 Horum carnibus non vescemini,nec cadavera contingetis, quia immunda sunt vobis.

9 Hæc sunt quæ gignuntur in aquis,& vesci li- H
citum est.Omne quod habet pinnulas & squamas, tam in mari quàm in fluminibus & stagnis, comedetis.

10 Quidquid autem pinnulas & squamas non habet eorum quæ in aquis moventur & vivunt, abominabile vobis

11 Execrandúmque erit, carnes eorum non comedetis, & morticina vitabitis.

12 Cuncta quæ non habent pinnulas & squamas in aquis, polluta erunt.

13 Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis,& vitanda sunt vobis: Aquilam,& gryphem, & haliæetum,

14 Et miluum ac vulturem juxta genus suum,

15 Et omne corvini generis in similitudinem suam,

16 Struthionem, & noctuam, & larum, & accipitrem juxta genus suum:

17 Bubonem,& mergulum, & ibin,

18 Et cygnum,& onocrotalum,& porphyrionem,

19 Hero

Universidad de Deusto Biblioteca

C 19 Herodionem & charadrion juxta genus ſuum, upupam quoque, & veſpertilionem.

20 Omne de volucribus quod graditur ſuper quattuor pedes, abominabile erit vobis.

21 Quidquid autem ambulat quidem ſuper quattuor pedes, ſed habet longiora retrò crura, per quæ ſalit ſuper terram,

22 Comedere debetis,ut eſt bruchus in genere ſuo, & attachus atque ophiomachus, ac locuſta, ſingula juxta genus ſuum.

23 Quidquid autem ex volucribus quattuor tantùm habet pedes, execrabile erit vobis:

24 Et quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus uſque ad veſperum:

D 25 Et ſi neceſſe fuerit ut portet quidpiam horum mortuum, lavabit veſtimenta ſua, & immundus erit uſque ad occaſum ſolis.

26 Omne animal quod habet quidem ungulam, ſed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit:& qui tetigerit illud,contaminabitur.

27 Quod ambulat ſuper manus, ex cunctis animantibus quæ incedunt quadrupedia, immundum erit:qui tetigerit morticina eorum, polluetur uſque ad veſperum.

28 Et qui portaverit hujuſcemodi cadavera,lavabit veſtimenta ſua, & immundus erit uſque ad veſperum:quia omnia hæc immunda ſunt vobis.

E 29 Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his quæ moventur in terra, muſtela & mus & crocodilus, ſingula juxta genus ſuum,

30 Mygale, & chamæleon,& ſtellio,& lacerta, & talpa:

31 Omnia hæc immunda ſunt:qui tetigerit morticina eorum, immundus erit uſque ad veſperum:

32 Et ſuper quod ceciderit quidquam de morticinis eorum,polluetur,tam vas ligneum & veſtimentum, quàm pelles & cilicia:& in quocumque fit opus,tingentur aqua, & polluta erunt uſque ad veſperum, & ſic poſteà mundabuntur.

33 Vas autem fictile,in quod horum quidquam intrò ceciderit,polluetur,& idcircò frangendũ eſt.

34 Omnis cibus quem comedetis, ſi fuſa fuerit ſuper eum aqua,immundus erit:& omne liquẽs quod bibitur de univerſo vaſe, immundum erit.

F 35 Et quidquid de morticinis hujuſcemodi ceciderit ſuper illud,immundum erit:ſive clibani, ſive chytropodes, deſtruentur, & immundi erunt.

36 Fontes verò & ciſternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit. Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur.

37 Si ceciderit ſuper ſementẽ, non polluet eam.

38 Si autem quiſpiam aqua ſementem perfuderit,& poſteà morticinis tacta fuerit,illicò polluetur.

39 Si mortuum fuerit animal quod licet vobis comedere, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit uſque ad veſperum:

40 Et qui comederit ex eo quippiam, ſive portaverit; lavabit veſtimenta ſua, & immundus erit uſque ad veſperum.

41 Omne quod reptat ſuper terram, abominabile erit, nec aſſumetur in cibum.

G 42 Quidquid ſuper pectus quadrupes graditur,& multos habet pedes, ſive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile eſt.

43 Nolite contaminare animas veſtras,nec tangatis quidquam eorum,ne immundi ſitis.

44 Ego enim ſum Dominus Deus veſter: * ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Ne polluatis animas veſtras in omni reptili quod movetur ſuper terram. *1.Pet. 1.c.16.

45 Ego enim ſum Dominus, qui eduxi vos de Terra Ægypti,ut eſſem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum.

46 Iſta eſt lex animantium ac volucrum, & omnis animæ viventis quæ movetur in aqua & reptat in terra,

47 Ut differentias noveritis mundi & immundi, & ſciatis quid comedere & quid reſpuere debeatis.

CAPUT XII.

Puerperæ immunditia, & mundatio cum oblatione.

1 LOcutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: A

2 Loquere filiis Iſraël,& dices ad eos: * Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, juxta dies ſeparationis menſtruæ. *Luc.2. c.22.

3 * Et die octavo circumcidetur infantulus: *Luc.2. c.21. Ioan.7. c.22.

4 Ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget,nec ingredietur in Sanctuarium,donec impleantur dies purificationis ſuæ. B

5 Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menſtrui,& ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ.

6 Cúmque expleti fuerint dies purificationis ſuæ, pro filio, ſive pro filia,deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ ſive turturem pro peccato,ad oſtium tabernaculi teſtimonij, & tradet ſacerdoti, C

7 Qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea,& ſic mundabitur à profluvio ſanguinis ſui.iſta eſt lex parientis maſculum aut feminam. D

8 Quòd ſi non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, ſumet * duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccato. orabítque pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur. *Sup.5. b.7.c.11. Luc.2. c.24.

CAPUT XIII.

Lex & cognitio lepræ in homine & veſtimento.

1 LOcutúſque eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron,dicens: A

2 Homo,in cujus cute & carne ortus fuerit diverſus color ſive puſtula, aut quaſi lucens quippiam,id eſt plaga lepræ,adducetur ad Aaron ſacerdotem,vel ad unum quemlibet filiorum ejus.

3 Qui cùm viderit lepram in cute,& pilos in album mutatos colorem, ipsámque ſpeciem lepræ humiliorem cute & carne reliqua;plaga lepræ eſt, & ad arbitrium ejus ſeparabitur.

4 Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris priſtini, recludet eum ſacerdos ſeptem diebus,

5 Et conſiderabit die ſeptimo: & ſiquidem lepra ultrà non creverit, nec tranſierit in cute priores terminos, rurſum recludet eum ſeptem diebus aliis.

6 Et

6 Et die ſeptimo contemplabitur: ſi obſcurior fuerit lepra, & non creverit in cute, mundabit eum,quia ſcabies eſt:lavabítque homo veſtimenta ſua, & mundus erit.

B 7 Quòd ſi poſtquam à ſacerdote viſus eſt, & redditus munditiæ, iterùm lepra creverit;adducetur ad eum,

8 Et immunditiæ condemnabitur.

9 Plaga lepræ ſi fuerit in homine,adducetur ad ſacerdotem,

10 Et videbit eum. Cúmque color albus in cute fuerit, & capillorum mutaverit aſpectum, ipſa quoque caro viva apparuerit:

11 Lepra vetuſtiſſima judicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum ſacerdos, & non recludet, quia perſpicuæ immunditiæ eſt.

12 Sin autem effloruerit diſcurrens lepra in cute, & operuerit omnem cutem à capite uſque ad pedes, quidquid ſub aſpectum oculorum cadit,

13 Conſiderabit eum ſacerdos, & teneri lepra mundiſſima judicabit: eò quòd omnis in candorem verſa ſit,& idcircò homo mundus erit.

14 Quando verò caro vivens in eo apparuerit,

15 Tunc ſacerdotis judicio polluetur, & inter immundos reputabitur.caro enim viva ſi lepra aſpergitur,immunda eſt.

16 Quòd ſi rurſum verſa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit,

17 Conſiderabit eum ſacerdos, & mundum eſſe decernet.

18 Caro autem & cutis in qua ulcus natum eſt & ſanatum,

C 19 Et in loco ulceris cicatrix alba apparuerit,ſive ſubrufa, adducetur homo ad ſacerdotem:

20 Qui cùm viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos verſos in candorem,contaminabit eum:plaga enim lepræ orta eſt in ulcere.

21 Quòd ſi pilus coloris eſt priſtini, & cicatrix ſubobſcura, & vicina carne non eſt humilior, recludet eum ſeptem diebus.

22 Et ſi quidem creverit,adjudicabit eum lepræ.

23 Sin autem ſteterit in loco ſuo, ulceris eſt cicatrix, & homo mundus erit.

24 Caro autem & cutis quam ignis exuſſerit, & ſanata albam ſive rufam habuerit cicatricem,

25 Conſiderabit eam ſacerdos,& ecce verſa eſt in alborem, & locus ejus reliqua cute eſt humilior: contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta eſt.

D 26 Quòd ſi pilorum color non fuerit immutatus,nec humilior plaga carne reliqua,& ipſa lepræ ſpecies fuerit ſubobſcura, recludet eum ſeptem diebus,

27 Et die ſeptimo contemplabitur: ſi creverit in cute lepra, contaminabit eum.

28 Sin autem in loco ſuo candor ſteterit non ſatis clarus, plaga combuſtionis eſt, & idcircò mundabitur,quia cicatrix eſt combuſturæ.

29 Vir, ſive mulier, in cujus capite vel barba germinaverit lepra, videbit eos ſacerdos.

30 Et ſiquidem humilior fuerit locus carne reliqua,& capillus flavus ſolitóque ſubtilior; contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ eſt.

31 Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, & capillum nigrum: recludet eum ſeptem diebus,

32 Et die ſeptimo intuebitur. Si non creverit macula, & capillus ſui coloris eſt, & locus plagæ carni reliquæ æqualis: E

33 Radetur homo abſque loco maculæ, & includetur ſeptem diebus aliis.

34 Si die ſeptimo viſa fuerit ſtetiſſe plaga in loco ſuo,nec humilior carne reliqua, mundabit eum, lotíſque veſtibus ſuis mundus erit.

35 Sin autem poſt emundationem rurſus creverit macula in cute,

36 Non quæret ampliùs utrùm capillus in flavum colorem ſit immutatus, quia apertè immundus eſt.

37 Porrò ſi ſteterit macula, & capilli nigri fuerint, noverit hominem ſanatum eſſe, & confidenter eum pronuntiet mundum.

38 Vir, ſive mulier, in cujus cute candor apparuerit,

39 Intuebitur eos ſacerdos. ſi deprehenderit ſubobſcurum alborem lucere in cute, ſciat non eſſe lepram, ſed maculam coloris candidi, & hominem mundum.

40 Vir, de cujus capite capilli fluunt, calvus & mundus eſt:

41 Et ſi à fronte ceciderint pili, recalvaſter & mundus eſt.

42 Sin autem in calvitio ſive in recalvatione albus vel rufus color fuerit exortus,

43 Et hoc ſacerdos viderit, condemnabit eum haud dubiè lepræ, quæ orta eſt in calvitio. F

44 Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium ſacerdotis,

45 Habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum,contaminatum ac ſordidum ſe clamabit.

46 Omni tempore, quo leproſus eſt & immundus, ſolus habitabit extra caſtra.

47 Veſtis lanea ſive linea,quæ lepram habuerit,

48 In ſtamine atque ſubtegmine, aut certè pellis, vel quidquid ex pelle confectum eſt,

49 Si alba vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur,oſtendetúrque ſacerdoti.

50 Qui conſideratam recludet ſeptem diebus:

51 Et die ſeptimo rurſus aſpiciens ſi deprehenderit creviſſe,lepra perſeverans eſt:pollutum judicabit veſtimentum,& omne in quo fuerit inventa:

52 Et idcircò comburetur flammis.

53 Quòd ſi eam viderit non creviſſe,

54 Præcipiet,& lavabunt id in quo lepra eſt,recludétque illud ſeptem diebus aliis.

55 Et cùm viderit faciem quidem priſtinam non reverſam,nec tamen creviſſe lepram, immundum judicabit, & igne comburet, eò quòd infuſa ſit in ſuperficie veſtimenti vel per totum, lepra. G

56 Sin autem obſcurior fuerit locus lepræ,poſtquam veſtis eſt lota, abrumpet eum,& à ſolido dividet.

57 Quòd ſi ultrà apparuerit in his locis quæ priùs immaculata erant,lepra volatilis & vaga:debet igne comburi.

58 Si

Universidad de Deusto
Biblioteca

58 Si cessáverit, lavabit aqua ea quæ pura sunt, secundò, & munda erunt.

59 Ista est lex lepræ vestimenti lanei & linei, staminis, atque subtegminis, omnísque supellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

Caput XIV.

Lepræ expiandæ sacrificia pro homine, domo, ac vestimento.

A 1 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens:
2 Hic est ritus leprosi, quando mundandus est: * Adducetur ad sacerdotem:
* Matt. 8. a.4. 3 Qui egressus de castris, cùm invenerit lepram esse mundatam,
*Mar.1. d.44. Luc.5. c.14. 4 * Præcipiet ei qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se, quibus vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculúmque & hyssopum.
5 Et unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes:
6 Alium autem vivum cum ligno cedrino, & cocco & hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati,
7 Quo asperget illum, qui mundandus est, septies, ut jure purgetur: & dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet.
8 Cúmque laverit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, & lavabitur aqua: purificatúsque ingredietur castra, ita dumtaxat ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus,
9 Et die septimo radet capillos capitis, barbámque & supercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus & corpore,
B 10 Die octavo assúmet duos agnos immaculatos, & ovem anniculam absque macula, & tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextarium.
11 Cúmque sacerdos purificans hominem, statuerit eum, & hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonij,
12 Tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleíque sextarium. & oblatis ante Dñm omnibus,
13 Immolabit agnũ, ubi solet immolari hostia pro peccato, & holocaustum, id est, in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia: Sancta sanctorum est.
14 Assuménsque sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur, & super pollices manus dextræ & pedis:
15 Et de olei sextario mittet in manum suam sinistram,
16 Tingétque digitum dextrum in eo, & asperget coram Domino septies.
C 17 Quod autem reliquum est olei in læva manu, fundet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur, & super pollices manus ac pedis dextri, & super sanguinem qui effusus est pro delicto,
18 Et super caput ejus.
19 Rogabítque pro eo coram Domino, & faciet sacrificiũ pro peccato. tunc immolabit holocaustũ,
20 Et ponet illud in altari cum libamentis suis, & homo ritè mundabitur.
21 Quòd si pauper est, & non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt, pro delicto assúmet agnum ad oblationem, ut roget pro eo sacerdos, decimámque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium, & olei sextarium,
* Sup. 5. b.7.c.11. 12.d.8. Luc.2. c.24. 22 * Duósque turtures sive duos pullos columbæ, quorum unus sit pro peccato, & alter in holocaustum:
23 Offerétque ea die octavo purificationis suæ sacerdoti, ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino.
24 Qui suscipiens agnum pro delicto, & sextarium olei, levabit simul: D
25 Immolatóque agno, de sanguine ejus ponet super extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, & super pollices manus ejus ac pedis dextri:
26 Olei verò partem mittet in manum suam sinistram,
27 In quo tingens digitum dextræ manus asperget septies coram Domino:
28 Tangétque extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur, & pollices manus ac pedis dextri, in loco sanguinis qui effusus est pro delicto:
29 Reliquam autem partem olei, quæ est in sinistra manu, mittet super caput purificati, ut placet pro eo Dominum:
30 Et turturem sive pullum columbæ offeret,
31 Unum pro delicto, & alterum in holocaustum cum libamentis suis.
32 Hoc est sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem sui.
33 Locutúsque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:
34 Cùm ingressi fueritis Terram Chanaan, quam E ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus,
35 Ibit cujus est domus, nuntians sacerdoti, & dicet: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea.
36 At ille præcipiet ut efferant universa de domo, priusquam ingrediatur eam, & videat utrùm leprosa sit, ne immunda fiant omnia quæ in domo sunt. Intrabítq; posteà ut consideret lepram domus:
37 Et cùm viderit in parietibus illius quasi vallículas pallore sive rubore deformes, & humiliores superficie reliqua,
38 Egredietur ostium domus, & statim claudet illam septem diebus.
39 Reversúsque die septimo, considerabit eam. si invenerit crevisse lepram,
40 Jubebit erui lapides in quibus lepra est, & F projici eos extra civitatem in locum immundum:
41 Domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, & spargi pulverem rasuræ extra urbem in locum immundum,
42 Lapidésque alios reponi pro his qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum.
43 Sin autem postquam eruti sunt lapides, & pulvis erasus, & alia terra lita,
44 Ingressus sacerdos viderit reversam lepram, & parietes respersos maculis, lepra est perseverans, & immunda domus:
45 Quam statim destruent, & lapides ejus ac ligna, atque universum pulverem projicient extra oppidum in locum immundum.
46 Qui intraverit domum quando clausa est, immundus erit usque ad vesperum:

47 Et

47 Et qui dormierit in ea, & comederit quippiam, lavabit vestimenta sua.
G 48 Quòd si introiens sacerdos viderit lepram non crevisse in domo, postquam denuò lita fuerit, purificabit eam reddita sanitate:
49 Et in purificationem ejus sumet duos passeres, lignúmque cedrinum, & vermiculum atque hyssopum:
50 Et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas,
51 Tollet lignum cedrinum, & hyssopum, & coccum, & passerem vivum, & tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, & asperget domum septies,
52 Purificabítque eam tam in sanguine passeris quàm in aquis viventibus, & in passere vivo, lignóque cedrino & hyssopo atque vermiculo.
53 Cúmque dimiserit passerem avolare in agrum liberè, orabit pro domo, & jure mundabitur.
54 Ista est lex omnis lepræ & percussúræ,
55 Lepræ vestium & domorum,
56 Cicatricis & erumpentium papularum, lucẽtis maculæ, & in varias species, coloribus immutatis,
57 Ut possit sciri quo tempore mundum quid, vel immundum sit.

Caput XV.

Seminis fluí viri & menstruosæ mulieris expiatio.

A 1 Locutúsque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:
2 Loquimini filiis Israël, & dicite eis: Vir, qui patitur fluxum seminis, immundus erit.
3 Et tunc judicabitur huic vitio subjacere, cùm per singula momenta adhæserit carni ejus, atque concreverit fœdus humor.
4 Omne stratum, in quo dormierit, immundum erit, & ubicumque sederit.
5 Si quis hominum tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.
6 Si sederit ubi ille sederat, & ipse lavabit vestimenta sua: & lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.
7 Qui tetigerit carnem ejus, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.
8 Si salivam hujuscemodi homo jecerit super eum qui mundus est, lavabit vestimenta sua: & lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.
B 9 Sagma, super quo sederit, immundum erit:
10 Et quidquid sub eo fuerit qui fluxum seminis patitur, pollutum erit usque ad vesperum. Qui portaverit horum aliquid, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperũ.
11 Omnis, quem tetigerit qui talis est, non lotis antè manibus, lavabit vestimenta sua: & lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.
12 Vas fictile quod tetigerit, confringetur: vas autem ligneum lavabitur aqua.
13 Si sanatus fuerit qui hujuscemodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui, & lotis vestibus & toto corpore in aquis viventibus, erit mundus.
14 Die autem octavo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, & veniet in conspectum Domini ad ostium tabernaculi testimonij, dabítque eos sacerdoti.
15 Qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum: rogabítque pro eo coram Domino, ut emundetur à fluxu seminis sui.
16 Vir de quo egreditur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum: & immundus erit usque ad vesperum.
17 Vestem & pellem, quam habuerit, lavabit C aqua, & immunda erit usque ad vesperum.
18 Mulier, cum qua coierit, lavabitur aqua, & immunda erit usque ad vesperum.
19 Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur.
20 Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperum.
21 Et in quo dormierit vel sederit diebus separationis suæ, polluetur.
22 Qui tetigerit lectũ ejus, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usq; ad vesperum.
23 Omne vas, super quo illa sederit, quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, pollutus erit usque ad vesperum.
24 Si coierit cum ea vir tempore sanguinis D menstrualis, immundus erit septem diebus: & omne stratum, in quo dormierit, polluetur.
25 Mulier, quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quamdiu subjacet huic passioni, immunda erit quasi sit in tempore menstruo.
26 Omne stratum in quo dormierit, & vas in quo sederit, pollutum erit.
27 Quicumq; tetigerit ea, lavabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua, immundus erit usq; ad vesperum.
28 Si steterit sanguis, & fluere cessaverit, numerabit septem dies purificationis suæ:
29 Et die octavo offeret pro se sacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum ad ostium tabernaculi testimonij:
30 Qui unum faciet pro peccato, & alterum in holocaustum, rogabítque pro ea coram Domino, & pro fluxu immunditiæ ejus:
31 Docebitis ergo filios Israël ut caveant immunditiam, & non moriantur in sordibus suis, cùm polluerint tabernaculum meum quod est inter eos.
32 Ista est lex ejus, qui patitur fluxum seminis, & qui polluitur coitu,
33 Et quæ menstruis tẽporibus separatur, vel quæ jugi fluit sanguine, & hominis, qui dormierit cũ ea.

Caput XVI.

Quando & quomodo sacerdos ingredi debeat Sanctuarium, ipsúmque expiare unà cum tabernaculo & altari, emissarium caprum abigere, & festum expiationum celebrare.

1 Locutúsque est Dominus ad Moysen post A mortem duorum filiorum Aaron, quando
* Sup. 10.a.1. * offerentes ignem alienum interfecti sunt:
* Exod. 30.b.10. Hebr.9. b.7. 2 Et præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, * ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum)
3 Nisi hæc antè fecerit: Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4 Tunica linea vestietur,feminalibus lineis verenda celabit:accingetur zona linea,cidarim lineā imponet capiti : hæc enim vestimenta sunt sancta: quibus cunctis,cùm lotus fuerit, induetur.

B 5 Suscipiétque ab universa multitudine filiorum Israël duos hircos pro peccato,& unum arietem in holocaustum

6 Cúmque obtulerit vitulum,& oraverit pro se & pro domo sua,

7 Duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonij :

8 Mittensque super utrumque sortem unam Domino, & alteram capro emissario :

9 Cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato :

10 Cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, & emittat eum in solitudinem.

11 His ritè celebratis, offeret vitulum, & rogans pro se & pro domo sua, immolabit eum.

12 Assumptóque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultrà velum intrabit in sancta :

C 13 Ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium, & non moriatur.

14 Tollet quoque de sanguine vituli, & asperget digito septies contra propitiatoriū ad orientem.

15 Cúmque mactaverit hircum pro peccato populi,inferet sanguinem ejus intra velum,sicut præceptum est de sanguine vituli,ut aspergat è regione oraculi,

16 Et expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Israël,& à prævarication ibus eorum, cunctísque peccatis. Juxta hunc ritum faciet tabernaculo testimonij, quod fixum est inter eos in medio sordium habitationis eorum.

D 17 *Nullus hominum sit in tabernaculo,quando pontifex sanctuarium ingreditur, ut roget pro se & pro domo sua, & pro universo cœtu Israël, donec egrediatur.

* Luc.1. a. 10.

18 Cùm autem exierit ad altare quod coram Domino est,oret pro se,& sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua ejus per gyrum:

19 Aspergénsque digito septies, expiet & sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israël.

20 Postquam emundaverit Sanctuarium,& tabernaculum,& altare,tunc offerat hircum viventem;

21 Et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, & universa delicta atque peccata eorum : quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum, in desertum.

E 22 Cúmque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto,

23 Revertetur Aaron in tabernaculum testimonij,& depositis vestibus,quibus priùs indutus erat cùm intraret Sanctuarium, relictísque ibi,

24 Lavabit carnem suam in loco sancto,induetúrque vestibus suis. Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum ac plebis, rogabit tam pro se quàm pro populo:

25 Et adipem,qui oblatus est pro peccatis,adolebit super altare.

26 Ille verò,qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua & corpus aqua,& sic ingredietur in castra.

27 Vitulum autem & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in Sanctuarium ut expiatio compleretur, asportabunt foras castra, * & comburent igni tam pelles quàm carnes eorum ac fimum:

F

* Heb. 13.b.11.

28 Et quicumque combusserit ea, lavabit vestimēta sua & carnē aqua,& sic ingredietur in castra.

29 Erítque vobis hoc legitimum sempiternum: * Mense septimo, decima die mensis, affligetis animas vestras,nullúmque opus facietis, sive indigena, sive advena qui peregrinatur inter vos.

*Inf.23. c.27.28.

30 In hac die expiatio erit vestri,atque mundatio ab omnibus peccatis vestris : coram Domino mundabimini.

G

31 Sabbatum enim requietionis est,& affligetis animas vestras religione perpetua.

32 Expiabit autem sacerdos,qui unctus fuerit,& cujus manus initiatæ sunt ut sacerdotio fungatur pro patre suo : induetúrque stola linea & vestibus sanctis,

33 Et expiabit sanctuarium & tabernaculum testimonij atque altare, sacerdotes quoque & universum populum.

34 Erítque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israël, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur sicut præceperat Dominus Moysi.

Caput XVII.

Nusquam nisi ad ostium tabernaculi sacrificandum,atque à sanguine & morticino abstinendum.

A 1 ET locutus est Dominus ad Moysen,dicens:
2 Loquere Aaron & filiis ejus, & cunctis filiis Israël,dicens ad eos:Iste est sermo quem mandavit Dominus, dicens :

3 Homo quilibet de domo Israël, si occiderit bovem aut ovem, sive capram, in castris vel extra castra,

4 Et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit : quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui.

5 Ideò sacerdoti offerre debent filij Israël hostias suas,quas occident in agro, ut sanctificentur Domino ante ostium tabernaculi testimonij, & immolent eas hostias pacificas Domino.

B 6 Fundétque sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tabernaculi testimonij, & adolebit adipem in odorem suavitatis Domino :

7 Et nequaquam ultrà immolabunt hostias suas dæmonibus,cum quibus fornicati sunt.Legitimum sempiternum erit illis & posteris eorum.

8 Et ad ipsos dices: Homo de domo Israël,& de advenis qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum sive victimam,

9 Et ad ostiū tabernaculi testimonij non adduxerit eā,ut offeratur Domino,interibit de populo suo.

10 Homo quilibet de domo Israël, & de advenis qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo,

C

11 Quia

11 Quia anima carnis in sanguine est : & ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit.

12 Idcircò dixi filiis Israël:Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem, nec ex advenis qui peregrinantur apud vos.

13 Homo quicumque de filiis Israël, & de advenis qui peregrinantur apud vos,si venatione atque aucupio ceperit feram vel avem,quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, & operiat illum terra.

D 14 * Anima enim omnis carnis in sanguine est: unde dixi filiis Israël. Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est: & quicumque comederit illum, interibit.

* Gen.9. a.4. Sup.7. c.26.

15 Anima quæ comederit morticinum, vel captum à bestia,tam de indigenis, quàm de advenis,lavabit vestimenta sua & semetipsum aqua, & contaminatus erit usque ad vesperum : & hoc ordine mundus fiet.

16 Quòd si non laverit vestimenta sua & corpus, portabit iniquitatem suam.

Caput XVIII.

Gradus conjugijilliciti,ad gentium opera fugienda in varia carnali turpitudine.

A 1 LOcutus est Dominus ad Moysen,dicens:
2 Loquere filiis Israël,& dices ad eos:Ego Dominus Deus vester:

3 Juxta consuetudinem Terræ Ægypti, in qua habitastis,non facietis: & juxta morem Regionis Chanaan,ad quam ego introducturus sum vos,non agetis,nec in legitimis eorum ambulabitis.

4 Facietis judicia mea, & præcepta mea servabitis & ambulabitis in eis.Ego Dñs Deus vester.

* Ezech. 20.b.11. Rom.10. a. 5. Gal.3. b.12.

5 * Custodite leges meas atque judicia,quæ faciens homo, vivet in eis. Ego Dominus.

6 Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dñs.

7 Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non discooperies:mater tua est.non revelabis turpitudinem ejus.

8 Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies. turpitudo enim patris tui est.

B 9 Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre,quæ domi vel foris genita est,non revelabis.

10 Turpitudinem filiæ filij tui vel neptis ex filia non revelabis : quia turpitudo tua est.

11 Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non revelabis:

12 Turpitudinem sororis patris tui non discooperies : quia caro est patris tui.

13 Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eò quòd caro sit matris tuæ.

14 Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur.

15 Turpitudinem nurus tuæ non revelabis,quia uxor filij tui est, nec discooperies ignominiā ejus.

16 Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis:quia turpitudo fratris tui est.

C 17 Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ ejus non revelabis. Filiam filij ejus, & filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus : quia caro illius sunt, & talis coitus incestus est.

18 Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente.

19 Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes, nec revelabis fœditatem ejus.

20 Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commistione maculaberis.

21 * De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch,nec pollues nomen Dei tui.Ego Dñs.

*Inf.20. a.2.

22 Cum masculo non commiscearis coitu femineo, quia abominatio est.

23 Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. * Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei : quia scelus est.

D *Inf.20. c.16.

24 Nec polluamini in omnibus his,quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum,

25 Et quibus polluta est terra:cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos.

26 Custodite legitima mea atque judicia,& non faciatis ex omnibus abominationibus istis,tam indigena quàm colonus qui peregrinantur apud vos.

27 Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ,qui fuerunt ante vos,& polluerunt eam.

28 Cavete ergo ne & vos similiter evomat, cùm paria feceritis, sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos.

29 Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus his quippiam,peribit de medio populi sui.

30 Custodite mandata mea. Nolite facere quæ fecerunt hi qui fuerunt ante vos, & ne polluamini in eis. Ego Dominus Deus vester.

Caput XIX.

Varia præcepta moralia ac judicialia.

A 1 LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens:
2 Loquere ad omnem cœtum filiorum Israël, & dices ad eos:*Sancti estote:quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester.

* Sup. 11.g.44. 1.Pet. 1. c.16.

3 Unusquisque patrem suum,& matrem suam timeat. Sabbata mea custodite. Ego Dñs Deus vester.

4 Nolite converti ad idola, nec deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester.

5 Si immolaveritis hostiam pacificorum Domino, ut sit placabilis.

6 Eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero : quidquid autem residuum fuerit in diem tertium, igne comburetis.

7 Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit, & impietatis reus.

B

8 Portabítque iniquitatem suam, quia sanctum Domini polluit,& peribit anima illa de populo suo.

9 * Cùm messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ:nec remanentes spicas colliges.

*Inf 23. d.22.

10 Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes. ego Dominus Deus vester.

11 Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum.

C

12 * Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. ego Dominus.

* Exod. 20.b.7. * Eccl. 10.a.6.

13 *Non facies calumniam proximo tuo,nec vi opprimes eum. * Non morabitur opus mercenarij tui apud te usque manè.

* Deut. 24.c.14. Tob. 4. c.15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

14 Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum : sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus.

15 Non facies quod iniquum est, nec injustè judicabis. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Justè judica proximo tuo.

16 Non eris criminator, nec susurro in populo. Non stabis contra sanguinem proximi tui. ego Dñs.

17 * Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed * publicè argue eum, ne habeas super illo peccatũ.

18 Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. * Diliges amicum tuum sicut teipsum. ego Dominus.

19 Leges meas custodite. Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuum non seres diverso semine. Veste quæ ex duobus texta est, non induêris.

20 Homo si dormierit cum muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nubilis, & tamen pretio non redempta, nec libertate donata : vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera.

21 Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonij arietem :

22 Orabitque pro eo sacerdos, & pro peccato ejus coram Domino, & repropitiabitur ei, dimittetúrque peccatum.

23 Quando ingressi fueritis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.

24 Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino.

25 Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt. ego Dominus Deus vester.

26 Non comedetis cum sanguine. Non augurabimini, nec observabitis somnia.

27 Neque in rotundum attondebitis comam: nec radetis barbam.

28 Et super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis. ego Dominus.

29 Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.

30 Sabbata mea custodite, & Sanctuarium meum metuite. ego Dominus.

31 Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. ego Dominus Deus vester.

32 Coram cano capite consurge, & honora personã senis: & time Dñm Deum tuum. ego sum Dñs.

33 * Si habitaverit advena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei :

34 Sed sit inter vos quasi indigena : & diligetis eum quasi vosmetipsos : fuistis enim & vos advenæ in Terra Ægypti. ego Dominus Deus vester.

35 Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura.

36 Statera justa, & æqua sint pondera, justus modius, æquúsque sextarius. ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de Terra Ægypti.

37 Custodite omnia præcepta mea, & universa judicia, & facite ea. ego Dominus.

*Deut. 1.c.17. 16.d.19. Prov. 24.c.23. Eccli. 42.a.1. Iac. 2. a. 2. *1.Ioan. 2.b.11. 3.c.14.

*Eccl. 19.b.13. Mat.18. b. 15. Luc. 17. a.3. *Mat. 5. g.43.22. d.39. Luc. 6. d.27. Rom.13. c. 9.

*Exod. 22.d. 21.

CAPUT XX.

Morte plectendi sunt qui de semine suo Moloch offerunt, qui magos aut ariolos consulunt, qui parentibus maledicunt, qui varios exercent coitus illicitos.

1 LOcutúsque est Dominus ad Moysen, dicẽs: A

2 Hæc loquêris filiis Israël : Homo de filiis Israël, & de advenis qui habitant in Israël,* si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur : populus terræ lapidabit eum. *Sup.18 c. 21.

3 Et ego Ponam faciem meam contra illum: succidámque eum de medio populi sui, eò quòd dederit de semine suo Moloch, & contaminaverit Sanctuarium meum, ac polluerit nomen sanctum meum.

4 Quòd si negligens populus terræ, & quasi parvipendens imperium meum dimiserit hominem qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere :

5 Ponam faciem meam super hominem illum, & super cognationem ejus, succidámque & ipsum, & omnes qui consenserunt ei ut fornicaretur cum Moloch, de medio populi sui.

6 Anima, quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiã illam de medio populi sui.

7 * Sanctificamini & estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester. *1.Pet. 1.c.16.

8 Custodite præcepta mea, & facite ea: Ego Dominus qui sanctifico vos. B

9 * Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur: patri matríque maledixit, sanguis ejus sit super eum. *Exod. 21.c.17. Prov. 20.c.20. Mati. 15.a.4. Marc.7. b. 10.

10 * Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur, & mœchus & adultera.

11 Qui dormierit cum noverca sua, & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo : sanguis eorum sit super eos. * Deut. 22. c. 22. Ioan. 8. a.5.

12 Si quis dormierit eũ nuru sua, uterq; moriatur, quia scelus operati sunt: sanguis eorũ sit super eos.

13 Qui dormierit cum masculo, coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur : sit sanguis eorum super eos.

14 Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est: vos ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. C

15 Qui cum jumẽto & pecore coierit, morte moriatur : pecus quoque occidite.

16 *Mulier quæ succubuerit cuilibet jumẽto, simul interficietur cum eo : sanguis eorum sit super eos. *Sup.18. d.23.

17 Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem ejus, illáque conspexerit fratris ignominiam: nefariam rem operati sunt : occidentur in conspectu populi sui, eò quòd turpitudinem suam mutuò revelaverint, & portabunt iniquitatem suam.

18 Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipsáque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.

19 Turpitudinem materteræ & amitæ tuæ non discooperies: qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudavit, portabunt ambo iniquitatem suam. D

20 Qui coierit cum uxore patrui, vel avunculi sui, &

& revelaverit ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatũ suum: absque liberis morientur.

21 Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit : absque liberis erunt.

22 Custodite leges meas, atque judicia, & facite ea : ne & vos evomat terra quam intraturi estis & habitaturi.

23 Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus sum eas.

E 24 Vobis autem loquor : Possidete terram eorum, quam dabo vobis in hereditatem, terram fluentem lacte & melle. Ego Dominus Deus vester, qui separavi vos à cæteris populis.

25 Separate ergo & vos jumentum mundum ab immundo, & avem mundam ab immunda : ne polluatis animas vestras in pecore, & avibus, & cunctis quæ moventur in terra, & quæ vobis ostendi esse polluta.

*1. Pet. 1.c.16. 26 *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separavi vos à cæteris populis, ut essetis mei.

*Deut. 18.b.11. 1. Reg. 28.b.7. 27 * Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur. lapidibus obruent eos: sanguis eorum sit super illos.

CAPUT XXI.

Quibus funeribus interesse possint sacerdotes, & quales ducere uxores ; quive inepti sint ad sacerdotium : & de filia sacerdotis fornicante.

A 1 DIxit quoque Dominus ad Moysen : Loquere ad sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos : Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum,

2 Nisi tantùm in consanguineis, ac propinquis, id est, super patre, & matre, & filio, & filia, fratre quoque,

3 Et sorore virgine quæ non est nupta viro :

4 Sed nec in principe populi sui contaminabitur.

*Sup.19. c.27. Ezech. 44.f.20. 5 * Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras.

6 Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus : incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideò sancti erunt.

*Sup.19. f. 29. 7 * Scortum & vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata est à marito : quia consecrati sunt Deo suo,

B 8 Et panes propositionis offerunt. Sint ergo sancti, quia & ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos.

9 Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violaverit nomen patris sui, flammis exuretur.

10 Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, & cujus manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitúsque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet :

11 Et ad omnem mortuum non ingredietur omnino. super patre quoque suo & matre non contaminabitur.

12 Nec egredietur de sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. ego Dominus.

C *Ezech. 44.f.22. 13 * Virginem ducet uxorem:

14 Viduam autem & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo :

15 Ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ: quia ego Dominus qui sanctifico eum.

16 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens:

17 Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo,

18 Nec accedet ad ministerium ejus : si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso,

19 Si fracto pede, si manu,

20 Si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel hernioſus.

21 Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo : D

22 Vescetur tamen panibus qui offeruntur in Sanctuario,

23 Ita dumtaxat, ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet Sanctuarium meum. Ego Dominus qui sanctifico eos.

24 Locutus est ergo Moyses ad Aaron, & ad filios ejus, & ad omnem Israël, cuncta quæ fuerant sibi imperata.

CAPUT XXII.

Ab esu sanctificatorum qui abstinere debeant, & quæ debeant offerri.

1 LOcutus quoque est Dñs ad Moysen, dicens: A

2 Loquere ad Aaron & ad filios ejus, ut caveant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israël, & non contaminent nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt. ego Dominus.

3 Dic ad eos, & ad posteros eorum : Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israël Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. ego sum Dominus.

4 Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. Qui tetigerit immundum super mortuo, & ex quo egreditur semen quasi coitus,

5 Et qui tangit reptile, & quodlibet immundum, cujus tactus est sordidus,

6 Immundus erit usque ad vesperum, & non vescetur his quæ sanctificata sunt : sed cùm laverit carnem suam aqua,

7 Et occubuerit sol, tunc mundatus vescetur de sanctificatis, quia cibus illius est.

8 * Morticinum & captum à bestia non comedent, nec polluentur in eis. ego sum Dominus. *Sup. 17.d.15. Exod. 22.d.31. Deut. 14.c.21. Ezech. 44.g.31.

9 Custodiant præcepta mea, ut non subjaceant peccato, & moriantur in Sanctuario, cùm polluerint illud. ego Dominus qui sanctifico eos.

10 Omnis alienigena non comedet de sanctificatis, inquilinus sacerdotis & mercenarius non vescentur ex eis. B

11 Quem autem sacerdos emerit, & qui vernaculus domus ejus fuerit, hi comedent ex eis.

12 Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit : de his quæ sanctificata sunt, & de primitiis non vescetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

13 Sin autem vidua,vel repudiata,& absque liberis reversa fuerit ad domum patris sui:sicut puella consueverat, aletur cibis patris sui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem.

14 Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo quod comedit, & dabit sacerdoti in Sanctuarium.

15 Nec contaminabunt sanctificata filiorum Israël, quæ offerunt Domino :

C 16 Ne fortè sustineant iniquitatem delicti sui, cum sanctificata comederint. ego Dominus qui sanctifico eos.

17 Locutúsque est Dominus ad Moysen,dicens:

18 Loquere ad Aaron & filios ejus,& ad omnes filios Israël,dicésque ad eos:Homo de domo Israël, & de advenis qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota solvens , vel sponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini ,

19 Ut offeratur per vos, masculus immaculatus erit ex bobus, & ovibus, & ex capris :

20 Si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile.

* Deut. 15.d.21. Eccli.35. b.14. 21 * Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino,vel vota solvens,vel sponte offerens,tam de bobus quàm de ovibus , immacularum offeret, ut acceptabile sit: omnis macula non erit in eo.

22 Si cœcum fuerit , si fractum , si cicatricem habens , si papulas, aut scabiem,aut impetiginem: non offeretis ea Domino,nec adolebitis ex eis super altare Domini.

D 23 Bovem & ovem , aure & cauda amputatis, voluntariè offerre potes,votum autem ex eis solvi non potest.

24 Omne animal quod vel contritis,vel tusis,vel sectis ablatísque testiculis est,non offeretis Domino,& in terra vestra hoc omnino ne faciatis.

25 De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro,& quidquid aliud dare voluerit : quia corrupta,& maculata sunt omnia : non suscipietis ea.

26 Locutúsque est Dominus ad Moysen,dicens:

27 Bos,ovis,& capra,cùm genita fuerint,septem diebus erunt sub ubere matris suæ:die autem octavo , & deinceps offerri poterunt Domino.

28 Sive illa bos , sive ovis , non immolabuntur una die cum fœtibus suis.

29 Si immolaveritis hostiam pro gratiarum actione Domino,ut possit esse placabilis,

30 Eodem die comedetis eam, non remanebit quidquam in manè alterius diei. ego Dominus.

31 Custodite mandata mea , & facite ea. ego Dominus.

32 Ne polluatis nomen meum sanctum,ut sanctificer in medio filiorum Israël. Ego Dominus qui sanctifico vos,

33 Et eduxi de Terra Ægypti , ut essem vobis in Deum. ego Dominus.

Caput XXIII.

Sollemnitates Sabbati, Paschæ, Primitiarum, Hebdomadarum, Messis, Tubarum , Expiationis, ac Tabernaculorum , & quibus ritibus peragi debeant.

A 1 LOcutúsque est Dominus ad Moysen,dicens:
2 Loquere filiis Israël, & dices ad eos:Hæ sunt feriæ Domini , quas vocabitis sanctas:

3 Sex diebus facietis opus: dies septimus,quia sabbati requies est , vocabitur sanctus. omne opus non facietis in eo,sabbatum Domini est in cunctis habitationibus vestris.

4 Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis.

* Exod. 12.c.18. Num. 28.c.16. 5 * Mense primo , quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est :

6 Et quintadecima die mensis hujus, sollemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis.

7 Dies primus erit vobis celeberrimus,sanctúsque : omne opus servile non facietis in eo :

B 8 Sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus. dies autem septimus erit celebrior & sanctior,nullúmque servile opus facietis in eo.

9 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens:

10 Loquere filiis Israël , & dices ad eos : Cùm ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis , & messueritis segetem , feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ , ad sacerdotem :

11 Qui elevabit fasciculum coram Domino , ut acceptabile sit pro vobis , altero die Sabbati , & sanctificabit illum :

12 Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus , anniculus in holocaustum Domini.

13 Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odorémque suavissimum : liba quoque vini, quarta pars hin.

C 14 Panem,& polentam, & pultes non comedetis ex segete , usque ad diem qua offeretis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum in generationibus , cunctísque habitaculis vestris.

* Deut. 16,b.9. 15 * Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum , septem hebdomadas plenas,

16 Usque ad alteram diem explctionis hebdomadæ septimæ , id est , quinquaginta dies : & sic offeretis sacrificium novum Domino

17 Ex omnibus habitaculis vestris,panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ,quos coquetis in primitias Domini.

18 Offeretísque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos,& vitulum de armento unum, & arietes duos,& erunt in holocaustum cum libamentis suis , in odorem suavissimum Domino.

19 Facietis & hircum pro peccato , duósque agnos anniculos hostias pacificorum.

D 20 Cúmque elevaverit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino,cedent in usum ejus.

21 Et vocabitis hunc diem celeberrimum,atque sanctissimum : omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, & generationibus vestris.

* Sup. 19.b.9. 22 * Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ,non secabitis eam usque ad solum: nec remanentes spicas colligetis,sed pauperibus & peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dñs Deus vester.

23 Locutúsque est Dominus ad Moysen,dicens:

* Num. 29.a.1. 24 * Loquere filiis Israël : Mense septimo,prima die mensis,erit vobis sabbatum, memoriale , clangentibus tubis, & vocabitur sanctum :

25 Omne

25 Omne opus servile non facietis in eo,& offeretis holocaustum Domino.

26 Locutúsque est Dominus ad Moysen , dicens :

* Sup. 16.f.29. Num. 29.a.7. Ioan.7. f. 37. E 27 * Decimo die mensis hujus septimi,dies expiationum erit celeberrimus,& vocabitur sanctus: affligetísque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino.

28 Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus : quia dies propitiationis est , ut propitietur vobis Dominus Deus vester.

29 Omnis anima,quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis :

30 Et quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo.

31 Nihil ergo operis facietis in eo : legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus, & habitationibus vestris.

32 Sabbatum requietionis est , & affligetis animas vestras die nono mensis: A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.

F 33 Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

34 Loquere filiis Israël : A quintodecimo die mensis hujus septimi, erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino.

35 Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus:omne opus servile non facietis in eo.

36 Et septem diebus offeretis holocausta Domino. dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino:est enim cœtus atque collectæ:omne opus servile non facietis in eo.

37 Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas , offerétísque in eis oblationes Domino, holocausta & libamenta juxta ritum uniuscujusque diei :

38 Exceptis sabbatis Domini, donísque vestris, & quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino.

G 39 A quinto decimo ergo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ,celebrabitis ferias Domini septem diebus die primo & die octavo erit sabbatum,id est,requies.

40 Sumetísque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ,spathulásque palmarum,& ramos ligni densarum frondium,& salices de torrente,& lætabimini coram Domino Deo vestro.

41 Celebrabitísque sollemnitatem ejus septem diebus per annum. legitimum sempiternum erit in generationibus vestris.Mense septimo festa celebrabitis,

42 Et habitabitis in umbraculis septem diebus. omnis, qui de genere est Israël, manebit in tabernaculis :

43 Ut discant posteri vestri , quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israël, cùm educerem eos de terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester.

44 Locutúsque est Moyses super sollemnitatibus Domini ad filios Israël.

Caput XXIV.

Ritus concinnandarum lucernarum, panum propositionis; pœna blasphemorum ac talionis.

A 1 ET locutus est Dominus ad Moysen , dicens:
2 Præcipe filiis Israël, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter,

3 Extra velum testimonij in tabernaculo fœderis. Ponétque eas Aaron à vespere usque ad manè coram Domino, cultu ritúque perpetuo in generationibus vestris.

4 Super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini.

5 Accipies quoque similam,& coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas:

B 6 Quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues:

7 Et pones super eos thus lucidissimum,ut sit panis in monimentum oblationis Domini.

8 Per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti à filiis Israël fœdere sempiterno :

9 Erúntque Aaron & filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto : quia Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo.

10 Ecce autem egressus filius mulieris Israëlitidis , quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israël, jurgatus est in castris cum viro Israëlita.

11 Cúmque blasphemasset nomen , & maledixisset ei,adductus est ad Moysen (Vocabatur autè mater ejus Salumith, filia Dabri de tribu Dan.)

12 Miserúntque eum in carcerem , donec nossent quid juberet Dominus.

13 Qui locutus est ad Moysen,

C 14 Dicens:Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt,manus suas super caput ejus,& lapidet eum populus universus ;

15 Et ad filios Israël loqueris:Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum :

16 Et qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur,lapidibus opprimet eum omnis multitudo , sive ille civis , sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.

* Exod. 21.b.12. 17 * Qui percusserit , & occiderit hominem, morte moriatur.

18 Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animam pro anima.

19 Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum:sicut fecit, sic fiet ei:

D 20 * Fracturam pro fractura,oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.

* Exod. 21.c.24. Deut.19. d.21. Matt.5. f. 38. 21 Qui percusserit jumentum,reddet aliud.Qui percusserit hominem, punietur.

22 Æquum judicium sit inter vos , sive peregrinus , sive civis peccaverit:quia ego sum Dominus Deus vester.

23 Locutúsque est Moyses ad filios Israël : & eduxerunt eum, qui blasphemaverat, extra castra, ac lapidibus oppressérunt. Fecerúntque filij Israël sicut præceperat Dominus Moysi.

Caput XXV.

Septimi & quinquagesimi anni lex,non sumenda à fratribus usura , nec ipsi servituti perpetuæ opprimendi sunt, sed magis ab advenis potentibus redimendi.

A 1 LOcutúsque est Dominus ad Moysen in monte Sinai, dicens :
2 Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis,sabbatizes sabbatum Domino.

Universidad de Deusto
Biblioteca

*Exod. 23.b.10.

3 *Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligésque fructus ejus:
4 Septimo autem anno sabbatum erit terræ, requietionis Domini: agrum non seres, & vineam non putabis.
5 Quæ sponte gignet humus, non metes: & uvas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam: annus enim requietionis terræ est:
6 Sed erunt vobis in cibum, tibi & servo tuo, ancillæ & mercenario tuo, & advenæ qui peregrinantur apud te:
7 Jumentis tuis & pecoribus, omnia quæ nascuntur, præbebunt cibum.
8 Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem.
9 Et clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra.
B 10 Sanctificabísque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim jubileus. Revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque rediet ad familiam pristinam:
11 Quia jubileus est & quinquagesimus annus. Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, & primitias vindemiæ non colligetis,
12 Ob sanctificationem jubilei, sed statim oblata comedetis.
13 Anno jubilei redient omnes ad possessiones suas.
14 Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed juxta numerum annorum jubilei emes ab eo,
15 Et juxta supputationem frugum vendet tibi.
16 Quantò plures anni remanserint post jubileum, tantò crescet & pretium: & quantò minus temporis numeraveris, tantò minoris & emptio constabit. tempus enim frugum vendet tibi.
17 Nolite affligere contribules vestros, sed timeat unusquisque Deum suum, quia ego Dominus Deus vester.
C 18 Facite præcepta mea, & judicia custodite, & implete ea, ut habitare possitis in terra absque ullo pavore,
19 Et gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini usque ad saturitatem, nullius impetum formidantes.
20 Quòd si dixeritis: Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras?
21 Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum:
22 Seretísque anno octavo, & comedetis veteres fruges usque ad nonum annum: donec nova nascantur, edetis vetera.
23 Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea est, & vos advenæ & coloni mei estis.
24 Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur.
25 Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat.
26 Sin autem non habuerit proximum, & ipse pretium ad redimendum potuerit invenire,
27 Computabuntur fructus ex eo tempore quo D vendidit: & quod reliquum est, reddet emptori, sícque recipiet possessionem suam.
28 Quòd si non invenerit manus ejus ut reddat pretium, habebit emptor quod emerat, usque ad annum jubileum. In ipso enim omnis venditio redibit ad dominum & ad possessorem pristinum.
29 Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus.
30 Si non redemerit, & anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, & posteri ejus in perpetuum, & redimi non poterit etiam in jubileo.
31 Sin autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet, agrorum jure vendetur. si antè redempta non fuerit, in jubileo revertetur ad dominum.
32 Ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi:
33 Si redemptæ non fuerint, in jubileo revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israël. E
34 Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est.
35 Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi advenam & peregrinum, & vixerit tecum,
36 Ne accipias usuras ab eo, nec amplius quàm dedisti. Time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te.
37 Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges.
38 Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de Terra Ægypti, ut darem vobis Terram Chanaan, F & essem vester Deus.
39 Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum,
40 Sed quasi mercenarius & colonus erit: usque ad annum jubileum operabitur apud te,
41 Et posteà egredietur cum liberis suis, & revertetur ad cognationem & ad possessionem patrum suorum,
42 Mei enim servi sunt, & ego eduxi eos de Terra Ægypti. non veneant conditione servorum:
43 Ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum.
44 Servus & ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt.
45 Et de advenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos:
46 Et hereditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum. fratres autem vestros filios Israël ne opprimatis per potentiam.
47 Si invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe ejus: G
48 Post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum,
49 Et patruus, & patruelis, & consanguineus, & affinis. Sin autem & ipse potuerit, redimet se,
50 Supputatis dumtaxat annis à tempore venditionis suæ usque ad annum jubileum: & pecunia, qua

qua venditus fuerat, juxta annorum numerum & rationem mercenarij supputata.
51 Si plures fuerint anni qui remanent usque ad jubileum, secundùm hos reddet & pretium.
52 Si pauci, ponet rationem cum eo juxta annorum numerum, & reddet emptori quod reliquum est annorum.
53 Quibus antè servivit mercedibus imputatis: non affliget eum violenter in conspectu tuo.
54 Quòd si per hæc redimi non potuerit, anno jubileo egredietur cum liberis suis.
55 Mei enim sunt servi, filij Israël, quos eduxi de terra Ægypti.

CAPUT XXVI.

Dei præcepta servantibus bona promittuntur, non servantibus verò plurima mala.

A 1 EGo Dominus Deus vester: * Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum. ego enim sum Dominus Deus vester.
*Exod. 20.a.4. Deut.5. a.8. Psal.96. b.7.
2 Custodite sabbata mea, & pavete ad Sanctuarium meum. ego Dominus.
*Deut. 28.a.1. 3 * Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis,
4 Et terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur.
5 Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pavore habitabis in terra vestra:
B 6 Dabo pacem in finibus vestris, dormietis, & non erit qui exterreat. Auferam malas bestias: & gladius non transibit terminos vestros.
7 Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis,
8 Persequentur quinque de vestris centum alienos: & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro.
9 Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum.
10 Comedetis vetustissima veterum, & vetera novis supervenientibus projicietis.
11 Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea.
*2.Cor. 6.d.16. 12 *Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vósque eritis populus meus.
13 Ego Dominus Deus vester: qui eduxi vos de Terra Ægyptiorum, ne serviretis eis, & qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti:
Deut. 28.b.15. Thren.2. f.17. Malac. 2.a.2. 14 Quòd si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea,
15 Si spreveritis leges meas, & judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea quæ à me constituta sunt, & ad irritū perducatis pactum meum:
C 16 Ego quoque hæc faciam vobis: Visitabo vos velociter in egestate & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras. Frustrà seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur.
17 Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subjiciemini his qui oderunt vos, fugietis, nemine persequente.
18 Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplū propter peccata vestra,
19 Et conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboque vobis cælum desuper sicut ferrum, & terram æneam.
20 Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.
21 Si ambulaveritis ex adverso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras in septuplum D propter peccata vestra:
22 Immittámque in vos bestias agri, quæ consumant vos, & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant, desertæque fiant viæ vestræ.
23 Quòd si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi:
24 Ego quoque contra vos adversus incedam, & percutiam vos septies propter peccata vestra.
25 Inducámque super vos gladium ultorem fœderis mei. Cúmque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medio vestri, & trademini in manibus hostium.
26 Postquam confregero baculum panis vestri: ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus: & comedetis, & non saturabimini.
27 Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaveritis contra me: E
28 Et ego incedam adversus vos in furore contrario, & corripiam vos septem plagis propter peccata vestra,
29 Ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum & filiarum vestrarum,
30 Destruam excelsa vestra, & simulachra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, & abominabitur vos anima mea,
31 In tantum ut urbes vestras redigam in solitudinem, & deserta faciam Sanctuaria vestra, nec recipiam ultrà odorem suavissimum.
32 Disperdámq; terram vestram, & stupebunt super ea inimici vestri, cùm habitatores illius fuerint.
33 Vos autem dispergam in Gentes, & evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, & civitates vestræ dirutæ.
34 Tunc placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ: quando fueritis
35 In terra hostili, sabbatizabit, & requiescet in sabbatis solitudinis suæ, eò quòd non requieverit in sabbatis vestris, quando habitabatis in ea.
36 Et qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit F eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium: cadent, nullo persequente,
37 Et corruent singuli super fratres suos quasi bella fugientes, nemo vestrum inimicis audebit resistere.
38 Peribitis inter Gentes, & hostilis vos terra consumet,
39 Quòd si & de iis aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, in terra inimicorum suorum, & propter peccata patrum suorum & sua affligentur:
40 Donec confiteantur iniquitates suas, & majorum suorum, quibus prævaricati sunt in me, & ambulaverunt ex adverso mihi.

41 Am

Universidad de Deusto
Biblioteca

41 Ambulabo igitur & ego contra eos,& inducam illos in terram hostilem, donec erubescat incircumcisa mens eorum: tunc orabunt pro impietatibus suis.

G 42 Et recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Jacob, Isaac, & Abraham. Terræ quoque memor ero:

43 Quæ cùm relicta fuerit ab eis, complacebit sibi in sabbatis suis, patiens solitudinem propter illos.Ipsi verò rogabunt pro peccatis suis,eò quòd abjecerint judicia mea, & leges meas despexerint.

44 Et tamen etiam cùm essent in terra hostili, non penitus abjeci eos, neque sic despexi ut consumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum,

45 Et recordabor fœderis mei pristini, quando eduxi eos de Terra Ægypti in conspectu Gentium, ut essem Deus eorum, ego Dominus. Hæc sunt judicia atque præcepta & leges, quas dedit Dominus inter se & filios Israël in monte Sinai per manum Moysi.

Caput XXVII.

Variorum generum vota, & illorum ac decimarum persolutio.

A 1 Locutúsque est Dominus ad Moysen,dicens:
2 Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Homo qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam,sub æstimationedabit pretium.

3 Si fuerit masculus à vigesimo anno usque ad sexagesimum annum,dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram Sanctuarij:

4 Si mulier, triginta.

5 A quinto autem anno usque ad vigesimum, masculus dabit viginti siclos:femina decem.

6 Ab uno mense usque ad annum quintum,pro masculo dabuntur quinque sicli: pro femina, tres.

7 Sexagenarius & ultrà masculus dabit quindecim siclos: femina decem.

8 Si pauper fuerit,& æstimationem reddere non valebit, stabit coram sacerdote: & quantum ille æstimaverit, & viderit eum posse reddere, tantum dabit.

9 Animal autem quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit,

10 Et mutari non poterit,id est,nec melius malo, nec pejus bono. quòd si mutaverit: & ipsum quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino.

B 11 Animal immundum, quod immolari Domino non potest, si quis voverit,adducetur ante sacerdotem.

12 Qui judicans utrùm bonum an malum sit, statuet pretium.

13 Quod si dare voluerit is qui offert, addet supra æstimationem quintam partem.

14 Homo si voverit domum suam,& sanctificaverit Domino, considerabit eam sacerdos utrùm bona an mala sit,& juxta pretium,quod ab eo fuerit constitutum, venumdabitur:

15 Sin autem ille qui voverat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra, & habebit domum.

16 Quòd si agrum possessionis suæ voverit, & consecraverit Domino: juxta mensuram sementis æstimabitur pretium. si triginta modiis hordei seritur terra,quinquaginta siclis venumdetur argēti.

17 Si statim ab anno incipientis jubilei voverit agrum,quanto valere potest, tanto æstimabitur.

18 Sin autem post aliquantum temporis:supputabit sacerdos pecuniam juxta annorum, qui reliqui sunt, numerum usque ad jubileum, & detrahetur ex pretio.

19 Quòd si voluerit redimere agrum ille qui C voverat,addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, & possidebit eum.

20 Sin autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venumdatus, ultra eum qui voverat redimere non poterit:

21 Quia cùm jubilei venerit dies, sanctificatus erit Domino, & possessio consecrata ad jus pertinet sacerdotum.

22 Si ager emptus est,& non de possessione majorum sanctificatus fuerit Domino,

23 Supputabit sacerdos juxta annorum numerum usque ad jubileum,pretium: & dabit ille qui voverat eum, Domino.

24 In jubileo autem revertetur ad priorem dominum, qui vendiderat eum, & habuerat in sorte possessionis suæ.

25 Omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur. * Siclus viginti obolos habet. * *Exod. 30.b.13. Num.3. g.47. Ezech. 45.d.12.*

26 Primogenita, quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit & vovere: sive bos,sive ovis fuerit, Domini sunt.

27 Quòd si immundum est animal, redimet D qui obtulit, juxta æstimationem tuam, & addet quintam partem pretij. si redimere noluerit, vendetur alteri quantocumque à te fuerit æstimatum.

28 Omne quod Domino consecratur,sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.

29 Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine,non redimetur, sed morte morietur.

30 Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.

31 Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum.

32 Omnium decimarum bovis & ovis & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.

33 Non eligetur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur. si quis mutaverit: & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur.

34 Hæc sunt præcepta, quæ mandavit Dominus Moysi ad filios Israël in monte Sinai.

LIBER

LIBER NUMERI,
HEBRAICE VAIEDABBER.

Caput Primum.

Numeratis duodecim tribuum bellicis viris, filij Levi ad deferendum tabernaculum instituuntur.

A 1 Locutúsque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto, dicens:

* *Exod. 30.b.12.* 2 * Tollite summam universæ congregationis filiorum Israël per cognationes & domos suas, & nomina singulorum, quidquid sexus est masculini

3 A vigesimo anno & supra, omnium virorum fortium ex Israël, & numerabitis eos per turmas suas,tu & Aaron.

4 Erúntque vobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis,

B 5 Quorum ista sunt nomina:De Ruben, Elisur filius Sedeur.

6 De Simeon, Salamiel filius Surisaddai.

7 De Juda, Nahasson filius Aminadab.

8 De Issachar, Nathanael filius Suar.

9 De Zabulon, Eliab filius Helon.

10 Filiorum autem Joseph, de Ephraim, Elisama filius Ammiud, de Manasse, Gamaliel filius Phadassur.

11 De Benjamin, Abidan filius Gedeonis.

12 De Dan, Ahiezer filius Amisaddai.

13 De Aser, Phegiel filius Ochran.

14 De Gad,Eliasaph filius Duel.

15 De Nephthali, Ahira filius Enan.

16 Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus & cognationes suas, & capita exercitus Israël.

17 Quos tulerunt Moyses & Aaron cum omni vulgi multitudine:

C 18 Et congregaverunt primo die mensis secundi, recensentes eos per cognationes, & domos, ac familias, & capita, & nomina singulorum à vigesimo anno & supra,

19 Sicut præceperat Dominus Moysi. Numeratique sunt in deserto Sinai.

20 De Ruben primogenito Israëlis per generationes & familias ac domos suas, & nomina capitum singulorum,omne quod sexus est masculini à vigesimo anno & supra,procedentium ad bellum.

21 Quadraginta sex millia quingenti.

22 De filiis Simeon per generationes ac familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina & capita singulorum, omne quod sexus est masculini à vigesimo anno & supra,procedentium ad bellum,

23 Quinquaginta novem millia trecenti.

24 De filiis Gad per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à viginti annis & supra, omnes qui ad bella procederent,

D 25 Quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta.

26 De filiis Juda per generationes & familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum à vigesimo anno & supra,omnes qui poterant ad bella procedere,

27 Recensiti sunt septuaginta quattuor millia sexcenti.

28 De filiis Issachar, per generationes & familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui ad bella procederent,

29 Recensiti sunt quinquaginta quattuor millia quadringenti.

30 De filiis Zabulon per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

31 Quinquaginta septem millia quadringenti. E

32 De filiis Joseph,filiorum Ephraim per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno & supra,omnes qui poterant ad bella procedere.

33 Quadraginta millia quingenti.

34 Porrò filiorum Manasse per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à viginti annis & supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

35 Triginta duo millia ducenti.

36 De filiis Benjamin per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

37 Triginta quinque millia quadringenti.

38 De filiis Dan per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

39 Sexaginta duo millia septingenti.

40 De filiis Aser per generationes & familias F ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno & supra,omnes qui poterant ad bella procedere,

41 Quadraginta millia & mille quingenti.

42 De filiis Nephthali per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

43 Quinquaginta tria millia quadringenti.

44 Hi sunt,quos numeraverunt Moyses & Aaron,& duodecim principes Israël,singulos per domos cognationum suarum.

45 Fuerúntque omnis numerus filiorum Israël per domos & familias suas à vigesimo anno & supra, qui poterant ad bella procedere,

46 Sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta.

47 Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis.

48 Locutúsque est Dominus ad Moysen,dicens: G

49 Tri

Universidad de Deusto
Biblioteca

49 Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israël:

50 Sed constitue eos super tabernaculum testimonij & cuncta vasa ejus, & quidquid ad cerimonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum & omnia utensilia ejus: & erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur.

51 Cùm proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum: cùm castrametandum, erigent, quisquis externorum accesserit, occidetur.

52 Metabuntur autem castra filij Israël unusquisque per turmas & cuneos atque exercitum suum.

53 Porrò Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudine filiorum Israël, & excubabunt in custodiis tabernaculi testimonij.

54 Fecerunt ergo filij Israël juxta omnia quæ præceperat Dominus Moysi.

Caput II.

Quæ tribus ad quamvis mundi plagam ordinentur, recensitis familiarum principibus.

A 1 Locutúsque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

2 Singuli per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum, castrametabuntur filij Israël, per gyrum tabernaculi fœderis.

3 Ad Orientem Judas figet tentoria per turmas exercitus sui: erítque princeps filiorum ejus Nahasson filius Aminadab,

4 Et omnis de stirpe ejus summa pugnantium, septuaginta quattuor millia sexcenti.

5 Juxta eum castrametati sunt de tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanaël filius Suar.

6 Et omnis numerus pugnatorum ejus, quinquaginta quattuor millia quadringenti.

7 In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon.

8 Omnis de stirpe ejus exercitus pugnatorum, quinquaginta septem millia quadringenti.

9 Universi qui in castris Judæ annumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti: & per turmas suas primi egredientur.

B 10 In castris filiorum Ruben ad meridianam plagam erit princeps Elisur filius Sedeur:

11 Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingenti.

12 Juxta eum castrametati sunt de tribu Simeon: quorum princeps fuit Salamiel filius Surisaddai.

13 Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quinquaginta novem millia trecenti.

14 In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Duel.

15 Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta.

16 Omnes qui recensiti sunt in castris Ruben, centum quinquaginta millia & mille quadringenti quinquaginta per turmas suas: in secundo loco proficiscentur.

17 Levabitur autem tabernaculum testimonij per officia Levitarum & turmas eorum, quomodo erigetur, ita & deponetur. Singuli per loca & ordines suos proficiscentur.

C 18 Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud.

19 Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta millia quingenti.

20 Et cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadassur.

21 Cunctúsque exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, triginta duo millia ducenti.

22 In tribu filiorum Benjamin princeps fuit Abidan filius Gedeonis.

23 Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui recensiti sunt, triginta quinque millia quadringenti.

24 Omnes qui numerati sunt in castris Ephraim, centum octo millia centum per turmas suas: tertij proficiscentur.

25 Ad Aquilonis partẽ castrametati sunt filij Dan: quorum princeps fuit Ahieser filius Ammisaddai.

26 Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, sexaginta duo millia septingenti.

27 Juxta eum fixere tentoria de tribu Aser: quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran. D

28 Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta millia & mille quingẽti.

29 De tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan.

30 Cunctus exercitus pugnatorum ejus, quinquaginta tria millia quadringenti.

31 Omnes qui numerati sunt in castris Dan, fuerunt centum quinquaginta septem millia sexcenti: & novissimi proficiscentur.

32 Hic numerus filiorum Israël, per domos cognationum suarum & turmas divisi exercitus, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta.

33 Levitæ autem nòn sunt numerati inter filios Israël: sic enim præceperat Dominus Moysi.

34 Fecerúntque filij Israël juxta omnia quæ mandaverat Dominus. Castrametati sunt per turmas suas, & profecti per familias ac domos patrum suorum.

Caput III.

Levitæ in tabernaculi ministerium assumpti numerantur, cum suis principibus ac ministeriis, & loco primogenitorum Israël suscipiuntur, reliqua primogenita numerum Levitarum excedentia pretio redimuntur.

1 Hæ sunt generationes Aaron & Moysi, in A die qua locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai.

2 *Et hæc nomina filiorum Aaron: primogenitus * Exod. ejus Nadab, deinde Abiu & Eleazar, & Ithamar. 6.d. 23.

3 Hæc nomina filiorum Aaron sacerdotum qui uncti sunt, & quorum repletæ & consecratæ manus ut sacerdotio fungerentur.

4 * Mortui sunt enim Nadab & Abiu, cùm offerrent ignem alienum in conspectu Domini in deserto Sinai, absque liberis: functíque sunt sacerdotio Eleazar & Ithamar coram Aaron patre suo. * Lev. 10.a.1.2. 1. Par. 24.a. 24.

5 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens:

6 Applica tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis ut ministrent ei, & excubent,

7 Et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonij.

8 Et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus.

9 Dabísque dono Levitas

B 10 Aaron & filiis ejus, quibus traditi sunt à filiis Israël. Aarõn autem & filios ejus constitues super cultum sacerdotij. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.

11 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicẽs:

12 Ego tuli Levitas à filiis Israël pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israël, erúntque Levitæ mei.

* Exod. 13.a.2. Inf. 8. c. 16. 13 * Meum est enim omne primogenitum: ex quo percussi primogenitos in Terra Ægypti: sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israël ab homine usque ad pecus, mei sunt: ego Dominus.

14 Locutúsque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, dicens:

C 15 Numera filios Levi per domos patrum suorum & familias, omnẽ masculum ab uno mense & supra.

16 Numeravit Moyses, ut præceperat Dominus.

* Exod. 6.c.16. 17 * Et inventi sunt filij Levi per nomina sua, Gerson & Caath & Merari.

18 Filij Gerson: Lebni & Semei.

19 Filij Caath: Amram & Jesaar, Hebron & Oziel.

20 Filij Merari: Moholi & Musi.

21 De Gerson fuere familiæ duæ, Lebnitica, & Semeitica:

22 Quarum numeratus est populus sexus masculini ab uno mense & supra, septem millia quingenti.

23 Hi post tabernaculum metabuntur ad Occidentem.

24 Sub principe Eliasaph filio Lael.

25 Et habebũt excubias in tabernaculo fœderis, D 26 Ipsum tabernaculum & operimentum ejus, tentorium quod trahitur ante fores tecti fœderis, & cortinas atrij: tentorium quoque quod appenditur in introitu atrij tabernaculi, & quidquid ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi & omnia utensilia ejus.

27 Cognatio Caath habebit populos Amramitas & Jesaaritas & Hebronitas & Ozielitas. Hæ sunt familiæ Caathitarum recensitæ per nomina sua:

28 Omnes generis masculini ab uno mense & supra, octo millia sexcenti habebunt excubias Sanctuarij,

29 Et castrametabuntur ad meridianam plagã.

30 Princépsq; eorum erit Elisaphan filius Oziel:

E 31 Et custodient arcam, mensámque & candelabrum, altaria & vasa Sanctuarij, in quibus ministratur, & velum, cunctámque hujusmodi supellectilem.

32 Princeps autem principum Levitarum Eleazar filius Aaron sacerdotis, erit super excubitores custodiæ Sanctuarij.

33 At verò de Merari erunt populi Moholitæ & Musitæ recensiti per nomina sua:

34 Omnes generis masculini ab uno mense & supra, sex millia ducenti.

35 Princeps eorum Suriel filius Abihaiel: in plaga septemtrionali castrametabuntur.

36 Erunt sub custodia eorum tabulæ tabernaculi & vectes, & columnæ ac bases earum, & omnia quæ ad cultum hujusmodi pertinent:

37 Columnæque atrij per circuitum cum basibus suis, & paxilli cum funibus.

38 Castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id est ad orientalem plagam, Moyses & Aaron cum filiis suis, habentes custodiam Sanctuarij in medio filiorum Israël. quisquis alienus accesserit, morietur. F

39 Omnes Levitæ, quos numeraverunt Moyses & Aaron juxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino à mense uno & supra, fuerunt viginti duo millia.

40 Et ait Dominus ad Moysen: Numera primogenitos sexus masculini de filiis Israël ab uno mense & supra, & habebis summam eorum.

41 Tollésque Levitas mihi pro omni primogenito filiorum Israël, ego sum Dominus: & pecora eorum pro universis primogenitis pecorum filiorum Israël.

42 Recensuit Moyses, sicut præceperat Dominus, primogenitos filiorum Israël.

43 Et fuerunt masculi per nomina sua, à mense uno & supra, viginti duo millia ducenti septuaginta tres. G

44 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicẽs:

45 Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israël, & pecora Levitarum pro pecoribus eorum, erúntque Levitæ mei. ego sum Dominus.

46 In pretio autem ducentorum septuaginta trium, qui excedunt numerum Levitarum de primogenitis filiorum Israël,

47 Accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram Sanctuarij. *Siclus habet viginti obolos. * Exod. 30.b.13. Lev.27. c.25. Inf.18. c.16. Ezech. 45.d.12.

48 Dabísque pecuniam Aaron & filiis ejus, pretium eorum qui supra sunt.

49 Tulit igitur Moyses pecuniam eorum qui fuerant ampliùs, & quos redemerant à Levitis

50 Pro primogenitis filiorum Israël, mille trecentorum sexaginta quinque siclorum juxta pondus Sanctuarij,

51 Et dedit eam Aaron & filiis ejus juxta verbum quod præceperat sibi Dominus.

Caput IV.

Ritus & officia Levitarum juxta cujusque familiam distribuuntur.

1 Locutúsque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: A

2 Tolle summam filiorum Caath de medio Levitarum per domos & familias suas,

3 A trigesimo anno & supra, usque ad quinquagesimum annum, omnium qui ingrediuntur ut stent & ministrent in tabernaculo fœderis.

4 Hic est cultus filiorum Caath: Tabernaculum fœderis, & Sanctum sanctorum

5 Ingredientur Aaron & filij ejus, quando movenda sunt castra, & deponent velum quod pendet ante fores, involvéntque eo arcam testimonij,

6 Et operient rursum velamine ianthinarum pellium, extendéntque desuper pallium totum hyacinthinum, & inducent vectes.

7 Mensam quoque propositionis involvent hyacinthino pallio, & ponent cum ea thuribula & mortariola, cyathos & crateras ad liba fundenda: panes semper in ea erunt:

8 Extendéntque desuper pallium coccineum, quod rursum operient velamento ianthinarum pellium, & inducent vectes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

9 Sument & pallium hyacinthinum quo operient candelabrum cum lucernis & forcipibus suis & emunctoriis & cunctis vasis olei, quæ ad concinnandas lucernas necessaria sunt:

10 Et super omnia ponent operimentum ianthinarum pellium, & inducent vectes.

B 11 Nec non & altare aureum involvent hyacinthino vestimento, & extendent desuper operimentũ ianthinarum pellium, inducéntque vectes.

12 Omnia vasa, quibus ministratur in Sanctuario, involvent hyacinthino pallio, & extendent desuper operimentum ianthinarum pellium, inducéntque vectes.

13 Sed & altare mundabunt cinere, & involvent illud purpureo vestimento,

14 Ponéntque cum eo omnia vasa, quibus in ministerio ejus utuntur, id est ignium receptacula, fuscinulas ac tridentes, uncinos & batilla. Cuncta vasa altaris operient simul velamine ianthinarum pellium, & inducent vectes.

15 Cúmque involverint Aaron & filij ejus Sanctuarium & omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt * filij Caath ut portent involuta: & non tangent vasa Sanctuarij, ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis:

*1 Par. 15.b.15.

16 Super quos erit Eleazar filius Aaron sacerdotis, ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, & compositionis incensum, & sacrificium, quod semper offertur, & oleum unctionis, & quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniúmque vasorum, quæ in Sanctuario sunt.

17 Locutúsque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

18 Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum:

19 Sed hoc facite eis, ut vivant, & non moriantur, si tetigerint Sancta sanctorum. Aaron & filij ejus intrabunt, ipsíque disponent opera singulorum, & divident quid portare quis debeat.

20 Alij nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario priusquam involvantur, alioquin moriẽtur.

21 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens:

C 22 Tolle summam etiam filiorum Gerson per domos ac familias & cognationes suas.

23 A triginta annis & supra, usque ad annos quinquaginta. Numera omnes qui ingrediuntur & ministrant in tabernaculo fœderis.

24 Hoc est officium familiæ Gersonitarum,

25 Ut portent cortinas tabernaculi & tectum fœderis operimentum aliud, & super omnia velamen ianthinum tentoriúmque quod pendet in introitu tabernaculi fœderis,

26 Cortinas atrij, & velum in introitu quod est ante tabernaculum. Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos, & vasa ministerij,

27 Jubente Aaron & filiis ejus, portabunt filij Gerson: & scient singuli cui debeant oneri mancipari.

28 Hic est cultus familiæ Gersonitarum in tabernaculo fœderis, erúntque sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis:

29 Filios quoque Merari per familias & domos patrum suorum recensebis,

30 A triginta annis, & supra, usque ad annos quinquaginta, omnes qui ingrediuntur ad officium ministerij sui & cultum fœderis testimonij.

31 Hæc sunt onera eorum: portabunt tabulas tabernaculi & vectes ejus, columnas ac bases earũ,

32 Columnas quoque atrij per circuitum cum basibus & paxillis & funibus suis. Omnia vasa & supellectilem ad numerum accipient, sícque portabunt.

33 Hoc est officium familiæ Meraritarum & D
ministerium in tabernaculo fœderis: erúntque sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis.

34 Recensuerunt igitur Moyses & Aaron & principes synagogæ filios Caath per cognationes & domos patrum suorum,

35 A triginta annis & supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad ministerium tabernaculi fœderis:

36 Et inventi sunt duo millia septingenti quinquaginta.

37 Hic est numerus populi Caath qui intrant tabernaculum fœderis: hos numeravit Moyses & Aaron juxta sermonem Dñi per manum Moysi.

38 Numerati sunt & filij Gerson per cognationes & domos patrum suorum,

39 A triginta annis & supra, usque ad quinquagesimum annum, omnes qui ingrediuntur ut ministrent in tabernaculo fœderis:

40 Et inventi sunt duo millia sexcenti triginta.

41 Hic est populus Gersonitarum, quos numeraverunt Moyses & Aaron juxta verbum Domini.

42 Numerati sunt & filij Merari per cognationes & domos patrum suorum,

43 A triginta annis & supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi fœderis:

44 Et inventi sunt tria millia ducenti.

45 Hic est numerus filiorum Merari, quos recensuerunt Moyses & Aaron juxta imperium Domini per manum Moysi.

46 Omnes qui recensiti sunt de Levitis, & quos recenseri fecit ad nomen Moyses, & Aaron, & principes Israël, per cognationes & domos patrum suorum,

47 A triginta annis & supra, usque ad annum quinquagesimum, ingredientes ad ministerium tabernaculi, & onera portanda,

48 Fuerunt simul octo millia quingenti octoginta.

49 Juxta verbum Domini recensuit eos Moyses, unumquemque juxta officium & onera sua, sicut præceperat ei Dominus.

Caput V.

Qui immundi extra castra arcendi: satisfactio transgressionis per negligentiam: de primitiis ac oblationibus, & lege zelotypiæ.

1 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicẽs: A
2 Præcipe filiis Israël, ut ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutúsque est super mortuo:

3 Tam masculum quàm feminam ejicite de castris, ne contaminent ea cùm habitaverim vobiscũ.

4 Feceruntque ita filij Israël, & ejecerunt eos extra castra, sicut locutus erat Dominus Moysi.

5 Locu

5 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens:

6 Loquere ad filios Israël: Vir, sive mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint,

7 Confitebuntur peccatum suum, & reddent ipsum caput, quintámque partem desuper, ei in quem peccaverint.

8 Sin autem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino, & erit sacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, ut sit placabilis hostia.

9 Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filij Israël, ad sacerdotem pertinent:

B 10 Et quidquid in Sanctuarium offertur à singulis, & traditur manibus sacerdotis, ipsius erit.

11 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens:

12 Loquere ad filios Israël, & dices ad eos: Vir cujus uxor erraverit, maritúmque contemnens

13 Dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro:

14 Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur,

15 Adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus: quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio investigans adulterium.

16 Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram Domino

C 17 Assúmetque aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam.

18 Cúmque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput ejus, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit.

19 Adjurabítque eam, & dicet: Si non dormivit vir alienus tecum, & si non polluta es deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi.

20 Sin autem declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero viro:

21 His maledictionibus subjacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplúmque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur.

22 Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier, Amen, amen.

D 23 Scribétque sacerdos in libello ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congessit,

24 Et dabit ei bibere. Quas cùm exhauserit,

25 Tollet sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ, & elevabit illud coram Domino, imponétque illud super altare: ita dumtaxat ut prius

26 Pugillum sacrificij tollat de eo quod offertur, & incendat super altare: & sic potum det mulieri aquas amarissimas.

27 Quas cùm biberit, si polluta est, & contempto viro adulterij rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur: erítque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo.

28 Quòd si polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos.

29 Ista est lex zelotypiæ Si declinaverit mulier à viro suo, & si polluta fuerit,

30 Maritúsque zelotypiæ spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu Domini & fecerit ei sacerdos juxta omnia quæ scripta sunt:

31 Maritus absque culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam.

Caput VI.

Nazaræorum consecratio & oblatio, quibúsque verbis sacerdotes populo benedicerent.

1 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicẽs: A
2 Loquere ad filios Israël, & dices ad eos: Vir, sive mulier, cùm fecerint votum ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare:

3 A vino, & omni quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur non bibent: uvas recentes siccásque non comedent

4 Cunctis diebus quibus ex voto Dño consecrãtur: quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum non comedent.

5 Omni tempore separationis suæ * novacula non transibit per caput ejus, usque ad completum diem quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus. *Judic. 13.a.5.

6 Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur, B

7 Nec super patris quidem & matris & fratris sororísque funere contaminabitur, quia consecratio Dei sui super caput ejus est.

8 Omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino.

9 Sin autem mortuus fuerit subitò quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus: quod radet illicò in eadem die purgationis suæ, & rursum septima.

10 In octava autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ sacerdoti in introitu fœderis testimonij.

11 Faciétque sacerdos unum pro peccato, & alterum in holocaustum, & deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo: sanctificabitque caput ejus in die illo:

12 Et consecrabit Domino dies separationis illius, offerens agnum anniculum pro peccato: ita tamen ut dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus.

13 Ista est lex consecrationis. Cùm dies, quos ex voto decreverat, complebuntur: adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis,

14 Et offeret oblationem ejus Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, & ovem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum, hostiam pacificam, C

15 Canistrum quoque panum azymorum qui conspersi sint oleo, & lagana absque fermento uncta oleo, ac libamina singulorum:

16 Quæ offeret sacerdos coram Domino, &

faciet tàm pro peccato, quàm in holocaustum.
17 Arietem verò immolabit hostiam pacificam Domino, offerens simul canistrum azymorum, & libamenta quæ ex more debentur.
* Act. 21.d.24. 18 * Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ: tolletque capillos ejus,& ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum.
D 19 Et armum coctum arietis,tortámque absque fermento unam de canistro, & laganum azymum unum, & tradet in manus nazaræi, postquam rasum fuerit caput ejus.
20 Susceptáque rursum ab eo, elevabit in conspectu Domini:& sanctificata sacerdotis erunt, sicut pectusculum, quod separari jussum est, & femur. Post hæc potest bibere nazaræus vinum.
21 Ista est lex nazaræi, cùm voverit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ, exceptis his quæ invenerit manus ejus. juxta quod mente devoverat, ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ.
22 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicẽs:
23 Loquere Aaron & filiis ejus: Sic benedicetis filiis Israël,& dicetis eis:
* Eccli. 36.c.19. 24 *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te.
25 Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui.
26 Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.
27 Invocabúntque nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis.

Caput VII.

Oblationes principum duodecim tribuum in dedicationem tabernaculi,& altaris: loquitur Dominus Moysi de propitiatorio.

A 1 Factum * est autem in die qua complevit Moyses tabernaculum, & erexit illud: unxítque & sanctificavit cum omnibus vasis suis, altare similiter & omnia vasa ejus.
* Exod. 40.b.16.
2 Obtulerunt principes Israël & capita familiarum, qui erant per singulas tribus, præfectíque eorum qui numerati fuerant,
3 Munera coram Domino, sex plaustra tecta cum duodecim bobus. Unum plaustrum obtulere duo duces, & unum bovem singuli, obtulerúntque ea in conspectu tabernaculi.
4 Ait autem Dominus ad Moysen:
5 Suscipe ab eis ut serviant in ministerio tabernaculi, & trades ea Levitis juxta ordinem ministerij sui.
6 Itaque cùm suscepisset Moyses plaustra & boves, tradidit eos Levitis.
7 Duo plaustra & quattuor boves dedit filiis Gerson, juxta id quod habebant necessarium.
8 Quattuor alia plaustra & octo boves dedit filiis Merari, secundùm officia & cultum suum, sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis.
9 Filiis autem Caath non dedit plaustra & boves:quia in Sanctuario serviunt, & onera propriis portant humeris.
10 Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris, die qua unctum est, oblationem suam ante altare:
B 11 Dixítque Dñs ad Moysen:Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris.
12 Primo die obtulit oblationem suam Naasson filius Aminadab de tribu Juda:
13 Fuerúntque in ea, acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos,juxta pondus Sanctuarij, utrumq; plenum simila consperſa oleo in sacrificiũ.
14 Mortariolum ex decem siclis aureis,plenum incenso:
15 Bovem de armento,& arietem, & agnum anniculum in holocaustum:
16 Hircúmque pro peccato:
17 Et in sacrificio pacificorum boves duos,arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque.hæc est oblatio Nahasson filij Aminadab.
18 Secundo die obtulit Nathanaël filius Suar, dux de tribu Issachar,
19 Acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, juxta pondus Sanctuarij, utrumque plenum simila consperſa oleo in sacrificium:
20 Mortariolum aureum habens decem siclos, plenum incenso:
21 Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:
22 Hircúmque pro peccato:
23 Et in sacrificio pacificorum boves duos,arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Nathanaël filij Suar.
24 Tertio die princeps filiorum Zabulon,Eliab filius Helon,
25 Obtulit acetabulum argenteum appendens C centum triginta siclos,phialam argenteam habentem septuaginta siclos,ad põdus Sanctuarij,utrumque plenum simila consperſa oleo in sacrificium:
26 Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
27 Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:
28 Hircúmque pro peccato:
29 Et in sacrificio pacificorum boves duos,arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc est oblatio Eliab filij Helon.
30 Die quarto princeps filiorum Ruben, Elisur filius Sedeur,
31 Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,phialam argenteam habentem septuaginta siclos,ad põdus Sanctuarij,utrumque plenum simila consperſa oleo in sacrificium:
32 Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
33 Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:
34 Hircúmque pro peccato:
35 Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Elisur filij Sedeur.
36 Die quinto princeps filiorum Simeon, Salamiel filius Surisaddai,
37 Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,phialam argenteam habentem septuaginta siclos,ad põdus Sanctuarij,utrumque plenum simila consperſa oleo in sacrificium:

38 Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
39 Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:
40 Hircúmque pro peccato:
D 41 Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque.hæc fuit oblatio Salamiel filij Surisaddai.
42 Die sexto princeps filiorum Gad, Eliasaph filius Duel,
43 Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,phialam argenteam habentẽ septuaginta siclos,ad pondus Sanctuarij,utrumque plenum simila consperſa oleo in sacrificium:
44 Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
45 Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:
46 Hircúmque pro peccato:
47 Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Eliasaph filij Duel.
48 Die septimo princeps filiorum Ephraim,Elisama filius Ammiud,
49 Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,phialam argenteam habentẽ septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij,utrumque plenum simila consperſa oleo in sacrificium:
50 Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
51 Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:
52 Hircúmque pro peccato:
E 53 Et in hostias pacificorum, boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Elisama filij Ammiud.
54 Die octavo princeps filiorum Manasse, Gamaliel filius Phadassur,
55 Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,phialam argenteam habentẽ septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij,utrumque plenum simila consperſa oleo in sacrifieium:
56 Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
57 Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:
58 Hircúmque pro peccato;
59 Et in hostias pacificorum boves duos,arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Gamaliel filij Phadassur.
60 Die nono princeps filiorum Benjamin, Abidan filius Gedeonis,
61 Obtulit acetabulum argenteũ appẽdens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij, utrumque plenum simila consperſa oleo in sacrificium:
62 Et mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
63 Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:
64 Hircúmque pro peccato:
F 65 Et in hostias pacificorum boves duos,arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Abidan filij Gedeonis.
66 Die decimo princeps filiorum Dan, Ahieser filius Ammisaddai,
67 Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,phialam argenteam habentem septuaginta siclos,ad põdus Sanctuarij,utrumque plenum simila consperſa oleo in sacrificium:
68 Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
69 Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:
70 Hircúmque pro peccato:
71 Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Ahieser filij Ammisaddai.
72 Die undecimo princeps filiorum Aser, Phegiel filius Ochran,
73 Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,phialam argenteam habentem septuaginta siclos,ad põdus Sanctuarij,utrumque plenum simila consperſa oleo in sacrificium:
74 Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
75 Bovem de armento,& arietem,& agnum anniculum in holocaustum:
76 Hircúmque pro peccato:
77 Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Phegiel filij Ochran.
78 Die duodecimo princeps filiorum Nephthali, Ahira filius Enan,
79 Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,phialam argenteam habentem septuaginta siclos,ad põdus Sanctuarij,utrumque plenum simila oleo consperſa in sacrificium:
80 Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: G
81 Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:
82 Hircúmque pro peccato:
83 Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Ahira filij Enan.
84 Hæc in dedicatione altaris oblata sunt à principibus Israël,in die qua consecratum est.acetabula argentea duodecim: phialæ argenteæ duodecim: mortariola aurea duodecim:
85 Ita ut centũ triginta siclos argenti haberet unũ acetabulũ, & septuaginta siclos haberet una phiala:id est, in commune vasorum omnium ex argento sicli duo millia quadringenti, pondere Sanctuarij.
86 Mortariola aurea duodecim plena incenso, denos siclos appendentia pondere Sanctuarij: id est, simul auri sicli centum viginti:
87 Boves de armento in holocaustum duodecim,arietes duodecim,agni anniculi duodecim, & libamenta eorum: hirci duodecim pro peccato.
88 In hostias pacificorum, boves viginti quattuor, arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc oblata sunt in dedicatione altaris, quando unctum est.
89 Cúmq; ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis,ut cõsuleret oraculum,audiebat vocẽ loquentis ad se de propitiatorio quod erat super arcã testimonij inter duos Cherubim unde & loquebatur ei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput VIII.

Candelabri & lucernarum situs ac forma: atásque & consecratio Levitarum.

A 1 LOcutúsq; est Dominus ad Moysen, dicens:
2 Loquere Aaron,& dices ad eum:Cùm posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur.Hoc igitur præcipe ut lucernæ contra boream è regione respiciant ad mensam panum propositionis, contra eam partem,quam candelabrum respicit, lucere debebunt.
3 Fecítque Aaron , & imposuit lucernas super candelabrum,ut præceperat Dominus Moysi.
4 Hæc autem erat factura candelabri , ex auro ductili , tam medius stipes , quàm cuncta quæ ex utroque calamorum latere nascebantur , juxta exemplum quod ostendit Dominus Moysi , ita operatus est candelabrum.
5 Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:
6 Tolle Levitas de medio filiorum Israël, & purificabis eos
B 7 Juxta hunc ritum : Aspergantur aqua lustrationis , & radant omnes pilos carnis suæ. Cúmque laverint vestimenta sua, & mundati fuerint,
8 Tollent bovem de armentis , & libamentum ejus similam oleo conspersam : bovem autem alterum de armento tu accipies pro peccato :
9 Et applicabis Levitas coram tabernaculo fœderis, convocata omni multitudine filiorum Israël.
10 Cúmque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filij Israël manus suas super eos.
11 Et offeret Aaron Levitas, munus in conspectu Dñi à filiis Israël,ut serviant in ministerio ejus.
12 Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum, è quibus unum facies pro peccato , & alterum in holocaustum Dñi,ut depreceris pro eis.
13 Statuésque Levitas in conspectu Aaron & filiorum ejus, & consecrabis oblatos Domino,
C 14 Ac separabis de medio filiorum Israël,ut sint mei.
15 Et posteà ingredientur tabernaculum fœderis ut serviant mihi. Sícque purificabis & consecrabis eos in oblationem Domini : quoniam dono donati sunt mihi à filiis Israël.
Exod. 13 a.2. Sup. 3. b. 13. Luc. 2. c. 23. 16 * Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vulvam in Israël, accepi eos.
17 Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israël , tam ex hominibus quàm ex jumentis. Ex die quo percussi omne primogenitum in Terra Ægypti, sanctificavi eos mihi :
18 Et tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israël:
19 Tradidíque eos dono Aaron & filiis ejus de medio populi,ut serviant mihi pro Israël in tabernaculo fœderis, & orent pro eis , ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad Sanctuarium.
D 20 Fecerúntque Moyses & Aaron & omnis multitudo filiorum Israël super Levitis quæ præceperat Dominus Moysi.
21 Purificatíque sunt , & laverunt vestimenta sua. Elevavítque eos Aaron in conspectu Domini, & oravit pro eis.
22 Ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculũ fœderis coram Aaron & filiis ejus.Sicut præceperat Dñs Moysi de Levitis,ita factũ est.
23 Locutúsq; est Dominus ad Moysen,dicens:
24 Hæc est lex Levitarum : A viginti quinque annis & supra, ingredientur ut ministrent in tabernaculo fœderis.
25 Cúmque quinquagesimum annum ætatis impleverint , servire cessabunt:
26 Erúntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis,ut custodiant quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non faciant. Sic dispones Levitis in custodiis suis.

Caput IX.

Quo tempore debeant mundi Phasc celebrare , & quo immundi:nubes tabernaculum operiens ducit exercitum.

1 LOcutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, anno secundo postquam egressi sunt de Terra Ægypti, mense primo, dicens: A
2 * Faciant filij Israël Phasc in tempore suo : **Exod. 12.a.3.*
3 Quartadecima die mensis hujus ad vesperam, juxta omnes ceremonias & justificationes ejus.
4 Præcepítque Moyses filiis Israël ut facerent Phasc.
5 Qui fecerunt tempore suo:quartadecima die mensis ad vesperam , in monte Sinai. Juxta omnia quæ mandaverat Dominus Moysi , fecerunt filij Israël.
6 Ecce autem quidam immundi super anima hominis , qui non poterant facere Phasc in die illo, accedentes ad Moysen & Aaron,
7 Dixerunt eis : Immundi sumus super anima B hominis.quare fraudamur ut nõ valeamus oblationem offerre Dño in tempore suo inter filios Israël?
8 Quibus respondit Moyses:State ut consulam quid præcipiat Dominus de vobis.
9 Locutúsque est Dominus ad Moysen,dicens:
10 Loquere filiis Israël : Homo qui fuerit immundus super anima , sive in via procul in gente vestra, faciat Phasc Domino ,
11 In mense secundo, quartadecima die mensis ad vesperam : cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud:
12 Non relinquent ex eo quidpiam usque manè, * & os ejus non confringent, omnem ritum **Exod. 12.g.46. Ioan.19. g.36.* Phasc observabunt.
13 Si quis autem & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phasc , exterminabitur anima illa de populis suis,quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo : peccatum suum ipse portabit.
14 Peregrinus quoque & advena si fuerint apud C vos , facient phasc Domino juxta ceremonias & justificationes ejus.Præceptum idem erit apud vos tam advenæ quàm indigenæ.
15 * Igitur die qua erectum est tabernaculum, **Exod. 40.b.16. d.32. Sup. 7. a.1.* operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis usque manè.
16 Sic fiebat jugiter:per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis.
17 Cúmque ablata fuisset nubes quæ tabernaculum protegebat,tunc proficiscebantur filij Israël: & in loco ubi stetisset nubes,ibi castrametabantur.
18 Ad imperium Domini proficiscebantur , & ad imperium illius figebant tabernaculum.* Cunctis diebus quibus stabat nubes super tabernaculum, manebant in eodem loco : **1.Cor. 10. a.1.*

19 Et

D 19 Et si invenisset ut multo tempore maneret super illud,erant filij Israël in excubiis Domini, & non proficiscebantur.
20 Quot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant.
21 Si fuisset nubes à vespere usque manè,& statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur:&, si post diem & noctem recessisset, dissipabant tentoria.
22 Si verò biduo aut uno mense vel longiori tempore fuisset super tabernaculum,manebant filij Israël in eodem loco , & non proficiscebantur: statim autem ut recessisset, movebant castra.
23 Per verbum Domini figebant tentoria , & per verbum illius proficiscebantur, erántque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Moysi.

Caput X.

Vsus tubarum : quo ordine mota sint castra de deserto Sinai: orat Moyses cognatum Hobab ut cum ipsis proficiscatur:& verba quæ loquebatur Moyses cùm elevaretur vel deponeretur arca.

A 1 LOcutúsque est Dominus ad Moysen, dicẽs:
2 Fac tibi duas tubas argenteas ductiles quibus convocare possis multitudinem quando movenda sunt castra.
3 Cúmque increpueris tubis,congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis.
4 Si semel clangueris , venient ad te principes, & capita multitudinis Israël.
5 Si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, movebunt castra primi qui sunt ad orientalem plagam.
6 In secundo autem sonitu & pari ululatu tubæ, levabunt tentoria qui habitant ad meridiem. & juxta hunc modum reliqui facient , ululantibus tubis in profectionem.
7 Quando autẽ congregandus est populus,simplex tubarũ clangor erit,& non concisè ululabunt.
8 Filij autem Aaron sacerdotes clangent tubis: erítque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris.
B 9 Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes,qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis,& erit,recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum.
10 Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calẽdas,canetis tubis super holocaustis,& pacificis victimis,ut sint vobis in recordationem Dei vestri. ego Dominus Deus vester.
11 Anno secundo,mense secundo,vigesima die mensis,elevata est nubes de tabernaculo fœderis :
12 Profectíq; sunt filij Israël per turmas suas de deserto Sinai,& recubuit nubes in solitudine Pharan:
13 Moverúntque castra primi juxta imperium Domini in manu Moysi.
**Sup.1. b. 7.* 14 * Filij Juda per turmas suas : quorum princeps erat Nahasson filius Aminadab.
15 In tribu filiorum Issachar fuit princeps Nathanaël filius Suar.
16 In tribu Zabulon erat princeps Eliab filius Helon.
17 Depositúmque est tabernaculum,quod portantes egressi sunt filij Gerson & Merari.
18 Profectíque sunt & filij Ruben , per turmas & ordinem suum : quorum princeps erat Helisur filius Sedeur.
19 In tribu autem filiorum Simeon , princeps C fuit Salamiel filius Surisaddai.
20 Porrò in tribu Gad erat princeps Eliasaph filius Duel.
21 Profectíque sunt & Caathitæ portantes Sanctuarium. Tamdiu tabernaculum portabatur,donec venirent ad erectionis locum.
22 Moverunt castra & filij Ephraim per turmas suas, in quorum exercitu princeps erat Elisama filius Ammiud.
23 In tribu autem filiorum Manasse princeps fuit Gamaliel filius Phadassur.
24 Et in tribu Benjamin erat dux Abidan filius Gedeonis.
25 Novissimi castrorum omnium profecti sunt filij Dan per turmas suas,in quorum exercitu princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai.
26 In tribu autem filiorum Aser erat princeps Phegiel filius Ochran.
27 Et in tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan.
28 Hæc sunt castra,& profectiones filiorum Israël per turmas suas quando egrediebantur.
29 Dixítque Moyses Hobab filio Raguel Madianitæ,cognato suo:Proficiscimur ad locum,quem Dñs daturus est nobis:veni nobíscum, ut benefaciamus tibi : quia Dominus bona promisit Israëli.
30 Cui ille respondit : Non vadam tecum , sed D revertar in terram meam in qua natus sum.
31 Et ille:Noli, inquit, nos relinquere:tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus , & eris ductor noster.
32 Cúmque nobíscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus , quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi.
33 Profecti sunt ergo de Monte Domini viam trium dierum, arcáque fœderis Domini præcedebat eos,per dies tres providens castrorum locum.
34 Nubes quoque Domini super eos erat per diem cùm incederent.
35 Cúmque elevaretur arca, dicebat Moyses:* **Psſ.67. a.2.* Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua.
36 Cùm autem deponeretur , aiebat : Revertere Domine ad multitudinem exercitus Israël.

Caput XI.

Murmuris pœna plexi Iudæi coturnicum carnes impetrant:turbatóque Moysi spiritu, Deus illius onus in septuaginta seniores partitur,qui omnes prophetant,punitúrque populus propter carnium concupiscentiam.

1 INtereà ortum est * murmur populi, quasi do- A lentium pro labore, contra Dominum. Quod **Psſ.77. c. 19. 1. Cor. 10.c.10.* cùm audisset Dominus,iratus est.Et*accẽsus in eos **Psſ.77.* ignis Dñi devoravit extremam castrorum partem. *c. 21.*
2 Cúmque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum, & absorptus est ignis.
3 Vocavítque nomen loci illius, Incensio : eò quòd incensus fuisset contra eos ignis Domini.
4 Vulgus quippe promiscuum , quod ascende-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rat cum eis flagravit desiderio, sedens & flens, junctis sibi pariter filiis Israël, & ait: * Quis dabit nobis ad vescendum carnes?
* 1. Cor. 10. a. 3.

B 5 Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porríque & cepe, & allia.

6 Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.

*Exod. 16. d. 14. Psal. 77. c. 24. Sap. 16. c. 20. Ioan. 6. d. 31. 7 * Erat autem Man quasi semen coriandri, coloris bdellij.

8 Circuibátque populus, & colligens illud, frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.

9 Cúmque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & Man.

10 Audivit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorij sui. Iratúsque est furor Domini valdè: sed & Moysi intoleranda res visa est.

C 11 Et ait ad Dominum: Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?

12 Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua jurasti patribus eorum?

13 Unde mihi carnes ut dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes: Da nobis carnes ut comedamus.

14 Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi.

15 Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.

16 Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti quòd senes populi sint ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciésque ibi stare tecum,

D 17 Ut descendam & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradámque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.

18 Populo quoque dices: Sanctificamini: cras comedetis carnes. ego enim audivi vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium? benè nobis erat in Ægypto. Ut det vobis Dominus carnes, & comedatis:

19 Non uno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem,

20 Sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eò quòd repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, & fleveritis coram eo, dicentes: Quare egressi sumus ex Ægypto?

E 21 Et ait Moyses: Sexcenta millia peditum hujus populi sunt. & tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro?

*Ioan. 6. b. 10. 22 * Numquid ovium & boum multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient?

*Isai. 59. a. 1. 23 Cui respondit Dominus: * Numquid manus Domini invalida est? Jam nunc videbis utrùm meus sermo opere compleatur.

24 Venit igitur Moyses, & narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israël, quos stare fecit circa tabernaculum.

25 Descendítque Dominus per nubem, & locutus est ad eum auferens de spiritu qui erat in Moyse, F & dans septuaginta viris. Cúmque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt, nec ultrà cessaverunt.

26 Remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requievit spiritus. nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum.

27 Cúmque prophetarent in castris, cucurrit puer, & nuntiavit Moysi, dicens: Eldad & Medad prophetant in castris.

28 Statim Josue filius Nun, minister Moysi, & electus è pluribus, ait: Domine mi Moyses prohibe eos.

29 At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?

30 Reversúsque est Moyses, & majores natu Israël in castra.

31 * Ventus autem egrediens à Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, & demisit in G * Ps. 77. 4, 26. 27. castra itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabántque in aëre duobus cubitis altitudine super terram.

32 Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregavit coturnicum, qui parum, decem coros: & siccaverunt eas per gyrum castrorum.

33 * Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec * Ps. 77. d. 30. defecerat hujusmodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.

34 Vocatúsque est ille locus, Sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum qui desideraverat. Egressi autem de Sepulchris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth, & manserunt ibi.

Caput XII.

Aaron & Maria in mitissimum Moysen murmurant, apud quos Deus Moysen laudat à familiaritate erga Dominum: Maria lepra percussa, & septem diebus à populo separata, sanitati restituitur.

1 LOcutáque est Maria & Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam, A

2 Et dixerunt: Num per solum Moysen locutus est Dominus? nónne & nobis similiter est locutus? Quod cùm audisset Dominus,

3 (Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra) B

4 Statim locutus est ad eum, & ad Aaron & Mariam: Egredimini vos tantùm tres ad tabernaculum fœderis. Cúmque fuissent egressi,

5 Descendit Dominus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariam. Qui cùm issent,

6 Dixit ad eos: Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.

7 At non talis servus meus Moyses, * qui in C omni domo mea fidelissimus est: *Heb. 3. a. 2.

8 * Ore enim ad os loquor ei: & palàm, & non * Exod. per 33. b. 11.

per ænigmata & figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi?

C 9 Iratúsque contra eos, abiit:

10 Nubes quoque recessit quæ erat super tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. Cúmque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra,

11 Ait ad Moysen: Obsecro domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod stultè cõmisimus,

D 12 Ne fiat hæc quasi mortua, & ut abortivum quod projicitur de vulva matris suæ. ecce jam medium carnis ejus devoratum est à lepra.

13 Clamavítque Moyses ad Dominum, dicens: Deus, obsecro, sana eam.

14 Cui respondit Dominus: Si pater ejus spuisset in faciem illius, nónne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & posteà revocabitur.

15 Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus: & populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria.

Caput XIII.

Missi exploratores ad considerandam terram promissionis, palmitem cum botro aliisque fructibus in fertilitatis signum referunt; qui tamen universi, præter Caleb & Iosue, murmur in populo concitant.

A 1 PRofectúsque est populus de Haseroth, fixis tentoriis in deserto Pharan.

2 Ibíque locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

3 Mitte viros, qui considerent Terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israël, singulos de singulis tribubus, ex principibus.

4 Fecit Moyses quod Dominus imperaverat, de deserto Pharan mittens principes viros, quorum ista sunt nomina.

B 5 De tribu Ruben, Sammua filium Zechur.

6 De tribu Simeon, Saphat filium Huri.

7 De tribu Juda, Caleb filium Jephone.

8 De tribu Issachar, Igal filium Joseph.

9 De tribu Ephraim, Osee filium Nun.

10 De tribu Benjamin, Phalti filium Raphu.

11 De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi.

12 De tribu Joseph, sceptri Manasse, Gaddi filium Susi.

13 De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli.

14 De tribu Aser, Sthur filium Michaël.

15 De tribu Nephthali, Nahabi filium Vapsi.

16 De tribu Gad, Guel filium Machi.

C 17 Hæc sunt nomina virorum quos misit Moyses ad considerandam Terram: vocavítque Osee filium Nun, Josue.

18 Misit ergo eos Moyses ad considerandam Terram Chanaan, & dixit ad eos: Ascendite per meridianam plagam. Cúmque veneritis ad montes,

19 Considerate Terram, qualis sit: & populum qui habitator est ejus, utrùm fortis sit an infirmus: si pauci numero an plures:

20 Ipsa terra bona an mala: urbes quales, muratæ an absque muris:

21 Humus, pinguis an sterilis, nemorosa an absque arboribus. Confortamini, & afferte nobis de fructibus Terræ. Erat autem tempus quando jam præcoquæ uvæ vesci possunt.

22 Cúmque ascendissent, exploraverunt Terram D à deserto Sin, usque Rohob intrantibus Emath.

23 Ascenderúntque ad meridiem, & venerunt in Hebron, ubi erant Achiman & Sisai & Tholmai filij Enac. nam Hebron septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est.

24 * Pergentésque usque ad Torrentem botri, *Deut. abscíderunt palmitem cum uva sua, quem portave- 1. d. 24. runt in veste duo viri. De malis quoque granatis & de ficis loci illius tulerunt:

25 Qui appellatus est Nehelescol, id est, Torrens botri, eò quòd botrum portassent inde filij Israël: E

26 Reversíque exploratores Terræ post quadraginta dies, omni regione circuita,

27 Venerunt ad Moysen & Aaron & ad omnem cœtum filiorum Israël in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutíque eis & omni multitudini ostenderunt fructus Terræ:

28 Et narraverunt, dicentes: Venimus in Terram, ad quam misisti nos, quæ re vera fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognosci potest: F

29 Sed cultores fortissimos habet, & urbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi.

30 Amalec habitat in meridie, Hethæus & Jebusæus & Amorrhæus in montanis: Chananæus verò moratur juxta mare & circa fluenta Jordanis.

31 Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus, & possideamus Terram, quoniam poterimus obtinere eam.

32 Alij verò, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, G quia fortior nobis est.

33 Detraxerúntque Terræ, quam inspexerant, apud filios Israël, dicentes: Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est.

34 Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quasi locustæ videbamur.

Caput XIV.

Murmur populi frustrà sedare conantur Iosue & Caleb: iratum Dominum placat Moyses: omnes morti in deserto addicuntur præter Caleb ac Iosue, & pugnantes Israëlitæ contra Domini voluntatem caduntur ab hostibus.

1 IGitur vociferans omnis turba flevit nocte illa. A

2 Et murmurati sunt contra Moysen & Aaron cuncti filij Israël, dicentes:

3 Utinam mortui essemus in Ægypto: & in hac vasta solitudine utinam pereamus, & non inducat nos Dominus in Terram istam, ne cadamus gladio, & uxores ac liberi nostri ducantur captivi. Nónne melius est reverti in Ægyptum?

4 Dixerúntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum.

5 Quo audito Moyses & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorũ Israël.

6 * At verò Josue filius Nun, & Caleb filius Je- *Eccli. phone, qui & ipsi lustraverant terram, sciderunt 45. b. 9. vestimenta sua, 1. Mach. 2. f. 55. 56.

7 Et ad omnem multitudinem filiorum Israël locuti sunt: Terra, quam circuivimus, valdè bona est.

8 Si

Universidad de Deusto
Biblioteca

8 Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem.
9 Nolite rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum Terræ hujus, quia sicut panem ita eos possumus devorare. recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere.
10 Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israël.
11 Et dixit Dominus ad Moysen: Usquequò detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi, in omnibus signis quæ feci coram eis?
12 Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam: te autem faciam principem super gentem magnam, & fortiorem quàm hæc est.
13 Et ait Moyses ad Dñm: Ut audiant Ægyptij, de quorum medio eduxisti populum istum,
C 14 Et habitatores Terræ hujus, qui audierunt quòd tu Domine in populo isto sis, & facie videaris ad faciem. * Et nubes tua protegat illos, & in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem: *Exod. 13.d.21.
15 Quòd occideris tantam multitudinem quasi unum hominem, & dicant:
16 Non poterat introducere populum in terram, pro qua juraverat: * idcircò occidit eos in solitudine. *Exod. 32.f.28.
17 Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut jurasti, dicens:
18 * Dominus patiens & multæ misericordiæ, * auferens iniquitatem & scelera, nullúmque innoxium derelinquens, qui * visitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. *Psſ.102 b.8. *Exod. 34.d.7. *Exod. 20.d.5.
D 19 Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum.
20 Dixítque Dñs: Dimisi juxta verbum tuum.
21 Vivo ego: & implebitur gloria Domini universa terra.
22 Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto & in solitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ,
23 * Non videbunt Terram pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. *Deut.1. f.35.
24 * Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuivit: & semen ejus possidebit eam. *Ioſ.14. b.6.
E 25 Quoniam Amalecites & Chananæus habitant in vallibus. Cras movete castra, & revertimini in solitudinem per viam Maris rubri.
26 Locutúsque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:
27 Usquequò multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum Israël audivi.
28 Dic ergo eis: Vivo ego, ait Dominus: sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis.
29 * In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Omnes qui numerati estis à viginti annis & supra, & murmurastis contra me, *Psſ.105. d.26.
30 * Non intrabitis Terram, super quam levavi manum meam ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, & Josue filium Nun. *Deut. 1.f.35.
31 Parvulos autem vestros, de quibus dixistis quòd prædæ hostibus forent, introducam: ut videant Terram, quæ vobis displicuit.
32 Vestra cadavera jacebunt in solitudine.
33 Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto,
F 34 Juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis Terram: * annus pro die imputábitur. * Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis ultionem meam: *Ezech. 4.b.6. *Psſ.94. b.10.
35 Quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit adversum me: in solitudine hac deficiet, & morietur.
36 * Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam Terram, & qui reversi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes Terræ quòd esset mala, *1.Cor. 10.c.10. Heb.3. d.17. Iudæ b.5.
37 Mortui sunt atque percussi in conspectu Dñi.
38 Josue autem filius Nun, & Caleb filius Jephone, vixerunt ex omnibus qui perrexerant ad considerandam Terram.
G 39 Locutúsque est Moyses universa verba hæc ad omnes filios Israël, & luxit populus nimis.
40 Et ecce manè primo surgentes ascenderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est: quia peccavimus.
41 Quibus Moyses: Cur, inquit, transgredimini verbum Dñi, quod vobis non cedet in prosperum?
42 * Nolite ascendere: non enim est Dominus vobiscum: ne corruatis coram inimicis vestris. *Deut. 1.g.42.
43 Amalecites & Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eò quòd nolueritis acquiescere Domino, nec erit Dominus vobiscum.
44 At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem testamenti Domini & Moyses non recesserunt de castris.
45 Descendítque Amalecites & Chananæus, qui habitabat in monte: & percutiens eos atque concidens, persecutus est eos usque Horma.

Caput XV.

Qua libamenta ingressis terram offerenda sint, ac primitiæ separanda: pœna peccati per ignorantiam aut superbiam commissi: lapidatur qui Sabbato ligna collegit: fimbria ac vitta per quattuor angulos palliorum ponenda.

1 Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: A
2 Loquere ad filios Israël, & dices ad eos: Cùm ingressi fueritis Terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis,
3 Et feceritis oblationem Domino in holocaustum, aut victimam, vota solventes, vel sponte offerentes munera, aut in sollemnitatibus vestris adolentes odorem suavitatis Domino, de bobus sive de ovibus:
4 Offeret quicumq; immolaverit victimam, sacrificium similæ, decimam partem ephi, conspersæ oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin.
5 Et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ dabit in holocaustum sive in victimam. Per agnos singulos
6 Et arietes erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin:
7 Et

7 Et vinum ad libamentum tertiæ partis ejusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis Dño.
B 8 Quando verò de bobus feceris holocaustum aut hostiam, ut impleas votum vel pacificas victimas,
9 Dabis per singulos boves similæ tres decimas conspersæ oleo quod habeat medium mensuræ hin:
10 Et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ in oblationem suavissimi odoris Domino.
11 Sic facies
12 Per singulos boves & arietes & agnos & hœdos.
13 Tam indigenæ quàm peregrini
14 Eodem ritu offerent sacrificia.
15 Unum præceptum erit atque judicium tam vobis quàm advenis terræ.
16 Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:
17 Loquere filiis Israël, & dices ad eos:
18 Cùm veneritis in terram quam dabo vobis,
19 Et comederitis de panibus regionis illius, seperabitis primitias Domino
20 De cibis vestris. Sicut de areis primitias separatis,
21 Ita & de pulmentis dabitis primitiva Dño.
22 Quòd si per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus est Dñs ad Moysen,
23 Et mandavit per eum ad vos, à die qua cœpit jubere & ultrà,
C 24 Oblitáque fuerit facere multitudo: offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, & sacrificium ejus ac liba, ut cæremoniæ postulant, hircúmque pro peccato:
25 Et rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israël: & dimittetur eis, quoniam non sponte peccaverunt, nihilominus offerentes incensum Domino pro se & pro peccato atq; errore suo:
26 Et dimittetur universæ plebi filiorum Israël, & advenis qui peregrinantur inter eos: quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam.
27 Quòd si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo:
28 Et deprecabitur pro ea sacerdos, quòd inscia peccaverit coram Domino: impetrabítque ei veniam, & dimittetur illi.
29 Tam indigenis quàm advenis una lex erit omnium, qui peccaverint ignorantes.
30 Anima verò, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus, (quoniam adversus Dominum rebellis fuit) peribit de populo suo:
D 31 Verbum enim Domini contempsit, & præceptum illius fecit irritum: idcircò delebitur, & portabit iniquitatem suam.
32 Factum est autem, cùm essent filij Israël in solitudine, & invenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati,
33 Obtulerunt eum Moysi & Aaron & universæ multitudini.
34 Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent.
35 Dixítque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.
36 Cúmque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus, & mortuus est sicut præceperat Dñs.
37 Dixit quoque Dominus ad Moysen:
38 Loquere filiis Israël, & dices ad eos * ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas: *Deut. 22.b.12. Mat.23. a.5.
39 Quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes,
40 Sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo.
41 Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de Terra Ægypti, ut essem Deus vester.

Caput XVI.

Core, Dathan & Abiron seditionem movent, hósque vivos terra absorbet, & ignis interficit 250. viros offerentes incensum, & alios 14700. murmurantes consumpsit incendium.

1 Ecce autem Core filius Isaar, filij Caath, filij Levi, & Dathan atque Abiron filij Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben, A
2 Surrexerunt contra Moysen, aliíque filiorum Israël ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, & qui tempore concilij per nomina vocabantur.
3 * Cúmque stetissent adversum Moysen & Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis: quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: Cur elevamini super populum Domini? *Eccli. 45.c.22. 1.Cor. 10.c.10. Iudæ 1. b.11.
4 Quod cùm audisset Moyses, cecidit pronus in faciem:
5 Locutúsque ad Core & ad omnem multitudinem: Manè, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi: & quos elegerit, appropinquabunt ei.
6 Hoc igitur facite: Tollat unusquisque thuribula sua, tu Core, & omne concilium tuum: B
7 Et hausto cras igne, ponite desuper thymiama coram Domino: & quemcumque elegerit, ipse erit sanctus: multùm erigimini filij Levi.
8 Dixítque rursum ad Core: Audite filij Levi:
9 Num parum vobis est, quòd separavit vos Deus Israël ab omni populo, & junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei?
10 Idcircò ad se fecit accedere te & omnes fratres tuos Levi, ut vobis etiã sacerdotiũ vindicetis,
11 Et omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron ut murmuretis contra eum?
12 Misit ergo Moyses ut vocaret Dathan & Abiron filios Eliab. Qui responderũt: Non venimus.
13 Numquid parum est tibi quòd eduxisti nos de terra, quæ lacte & melle manabat, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri?
14 Reverà induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum & vinearum. an & oculos nostros vis eruere? non venimus.
15 Iratúsque Moyses valdè, ait ad Dominum: C Ne respicias sacrificia eorum: tu scis quòd ne asellum quidem umquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.
16 Dixítque ad Core. Tu & omnis congregatio tua state seorsum coram Domino, & Aaron die crastino separatim.

17 Tol

Universidad de Deusto
Biblioteca

17 Tollite singuli thuribula vestra, & ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula: Aaron quoque teneat thuribulum suum.

18 Quod cùm fecissent, stantibus Moyse & Aaron,

19 Et coacervassent adversum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini.

20 Locutúsque Dñs ad Moysen & Aaron, ait:

21 Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repentè disperdam.

D 22 Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet?

23 Et ait Dominus ad Moysen:

24 Præcipe universo populo ut separetur à tabernaculis Core, & Dathan & Abiron.

25 Surrexítque Moyses, & abiit ad Dathan & Abiron: & sequentibus eum senioribus Israël, dixit ad turbam:

26 Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.

27 Cúmque recessissent à tentoriis eorum per circuitum, Dathan & Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus & liberis, omníque frequentia:

28 Et ait Moyses: In hoc scietis quòd Dominus miserit me ut facerem universa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim:

E 29 Si consueta hominum morte interierint, & visitaverit eos plaga, qua & ceteri visitari solent, non misit me Dominus:

30 Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos & omnia quæ ad illos pertinent, descenderíntque viventes in infernum, scietis quòd blasphemaverint Dñm.

* Deut. 11.6. Ps.105. 6.17.18. 31 * Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum:

32 Et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis & universa substantia eorum.

33 Descenderúntque vivi in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.

34 At verò omnis Israël, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne fortè & nos terra deglutiat.

35 Sed & ignis egressus à Dño, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incẽsum.

36 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicẽs:

37 Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, & ignem huc illúcque dispergat: quoniam sanctificata sunt

F 38 In mortibus peccatorum: producátque ea in laminas, & affigat altari, eò quòd oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata sint, ut cernant ea pro signo & monimento filij Israël.

39 Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi quos incendium devoravit, & produxit ea in laminas, affigens altari:

40 Ut haberent posteà filij Israël, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core. & omnis congregatio ejus, loquẽte Dño ad Moysen.

41 Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israël sequenti die contra Moysen & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini.

42 Cúmque oriretur seditio, & tumultus incresceret,

43 Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini. G

44 Dixítque Dominus ad Moysen:

45 Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cúmque jacerent in terra,

46 Dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens citò ad populum ut roges pro eis: * jam enim ingressa est ira à Domino, & plaga desævit. *Sap.18. d. 21.

47 Quod cùm fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama:

48 Et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.

49 Fuerunt autem qui percussi sunt, quattuordecim millia hominum, & septingenti, absque his qui perierant in seditione Core.

50 Reversúsq; est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi fœderis postquam quievit interitus.

Caput XVII.

Sumptis virgis à duodecim tribuum principibus, sola Aaronis virga floruit, ac fructum produxit, servatáque est in tabernaculo testimonij.

1 ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens: A

2 Loquere ad filios Israël, & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, à cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, & uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ.

3 Nomen autem Aaron erit in tribu Levi, & una virga cunctas seorsum familias continebit:

4 Ponésque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te.

5 Quem ex his elegero, germinabit virga ejus: & cohibebo à me queremonias filiorum Israël, quibus contra vos murmurant. B

6 Locutúsque est Moyses ad filios Israël: & dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus: fuerúntq; virgæ duodecim absque virga Aaron.

7 Quas cùm posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonij:

8 Sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt. C

9 Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israël: viderúntque & receperunt singuli virgas suas.

10 Dixítq; Dominus ad Moysen: Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, *ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israël, & quiescant querelæ eorum à me, ne moriantur. D *Heb.9. a.4.

11 Fecítque Moyses sicut præceperat Dominus.

12 Dixerunt autem filij Israël ad Moysen: Ecce consumpti sumus, omnes perivimus.

13 Quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. num usque ad internecionem cuncti delendi sumus.

Caput

Caput XVIII.

De onere sacerdotum & excubiis Levitarum: primitiæ & oblationes ac sacrificia sacerdotibus, decimæ autem Levitis assignantur, qui earum decimam rursum dabant Aaron.

A 1 DIxítque Dominus ad Aaron: Tu, & filij tui, & domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem Sanctuarij: & tu & filij tui simul sustinebitis peccata sacerdotij vestri.

2 Sed & fratres tuos de tribu Levi, & sceptrum patris tui sume tecum, præstóque sint, & ministrent tibi: tu autem & filij tui ministrabitis in tabernaculo testimonij.

3 Excubabúntque Levitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi: ita dumtaxat, ut ad vasa Sanctuarij & ad altare non accedant, ne & illi moriantur, & vos pereatis simul.

4 Sin autem tecum, & excubent in custodiis tabernaculi, & in omnibus ceremoniis ejus. Alienigena non miscebitur vobis.

5 Excubate in custodia Sanctuarij, & in ministerio altaris: ne oriatur indignatio super filios Israël.

6 Ego dedi vobis fratres vestros Levitas de medio filiorum Israël, & tradidi donum Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus.

7 Tu autem & filij tui custodite sacerdotium vestrum: & omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur. si quis externus accesserit, occidetur. B

8 Locutúsque est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur à filiis Israël, tradidi tibi & filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna.

9 Hæc ergo accipies de his, quæ sanctificantur & oblata sunt Domino. Omnis oblatio, & sacrificium, & quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, & cedit in Sancta sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum.

10 In Sanctuario comedes illud: mares tantùm edent ex eo, quia consecratum est tibi.

11 Primitias autem, quas voverint & obtulerint filij Israël, tibi dedi, & filiis tuis, ac filiabus tuis, jure perpetuo. qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

12 Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi.

13 Universa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in usus tuos: qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

14 Omne quod ex voto reddiderint filij Israël, tuum erit.

C 15 Quidquid primum erumpit è vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit: ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias, & omne animal quod immundum est, redimi facias,

16 Cujus redemptio erit post unum mensem, sicl̃is argenti quinque, pondere Sanctuarij. * Siclus viginti obolos habet. * Exod. 30.b.13. Lev.27. c.25. Sup. 3.g. 47. Ezech. 45.d.12.

17 Primogenitum autem bovis & ovis & capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino, sanguinem tantùm eorum fundes super altare, & adipes adolebis in suavissimum odorem Domino.

18 Carnes verò in usum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, & armus dexter, tua erunt.

19 Omnes primitias Sanctuarij, quas offerunt filij Israël Domino, tibi dedi, & filiis ac filiabus tuis jure perpetuo. Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis.

20 Dixítque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hereditas tua in medio filiorum Israël.

21 Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israëlis in possessionem, pro ministerio quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis:

22 Ut non accedant ultrà filij Israël ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum,

23 Solis filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus, & portantibus peccata populi. legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. * Nihil aliud possidebunt, D * Deut. 18.a.1.

24 Decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum & necessaria separavi.

25 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens:

26 Præcipe Levitis, atque denuntia: Cùm acceperitis à filiis Israël decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ,

27 Ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis quàm de torcularibus:

28 Et universis quorum accipitis primitias, offerte Domino, & date Aaron sacerdoti.

29 Omnia quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt.

30 Dicésque ad eos: Si præclara & meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area & torculari dederitis primitias:

31 Et comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quàm familiæ vestræ: quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonij.

32 Et non peccabitis super hoc, egregia vobis & pinguia reservantes, ne polluatis oblationes filiorum Israël, & moriamini.

Caput XIX.

Excinere vaccæ rufæ fiebat aqua expiationis, qua varia immunditiæ abluebantur: de moriente in tabernaculo, & vase non habente operculum, ac tangente cadaver hominis.

A 1 LOcutúsque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

2 Ista est religio victimæ quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israël, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum:

3 Tradetísq; eam Eleazaro sacerdoti * qui eductam extra castra, immolabit in conspectu omniũ: * Heb. 13.b.11.

4 Et tingens digitum in sanguine ejus, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus,

5 Comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus ejus, quàm sanguine & fimo flammæ traditis,

6 Lignum quoque cedrinum, & hyssopum, coccúmque bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat.

7 Et tunc demum, lotis vestibus & corpore suo, ingredietur in castra, commaculatúsque erit usque ad vesperum. B

Universidad de Deusto
Biblioteca

8 Sed & ille qui combusserit eam,lavabit vestimenta sua & corpus, & immundus erit usque ad vesperum.

9 Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israël in custodiam, & in aquam aspersionis: quia pro peccato vacca combusta est.

10 Cúmque laverit, qui vaccæ portaverat cineres,vestimenta sua,immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc filij Israël & advenæ,qui habitant inter eos, sanctum jure perpetuo.

11 Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus:

C 12 Aspergetur ex hac aqua die tertio & septimo, & sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari.

13 Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus hac commistione non fuerit, polluet tabernaculum Domini,& peribit ex Israël: quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia ejus super eum.

14 Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo: Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus.

15 Vas,quod non habuerit operculum,nec ligaturam desuper, immundum erit.

16 Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis,aut per se mortui, sive os illius,vel sepulchrum, immundus erit septem diebus.

17 Tollentque de cineribus combustionis atque peccati, & mittent aquas vivas super eos in vas.

D 18 In quibus cùm homo mundus tinxerit hyssopum, adsperget ex eo omne tentorium,& cunctam supellectilem,& homines hujusce modi contagione pollutos:

19 Atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio & septimo die. expiatúsque die septimo, lavabit & se & vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum.

20 Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ: quia sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus.

21 Erit hoc præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua: Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum.

22 Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.

Caput XX.

Maria moritur: murmuranti populo aqua contradictionis è petra fluit: negantéque transitum Edom, discedunt ad montem Hor: ubi consecrato in summum sacerdotem Eleazaro, moritur Aaron pater ipsius.

A 1 VEnerúntque filij Israël, & omnis multitudo in desertum Sin,mense primo: & mansit populus in Cades. Mortuáque est ibi Maria, & sepulta in eodem loco.

2 Cúmque indigeret aqua populus, convenerunt adversum Moysen & Aaron:

3 Et versi in seditionem, dixerunt: Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino.

4 * Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, ut & nos & nostra jumenta moriamur? *Exod. 17.a.3.

5 Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, & adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest,qui nec ficum gignit,nec vineas,nec malogranata, insuper & aquam non habet ad bibendum?

6 Ingressúsque Moyses & Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaverúntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem hujus populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ,ut satiati,cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos.

7 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens: B

8 Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus,& loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cúmque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo & jumenta ejus.

9 * Tulit igitur Moyses virgam,quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, *Exod. 17.b.5. 6.

10 Congregata multitudine ante petram, dixítque eis: Audite rebelles & increduli: * Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? Sap.11. a. 4. *Ps.77. b.15. c. 20.

11 Cúmque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem,egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet & jumenta. 1. Cor. 10.a.4.

12 Dixítque Dominus ad Moysen & Aaron: * Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in Terram,quam dabo eis. *Deut. 1.f.37.

13 Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filij Israël contra Dominum, & sanctificatus est in eis.

14 Misit interea nuntios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Israël: Nosti omnem laborem, qui apprehendit nos. C

15 Quo modo descenderint patres nostri in Ægyptum, & habitaverimus ibi multo tempore, afflixerúntque nos Ægyptij, & patres nostros:

16 Et quomodo clamaverimus ad Dominum,& exaudierit nos, miserítque angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in urbe Cades,quæ est in extremis finibus tuis,positi,

17 Obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica,nec ad dexteram nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos.

18 Cui respondit Edom: Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi.

19 Dixerúntque filij Israël: Per tritam gradiemur viam: & si biberimus aquas tuas nos & pecora nostra, dabimus quod justum est: nulla erit in pretio difficultas, tantùm velociter transeamus.

20 At ille respondit: Non transibis. Statímque egressus est obvius, cum infinita multitudine, & manu forti,

21 Nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum per fines suos, quamobrem divertit ab eo Israël.

D 22 Cúmque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom.

23 Ubi locutus est Dominus ad Moysen.

24 Pergat, inquit, Aaron ad populos suos: non enim intrabit Terram quam dedi filiis Israël, eò quòd incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictionis.

*Inf.33. e. 38. Deut. 32.g.50. 25 * Tolle Aaron & filium ejus cum eo,& duces eos in montem Hor.

26 Cúmque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus: Aaron colligetur, & morietur ibi.

27 Fecit Moyses ut præceperat Dñs: & ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine.

28 Cúmque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus.

29 Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro.

30 Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

Caput XXI.

Vincitur ab Israël rex Chananæus: serpentes in populum obtineris tædium murmurantem immittuntur, quorum morsibus erectus serpens æneus medetur: Sehon & Og reges vincuntur.

A 1 QUod cùm audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israël per exploratorum viam, pugnavit contra illum,& victor existens, duxit ex eo prædam.

2 At Israël voto se Domino obligans ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus.

3 Exaudivítque Dominus preces Israël, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus: & vocavit nomen loci illius Horma, id est, anathema.

B 4 Profecti sunt autem & de monte Hor, per viam quæ ducit ad Mare rubrum, ut circumirent terram Edom. Et tædere cœpit populum itineris ac laboris.

5 Locutúsque contra Deum & Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis,non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.

*Iudith 8.c.25. Sap.16. a. 5. 1. Cor. 10.b.9. 6 * Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes,ad quorum plagas & mortes plurimorum,

7 Venerunt ad Moysen,atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: ora ut tollat à nobis serpentes: Oravítque Moyses pro populo.

C 8 Et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet.

*Ioan.3. b.14. 9 * Fecit ergo Moyses SERPENTEM ÆNEUM, & posuit eum pro signo: quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.

10 Profectique filij Israël castrametati sunt in Oboth.

11 Unde egressi fixere tentoria in Jeabarim, in solitudine, quæ respicit Moab contra orientalem plagam.

12 Et inde moventes, venerunt ad Torrentem Zared.

13 Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto,& prominet in finibus Amorrhæi. * siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas & Amorrhæos. *Iudic. 11.c.18.

14 Unde dicitur in libro bellorum Dñi: Sicut fecit in Mari rubro,sic faciet in torrentibus Arnon. D

15 Scopuli torrentium inclinati sunt ut requiescerent in Ar,& recumberent in finibus Moabitarũ.

16 Ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, & dabo ei aquam.

17 Tunc cecinit Israël carmen istud: Ascendat puteus. Concinebant:

18 Puteus, quem foderunt principes, & paraverunt duces multitudinis in datore legis, & in baculis suis. De solitudine,Matthana.

19 De Matthana in Nahaliel: de Nahaliel in Bamoth.

20 De Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum. E

21 * Misit autem Israël nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, dicens: *Deut. 2.c.26. Iudic.11. d.19.

22 Obsecro ut transire mihi liceat per terram tuam, non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas ex puteis,via regia gradiemur,donec transeamus terminos tuos.

23 Qui concedere noluit ut transiret Israël per fines suos: quin potiùs exercitu congregato,egressus est obviam in desertum,& venit in Jasa,pugnavítque contra eum.

24 * A quo percussus est in ore gladij, & possessa est terra ejus ab Arnon usque Jeboc, & filios Ammon: quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum: *Ps.134. b. 11. Amos 2. c.9.

25 Tulit ergo Israël omnes civitates ejus, & habitavit in urbibus Amorrhæi,in Hesebon scilicet, & viculis ejus. F

26 Urbs Hesebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnavit contra regem Moab: & tulit omnem terram,quæ ditionis illius fuerat,usque Arnon.

27 Idcircò dicitur in Proverbio: Venite in Hesebon,ædificetur, & construatur civitas Sehon:

28 Ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon, & devoravit Ar Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon.

29 * Væ tibi Moab,pereisti populo Chamos. Dedit filios ejus in fugam, & filias in captivitatem, regi Amorrhæorum, Sehon. *Iudic. 11.d.24. 3.Reg. 11.b.7.

30 Jugum ipsorum disperiit ab Hesebon usque Dibon,lassi pervenerunt in Nophe, & usque Medaba.

31 Habitavit itaque Israël in Terra Amorrhæi.

32 Misítque Moyses qui explorarent Jazer: cujus ceperunt viculos, & possederunt habitatores. G

33 * Verterúntque se,& ascenderunt per viam Basan,& occurrit eis Og rex Bazan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai. *Deut. 3.a.3. 29.a.7.

34 Dixítque Dominus ad Moysen: Ne timeas eum,quia in manu tua tradidi illum,& omnem populum ac terram ejus, faciésque illi sicut fecisti

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sehon regi Amorrhæorum habitatori Hesebon.
35 Percusserunt igitur & hunc cum filiis suis, universúmque populum ejus usque ad internecionem, & possederunt terram illius.

Caput XXII.

Bis vocatur Balaam à rege Balac, ut Israëlitis malediceret; quem Angelus asina loquente corripit.

A 1 Profectíque castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans Jordanem Jericho sita est.
2 Videns autem Balac filius Sephor omnia quæ fecerat Israël Amorrhæo,
3 Et quòd pertimuissent eum Moabitæ, & impetum ejus ferre non possent,
4 Dixit ad majores natu Madian: Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quo modo solet bos herbas usque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab.
Ios. 24. c. 9. 5 * Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor ariolum, qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, ut vocarent eum, & dicerent: Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ, sedens contra me.
B 6 Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me est: si quo modo possim percutere & ejicere eum de terra mea. novi enim quòd benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congesseris.
7 Perrexerúntque seniores Moab, & majores natu Madian, habentes divinationis pretium in manibus. Cúmque venissent ad Balaam, & narrássent ei omnia verba Balac:
C 8 Ille respondit: Manete hîc nocte, & respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus illis apud Balaam, venit Deus, & ait ad eum:
9 Quid sibi volunt homines isti apud te?
10 Respondit: Balac filius Sephor rex Moabitarum misit ad me,
11 Dicens: Ecce populus qui egressus est de Ægypto, operuit superficiem terræ: veni, & maledic ei, si quo modo possim pugnans abigere eum.
12 Dixítque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque maledicas populo: quia benedictus est.
13 Qui manè consurgens dixit ad principes: Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum.
14 Reversi principes dixerunt ad Balac: Noluit Balaam venire nobiscum.
15 Rursum ille multò plures & nobiliores quàm antè miserat, misit.
16 Qui cùm venissét ad Balaam, dixerunt: Sic dicit Balac filius Sephor: Ne cunctéris venire ad me:
D 17 Paratus sum honorare te, & quidquid volueris dabo tibi: veni, & maledic populo isti.
Inf. 24. c. 13. 18 Respondit Balaam: * Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar.
19 Obsecro ut hîc maneatis etiam hac nocte, & scire queam quid mihi rursum respondeat Dñs.
20 Venit ergo Deus ad Balaam nocte, & ait ei: Si vocare te venerunt homines isti, surge, & vade cũ eis: ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero, facias.
21 Surrexit Balaam manè, & strata asina sua profectus est cum eis.
22 * Et iratus est Deus. Stetítque angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, & duos pueros habebat secum. ** 2. Pet. 2. c. 15.*
23 Cernens asina angelum stantem in via, evaginato gladio, avertit se de itinere, & ibat per agrum. Quam cùm verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere, E
24 Stetit angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur.
25 Quem videns asina, junxit se parieti, & attrivit sedentis pedem. At ille iterùm verberabat eã:
26 Et nihilominus angelus ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit.
27 Cúmque vidisset asina stantem angelum, concidit sub pedibus sedentis. qui iratus vehementiùs cædebat fuste latera ejus.
28 Aperuítque Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me? ecce jam tertiò?
29 Respondit Balaam: Quia commeruisti, & illusisti mihi, utinam haberem gladium, ut te percuterem. F
30 Dixit asina: Nónne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? dic quid simile umquam fecerim tibi. At ille ait: Numquam.
31 Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit angelum stantem in via evaginato gladio, adoravítque eum pronus in terram.
32 Cui angelus: Cur, inquit, tertiò verberas asinam tuam? Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihíque contraria.
33 Et nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, & illa viveret.
34 Dixit Balaam. Peccavi, nesciens quòd tu stares contra me: & nunc si displicet tibi ut vadam, revertar.
35 Ait angelus: Vade cum istis, & cave ne aliud quàm præcepero tibi loquaris. Ivit igitur cum principibus.
36 Quod cùm audisset Balac, egressus est in G occursum ejus, in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon.
37 Dixítque ad Balaam: Misi nuntios ut vocarem te, cur non statim venisti ad me? an quia mercedem adventui tuo reddere nequeo?
38 Cui ille respondit: Ecce adsum: numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?
39 Perrexerunt ergo simul, & venerunt in urbem, quæ in extremis regni ejus finibus erat.
40 Cúmque occidisset Balac boves & oves, misit ad Balaam, & principes qui cum eo erant, munera.
41 Manè autem facto duxit eum ad excelsa Baal, & intuitus est extremam partem populi.

Caput XXIII.

Balaam loco maledictionis, benedicit semel ac iterum populo Israël, multa de illo vaticinatus.

1 Dixítque Balaam ad Balac: Ædifica mihi A hîc septem aras, & para totidem vitulos, ejusdémque numeri arietes.
2 Cúmque fecisset juxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum & arietem super aram.

3 Dixítque Balaam ad Balac: Sta paulisper juxta holocaustum tuum, donec vadam, si fortè occurrat mihi Dominus, & quodcumque imperaverit, loquar tibi.
4 Cúmque abiisset velociter, occurrit illi Deus. Locutúsque ad eum Balaam: Septem inquit, aras erexi, & imposui vitulum & arietem desuper.
5 Dominus autem posuit verbum in ore ejus, & ait: Revertere ad Balac, & hæc loquêris.
6 Reversus invenit stantem Balac juxta holocaustum suum, & omnes principes Moabitarum:
7 Assumptáque parabola sua, dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni, inquit, & maledic Jacob: propera, & detestare Israël.
B 8 Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur?
9 De summis silicibus videbo eum, & de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur.
10 Quis dinumerare possit pulverem Jacob, & nosse numerum stirpis Israël? Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.
11 Dixítque Balac ad Balaam: Quid est hoc quod agis? Ut maledíceres inimicis meis vocavi te: & tu è contrario benedicis eis.
12 Cui ille respondit: Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus?
13 Dixit ergo Balac: Veni mecum in alterum locum unde partem Israël videas, & totum videre non possis, inde maledicito ei.
14 Cúmque duxisset eum in locum sublimem, super verticem montis Phasga, ædificavit Balaam septem aras, & impositis suprà vitulo atque ariete,
C 15 Dixit ad Balaac: Sta hîc juxta holocaustum tuum, donec ego obvius pergam.
16 Cui cùm Dominus occurrisset, posuissétque verbum in ore ejus, ait: Revertere ad Balac, & hæc loquêris ei.
17 Reversus invenit eum stantem juxta holocaustum suum, & principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, inquit, locutus est Dominus?
18 At ille assumpta parabola sua, ait: Sta Balac, & ausculta, audi fili Sephor:
19 Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit?
20 Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo.
21 Non est idolum in Jacob, nec videtur simulachrum in Israël. Dominus Deus ejus cum eo est, & clangor victoriæ regis in illo.
Inf. 24. b. 8. 22 * Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis.
D 23 Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israël. Temporibus suis dicetur Jacob & Israëli quid operatus sit Deus.
24 Ecce populus ut leæna consurget, & quasi leo erigetur: non accubabit donec devoret prædam, & occisorum sanguinem bibat.
25 Dixítque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas.

26 Et ille ait: Nónne dixi tibi, quòd quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem?
27 Et ait Balac ad eum: Veni, & ducam te ad alium locum: si fortè placeat Deo ut inde maledicas eis.
28 Cúmque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem,
29 Dixit ei Balaam: Ædifica mihi hîc septem aras, & para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes.
30 Fecit Balac ut Balaam dixerat: imposuítque vitulos & arietes per singulas aras.

Caput XXIV.

Balaam tertiò benedicit, & prospera vaticinatur de Israël, & de Christo: item de Amalecitis, Cinæis, & Romanis.

1 Cumque vidisset Balaam quòd placeret Domino ut benediceret Israëli, nequaquam A abiit ut antè perrexerat, ut augurium quæreret: sed dirigens contra desertum vultum suum,
2 Et elevans oculos, vidit Israël in tentoriis commorantem per tribus suas: & irruente in se spiritu Dei,
3 Assumpta parabola ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cujus obturatus est oculus:
4 Dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi ejus.
5 Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israël!
6 Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.
7 Fluet aqua de situla ejus, & semen illius erit B in aquas multas. Tolletur propter Agag, rex ejus, & auferetur regnum illius.
8 Deus eduxit illum de Ægypto, * cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Devorabunt gentes hostes illius, ossáque eorum confringent, & perforabunt sagittis. ** Sup. 23. d. 22.*
9 Accubans dormivit ut leo, & quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur.
10 Iratúsque Balac contra Balaam, complosis manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus è contrario tertiò benedixisti:
11 Revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnificè honorare te, sed Dominus privavit te honore dispósito.
12 Respondit Balaam ad Balac: Nónne nuntiis C tuis, quos misísti ad me, dixi:
13 * Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero prætérire sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo: sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar? ** Sup. 22. d. 18.*
14 Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consílium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.
15 Sumpta igitur parabola, rursum ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cujus obturatus est oculus:
16 Dixit auditor sermonum Dei, qui novit

Universidad de Deusto
Biblioteca

doctrinam Altissimi, & visiones Omnipotentis videt,qui cadens apertos habet oculos.

17 Videbo eum, sed non modò:intuebor illum, sed non propè. * ORIETUR STELLA ex Jacob, & consurget virga de Israël: & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. *Mat.2. a.2.

D 18 Et erit Idumæa possessio ejus: hereditas Seir cedet inimicis suis: Israël verò fortiter aget.

19 De Jacob erit qui dominetur, & perdat reliquias civitatis.

20 Cúmque vidisset Amalec, assúmens parabolam, ait:Principium Gentium Amalech, cujus extrema perdentur.

21 Vidit quoque Cinæum,& assúmpta parabola, ait:Robustum quidem est habitaculum tuum:sed si in petra posueris nidum tuum,

22 Et fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere:Assúr enim capiet te.

23 Assúmptáque parabola iterùm locutus est: Heu, quis victurus est,quando ista faciet Deus?

*Dan. 11.c.30. 24 * Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabúntque Hebræos,& ad extremum etiam ipsi peribunt.

25 Surrexítque Balaam,& reversus est in locum suum.Balac quoque via, qua venerat,rediit.

CAPUT XXV.

Ob fornicationem Israël cum Madianitis jubet Deus principes suspendi:ipsique Phinees dat perpetuum sacerdotium,eò quòd divino zelo Zambri & Cozbi pugione confodisset.

A 1 MOrabatur autem eo tempore Israël in Settim,& fornicatus est populus cum filiabus Moab,

2 Quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adoraverunt deos earum.

*Ios.22. d.17. 3 * Initiatúsque est Israël Beelphegor: & iratus Dominus,

Deut. 4.a.3. 4 Ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi,& suspende eos contra solem in patibulis: ut avertatur furor meus ab Israël.

Exod. 32.f.27. B 5 Dixítque Moyses ad Judices Israël: Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.

6 Et ecce unus de filiis Israël intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem,vidente Moyse,& omni turba filiorum Israël,qui flebant ante fores tabernaculi.

*Ps.105 e.30. 1.Mac. 2.c.26. 1.Cor. 10b.8. C 7 * Quod cùm vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione,

8 Ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem, in locis genitalibus. Cessávítque plaga à filiis Israël.

9 Et occisi sunt viginti quattuor millia hominum.

10 Dixítque Dominus ad Moysen:

11 Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis avertit iram meam à filiis Israël:quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israël in zelo meo.

*Eccli. 45.d.30. 1.Mac. 2.f.45. 12 Idcircò loquere ad eum: * Ecce do ei pacem fœderis mei,

13 Et erit tam ipsi quàm semini ejus pactum sacerdotij sempiternum,quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israël.

14 Erat autem nomen viri Israëlitæ,qui occisus D est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione & tribu Simeonis.

15 Porrò mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi,filia Sur principis nobilissimi Madianitarum.

16 Locutúsque est Dominus ad Moysen,dicens:

17 *Hostes vos sentiãt Madianitæ,& percutite eos: *Inf.31. a.2.

18 Quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepère insidiis per idolum Phogor, & Cozbi filiam ducis Madian sororem suam,quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phogor.

CAPUT XXVI.

Numerantur Israëlitæ per singulas tribus, qui bello apti, sunt Terram promissionis ingressuri.

1 POstquam noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen,& Eleazarum filium A Aaron sacerdotem:

2 *Numerate omnem summam filiorum Israël à viginti annis & supra, per domos & cognationes suas, cunctos qui possúnt ad bella procedere. *Sup.1. a.2.3.

3 Locuti sunt itaque Moyses & Eleazar sacerdos in campestribus Moab super Jordanem contra Jericho, ad eos qui erant

4 A viginti annis & supra, sicut Dominus imperaverat, quorum iste est numerus:

5 Ruben primogenitus Israël. * hujus filius, Henoch,à quo familia Henochitarum:& Phallu,à quo familia Phalluitarum: *Gen. 46.b.9. Exod.6. c.14. 1.Par.5. a.3.

6 Et Hesron, à quo familia Hesronitarum: & Charmi, à quo familia Charmitarum.

7 Hæ sunt familiæ de stirpe Ruben: quarum numerus inventus est, quadraginta tria millia & septingenti triginta.

8 Filius Phallu, Eliab.

9 Hujus filij, Namuel & Dathan & Abiron. isti sunt Dathan & Abiron principes populi,*qui surrexerunt contra Moysen & Aaron in seditione Core, quando adversus Dominum rebellaverunt: *Sup. 16.a.1. B

10 Et aperiens terra os suum devoravit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum est grande miraculum,

11 Ut, Core pereunte, filij illius non perirent.

12 Filij Simeon per cognationes suas: Namuel, ab hoc familia Namuelitarum: Jamin, ab hoc familia Jaminitarum: Jachin, ab hoc familia Jachinitarum:

13 Zare, ab hoc familia Zareitarum: Saul, ab hoc familia Saulitarum.

14 Hæ sunt familiæ de stirpe Simeon, quarum omnis numerus fuit, vinginti duo millia ducenti.

15 Filij Gad per cognationes suas: Sephon, ab hoc familia Sephonitarum: Aggi, ab hoc familia Aggitarum: Suni,ab hoc familia Sunitarum:

16 Ozni, ab hoc familia Oznitarum: Her, ab hoc familia Heritarum:

17 Arod,ab hoc familia Aroditarum: Ariel, ab hoc familia Arielitarum.

18 Istæ sunt familiæ Gad,quarum omnis numerus fuit, quadraginta millia quingenti.

19 *Filij Juda, Her & Onan, qui ambo mortui sunt in Terra Chanaan. *Gen. 38.a.3.

20 Fuerúntque filij Juda, per cognationes suas: C Sela

Sela,à quo familia Selaitarum:Phares,à quo familia Pharesitarum: Zare, à quo familia Zareitarum.

21 Porrò filij Phares:Hesron, à quo familia Hesronitarum:& Hamul, à quo familia Hamulitarum.

22 Istæ sunt familiæ Juda, quarum omnis numerus fuit, septuaginta sex millia, quingenti.

23 Filij Issachar, per cognationes suas: Thola,à quo familia Tholaitarum: Phua, à quo familia Phuaitarum::

24 Jasub, à quo familia Jasubitarum: Semran, à quo familia Semranitarum.

25 Hæ sunt cognationes Issachar, quarum numerus fuit sexaginta quattuor millia trecenti.

26 Filij Zabulon per cognationes suas: Sared,à quo familia Sareditarum: Elon,à quo familia Elonitarum: Jalel, à quo familia Jalelitarum.

27 Hæ sunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit, sexaginta millia quingenti.

28 Filij Joseph per cognationes suas, Manasse & Ephraim.

D 29 De Manasse ortus est Machir, à quo familia *Ios.17. a.1. Machiritarum. * Machir genuit Galaad, à quo familia Galaaditarum.

30 Galaad habuit filios: Jezer,à quo familia Jezeritarum: & Helec,à quo familia Helecitarum:

31 Et Asriel,à quo familia Asrielitarum: & Sechem,à quo familia Sechemitarum:

*Inf.27. a.1. 32 Et Semida, à quo familia Semidaitarum: *& Hepher,à quo familia Hepheritarum.

33 Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantùm filias, quarum ista *Ibid. sunt nomina:* Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa.

34 Hæ sunt familiæ Manasse, & numerus earum,quinquaginta duo millia septingenti.

35 Filij autem Ephraim per cognationes suas, fuerunt hi: Suthala, à quo familia Suthalaitarum: Becher, à quo familia Becheritarum: Thehen, à quo familia Thehenitarum.

E 36 Porrò filius Suthala fuit Heran, à quo familia Heranitarum.

37 Hæ sunt cognationes filiorum Ephraim,quarum numerus fuit, triginta duo millia quingenti.

38 Isti sunt filij Joseph per familias suas. Filij Benjamin in cognationibus suis: Bela, à quo familia Belaitarum: Asbel, à quo familia Asbelitarum: Ahiram, à quo familia Ahiramitarum:

39 Supham, à quo familia Suphamitarum: Hupham, à quo familia Huphamitarum.

40 Filij Bela:Hered & Noëman.De Hered,familia Hereditarũ de Noëman, familia Noëmanitarũ.

41 Hi sunt filij Benjamin per cognationes suas, quorum numerus fuit, quadraginta quinque millia sexcenti.

42 Filij Dan per cognationes suas: Suham,à quo familia Suhamitarum. hæ sunt cognationes Dan per familias suas.

43 Omnes fuere Suamitæ, quorum numerus erat, sexaginta quattuor millia quadringenti,

44 Filij Aser per cognationes suas:Jemna,à quo familia Jemnaitarum:Jessui, à quo familia Jessuitarum: Brie, à quo familia Brieitarum.

45 Filij Brie:Heber,à quo familia Heberitarum: & Melchiel,à quo familia Melchielitarum.

46 Nomen autem filiæ Azer, fuit Sara.

47 Hæ cognationes filiorum Aser, & numerus eorum,quinquaginta tria millia quadringenti.

48 Filij Nephthali per cognationes suas:Jesiel,à F quo familia Jesielitarum: Guni, à quo familia Gunitarum:

49 Jeser,à quo familia Jeseritarum:Sellem,à quo familia Sellemitarum.

50 Hæ sunt cognationes filiorum Nephthali per familias suas: quorum numerus, quadraginta quinque millia quadringenti.

51 Ista est summa filiorum Israël, qui recensiti sunt, sexcenta millia,& mille septingenti triginta.

52 Locutúsque est Dominus ad Moysen,dicẽs:

53 Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum in possessiones suas.

54 Pluribus majorem partem dabis,& paucioribus minorem: singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio:

55 Ita dumtaxat ut sors Terram Tribubus dividat & familiis.

56 Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores.

57 *Hic quoque est numerus filiorum Levi per familias suas: Gerson,à quo familia Gersonitarum: Caath, à quo familia Caathitarum:Merari, à quo familia Meraritarum. *Exod. 6.c.16.

58 Hæ sunt familiæ Levi:Familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Musi, familia Core. At verò Caath genuit Amram: G

59 Qui habuit uxorem Jochabed filiam Levi, quæ nata est ei in Ægypto. hæc genuit Amran viro suo filios Aaron & Moysen, & Mariam sororem eorum.

60 De Aaron orti sunt Nadab & Abiu,& Eleazar & Ithamar:

61 * Quorum Nadab & Abiu mortui sunt,cùm obtulissent ignem alienum coram Domino. *Sup.3. a.4. Lev.10. a.1.

62 Fuerúntque omnes qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini, ab uno mense & suprà: quia non sunt recensiti inter filios Israël, nec eis cum cæteris data possessio est. 1.Par. 24.a.2.

63 Hic est numerus filiorum Israël qui descripti sunt à Moyse & Eleazaro sacerdote, in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho.

64 * Inter quos,nullus fuit eorum qui antè numerati sunt à Moyse & Aaron in deserto Sinai. *1.Cor. 10.a.5.

65 * Prædixerat enim Dominus, quòd omnes morerentur in solitudine. Nullúsque remansit ex eis,nisi Caleb filius Jephone,& Josue filius Nun. *Sup.14. d.23. 24.

CAPUT XXVII.

Filiæ Salphaad patri succedunt in hereditatem: dicítque Dominus Moysen moriturum, ubi ex monte Terram promissionis conspexerit.

A 1 ACcesserunt * autem filij Salphaad, filij Hepher,filij Galaad,filij Machir,filij Manasse, qui fuit filius Joseph:quarum sunt nomina, Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa. *Sup. 26. d. 32.33. Inf.36. a.1. Ios.17. a.1.

2 Steterúntque coram Moyse & Eleazaro sacerdote, & cunctis principibus populi ad ostium tabernaculi fœderis, atque dixerunt:

3 Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ * concitata est contra Dominum sub Core,sed in peccato suo mortuus est: hic *Sup. 16.a.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habuit filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri.
B 4 Retulitque Moyses causam earum ad judicium Domini.
5 Qui dixit ad eum:
6 Justam rem postulant filiæ Salphaad: da eis possessionem inter cognatos patris sui, & ei in hereditatem succedant.
7 Ad filios autem Israël loquêris hæc.
8 Homo cùm mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hereditas.
9 Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos.
10 Quòd si & fratres non fuerint, dabitis hereditatem fratribus patris ejus.
11 Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hereditas his qui ei proximi sunt, eritque hoc filiis Israël sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi.
*Deut. 32.g. 49. C 12 Dixit quoque Dominus ad Moysen: * Ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde Terram, quam daturus sum filiis Israël.
13 Cúmque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron:
*Sup. 20.b.12. Deut. 32.g.51. 14 * Quia offendistis me in deserto Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas. hæ sunt aquæ contradictionis in Cades deserti Sin.
15 Cui respondit Moyses:
16 Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc:
17 Et possit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere: ne sit populus Domini sicut oves absque pastore.
D 18 Dixítque Dominus ad eum: * Toile Josue
*Deut. 3.d.21. filium Nun, virum in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum.
19 Qui stabit coram Eleazaro sacerdote & omni multitudine:
20 Et dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israël.
21 Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipse, & omnes filij Israël cum eo, & cetera multitudo.
22 Fecit Moyses ut præceperat Dominus. Cúmque tulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote & omni frequentia populi.
23 Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit quæ mandaverat Dominus.

Caput XXVIII.

Sacrificia quotidiana & diei septimi ac calendarum, & de duabus sollemnitatibus Azymorum & Hebdomadarum.

A 1 Dixit quoque Dominus ad Moysen:
2 Præcipe filiis Israël, & dices ad eos: Oblationem meam & panes, & incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua.
*Exod. 29.f.38. 3 Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis: * Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum:
4 Unum offeretis manè, & alterum ad vesperũ:
5 Decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, & habeat quartam partem hin.
6 Holocaustum juge est quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini.
7 Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in Sanctuario Domini.
8 Alterúmque agnum similiter offeretis ad vesperam juxta omnem ritum sacrificij matutini, & libamentorum ejus, oblationem suavissimi odoris Domino.
*Matt. 12.a.5. B 9 * Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba
10 Quæ ritè funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum.
11 In calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos,
12 Et tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos: & duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes:
13 Et decimam decimæ similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos holocaustum suavissimi odoris atque incensi est Domino.
14 Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum. hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt.
15 Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis. C
*Exod. 12.c.18. Levit. 23.a.5. 16 * Mense autem primo, quartadecima die mensis, Phase Domini erit,
17 Et quintadecima die sollemnitas: septem diebus vescentur azymis,
18 Quarum dies prima venerabilis & sancta erit: omne opus servile non facietis in ea.
19 Offeretísque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem:
20 Et sacrificia singulorum ex simila quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem,
21 Et decimam decimæ per agnos singulos: id est, per septem agnos.
22 Et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis.
23 Præter holocaustum matutinum quod semper offeretis.
24 Ita facietis per singulos dies septem dierum D in fomitem ignis, & in odorem suavissimum Domino, qui surget de holocausto, & de libationibus singulorum.
25 Dies quoque septimus celeberrimus & sanctus erit vobis: omne opus servile non facietis in eo.
26 Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis & sancta erit: omne opus servile non facietis in ea.
27 Offeretísque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem:

28 Atque

28 Atque in sacrificiis eorum similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas,
29 Per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem. hircum quoque
30 Qui mactatur pro expiatione: præter holocaustum sempiternum & liba ejus.
31 Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

Caput XXIX.

Sollemnitates mensis septimi, & quid in eis offerendum sit: nempè sollemnitas tubarum, expiationis, & tabernaculorum quæ octo diebus varias habent oblationes.

A 1 Mensis etiam septimi prima dies venerabilis & sancta erit vobis. omne opus servile non facietis in ea, quia dies clãgoris est & tubarum.
2 Offeretísque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armẽto unum, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem:
3 Et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem,
4 Unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem:
5 Et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi,
6 Præter holocaustum calendarum cum sacrificiis suis, & holocaustum sempiternum cum libationibus solitis. eisdem ceremoniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino.
*Lev. 16.f.29. 23.e.7. 7 * Decima quoque dies mensis hujus septimi erit vobis sancta atque venerabilis, & affligetis animas vestras: omne opus servile non facietis in ea.
8 Offeretísque holocaustum Domino in odorem suavissimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem:
B 9 Et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem,
10 Decimam decimæ per agnos singulos, qui sunt simul agni septem:
11 Et hircum pro peccato, absque his quæ offerri pro delicto solent in expiationem, & holocaustum sempiternum, cum sacrificio & libaminibus eorum.
12 Quintadecima verò die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque venerabilis, omne opus servile non facietis in ea, sed celebrabitis sollemnitatem Domino septem diebus.
13 Offeretísque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim:
14 Et in libamentis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, qui sunt simul vituli tredecim: & duas decimas arieti uno, id est, simul arietibus duobus,
15 Et decimam decimæ agnis singulis, qui sunt simul agni quattuordecim:
C 16 Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, & sacrificio, & libamine ejus.
17 In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim:
18 Sacrificiáque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis:
19 Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificióque & libamine ejus.
20 Die tertio offeretis vitulos undecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:
21 Sacrificiáque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis:
22 Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificióque & libamine ejus.
23 Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:
24 Sacrificiáque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis:
25 Et hircum pro peccato absque holocausto sempiterno, sacrificióque ejus & libamine.
26 Die quinto offeretis vitulos novem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:
27 Sacrificiáque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis:
28 Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificióque ejus & libamine.
29 Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, D agnos anniculos immaculatos quattuordecim:
30 Sacrificiáque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis.
31 Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificióque ejus & libamine.
32 Die septimo offeretis vitulos septem, & arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim:
33 Sacrificiáque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis:
34 Et hircum pro peccato absque holocausto sempiterno, sacrificióque ejus & libamine.
35 Die octavo, qui est celeberrimus, omne opus servile non facietis,
36 Offerentes holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem:
37 Sacrificiáque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis:
38 Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificióque ejus & libamine.
39 Hæc offeretis Domino in sollemnitatibus vestris: præter vota & oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, & in hostiis pacificis.

Caput XXX.

De voto ac juramento virorum, & quando puellarum & uxorum vota seu juramenta rata sint, vel irrita.

1 Narravítque Moyses filiis Israël omnia quæ A
ei Dominus imperarat:
2 Et locutus est ad principes tribuum filiorum Israël: Iste est sermo quem præcepit Dominus:
3 Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit.
4 Mulier si quippiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari: si cognoverit pater votum quod pollicita est, & juramentum quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit:
5 Quidquid pollicita est & juravit, opere cõplebit.

6 Sin

Universidad de Deusto
Biblioteca

6 Sin autem ſtatim ut audierit, contradixerit pater: & vota & juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur ſponſioni,eò quòd contradixerit pater.

7 Si maritum habuerit, & voverit aliquid, & ſemel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento:

8 Quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit,reddétque quodcumque promiſerat.

C 9 Sin autem audiens ſtatim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes ejus, verbáque quibus obſtrinxerat animam ſuam : propitius erit ei Dominus.

10 Vidua & repudiata quidquid voverint:reddẽt.

11 Uxor in domo viri cùm ſe voto conſtrinxerit & juramento,

12 Si audierit vir,& tacuerit, nec contradixerit ſponſioni, reddet quodcumque promiſerat.

13 Sin autem extemplò contradixerit,non tenebitur promiſſionis rea: quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit.

D 14 Si voverit, & juramento ſe conſtrinxerit, ut per jejunium, vel ceterarum rerum abſtinentiam affligat animam ſuam,in arbitrio viri erit ut faciat, ſive non faciat.

15 Quòd ſi audiens vir tacuerit, & in alteram diem diſtulerit ſententiam:quidquid voverat atque promiſerat, reddet: quia ſtatim ut audivit,tacuit.

16 Sin autem contradixerit poſtquam reſcivit, portabit ipſe iniquitatem ejus.

17 Iſtæ ſunt leges, quas conſtituit Dominus Moyſi, inter virum & uxorem, inter patrem & filiam,quæ in puellari adhuc ætate eſt,vel quæ manet in parentis domo.

CAPUT XXXI.

Cæſis Madianitis virgines ſolæ reſervantur, ſubſtantia ex æquo dividitur pugnantibus & plebi, primitiæ Sacerdotis ac Levitis traduntur, gratiæ Deo cum donariis offeruntur.

A 1 LOcutúſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens:
2 Ulciſcere priùs filios Iſraël de Madianitis,& ſic colligêris ad populum tuum.

* Sup. 25.d.17. 3 Statímque Moyſes, * Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam,qui poſſint ultionem Domini expetere de Madianitis.

4 Mille viri de ſingulis tribubus eligantur ex Iſraël,qui mittantur ad bellum.

5 Dederúntque millenos de ſingulis tribubus. id eſt,duodecim millia expeditorum ad pugnam:

6 Quos miſit Moyſes cum Phinees filio Eleazari ſacerdotis, vaſa quoque ſancta, & tubas ad clangendum tradidit ei.

7 Cúmque pugnaſſent contra Madianitas atque viciſſent,omnes mares occiderunt,

*Joſ.13. c.22. B 8 * Et reges eorum, Evi, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe, quinque principes gentis : Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio.

9 Ceperúntque mulieres eorum, & parvulos, omniáque pecora,& cunctam ſupellectilem:quidquid habere potuerant depopulati ſunt:

10 Tam urbes quàm viculos & caſtella flamma conſumpſit.

11 Et tulerunt prædam, & univerſa quæ ceperant tam ex hominibus quàm ex jumentis,

12 Et adduxerunt ad Moyſen, & Eleazarum ſacerdotem, & ad omnem multitudinem filiorum Iſraël : reliqua autem utenſilia portaverunt ad caſtra in campeſtribus Moab juxta Jordanem contra Jericho.

13 Egreſſi ſunt autem Moyſes & Eleazar ſacerdos, & omnes principes ſynagogæ, in occurſum C eorum extra caſtra.

14 Iratúſque Moyſes principibus exercitus,tribunis, & centurionibus qui venerant de bello,

15 Ait: Cur feminas reſervaſtis?

16 * Nónne iſtæ ſunt, quæ deceperunt filios * Sup. 25.d.18. Iſraël ad ſuggeſtionem Balaam, & prævaricari vos fecerunt in Domino ſuper peccato Phogor, unde & percuſſus eſt populus?

17 * Ergo cunctos interficite quidquid eſt ge- *Iud.21. neris maſculini,etiam in parvulis: & mulieres,quæ b.11. noverunt viros in coitu,jugulate:

18 Puellas autem & omnes feminas virgines reſervate vobis:

19 Et manete extra caſtra ſeptem diebus. Qui occiderit hominem, vel occiſum tetigerit, luſtrabitur die tertio & ſeptimo.

20 Et de omni præda, ſive veſtimentum fuerit, ſive vas,& aliquid in utenſilia præparatum de caprarum pellibus, & pilis, & ligno, expiabitur.

21 Eleazar quoque ſacerdos, ad viros exercitus D qui pugnaverant, ſic locutus eſt: Hoc eſt præceptum legis, * quod mandavit Dominus Moyſi: *Lev.6. d.28.11. e.33.15. b.12.

22 Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & ſtannum,

23 Et omne quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur. quidquid autem ignem non poteſt ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur:

24 Et lavabitis veſtimenta veſtra die ſeptimo, & purificati poſteà caſtra intrabitis.

25 Dixit quoque Dominus ad Moyſen:

26 Tollite ſummam eorum quæ capta ſunt, ab homine uſque ad pecus, tu & Eleazar ſacerdos & principes vulgi:

27 Divideſque ex æquo prædam, inter eos qui pugnaverunt egreſſíque ſunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem:

28 Et ſeparabis partem Domino ab his qui pug- E naverunt & fuerunt in bello, unam animam de quingentis, tam ex hominibus quàm ex bobus & aſinis & ovibus,

29 Et dabis eam Eleazaro ſacerdoti, quia primitiæ Domini ſunt.

30 Ex media quoque parte filiorum Iſraël accipies quinquageſimum caput hominum, & boum, & aſinorum, & ovium,cunctorum animantium,& dabis ea Levitis, qui excubant in cuſtodiis tabernaculi Domini.

31 Fecerúntque Moyſes & Eleazar, ſicut præceperat Dominus.

32 Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ovium ſexcenta ſeptuaginta quinque millia,

33 Boum ſeptuaginta duo millia,

34 Aſinorum ſexaginta millia & mille:

35 Animæ hominum ſexus feminei, quæ non cognoverant viros, triginta duo millia.

36 Datáque eſt media pars his qui in prælio fuerant, ovium trecenta triginta ſeptem millia quingentæ:

F 37 E quibus in partem Domini ſupputatæ ſunt oves ſexcentæ ſeptuaginta quinque.

38 Et de bobus triginta ſex millibus,boves ſeptuaginta & duo:

39 De aſinis triginta millibus quingentis, aſini ſexaginta unus:

40 De animabus hominum ſedecim millibus, ceſſerunt in partem Domini triginta duæ animæ.

41 Tradidítque Moyſes numerum primitiarum Domini Eleazaro ſacerdoti, ſicut fuerat ei imperatum,

42 Ex media parte filiorum Iſraël,quam ſeparaverat his qui in prælio fuerant.

43 De media verò parte quæ contigerat reliquæ multitudini,id eſt, de ovibus trecentis triginta ſeptem millibus quingentis,

44 Et de bobus triginta ſex millibus,

45 Et de aſinis triginta millibus quingentis,

46 Et de hominibus ſedecim millibus,

G 47 Tulit Moyſes quinquageſimum caput,& dedit Levitis,qui excubabant in tabernaculo Domini, ſicut præceperat Dominus.

48 Cúmque acceſſiſſent principes exercitus ad Moyſen, & tribuni, centurionésque, dixerunt:

49 Nos ſervi tui recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra: & ne unus quidem defuit.

50 Ob hanc cauſam offerimus in donariis Domini ſinguli quod in præda auri potuimus invenire,periſcelides & armillas, annulos & dextralia, ac murænulas, ut depreceris pro nobis Dominum.

51 Suſceperúntque Moyſes & Eleazar ſacerdos, omne aurum in diverſis ſpeciebus,

52 Pondo ſedecim millia, ſeptingentos quinquaginta ſiclos, à tribunis & centurionibus.

53 Unuſquiſque enim quod in præda rapuerat, ſuum erat.

54 Et ſuſceptum intulerunt in tabernaculum teſtimonij, in monimentum filiorum Iſraël coram Domino.

CAPUT XXXII.

Filiis Ruben, Gad & dimidiæ tribui Manaſſe portio datur trans Iordanem, modò fratres ſuos in Terram promiſſionis armati præcedant.

A 1 FIlij autem Ruben & Gad habebant pecora multa, & erat illis in jumentis infinita ſubſtantia. Cúmque vidiſſent Jazer & Galaad aptas animalibus alendis terras,

2 Venerunt ad Moyſen & ad Eleazarum ſacerdotem,& principes multitudinis, atque dixerunt:

3 Ataroth, & Dibon, & Jaſer, & Nemra, Heſebon, & Eleale, & Saban, & Nebo, & Beon,

4 Terra,quam percuſſit Dominus in conſpectu filiorum Iſraël, regio uberrima eſt ad paſtum animalium:& nos ſervi tui habemus jumẽta plurima:

5 Precamúrque ſi invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in poſſeſſionem, nec facias nos tranſire Jordanem.

B 6 Quibus reſpondit Moyſes: Numquid fratres veſtri ibunt ad pugnam, & vos hîc ſedebitis?

7 Cur ſubvertitis mentes filiorum Iſraël,ne tranſire audeant in locum, quem eis daturus eſt Dñs.

8 Nónne ita egerunt patres veſtri,quando miſi de Cadesbarne ad explorandam terram?

9 *Cúmque veniſſent uſque ad Vallem botri, *Sup.13. d.24. luſtrata omni regione, ſubverterunt cor filiorum Iſraël,ut non intrarẽt fines,quos eis Dominus dedit.

10 Qui iratus juravit, dicens:

11 Si videbunt homines iſti, qui aſcenderunt ex Ægypto,à viginti annis & ſupra,Terram,quam ſub juramento pollicitus ſum Abraham, Iſaac & Jacob: & noluerunt ſequi me,

12 Præter Caleb filium Jephone Cenezæum, C & Joſue filium Nun: iſti impleverunt voluntatem meam.

13 Iratúſque Dominus adverſum Iſraël,circumduxit eum per deſertum quadraginta annis,donec conſumeretur univerſa generatio,quæ fecerat malum in conſpectu ejus.

14 Et ecce, inquit, vos ſurrexiſtis pro patribus veſtris, incrementa & alumni hominum peccatorum,ut augeretis furorem Domini contra Iſraël.

15 Quòd ſi nolueritis ſequi eum, in ſolitudine populum derelinquet, & vos cauſa eritis necis omnium.

16 At illi propè accedentes, dixerunt: Caulas ovium fabricabimus, & ſtabula jumentorum, parvulis quoque noſtris urbes munitas:

17 Nos autem ipſi armati & accincti pergemus D ad prælium ante filios Iſraël, donec introducamus eos ad loca ſua.Parvuli noſtri, & quidquid habere poſſumus, erunt in urbibus muratis, propter habitatorum inſidias.

18 Non revertemur in domos noſtras, uſque dum poſſideant filij Iſraël hereditatem ſuam:

19 Nec quidquam quæremus trans Jordanem, quia jam habemus noſtram poſſeſſionem in orientali ejus plaga.

20 Quibus Moyſes ait: * Si facitis quod pro- *Joſ.1. c.14. mittitis,expediti pergite coram Domino ad pugnã:

21 Et omnis vir bellator armatus Jordanem tranſeat, donec ſubvertat Dominus inimicos ſuos,

22 Et ſubjiciatur ei omnis Terra: tunc eritis in- E culpabiles apud Dominum & apud Iſraël,& obtinebitis regiones, quas vultis, coram Domino.

23 Sin autem quod dicitis, non feceritis,nulli dubium eſt quin peccetis in Deum: & ſcitote quoniam peccatum veſtrum apprehendet vos.

24 Ædificate ergo urbes parvulis veſtris,& caulas & ſtabula ovibus ac jumentis:& quod polliciti eſtis implete.

25 * Dixerúntque filij Gad & Ruben ad Moy- *Joſ.4. ſen: Servi tui ſumus, faciemus quod jubet domi- c.12. nus noſter.

26 Parvulos noſtros, & mulieres, & pecora, ac jumenta relinquemus in urbibus Galaad:

27 Nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, ſicut tu domine loqueris.

28 Præcepit ergo Moyſes Eleazaro ſacerdoti, & F Joſue filio Nun, & principibus familiarum per tribus Iſraël,& dixit ad eos:

29 * Si tranſierint filij Gad & filij Ruben vo- *Deut. 3.b.12. biſcum Jordanem, omnes armati ad bellum coram Joſ.13. b.8.22. Domino, & vobis fuerit Terra ſubjecta: date eis a.4. Galaad in poſſeſſionem.

30 Sin autem noluerint tranſire armati vobiſcum in Terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca.

31 Reſpon

Universidad de Deusto Biblioteca

31 Responderúntque filij Gad,& filij Ruben:Sicut locutus est Dominus servis suis, ita faciemus :

32 Ipsi armati pergemus coram Domino in Terram Chanaan, & possessionem jam suscepisse nos confitemur trans Jordanem.

*Jos.22. a.4. 33 *Dedit itaque Moyses filiis Gad & Ruben, & dimidiæ tribui Manasse filij Joseph regnum Sehon regis Amorrhæi, & regnum Og regis Basan,& terram eorū cum urbibus suis per circuitum.

G 34 Igitur extruxerunt filij Gad, Dibon, & Ataroth, & Aroer,

35 Et Etroth, & Sophan, & Jazer, & Jegbaa,

36 Et Bethnemra,& Betharan, urbes munitas, & caulas pecoribus suis.

37 Filij verò Ruben ædificaverunt Hesebon,& Eleale, & Cariathaim,

38 Et Nabo,& Baalmeon,versis nominibus,Sabama quoque:imponentes vocabula urbibus quas extruxerant.

*Gen. 50.d. 22. 39 *Porrò filij Machir, filij Manasse, perrexerunt in Galaad, & vastaverunt eam interfecto Amorrhæo habitatore ejus.

40 Dedit ergo Moyses Terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitavit in ea.

41 Jair autem filius Manasse abiit & occupavit vicos ejus,quos appellavit Havoth Jair, id est, Villas Jair.

42 Nobe quoque perrexit, & apprehendit Chanath cum viculis suis: vocavítque eam ex nomine suo Nobe.

Caput XXXIII.

Mansionibus 42.filiorum Israël per varia loca in deserto recensitis,Chananæi à Domino jubentur interimi.

A 1 HÆ sunt mansiones filiorum Israël,qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Moysi & Aaron,

2 Quas descripsit Moyses juxta castrorum loca, quæ Domini jussione mutabant.

3 Profecti igitur de Ramesse mense primo, quintadecima die mensis primi, altera die Phase, filij Israël in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptiis,

4 Et sepelientibus primogenitos,quos percusserat Dominus(nam & in diis eorum exercuerat ultionem)

5 Castrametati sunt in Soccoth.

B 6 Et de Soccoth venerunt in Etham,quæ est in extremis finibus solitudinis.

*Exod. 14.a.2. 7 *Inde egressi venerunt contra Phihahiroth, quæ respicit Beelsephon,& castrametati sunt ante Magdalum.

8 Profectíque de Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem: & ambulantes tribus diebus per desertum Etham,castrametati sunt in Mara.

*Exod. 15.d. 27. 9 *Profectíque de Mara venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum,& palmæ septuaginta: ibíque castrametati sunt.

10 Sed & inde egressi, fixerunt tentoria super Mare rubrum. Profectíque de Mari rubro,

11 Castrametati sunt in deserto Sin.

12 Unde egressi venerunt in Daphca.

13 Profectíque de Daphca, castrametati sunt in Alus.

14 Egresśique de Alus, in Raphidim fixere tentoria,* ubi populo defuit aqua ad bibendum. *Exod. 17.a.1.

15 Profectíque de Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai. C

16 Sed & de solitudine* Sinai egressi, venerunt ad sepulchra concupiscentiæ. *Exod. 19.a.1.

17 *Profectíque de sepulchris concupiscentiæ, castrametati sunt in Haseroth. *Sup.11. g.34.

18 *Et de Haseroth venerunt in Rethma. *Sup. 13.a.1.

19 Profectíque de Rethma, castrametati sunt in Remmomphares.

20 Unde egressi, venerunt in Lebna.

21 De Lebna, castrametati sunt in Ressa.

22 Egresśique de Ressa, venerunt in Ceelatha.

23 Unde profecti, castrametati sunt in monte Sepher.

24 Egressi de monte Sepher,venerunt in Arada.

25 Inde proficiscentes, castrametati sunt in Maceloth.

26 Profectíque de Maceloth, venerunt in Thahath.

27 De Thahath, castrametati sunt in Thare.

28 Unde egressi, fixere tentoria in Methca.

29 Et de Methca,castrametati sunt in Hesmona.

30 Profectíque de Hesmona, venerunt in Moseroth.

31 Et de Moseroth, castrametati sunt in Benejaacan. D

32 * Profectíque de Benejaacan, venerunt in montem Gadgad. *Deut. 10.b.7.

33 Unde profecti,castrametati sunt in Jetebatha.

34 Et de Jetebatha, venerunt in Hebrona.

35 Egresśique de Hebrona, castrametati sunt in Asiongaber.

36 *Inde profecti, venerunt in desertum Sin, hæc est Cades. *Sup. 20.a.1.

37 Egresśique de Cades, castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus Terræ Edom: E

38 * Ascendítque Aaron sacerdos in montem Hor, jubente Domino: & ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israël ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis, *Sup. 20.d. 25. Deut. 32.g.50.

39 Cùm esset annorum centum viginti trium.

40 Audivítque Chananæus rex Arad,qui habitabat ad meridiem, in Terram Chanaan venisse filios Israël.

41 Et profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona.

42 Unde egressi,venerunt in Phunon.

43 Profectíque de Phunon, castrametati sunt in Oboth.

44 Et de Oboth, venerunt in Iiebarim, quæ est in finibus Moabitarum. F

45 Profectíque de Iiebarim, fixere tentoria in Dibongad.

46 Unde egressi, castrametati sunt in Helmondeblathaim.

47 Egresśique de Helmondeblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo.

48 Profectiq; de montibus Abarim, transierunt ad campestria Moab, supra Jordanē contra Jericho.

49 Ibíque castrametati sunt de Bethsimoth usque ad Abelsatim in planioribus locis Moabitarum,

50 Ubi locutus est Dominus ad Moysen:

51 Præci

51 Præcipe filiis Israël, & dic ad eos: Quando transieritis Jordanem, intrantes Terram Chanaan,

52 Disperdite cunctos habitatores Terræ illius:

G *confringite titulos,& statuas comminuite,atque

*Deut. 6.a.5. Judic.2. a.2. omnia excelsa vastate,

53 Mundantes terram, & habitantes in ea. ego enim dedi vobis illam in possessionem,

54 Quam dividetis vobis sorte. Pluribus dabitis latiorem, & paucis angustiorem. Singulis ut sors ceciderit,ita tribuetur hereditas.Per tribus & familias possessio dividetur.

55 Sin autem nolueritis interficere habitatores Terræ:qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, & lanceæ in lateribus, & adversabuntur vobis in Terra habitationis vestræ:

56 Et quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.

Caput XXXIV.

Terræ promissionis situs & limites juxta varias orbis plagas;eáque sorte dividenda præcipitur, additis illorum nominibus qui eam dividant.

A 1 LOcutúsque est Dominus ad Moysen,dicēs:

2 Præcipe filiis Israël, & dices ad eos: Cùm ingressi fueritis Terram Chanaan,& in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur.

*Jos.1. 5.a.3. 3 * Pars meridiana incipiet à solitudine Sin, quæ est juxta Edom: & habebit terminos contra Orientem mare salsissimum.

4 Qui circuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna, & perveniant à Meridie usque ad Cadesbarne, unde egredientur confinia ad villam nomine Adar, & tendent usque ad Asemona.

5 Ibítque per gyrum terminus ab Asemona us-

B que ad Torrentem Ægypti,& maris magni littore finietur.

6 Plaga autem occidentalis à mari magno incipiet, & ipso fine claudetur.

7 Porrò ad septemtrionalem plagam à mari magno termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum,

8 A quo venient in Emath usque ad terminos Sedada:

9 Ibúntque confinia usque ad Zephrona, & villam Enan.hi erunt termini in parte Aquilonis.

10 Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan usque Sephama,

11 Et de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem Daphnim: inde pervenient contra Orientem ad mare Cenereth,

12 Et tendent usque ad Jordanem, & ad ulti-

C mum salsissimo claudentur mari. Hanc habebitis Terram per fines suos in circuitu:

13 Præcepítque Moyses filiis Israël dicens:Hæc erit Terra, quam possidebitis sorte, & quam jussit Dominus dari novem tribubus, & dimidiæ tribui.

14 Tribus enim filiorum Ruben per familias suas, & tribus filiorum Gad juxta cognationum numerum, media quoque tribus Manasse,

15 Id est, duæ semis tribus, acceperunt partem suam trans Jordanem contra Jericho ad orientalem plagam.

16 Et ait Dominus ad Moysen:

17 * Hæc sunt nomina virorum qui Terram vobis divident,Eleazar sacerdos, & Josue filius Nun, *Jos.14. a.1.2.

18 Et singuli principes de tribubus singulis,

19 Quorum ista sunt vocabula: De tribu Juda, Caleb filius Jephone. D

20 De tribu Simeon,Samuel filius Ammiud.

21 De tribu Benjamin, Elidad filius Chaselon.

22 De tribu filiorum Dan, Bocci filius Jogli.

23 Filiorum Joseph de tribu Manasse, Hanniel filius Ephod.

24 De tribu Ephraim, Camuel filius Sephtan.

25 De tribu Zabulon,Elisaphan filius Pharnach.

26 De tribu Issachar, dux Phaltiel filius Ozan.

27 De tribu Aser, Ahiud filius Salomi.

28 De tribu Nephthali, Phedael filius Ammiud.

29 Hi sunt, quibus præcepit Dominus ut dividerent filiis Israël Terram Chanaan.

Caput XXXV.

Assignari jubentur urbes & suburbana Levitis; & urbes refugij pro homicidio non voluntario:lex homicidij voluntarij,& non voluntarij:unius testimonio nemo puniendus.

1 HÆc quoque locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab supra Jordanem, contra Jericho: A

2 *Præcipe filiis Israël ut dent Levitis de possessionibus suis *Jos.21. a.2.

3 Urbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum: ut ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac jumentis:

4 Quæ à muris civitatum forinsecus, per circuitum, mille passuum spatio tendentur.

5 Contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra Meridiem similiter erunt duo millia:ad mare quoque, quod respicit ad Occidentem, eadem mensura erit,& septemtrionalis plaga æquali termino finietur. erúntque urbes in medio, & foris suburbana.

6 *De ipsis autem oppidis,quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata,ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem: & exceptis his,alia quadraginta duo oppida, *Jos.20. a.2. Deut.4. g.41.

7 Id est,simul quadraginta octo cum suburbanis suis.

8 Ipsǽque urbes, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israël, ab his qui plus habent, plures auferentur: & qui minus, pauciores. singuli juxta mensuram hereditatis suæ dabunt oppida Levitis. B

9 Ait Dominus ad Moysen:

10 Loquere filiis Israël,& dices ad eos:*Quando transgressi fueritis Jordanem in Terram Chanaan, *Deut. 19.a.2. Jos.20.a. 2.

11 Decernite quæ urbes esse debeant in præsidia fugitivorum,qui nolētes sanguinem fuderint:

12 In quibus cùm fuerit profugus,cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, & causa illius judicetur.

13 *De ipsis autem urbibus, quæ ad fugitivorum subsidia separantur, *Deut. 4.g.41. Jos.20. c.7.a.8.

14 Tres erunt trans Jordanem, & tres in Terra Chanaan,

15 Tam filiis Israël quàm advenis atque peregrinis, ut confugiat ad eas qui nolens sanguinem fuderit.

16 Si quis ferro percusserit,& mortuus fuerit qui percussus est:reus erit homicidij,& ipse morietur. C

Universidad de Deusto
Biblioteca

17 Si lapidem jecerit,& ictus occubuerit:similiter punietur.

18 Si ligno percussus interierit:percussoris sanguine vindicabitur.

19 Propinquus occisi, homicidam interficiet: statim ut apprehenderit eum, interficiet.

Deut. 19.c.11. 20 * Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias:

21 Aut cùm esset inimicus,manu percusserit,& ille mortuus fuerit: percussor, homicidij reus erit. cognatus occisi statim ut invenerit eum, jugulabit.

22 Quòd si fortuitu,& absque odio

23 Et inimicitiis, quidquam horum fecerit,

24 Et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem & propinquum sanguinis quæstio ventilata:

D 25 Liberabitur innocens de ultoris manu, & reducetur per sententiam in urbem,ad quam confugerat,manebítque ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur.

26 Si interfector extra fines urbium, quæ exulibus deputatæ sunt,

27 Fuerit inventus,& percussus ab eo qui ultor est sanguinis: absque noxa erit qui eum occiderit.

28 Debuerat enim profugus usque ad mortem Pontificis in urbe residere, postquam autem ille obierit,homicida revertetur in terram suam.

29 Hæc sempiterna erunt, & legitima in cunctis habitationibus vestris.

30 Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur.

31 Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur.

32 Exules & profugi ante mortem Pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt:

33 Ne polluatis terram habitationis vestræ, quæ insontium cruore maculatur: nec aliter expiari potest, nisi per ejus sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit.

34 Atque ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum. ego enim sum Dominus qui habito inter filios Israël.

CAPUT XXXVI.

Tribus per connubia non misceantur, ne possessiones confundantur.

1 ACcesserunt * autem & principes familiarum Galaad filij Machir, filij Manasse de stirpe filiorum Joseph: locutíque sunt Moysi coram principibus Israël, atque dixerunt: A **Sup.17. a.1.*

2 Tibi domino nostro præcepit Dominus ut Terram sorte divideres filiis Israël, & ut filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri:

3 Quas si alterius tribus homines uxores acceperint, sequetur possessio sua, & translata ad aliam tribum, de nostra hereditate minuetur. B

4 Atque ita fiet,ut cùm jubileus,id est,quinquagesimus annus remissionis advenerit, confundatur sortiũ distributio,& aliorũ possessio ad alios transeat.

5 Respondit Moyses filiis Israël & Domino præcipiente,ait:Rectè tribus filiorum Joseph locuta est.

6 Et hæc lex super filiabus Salphaad à Domino promulgata est: *Nubant quibus volunt, tantum ut suæ tribus hominibus: C **Tob.7. c.14.*

7 Ne commisceatur possessio filiorum Israël de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione sua:

8 Et cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient: ut hereditas permaneat in familiis,

9 Nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant

10 Ut à Domino separatæ sunt. Fecerúntque filiæ Salphaad, ut fuerat imperatum:

11 Et nupserunt, Maala, & Thersa, & Hegla,& Melcha, & Noa, filiis patrui sui

12 De familia Manasse, qui fuit filius Joseph:& possessio, quæ illis fuerat attributa, mansit in tribu & familia patris earum.

13 Hæc sunt mandata atque judicia, quæ mandavit Dominus per manũ Moysi ad filios Israël,in campestribus Moab supra Jordanem cõtra Jericho.

LIBER DEUTERONOMIJ,

HEBRAICE ELLE HADDEBARIM.

CAPUT PRIMUM.

Brevis Epilogus eorum quæ Israëli in deserto contigerant, pœnáque infideli populo inflicta.

A 1 HÆc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israël trans Jordanem in solitudine campestri,contra Mare rubrum, inter Pharan & Thophel & Laban & Haseroth, ubi auri est plurimum:

2 Undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cadesbarne.

3 Quadragesimo anno, undecimo mense, prima die mensis, locutus est Moyses ad filios Israël omnia quæ præceperat illi Dominus,ut diceret eis:

**Nu.21. a.24.* 4 * Postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon:& Og regem Basan, qui mansit in Astaroth, & in Edrai,

5 Trans Jordanem in terra Moab. Cœpítque Moyses explanare legem, & dicere: B

6 Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis quòd in hoc monte mansistis:

7 Revertimini,& venite ad montem Amorrhæorum, & ad cætera quæ ei proxima sunt campestria atque montana & humiliora loca contra Meridiem,& juxta littus maris, Terram Chananæorum, & Libani usque ad flumen magnum Euphraten.

8 En,inquit, tradidi vobis:ingredimini & possidete eam,super qua juravit Dominus patribus vestris, Abraham, Isaac, & Jacob, ut daret illam eis, & semini eorum post eos.

9 Dixíque

9 Dixíque vobis illo in tempore:

**Exod. 18.c.18.* 10 * Non possum solus sustinere vos:quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie, sicut stellæ cæli, plurimi.

C 11 (Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, & benedicat vobis sicut locutus est.)

12 Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus ac jurgia.

13 Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes.

14 Tunc respondistis mihi: Bona res est,quam vis facere.

15 Tulíque de tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula.

16 Præcepíque eis, dicens: Audite illos, & * quod justum est judicate: sive civis sit ille, sive **Ioan 7. d.24.* peregrinus.

D 17 * Nulla erit distantia personarum,ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.Quòd si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam. **Inf.16. d.19. Levi.19. c.15. Prov. 24.c.23. Eccl. 42. a.1. Iac. 2. a.1.*

18 Præcepíque omnia quæ facere deberetis.

19 Profecti autem de Horeb, transivimus per eremum terribilem & maximam, quam vidistis, per viam montis Amorrhæi, sicut præceperat Dominus Deus noster nobis. Cúmque venissemus in Cadesbarne,

20 Dixi vobis:Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est nobis.

21 Vide Terram,quam Dominus Deus tuus dat tibi: ascende,& posside eam,sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis: noli timere,nec quidquam paveas.

22 * Et accessistis ad me omnes, atque dixistis: **Num. 13.a.3.* Mittamus viros qui considerent Terram: & renuntient per quod iter debeamus ascendere, & ad quas pergere civitates.

23 Cúmque mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis.

24 Qui cùm perrexissent, & ascendissent in montana,venerunt usque ad Vallem botri:& considerata terra,

25 Sumentes de fructibus ejus, ut ostenderent E ubertatem,attulerunt ad nos,atque dixerunt:Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis.

26 Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri

27 Murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis:Odit nos Dominus, & idcircò eduxit nos de Terra Ægypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret.

28 Quò ascendemus? nuntij terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est, & nobis statura procerior:urbes magnæ,& ad cælum usque munitæ, filios Enacim vidimus ibi.

29 Et dixi vobis:Nolite metuere, nec timeatis eos:

30 Dominus Deus,qui ductor est vester pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus.

31 Et in solitudine(ipse vidisti)portavit te Dominus Deus tuus,ut solet homo gestare parvulum filium suum,in omni via per quam ambulastis,donec veniretis ad locum istum.

32 Et nec sic quidem credidistis Domino Deo F vestro,

33 * Qui præcessit vos in via,& metatus est locum in quo tentoria figere deberetis,nocte ostendens vobis iter per ignem, & die per columnam nubis. **Exod. 13.d.21. Num. 14.c.14.*

34 Cúmque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus juravit & ait:

35 * Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimæ Terram bonam, quam sub juramento pollicitus sum patribus vestris: **Num. 14.d.23. Psal.94. b.11.*

36 Præter Caleb filium Jephone. ipse enim videbit eam, & ipsi dabo Terram, quam calcavit, & filiis ejus,quia secutus est Dominum.

37 Nec miranda indignatio in populum, cùm mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc:

38 Sed Josue filius Nun minister tuus, ipse introbit pro te.hunc exhortare & robora,& ipse sorte Terram dividet Israëli.

39 Parvuli vestri, de quibus dixistis quòd captivi ducerentur,& filij qui hodie boni ac mali ignorant distantiam,ipsi ingredientur:& ipsis dabo Terram, & possidebunt eam.

40 Vos autem revertimini & abite in solitudi- G nem per viam maris rubri.

41 * Et respondistis mihi: Peccavimus Domino:ascendemus & pugnabimus,sicut præcepit Dominus Deus noster. Cúmque instructi armis peregeretis in montem, **Num. 14.g.40.*

42 Ait mihi Dominus:Dic ad eos: * Nolite as- **Num.* cendere,neque pugnetis,non enim sum vobiscum: *14.g.42.* ne cadatis coram inimicis vestris.

43 Locutus sum,& non audistis: sed adversantes imperio Domini,& tumentes superbia, ascendistis in montem.

44 Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obviàm veniens, persecutus est vos, sicut solent apes persequi: & cecidit de Seir usque Horma.

45 Cúmque reversi ploraretis coram Domino, nõ audivit vos,nec voci vestræ voluit acquiescere.

46 Sedistis ergo in Cadesbarne multo tẽpore.

CAPUT II.

Beneficiorum populo exhibitorum repetitio, pugnæ contra Ammon & Moab prohibitio, regisque Sehon & terræ ipsius expugnatio.

1 PRofectíque inde venimus in solitudinem, A quæ ducit ad Mare rubrum,sicut mihi dixerat Dominus: & circuivimus montem Seir longo tempore.

2 Dixítque Dominus ad me:

3 Sufficit vobis circuire montem istum:ite contra Aquilonem:

4 Et populo præcipe, dicens: Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau,qui habitant in Seir, & timebunt vos.

5 Videte ergo diligenter ne moveamini contra

Universidad de Deusto
Biblioteca

eos. neque enim dabo vobis de terra eorum quantum poteſt unius pedis calcare veſtigium, quia in poſſeſſione Eſau dedi montem Seir.

6 Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis: aquam emptam haurietis, & bibetis.

B 7 Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: novit iter tuum, quomodo tranſieris ſolitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit.

8 Cúmque tranſiſſemus fratres noſtros filios Eſau, qui habitabant in Seir, per viam campeſtrem de Elath, & de Aſiongaber, venimus ad iter, quod ducit in deſertum Moab.

9 Dixítque Dominus ad me: Non pugnes contra Moabitas, nec ineas adverſus eos prælium: non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Loth tradidi Ar in poſſeſſionem.

10 Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus, & validus, & tam excelſus, ut de Enacim ſtirpe,

11 Quaſi gigantes, crederentur, & eſſent ſimiles filiorũ Enacim. Deniq; Moabitæ apellant eos Emim.

C 12 In Seir autem priùs habitaverunt Horrhæi: quibus expulſis atque deletis, habitaverunt filij Eſau, ſicut fecit Iſraël in terra poſſeſſionis ſuæ, quam dedit illi Dominus.

13 Surgentes ergo ut tranſiremus torrentem Zared, venimus ad eum.

14 Tempus autem, quo ambulavimus de Cadeſbarne uſque ad tranſitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit: donec conſumeretur omnis generatio hominum bellatorum de caſtris, ſicut juraverat Dominus:

15 Cujus manus fuit adverſum eos, ut interirent de caſtrorum medio.

16 Poſtquam autem univerſi ceciderunt pugnatores,

17 Locutus eſt Dominus ad me, dicens:

18 Tu tranſibis hodie terminos Moab, urbem nomine Ar:

D 19 Et accedens in vicina filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in poſſeſſionem.

20 Terra gigantum reputata eſt: & in ipſa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim,

21 Populus magnus, & multus, & proceræ longitudinis, ſicut Enacim, quos delevit Dominus à facie eorum: & fecit illos habitare pro eis,

22 Sicut fecerat filiis Eſau, qui habitant in Seir, delens Horrhæos, & terram eorum illis tradens, quam poſſident uſque in præſens.

23 Hevæos quoque, qui habitabant in Haſerim uſque Gazam, Cappadoces expulerunt: qui ingreſſi de Cappadocia deleverunt eos, & habitaverunt pro illis.

E 24 Surgite & tranſite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon regem Heſebon Amorrhæum, & terram ejus incipe poſſidere, & committe adverſus eum prælium.

25 Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant ſub omni cælo: ut audito nomine tuo paveant, & in morem parturientium contremiſcant, & dolore teneantur.

26 *Miſi ergo nuntios de ſolitudine Cademoth ad Sehon regem Heſebon verbis pacificis, dicens: *Num. 21.f.21.

27 Tranſibimus per terram tuam, publica gradiemur via: non declinabimus neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

28 Alimenta pretio vende nobis, ut veſcamur: aquam pecunia tribue, & ſic bibemus. Tantùm eſt ut nobis concedas tranſitum,

29 Sicut fecerunt filij Eſau, qui habitant in Seir, F & Moabitæ, qui morantur in Ar: donec veniamus ad Jordanem, & tranſeamus ad Terram quam Dominus Deus noſter daturus eſt nobis.

30 Noluítque Sehon rex Heſebon dare nobis tranſitum: quia induraverat Dominus Deus tuus ſpiritum ejus, & obfirmaverat cor illius, ut traderetur in mánus tuas, ſicut nunc vides.

31 Dixítque Dominus ad me: * Ecce cœpi tibi tradere Sehon, & terram ejus, incipe poſſidere eam. *Amos 2. f. 9.

32 Egreſſúſque eſt Sehon obviàm nobis cum omni populo ſuo ad prælium in Jaſa.

33 Et tradidit eum Dominus Deus noſter nobis: percuſſimúſque eum cum filiis ſuis & omni populo ſuo.

34 Cunctáſque urbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus & parvulis. non reliquimus in eis quidquam. G

35 Abſque jumentis, quæ in partem venere prædantium: & ſpoliis urbium quas cepimus

36 Ab Aroër, quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon, oppido quod in valle ſitum eſt, uſque Galaad. Non fuit vicus & civitas, quæ noſtras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noſter nobis.

37 Abſque terra filiorum Ammon, ad quam non acceſſimus: & cunctis quæ adjacent torrenti Jeboc, & urbibus montanis, univerſíſque locis à quibus nos prohibuit Dominus Deus noſter.

CAPUT III.

Pugna contra Og regem Baſan, & lectus ejus, atque ſors duarum tribuum & ſemis citra Jordanem: precatur Moyſes ut liceat ei Terram promiſſam ingredi.

1 ITaque converſi aſcendimus per iter Baſan: A *egreſſúſque eſt Og rex Baſan in occurſum nobis cum populo ſuo ad bellandum in Edrai. *Num. 21.g.33. Inf.29. a.7.

2 Dixítque Dominus ad me. Ne timeas eum: quia in manu tua traditus eſt cum omni populo ac terra ſua: faciéſque ei * ſicut feciſti Sehon regi Amorrhæorum, qui habitavit in Heſebon. *Num. 21.e.24. *Num. 21.g.35.

3 * Tradidit ergo Dominus Deus noſter in manibus noſtris etiam Og regem Baſan, & univerſum populum ejus: percuſſimúſque eos uſque ad internecionem,

4 Vaſtantes cunctas civitates illius uno tempore. non fuit oppidum, quod nos effugeret: ſexaginta urbes, omnem regionem Argob regni Og in Baſan.

5 Cunctæ urbes erant munitæ muris altiſſimis, portíſque & vectibus, abſque oppidis innumeris, quæ non habebant muros.

6 Et delevimus eos, ſicut feceramus Sehon regi Heſebon, diſperdentes omnem civitatem, viróſque ac mulieres & parvulos:

7 Jumenta

7 Jumenta autem & ſpolia urbium diripuimus.

8 Tulimúſque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanẽ: à torrente Arnon uſque ad montẽ Hermon,

9 Quem Sidonij Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir:

10 Omnes civitates, quæ ſitæ ſunt in planitie, & univerſam Terram Galaad & Baſan uſq; ad Selcha & Edrai civitates regni Og in Baſan.

11 Solus quippe Og rex Baſan reſtiterat de ſtirpe gigantum. Monſtratur lectus ejus ferreus, qui eſt in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quattuor latitudinis ad menſuram cubiti virilis manus.

12 Terrámque poſſedimus tempore illo ab Aroër, quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon, uſque ad mediam partem montis Galaad: & civitates illius

*Num. 32.f.29. *dedi Ruben & Gad.

13 Reliquam autem partem Galaad, & omnem Baſan regni Og, tradidi mediæ tribui Manaſſe, omnem regionem Argob: cunctáque Baſan vocatur Terra gigantum.

14 Jair filius Manaſſe poſſedit omnem regionem Argob uſque ad terminos Geſſuri & Machati. Vocavítque ex nomine ſuo Baſan, Havoth Jair, id eſt, Villas Jair, uſque in præſentem diem.

C 15 Machir quoque dedi Galaad.

16 Et tribubus Ruben & Gad dedi de Terra Galaad uſque ad Torrentem Arnon medium torrentis, & confinium uſque ad torrentem Jeboc, qui eſt terminus filiorum Ammon:

17 Et planitiem ſolitudinis, atque Jordanem, & terminos Cenereth uſque ad mare deſerti, quod eſt ſalſiſſimum, ad radices montis Phaſga contra orientem.

18 Præcepíque vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus veſter dat vobis terram hanc in hereditatem, expediti præcedite fratres veſtros filios Iſraël omnes viri robuſti:

19 Abſque uxoribus, & parvulis, atque jumentis. Novi enim quòd plura habeatis pecora, & in urbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis,

20 Donec requiem tribuat Dominus fratribus veſtris, ſicut vobis tribuit: & poſſideant ipſi etiam Terram, quam daturus eſt eis trans Jordanem: tunc revertetur unuſquiſque in poſſeſſionem ſuam, quam dedi vobis.

D *Num. 27.d.18. 21 *Joſue quoque in tempore illo præcepi, dicens: Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus veſter duobus his regibus: ſic faciet omnibus regnis, ad quæ tranſiturus es.

22 Ne timeas eos: Dominus enim Deus veſter pugnabit pro vobis.

23 Precatúſque ſum Dñm in tempore illo, dicẽs:

24 Domine Deus, tu cœpiſti oſtendere ſervo tuo magnitudinem tuam, manúmque fortiſſimam. neque enim eſt alius Deus, vel in cælo, vel in terra, qui poſſit facere opera tua, & comparari fortitudini tuæ.

25 Tranſibo igitur, & videbo Terram hanc optimam trans Jordanem, & montem iſtum egregium, & libanum.

26 Iratúſque eſt Dominus mihi propter vos, nec exaudivit me, ſed dixit mihi: Sufficit tibi: ne quàquam ultrà loquaris de hac re ad me.

27 Aſcende cacumen Phaſgæ, & oculos tuos circumfer ad occidentem, & ad aquilonem, auſtrúmque & orientem, & aſpice. * nec enim tranſibis Jordanem iſtum. *Inf.31. a.2.34. b.4.

28 Præcipe Joſue, & corrobora eum atque conforta: quia ipſe præcedet populum iſtum, & dividet eis Terram quam viſurus es.

29 Manſimúſque in valle contra fanum Phogor.

CAPUT IV.

Exhortatur Moyſes ad ſervanda Dei præcepta, comminando tranſgreſſoribus, prohibet omnem imaginem quæ ad idololatriam induceret, ſuam prædicit mortem, tréſque urbes refugij ſeparat.

1 ET nunc Iſraël audi præcepta & judicia, A quæ ego doceo te: ut faciens ea, vivas, & ingrediens poſſideas Terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum daturus eſt vobis.

2 Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: cuſtodite mandata Domini Dei veſtri quæ ego præcipio vobis.

3 * Oculi veſtri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriverit omnes cultores ejus de medio veſtri. *Num. 25.a.4.

4 Vos autem qui adhæretis Domino Deo veſtro, vivitis univerſi uſque in præſentem diem.

5 Scitis quòd docuerim vos præcepta atque juſtitias, ſicut mandavit mihi Dominus Deus meus: ſic facietis ea in Terra, quam poſſeſſuri eſtis:

6 Et obſervabitis & implebitis opere. Hæc eſt enim veſtra ſapientia & intellectus coram populis, ut audientes univerſa præcepta hæc, dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna.

7 Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat B deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.

8 Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat ceremonias, juſtáque judicia, & univerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?

9 Cuſtodi igitur temetipſum, & animam tuam ſolicitè. Ne obliviſcaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos,

10 A die in quo ſtetiſti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus eſt mihi, dicens: Congrega ad me populum, ut audiant ſermones meos, & diſcant timere me omni tempore quo vivunt in terra, doceántque filios ſuos.

11 * Et acceſſiſtis ad radices montis, qui ardebat uſque ad cælum: erántque in eo tenebræ, & nubes, & caligo, *Exod. 19.d.18.

12 Locutúſque eſt Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audiſtis, & formam penitus non vidiſtis.

13 Et oſtendit vobis pactum ſuum, quod præcepit ut faceretis, & decem verba, quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis.

14 Mihíque mandavit in illo tempore ut docerem vos ceremonias & judicia, quæ facere debeC retis in Terra, quam poſſeſſuri eſtis.

15 Cuſtodite igitur ſolicitè animas veſtras. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem, in die qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis:

16 Ne fortè decepti faciatis vobis ſculptã ſimi-

litudinem

Universidad de Deusto
Biblioteca

litudinem, aut imaginem masculi vel feminæ,

17 Similitudinem omnium jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cælo volantium,

18 Atque reptilium quæ moventur in terra, sive piscium qui sub terra morantur in aquis:

19 Ne fortè elevatis oculis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.

20 Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Ægypti, ut haberet populum hereditarium, sicut est in præsenti die.

*Sup.1. f.37. 21 *Iratúsque est Dominus contra me propter sermones vestros, & juravit ut non transirem Jordanem, nec ingrederer Terram optimam, quam daturus est vobis:

D 22 Ecce morior in hac humo, non transibo Jordanem: vos transibitis, & possidebitis terram egregiam.

23 Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum: & facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit:

*Heb. 12.g.29. 24 * Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator.

25 Si genueritis filios ac nepotes, & morati fueritis in Terra, deceptíque feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis.

26 Testes invoco hodie cælum & terram, citò perituros vos esse de Terra, quam transito Jordane possessuri estis: non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus,

27 Atque dispergetin omnes gentes, & remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus:

28 Ibíque servietis diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno & lapidi qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur.

29 Cúmque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.

E 30 Postquam te invenerint omnia quæ prædicta sunt, novissimo tempore revertéris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem ejus.

31 Quia Deus misericors, Dominus Deus tuus est: non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti, in quo juravit patribus tuis.

32 Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die quo creavit Deus hominem super terram, à summo cælo usque ad summum ejus, si facta est aliquando hujuscemodi res, aut umquam cognitum est.

33 Ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti & vixisti:

34 Si fecit Deus ut ingrederetur, & tolleret sibi Gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, & robustam manum, extentúmque brachium, & horribiles visiones, juxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis:

35 Ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum.

36 De cælo te fecit audire vocem suam, ut doceret te, & in terra ostendit tibi ignem suum maximum, & audisti verba illius de medio ignis,

37 Quia dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos. * Eduxítque te præcedens in virtute sua magna ex Ægypto, *Exod. 13.d.21.

38 Ut deleret nationes maximas & fortiores te in introitu tuo: & introduceret te, darétque tibi terram earum in possessionem, sicut cernis in præsenti die.

39 Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo quòd Dominus ipse sit Deus in cælo sursum, & in terra deorsum, & non sit alius.

40 Custodi præcepta ejus atque mandata, quæ ego præcipio tibi: ut bene sit tibi, & filiis tuis post te, & permaneas multo tempore super Terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

41 * Tunc separavit Moyses tres civitates trans G *Num. 35.b.14. Jordanem ad orientalem plagam,

42 Ut confugiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum & alterum diem, & ad harum aliquam urbium possit evadere:

43 * Bosor in solitudine, quæ sita est in terra *Ios.10. d.8. campestri de tribu Ruben: & Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad: & Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse:

44 Ista est lex, quam proposuit Moyses coram filiis Israël,

45 Et hæc testimonia & ceremoniæ atque judicia, quæ locutus est ad filios Israël, quando egressi sunt de Ægypto,

46 Trans Jordanem in valle contra fanum Phogor in terra Sehon regis Amorrhæi, qui habitavit in Hesebon, quem percussit Moyses. Filij quoque Israël egressi ex Ægypto

47 Possederunt terram ejus, & terram Og regis Basan, duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem ad solis ortum:

48 Ab Aroër, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, usque ad montem Sion, qui est & Hermon,

49 Omnem planitiem trans Jordanem ad orientalem plagam, usque ad mare solitudinis, & usque ad radices montis Phasga.

CAPUT V.

Præceptorum Decalogi repetitio & explanatio: & de timore filiorum Israël, cùm Dei vocem audissent, & montem ardere vidissent.

1 VOcavítque Moyses omnem Israëlem, & dixit ad eum: Audi Israël ceremonias atque A judicia quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, & opere complete.

2 Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb.

3 Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum qui in præsentiarum sumus, & vivimus.

4 Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis.

5 Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus. timuistis enim ignem, & non ascendistis in montem, & ait: *Exod. 20.a.2. Levit. 26.a.1. Psal.80. b.11.

6 * Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra Ægypti, de domo servitutis.

*Exod. 20.a.5. Psal.80. b.10. 7 * Non habebis deos alienos in conspectu meo.

8 * Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in cælo sunt desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ versantur in aquis sub terra.

*Exod. 20.a.4. Levit. 26.a.11. Psal.96. b.7. 9 * Non adorabis ea, & non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus: Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartam generationem his qui oderunt me,

*Exod. 34.b.14. 10 Et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea.

*Exod. 20.b.7. Levit.19. c.12. Matt.5. c.33. 11 * Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustrà: quia non erit impunitus qui super re vana nomen ejus assumpserit.

12 Observa diem Sabbati, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. B

*Gen.2. a.2. Exod. 20.b.10. Hebr.4. b.4. 13 Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.

14 * Septimus dies Sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, servus & ancilla, & bos, & asinus, & omne jumentum tuum, & peregrinus qui est intra portas tuas: ut requiescat servus tuus, & ancilla tua, sicut & tu.

15 Memento quòd & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcircò præcepit tibi ut observares diem Sabbati.

C 16 * Honora patrem tuum & matrem, sicut præ-
*Exod. 20.c.12. Eccli.3. b.9. Matt.15. a.4. Marc.7. b.10. Ephes.6. a.2. cepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, & benè sit tibi in Terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

17 Non occides.

18 Neque mœchaberis.

19 Furtúmque non facies.

20 Nec loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.

*Mat.5. d.28. Rom.7. b.7. 21 * Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum & universa quæ illius sunt.

22 Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis & nubis, & caliginis, voce magna, nihil addens ampliùs: & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi.

23 Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, & montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum, & majores natu, atque dixistis:

D 24 Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem & magnitudinem suam. vocem ejus audivimus de medio ignis, & probavimus hodie, quòd loquente Deo cum homine, vixerit homo.

25 Cur ergo moriemur, & devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultrà vocem Domini Dei nostri, moriemur.

26 Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur sicut nos audivimus, & possit vivere.

27 Tu magis accede: & audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerísque ad nos, & nos audientes faciemus ea.

28 Quod cùm audisset Dominus, ait ad me: Audivi vocem verborum populi hujus quæ locuti sunt tibi: benè omnia sunt locuti.

29 Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, & custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut benè sit eis & filiis eorum in sempiternum?

30 Vade & dic eis: Revertimini in tentoria vestra.

31 Tu verò hîc sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias atque judicia: quæ docebis eos, ut faciant ea in Terra, quam dabo illis in possessionem.

32 Custodite igitur & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram:

33 Sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, & benè sit vobis, & protelentur dies in terra possessionis vestræ.

CAPUT VI.

Dominus ex toto corde diligendus, ejúsque mandata sollicitè servanda, & posteris inculcanda.

1 HÆc sunt præcepta, & ceremoniæ, atque ju- A dicia, quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos, & faciatis ea in Terra, ad quam transgredimini possidendam:

2 Ut timeas Dominum Deum tuum, & custodias omnia mandata & præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, & filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui.

3 Audi Israël, & observa ut facias quæ præcepit tibi Dominus, & benè sit tibi, & multiplicéris ampliùs, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte & melle manantem.

4 Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est.

5 * Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde B *Inf.11. b.13. Matt.22. d.37. Marc. 12.c.30. Luc.10. c.27. tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua:

6 Erúntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo:

7 Et narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.

8 Et ligabis ea quasi signum in manu tua, erúntque & movebuntur inter oculos tuos,

9 Scribéque ea in limine & ostiis domus tuæ.

10 Cúmque introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, pro qua juravit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Jacob: & dederit tibi civitates magnas & optimas, quas non ædificasti,

11 Domos plenas cunctarum opum, quas non extruxísti, cisternas, quas non fodisti, vineta & oliveta, quæ non plantasti,

12 Et comederis, & saturatus fueris:

13 Cave diligenter, ne obliviscaris Domini, *Inf.10. d.20. Matt.4. b.10. Luc.4. b.8. qui eduxit te de Terra Ægypti, de domo servitutis. * Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.

14 Non ibitis post deos alienos cunctarum Gentium, quæ in circuitu vestro sunt:

15 Quoniam Deus æmulator, Dominus Deus tuus in medio tui: nequando iratcatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de superficie terræ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

*Matt. 4. c. 7. Luc. 4. b. 12.

16 *Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis.

17 Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia & cæremonias,quas præcepit tibi:

18 Et fac quod placitum est & bonum in conspectu Domini, ut benè sit tibi: & ingressus possideas terram optimam, de qua juravit Dominus patribus tuis,

19 Ut deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est.

20 Cúmque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi volunt testimonia hæc,& cæremoniæ,atque judicia,quæ præcepit Dominus Deus noster nobis?

D 21 Dices ei:Servi eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti:

22 Fecítque signa atque prodigia magna & pessima in Ægypto contra Pharaonem, & omnem domum illius, in conspectu nostro,

23 Et eduxit nos inde,ut introductis daret Terram, super qua juravit patribus nostris.

24 Præcepítque nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum, ut benè sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ,sicut est hodie.

25 Erítque nostri misericors, si custodierimus & fecerimus omnia præcepta ejus coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis.

Caput VII.

Nulla cum Gentibus societas contrahenda, sed earum aræ, luci ac simulachra delenda: memoratis Dei beneficiis promittit in omnibus auxilium & ubertatem, modò ejus præcepta observent.

A 1 CUm introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, quam possessurus ingrederis, & deleverit Gentes multas coram te,* Hethæum & Gergezeum,& Amorrhæũ,Chananæum & Pherezæum,& Hevæum,& Jebusæum,septem Gentes multò majoris numeri quã tu es, & robustiores te:

*Exod. 23.c.23. 33.a.2.

2 Tradiderítque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas usque ad internecionem. * Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum,

*Exod. 23.f.32. 34.b.15. *Exod. 34.b.16.

3 Neque * sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo:

4 Quia seducet filium tuum,ne sequatur me,& ut magis serviat diis alienis. irascetúrque furor Domini, & delebit te citò.

*Exod. 23.c.34. *Inf.12. a.3. 16.d.21. *Inf.14. a.2. *Inf.26. d.18.

5 Quin potiùs hæc facietis eis:* Aras eorum subvertite, & confringite statuas, lucósque succidite, & sculptilia comburite.

6 * Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te * elegit Dominus Deus tuus,ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terrã.

B 7 Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus,& elegit vos,cùm omnibus sitis populis pauciores:

8 Sed quia dilexit vos Dominus, & custodivit juramentum, quod juravit patribus vestris: eduxítque vos in manu forti, & redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti.

9 Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis & fidelis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus se, & his qui custodiunt præcepta ejus, in mille generationes:

10 Et reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos,& ultrà non differat,protinus eis restituens quod merentur.

11 Custodi ergo præcepta & cæremonias atque judicia, quæ ego mando tibi hodie ut facias.

12 Si postquam audieris hæc judicia,custodieris ea & feceris, custodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi, & misericordiam quam juravit patribus tuis:

13 Et diliget te ac multiplicabit, benedicétque fructui ventris tui & fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo,& armentis, gregibus ovium tuarum super Terram, pro qua juravit patribus tuis ut daret eam tibi.

14 Benedictus eris inter omnes populos. * Non erit apud te sterilis utriusque sexus,tam in hominibus quàm in gregibus tuis. C *Exod. 23.f.26.

15 Auferet Dominus à te omnem languorem: & infirmitates Ægypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi,sed cunctis hostibus tuis:

16 Devorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus,nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tui.

17 Si dixeris in corde tuo: Plures sunt gentes istæ quàm ego, quo modo potero delere eas?

18 Noli metuere, sed recordare quæ fecit Dominus Deus tuus Pharaoni,& cunctis Ægyptiis,

19 Plagas maximas, quas viderunt oculi tui, & signa atque portenta, manúmque robustam,& extentum brachium,ut educeret te Dominus Deus tuus.sic faciet cunctis populis,quos metuis.

20 *Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat qui te fugerint, & latere potuerint. *Exod. 23.f.28. Ios.24. c.12.

21 Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus & terribilis: D

22 Ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter:ne fortè multiplicentur contra te bestiæ terræ.

23 Dabítque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: & interficiet illos donec penitus deleantur.

24 Tradétque reges eorum in manus tuas, & disperdes nomina eorum sub cælo: nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos.

25 * Sculptilia eorum igne combures:non concupisces argentum & aurum,de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui. *2. Mac. 12.g.40.

26 Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut & illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, & velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis,quia anathema est.

Caput VIII.

Commemorantur beneficia & afflictiones quæ Dominus eis in deserto immiserat,ne illorum & Dei sui fiant immemores.

1 OMne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter ut facias: ut possitis vivere, & multiplicemini, ingressíque possideatis Terram,pro qua juravit Dominus patribus vestris. A

2 Et recordaberis cuncti itineris,per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per

per desertum,ut affligeret te atque tentaret,& nota fierent quæ in tuo animo versabantur, utrùm custodires mandata illius, an non.

3 Afflixit te penuria,& dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu & patres tui: ut ostenderet tibi quòd non * in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. *Matt. 4.a.4. Luc. 4. a.4.

4 Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit,& pes tuus non est subtritus,en quadragesimus annus est.

B 5 Ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te,

6 Ut custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis ejus, & timeas eum.

7 Dominus enim Deus tuus introducet te in terrã bonam,terram rivorum aquarúmque & fontium:in cujus campis & montibus erumpunt fluviorũ abyssi:

8 Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliveta nascuntur: terram olei ac mellis.

9 Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfruêris: cujus lapides ferrum sunt, & de montibus ejus æris metalla fodiuntur:

C 10 Ut cùm comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima,quam dedit tibi.

11 Observa,& cave ne quando obliviscaris Domini Dei tui,& negligas mandata ejus atque judicia & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie:

12 Ne postquam comederis & satiatus fueris, domos pulchras ædificaveris, & habitaveris in eis,

13 Habuerísque armenta boum, & ovium greges, argenti & auri cunctarúmque rerum copiam,

14 Elevetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis.

15 Et ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, * in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio ac dipsas, & nullæ omnino aquæ: * qui eduxit rivos de petra durissima, *Num. 20.b.9. 21.b.6. *Exod. 17.b.6. *Exod. 16.d.14.

D 16 * Et cibavit te Manna in solitudine,quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit ac probavit, ad extremum misertus est tui,

17 Ne diceres in corde tuo:Fortitudo mea & robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt.

18 Sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum, super quo juravit patribus tuis, sicut præsens indicat dies.

19 Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos,coluerísque illos & adoraveris: ecce nunc prædico tibi quòd omnino dispereas.

20 Sicut Gentes, quas delevit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis,si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

Caput IX.

Reprimitur elatio,ne futuras victorias sibi sed soli Domino adscribant,cùm semper Deo adversati sint.

A 1 AUdi Israël, Tu transgredieris hodie Jordanem, ut possideas nationes maximas & fortiores te, civitates ingentes & ad cælum usque muratas,

2 Populum magnum atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti, & audisti, quibus nullus potest ex adverso resistere.

3 Scies ergo hodie quòd Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans atque consumens, qui conterat eos & deleat atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi.

4 Ne dicas in corde tuo,cùm deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter justitiam meam introduxit me Dominus ut terram hanc possiderem,cùm propter impietates suas istæ deletæ sint nationes.

5 Neque enim propter justitias tuas, & æquitatem cordis tui, ingredieris ut possideas terras earum:sed quia illæ egerunt impiè,introëunte te deletæ sunt:& ut compleret verbum suum Dominus, quod sub juramento pollicitus est patribus tuis, Abraham, Isaac, & Jacob.

6 Scito ergo quòd non propter justitias tuas B Dñs Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem,cùm durissimæ cervicis sis populus.

7 Memento,& ne obliviscaris, quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die, quo egressus es ex Ægypto usque ad locum istum, semper adversum Dominum contendisti.

8 * Nam & in Horeb provocasti eum, & iratus delere te voluit, *Exod. 17.b.6. 19.a.3. 31.d.18. 32.d.15.

9 Quando ascendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiscum Dominus: & perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens.

10 * Dedítque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei,& continentes omnia verba quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est. *Exod. 31.d.18.

11 Cúmque transissent quadraginta dies, & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis,

12 Dixítque mihi:* Surge,& descende hinc citò:quia populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, deseruerunt velociter viam quam demonstrasti eis, fecerúntque sibi conflatile. *Exod. 32.b.7. C

13 Rursúmque ait Dominus ad me: Cerno quòd populus iste duræ cervicis sit:

14 Dimitte me ut conteram eum, & deleam nomen ejus de sub cælo, & constituam te super Gentem, quæ hac major & fortior sit.

15 Cúmque de monte ardente descenderem, & duas tabulas fœderis utraque tenerem manu,

16 Vidissémque vos peccasse Domino Deo vestro, & fecisse vobis vitulum conflatilem,ac deseruisse velociter viam ejus,quam vobis ostenderat:

17 Projeci tabulas de manibus meis, confregíque eas in conspectu vestro.

18 Et procidi ante Dominum sicut priùs, quadraginta diebus & noctibus panem non comedens,& aquam non bibens, propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam provocastis:

19 Timui enim indignationem & iram illius, qua adversum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus etiam hac vice.

Universidad de Deusto
Biblioteca

20 Adversum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, & pro illo similiter deprecatus sum.

21 Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est vitulum, arripiens, igne combussi, & in frusta comminuens, omninóque in pulverem redigens, projeci in torrentem, qui de monte descendit.

D 22 * In incendio quoque & in tentatione, & in
*Num. 11.a.1. 16.a.2. 21.b.5. Sepulchris concupiscentiæ provocastis Dominum:

23 Et quando misit vos de Cabesbarne, dicens: Ascendite & possidete Terram, quam dedi vobis, & contempsistis imperium Domini Dei vestri, & non credidistis ei, neque vocem ejus audire voluistis:

24 Sed semper fuistis rebelles à die qua nosse vos cœpi.

25 Et jacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos ut fuerat comminatus:

26 Et orans dixi: Domine Deus, ne disperdas populum tuum, & hereditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti.

27 Recordare servorum tuorum, Abraham, Isaac, & Jacob: ne aspicias duritiam populi hujus, & impietatem atque peccatum:

28 Ne fortè dicant habitatores terræ, de qua eduxisti nos: Non poterat Dominus introducere eos in Terram, quam pollicitus est eis, & oderat illos: idcircò eduxit, ut interficeret eos in solitudine.

29 Qui sunt populus tuus & hereditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento.

CAPUT X.

Tabularum secundarum instauratio, Levitarum officia: timor & dilectio Dei ad servanda præcepta movere debent: præputium cordis circumcidendum, peregrini amandi, & per Dei nomen jurandum.

A 1 IN * tempore illo dixit Dominus ad me: Dola
*Exod. 34.a.1. tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem: faciésque arcam ligneam,

2 Et scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas antè confregisti, ponésque eas in arca.

3 Feci igitur arcam de lignis Settim. Cúmque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus.

4 Scripsítque in tabulis, juxta id quod priùs scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est: & dedit eas mihi.

5 Reversúsque de monte, descendi, & posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus.

B 6 * Filij autem Israël moverunt castra ex Beroth
*Num. 33.d.31. filiorum Jacan in Mosara, ubi * Aaron mortuus ac
*Num. 20.d. 28.29. sepultus est, pro quo, sacerdotio functus est Eleazar filius ejus:

7 Inde venerunt in Gadgad: de quo loco profecti, castrametati sunt in Jetebatha, in Terra aquarum atque torrentium.

8 Eo tempore separavit tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius usque in præsentem diem.

9 Quam ob rem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus suis: quia ipse Dominus possessio ejus est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus.

10 Ego autem steti in monte, sicut priùs, quadraginta diebus ac noctibus: exaudivítque me C
Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit.

11 Dixítque mihi: Vade, & præcede populum, ut ingrediatur, & possideat Terram, quam juravi patribus eorum ut traderem eis.

12 Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus & diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua:

13 Custodiásque mandata Domini, & ceremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut benè sit tibi?

14 En Domini Dei tui cælum est, & cælum cæli, terra, & omnia quæ in ea sunt:

15 Et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amavit eos, elegítque semen eorum post eos, id est vos, de cunctis Gentibus: sicut hodie comprobatur.

16 Circumcidite igitur præputium cordis vestri, D
& cervicem vestram ne induretis ampliùs:

17 Quia Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus & potens, & terribilis, qui * personam non accipit, *2.Par. 19.b.7. Iob.34. b.19. Sap.6. b.8. Eccl.35. b.15. Act.10. c.34. Rom.2. b.11. Gal.2. b.6. *Sup.6. b.13. Mat.4. b.10. Luc.4. b.8. * Gen. 46.c.27. Exod.1. a.5.
nec munera.

18 Facit judicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque vestitum.

19 Et vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis advenæ in Terra Ægypti.

20 * Dominum Deum tuum timebis, & ei soli servies: ipsi adhærebis, jurabísque in nomine illius.

21 Ipse est laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia & terribilia, quæ viderunt oculi tui.

22 * In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum: & ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra cæli.

CAPUT XI.

Recensentur varia Dei beneficia, multáque bona promittuntur servantibus ejus præcepta, mala autem non servantibus, hoc est benedictio & maledictio.

1 AMa itaque Dominum Deum tuum, & ob- A
serva præcepta ejus & ceremonias, judicia atque mandata omni tempore.

2 Cognoscite hodie quæ ignorant filij vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia ejus, & robustam manum, extentúmque brachium,

3 Signa & opera quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni regi, & universæ terræ ejus,

4 Omníque exercitu Ægyptiorum, & equis ac curribus: quo modo operuerint eos aquæ maris rubri, cùm vos persequerentur, & deleverit eos Dominus usque in præsentem diem:

5 Vobísque quæ fecerit in solitudine, donec veniretis ad hunc locum:

6 Et * Dathan atque Abiron filiis Eliab, qui *Num. 16.a.1. fuit filius Ruben: quos * aperto ore suo terra ab- *Num. 16.e.32.
sorbuit,

sorbuit, cum domibus & tabernaculis, & universa substantia eorum, quam habebant in medio Israël.

7 Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit.

8 Ut custodiatis universa mandata illius, quæ ego hodie præcipio vobis, & possitis introire, & possidere Terram, ad quam ingredimini, B

9 Multóque in ea vivatis tempore: quam sub juramento pollicitus est Dominus patribus vestris, & semini eorum, lacte & melle manantem.

10 Terra enim ad quam ingrederis possidendam, non est sicut Terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem aquę ducuntur irriguę:

11 Sed montuosa est & campestris, de cælo expectans pluvias.

12 Quam Dominus Deus tuus semper invisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni usque ad finem ejus.

*Sup.10. c.12. 13 * Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & serviatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra:

14 Dabit pluviam terræ vestræ temporaneam & serotinam, ut colligatis frumentum, & vinum, & oleum,

15 Fœnúmque ex agris ad pascenda jumenta, & ut ipsi comedatis ac saturemini.

16 Cavete ne fortè decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino, serviatísque diis alienis, & adoretis eos:

17 Iratúsque Dominus claudat cælum, & pluviæ non descendant, nec terra det germen suum, pereatísque velociter de terra optima, quam Dominus daturus est vobis. C

*Sup.6. b.6. 18 * Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate.

19 Docete filios vestros ut illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris atque surrexeris.

20 Scribes ea super postes & januas domus tuæ:

21 Ut multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum, in Terra, quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret eis quamdiu cælum imminet terræ.

22 Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis ejus, adhærentes ei,

23 Disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, & possidebitis eas, quæ majores & fortiores vobis sunt.

*Ios. 1. n.3. 24 * Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto, & à Libano, à flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri.

25 Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum & formidinem dabit Dominus Deus vester super D
omnem terram quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis.

26 En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem:

27 Benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis:

28 Maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, & ambulaveritis post deos alienos, quos ignoratis.

29 Cùm verò introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal:

30 Qui sunt trans Jordanem, post viam quæ vergit ad solis occubitum, in Terra Chananæi, qui habitat in campestribus contra Galgalam, quæ est juxta vallem tendentem & intrantem procul.

31 Vos enim transibitis Jordanem, ut possideatis Terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut habeatis & possideatis illam.

32 Videte ergo ut impleatis ceremonias atque judicia, quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.

CAPUT XII.

Præcipit exterminari idololatriam, decimas ac primitias reddi, sacrificia certo loco exolvi, & comedi, sanguinémque vitari.

1 HÆc sunt præcepta atque judicia, quæ fa- A
cere debetis in Terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris.

2 Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum.

*Sup.7. d.25. 2.Mac. 12.g.40. 3 * Dissipate aras eorum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis.

4 Non facietis ita Domino Deo vestro:

5 Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis:

6 Et offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ovium.

7 Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabimini in cunctis, ad quæ miseritis manum vos & domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester.

8 Non facietis ibi quæ nos hîc facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur.

9 Neque enim usque in præsens tempus venistis ad requiem, & possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.

10 Transibitis Jordanem, & habitabitis in Terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis à cunctis hostibus per circuitum, B
& absque ullo timore habitetis.

11 In loco quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo. Illuc omnia, quæ præcipio, conferetis, holocausta, & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum: & quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vovebitis Domino.

12 Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos & filij ac filiæ vestræ, famuli & famulæ, atque Levites qui in urbibus vestris commoratur. neque enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim habet aliam partem & possessionem inter vos.

13 Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris:

14 Sed in eo, quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcumque præcipio tibi.

15 Sin autem comedere volueris, & te esus carnium delectaverit, occide, & comede juxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in urbibus tuis: sive immundum fuerit, hoc est, maculatum & debile: sive mundum, hoc est, integrum & sine macula, quod offerri licet, sicut capream & cervum, comedes,

16 Absque esu dumtaxat sanguinis, quem super C terram quasi aquam effundes.

17 Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, primogenita armentorum & pecorum, & omnia quæ voveris, & sponte offerre volueris, & primitias manuum tuarum:

18 Sed coram Domino Deo tuo comedes ea, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius tuus & filia tua, & servus & famula, atque Levites qui manet in urbibus tuis: & lætaberis & reficieris coram Domino Deo tuo, in cunctis ad quæ extenderis manum tuam.

19 Cave ne derelinquas Levitem in omni tempore quo versaris in terra.

Gen. 28.c.14. Exod.34. c.24. Inf.19.b. 8. 20 * Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, & volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua:

21 Locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus ut sit nomen ejus ibi, si procul fuerit, occides de armentis & pecoribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis, ut tibi placet.

22 Sicut comeditur caprea & cervus, ita vescêris eis: & mundus & immundus in commune vescentur.

23 Hoc solum cave, ne sanguinem comedas. sanguis enim eorum pro anima est: & idcircò non debes animam comedere cum carnibus:

24 Sed super terram fundes quasi aquam,

25 Ut benè sit tibi & filiis tuis post te, cùm feceris quod placet in conspectu Domini. D

26 Quæ autem sanctificaveris & voveris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus:

27 Et offeres oblationes tuas carnem & sanguinem super altare Domini Dei tui: sanguinem hostiarum fundes in altari: carnibus autem ipse vescêris.

28 Observa & audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut benè sit tibi & filiis tuis post te in sempiternum, cùm feceris quod bonum est & placitum in conspectu Domini Dei tui.

Inf. 19. a.1. 29 * Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaveris in terra earum:

30 Cave ne imiteris eas, postquam te fuerint introëunte subversæ, & requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita & ego colam.

31 Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.

32 Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.

CAPUT XIII.

Pseudopropheta à Deo avertens occidi debet, quantumvis propinquus sit vel amicus: imò & urbs vastari funditùs, cujus habitatores id facere conati fuerint.

1 SI surrexerit in medio tui prophetes, aut qui A' somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum,

2 Et evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur deos alienos quos ignoras, & serviamus eis:

3 Non audies verba prophetæ illius aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.

4 Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audite vocem ejus: ipsi servietis, & ipsi adhærebitis.

5 Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est ut vos averteret à Do- B
mino Deo vestro, qui eduxit vos de Terra Ægypti, & redemit vos de domo servitutis: ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui.

6 Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: Eamus, & serviamus diis alienis, quos ignoras tu, & patres tui,

7 Cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ,

8 Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miserearis & occultes eum,

9 Sed statim interficies. * sit primùm manus *Inf.17. b.7.* tua super eum, & posteà omnis populus mittat manum.

10 Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, qui eduxit te de D
Terra Ægypti, de domo servitutis:

11 Ut omnis Israël audiens timeat, & nequaquam ultrà faciat quippiam hujus rei simile.

12 Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos:

13 Egressi sunt filij Belial de medio tui, & averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt: Eamus, & serviamus diis alienis quos ignoratis:

14 Quære solicitè & diligenter, rei veritate perspecta, si inveneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam,

15 Statim percuties habitatores urbis illius in ore gladij, & delebis eam, ac omnia quæ in illa sunt, usque ad pecora.

16 Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, & cum ipsa civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus. non ædificabitur amplius.

17 Et

17 Et non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua: ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tui, multiplicetque te sicut juravit patribus tuis,

18 Quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias quod placitum, est in conspectu Domini Dei tui.

CAPUT XIV.

Gentium ritus super mortuo fugiendus: animaliumm undorum & immundorum discretio: & decimas esse solvendas.

A 1 FIlij estote Domini Dei vestri: non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo.

Sup.7. a. 6. Inf. 26. d. 18. 2 * Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo, & te elegit ut sis ei in populum peculiarem, de cunctis gentibus quæ sunt super terram.

Levit. 11.a. 4. 3 * Ne comedatis quæ immunda sunt,

4 Hoc est animal quod comedere debetis, Bovem, & ovem, & capram,

5 Cervum & capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum.

6 Omne animal, quod in duas partes findit ungulam, & ruminat, comedetis.

7 De his autem quæ ruminant, & ungulam non findunt, comedere non debetis, ut camelum, leporem, chœrogrillum: hæc quia ruminant, & non dividunt ungulam, immunda erunt vobis.

8 Sus quoque quoniam dividit ungulam, & B
non ruminat, immunda erit. carnibus eorum non vescemini, & cadavera non tangetis.

9 Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis: Quæ habent pinnulas & squamas, comedite:

10 Quæ absque pinnulis & squamis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt.

11 Omnes aves mundas comedite.

12 Immundas ne comedatis: aquilam scilicet, & gryphem, & haliætum,

13 Ixion, & vulturem ac miluum juxta genus suũ:

14 Et omne corvini generis,

15 Et Struthionem, ac noctuam, & larum, atque accipitrem juxta genus suum:

16 Herodium ac cygnum, & ibin,

17 Ac mergulum, porphyrionem, & nycticoracẽ,

18 Onocrotalum, & charadrium, singula in genere suo, upupam quoque & vespertilionem.

C 19 Et omne quod reptat & pennulas habet, immundum erit, & non comedetur.

20 Omne quod mundum est, comedite.

21 Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei: quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. * Non coques hœdum in lacte

Exod. 23.d.19. 34. d. 26. matris suæ.

22 Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascũtur in terra per annos singulos,

23 Et comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit ut in eo nomen illius invocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis & ovibus tuis: ut discas timere Dominum Deum tuum omni tempore.

24 Cùm autem longior fuerit via, & locus quem D
elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare,

25 Vendes omnia, & in pretium rediges, portabisque manu tua, & proficiscêris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus:

26 Et emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque &, siceram, & omne quod desiderat anima tua: & comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua;

27 Et Levites qui intra portas tuas est: cave ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua.

28 Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore: & repones intra januas tuas.

29 Veniétque Levites qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent & saturabuntur: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

CAPUT XV.

Lex remissionis septimi anni in quos exerceatur: de servo Hebræo qui noluerit manumitti: de primogenitis Domino sanctificandis & comedendis.

1 SEptimo anno facies remissionem, A'

2 Quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini.

3 A peregrino & advena exiges: civem & propinquum repetendi non habebis potestatem.

4 Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem.

5 Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris universa quæ jussit, & quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus est.

6 Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur.

7 Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus B
tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum,

8 Sed aperies eam pauperi, * & dabis mutuum *Matt. 5.f. 42. Luc. 6 c. 34.* quo eum indigere perspexeris.

9 Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis: & avertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dñm, & fiat tibi in peccatũ.

10 Sed dabis ei: nec ages quippiam callidè in ejus necessitatibus sublevandis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris.

11 * Non deerunt pauperes in terra habitatio- *Mat.26. a. 11.* nis tuæ: idcircò ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra. C

12 * Cùm tibi venditus fuerit frater tuus He- *Exod. 21. a.2 Ier.34.e 14.* bræus, aut Hebræa, & sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum:

13 Et quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris:

Universidad de Deusto
Biblioteca

14 Sed dabis viaticum de gregibus, & de area, & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.

15 Memento quòd & ipse servieris in Terra Ægypti, & liberaverit te Dominus Deus tuus, & idcircò ego nunc præcipio tibi.

16 Sin autem dixerit: Nolo egredi: eò quòd diligat te, & domum tuam, & benè sibi apud te esse sentiat:

17 Assumes subulam, & perforabis aurem ejus in janua domus tuæ, & serviet tibi usque in æternum. ancillæ quoque similiter facies.

18 Non avertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos: quoniam juxta mercedem mercenarij per sex annos servivit tibi: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cũctis operibus quæ agis.

D

19 De primogenitis, quæ nascuntur in armentis, & in ovibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, & non tondebis primogenita oviũ.

20 In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos, in loco quem elegerit Dominus, tu & domus tua.

*Lev. 22.c.20. 21. Eccli. 35.b.14.

21 * Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo.

22 Sed intra portas urbis tuæ comedes illud: tam mundus quàm immundus similiter vescentur eis, quasi caprea & cervo.

23 Hoc solum observabis, ut sanguinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam.

Caput XVI.

Tres præcipuæ anni sollemnitates, Azymorum, Hebdomadarum, & Tabernaculorum: de justis judicibus constituendis, & de cavendo ab occasionibus idololatriæ.

A

1 Observa mensem novarum frugum, & veni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.

2 Immolabísque Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.

3 Non comedes in eo panem fermentatum: Septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto: ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ.

4 Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, & non remanebit de carnibus ejus quod immolatum est vespere in die primo usque manè.

B

5 Non poteris immolare Phase in qualiber urbium tuarum, quas Dñs Deus tuus daturus est tibi;

6 Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi: immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.

7 Et coques, & comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, manéque consurgens vades in tabernacula tua.

8 Sex diebus comedes azyma: & in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus.

9 Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris.

10 Et celebrabis diem festum hebdomadarum Dño Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres juxta benedictionẽ Domini Dei tui:

11 Et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, & Levites qui est intra portas tuas, advena ac pupillus & vidua, qui morantur vobiscum: in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi:

C

12 Et recordaberis quoniam servus fueris in Ægypto: custodiésque ac facies quæ præcepta sunt.

13 Sollemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area & torculari fruges tuas:

14 Et epulaberis in festivitate tua, tu, filius tuus & filia, servus tuus & ancilla, Levites quoque & advena, pupillus ac vidua qui intra portas tuas sunt.

15 Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem elegerit Dominus: benedicétque tibi Dñs Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, erísque in lætitia.

16 Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit: in sollemnitate azymorum, in sollemnitate hebdomadarum, & in sollemnitate tabernaculorum. * Non apparebit ante Dominum vacuus:

D

*Exod. 23.c.15. 34.c.20. Eccli.35. a.6.

17 Sed offeret unusquisque secundùm quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei:

18 Judices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dñs Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas: ut judicent populum justo judicio,

19 Nec in alteram partem declinent. * Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.

*Exod. 23.b.8. Sup.1.c. 17.Leu. 19.c.15. Eccl. 20. d.31.

20 Justè quod justum est persequéris: ut vivas & possideas Terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.

21 Non plantabis lucum, & omnem arborem juxta altare Domini Dei tui.

22 Nec facies tibi, neque constitues statuam: quæ odit Dominus Deus tuus.

Caput XVII.

Hostia deligenda, idololatria punienda: in gravi difficultate ad summum sacerdotem ejúsque concilium recurrendum, & quæ regi eligendo sint observanda.

A

1 Non immolabis Domino Deo tuo ovem & bovem, in quo est macula, aut quippiam vitij: quia abominatio est Domino Deo tuo:

2 Cùm reperti fuerint apud te intra unam portarum tuarum quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, & transgrediantur pactum illius,

3 Ut vadant & serviant diis alienis, & adorent eos, solem & lunam, & omnem militiam cæli, quæ non præcepi:

4 Et hoc tibi fuerit nuntiatum, audiénsque inquisieris diligenter, & verum esse repereris, & abominatio facta est in Israël.

5 Edu

5 Educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, & lapidibus obruentur.

*Inf.19. d.15. Matt.18. c.16. 2.Cor. 13.a.1.

6 * In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicẽte testimonium.

7 Manus testium prima interficiet eum, * & manus reliqui populi extrema mittetur: ut auferas malum de medio tui.

B

*Sup.13, b.9.

8 Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & judicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascẽde ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.

*1.Par. 19.c.8.

9 * Veniésque ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore: quæréque ab eis qui indicabunt tibi judicij veritatem.

10 Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te

11 Juxta legem ejus, sequéris que sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram.

C

12 Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël:

13 Cunctúsque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.

14 Cùm ingressus fueris Terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverísque in illa, & dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes:

15 Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.

16 Cúmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus, præsertim cùm Dominus præceperit vobis, ut nequaquam ampliùs per eamdem viam revertamini.

D

17 Non habebit uxores plurimas, quæ alliciãt animum ejus, neque argenti & auri immensa pondera.

18 Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leviticæ tribus,

19 Et habebit secum, legétque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt.

20 Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filij ejus super Israël.

Caput XVIII.

Sacerdotibus & Levitis pro possessione cedunt oblationes ac sacrificia: cavenda omnis superstitio: de vero propheta suscitando, & falso propheta interficiendo.

A

*Num.18. c.20.d. 23.1. Cor.9.b. 13. * ap.10. b.9.

1 Non * habebunt sacerdotes & Levitæ, & omnes qui de eadem tribu sunt partem & hereditatem cum reliquo Israël, quia sacrificia Domini, & oblationes ejus comedent,

2 Et nihil aliud accipient de possessione fratrum

suorum: Dominus enim ipse est hereditas eorum, sicut locutus est illis.

3 Hoc erit judicium sacerdotum à populo, & ab his qui offerunt victimas: sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum ac ventriculum:

*Num. 18.b.11.

4 * Primitias frumenti, vini & olei, & lanarum partem ex ovium tonsione.

5 Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, ut stet, & ministret nomini Domini ipse, & filij ejus in sempiternum.

B

6 Si exierit Levites ex una urbium tuarum ex omni Israël in qua habitat, & voluerit venire, desiderans locum quem elegerit Dominus,

7 Ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ, qui stabunt eo tempore coram Domino.

8 Partem ciborum eandem accipiet, quam & ceteri: excepto eo, quod in urbe sua ex paterna ei successione debetur.

9 Quando ingressus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium.

*Lev. 20.c.27.

10 * Nec inveniatur in te qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos scisciteur, & observet somnia atque auguria, nec sit maleficus,

11 Nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, * aut quærat à mortuis veritatem.

*1.Reg. 28.b.7.

12 Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.

C

13 Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo.

14 Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures & divinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es.

*Ioan.1. g.45. Act.3.d. 22. *Exod. 20.c.21.

15 * Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.

16 Ut petisti à Domino Deo tuo * in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultrà non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum ampliùs non videbo, ne moriar.

17 Et ait Dominus mihi: Benè omnia sunt locuti.

*Ioan.1. g.45.

18 * Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorũ similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loquetúrque ad eos omnia quæ præcepero illi.

D

19 Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.

20 Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur.

21 Quòd si tacita cogitatione responderis: Quo modo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus?

22 Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non evenerit: hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit: & idcircò non timebis eum.

CAPUT XIX.

Separanda urbes refugij, & qui ad eas tutè confugient, & qui non: de veris falsisque testibus, & de terminis non transferendis.

A 1 CUm disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, & possederis eam, habitaverísque in urbibus ejus & in ædibus:

* Num. 35.b.11. Ios. 20. a. 2. 2 * Tres civitates separabis tibi in medio Terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem,

3 Sternens diligenter viam: & in tres æqualiter partes totam Terræ tuæ provinciam divides: ut habeat è vicino qui propter homicidium profugus est, quò possit evadere.

4 Hæc erit lex homicidæ fugientis, cujus vita servanda est. Qui percusserit proximum suum nesciens, & qui heri & nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur:

5 Sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrúmque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, & occiderit: hic ad unam
B supradictarum urbium confugiet, & vivet:

6 Ne forsitan proximus ejus, cujus effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur, & apprehendat eum si longior via fuerit, & percutiat animam ejus, qui non est reus mortis: quia nullum contra eum, qui occisus est, odium priùs habuisse monstratur.

7 Idcircò præcipio tibi, ut tres civitates æqualis inter se spatij dividas.

* Gen. 28.c.14. Exod.34 c.24. Sup. 12. c. 20. 8 * Cùm autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut juravit patribus tuis, & dederit tibi cunctam Terram, quam eis pollicitus est,

9 (Si tamen custodieris mandata ejus, & feceris quæ hodie præcipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus omni tempore) addes tibi tres alias civitates, & supradictarum trium urbium numerum duplicabis:

10 Ut non effundatur sanguis innoxius in me-
C dio Terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus.

* Num. 35.c.20. 11 * Si quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgénsque percusserit illum, & mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus,

12 Mittent seniores civitatis illius, & arripient eum de loco effugij, tradéntque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, & morietur.

13 Non misereberis ejus, & auferes innoxium sanguinem de Israël, ut benè sit tibi.

14 Non assumes & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in Terra, quam acceperis possidendam.

*Sup.17. a. 6. Mat.18. c. 16. 2.Cor.13 a. 1. 15 * Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.

16 Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis.

17 Stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum & judicum qui fuerint in diebus illis.

18 * Cúmque diligentissimè perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: * Dan. 13.g.62.

19 Reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui:

20 Ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere.

*Exod. 21.c.23. 24.Lev. 24.d.20. Matt.5. f.38. 21 Non misereberis ejus, * sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

CAPUT XX.

Qui tempore pugnæ sint domum remittendi: jura belli quomodo servanda: quæ arbores cædendæ ad machinas instruendas, & quæ relinquendæ.

A 1 SI exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & majorem quàm tu habeas adversarij exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de Terra Ægypti.

2 Appropinquante autem jam prælio, stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum:

3 Audi Israël, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos:

4 Quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo:

5 Duces quoque per singulas turmas audiente *1.Mac. 3.g.56. exercitu proclamabunt: * Quis est homo qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam? vadat, & revertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam.

6 Quis est homo qui plantavit vineam, necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, & revertatur in domum suam, B
ne fortè moriatur in bello, & alius homo ejus fungatur officio.

7 Quis est homo qui despondit uxorem, & non accepit eam? vadat & revertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eam.

8 His dictis addent reliqua, & loquentur ad populum: * Quis est homo formidolosus, & corde *Iud.c. 7.a.3. pavido? vadat & revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.

9 Cúmque siluerint duces exercitus, & finem C
loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit.

10 Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem.

11 Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo.

12 Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.

13 Cúmque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladij,

14 Absque mulieribus & infantibus, jumentis & ceteris quæ in civitate sunt. Omnem prædam exercitui dividés, & comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.

15 Sic

15 Sic facies cunctis civitatibus, quæ à te procul valdè sunt, & non sunt de his urbibus, quas in
D possessionem accepturus es.

16 De his autem civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere:

17 Sed interficies in ore gladij, Hethæum videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus:

18 Ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis, & peccetis in Dominum Deum vestrum.

19 Quando obsederis civitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis ut expugnes eam, non succîdes arbores de quibus vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare regionem: quoniam lignum est, & non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum.

20 Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, & in ceteros apta usus, succîde, & instrue machinas, donec capias civitatem, quæ contra te dimicat.

CAPUT XXI.

Cautio super homicidio occulto, muliere in bello capta, filio contumace, & eo qui suspensus est in ligno.

A 1 QUando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadaver occisi, & ignorabitur cædis reus.

2 Egredientur majores natu, & judices tui, & metientur à loco cadaveris singularum per circuitum spatio civitatum:

3 Et quam viciniorem ceteris esse perspexerint, seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum, nec terrã scidit vomere.

4 Et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ numquam arata est, nec sementem recepit: & cædent in ea cervices vitulæ:

5 Accedéntque sacerdotes filij Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei, & benedicant in nomine ejus, & ad verbum eorum, omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum est, judicetur.

6 Et venient majores natu civitatis illius ad in-
B terfectum, lavabúntque manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est,

7 Et dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt.

8 Propitius esto populo tuo Israël, quem redemisti Domine, & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israël. Et auferetur ab eis reatus sanguinis:

9 Tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cùm feceris quod præcepit Dominus.

10 Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captivósque duxeris,

11 Et videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, voluerísque habere uxorem,

12 Introduces eam in domum tuam: quæ radet cæsariem, & circumcidet ungues,

13 Et deponet vestem, in qua capta est: sedénsque in domo tua, flebit patrem & matrem suam
C uno mense: & posteà intrabis ad eam, dormiésque cum illa, & erit uxor tua.

14 Si autem posteà non sederit animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec opprimere per potentiam: quia humiliasti eam.

15 Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus,

16 Voluerítque substantiam inter filios suos dividere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ,

17 * Sed filium odiosæ agnoscet primogeni- *1.Par. 5.a.1. tum, dabítque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum ejus, & huic debentur primogenita.

18 Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coërcitus obedire contempserit: D

19 Apprehendent eum, & ducent ad seniores civitatis illius, & ad portam judicij,

20 Dicéntque ad eos: Filius noster iste protervus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atque conviviis:

21 Lapidibus eum obruet populus civitatis: & morietur, ut auferatis malum de medio vestri, & universus Israël audiens pertimescat.

22 Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo:

23 Non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur: * quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno: & nequaquam contami- *Gal.3. b.13. nabis Terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.

CAPUT XXII.

Pietas in rem proximi exercenda: de veste alterius sexus, de invento nido, de circumdando tecto domus, de non commiscendis rebus diversi generis, de fimbriis, de signis virginitatis, de adulterio, de corrupta in urbe vel in agro, de uxore patris non ducenda.

A 1 NOn * videbis bovem fratris tui aut ovem errantem, & præteribis: sed reduces fratri *Exod. 23.a.4. tuo,

2 Etiam si non est propinquus frater tuus, nec nosti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat.

3 Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit: si inveneris eam, ne negligas quasi alienam.

4 Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo.

5 Non inducetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc.

6 Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum avis inveneris, & matrem pullis vel ovis desuper incubantem: non tenebis eam cum filiis:

7 Sed abire patieris, captos tenens filios: ut benè sit tibi, & longo vivas tempore.

8 Cùm ædificaveris domum novam, facies murũ tecti per circuitum: ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio & in præceps ruente. B

9 Non seres vineam tuam altero semine: ne &

Universidad de Deusto
Biblioteca

sementis quam seviſti,& quæ naſcuntur ex vinea, pariter ſanctificentur.

10 Non arabis in bove ſimul & aſino.

11 Non indueris veſtimento,quod ex lana linóque contextum eſt.

12 *Funiculos in fimbriis facies per quattuor angulos pallij tui, quo operieris. * Num. 15.d.38.

13 Si duxerit vir uxorem,& poſteà odio habuerit eam,

14 Quæſieritque occaſiones quibus dimittat eam,objiciens ei nomen peſſimum,& dixerit:Uxorem hanc accepi, & ingreſſus ad eam non inveni virginem:

15 Tollent eam pater & mater ejus,& ferent ſecum ſigna virginitatis ejus ad ſeniores urbis qui in porta ſunt :

16 Et dicet pater : Filiam meam dedi huic uxorem : quam quia odit,

17 Imponit ei nomen peſſimum, ut dicat : Non inveni filiam tuam virginem:& ecce hæc ſunt ſigna virginitatis filiæ meæ. expandent veſtimentum coram ſenioribus civitatis: C

18 Apprehendéntque ſenes urbis illius virum, & verberabunt illum,

19 Condemnantes inſuper centum ſiclis argenti,quos dabit patri puellæ:quoniam diffamavit nomen peſſimum ſuper virginem Iſraël : habebítque eam uxorem,& non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ ſuæ.

20 Quòd ſi verum eſt quod objicit , & non eſt in puella inventa virginitas:

21 Ejicient eam extra fores domus patris ſui , & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur : quoniam fecit nefas in Iſraël ut fornicaretur in domo patris ſui:& auferes malum de medio tui.

22 * Si dormierit vir cum uxore alterius,uterque morietur, id eſt,adulter & adultera:& auferes malum de Iſraël. * Lev. 20.b.10.

23 Si puellam virginem deſponderit vir , & invenerit eam aliquis in civitate , & concubuerit cum ea,

24 Educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur: puella,quia non clamavit, cùm eſſet in civitate:vir, quia humiliavit uxorem proximi ſui.& auferes malum de medio tui. D

25 Sin autem in agro repererit vir puellam , quæ deſponſata eſt,& apprehendens concubuerit cum ea, ipſe morietur ſolus:

26 Puella nihil patietur,nec eſt rea mortis:quoniam ſicut latro conſurgit contra fratrem ſuum, & occidit animam ejus, ita & puella perpeſſa eſt.

27 Sola erat in agro : clamavit , & nullus affuit qui liberaret eam.

28 Si invenerit vir puellam virginem , quæ non habet ſponſum,& apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit:

29 * Dabit qui dormivit cum ea , patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti , & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam : non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ ſuæ. *Exod. 22.c.16.

30 Non accipiet homo uxorem patris ſui , nec revelabit operimentum ejus.

Caput XXIII.

De his qui ab eccleſia Dei arcendi ſunt vel admittendi : Idumæus & Ægyptius non ſunt abjiciendi, de pollutione nocturna,& de loco ad neceſſaria naturæ deputando:de ſervo fugitivo,de mercede proſtibuli, fugienda uſura erga fratres , de voto,de vinea & ſegete proximi.

1 NOn intrabit eunuchus attritis vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro,eccleſiam Domini. A

2 Non ingredietur manzer,hoc eſt,de ſcorto natus in eccleſiam Domini , uſque ad decimam generationem.

3 * Ammonites & Moabites etiam poſt decimam generationem non intrabunt eccleſiam Domini, in æternum: *2.Eſd. 13.a.1.

4 Quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via quando egreſſi eſtis de Ægypto : & * quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Meſopotamia Syriæ, ut malediceret tibi: * Num. 22.a.5.

5 Et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertítque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eò quòd diligeret te. B

6 Non facies cum eis pacem,nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in ſempiternum.

7 Non abominaberis Idumæum,quia frater tuus eſt:nec Ægyptiũ, quia advena fuiſti in terra ejus.

8 Qui nati fuerint ex eis,tertia generatione intrabunt in eccleſiam Domini.

9 Quando egreſſus fueris adverſus hoſtes tuos in pugnam,cuſtodies te ab omni re mala.

10 Si fuerit inter vos homo,qui nocturno pollutus ſit ſomnio,egredietur extra caſtra,

11 Et non revertetur, priuſquam ad veſperam lavetur aqua : & poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra.

12 Habebis locum extra caſtra, ad quem egrediaris ad requiſita naturæ,

13 Gerens paxillum in balteo. cúmque ſederis, fodies per circuitum, & egeſta humo operies C

14 Quo relevatus es (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio caſtrorum ut eruat te , & tradat tibi inimicos tuos) & ſint caſtra tua ſancta,& nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.

15 Non trades ſervum Domino ſuo, qui ad te confugerit.

16 Habitabit tecum in loco qui ei placuerit,& in una urbium tuarum requieſcet:ne contriſtes eum.

17 Non erit meretrix de filiabus Iſraël , nec ſcortator de filiis Iſraël.

18 Non offeres mercedem proſtibuli , nec pretium canis, in domo Domini Dei tui, quidquid illud eſt quod voveris:quia abominatio eſt utrumque apud Dominum Deum tuum.

19 Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam,nec fruges,nec quamlibet aliam rem: D

20 Sed alieno. Fratri autem tuo abſque uſura,id quo indiget,commodabis:ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in Terra,ad quam ingredieris poſſidendam.

21 Cùm votum voveris Domino Deo tuo,non tardabis reddere : quia requiret illud Dominus Deus tuus. & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.

22 Si

22 Si nolueris polliceri, abſque peccato eris.

23 Quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo,& propria voluntate & ore tuo locutus es.

24 Ingreſſus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit : foras autem ne efferas tecum.

25 Si intraveris in ſegetem amici tui , franges ſpicas,& manu conteres:falce autem non metes.

Caput XXIV.

Libellus repudij permittitur : miſericordia in debitores pauperes:non neganda merces : de judicio advenæ & pupilli, de reliquiis meſſis, ac vindemiæ.

A 1 SI* acceperit homo uxorem , & habuerit eam , & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem : ſcribet libellum repudij , & dabit in manu illius , & dimittet eam de domo ſua. *Mat.5. e.31.19. a.7. Marc.10. a.4.

2 Cúmque egreſſa alterum maritum duxerit,

3 Et ille quoque oderit eam , dederítque ei libellum repudij, & dimiſerit de domo ſua, vel certè mortuus fuerit :

4 Non poterit prior maritus recipere eam in uxorem:quia polluta eſt, & abominabilis facta eſt coram Domino : ne peccare facias Terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi poſſidendam.

5 Cùm acceperit homo nuper uxorem , non B procedet ad bellum , nec ei quippiam neceſſitatis injungetur publicæ, ſed vacabit abſque culpa domi ſuæ,ut uno anno lætetur cum uxore ſua.

6 Non accipies loco pignoris inferiorem,& ſuperiorem molam:quia animam ſuam oppoſuit tibi.

7 Si deprehenſus fuerit homo ſolicitans fratrem ſuum de filiis Iſraël , & vendito eo acceperit pretium,interficietur,& auferes malum de medio tui.

8 Obſerva diligenter ne incurras plagam lepræ, ſed facies quæcumque docuerint te ſacerdotes Levitici generis,juxta id quod præcepi eis,& imple ſolicitè.

9 * Mementote quæ fecerit Dominus Deus veſter Mariæ in via, cùm egrederemini de Ægypto. *Num. 12.c.10.

10 Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam, C quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas :

11 * Sed ſtabis foris , & ille tibi proferet quod habuerit. *Exod. 22.d.26.

12 Sin autem pauper eſt,non pernoctabit apud te pignus,

13 Sed ſtatim reddes ei ante ſolis occaſum : ut dormiens in veſtimento ſuo, benedicat tibi,& habeas juſtitiam coram Domino Deo tuo.

14 * Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, ſive advenæ,qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt : *Levit.19. c.13. Tob.4. c.15.

15 Sed eadem die reddes ei pretium laboris ſui ante ſolis occaſum,quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam : ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.

16 * Non occidentur patres pro filiis , nec filij pro patribus,ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur. * 4.Reg. 14.b.6. 2. Par. 25.a.4. Ezech. 18.c.20.

17 Non pervertes judicium advenæ & pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ veſtimentum.

18 Memento quòd ſervieris in Ægypto,& eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcircò præcipio tibi ut facias hanc rem.

19 Quando meſſueris ſegetem in agro tuo , & oblitus manipulum reliqueris , non revertêris ut tollas illum, ſed advenam,& pupillum,& viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.

20 Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanſerit in arboribus, non revertêris ut colligas: ſed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ.

21 Si vindemiaveris vineam tuam,non colliges remanentes racemos , ſed cedent in uſus advenæ, pupilli, ac viduæ.

22 Memento quòd & tu ſervieris in Ægypto, & idcircò præcipio tibi ut facias hanc rem.

Caput XXV.

Quot plagis reus cædendus , bovi trituranti os non alligandum, ſemen fratri ſuſcitandum , pœna mulieris verenda apprehendentis, non committenda in pondere & menſura injuſtitia, Amalecita delendi.

1 SI fuerit cauſa inter aliquos, & interpellaverint judices:quem juſtum eſſe perſpexerint , illi juſtitiæ palmam dabunt : quem impium , condemnabunt impietatis. A

2 Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis:proſternent, & coram ſe facient verberari.Pro menſura peccati erit & plagarum modus:

3 Ita dumtaxat,* ut quadragenarium numerum non excedant : ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. *2.Cor. 11.f.24.

4 * Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas. *1.Cor. 9.b.9. 1.Tim.5. c.18.

5 * Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri , ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui : *Matt. 22.c.24. Marc.12. b.19. Luc 20. c.28.

6 Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit,ut non deleatur nomen ejus ex Iſraël.

7 Sin autem noluerit accipere uxorem fratris ſui,quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis , & interpellabit majores natu , dicétque: * Non vult frater viri mei ſuſcitare nomen fratris ſui in Iſraël : nec me in conjugem ſumere. * Ruth. 4.b.5.

8 Statímque accerſiri eum facient, & interrogabunt.Si reſponderit:Nolo eam uxorem accipere:

9 Accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede ejus,ſpuétque in faciem illius,& dicet:Sic fiet homini,qui non ædificat domum fratris ſui.

10 Et vocabitur nomen illius in Iſraël , Domus diſcalceati.

11 Si habuerint inter ſe jurgium viri duo, & unus contra alterum rixari cœperit, volénſque uxor alterius eruere virum ſuum de manu fortioris, miſeritque manum, & apprehenderit verenda ejus:

12 Abſcides manum illius, nec flectêris ſuper eam ulla miſericordia.

13 Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus :

14 Nec erit in domo tua modius major & minor.

15 Pondus habebis juſtum & verum, & modius

Universidad de Deusto
Biblioteca

dius æqualis & verus erit tibi:ut multo vivas tempore super Terram,quam Dominus Deus tuus dederit tibi.

16 Abominatur enim Dominus Deus tuus eum
D qui facit hæc,& aversatur omnem injustitiam.
*Exod. 17.c.8. 17 * Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto.

18 Quomodo occurrerit tibi:& extremos agminis tui,qui lassi residebant,ceciderit,quando tu eras fame & labore confectus,& non timuerit Deum.

19 Cùm ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem , & subjecerit cunctas per circuitum nationes,in Terra,quam tibi pollicitus est:delebis nomen ejus sub cælo.Cave ne obliviscaris.

Caput XXVI.

Primitiæ ac decimæ ubi & quibus exolvendæ & sub qua verborum forma.

A 1 CUmque intraveris Terram,quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, & obtinueris eam,atque habitaveris in ea:

2 Tolles de cunctis frugibus tuis primitias , & pones in cartallo , pergésque ad locum , quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus:

3 Accedésque ad sacerdotem,qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum : Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingressus sum in Terram, pro qua juravit patribus nostris,ut daret eam nobis.

4 Suscipiénsque sacerdos cartallum de manu tua,ponet ante altare Domini Dei tui:

5 Et loquêris in conspectu Domini Dei tui : Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus est in pauciſſimo
B numero:crevítque in gentem magnam ac robustam & infinitæ multitudinis.

6 Afflixerúntque nos Ægyptij,& persecuti sunt imponentes onera graviſſima:

7 Et clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum : qui exaudivit nos,& respexit humilitatem nostram, & laborem, atque angustiam :

8 Et eduxit nos de Ægypto in manu forti , & brachio extento,in ingenti pavore, in signis atque portentis.

9 Et introduxit ad locum istum,& tradidit nobis terram lacte & melle manantem.

10 Et idcircò nunc offero primitias frugum Terræ,quam Dominus dedit mihi.Et dimittes eas in conspectu Dñi Dei tui,& adorato Dño Deo tuo.

11 Et epulaberis in omnibus bonis,quæ Dominus Deus tuus dederit tibi,& domui tuæ,tu & Levites,& advena qui tecum est.

12 Quando compleveris decimam cunctarum
C frugum tuarum anno decimarum tertio, dabis Levitæ, & advenæ, & pupillo & viduæ,ut comedant intra portas tuas,& saturentur:

13 Loquerísque in conspectu Domini Dei tui : *Sup.14. d.29. Abstuli quod sanctificatum est de domo mea,* & dedi illud Levitæ & advenæ, & pupillo ac viduæ, sicut jussisti mihi:non præterivi mandata tua , nec sum oblitus imperij tui.

14 Non comedi ex eis in luctu meo,nec separavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei , & feci omnia sicut præcepisti mihi.

15 * Respice de sanctuario tuo , & de excelso cælorum habitaculo, & benedic populo tuo Israël, & Terræ quam dedisti nobis , sicut jurasti patribus nostris,terræ lacte & melle mananti. *Isai.63. d.15. Baruc.2. c.16.

16 Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi ut facias mandata hæc atque judicia : & custodias & impleas ex toto corde tuo,& ex tota anima tua. D

17 Dñm elegisti hodie,ut sit tibi Deus, & ambules in viis ejus , & custodias cæremonias illius, & mandata atque judicia,& obedias ejus imperio. *Sup.7. a.6.

18 * Et Dominus elegit te hodie,ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi , & custodias omnia præcepta illius :

19 Et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit in laudem,& nomen,& gloriam suam:ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est.

Caput XXVII.

Altare lapideum erigendum,léxque lapidibus inscribenda: benedictiones piorum,& maledictiones impiorum.

1 PRæcepit autem Moyses & seniores Israël,populo dicentes : Custodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie. A

2 Cúmque transieritis Jordanem in Terram , quam Dominus Deus tuus dabit tibi , eriges ingentes lapides, & calce lævigabis eos,

3 Ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus, Jordane transmisso:ut introëas Terram , quam Dominus Deus tuus dabit tibi,terram lacte & melle manantem,sicut juravit patribus tuis.

4 Quando ergo transieritis Jordanem,erigite lapides , quos ego hodie præcipio vobis , in Monte Hebal,& lævigabis eos calce:

5 Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo , de lapidibus quos * ferrum non tetigit, *Exod. 20.d.25.

6 Et de saxis informibus & impolitis : & offeres super eo holocausta Domino Deo tuo, Ios.8.f. 31.

7 Et immolabis hostias pacificas , comedésque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo. B

8 Et scribes super lapides omnia verba legis hujus planè & lucidè.

9 Dixerúntque Moyses & sacerdotes Levitici generis ad omnem Israëlem:Attende,& audi Israël: hodie factus est populus Domini Dei tui:

10 Audies vocem ejus,& facies mandata atque justitias, quas ego præcipio tibi.

11 Præcepítque Moyses populo in die illo,dicẽs:

12 Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim, Jordane transmisso:Simeon, Levi, Judas, Issachar, Joseph, & Benjamin.

13 Et è regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal:Ruben,Gad,& Aser,& Zabulon, C Dan, & Nephthali.

14 * Et pronuntiabunt Levitæ , dicéntque ad omnes viros Israël excelsa voce. *Dan.9. c.13.

15 Maledictus homo qui facit sculptile & conflatile,abominationem Domini,opus manuum artificum, ponétque illud in abscondito. & respondebit omnis populus,& dicet:Amen.

16 Maledictus qui non honorat patrem suum , & matrem. & dicet omnis populus:Amen.

17 Maledictus qui transfert terminos proximi sui.& dicet omnis populus:Amen.

18 Maledictus qui errare facit cæcum in itinere. & dicet omnis populus:Amen.

19 Male

19 Maledictus qui pervertit judicium advenæ,
D pupilli,& viduæ. & dicet omnis populus : Amen,

20 Maledictus qui dormit cum uxore patris sui: & revelat operimentum lectuli ejus, & dicet omnis populus : Amen.

21 Maledictus qui dormit cum omni jumento. & dicet omnis populus : Amen.

22 Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ. & dicet omnis populus : Amen.

23 Maledictus qui dormit cum socru sua, & dicet omnis populus : Amen.

24 Maledictus qui clàm percusserit proximum suum. & dicet omnis populus : Amen.

25 Maledictus qui accipit munera,ut percutiat animam sanguinis innocentis. & dicet omnis populus : Amen.

26 Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus , nec eos opere perficit. & dicet omnis populus : Amen.

Caput XXVIII.

Multiplex promittitur observantibus legem benedictio, & transgredientibus maledictio.

A 1 SI autem audieris vocem Domini tui , ut facias atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie , faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus,quæ versantur in terra.

2 Veniéntque super te universæ benedictiones istæ , & apprehendent te : si tamen præcepta ejus audieris.

3 Benedictus tu in civitate , & benedictus in agro.

4 Benedictus fructus ventris tui,& fructus terræ tuæ,fructúsque jumentorum tuorum,greges armentorum tuorum, & caulæ ovium tuarum.

5 Benedicta horrea tua , & benedictæ reliquiæ
B tuæ.

6 Benedictus eris tu ingrediens & egrediens.

7 Dabit Dominus inimicos tuos , qui consurgunt adversum te , corruentes in conspectu tuo: per unam viam venient contra te , & per septem fugient à facie tua.

8 Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua , & super omnia opera manuum tuarum: benedicétque tibi in terra, quam acceperis:

9 Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum,sicut juravit tibi:si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaveris in viis ejus.

10 Videbúntque omnes terrarum populi quòd nomen Domini invocatum sit super te, & timebunt te.

11 Abundare te faciet Dominus omnibus bonis,fructu uteri tui,& fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ , quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret tibi.

12 Aperiet Dominus thesaurum suum optimum,cælum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo:benedicétque cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies.

13 Constituet te Dominus in caput , & non in caudam : & eris semper suprà, & non subter:si tamen audieris mandata Domini Dei tui quæ ego præcipio tibi hodie, & custodieris & feceris,

14 Ac non declinaveris ab eis , nec ad dexteram,nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos.

15 * Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui , ut custodias , & facias omnia mandata ejus, & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ,& apprehendent te. *Levi. 26.b.14. Thren.2. f. 17. Baruc.1. d.20. Malach. 2. a. 2.

16 Maledictus eris in civitate , maledictus in agro.

17 Maledictum horreum tuum , & maledictæ reliquiæ tuæ.

18 Maledictus fructus ventris tui , & fructus terræ tuæ,armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum.

19 Maledictus eris ingrediens , & maledictus egrediens.

20 Mittet Dominus super te famem & esuriem , & increpationem in omnia opera tua , quæ tu facies : donec conterat te , & perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas in quibus reliquisti me. C

21 Adjungat tibi Dominus pestilentiam,donec consumat te de terra , ad quam ingredieris possidendam.

22 Percutiat te Dominus egestate, febri & frigore, ardore & æstu,& aëre corrupto,ac rubigine, & persequatur donec pereas.

23 Sit cælum,quod supra te est,æneum:& terra, quam calcas, ferrea.

24 Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, & de cælo descendat super te cinis, donec conteraris.

25 Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos.per unam viam egrediaris contra eos , & per septẽ fugias, & dispergaris per omnia regna terræ.

26 Sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cæli, & bestiis terræ, & non sit qui abigat.

27 Percutiatte Dominus ulcere Ægypti,& partem corporis,per quam stercora egeruntur, scabie quoque & prurigine : ita ut curari nequeas.

28 Percutiat te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis,

29 Et palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris,& non dirigas vias tuas. Omníque tempore calumniam sustineas , & opprimaris violentia,nec habeas qui liberet te.

30 Uxorem accipias , & alius dormiat cum ea. Domum ædifices,& non habites in ea. Plantes vineam, & non vindemies eam.

31 Bos tuus immoletur coram te , & non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, & non reddatur tibi. Oves tuæ dentur inimicis tuis, & non sit qui te adjuvet.

32 Filij tui & filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis,& deficientibus ad conspectum eorum tota die, & non sit fortitudo in manu tua.

33 Fructus terræ tuæ,& onnes labores tuos,comedat populus quem ignoras:& sis semper calumniam sustinens , & oppressus cunctis diebus,

34 Et stupens ad terrorem eorum quæ videbunt oculi tui.

35 Per

Universidad de Deusto
Biblioteca

35 Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus & in suris, sanarique non possis à planta pedis usque ad verticem tuum.

36 Ducet te Dominus & regem tuum, quem constituëris super te, in gentem, quam ignoras tu & patres tui: & servies ibi diis alienis, ligno & lapidi.

37 Et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus.

Mic. 6. d. 15. Aggæi 1. b. 6. 38 * Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis: quia locustæ devorabunt omnia.

39 Vineam plantabis, & fodies: & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vastabitur vermibus.

40 Olivas habebis in omnibus terminis tuis, & non ungêris oleo: quia defluent, & peribunt.

41 Filios generabis & filias, & non fruêris eis: quoniam ducentur in captivitatem.

42 Omnes arbores tuas & fruges terræ tuæ rubigo consumet.

E

43 Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, erítque sublimior: tu autem descendes, & eris inferior.

44 Ipse fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei: Ipse erit in caput, & tu eris in caudam.

45 Et venient super te omnes maledictiones istæ, & persequentes apprehendent te, donec intereas: quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servasti mandata ejus & cæremonias, quas præcepit tibi.

46 Et erunt in te signa atque prodigia, & in semine tuo usque in sempiternum:

47 Eò quòd non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordísque lætitia, propter rerum omnium abundantiam:

48 Servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, & siti, & nuditate: & omni penuria, & ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat.

49 Adducet Dominus super te Gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu: cujus linguam intelligere non possis:

50 Gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli,

51 Et devoret fructum jumentorum tuorum, ac fruges Terræ tuæ: donec intereas, & non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum, & greges ovium: donec te disperdat,

52 Et conterat in cunctis urbibus tuis, & destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni Terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni Terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus:

F

Thren. 4. b. 10. Baruc. 2. a. 3. 53 *Et comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia & vastitate qua opprimet te hostis tuus.

54 Homo delicatus in te, & luxuriosus valdè, invidebit fratri suo, & uxori, quæ cubat in sinu suo,

55 Ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet: eò quòd nihil aliud habeat in obsidione & penuria, qua vastaverint te inimici tui intra omnes portas tuas.

56 Tenera mulier & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem & teneritudinem nimiam, invidebit viro suo, qui cubat in sinu ejus, super filij & filiæ carnibus,

57 Et illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio seminum ejus, & super liberis qui eadem hora nati sunt. comedent enim eos clàm propter rerum omnium penuriam in obsidione & vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas.

58 Nisi custodieris & feceris omnia verba legis hujus, quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueris nomen ejus glorioſum & terribile, hoc est Dominum Deum tuum:

59 Augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas & perseverantes, infirmitates pessimas & perpetuas.

60 Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, & adhærebunt tibi:

G

61 Insuper & universos languores, & plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat:

62 Et remanebitis pauci numero, qui priùs eratis sicut astra cæli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui.

63 Et sicut antè lætatus est Dominus super vos, bené vobis faciens, vósque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de Terra, ad quam ingredieris possidendam.

64 Disperget te Dominus in omnes populos, à summitate terræ usque ad terminos ejus: & servies ibi diis alienis, quos & tu ignoras & patres tui, lignis & lapidibus.

65 In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore:

66 Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.

67 Manè dices: Quis mihi det vesperum? & vespere: Quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea, quæ tuis videbis oculis.

68 Reducet te Dominus classibus in Ægyptum, per viam de qua dixit tibi ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos & ancillas, & non erit qui emat.

CAPUT XXIX.

Fœdus & juramentum Israëlitarum cum Domino juxta Dei beneficia, & comminatio adversus fœdifragos.

1 HÆc sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moysi ut feriret cum filiis Israël in Terra Moab, præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Horeb.

A

2 Vocavítque Moyses omnem Israël, & dixit ad eos: * Vos vidistis universa, quæ fecit Dominus coram vobis in Terra Ægypti Pharaoni, & omnibus servis ejus, universæque terræ illius,

Exod. 19. a. 4.

3 Tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa portentáque ingentia,

4 Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem.

5 Addu

5 Adduxit vos quadraginta annis per desertum, non sunt attrita vesti mêta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.

6 Panem non comedistis, vinum & siceram non bibistis: ut scíretis quia ego sum Dominus Deus vester.

Sup. 3. n. 1. 7 * Et venistis ad hunc locum: egressúsque est Sehon rex Hesebon, & Og rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percussimus eos,

8 Et tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendâ Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasse.

B

9 Custodite ergo verba pacti hujus, & implete ea: ut intelligatis universa quæ facitis.

10 Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, principes vestri, & tribus ac majores natu, atque doctores, omnis populus Israël,

11 Liberi & uxores vestræ, & advena qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, & his qui comportant aquas.

12 Ut transeas in fœdere Domini Dei tui, & in jurejurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum:

13 Ut suscitet te sibi in populum, & ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi, & sicut juravit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Jacob.

14 Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, & hæc juramenta confirmo,

15 Sed cunctis præsentibus & absentibus.

16 Vos enim nostis quo modo habitaverimus

C

in Terra Ægypti, & quo modo transierimus per medium nationum, quas transeuntes,

17 Vidistis abominationes & sordes, id est, idola eorum, lignum & lapidem, argentum & aurum, quæ colebant.

18 Ne fortè sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie à Domino Deo nostro: ut vadat & serviat diis illarum Gentium: & sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.

19 Cúmque audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo, dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in pravitate cordis mei: & absumat ebria sitientem,

20 Et Dñs non ignoscat ei: sed tunc quàm maximè furor ejus fumet, & zelus contra hominem illum, & sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine: & deleat Dominus nomen ejus sub cælo,

21 Et consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israël, juxta maledictiones, quæ in libro legis hujus ac fœderis continentur.

22 Dicétque sequens generatio, & filij qui nascentur deinceps, & peregrini, qui de longè venerint, videntes plagas Terræ illius, & infirmitates, quibus eam affixerit Dominus,

D

23 Sulphure & salis ardore comburens, ita ut ultrà non seratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum * subversionis Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, quas subvertit Dominus in ira & furore suo.

Gen. 19. a. 24.

3. Reg. 9. b. 8. Jer. 22. c. 8. 24 Et dicent omnes Gentes: * Quare sic fecit Dominus Terræ huic? quæ est hæc ira furoris ejus immensa?

25 Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de Terra Ægypti:

26 Et servierunt diis alienis, & adoraverunt eos, quos nesciebant, & quibus non fuerant attributi:

27 Idcircò iratus est furor Domini contra Terram istam, ut induceret super eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine scripta sunt:

28 Et ejecit eos de terra sua in ira & in furore, & in indignatione maxima, projecítque in terram alienam, sicut hodie comprobatur.

29 Abscondita, Domino Deo nostro: quæ manifesta sunt, nobis & filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus.

CAPUT XXX.

Vera pœnitentia Deum placat: præceptum nobis datum, non longè à nobis separatur: proponitur bonum & malum: ut ultrò bonum eligentes, vivamus; & non pereamus, malo adhærentes.

1 CUm ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo: & ductus pœnitudine cordis tui in universis gentibus, in quas dispersérit te Dominus Deus tuus,

A

2 Et reversus fueris ad eum, & obedieris ejus imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, & in tota anima tua:

3 Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te antè dispersit.

4 Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus,

5 * Et assumet, atque introducet in Terram, quam possederunt patres tui, & obtinebis eam: & benedicens tibi, majoris numeri te esse faciet quàm fuerunt patres tui.

2. Mac. 1. f. 29.

B

6 Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui: ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere.

7 Omnes autem maledictiones has convertet super inimicos tuos, & eos qui oderunt te & persequuntur.

8 Tu autem revertêris, & audies vocem Domini Dei tui, faciésque universa mandata quæ ego præcipio tibi hodie:

9 Et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in sobole uteri tui, & in fructu jumentorum tuorum, in ubertate terræ tuæ, & in rerum omnium largitate. Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis:

C

10 Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris præcepta ejus & cæremonias, quæ in hac lege conscripta sunt: & revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.

11 Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum,

12 Nec in cælo situm, ut possis dicere: * Quis nostrûm valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus?

Rom. 10. b. 6.

13 Neque trans mare positum: ut causeris & dicas: Quis ex nobis poterit trâsfretare mare, & illud

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad nos usque deferre:ut possimus audire & facere
quod præceptum est?
14 Sed juxta te est sermo valdè, in ore tuo, & in
corde tuo, ut facias illum.
15 Considera quòd hodie proposuerim in con-
spectu tuo vitam & bonum, & è contrario mor-
tem & malum:
16 Ut diligas Dominum Deum tuum, & am-
D bules in viis ejus, & custodias mandata illius ac
ceremonias atque judicia: & vivas, atque multi-
plicet te, benedicátque tibi in Terra, ad quam in-
gredieris possidendam.
17 Si autem aversum fuerit cor tuum, & audire
nolueris, atque errore deceptus adoraveris deos
alienos, & servieris eis:
18 Prædico tibi hodie quòd pereas, & parvo
tempore morêris in Terra, ad quam, Jordane trans-
misso, ingredieris possidendam.
19 Testes invoco hodie cælum & terram, quòd
proposuerim vobis vitam & mortem, benedictio-
nem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu
vivas, & semen tuum:
20 Et diligas Dominum Deum tuum, atque
obedias voci ejus, & illi adhæreas (ipse est enim
vita tua, & longitudo dierum tuorum) ut habites in
Terra, pro qua juravit Dominus patribus tuis, Abra-
ham, Isaac, & Jacob, ut daret eam illis.

Caput XXXI.

Moyses Iosuë sibi sufficit in ducem, Deuteronomium scribi jubet, & in arca servari.

A 1 Abiit itaque Moyses, & locutus est omnia
verba hæc ad universum Israël,
2 Et dixit ad eos: Centum viginti annorum sum
hodie: non possum ultrà egredi, & ingredi, præser-
* Num. 27.c.13. Sup. 3.d. 27. tim cùm & Dominus dixerit mihi: * Non transi-
bis Jordanem istum.
3 Dominus ergo Deus tuus transibit ante te: ip-
se delebit omnes gentes has in conspectu tuo, &
possidebis eas: & Josue iste transibit ante te, sicut
locutus est Dominus.
* Num. 21.c.24. 4 Faciétque Dominus eis * sicut fecit Sehon &
Og regibus Amorrhæorum, & terræ eorum, dele-
bítque eos.
* Sup.7. n. 2. 5 Cùm ergo & hos tradiderit vobis, * similiter
facietis eis sicut præcepi vobis:
6 Viriliter agite, & confortamini: nolite timere,
nec paveatis ad conspectum eorum: quia Domi-
nus Deus tuus ipse est ductor tuus, & non dimit-
B tet, nec derelinquet te.
7 Vocavítque Moyses Josuë, & dixit ei coram
* Ios. 1. b. 9. omni Israël: * Confortare, & esto robustus: tu enim
introduces populum istum in Terram, quam datu-
rum se patribus eorum juravit Dominus, & tu eam
sorte divides.
8 Et Dominus qui ductor est vester, ipse erit te-
cum: non dimittet, nec derelinquet te: noli time-
re, nec paveas.
9 Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradi-
dit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant ar-
cam fœderis Domini, & cunctis senioribus Israël.
10 Præcepítque eis, dicens: Post septem annos,
C anno remissionis, in sollemnitate tabernaculorum,
11 Convenientibus cunctis ex Israël, ut appa-
reant in conspectu Domini Dei tui in loco quem
elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram
omni Israël, audientibus eis,
12 Et in unum omni populo congregato, tam
viris quàm mulieribus, parvulis & advenis, qui sunt
intra portas tuas: ut audientes discant, & timeant
Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleántque omnes sermones legis hujus.
13 Filij quoque eorum qui nunc ignorant; ut
audire possint, & timeant Dominum Deum suum
cunctis diebus quibus versantur in Terra, ad quam
vos, Jordane transmisso, pergitis obtinendam.
14 Et ait Dominus ad Moysen: Ecce propè sunt
dies mortis tuæ: voca Josuë: & state in tabernaculo
testimonij, ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moyses
& Josuë, & steterunt in tabernaculo testimonij:
15 Apparuítque Dominus ibi in columna nu-
bis, quæ stetit in introitu tabernaculi.
16 Dixítque Dominus ad Moysen: Ecce tu dor-
mies cum patribus tuis, & populus iste consur-
gens fornicabitur post deos alienos in Terra, ad
quam ingreditur ut habitet in ea: ibi derelinquet
me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum
eo.
17 Et irascetur furor meus contra eum in die
illo: & derelinquam eum, & abscondam faciem
meam ab eo, & erit in devorationem: invenient
eum omnia mala & afflictiones, ita ut dicat in illo
die: Verè quia non est Deus mecum, invenerunt
me hæc mala.
18 Ego autem abscondam, & celabo faciem E
meam in die illo, propter omnia mala quæ fecit,
quia secutus est deos alienos.
19 Nunc itaque scribite vobis canticum istud,
& docete filios Israël: ut memoriter teneant, & ore
decantent, & sit mihi carmen istud pro testimo-
nio inter filios Israël.
20 Introducam enim eum in Terram, pro qua ju-
ravi patribus ejus, lacte & melle manantem. Cúm-
que comederint, & saturati, crassíque fuerint, aver-
tentur ad deos alienos, & servient eis: detrahént-
que mihi, & irritum facient pactum meum. F
21 Postquam invenerint eum mala multa & af-
flictiones, respondebit ei canticum istud pro testi-
monio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis
sui. Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit
hodie, antequam introducam eum in Terram,
quam ei pollicitus sum.
22 Scripsit ergo Moyses canticum, & docuit fi-
lios Israël.
23 Præcepítque Dominus Josuë filio Nun, &
ait: Confortare, & esto robustus: tu enim intro-
duces filios Israël in Terram, quam pollicitus
sum, & ego ero tecum.
24 Postquam ergo scripsit Moyses verba legis
hujus in volumine, atque complevit:
25 Præcepit Levitis, qui portabant arcam fœde-
ris Domini, dicens:
26 Tollite librum istum, & ponite eum in late-
re arcæ fœderis Domini Dei vestri: ut sit ibi con-
tra te in testimonium. G
27 Ego enim scio contentionem tuam, & cer-
vicem tuam durissimam. Adhuc vivente me & in-
grediente vobiscum, semper contentiosè egistis
contra Dñm: quantò magis cùm mortuus fuero?

28 Con

28 Congregate ad me omnes majores natu per
tribus vestras, atque doctores, & loquar audienti-
bus eis sermones istos, & invocabo contra eos cæ-
lum & terram.
29 Novi enim quòd post mortem meam iniquè
agetis, & declinabitis citò de via, quam præcepi
vobis: & occurrent vobis mala in extremo tempo-
re, quando feceritis malum in conspectu Domini,
ut irritetis eum per opera manuum vestrarum.
30 Locutus est ergo Moyses, audiente univer-
so cœtu Israël, verba carminis hujus, & ad finem
usque complevit.

Caput XXXII.

Canticum Moysi quo Dei refert beneficia, populique ingratitudinem sæpius à Domino castigatam: jubetur Moyses montem Abarim adscendere, ut promissam terram contempletur.

A 1 Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba
oris mei.
2 Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut
ros eloquium meum, quasi imber super herbam, &
quasi stillæ super gramina.
3 Quia nomen Domini invocabo: date magni-
ficentiam Deo nostro.
4 Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus
judicia: Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, ju-
stus & rectus.
5 Peccaverunt ei, & non filij ejus in sordibus:
generatio prava atque perversa:
6 Hæccine reddis Domino populе stulte & in-
sipiens: numquid non ipse est pater tuus, qui posse-
dit te, & fecit, & creavit te?
*Iob.8.b. 8. 7 * Memento dierum antiquorum, cogita gene-
rationes singulas: interroga patrem tuum, & an-
nuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.
8 Quando dividebat altissimus gentes: quando
B separabat filios Adam, constituit terminos populo-
rum juxta numerum filiorum Israël.
9 Pars autem Domini, populus ejus: Jacob fu-
niculus hereditatis ejus.
10 Invenit eum in terra deserta, in loco horro-
ris, & vastæ solitudinis: circumduxit eum, & do-
cuit: & custodivit quasi pupillam oculi sui.
11 Sicut aquila provocans ad volandum pullos
suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & as-
sumpsit eum, atque portavit in humeris suis.
12 Dominus solus dux ejus fuit: & non erat
cum eo Deus alienus.
13 Constituit eum super excelsam terram: ut
comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de pe-
tra, oleúmque de saxo durissimo.
C 14 Butyrum de armento, & lac de ovibus cum
adipe agnorum, & arietum filiorum Basan: & hir-
cos cum medulla tritici, & sanguinem uvæ bibe-
ret meracissimum.
15 Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: in-
crassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum
factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.
16 Provocaverunt eum in diis alienis, & in abo-
minationibus ad iracundiam concitaverunt.
17 Immolaverunt dæmoniis, & non Deo, diis
quos ignorabant: novi recentésque venerunt, quos
non coluerunt patres eorum.
18 Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus
es Domini creatoris tui.
19 Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus
est: quia provocaverunt eum filij sui & filiæ.
20 Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, &
considerabo novissima eorum: generatio enim per-
versa est, & infideles filij.
21 Ipsi me provocaverunt in eo qui non *Ierem. 15.c.14. Rom.10. d.19. erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis: &
* ego provocabo eos in eo qui non est populus, &
in gente stulta irritabo illos. D
22 Ignis succensus est in furore meo, & arde-
bit usque ad inferni novissima: devorabítque ter-
ram cum germine suo, & montium fundamenta
comburet.
23 Congregabo super eos mala, & sagittas meas
complebo in eis.
24 Consumentur fame, & devorabunt eos
aves morsu amarissimo: dentes bestiarum immit-
tam in eos, cum furore trahentium super terram,
atque serpentium.
25 Foris vastabit eos gladius, & intus pavor, ju-
venem simul ac virginem, lactentem cum homi-
ne sene.
26 Dixi: Ubinam sunt? cessare faciam ex ho-
minibus memoriam eorum.
27 Sed propter iram inimicorum distuli: ne for-
tè superbirent hostes eorum, & dicerent: Manus
nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.
28 Gens absque consilio est, & sine prudentia.
29 * Utinam saperent, & intelligerent, ac novis- *Ierem. 9.d.12. sima providerent. E
30 Quo modo persequatur unus mille, & duo
fugent decem millia? nónne ideò, quia Deus suus
vendidit eos, & Dominus conclusit illos?
31 Non enim est Deus noster ut dij eorum: &
inimici nostri sunt judices.
32 De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de
suburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis, &
botri amarissimi.
33 Fel draconum vinum eorum, & venenum
aspidum insanabile.
34 Nónne hæc condita sunt apud me, & signa-
ta in thesauris meis? *Ecc.28. n.1. Rom.12. d.19. Hebr.10. f.30.
35 * Mea est ultio, & ego retribuam in tem-
pore, ut labatur pes eorum: juxtà est dies perdi-
tionis, & adesse festinant tempora.
36 Judicabit Dominus populum suum, & * in *2.Mac. 7.b,6. servis suis miserebitur: videbit quòd infirmata sit
manus, & clausi quoque defecerunt, resíduique
consumpti sunt. *Ierem. 2.f.28.
37 Et dicet: * Ubi sunt dij eorum, in quibus
habebant fiduciam? F
38 De quorum victimis comedebant adipes, &
bibebant vinum libaminum: surgant, & opitulen-
tur vobis, & in necessitate vos protegant.
39 Videte quòd ego sim solus, & non sit alius *1.Reg. 2.a.6. Tob.13.a. 2.Sup. 16.b.13. Deus præter me: * ego occidam, & ego vivere fa-
ciam: percutiam, & ego sanabo, * & non est qui de
manu mea possit eruere. *Iob.10. b.7.Sup. 16.c.15.
40 Levabo ad cælum manum meam, & dicam:
Vivo ego in æternum.
41 Si acuero ut fulgur gladium meum, & ar-
ripuerit judicium manus mea: reddam ultionem
hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

42 Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum, & de captivitate, nudati inimicorum capitis.

*2.Mac. 7.b.6. 43 * Laudate gentes, populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.

44 Venit ergo Moyses, & locutus est omnia verba F cãtici hujus in auribus populi, ipse & Josue filius Nũ.

45 Complevitque omnes sermones istos, loquens ad universum Israël.

46 Et dixit ad eos: Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie: ut mandetis ea filiis vestris custodire & facere, & implere universa quæ scripta sunt legis hujus:

47 Quia non incassum præcepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent: quæ facientes longo perseveretis tempore in Terra, ad quam, Jordane transmisso, ingredimini possidendam.

48 Locutúsque est Dominus ad Moysen in eadem die, dicens:

49 Ascende in montem istum Abarim, id est, transituum, in mõtem Nebo, qui est in Terra Moab cõtra Jericho: & vide Terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israël obtinendam, & morere in monte.

*Nu.20. d.26.27. e.13. 50 Quem conscendens jungêris populis tuis, * sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appositus populis suis:

*Nu.20. b 12.27. c.14. 51 *Quia prævaricati estis cõtra me, in medio filiorum Israël, ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin: & non sanctificastis me inter filios Israël.

52 E contrà videbis terram, & non ingrediêris in eam, quam ego dabo filiis Israël.

Caput XXXIII.

Benedicit Moyses morituru duodecim tribubus Israël.

A 1 Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israël ante mortem suam.

2 Et ait: Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex.

*Sup.3.a 15.a.5. 3 Dilexit populos, * omnes sancti in manu illius sunt: & qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.

4 Legem præcepit nobis Moyses, hereditatem multitudinis Jacob.

5 Erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israël.

6 Vivat Ruben, & non moriatur, & sit parvus in numero.

B 7 Hæc est Judæ benedictio: Audi Domine vocem Judæ, & ad populum suum introduc eum: manus ejus pugnabunt pro eo, & adjutor illius contra adversarios ejus erit.

8 Levi quoque ait: Perfectio tua, & doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, & judicasti ad Aquas contradictionis.

9 Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierũt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt,

10 Judicia tua ô Jacob, & legem tuam ô Israël: ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum.

11 Benedic Domine fortitudini ejus, & opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum ejus, & qui oderunt eum, non consurgant.

12 Et Benjamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.

13 Joseph quoque ait: De benedictione Domini Terra ejus, de pomis cæli, & rore, atque abysso subjacente. C

14 De pomis fructuum solis ac lunæ.

15 De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum:

16 Et de frugibus terræ, & de plenitudine ejus. Benedictio illius *qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, & super verticem nazaræi inter fratres suos. *Exod.3 a.2.

17 Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit Gentes usque ad terminos terræ. hæ sunt multitudines Ephraim: & hæc millia Manassẽ: A

18 Et Zabulon ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis.

19 Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas justitiæ. Qui inundationẽ maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.

20 Et Gad ait: Benedictus in latitudine Gad: quasi leo requievit, cepítque brachium & verticem.

21 Et vidit principatum suum, quòd in parte sua doctor esset repositus: qui fuit cum principibus populi, & fecit justitias Domini, & judicium suum cum Israël.

22 Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan. D

23 Et Nepthali dixit: Nepthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: mare & meridiem possidebit.

24 Aser quoque ait: Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum.

25 Ferrum & æs calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita & senectus tua.

26 Non est Deus alius ut Deus rectissimi, ascensor cæli auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes,

27 Habitaculum ejus sursum, & subter brachia sempiterna: ejiciet à facie tua inimicum, dicétque: Conterere.

28 Habitabit Israël confidenter, & solus. Oculus Jacob in terra frumenti & vini, cælique caligabunt rore.

29 Beatus es tu Israël: quis similis tui populo, qui salvaris in Domino: scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.

Caput XXXIV.

Contemplata Terra moritur Moyses, & occultè à Deo sepultus fletur à populo, illique Josue substituitur: commendatur propheta Moyses à Dei familiaritate, & factis per ipsum signis.

1 Ascendit * ergo Moyses de campestribus A Moab super montem Nebo, in verticem Phasga contra Jericho: ostenditque ei Dominus omnem Terram Galaad usque Dan. *Sup.3. d.17. 2.Mac.2. a.4.

2 Et

2 Et universum Nephthali, terrámque Ephraim & Manasse, & omnem terram Juda usque ad mare novissimum,

3 Et austrálem partem, & latitudinem campi Jericho civitatis palmarum usque Segor.

*Gen.12. b.7.15. d.18. 4 Dixítque Dominus ad eum: * Hæc est Terra, B pro qua juravi Abraham, Isaac, & Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam.

5 Mortuúsque est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino:

6 Et sepelivit eum in valle Terræ Moab contra Phogor: & non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem.

7 Moyses centum & viginti annorum erat quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.

8 Fleverúntque eum filij Israël in campestribus Moab triginta diebus: & completi sunt dies C planctus lugentium Moysen.

9 Josue verò filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filij Israël, fecerúntque sicut præcepit Dominus Moysi.

10 Et non surrexit ultrà propheta in Israël sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem,

11 In omnibus signis, atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in Terra Ægypti Pharaoni, D & omnibus servis ejus, universæque terræ illius,

12 Et cunctam manum robustam, magnáque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israël.

LIBER JOSUE, HEBRAICE JEHOSUA.

Caput Primum.

Confortatus Iosue à Domino, monet populum ut se ad Iordanis transitum præparent; tribus autem Ruben, Gad, & dimidiam Manasse, ut fratres ad promissam Terram deducant.

A 1 Et factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun ministrum Moysi, & diceret ei:

2 Moyses servus meus mortuus est: surge, & transi Jordanem istum, tu, & omnis populus tecum, in Terram, quam ego dabo filiis Israël.

*Deut. 11.c.24. 3 * Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi.

4 A deserto & Libano usque ad fluvium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester.

5 Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus *Inf. 3. b.7. Heb. 13. a.5. vitæ tuæ: * sicut fui cum Moyse, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te.

*Deut. 31.b.7. f.23. 3.Reg.2. a.2. 6 * Confortare, & esto robustus: tu enim sorte B divides populo huic Terram, pro qua juravi patribus suis, ut traderem eam illis.

7 Confortare igitur, & esto robustus valdè: ut custodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus: ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis.

8 Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.

9 Ecce præcipio tibi, confortare, & esto robustus. Noli metuere, & noli timere: quoniam tecum C est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.

10 Præcepítque Josue principibus populi, dicens: transite per medium castrorum, & imperate populo, ac dicite.

11 Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, & intrabitis ad possidendam Terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.

12 Rubenitis quoque & Gaditis & dimidiæ tribui Manasse ait:

13 Mementote sermonis, quem præcepit vobis Moyses famulus Domini, dicens: Dominus Deus vester dedit vobis requiem, & omnem terram.

14 * Uxores vestræ, & filij, ac jumenta manebunt in Terra, quam tradidit vobis Moyses trans Jordanem: vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis, *Nu.32. d.20.

15 Donec det Dominus requiem fratribus vestris sicut & vobis dedit, & possideant ipsi quoque Terram, quam Dominus Deus vester daturus est D eis: & sic revertemini in Terram possessionis vestræ, & habitabitis in ea, quam vobis dedit Moyses famulus Dñi trans Jordanem cõtra solis ortum.

16 Respondérúntque ad Josue, atque dixerunt: Omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus: & quocumque miseris, ibimus.

17 Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi: tantùm sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse.

18 Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur. tu tantùm confortare, & viriliter age.

Caput II.

Missi exploratores in urbem Iericho, à Rahab meretrice promissa illi misericordia, à morte liberantur.

1 Misit igitur Josue filius Nun de Setim duos A viros exploratores in abscondito: & dixit eis: Ite, & considerate Terram, urbémque Jericho. * Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, & quieverunt apud eam. *Heb.11. f.31. Iac.2.d. 25.

2 Nuntiatúmque est regi Jericho, & dictum: Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israël, ut explorarent Terram,

3 Misítque rex Jericho ad Rahab, dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, & ingressi sunt domum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuam:exploratores quippe sunt,& omnem Terram considerare venerunt.

*Inf.6.e. 17. 4 * Tollénsque mulier viros,abscondit, & ait : Fateor,venerunt ad me,sed nesciebam unde essent:

5 Cúmque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt,nescio quò abierunt:persequimini citò, & comprehendetis eos.

6 Ipsa autem fecit ascendere viros in solariũ domus suæ, operuítque eos stipula lini,quæ ibi erat.

B 7 Hi autem qui missi fuerant, secuti sunt eos per viam quæ ducit ad vadum Jordanis : illísque egressis statim porta clausa est.

8 Necdum obdormierant qui latebant, & ecce mulier ascendit ad eos,& ait:

9 Noviquòd Dominus tradiderit vobis Terram: etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores Terræ.

* Exod. 14.e.21. 10 Audivimus quòd*siccaverit Dominus aquas Maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto: * & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus,qui erant trans Jordanem,Sehon & Og,quos interfecistis.

*Nu.21. e.24. 11 Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum:Dominus enim Deus vester,ipse est Deus in cælo sursum,& in terra deorsum.

*Inf.6.d. 22. 12 *Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo patris mei : detísque mihi verum signum,

C 13 Ut salvetis patrem meum & matrem,fratres ac sorores meas, & omnia quæ illorum sunt, & eruatis animas nostras à morte.

14 Qui respondérunt ei : Anima nostra sit pro vobis in mortem,si tamen non prodideris nos.cúmque tradiderit nobis Dominus terram,faciemus in te misericordiam & veritatem.

15 Demisit ergo eos per funem de fenestra : domus enim ejus hærebat muro,

16 Dixítq;ad eos:Ad montana conscendite,ne fortè occurrant vobis revertentes:ibíque latitate tribus diebus, donec redeant, & sic ibitis per viã vestram.

17 Qui dixerunt ad eam:Innoxij erimus à juramento hoc,quo adjurasti nos:

18 Si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus,& ligaveris eum in fenestra, per quam demisisti nos:& patrem tuum ac matrem,fratrésque & omnem cognationem tuam,

D congregaveris in domum tuam.

19 Qui ostium domus tuæ egressus fuerit,sanguis ipsius erit in caput ejus,& nos erimus alieni.Cunctorum autem sãguis qui tecum in domo fuerint,redundabit in caput nostrum,si eos aliquis tetigerit.

20 Quòd si nos prodere volueris, & sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento,quo adjurasti nos.

21 Et illa respondit:Sicut locuti estis,ita fiat. dimitténsque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra.

22 Illi verò ambulantes pervenerunt ad montana,& manserunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant persecuti:quærentes enim per omnem viam,non repererunt eos.

23 Quibus urbem ingressis, reversi sunt,& descenderunt exploratores de monte : & transmisso Jordane, venerunt ad Josuë filium Nun, narravertúntque ei omnia quæ acciderant sibi,

24 Atque dixerunt:Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, & timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus.

Caput III.

Siccatum Dei miraculo Jordanem populus transit.

A 1 IGitur Josue de nocte consurgens movit castra: egredientésq;de Setim,venerunt ad Jordanem ipse & omnes filij Israël,& morati sunt ibi tres dies.

2 Quibus evolutis transierunt præcones per castrorum medium,

3 Et clamare cœperunt:Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, & sacerdotes stirpis Leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite,& sequimini præcedentes:

4 Sítque inter vos & arcam spatium cubitorum duûm milliũ:ut procul videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini:quia priùs non ambulastis per eam:& cavete ne appropinquetis ad arcam. B

5 Dixítque Josue ad populum : Sanctificamini : cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.

6 Et ait ad sacerdotes:Tollite arcam fœderis:& præcedite populum.Qui jussa complentes,tulerũt, & ambulaverunt ante eos.

7 Dixítque Dominus ad Josue:Hodie incipiam exaltare te coram omni Israël:ut sciant quòd * sicut cum Moyse fui,ita & tecum sim. *Sup.1.a. 5.

8 Tu autem præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis,& dic eis:Cùm ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea.

9 Dixítque Josue ad filios Israël:Accedite huc, & audite verbum Domini Dei vestri.

10 Et rursum:In hoc, inquit, scietis quòd Dominus Deus vivens in medio vestri est,& dispérdet in conspectu vestro Chananæum & Hethæum, Hevæum & Pherezæum, Gergesæum quoque & Jebusæum,& Amorrhæum. C

11 *Ecce, arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem. *Act.7.f 45.

12 Parate duodecim viros de tribubus Israël,singulos per singulas tribus.

13 Et cùm posuerint vestigia pedum suorum,sacerdotes qui portant arcam Domini Dei universæ terræ,in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient:quæ autem desuper veniunt,in una mole consistent.

14 Igitur egressus est populus de tabernaculis suis:ut transiret Jordanem:& sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum.

15 Ingressísque eis Jordanem,& pedibus eorum in parte aquæ tinctis(Jordanis autem ripas alvei sui tempore * messis impleverat) D *Eccli. 24.c.36.

16 Steterunt aquæ descendentes in loco uno,& ad instar montis intumescentes apparebant procul, ab urbe quæ vocatur Adom usque ad locũ Sarthan: quæ autem inferiores erant, in Mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt usquequò omnino deficerent.

17 Populus autem incedebat cõtra Jericho: & sacerdotes,qui portabant arcam fœderis Dñi,stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti, omnísque populus per arentem alveum transibat.

Caput IV.

Duodecim lapides de Jordane siccato ad posterorum memoriam colliguntur, aliique duodecim in ipso Jordanis alveo statuuntur.

A 1 QUibus transgressis,dixit Dominus ad Josuë:

2 Elige duodecim viros singulos per singulas tribus:

3 Et præcipe eis, ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides,quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria.

4 Vocavítque Josuë duodecim viros, quos elegerat de filiis Israël, singulos de singulis tribubus,

5 Et ait ad eos:Ite ante arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium,& portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israël,

6 Ut sit signum inter vos:& quando interrogaverint vos filij vestri cras,dicentes:Quid sibi volunt isti lapides?

7 Respondebitis eis:Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini, cùm transiret eum : idcircò positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israël usque in æternum.

B 8 Fecerunt ergo filij Israël sicut præcepit eis Josuë, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperarat, juxta numerum filiorum Israël,usque ad locum in quo castrametati sunt,ibíque posuerunt eos.

9 Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes, qui portabant arcam fœderis : & sunt ibi usque in præsentem diem.

10 Sacerdotes autem,qui portabant arcam,stabãt in Jordanis medio,donec omnia complerentur,quæ Josuë, ut loqueretur ad populũ, præceperat Dñs, & dixerat ei Moyses.Festinavítque populus, & trãsiit.

11 Cúmque transissent omnes, transivit & arca

C Domini, sacerdotésque pergebant ante populum.

12 Filij quoque Ruben,& Gad, & dimidia tri-

* Num. 32.f.28. bus Manasse,armati præcedebant filios Israël, * sicut eis præceperat Moyses.

13 Et quadraginta pugnatorum millia per turmas, & cuneos, incedebant per plana atque campestria urbis Jericho.

14 In die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israël, ut timerent eum,sicut timuerant Moysen, dum adviveret.

15 Dixítque ad eum :

16 Præcipe sacerdotibus,qui portant arcam fœderis, ut ascendant de Jordane.

17 Qui præcepit eis,dicẽs:Ascendite de Jordane.

18 Cúmque ascendissent portantes arcam fœ-

D deris Domini, & siccam humum calcare cœpissent, reversæ sunt aquæ in alveum suum, & fluebant sicut antè consueverant.

19 Populus autem adscendit de Jordane, decimo die mensis primi, & castrametati sunt in Galgalis contra Orientalem plagam urbis Jericho.

20 Duodecim quoque lapides, quos de Jordanis alveo sumpserant,posuit Josuë in Galgalis.

21 Et dixit ad filios Israël: Quando interrogaverint filij vestri cras patres suos, & dixerint eis: Quid sibi volunt lapides isti?

22 Docebitis eos,atque dicetis:Per arentem alveum transivit Israël Jordanem istum,

23 Siccante Domino Deo vestro, aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis :

24 * Sicut fecerat priùs in mari rubro,quod siccavit donec transiremus: * Exod 14.e.21

25 Ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, ut & vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore.

Caput V.

Terrentur Chananæi;circumcisio fit in Galgalis, & Phasé celebratur. deficit manna ubi de fructibus terræ edunt, & Angelus Domini Josuë apparet.

A 1 POstquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jordanem ad Occidentalem plagam, & cuncti reges Chanaan,qui propinqua possidebant magni maris loca,quòd siccasset Dominus fluenta Jordanis coram filiis Israël donec transirent,dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus, timentium introitum filiorum Israël.

2 Eo tempore ait Dominus ad Josuë : Fac tibi cultros lapideos,& circũcide secundò filios Israël.

3 Fecit quod jusserat Dominus, & circumcidit filios Israël in colle præputiorum.

4 Hæc autem causa est secundæ circumcisionis: Omnis populus, qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui B sunt in deserto per longissimos viæ circuitus,

5 Qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto,

6 Per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit:donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, & quibus antè juraverat ut non ostenderet eis Terram lacte & melle manantem.

7 Horum filij in locum successerunt patrum, & circumcisi sunt à Josuë:quia sicut nati fuerant, in C præputio erant,nec eos in via aliquis circũciderat.

8 Postquam autem omnes circumcisi sunt,manserunt in eodem castrorũ loco, donec sanarentur.

9 Dixítque Dominus ad Josuë:Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis.Vocatúmque est nomen loci illius Galgala,usque in præsentem diem.

10 Manserúntque filij Israël in Galgalis, & fecerunt Phase, quartadecima die mensis, ad vesperum, in campestribus Jericho :

11 Et comederunt de frugibus Terræ die altero,azymos panes,& polentam ejusdem anni. D

12 Defecítque manna postquam comederunt de frugibus Terræ, nec usi sunt ultrà cibo illo filij Israël,sed comederunt de frugibus præsentis anni Terræ Chanaan.

13 Cùm autem esset Josuë in agro urbis Jericho, levavit oculos,& vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexítque ad eum,& ait : Noster es,an adversariorum ?

14 Qui respondit : Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.

15 Cecidit Josue pronus in terram. Et adorans ait:Quid Dominus meus loquitur ad servum suũ?

16 * Solve,inquit,calceamentum tuum de pedi- * Exod. 3. b. 5. Act. 7. d. 33 bus tuis:locus enim, in quo stas,sanctus est.Fecítque Josue ut sibi fuerat imperatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput VI.

Post varios septem dierum circuitus, Iericho capta funditus deletur, servata Rahab cum suis; re ædificatori urbis maledicitur.

A 1 JEricho autem clausa erat atque munita, timore filiorum Israël, & nullus egredi audebat aut ingredi.

2 Dixítque Dominus ad Josuë: Ecce dedi in manu tua Jericho, & regem ejus, omnésque fortes viros.

3 Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus.

4 Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in jubileo, & præcedant arcam fœderis: septiésque circuibitis civitatem, & sacerdotes clangent buccinis.

5 Cúmque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent civitatis, ingredientúrque singuli per locum contra quem steterint.

6 Vocavit ergo Josuë filius Nun sacerdotes, & dixit ad eos: Tollite arcam fœderis, & septem alij sacerdotes tollant septem jubileorum buccinas, & incedant ante arcam Domini.

7 Ad populum quoque ait: Ite & circuite civitatem, armati, præcedentes arcam Domini.

B 8 Cúmque Josuë verba finisset, & septem sacerdotes septem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini,

9 Omnísque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam sequebatur, ac buccinis omnia concrepabant.

10 Præceperat autem Josuë populo, dicens: Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur: donec veniat dies in quo dicam vobis: Clamate, & vociferamini.

11 Circuivit ergo arca Domini civitatem semel per diem, & reversa in castra, mansit ibi.

12 Igitur Josuë de nocte consurgente, tulerunt sacerdotes arcam Domini,

13 Et septem ex eis septem buccinas, quarum in jubileo usus est: præcedebántque arcam Domini ambulantes atque clangentes: & armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum sequebatur arcam, & buccinis personabat.

14 Circuierúntque civitatem secundo die semel, & reversi súnt in castra. Sic fecerunt sex diebus.

C 15 Die autem septimo, diluculò consurgentes circuierunt urbem, sicut dispositum erat, septies.

16 Cúmque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Josuë ad omnem Israël: Vociferamini: tradidit enim vobis Dominus civitatem:

17 Sítque civitas hæc anathema: & omnia quæ in ea sunt, Domino. sola Rahab meretrix vivat, cum universis qui cum ea in domo sunt: * abscondit enim nuntios quos direximus. *Sup.2. a.4. Hebr.11. f.31.

18 Vos autem cavete, ne de his, quæ præcepta sunt, quippiam contingatis, & sitis prævaricationis rei, & omnia castra Israël sub peccato sint atque turbentur.

19 Quidquid autem auri & argenti fuerit, & vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris eius.

20 *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox fonitúsque increpuit, muri illicò corruerunt: & ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat:* ceperúntque civitatem. *Hebr.11. f.30. *2.Mac 12.c.15.

21 Et interfecerunt omnia quæ erant in ea, à viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque & oves & asinos in ore gladij percusserunt.

22 Duobus autem viris, qui* exploratores missi fuerant, dixit Josuë: Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam, & omnia quæ illius sunt, sicut illi juramento firmastis. * Sup.2. a.1.c.14. *Hebr.11. f.31.

23 * Ingressíque juvenes, eduxerunt Rahab, & parentes ejus, fratres quoque, & cunctam supellectilem ac cognationem illius, & extra castra Israël manere fecerunt. D

24 * Urbem autem, & omnia quæ erant in ea, succenderunt; absque auro & argento, & vasis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Dñi consecrarunt. *Jos.8. a.2.

25 Rahab verò meretricem, & domum patris ejus, & omnia quæ habebat, fecit Josuë vivere, & habitaverunt in medio Israël usque in præsentem diem, eò quòd absconderit nuntios, quos miserat ut explorarent Jericho. In tempore illo imprecatus est Josuë, dicens:

26 * Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat; & in novissimo liberorum ponat portas ejus. *3.Reg. 16.g.34.

27 Fuit ergo Dominus cum Josuë, & nomen ejus vulgatum est in omni terra.

Caput VII.

Explorata Hai cedit populus Israël hostibus propter furtum de anathemate Iericho; quapropter post Josuë lamentationem, missa sorte Achan lapidatur jussu Domini.

A 1 FIlij * autem Israël prævaricati sunt mandatum, & usurpaverunt de anathemate. * Nam Achan filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Juda, tulit aliquid de anathemate: iratúsque est Dominus contra filios Israël. *Inf.22. d.20. * 1.Par. 2.d.7.

2 Cúmque mitteret Josuë de Jericho viros contra Hai, quæ est juxta Bethaven, ad Orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis: Ascendite & explorate Terram. Qui præcepta complentes exploraverunt Hai.

3 Et reversi dixerunt ei: Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant, & deleant civitatem: quare omnis populus frustrà vexabitur contra hostes pauciſſimos?

4 Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui statim terga vertentes,

5 Percussi sunt à viris urbis Hai, & corruerunt ex eis triginta sex homines: persecutíque sunt eos adversarij de porta usque ad Sabarim, & cecíderunt per prona fugientes: pertimuítque cor populi, & instar aquæ liquefactum est.

6 Josuë verò scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quàm omnes seniores Israël: miserúntque pulverem super capita sua,

7 Et dixit Josuë: Heu Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manu Amorrhæi, & perderes? B

utinam ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem.

8 Mi Domine Deus quid dicam, videns Israëlem hostibus suis terga vertentem?

9 Audient Chananæi, & omnes habitatores Terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra: & quid facies magno nomini tuo?

10 Dixítque Dominus ad Josuë: Surge, cur jaces pronus in terra?

11 Peccavit Israël, & prævaricatus est pactum meum: tulerúntque de anathemate, & furati sunt atque mentiti, & abscónderunt inter vasa sua.

12 Nec poterit Israël stare ante hostes suos, eósque fugiet: quia pollutus est anathemate. non ero ultrà vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est.

*Levi. 20.a.7. Sup.3.b. 5.Num. 11.d.18. 1.Reg. 16.b.5.

13 Surge, sanctifica populum, & dic eis: * Sanctificamini in crastinum: hæc enim dicit Dominus Deus Israël: Anathema in medio tui est Israël: non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere.

C 14 Accedetísque manè singuli per tribus vestras: & quamcumque tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, & cognatio per domos, domúsque per viros.

15 Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua: quoniam prævaricatus est pactum Domini, & fecit nefas in Israël.

16 Surgens itaque Josuë manè, applicuit Israël per tribus suas, & inventa est tribus Juda.

17 Quæ cùm juxta familias suas esset oblata, invēta est familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi:

18 Cujus domum in singulos dividens viros, invenit Achan filium Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Juda.

19 Et ait Josuë ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.

20 Respondítque Achan Josuë, & dixit ei: Verè ego peccavi Domino Deo Israël, & sic & sic feci.

21 Vidi enim inter spolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos siclos argenti, regulámque auream quinquaginta siclorum: & concupíscens abstuli, & abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentúmque fossa humo operui.

22 Misit ergo Josuë ministros: qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abscondita in eodem loco, & argentum simul.

D 23 Auferentésque de tentorio tulerunt ea ad Josuë, & ad omnes filios Israël, projecerúntque ante Dominum.

24 Tollens itaque Josuë Achan filium Zare, argentúmque & pallium, & auream regulam, filios quoque & filias ejus, boves & asinos, & oves, ipsúmque tabernaculum, & cunctam supellectilem: (& omnis Israël cum eo) duxerunt eos ad Vallem Achor:

25 Ubi dixit Josuë: Quia turbasti nos, exturbet te Dñs in die hac. Lapidavítque eum omnis Israël, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt.

*2.Reg. 18.d.17. 26 Congregaverúntque super eum * acervum magnum lapidum, qui permanet usque in præsen-

tem diem. Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatúmque est nomen loci illius, Vallis Achor, usque hodie.

Caput VIII.

Expugnata Hai, rex ejus suspenditur, erecto altari lapideo; Deuteronomium super lapides scribitur, & populo benedicitur.

A 1 DIxit autem Dominus ad Josuë: ne timeas, neque formides: tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & consurgens ascende in oppidum Hai. ecce tradidi in manu tua regem ejus: & populum urbémque & terram.

2 Faciésque urbi Hai, & regi ejus, * sicut fecisti Jericho, & regi illius: prædam verò, & omnia animantia diripietis vobis: pone insidias urbi post eam. *Sup.6. d.24.

3 Surrexítque Josuë, & omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Hai: & electa triginta millia virorum fortium misit nocte,

4 Præcepítque eis, dicens: Ponite insidias post civitatem: nec longiùs recedatis: & eritis omnes parati.

B 5 Ego autem, & reliqua multitudo quæ mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cúmque exierint contra nos, * sicut antè fecimus, fugiemus, & terga vertemus: * Sup.7. a.4.

6 Donec persequentes ab urbe longiùs protrahantur: putabunt enim nos fugere sicut priùs.

7 Nobis ergo fugientibus, & illis persequentibus, consurgetis de insidiis, & vastabitis civitatem: tradétque eam Dominus Deus vester in manus vestras:

8 Cúmque ceperitis, succendite eam, & sic omnia facietis, ut jussi.

9 Dimisitque eos, & perrexerunt ad locum insidiarum, federúntque inter Bethel & Hai, ad Occidentalem plagam urbis Hai: Josuë autem nocte illa in medio mansit populi,

10 Surgénsque diluculò recensuit socios, & ascendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum.

C 11 Cúmque venissent & ascendissent ex adverso civitatis, steterunt ad Septemtrionalem urbis plagam, inter quam & eos erat vallis media.

12 Quinque autem millia viros elegerat, & posuerat in insidiis inter Bethel & Hai, ex occidentali parte ejusdem civitatis:

13 Omnis verò reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi illius multitudinis Occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Josuë nocte illa, & stetit in vallis medio.

14 Quod cùm vidisset rex Hai, festinavit manè, & egressus est cum omni exercitu civitatis, direxítque aciem contra desertum, ignorans quòd post tergum laterent insidiæ.

15 Josuë verò & omnis Israël cesserunt loco, simulantes metum, & fugientes per solitudinis viam.

16 At illi vociferantes pariter, & se mutuò cohortantes, persecuti sunt eos. Cúmque recessíssent à civitate,

D 17 Et ne unus quidem in urbe Hai & Bethel remansisset qui non persequeretur Israël (sicut eruperant aperta oppida relinquentes,)

Universidad de Deusto
Biblioteca

18 Dixit Dominus ad Josuë: Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam.

19 Cúmque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim: & pergentes ad civitatem, ceperunt, & succenderunt eam.

20 Viri autem civitatis, qui persequebantur Josuë, respicientes & videntes fumum urbis ad cælum usque conscendere, non potuerunt ultrà huc illúcque diffugere: præsertim cùm hi qui simulaverunt fugam, & tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissimè restitissent.

21 Vidénsque Josue & omnis Israël quòd capta esset civitas, & fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Hai.

22 Si quidem & illi qui ceperant & succenderant civitatem, egressi ex urbe contra suos, medios hostium ferire cœperunt. Cùm ergo ex utraque parte adversarij cæderentur, ita ut nullus de tanta multitudine salvaretur,

23 Regem quoque urbis Hai apprehenderunt viventem, & obtulerunt Josuë.

24 Igitur omnibus interfectis, qui Israëlem ad deserta tendentem fuerant persecuti, & in eodem loco gladio corruentibus reversi filij Israël percusserunt civitatem.

25 Erant autem qui in eodem die conciderant à viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Hai.

26 Josuë verò non contraxit manum quam in sublime porrexerat, tenens clypeum donec interficerentur omnes habitatores Hai.

27 Jumenta autem & prædam civitatis diviserunt sibi filij Israël, sicut præceperat Dñs Josue.

28 Qui succendit urbem, & fecit eam tumulum sempiternum:

29 Regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vesperam & solis occasum. Præcepítque Josuë, & deposuerunt cadaver ejus de cruce: projecerúntque in ipso introitu civitatis, congesto super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in præsentem diem.

30 Tunc ædificavit Josuë altare Domino Deo Israël in monte Hebal:

31 *Sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israël, & scriptum est in volumine legis Moysi: Altare verò de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit: & obtulit super eo holocausta Domino, immolavítque pacificas victimas.

32 Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israël.

33 Omnis autem populus, & majores natu, ducésque ac judices stabant ex utraque parte arcæ, in conspectu sacerdotum qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena ita & indigena. Media pars eorum juxta montem Garizim, & media juxta montem Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini. Et primùm quidem benedixit populo Israël:

34 Post hæc legit omnia verba benedictionis & maledictionis, & cuncta quæ scripta erant in legis volumine.

35 Nihil ex his quæ Moyses jusserat, reliquit intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine Israël, mulieribus ac parvulis & advenis, qui inter eos morabantur.

* Exod. 20.d. 25. Deut. 27.b.5.

Caput IX.

Gabaonitæ simulatione longi itineris imponentes Josuë & principibus Israëlitarum, medio juramento salvantur, insecuto tamen murmure, perpetuo famulitio adstringuntur.

1 QUibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis & campestribus, in maritimis ac littore magni maris, hi quoque qui habitabant juxta Libanum, Hethæus & Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, & Hevæus, & Jebuzæus,

2 Congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josuë & Israël uno animo, eadémque sententia.

3 At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Josue, Jericho & Hai:

4 Et callidè cogitantes, tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, & utres vinarios scissos atque consutos,

5 Calceamentáque perantiqua quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis: panes quoque quos portabant ob viaticum, duri erant, & in frusta comminuti:

6 Perrexerúntque ad Josuë, qui tunc morabatur in castris Galgalæ, & dixerunt ei, atque simul omni Israëli: De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes: Respondérúntque viri Israël ad eos, atque dixerunt:

7 Ne fortè in terra, quæ nobis sorte debetur: habitetis, & non possimus fœdus inire vobiscum.

8 At illi ad Josue: Servi, inquiunt, tui sumus. Quibus Josue ait: Quinam estis vos? & unde venistis?

9 Respondérunt: De terra longinqua valdè venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto,

10 *Et duobus regibus Amorrhæorum qui fuerunt trans Jordanem, Sehon regi Hesebon, & Og regi Basan qui erat in Astaroth:

11 Dixerúntque nobis seniores, & omnes habitatores Terræ nostræ: Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, & occurrite eis, & dicite: Servi vestri sumus, fœdus inite nobiscum.

12 En, panes quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc ficci facti sunt, & vetustate nimia comminuti.

13 Utres vini novos implevimus, nunc rupti sunt & soluti. vestes & calceamenta quibus induimur, & quæ habemus in pedibus ob longitudinem longioris viæ trita sunt & penè consumpta.

14 Susceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogaverunt.

15 *Fecítque Josue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est quòd non occiderentur: principes quoque multitudinis juraverunt eis.

16 Post dies autem tres initi fœderis, audierunt quòd in vicino habitarent, & inter eos futuri essent.

17 Moverúntque castra filij Israël, & venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula sunt, Gabaon, & Caphira, & Beroth, & Cariathiarim.

* Num. 21.c.24.

* 2. Reg. 21.a.2.

18 Et non percussérunt eos, eò quòd jurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israël. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes.

19 Qui respondérunt eis: Juravimus illis in nomine Domini Dei Israël, & idcircò non possumus eos contingere.

20 Sed hoc faciemus eis: Reserventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus:

21 Sed sic vivant, ut in usus universæ multitudinis ligna cædant, aquásque comportent. Quibus hæc loquentibus:

22 Vocavit Gabaonitas Josue, & dixit eis: Cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis: Procul valdè habitamus à vobis, cùm in medio nostri sitis?

23 Itaque sub maledictione eritis, & non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquásque comportans in domum Dei mei.

24 Qui respondérunt: Nuntiatum est nobis servis tuis, quòd promisisset Dominus Deus tuus Moysi servo suo ut traderet vobis omnem Terram, & disperderet cunctos habitatores eius. Timuimus igitur valdè, & providimus animabus nostris, vestro terrore compulsi, & hoc consilium inivimus.

25 Nunc autem in manu tua sumus: quod tibi bonum & rectum videtur, fac nobis.

26 Fecit ergo Josue ut dixerat, & liberavit eos de manu filiorum Israël, ut non occiderentur.

27 Decrevítque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes, usque in præsens tempus, in loco quem Dominus elegisset.

Caput X.

Quinque reges oppugnantes Gabaon, immoto sole unius diei spatio, vincuntur, & ex spelunca extracti suspenduntur, plurésque aliæ civitates capiuntur.

1 QUæ cùm audisset Adonisedec rex Jerusalem, quòd scilicet cepisset Josue Hai, & subvertisset eam (sicut enim fecerat Jericho & regi ejus, sic fecit Hai & regi illius) & quòd transfugissent Gabaonitæ ad Israël, & essent fœderati eorum,

2 Timuit valdè. Urbs enim magna erat Gabaon, & una civitatum regalium, & major oppido Hai, omnésque bellatores ejus fortissimi:

3 Misit ergo Adonisedec rex Jerusalem ad Oham regem Hebron, & ad Pharam regem Jerimoth, ad Japhia quoque regem Lachis, & ad Dabir regem Eglon, dicens:

4 Ad me adscendite, & ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Josue, & ad filios Israël.

5 Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum, rex Jerusalem, rex Hebron, rex Jerimoth, rex Lachis, rex Eglon simul cum exercitibus suis, & castrametati sunt circa Gabaon, oppugnantes eam.

6 Habitatores autem Gabaon urbis obsessæ miserunt ad Josue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, & dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum: ascende citò, & libera nos, férque præsidium: convenerunt enim adversum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis.

7 Ascendítque Josue de Galgalis, & omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortissimi.

8 Dixítque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi resistere poterit.

9 Irruit itaque Josue super eos repentè, tota nocte ascendens de Galgalis:

10 Et conturbavit eos Dominus à facie Israël: contrivítque plaga magna in Gabaon, ac persecutus est eos per viam ascensus Beth horon, & percussit usque Azeca & Maceda.

11 Cúmque fugerent filios Israël, & essent in descensu Beth horon, Dominus misit super eos lapides magnos de cælo usque ad Aseca: & mortui sunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percussérant filij Israël.

12 Tunc locutus est Josue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israël, dixítque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon.

13 Steterúntque* Sol & Luna donec ulciscerétur se gens de inimicis suis. Nónne scriptum est hoc in libro justorum? Stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei.

14 Non fuit anteà nec postèa tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israël.

15 Reversúsque est Josue cum omni Israël in castra Galgalæ.

16 Fugerant enim quinque reges, & se absconderant in spelunca urbis Maceda.

17 Nuntiatúmque est Josue, quòd inventi essent quinque reges latentes in spelunca urbis Maceda.

18 Qui præcepit sociis, & ait: Volvite saxa ingentia ad os speluncæ, & ponite viros industrios, qui clausos custodiant:

19 Vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, & extremos quosque fugientium cædite: nec dimittatis eos urbium suarum intrare præsidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras.

20 Cæsis ergo adversariis plaga magna, & usque ad internecionem pænè consumptis, hi qui Israël effugere potuerunt, ingressi sunt civitates munitas.

21 Reversúsque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani & integro numero: nullúsque contra filios Israël mutire ausus est.

22 Præcepítque Josue, dicens: Aperite os speluncæ, & producite ad me quinque reges, qui in ea latitant.

23 Fecerúntque ministri ut sibi fuerat imperatum: & eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, regem Jerusalem, regem Hebron, regem Jerimoth, regem Lachis, regem Eglon.

24 Cúmque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israël, & ait ad principes exercitus qui secum erant: Ite, & ponite pedes super colla regum istorum. Qui cùm perrexissent, & subjectorum colla pedibus calcarent,

25 Rursum ait ad eos: Nolite timere, nec paveatis, confortamini & estote robusti: sic enim faciet

* Ecli. 46.a.5. Isai. 28. f.21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eiet Dominus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis.

26 Percussítque Josue, & interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites: fuerúntque suspensi usque ad vesperum.

27 * Cúmque occumberet sol, præcepit sociis vt deponerent eos de patibulis. Qui depositos projecerunt in spelunca, in qua latuerant, & posuerunt super os ejus saxa ingentia, quæ permanent usque in præsens. * Deut. 21.23.

28 Eodem quoque die Macedam cepit Josue, & percussit eam in ore gladij, regémque illius interfecit, & omnes habitatores ejus: non dimisit in ea saltem parvas reliquias. Fecítque regi Maceda, sicut fecerat regi Jericho.

29 Transivit autem cum omni Israël de Maceda in Lebna, & pugnabat contra eam.

30 Quam tradidit Dominus cum rege suo in manus Israël: percusserúntque urbem in ore gladij, & omnes habitatores ejus, non dimiserunt in ea ullas reliquias. Fecerúntque regi Lebna, * sicut fecerant regi Jericho. * Sup. 6. a 2.

31 De Lebna transivit in Lachis cũ omni Israël: & exercitu per gyrum dispósito oppugnabat eam.

32 Tradidítque Dominus Lachis in manus Israël, & cepit eam die altero, atque percussit in ore gladij, omnémque animam, quæ fuerat in ea, sicut fecerat Lebna.

33 Eo tempore ascendit Horam rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis: quem percussit Josue cum omni populo eius usque ad internecionem.

34 Transivítque de Lachis in Eglon, & circumdedit.

35 Atque expugnavit eam eadem die: percussítque in ore gladij omnes animas quæ erant in ea, juxta omnia quæ fecerat Lachis.

36 Ascendit quoque cum omni Israël de Eglon in Hebron, & pugnavit contra eam.

37 Cepit eam, & percussit in ore gladij, regem quoque ejus, & omnia oppida regionis illius, universásque animas quæ in ea fuerant commoratæ: non reliquit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Eglon, sic fecit & Hebron, cuncta quæ in ea reperit consumens gladio.

38 Inde reversus in Dabir,

39 Cœpit eam atque vastavit: regem quoque ejus atque omnia per circuitum oppida percussit in ore gladij: non dimisit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Hebron & Lebna & regibus earum, sic fecit Dabir & regi illius.

40 Percussit itaque Josue omnem Terram montanam & meridianam atque campestrem, & Asedoth, cum regibus suis: non dimisit in ea ullas reliquias, sed omne quod spirare poterat interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israël.

41 A Cadesbarne usque Gazam. Omnem Terram Gosen usque Gabaon.

42 Universósque reges, & regiones eorum, uno impetu cepit atque vastavit: Dominus enim Deus Israël pugnavit pro eo.

43 Reversúsque est cum omni Israël ad locum castrorum in Galgala.

Caput XI.

Expugnat Iosue Iabin cum aliis pluribus regibus ac populis, omnia servans quæ Dominus Moysi præceperat.

1 QUæ cùm audisset Jabin rex Asor, misit ad Jobab regem Madon, & ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph: A

2 Ad reges quoque Aquilonis, qui habitabant in montanis & in planitie contra meridiem Ceneroth, in campestribus quoque & in regionibus Dor juxta mare:

3 Chananæum quoque ab Oriente & Occidente, & Amorrhæum atque Hethæum ac Pherezæum & Jebusæum in montanis: Hevæum quoque qui habitabat ad radices Hermon in Terra Maspha.

4 Egressíque sunt omnes cum turmis suis, populus multus nimis sicut arena quæ est in littore maris, equi quoque & currus immensæ multitudinis.

5 Convenerúntque omnes reges isti in unum ad Aquas Merom, ut pugnarent contra Israël. B

6 Dixítque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israël: equos eorum subnervabis, & currus igne combures.

7 Venítque Josue, & omnis exercitus cum eo, adversus illos ad Aquas Merom subitò, & irruerunt super eos.

8 Tradidítque illos Dominus in manus Israël. Qui percusserunt eos, & persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, & Aquas Maserephoth, campúmque Masphe, qui est ad Orientalem illius partem. Ita percussit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias:

9 Fecítque sicut præceperat ei Dominus, equos eorum subnervavit, currúsque combussit igni.

10 Reversúsque statim cepit Asor: & regem ejus percussit gladio. Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat.

11 Percussítque omnes animas, quæ ibidem morabantur: non dimisit in ea ullas reliquias, sed usque ad internecionem universa vastavit, ipsámque urbem peremit incendio.

12 Et omnes per circuitum civitates, regésque earum cepit, percussit atque delevit, * sicut præceperat ei Moyses famulus Domini. C * Deut. 7. a. 1.

13 Absque urbibus, quæ erant in collibus & in tumulis sitæ, ceteras succendit Israël: unam tantùm Asor munitissimam flamma consumpsit.

14 Omnémque prædam istarum urbium ac jumenta diviserunt sibi filij Israël, cunctis hominibus interfectis.

15 * Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Josue, & ille universa complevit: non prætériit de universis mandatis, nec unum quidem verbum quod jusserat Dominus Moysi. * Exod. 34. b. 11. Deut. 7. a. 1.

16 Cepit itaque Josue omnem Terram montanam, & meridianam, terrámque Gosen, & planitiem, & Occidentalem plagam, montémque Israël, & campestria ejus.

17 Et partem montis quæ ascendit Seir usque Baalgad, per planitiem Libani subter montem Hermõ: omnes reges eorum cepit, percussit, & occidit:

18 Multo

D 18 Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos.

19 Non fuit civitas quæ se traderet filiis Israël, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit.

20 Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israël & caderent, & non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.

21 In illo tempore venit Josue, & interfecit Enacim de montanis, Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Juda & Israël, urbésque eorum delevit.

22 Non reliquit ullum de stirpe Enacim, in Terra filiorum Israël: absque civitatibus Gaza, & Geth, & Azoto, in quibus solis relicti sunt.

23 Cepit ergo Josue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen, & tradidit eam in possessionem filiis Israël, secundùm partes & tribus suas, quievítque Terra à præliis.

Caput XII.

Numerantur reges 31. citra & ultra Iordanem, quos percusserant Moyses & Iosue.

A 1 HI sunt reges, quos percusserunt filij Israël, & possedérunt Terram eorum trans Jordanem ad solis ortum, à torrente Arnon usque ad montem Hermon, & omnem Orientalem plagam quæ respicit solitudinem.

2 Sehon rex Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon, dominatus est ab Aroër, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, & mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad, usque ad torrentem Jaboc, qui est terminus filiorum Ammon.

B 3 Et à solitudine usque ad mare Ceneroth contra Orientem, & usque ad Mare deserti, quod est mare salsíssimum, ad Orientalem plagam per viam quæ ducit Bethsimoth: & ab australi parte, quæ subjacet Asedoth, Phasga.

4 Terminus Og regis Basan, de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Astaroth, & in Edrai, & dominatus est in monte Hermon, & in Salecha, atque in universa Basan, usque ad terminos.

5 Gessuri, & Machati, & dimidiæ partis Galaad: terminos Sehon regis Hesebon.

C 6 Moyses famulus Domini, & filij Israël percusserunt eos, tradidítque Terram eorum Moyses in possessionem Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui manasse.

7 Hi sunt reges Terræ quos percussit Josue, & filij Israël, trans Jordanem ad Occidentalem plagam, à Baalgad in campo Libani, usque ad montem cujus pars ascendit in Seir: tradidítque eam Josue in possessionem tribubus Israël, singulis partes suas,

8 Tam in montanis quàm in planis atque campestribus. In Asedoth, & in solitudine, ac in meridie Hethæus fuit & Amorrhæus, Chananæus & Pherezæus, Hevæus & Jebusæus.

D 9 Rex Jericho unus: rex Hai, quæ est ex latere Bethel, unus:

10 Rex Jerusalem unus, rex Hebron unus.

11 Rex Jerimoth unus, rex Lachis unus.

12 Rex Eglon unus, rex Gazer unus.

13 Rex Dabir unus, rex Gader unus.

14 Rex Herma unus, rex Hered unus.

15 Rex Lebna unus, rex Odullam unus.

16 Rex Maceda unus, rex Bethel unus.

17 Rex Taphua unus, rex Opher unus.

18 Rex Aphec unus, rex Saron unus.

19 Rex Madon unus, rex Asor unus.

20 Rex Semeron unus, rex Achsaph unus.

21 Rex Thenac unus, rex Mageddo unus.

22 Rex Cades unus, rex Jachanan Carmeli unus;

23 Rex Dor, & provinciæ Dor unus, rex Gentium Galgal unus.

24 Rex Thersa unus: omnes reges triginta unus.

Caput XIII.

Iubet Dominus Iosue ut terram dividat, assignatis partibus Ruben, Gad & dimidiæ tribui Manasse trans Iordanem.

1 JOsue senex, provectæque ætatis erat, & dixit Dominus ad eum: Senuisti, & longævus es, terráque latissima derelicta est, quæ necdum sorte divisa est: A

2 Omnis videlicet Galilæa, Philisthiim, & universa Gessuri.

3 A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum, usque ad terminos Accaron contra Aquilonem: Terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philisthiim dividitur, Gazæos, & Azotios, Ascalonitas, Gethæos, & Accaronitas.

4 Ad meridiem verò sunt Hevæi, omnis Terra Chanaan, & Maara Sidoniorum: usque Apheca & terminos Amorrhæi.

5 Ejúsque confinia. Libani quoque regio contra Orientem, à Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath.

6 Omnium qui habitant in monte, à Libano usque ad Aquas Maserephoth, universíque Sidonij. Ego sum qui delebo eos à facie filiorum Israël. Veniat ergo in partem hereditatis Israël, sicut præcepi tibi.

7 Et nunc divide terram in possessionem novem tribubus, & dimidiæ tribui Manasse. B

8 Cum qua Ruben & Gad possederunt terram, * quam tradidit eis Moyses famulus Domini, trans fluenta Jordanis ad orientalem plagam. * Num. 32. f. 33.

9 Ab Aroër, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, & in vallis medio, universáque campestria Medaba, usque Dibon.

10 Et cunctas civitates Sehon, regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon, usque ad terminos filiorum Ammon.

11 Et Galaad, ac terminum Gessuri & Machati, & omnem montem Hermon, & universam Basan, usque ad Salecha.

12 Omne regnum Og in Basan, qui regnavit in Astaroth & Edrai, ipse fuit de reliquiis Raphaim: percussítque eos Moyses, atque delevit.

13 Noluerúntque dispérdere filij Israël Gessuri & Machati: & habitaverunt in medio Israël usque in presentem diem.

14 * Tribui autem Levi non dedit possessionem: sed sacrificia & victimæ Domini Dei Israël, ipsa est ejus hereditas, sicut locutus est illi. * Num. 18. 6. 20.

15 Dedit ergo Moyses possessionem tribui filiorum Ruben juxta cognationes suas.

16 Fuítque terminus eorum ab Aroër, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, & in valle ejusdem C

torren

Universidad de Deusto
Biblioteca

torrentis media : universam planitiem, quæ ducit Medaba.

17 Et Hesebon, cunctósque viculos earum, qui sunt in campestribus: Dibon quoque & Bamothbaal, & oppidum Baalmaon.

18 Et Jassa, & Cedimoth, & Mephaath.

19 Et Cariathaim, & Sabama, & Sarathasar in monte convallis.

20 Bethphogor & Asedoth, Phasga & Bethiesimoth.

21 Et omnes urbes campestres, universáque regna Sehon regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon, * quem percussit Moyses cum principibus Madian : Hevæum, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe duces Sehon habitatores Terræ. * Num. 31. b. 8.

22 Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filij Israël gladio cum ceteris interfectis.

23 Factúsque est terminus filiorum Ruben Jordanis fluvius. Hæc est possessio Rubenitarum per cognationes suas urbium & viculorum.

24 Dedítque Moyses tribui Gad & filiis ejus per cognationes suas possessionẽ, cujus hæc divisio est.

D 25 Terminus Jaser, & omnes civitates Galaad, & dimidiam partem terræ filiorum Ammon, usque ad Aroër, quæ est contra Rabba.

26 Et ab Hesebon usque Ramoth, Masphe & Betonim: & à Manaim usque ad terminos Dabir.

27 In valle quoque Betharan, & Bethnemra, & Socoth, & Saphon reliquam partem regni Sehon regis Hesebon : hujus quoque finis Jordanis est, usque ad extremam partem maris Cenereth trans Jordanem ad orientalem plagam.

28 Hæc est possessio filiorum Gad per familias suas, civitates & villæ earum.

29 Dedit & dimidiæ tribui Manasse, filiísque ejus juxta cognationes suas possessionem.

30 Cujus hoc principium est : à Manaim universam Basan, & cuncta regna Og regis Basan, omnésque vicos Jair, qui sunt in Basan, sexaginta oppida.

31 Et dimidiam partem Galaad, & Astaroth, & Edrai, urbes regni Og in Basan : filiis Machir, filij Manasse, dimidiæ parti filiorum Machir juxta cognationes suas.

32 Hanc possessionem divisit Moyses in campestribus Moab trans Jordanem contra Jericho ad Orientalem plagam.

33 * Tribui autem Levi non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israël ipse est possessio eius, ut locutus est illi. * Num. 18. c. 20.

CAPUT XIV.

Caleb accipit Hebron in hereditatem sibi promissam, eò quòd aliis exploratoribus detrahentibus Terræ promissæ, ipse secutus sit Dominum.

A 1 HOc est quod possederunt filij Israël in Terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos & Josue filius Nun, & principes familiarum per tribus Israël. * Num. 34. c. 13.

2 Sorte omnia dividentes, * sicut præceperat Dominus in manu Moysi, novem tribubus, & dimidiæ tribui.

3 Duabus enim tribubus, & dimidiæ dederat Moyses trans Jordanem possessionem : absque Levitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres suos:

4 Sed in eorum successerunt locum filij Joseph B in duas divisi tribus, Manasse & Ephraim : nec acceperunt Levitæ aliam in Terra partem, nisi urbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda jumenta & pecora sua.

5 Sicut præceperat Dominus Moysi, ita fecerunt filij Israël, & divisérunt Terram.

6 Accessérunt itaque filij Juda ad Josue in Galgala, locutúsque est ad eum Caleb filius Jephone Cenezæus : * Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me & te in Cadesbarne. * Num. 14. d. 24.

7 Quadraginta annorum eram quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem Terram, nuntiavítque ei quod mihi verum videbatur. C

8 Fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi : & nihilominùs ego secutus sum Dominum Deum meum.

9 Juravítque Moyses in die illo, dicens : Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum : quia secutus es Dominum Deum meum.

10 Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est usque in præsentem diem. Quadraginta & quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israël per solitudinem : hodie octoginta quinque annorum sum.

11 Sic valens, ut eo valebam tempore quando D ad explorandum missus sum: * illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum quàm ad gradiendum. * Eccl. 46. b. 11.

12 Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt & urbes magnæ atque munitæ : si fortè sit Dominus mecum, & potuero delere eos, sicut promisit mihi.

13 Benedixítque ei Josue : & tradidit ei Hebron in possessionem.

14 Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephone Cenezæo usque in præsentem diem : quia secutus est Dominum Deum Israël.

15 Nomen Hebron antè vocabatur Cariath Arbe : Adam maximus ibi inter Enacim situs est : & Terra cessávit à præliis.

CAPUT XV.

Sors tribus Judæ, civitates & villæ earum : Othoniel accipit Axam filiam Caleb, eò quòd obtinuerit Cariath Sepher, additúrque ei terra irrigua.

1 IGitur sors filiorum Judæ per cognationes suas A ista fuit: * A termino Edom, desertum Sin contra Meridiem, usque ad extremam partem australis plagæ. * Num. 34. c. 3.

2 Initium ejus à summitate maris salsíssimi, & à lingua ejus, quæ respicit Meridiem.

3 Egreditúrque contra Ascensum Scorpionis, & pertransit in Sina : ascendítque in Cadesbarne, & pervenit in Esron, ascendens ad Addar, & circuiens Carcaa.

4 Atque inde pertransiens in Asemona, & perveniens ad Torrentem Ægypti : erúntque termini ejus

ejus mare magnum. Hic erit finis meridianæ plagæ.

5 Ab Oriente verò erit initium, mare salsíssimum usque ad extrema Jordanis : & ea quæ respiciunt ad Aquilonem, à lingua maris usque ad eumdem Jordanis fluvium.

B 6 Ascendítque terminus in Beth Hagla, & transit ab Aquilone in Beth Araba : ascendens ad lapidem Boën filij Ruben.

7 Et tendens usque ad terminos Debera de Valle Achor, contra Aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex adverso Ascensionis Adommim, ab australi parte torrentis : transítque aquas, quæ vocantur Fons solis : & erunt exitus ejus ad Fontem Rogel.

8 Ascendítque per convallem filij Ennom ex latere Jebusæi ad Meridiem, hæc est Jerusalem : & inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Geennom ad Occidentem in summitate vallis C Raphaim contra Aquilonem.

9 Pertransítque à vertice montis usque ad fontem aquæ Nephtoa, & pervenit usque ad vicos montis Ephron : inclinatúrque in Baala, quæ est Cariathiarim, id est, urbs silvarum.

10 Et circuit de Baala contra Occidentem, usque ad montem Seir : transítque juxta latus montis Jarim ad Aquilonem in Chesson : & descendit in Bethsames, transítque in Thamna.

11 Et pervenit contra Aquilonem partis Accaron ex latere : inclinatúrque Sechrona, & transit montem Baala : pervenítque in Jebneel, & magni maris contra Occidentem fine concluditur.

12 Hi sunt termini filiorum Juda per circuitum in cognationibus suis.

13 Caleb verò filio Jephone dedit partem in medio filiorum Juda, sicut præceperat ei Dominus: Cariath Arbe patris Enac, ipsa est Hebron. D

14 * Delevítque ex ea Caleb tres filios Enac, Sesai & Ahimam & Tholmai de stirpe Enac. * Jud. 1. c. 20.

15 Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ priùs vocabatur Cariath Sepher, id est civitas litterarum.

16 Dixítque Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.

17 Cepítque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb junior: dedítque ei Axam filiam suam uxorem.

18 Quæ cùm pergerent simul, suasa est à viro suo ut peteret à patre suo agrum, suspiravítque ut sedebat in asino. Cui Caleb : Quid habes, inquit ?

19 At illa respondit : Da mihi benedictionem: Terram australem & arentem dedisti mihi, junge & irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius & inferius.

20 Hæc est possessio tribus filiorum Juda per cognationes suas.

E 21 Erántque civitates ab extremis partibus filiorum Juda juxta terminos Edom à Meridie: Cabseel & Eder & Jagur,

22 Et Cina & Dimona & Adada,

23 Et Cades & Asor & Jethnam,

24 Ziph & Telem & Baloth.

25 Asor nova & Carioth, Hesron, hæc est Asor.

26 Amam, Sama, & Molada,

27 Et Asergadda & Hassemon & Bethphelet.

28 Et Hasersval & Bersabee & Baziothia.

29 Et Baala & Iim & Esem.

30 Et Eltholad & Cesil & Harma.

31 Et Siceleg & Medemena & Sensenna,

32 Lebaoth & Selim & Aën & Remmon. Omnes civitates viginti novem, & villæ earum. F

33 In campestribus verò : Estaol & Sarea & Asena.

34 Et Zanoë & Ængannim & Taphua & Enaim.

35 Et Jerimoth & Adullam, Socho & Azeca,

36 Et Saraim & Adithaim & Gedera & Gederothaim : urbes quattuordecim, & villæ earum.

37 Sanan & Hadassa & Magdalgad.

38 Delean & Masepha & Jecthel,

39 Lachis & Bascath & Eglon,

40 Chebbon & Leheman & Cethlis.

41 Et Gideroth & Bethdagon & Naama & Maceda : civitates sedecim, & villæ earum.

42 Labana & Ether & Asan.

43 Jephtha & Esna & Nesib.

44 Et Ceila & Achzib & Maresa : civitates novem, & villæ earum.

45 Accaron cum vicis & villulis suis.

46 Ab Accaron usque ad mare: omnia quæ vergunt ad Azotum & viculos ejus.

47 Azotus cum vicis & villulis suis. Gaza cum vicis & villulis suis, usque ad torrentem Ægypti, & mare magnum terminus ejus.

48 Et in monte : Samir & Jeter & Socoth.

49 Et Danna & Cariathsenna, hæc est Dabir:

50 Anab & Istemo, & Anim. G

51 Gosen & Olon & Gilo : civitates undecim & villæ earum.

52 Arab & Ruma & Esaan.

53 Et Janum & Beththaphua & Apheca.

54 Athmatha & Cariatharbe, hæc est Hebron, & Sior : civitates novem, & villæ earum,

55 Maon & Carmel & Ziph & Jota,

56 Jezrael & Jucadan & Zanoë.

57 Accain, Gabaa, & Thamna : civitates decem, & villæ earum.

58 Halhul, & Bessur, & Gedor.

59 Mareth, & Bethanoth, & Eltecon : civitates sex & villæ earum.

60 Cariathbaal, hæc est Cariathiarim urbs silvarum, & Arebba : civitates duæ & villæ earum.

61 In deserto Betharaba, Meddin, & Sachacha.

62 Et Nebsan, & civitas salis, & Engaddi : civitates sex, & villæ earum,

63 Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filij Juda delere: habitavítque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem.

CAPUT XVI.

Sors Ephraim, urbes & viculi eorum ; manséque inter hos Chananæus tributarius.

1 CEcidit quoque sors filiorum Joseph, ab Jor- A danc contra Jericho & aquas ejus ab Oriente : solitudo quæ adscendit de Jericho ad montem Bethel :

2 Et egreditur de Bethel Luza : transítque terminum Archi, Atharoth.

3 Et descendit ad Occidentem juxta terminum Jephleti, usque ad terminos Beth horon inferioris,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Gazer: finiuntúrque regiones ejus mari magno.
4 Possederuntque filij Joseph Manasses & Ephraim.
5 Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas: & possessio eorum contra Orientem Atharoth Addar usque Beth horon superiorē.
C 6 Egrediuntúrque confinia in mare: Machmethath verò Aquilonem respicit, & circuit terminos contra Orientem in Thanathselo: & pertransit ab Oriente Janoë.
7 Descendítque de Janoë in Atharoth & Naaratha: & pervenit in Jericho, egreditúrque ad Jordanem.
D 8 De Taphua pertransit contra mare in Vallem arundineti, súntque egressus ejus in mare salsíssimum. Hæc est possessio tribus filiorum Ephraim per familias suas.
9 Urbésque separatæ sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, & villæ earum.
10 Et non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitavítque Chananæus in medio Ephraim usque in diem hanc tributarius.

CAPUT XVII.

Mediæ tribui Manasse & filiabus Salphaad sortes assignantur, & augetur sors filiorum Joseph.

A 1 CEcidit autem sors tribui Manasse: (ipse enim est primogenitus Joseph) Machir primogenito Manasse patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuítque possessionem Galaad & Basan.
* Num. 26. d. 30 2 * Et reliquis filiorum Manasse juxta familias suas, filiis Abiezer, & filiis Helec, & filiis Esriel, & filiis Sechem, & filiis Hepher, & filiis Semida. Isti sunt filij Manasse filij Joseph, mares, per cognationes suas.
*Nu 26. a. 1. 36. d. 11. 3 * Salphaad verò filio Hepher filij Galaad filij Machir filij Manasse, non erant filij, sed solæ filiæ: quarum ista sunt nomina, Maala & Noa & Hegla & Melcha & Thersa.
4 Venerúntque in conspectu Eleazari sacerdotis, & Josue filij Nun, & principum, dicentes: Dominus præcepit per manum Moysi, ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum. Dedítque eis juxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum.
B 5 Et ceciderunt funiculi Manasse, decem, absque Terra Galaad & Basan trans Jordanem.
6 Filiæ enim Manasse possederunt hereditatem in medio filiorum ejus. Terra autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse qui reliqui erant.
7 Fuítque terminus Manasse ab Aser, Machmethath quæ respicit Sichem: & egreditur ad dextram juxta habitatores Fontis Taphuæ.
8 Etenim in sorte Manasse ceciderat Terra Taphuæ, quæ est juxta terminos Manasse filiorum Ephraim.
9 Descendítque terminus Vallis arundineti in meridiem torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio sunt urbiū Manasse: terminus Manasse ab Aquilone torrentis, & exitus ejus pergit ad mare:
C 10 Ita ut possessio Ephraim sit ab Austro, & ab Aquilone Manasse, & utramque claudat mare, & conjungantur sibi in tribu Aser ab Aquilone, & in tribu Issachar ab Oriente.
11 Fuítque hereditas Manasse in Issachar & in Aser Bethsan & viculi ejus, & Jeblaam cum viculis suis, & habitatores Dor cum oppidis suis, habitatores quoque Endor cum viculis suis: similitérque habitatores Thenac cum viculis suis, & habitatores Mageddo cum viculis suis, & tertia pars urbis Nopheth.
12 Nec potuerunt filij Manasse has civitates subvertere, sed cœpit Chananæus habitare in terra sua.
13 Postquam autem convaluerunt filij Israël, subjecerunt Chananæos, & fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos.
14 Locutíque sunt filij Joseph ad Josue, & dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis & funiculi unius, cùm sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus?
15 Ad quos Josue ait: Si populus multus es, ascende in silvam, & succide tibi spatia in Terra Pherezæi & Raphaim: quia angusta est tibi possessio montis Ephraim.
16 Cui respondérunt filij Joseph: Non poterimus ad montana conscendere, cùm ferreis curribus utantur Chananæi, qui habitant in terra campestri, in qua sitæ sunt Bethsan cum viculis suis, & Jezraël mediam possidens vallem.
17 Dixítque Josue ad domum Joseph, Ephraim & Manasse: Populus multus es, & magnæ fortitudinis, non habebis sortem unam,
18 Sed transibis ad montem, & succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia: & poteris ultrà procedere cùm subverteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, & esse fortissimum.

CAPUT XVIII.

Mittuntur qui describant Terram reliquarum septem tribuum, & assignatur sors Benjamin.

1 COngregatíque sunt omnes filij Israël in Silo, ibíque fixerunt tabernaculum testimonij, & fuit eis Terra subjecta. A
2 Remanserant autem filiorum Israël septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas.
3 Ad quos Josue ait: Usquequò marcetis ignavia, & non intratis ad possidendam Terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?
4 Eligite de singulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, & pergant atque circumeant Terram & describant eam juxta numerum uniuscujusque multitudinis: referátque ad me quod descripserint.
5 Dividite vobis Terram in septem partes: Judas sit in terminis suis ab australi plaga, & domus Joseph ab Aquilone.
6 Mediam inter hos Terram in septem partes describite: & huc venietis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam vobis hîc sortem:
7 Quia non est inter vos pars Levitarum, sed sacerdotium Domini est eorum hereditas. Gad autem & Ruben, & dimidia tribus Manasse, iam acceperant possessiones suas trans Jordanem ad Orientalem plagam: quas dedit eis Moyses famulus Domini. B
8 Cúmque surrexissent viri, ut pergerent ad describendam Terram, præcepit eis Josue, dicens: Circuite Terram, & describite eam, ac revertimini ad me: ut hîc coram Domino, in Silo, mittam vobis sortem.

9 Itaque

9 Itaque perrexerunt: & lustrantes eam, in septem partes divisérunt, scribentes in volumine. Reversíque sunt ad Josue in castra Silo.
10 Qui misit sortes coram Domino in Silo, divisítque Terram filiis Israël in septem partes.
11 Et ascendit sors prima filiorum Benjamin per familias suas, ut possiderent Terram inter filios Juda & filios Joseph.
12 Fuítque terminus eorum contra Aquilonem à Jordane: pergens juxta latus Jericho septemtrionalis plagæ, & inde contra Occidentem ad montana conscendens, & perveniens ad solitudinem Bethaven,
* Gen. 28. d. 19. 13 Atque pertransiens juxta * Luzan ad Meridiem, ipsa est Bethel: descendítque in Ataroth addar, in montem qui est ad Meridiem Beth horon inferioris:
C 14 Et inclinatur circuiens contra mare ad Meridiem montis qui respicit Beth horon contra Africum: súntque exitus ejus in Cariath baal, quæ vocatur & Cariathiarim, urbem filiorum Juda. Hæc est plaga contra mare, ad Occidentem.
15 A Meridie autem ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra mare, & pervenit usque ad fontem aquarum Nephtoa.
16 Descendítque in partem montis qui respicit Vallem filiorum Ennom: & est contra septemtrionalem plagam in extrema parte Vallis Raphaim. Descendítque in Geennom (id est, Vallem Ennom) juxta latus Jebusæi ad Austrum: & pervenit ad Fontem Rogel,
17 Transiens ad Aquilonem, & egrediens ad Ensemes, id est, fontem solis.
18 Et pertransit usque ad tumulos, qui sunt è
D regione Ascensus Adommim: descendítque ad Abenboën id est, lapidem Boën filij Ruben: & pertransit ex latere Aquilonis ad campestria: descendítque in planitiem.
19 Et prætergreditur contra Aquilonem Beth hagla: súntque exitus ejus contra linguam maris salsíssimi ab Aquilone in fine Jordanis ad australem plagam:
20 Qui est terminus illius ab Oriente. Hæc est possessio filiorum Benjamin per terminos suos in circuitu, & familias suas.
21 Fuerúntque civitates ejus, Jericho & Beth hagla & Vallis Casis.
22 Beth Araba & Samaraim & Bethel.
23 Et Avim & Aphara & Ophera.
24 Villa Emona & Ophni & Gabee: civitates duodecim, & villæ earum.
25 Gabaon & Rama & Beroth.
26 Et Mesphe & Caphara, & Amosa.
27 Et Recem, Jarephel & Tharela.
28 Et Sela, Eleph, & Jebus quæ est Jerusalem, Gabaath & Cariath: civitates quattuordecim, & villæ earum. Hæc est possessio filiorum Benjamin juxta familias suas.

CAPUT XIX.

Assignantur sortes sex tribubus Simeon, Zabulon, Issachar, Aser, Nephthalim, Dan & Josue.

A 1 ET egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas: fuítque hereditas
2 Eorum in medio possessionis filiorum Juda:

Bersabee & Sabee & Molada.
3 Et Hasersual, Bala & Asem.
4 Et Eltholad, Bethul & Harma.
5 Et Siceleg & Bethmarchaboth & Hasersusa.
6 Et Bethlebaoth & Sarohen: civitates tredecim, & villæ earum.
7 Ain & Remmon & Athar & Asan: civitates quattuor, & villæ earum:
8 Omnes viculi per circuitum urbium istarum usque ad Baalath Beer Ramath contra austrálem plagam. Hæc est hereditas filiorum Simeon juxta cognationes suas.
9 In possessione & funiculo filiorum Juda: quia major erat, & idcircò filij Simeon possederunt in medio hereditatis eorum.
10 Cecidítque sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas: & factus est terminus possessionis eorum usque Sarid.
11 Ascenditque de Mari & Merala, & pervenit in Debbaseth, usque ad torrentem qui est contra Jeconam.
12 Et revertitur de Sared contra Orientem in fines Ceseleththabor, & egreditur ad Dabereth, ascendítque contra Japhie.
13 Et inde pertransit usque ad orientalem plagā Gethhepher & Thacasin: & egreditur in Remmon, Amthar & Noa.
14 Et circuit ad Aquilonem Hanathon: súntque egressus ejus Vallis Iephthahel. B
15 Et Cateth & Naalol & Semeron & Jedala & Bethlehem: civitates duodecim, & villæ earum.
16 Hæc est hereditas tribus filiorum Zabulon per cognationes suas, urbes & viculi earum.
17 Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas.
18 Fuítque ejus hereditas, Jezraël & Casaloth & Sunem.
19 Et Hapharaim & Seon, & Anaharath.
20 Et Rabboth & Cesion, Abes.
21 Et Rameth, & Engannim, & Enhadda, & Bethpheses.
22 Et pervenit terminus ejus usque Thabor & Sehesima & Bethsames: erúntque exitus ejus Jordanis: civitates sedecim, & villæ earum.
23 Hæc est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes & viculi earum.
24 Cecidítque sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas:
25 Fuítque terminus eorum Halcath & Chali & Betem & Axaph.
26 Et Elmelech & Amaad & Messal: & pervenit usque ad Carmelum maris & Sihor & Labanath.
27 Ac revertitur contra Orientem Bethdagon: & pertransit usque Zabulon & Vallem Jephthaël contra Aquilonem in Bethemec & Nehiel. Egreditúrque ad lævam Cabul. C
28 Et Abran & Rohob & Hamon & Cana, usque ad Sidonem magnam.
29 Revertitúrque in Horma usque ad civitatem munitíssimam Tyrum, & usque Hosa: erúntque exitus ejus in mare de funiculo Achziba.
30 Et Amma & Aphec & Rohob. Civitates viginti duæ, & villæ earum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

31 Hæc est possessio filiorum Aser per cognationes suas,urbésque & viculi earum.
32 Filiorum Nephthali sexta sors cecidit per familias suas.
33 Et cœpit terminus de Heleph & Elon in Saananim,& Adami, quæ est Neceb, & Jebnaël usque Lecum:& egressus eorum usque ad Jordanē.
34 Revertitúrque terminus contra Occidentem in Azanothabor, atque inde egreditur in Hucuca, & pertransit in Zabulon contra Meridiem, & in Aser contra Occidentem, & in Juda ad Jordanem contra ortum solis.
35 Civitates munitissimæ, Assedim, Ser, & Emath, & Reccath & Cenereth.
36 Et Edema & Arama, Asor.
37 Et Cedes & Edrai, Enhasor.
38 Et Jeron & Magdalel Horem & Bethanath & Bethsames: civitates decem & novem, & villæ earum.
39 Hæc est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes suas,urbes & viculi earum.
40 Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima:
D 41 Et fuit terminus possessionis ejus Saraa & Esthaol, & Hirsemes, id est, civitas solis.
42 Selebin & Aialon & Jethela.
43 Elon & Themna & Acron.
44 Elthece, Gebbethon & Balaath.
45 Et Jud & Bane & Barach & Gethremmon:
46 Et Meiarcon & Arecon, cum termino qui respicit Joppen.
47 Et ipso fine concluditur. Ascenderúntque filij Dan,& pugnaverunt contra Lesem,ceperúntque eam: & percusserunt eam in ore gladij, & possederunt, & habitaverunt in ea, vocantes nomen ejus Lesem Dan, ex nomine Dan patris sui.
48 Hæc est possessio tribus filiorum Dan, per cognationes suas, urbes & viculi earum.
49 Cúmque complessent sorte dividere Terram singulis per tribus suas,dederunt filij Israël possessionem Josue filio Nun in medio sui.
50 Juxta præceptum Domini,urbem quam postulavit, Thamnath Saraa in monte Ephraim: & ædificavit civitatem, habitavítque in ea.
51 Hæ sunt possessiones, quas sorte diviserunt Eleazar sacerdos & Josue filius Nun, & principes familiarum, ac tribuum filiorum Israël, in Silo,coram Domino ad hostium tabernaculi testimonij, partitíque sunt Terram.

Caput XX.

Sex refugij civitates, & qui ad eas possint confugere: & quamdiu ibi remanere debeant.

A 1 ET locutus est Dominus ad Josue,dicens:Loquere filiis Israël, & dic eis.
* Num. 35.b.10. Deut.19. a. 2. 2 Separate urbes fugitivorum, * de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi;
3 Ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius: & possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis.
B 4 Cùm ad unam harum confugerit civitatum, stabit ante portam civitatis, & loquetur senioribus urbis illius, ea quæ se comprobent innocentem: sícque suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum.
5 Cúmque ultor sanguinis eum fuerit persecutus,non tradent in manus ejus:quia ignorans percussit proximum ejus, nec ante biduum, triduúmve, ejus probatur inimicus.
6 Et habitabit in civitate illa, donec stet ante C judicium causam reddens facti sui, & moriatur sacerdos magnus,qui fuerit in illo tempore:tunc revertetur homicida, & ingredietur civitatem & domum suam de qua fugerat.
7 Decreverúntque Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Sichem in monte Ephraim, & Cariatharbe, ipsa est Hebron in monte Juda.
8 Et trans Jordanem contra Orientalem plagam D Jericho, * statuerunt Bosor, quæ sita est in campestri solitudine, de tribu Ruben, & Ramoth in Galaad de tribu Gad, & Gaulon in Basan de tribu Manasse. * Deut. 4.g.43.
9 Hæ civitates constitutæ sunt cunctis filiis Israël, & advenis qui habitabant inter eos: ut fugeret ad eas qui animam nescius percussisset, & non moreretur in manu proximi, effusum sanguinem vindicare cupientis, donec staret ante populum expositurus causam suam.

Caput XXI.

Levitis assignantur civitates quadraginta octo cum suburbanis: & completa Dei promissione, pax & requies datur filiis Israël.

A 1 ACcesserúntque principes familiarum Levi ad Eleazarum sacerdotem, & Josue filium Nun, & ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israël.
* Num. 35.a.2. 2 Locutíque sunt ad eos in Silo Terræ Chanaan, atque dixerunt: * Dominus præcepit per manum Moysi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda jumenta.
3 Dederúntque filij Israël de possessionibus suis juxta imperium Domini, civitates & suburbana earum.
4 Egressáque est sors in familiam Caath filiorum Aaron sacerdotis,de tribubus Juda,& Simeon, & Benjamin, civitates tredecim.
5 Et reliquis filiorum Caath, id est Levitis qui superfuerant de tribubus Ephraim, & Dan, & dimidia tribu Manasse, civitates decem.
6 Porrò filiis Gerson egressa est sors,ut acciperent de tribubus Issachar & Aser & Nephthali, dimidiáque tribu Manasse in Basan, civitates numero tredecim.
7 Et filiis Merari per cognationes suas de tribubus Ruben & Gad & Zabulon,urbes duodecim.
8 Dederúntque filij Israël Levitis civitates & suburbana earum,sicut præcepit Dominus per manum Moysi,singulis sorte tribuentes.
9 De tribubus filiorum Juda & Simeon dedit B Josue civitates: * quarum ista sunt nomina. * 1.Par. 6.c.55.
10 Filiis Aaron per familias Caath Levitici generis (prima enim sors illis egressa est.)
11 Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur Hebron,in monte Juda,& suburbana ejus per circuitū.
12 * Agros verò & villas ejus, dederat Caleb * Sup.14. d.14. filio Jephone ad possidendum.
13 Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron confugij civitatem, ac suburbana ejus: & Lobnam cum suburbanis suis.

14 Et

14 Et Jether, & Estemo,
15 Et Holon, & Dabir,
16 Et Ain, & Jeta, & Bethsames, cum suburbanis suis: civitates novem, de tribubus, ut dictum est, duabus.
17 De tribu autem filiorum Benjamin,Gabaon, & Gabaë.
18 Et Anathoth, & Almon cum suburbanis suis: civitates quattuor.
19 Omnes simul civitates filiorum Aaron sacerdotis, tredecim, cum suburbanis suis.
20 Reliquis verò per familias filiorum Caath Levitici generis, hæc est data possessio.
21 De tribu Ephraim urbes confugij, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim,& Gazer.
22 Et Cibsaim & Beth horon, cum suburbanis suis, civitates quattuor.
23 De tribu quoque Dan,Eltheco & Gabathon,
C 24 Et Aialon & Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates quattuor.
25 Porrò de dimidia tribu Manasse, Thanach & Gethrēmon,cum suburbanis suis civitates duæ.
26 Omnes civitates decem, & suburbana earum datæ sunt filiis Caath inferioris gradus.
27 Filiis quoque Gerson Levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse confugij civitates, Gaulon in Basan, & Bosram, cum suburbanis suis, civitates duas.
28 Porrò de tribu Issachar,Cesion,& Dabereth.
29 Et Jaramoth, & Engannim, cum suburbanis suis,civitates quattuor.
30 De tribu autem Aser, Masal & Abdon.
31 Et Helcath & Rohob, cum suburbanis suis, civitates quattuor.
32 De tribu quoque Nephthali civitates confugij: Cedes in Galilæa, & Hammoth Dor, & Carthan, cum suburbanis suis, civitates tres.
33 Omnes urbes familiarum Gerson, tredecim, cum suburbanis suis.
34 Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias suas data est de tribu Zabulon,Jecnam & Cartha.
35 Et Damna & Naalol,civitates quattuor cum suburbanis suis.
D 36 De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates refugij, Bosor in solitudine, Misor & Jaser & Jethson & Mephaath,civitates quattuor cum suburbanis suis.
37 De tribu Gad civitates confugij, Ramoth in Galaad, & Manaim & Hesebon & Jaser, civitates quattuor cum suburbanis suis.
38 Omnes urbes filiorum Merari per familias & cognationes suas, duodecim.
39 Itaque civitates universæ Levitarū in medio possessionis filiorum Israël fuerūt quadraginta octo
40 Cum suburbanis suis, singulæ per familias distributæ.
41 Deditque Dominus Deus Israëli omnem Terram, quam traditurum se patribus eorum juraverat: & possederunt illam, atque habitaverunt in ea.
42 Datáque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes: nullúsque eis hostium resistere ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt.

43 Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat,irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia.

Caput XXII.

Remissa ad suam possessionem trans Iordanem,tribus Ruben & Gad & dimidia Manasse, suspicionem movent ceteris tribubus propter extructum altare; sed missi legati suscipiunt justam eorum excusationem.

1 EOdem tempore vocavit Josue Rubenitas,& A Gaditas,& dimidiam tribum Manasse.
2 Dixítque ad eos: Fecistis omnia quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis.
3 Nec reliquistis fratres vestros longo tempore, usque in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri.
4 Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem & pacem, sicut pollicitus est:revertimini, & ite in tabernacula vestra, & in terram possessionis, * quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem. * Num. 32.f.33. Sup.13. b.8.
5 Ita dumtaxat, ut custodiatis attentè, & opere compleatis mandatum & legem quam præcepit vobis Moyses famulus Domini,ut diligatis Dominum Deum vestrū, & ambuletis in omnibus viis ejus,& observetis mandata illius,adhæreatísque ei ac serviatis in omni corde,&in omni anima vestra.
6 Benedixítque eis Josue, & dimisit eos. Qui B reversi sunt in tabernacula sua.
7 Dimidiæ autem tribui Manasse possessionem Moyses dederat in Basan: & idcircò mediæ quæ superfuit,dedit Josue sortem inter ceteros fratres suos trans Jordanem ad Occidentalem plagam. Cúmque dimitteret eos in tabernacula sua,& benedixisset eis,
8 Dixit ad eos: In multa substantia atque divitiis revertimini ad sedes vestras, cum argento & auro, ære ac ferro, & veste multiplici: dividite prædam hostium cum fratribus vestris.
9 Reversíque sunt,& abierunt filij Ruben,& filij Gad,& dimidia tribus Manasse,à filiis Israël de Silo, quæ sita est in Chanaan, ut intrarent Galaad Terram possessionis suæ, quam obtinuerant juxta imperium Domini in manu Moysi.
10 Cúmque venissent ad tumulos Jordanis in C Terram Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis.
11 Quod cùm audissent filij Israël, & ad eos certi nuntij detulissent, ædificasse filios Ruben,& Gad, & dimidiæ tribus Manasse, altare in Terra Chanaan,super Jordanis tumulos,cōtra filios Israël:
12 Convenerunt omnes in Silo,ut ascenderent & dimicarent contra eos.
13 Et interim miserunt ad illos in Terram Galaad Phinees filium Eleazari sacerdotis.
14 Et decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus.
15 Qui venerunt ad filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, in Terram Galaad: dixerúntque ad eos:
16 Hæc mandat omnis populus Domini: Quæ est ista transgressio? Cur reliquistis Dominum D Deum Israël, ædificantes altare sacrilegum, & à cultu illius recedentes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

*Nu.25. a.3. Deut.4. a.3.

17 An parum vobis est *quòd peccastis in Beelphegor,& usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet? multíq; de populo corruerunt.

18 Et vos hodie reliquistis Dominum,& cras in universum Israël ira ejus desæviet.

19 Quòd si putatis immundam esse terram possessionis vestræ,transite ad Terram,in qua tabernaculum Domini est,& habitate inter nos:tantùm ut à Domino,& à nostro consortio non recedatis,ædificato altari præter altare Domini Dei nostri.

*Sup.7.a.1. 20 * Nónne Achan filius Zare præteriit mandatum Domini,& super omnem populum Israël ira ejus incubuit?Et ille erat unus homo,atque utinam solus periisset in scelere suo.

21 Respondérúntque filij Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse, principibus legationis Israël:

E 22 Fortissimus Deus Dominus,Fortissimus Deus Dominus,ipse novit,& Israël simul intelliget:si prævaricationis animo hoc altare construximus, non custodiat nos,sed puniat nos in præsenti:

23 Et si ea mente fecimus, ut holocausta,& sacrificium & pacificas victimas super eo imponeremus,ipse quærat & judicet:

24 Et non ea magis cogitatione atque tractatu,ut diceremus:Cras dicent filij vestri filiis nostris:Quid vobis & Domino Deo Israël?

25 Terminum posuit Dominus inter nos & vos, ô filij Ruben & filij Gad,Jordanem fluvium:& idcircò partem non habetis in Domino. Et per hanc occasionem avertent filij vestri filios nostros à timore Domini:Putavimus itaque meliùs,

F 26 Et diximus. Extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas,

27 Sed in testimonium inter nos & vos, & sobolem nostram vestrámque progeniem, ut serviamus Domino , & juris nostri sit offerre , & holocausta, & victimas, & pacificas hostias: & nequaquam dicant cras filij vestri filiis nostris:Non est vobis pars in Domino.

28 Quòd si voluerint dicere, respondebunt eis: Ecce altare Domini , quod fecerunt patres nostri, non in holocausta,neque in sacrificium, sed in testimonium nostrum ac vestrum.

29 Absit à nobis hoc scelus,ut recedamus à Domino,& ejus vestigia relinquamus, extructo altari ad holocausta, & sacrificia,& victimas offerendas, præter altare Domini Dei nostri, quod extructum est ante tabernaculum ejus.

30 Quibus auditis,Phinees sacerdos,& principes legationis Israël,qui erant cum eo,placati sunt: & verba filiorum Ruben,& Gad,& dimidiæ tribus
G Manasse libentissimè susceperunt.

31 Dixítque Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos:Nunc scimus quòd nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis à prævaricatione hac,& liberastis filios Israël de manu Domini.

32 Reversúsque est cum principibus à filiis Ruben & Gad,de Terra Galaad, finium Chanaan, ad filios Israël, & retulit eis.

33 Placuítque sermo cunctis audientibus.Et laudaverunt Deum filij Israël, & nequaquam ultrà dixerunt, ut adscenderent contra eos, atque pugnarent,& delerent Terram possessionis eorum.

34 Vocaverúntque filij Ruben & filij Gad altare, quòd extruxerant , Testimonium nostrum quod Dominus ipse sit Deus.

Caput XXIII.

Josue senex , jám que moribundus exhortatur filios Israël ad servanda Dei præcepta , & cavendam societatem cum Genti bus.

1 Evoluto autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israëli , subjectis in gyro nationibus universis,& Josue jam longævo,& persenilis ætatis: A

2 Vocavit Josue omnem Israëlem , majorésque natu, & principes ac duces,& magistros,dixítque ad eos:Ego senui, & progressionis ætatis sum:

3 Vósque cernitis omnia,quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus,quo modo pro vobis ipse pugnaverit :

4 Et nunc quia vobis sorte divisit omnem Terram , ab Orientali parte Jordanis usque ad mare magnum,multæque adhuc supersunt nationes :

5 Dominus Deus vester disperdet eas,& auferet à facie vestra, & possidebitis Terram , sicut vobis pollicitus est. B

6 Tantùm confortamini , & estote soliciti , ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi:& non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad sinistram:

7 Ne postquam intraveritis ad Gentes,quæ inter vos futuræ sunt, juretis in nomine deorum earum,& serviatis eis,& adoretis illos:

8 Sed adhæreatis Domino Deo vestro:quod fecistis usque in diem hanc.

9 Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas & robustissimas,& nullus vobis resistere poterit. C

10 Unus è vobis persequetur hostium mille viros:quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est.

11 Hoc tantùm diligentissimè præcavete,ut diligatis Dominum Deum vestrum.

12 Quòd si volueritis gentium harum,quæ inter vos habitant , erroribus adhærere , & cum eis miscere connubia,atque amicitias copulare:

13 Jam nunc scitote quòd Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram,sed sint vobis in foveam ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro,& sudes in oculis vestris,donec vos auferat atque disperdat de Terra hac optima, quam tradidit vobis. D

14 * En ego hodie ingredior viam universæ terræ, & toto animo cognoscetis , quòd de omnibus verbis , quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum. *3.Reg. 2.d.2.

15 Sicut ergo implevit opere quod promisit, & prospera cuncta venerunt : sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est , donec vos auferat atque disperdat de Terra hac optima, quam tradidit vobis ,

16 Eò quò præterieritis pactum Domini Dei vestri , quod pepigit vobiscum , & servieritis diis alienis , & adoraveritis eos : citò atque velociter consurget in vos furor Domini , & auferemini ab hac Terra optima, quam tradidit vobis.

Caput

Caput XXIV.

Commemorantur beneficia Israëlitis à Deo exhibita , fœdus populi cum Domino,mors Josue,sepultura ossium Josephi, & mors Eleazari sacerdotis.

A 1 Congregavítque Josue omnes tribus Israël in Sichem,& vocavit majores natu,ac principes,& judices,& magistros:steterúntque in conspectu Domini:

2 Et ad populum sic locutus est:Hæc dicit Dominus Deus Israël : Trans fluvium habitaverunt
*Gen.11. d.26. patres vestri ab initio, * Thare pater Abraham & Nachor : servierúntque diis alienis.

*Gen. 11.d.31. 3 * Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus : & adduxi eum in Terram Chanaan : multiplicavíque semen ejus,

*Gen. 21.a.2. 4 * Et dedi ei Isaac:* Illíque rursum dedi Jacob
Gen. 25.d.26. & Esaü. Equibus,Esaü dedi montem Seir ad pos-
Gen, 36.a.8. sidendum: Jacob verò & filij ejus descenderunt
*Gen. 46.a.6. in Ægyptum.

B 5* Misique Moysen & Aaron,& percussi Ægyptum multis signis atque portentis :

*Exod. 3.c.10. 6 * Eduxíque vos & patres vestros de Ægy-
Exod. 12. If. 37. pto,& veniſtis ad mare:persecutíque sunt Ægy-
*Exod. 14.b.9. ptij patres vestros cum curribus & equitatu,usque ad Mare rubrum.

7 Clamaverunt autem ad Dominum filij Israël: qui posuit tenebras inter vos & Ægyptios , & adduxit super eos mare,& operuit eos.Viderunt oculi vestri cũcta quæ in Ægypto fecerim, & habitastis in solitudine multo tempore:

8 Et introduxi vos in terram Amorrhæi,qui ha-
* Num. 21.c.24. bitabat trans Jordanem.* Cúmque pugnarent contra vos,tradidi eos in manus vestras , & possedistis Terram eorum, atque interfeciſtis eos.

9 Surrexit autem Balac filius Sephor rex
*Nu.22. a: 5. Moab,& pugnavit contra Israëlem. * Misítque &
C vocavit Balaam filium Beor,ut malediceret vobis:

10 Et ego nolui audire eum , sed è contrario per illum benedixi vobis,& liberavi vos de manu ejus.

*Sup. 3. c. 14. 6. a. 1.11. a.3. 11 * Transistísque Jordanem, & veniſtis ad Jericho. Pugnaverúntque contra vos viri civitatis ejus,Amorrhæus,& Pherezæus,& Chananæus, & Hethæus, & Gergezæus,& Hevæus, & Jebusæus: & tradidi illos in manus vestras,

*Exod. 23 f.28 Deut. 7. c. 20. Sup. 11. d. 20. 12 * Misíque ante vos crabrones : & ejeci eos de locis suis,duos reges Amorrhæorum,non in gladio nec in arcu tuo.

13 Dedíque vobis Terram,in qua laboraſtis, & urbes quas non ædificaſtis,ut habitaretis in eis : vineas & oliveta, quæ non plantaſtis.

*Reg. 7. a. 3. Tob. 14. b. 10. 14 * Nunc ergo timete Dominum, & servite ei
D perfecto corde atque veriſſimo:& auferte deos,quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia & in Ægypto, ac servite Domino.

15 Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, optio vobis datur : eligite hodie quod placet, cui servire potiſſimùm debeatis,utrùm diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum Terra habitatis. ego autem & domus mea serviemus Domino.

16 Respondítque populus, & ait: Absit à nobis ut relinquamus Dominum,& serviamus diis alienis.

17 Dominus Deus noster ipse eduxit nos , & patres nostros , de Terra Ægypti, de domo servitutis:fecitque videntibus nobis signa ingentia, & custodivit nos in omni via , per quam ambulavimus, & in cunctis populis , per quos transivimus.

18 Et ejecit universas gentes, Amorrhæum habitatorem Terræ, quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino,quia ipse est Deus noster.

19 Dixítque Josue ad populum : Non poteritis E
servire Domino:Deus enim sanctus,& fortis æmulator est , nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis.

20 Si dimiseritis Dominum , & servieritis diis alienis, convertet se,& affliget vos, atque subvertet postquam vobis præstiterit bona.

21 Dixítque populus ad Josue: Nequaquam ita ut loqueris, erit, sed Domino serviemus.

22 Et Josue ad populum , Testes, inquit , vos estis , quia ipsi elegeritis vobis Dominum ut serviatis ei. Respondérúntque : Testes.

23 Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de me- F
dio vestri,& inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israël.

24 Dixítque populus ad Josue : Domino Deo nostro serviemus , & obedientes erimus præceptis ejus.

25 Percussit ergo Josue in die illo fœdus,& proposuit populo præcepta atque judicia in Sichem.

26 Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini:& tulit lapidem pergrandem, posuítque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini :

27 Et dixit ad omnem populum : En lapis iste
* nobit * audierit. * nobis erit * vobis in testimonium,quòd * audierit omnia verba Domini quæ locutus est * vobisne fortè postea negare velitis,& mentiri Domino Deo vestro.

28 Dimisítque populum : singulos in possessionem suam.

29 Et post hæc mortuus est Josue filius Nun servus Domini , centum & decem annorum:

30 Sepelierúntque eum in finibus possessionis G
suæ in Thamnathsare , quæ est sita in monte Ephraim, à Septemtrionali parte montis Gaas.

31 Servivítque Israël Domino cunctis diebus Josue , & seniorum qui longo vixerunt tempore post Josue , & qui noverunt omnia opera Domini quæ fecerat in Israël.

*Gen. 50.d.24. Exo. 13. d. 19. *Gen. 33.d.19. 32 * Ossa quoque Joseph , quæ tulerant filij Israël de Ægypto , sepelierunt in Sichem, in parte agri , quem emerat Jacob à filiis Hemor patris Sichem , centum novellis ovibus , & fuit in possessionem filiorum Joseph.

33 Eleazar quoque filius Aaron mortuus est:& sepelierunt eum in Gabaath Phinees filij ejus, quæ data est ei in monte Ephraim.

LIBER JUDICUM, HEBRAICE SOPHETIM.

Caput Primum.

Juda duce unà cum fratre ipsius Simeone plurimæ gentium civitates expugnantur: Othoniel obtenta Cariath Sepher ducit Axam filiam Caleb, addita terra irrigua: Chananæi tributarij servantur.

A 1 POst mortem Josuë consuluerunt filij Israël Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli?

2 Dixítque Dominus: Judas ascendet: ecce tradidi Terram in manus ejus.

3 Et ait Judas Simeoni fratri suo: Ascende mecum in sortem meam, & pugna contra Chananæum, ut & ego pergam tecum in sortem tuam. Et abiit cum eo Simeon.

4 Ascendítque Judas, & tradidit Dominus Chananæum ac Pherezæum in manus eorum: & percusserunt in Bezec decem millia virorum.

5 Invenerúntque Adonibesec in Bezec, & pu-
B gnaverunt contra eum, ac percusserunt Chananæum & Pherezæum.

6 Fugit autem Adonibesec: quem persecuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum ejus ac pedum.

7 Dixítque Adonibezec: Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxerúntque eum in Jerusalem, & ibi mortuus est.

8 Oppugnantes ergo filij Juda Jerusalem, ceperunt eam, & percusserunt in ore gladij, tradentes cunctam incendio civitatem.

9 Et posteà descendentes pugnaverunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, & ad me-
*Jos. 15. d. 14. ridiem, & in campestribus.

C 10 * Pergénsque Judas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron (cujus nomen fuit antiquitus Cariath Arbe) percussit Sesai, & Ahiman, & Tholmai:

11 Atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cujus nomen vetus erat Cariath Sepher, id est, civitas litterarum.

12 Dixítque Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, & vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.

13 Cúmque cepisset eam Othoniel filius Cenez frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam suam conjugem.

14 Quam pergentem in itinere monuit vir suus ut peteret à patre suo agrum: Quæ cùm suspirasset sedens in Asino, dixit ei Caleb: Quid habes?

15 At illa respondit: Da mihi benedictionem,
D quia terram arentem dedisti mihi: da & irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum superius & irriguum inferius.

16 Filij autem Cinæi cognati Moysi, ascenderunt de civitate palmarum, cum filiis Juda, in desertum sortis ejus, quod est ad meridiem Arad, & habitaverunt cum eo.

17 Abiit autem Judas cum Simeone fratre suo, & percusserunt simul Chananæum qui habitabat in Sephaath, & interfecerunt eum. Vocatúmque est nomen urbis, Horma, id est, anathema.

18 Cepítque Judas Gazam cum finibus suis, & Ascalonem, atque Accaron cum terminis suis.

19 Fuítque Dominus cum Juda, & montana possedit: nec potuit delere habitatores vallis, quia
E falcatis curribus abundabant.

20 Dederúntque Caleb Hebron, * sicut dixerat Moyses, qui delevit ex ea tres filios Enac. *Nu. 14. d. 24. Jos. 15. d. 14.

21 Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non deleverunt filij Benjamin: habitavítque Jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem usque in præsentem diem.

22 Domus quoque Joseph ascendit in Bethel, fuítque Dominus cum eis.

23 Nam cùm obsiderent urbem quæ priùs Luza vocabatur,

24 Viderunt hominem egredientem de civitate, dixerúntque ad eum: Ostende nobis introitum civitatis, & faciemus tecum misericordiam.

25 Qui cùm ostendisset eis, percusserunt urbem in ore gladij: hominem autem illum, & omnem cognationem ejus, dimiserunt.

26 Qui dimissus, abiit in Terram Hetthim, &
F ædificavit ibi civitatem, vocavítque eam Luzam: quæ ita appellatur usque in præsentem diem.

27 Manasses quoque non delevit Bethsan, & Thanac cum viculis suis, & habitatores Dor, & Jeblaam, & Mageddo cum viculis suis, cœpítque Chananæus habitare cum eis.

28 Postquam autem confortatus est Israël, fecit eos tributarios, & delere noluit.

29 Ephraim etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo.

30 Zabulon non delevit habitatores Cetron, &
& Naalol, sed habitavit Chananæus in medio ejus, factúsque est ei tributarius.

31 Aser quoque non delevi habitatores Accho,
G & Sidonis, & Ahalab & Achasib, & Helba, & Aphec, & Rohob:

32 Habitavítque in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum.

33 Nephthali quoque non delevit habitatores Bethsames & Bethanath: & habitavit inter Chananæum habitatorem Terræ, fuerúntque ei Bethsamitæ & Bethanitæ tributarij.

34 Arctavítque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent:

35 Habi

35 Habitavítque in monte Hares, quod interpretatur testaceo, in Aialon & Salebim. Et aggravata est manus domus Joseph, factúsque est ei tributarius.

36 Fuit autem terminus Amorrhæi ab Ascensu Scorpionis, petra, & superiora loca.

Caput II.

Angelus Dei beneficia refert; quo audito, flet populus: post mortem tamen Josue & coævorum, Israël frequenter liberatus, semper in pejora recidit.

A 1 AScendítque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in Terram, pro qua juravi patribus vestris: & pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum:

2 Ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus Terræ hujus, sed aras eorum subverteretis: & noluistis audire vocem meam: cur hoc fecistis?

3 Quam ob rem nolui delere eos à facie vestra: ut habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam.

4 Cúmque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israël: elevaverunt ipsi vocem suam, & fleverunt.

B 5 Et vocatum est nomen loci illius: Locus flentium, sive lachrymarum: immolaverúntque ibi hostias Domino.

*Jos. 24. d. 28. 6 * Dimisit ergo Josue populum, & abierunt filij Israël unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam:

7 Servierúntque Domino cunctis diebus ejus, & seniorum qui longo post eum vixerunt tempore, & noverant omnia opera Domini quæ fecerat cum Israël:

8 Mortuus est autem Josue filius Nun, famulus Domini, centum & decem annorum,

9 Et sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare in monte Ephraim, à Septemtrionali plaga montis Gaas.

10 Omnísque illa generatio congregata est ad patres suos: & surrexerunt alij, qui non noverant Dominum, & opera quæ fecerat cum Israël.

11 Fecerúntque filij Israël malum in conspectu Domini, & servierunt Baalim.

12 Ac dimiserunt Dominum Deum patrum
C suorum, qui eduxerat eos de Terra Ægypti: & secuti sunt deos alienos, de ósque populorum, qui habitabant in circuitu eorum: & adoraverunt eos: & ad iracundiam concitaverunt Dominum,

13 Dimittentes eum, & servientes Baal & Astaroth.

14 Iratúsque Dominus contra Israël, tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum: nec potuerunt resistere adversariis suis:

15 Sed quocumque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est, & juravit eis: & vehementer afflicti sunt.

16 Suscitavítque Dominus judices, qui liberarent eos de vastantium manibus: sed nec eos audire voluerunt,

17 Fornicantes cum diis alienis, & adorantes eos. Citò deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum: & audientes mandata Domini, omnia fecere contraria.

18 Cúmque Dominus judices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat D afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium.

19 Postquam autem mortuus esset judex, revertebantur, & multò faciebant pejora quàm fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis, & adorantes illos. Non dimiserunt adinventiones suas, & viam durissimam, per quam ambulare consueverunt.

20 Iratúsque est furor Domini in Israël, & ait: Quia irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempsit:

21 Et ego non delebo gentes, quas dimisit Josue, & mortuus est:

22 Ut in ipsis experiar Israël, utrùm custodiant viam Domini, & ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non.

23 Dimisit ergo Dñs omnes nationes has, & citò subvertere noluit, nec tradidit in manus Josuë.

Caput III.

Israël sociatur gentibus à Domino derelictis, ad ipsius exercitationem: ideò sæpius per extraneos reges affligitur, sed resipiscens, per Othoniel, Aod, & Samgar liberatur.

1 HÆ sunt gentes quas Dominus dereliquit, A
ut erudiret in eis Israëlem, & omnes qui non noverant bella Chananæorum:

2 Ut posteà discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi:

3 Quinque satrapas Philisthinorum, omnémque Chananæum, & Sidonium, atque Hevæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon usque ad introitum Emath.

4 Dimisítque eos, ut in ipsis experiretur Israëlem, utrùm audiret mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non.

5 Itaque filij Israël habitaverunt in medio Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebusæi:

6 Et duxerunt uxores filias eorum, ipsíque filias suas filiis eorum tradiderunt, & servierunt diis eorum.

7 Fecerúntque malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui, serviétes Baalim & Astaroth.

8 Iratúsque contra Israël Dominus, tradidit eos in manus Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, servierúntque ei octo annis.

9 Et clamaverunt ad Dominum: qui suscitavit B
eis salvatorem, & liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem Caleb minorem:

10 Fuítque in eo Spíritus Domini, & judicavit Israël. Egressúsque est ad pugnam, & tradidit Dominus in manus ejus Chusan Rasathaim regem Syriæ, & oppressit eum.

11 Quievítque terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel filius Cenez.

12 Addiderunt autem filij Israël facere malum in conspectu Domini: qui confortavit adversum eos Eglon regem Moab; quia fecerunt malum in conspectu ejus.

13 Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

13 Et copulavit ei filios Ammon, & Amalec, abiítque & percussit Israël, atque possedit Urbem palmarum.

14 Servierúntque filij Israël Eglon regi Moab decem & octo annis:

15 Et posteà clamaverunt ad Dominum: qui C suscitavit eis salvatorem vocabulo Aod, filium Gera, filij Jemini, qui utraque manu pro dextera utebatur. Miserúntque filij Israël per illum munera Eglon regi Moab:

16 Qui fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus est eo subter sagum in dextro femore.

17 Obtulítque munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon crassus nimis.

18 Cúmque obtulisset ei munera, prosecutus est socios, qui cum eo venerant.

19 Et reversus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad regem: Verbum secretum habeo ad te ô Rex. Et ille imperavit silentium: egressísque omnibus qui circa eum erant,

20 Ingressus est Aod ad eum: sedebat autem in æstivo cœnaculo solus, dixítque: Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno.

21 Extendítque Aod sinistram manum, & tulit siccam de dextro femore suo, infixítque eam in ventre ejus

22 Tam validè, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita ut percusserat, reliquit in corpore: statímque per secreta naturæ alvi stercora proruperunt.

23 Aod autem clausis diligentissimè ostiis cœnaculi, & obfirmatis sera,

24 Per posticum egressus est. Servíque regis ingressi viderunt clausas fores cœnaculi, atque dixerunt: Forsitan purgat alvum in æstivo cubiculo. D

25 Expectantésque diu donec erubescerent, & videntes quòd nullus aperiret, tulerunt clavem: & aperientes invenerunt dominum suum in terra jacentem mortuum.

26 Aod autem, dum illi turbarentur, effugit, & pertransiit Locum idolorum, unde reversus fuerat. Venítque in Seirath:

27 Et statim insonuit buccina in monte Ephraim: descenderúntque cum eo filij Israël, ipso in fronte gradiente.

28 Qui dixit ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras. Descenderúntque post eum, & occupaverunt vada Jordanis quæ transmittunt in Moab: & non dimiserunt transire quemquam:

29 Sed percusserunt Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robustos & fortes viros. nullus eorum evadere potuit.

30 Humiliatúsque est Moab in die illo sub manu Israël: & quievit Terra octoginta annis.

31 Post hunc fuit Samgar filius Anath, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere: & ipse quoque defendit Israël.

Caput IV.

Debbora prophetissa & Barac adversus Sisaram principem regis Jabin dimicant, quem profugum occidit Jahel uxor Haber Cinæi.

1 Addiderúntque filij Israël facere malum in A conspectu Domini post mortem Aod.

2 * Et tradidit illos Dominus in manus Jabin *1.Reg. regis Chanaan, qui regnavit in Asor: habuítque ducem exercitus sui nomine Sisaram, ipse autem habitabat in Haroseth gentium. 12.b.9.

3 Clamaverúntque filij Israël ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppresserat eos.

4 Erat autem Debbora prophetis uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore.

5 Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama & Bethel in monte Ephraim; ascendebántque ad eam filij Israël in omne judicium.

6 Quæ misit & vocavit Barac filium Abinoem de Cedes Nephthali: dixítque ad eum: Præcepit B tibi Dominus Deus Israël, vade, & duc exercitum in montem Thabor, tollésque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon.

7 Ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison, Sisaram principem exercitus Jabin, & currus ejus, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua.

8 Dixítque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam.

9 Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. Surrexit itaque Debbora, & perrexit cum Barac in Cedes.

10 Qui accitis Zabulon & Nephthali, ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu suo.

11 Haber autem Cinæus recesserat quondam à ceteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab cognati Moysi: & tetenderat tabernacula usque ad vallem, quæ vocatur Sennim, & erat juxta Cedes.

12 Nuntiatúmque est Sisaræ, quòd ascendisset Barac filius Abinoem in montem Thabor.

13 Et congregavit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Haroseth gentium ad torrentem Cison.

14 Dixítque Debbora ad Barac: Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in C manus tuas: en ipse ductor est tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo.

15 *Perterruítque Dominus Sisaram, & omnes *Psalm. currus ejus, universámque multitudinem, in ore gladij, ad conspectum Barac: in tantum, ut Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret, 82.b.12.

16 Et Barac persequeretur fugientes currus, & exercitum usque ad Haroseth gentium, & omnis hostium multitudo usque ad internecionem caderet.

17 Sisara autem fugiens pervenit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Jabin regem Azor, & domum Haber Cinæi.

18 Egressa igitur Jahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me Domine mi: intra, ne timeas.

meas. Qui ingressus tabernaculum ejus, & opertus ab ea pallio,

19 Dixit ad eam: Da mihi, obsecro, paululum aquæ, quia sitio valdè. Quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum.

20 Dixítque Sisara ad eam: Sta ante ostium ta- D bernaculi: & cùm venerit aliquis interrogans te, & dicens: Numquid hîc est aliquis? Respondebis: Nullus est.

21 Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, assúmens pariter & malleum: & ingressa abscondítè & cum silentio, posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussúmque malleo defixit in cerebrum usque ad terram: qui soporem morti consocians defecit, & mortuus est.

22 Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat: egressáque Jahel in occursum ejus, dixit ei: Veni, & ostendam tibi virum quem quæris. Qui cùm intrasset ad eam, vidit Sisaram jacentem mortuum, & clavum infixum in tempore ejus.

23 Humiliavit ergo Deus in die illo Jabin regem Chanaan coram filiis Israël.

24 Qui crescebant quotidie, & forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.

Caput V.

Canticum gratiarum actionis Debboræ & Barac post victoriam.

A 1 Cecinerúntque Debbora & Barac filius Abinoem in illo die, dicentes:

2 Qui sponte obtulístis de Israël animas vestras ad periculum, benedicite Domino.

3 Audite reges, auribus percipite principes: Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israël.

4 Domine cùm exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, cælique ac nubes distillaverunt aquis.

5 Montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Israël.

6 In diebus Samgar filij Anath, in diebus Jahel, quieverunt Semitæ: & qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios.

7 Cessaverunt fortes in Israël, & quieverunt: donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israël.

8 Nova bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subvertit: clypeus & hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israël.

B 9 Cor meum diligit principes Israël: qui propria voluntate obtulístis vos discrimini, benedicite Domino.

10 Qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis in judicio, & ambulatis in via, loquimini.

11 Ubi collísi sunt currus, & hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur justitiæ Domini & clementia in fortes Israël: tunc descendit populus Domini ad portas, & obtinuit principatum.

12 Surge, surge Debbora, surge, surge, & loquere canticum: surge Barac, & apprehende captivos tuos fili Abinoem.

13 Salvatæ sunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicavit.

14 Ex Ephraim delevit eos in Amalec, & post eum ex Benjamin in populos tuos ô Amalec: de Machir principes descenderunt, & de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.

15 Duces Issachar fuere cum Debbora, & Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit: diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

16 Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio. C

17 Galaad trans Jordanem quiescebat, & Dan vacabat navibus: Aser habitabat in littore maris, & in portubus morabatur.

18 Zabulon verò & Nephthali obtulerunt animas suas morti in regione Merome.

19 Venerunt reges & pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanach juxta aquas Mageddo, & tamen nihil tulere prædantes.

20 De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.

21 Torrens Cison traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison: conculca anima mea robustos.

22 Ungulæ equorum ceciderũt, fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortissimis hostium.

23 Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini: maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus.

24 Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo suo. D

25 Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum.

26 Sinistram manum misit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussítq; Sisaram quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans.

27 Inter pedes ejus ruit: defecit, & mortuus est: volvebatur ante pedes ejus, & jacebat exanimis & miserabilis.

28 Per fenestram respiciens, ululabat mater ejus: & de cœnaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus ejus? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius?

29 Una sapientior ceteris uxoribus ejus, hæc socrui verba respondit:

30 Forsitan nunc dividit spolia, & pulcherrima feminarum eligitur ei: vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, & suppellex varia ad ornanda colla congeritur.

31 Sic pereant omnes inimici tui Domine: qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.

32 Quievítque Terra per quadraginta annos.

Caput VI.

Israelitis à Madian oppressis Gedeon multis signis auxilio designatur, qui post sacrificium & altare Deo erectum, destruxit aram Baal, eique rursum datur signum in vellere.

1 Fecerunt autem filij Israël malum in conspectu A Domini: qui tradidit illos in manu Madian septem annis,

2 Et oppressi sunt valdè ab eis. Fecerúntque sibi antra & speluncas in montibus, & munitissima ad repugnandum loca.

3 Cúmque

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Cúmque seviſſet Iſraël, aſcendebat Madian & Amalec, cæteríque Orientalium nationum:
4 Et apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis cuncta vaſtabant uſque ad introitum Gazæ: nihílque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſraël, non oves, non boves, non aſinos.
5 Ipſi enim & univerſi greges eorum veniebant cum tabernaculis ſuis, & inſtar locuſtarum univerſa complebant, innumera multitudo hominum, & camelorum, quidquid tetigerant devaſtantes.
6 Humiliatúsque eſt Iſraël valdè in conſpectu Madian.
7 Et clamavit ad Dominum poſtulans auxilium contra Madianitas.
8 Qui miſit ad eos virum prophetam, & locutus eſt: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ego vos feci conſcendere de Ægypto, & eduxi vos de domo ſervitutis,
9 Et liberavi de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos: ejecíque eos ad introitum veſtrũ, & tradidi vobis Terram eorum.
10 Et dixi: Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis Deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluiſtis audire vocem meam.
11 Venit autem Angelus Domini, & ſedit ſub quercu, quæ erat in Ephra & pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri. Cúmque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian,
12 Apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortiſſime.
13 Dixítque ei Gedeon: Obſecro, mi domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? ubi ſunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres noſtri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu Madian.
1. Reg. 12.b.11. 14 Reſpexítque ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſraël de manu Madian: ſcito quòd miſerim te.
15 Qui reſpondens ait: Obſecro, mi domine, in quo liberabo Iſraël? ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei.
16 Dixítque ei Dominus: Ego ero tecum: & percuties Madian quaſi unum virum.
17 Et ille, Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi ſignum quòd tu ſis qui loqueris ad me.
18 Nec recedas hinc, donec revertar ad te, portans ſacrificium, & offerens tibi. Qui reſpondit: Ego præſtolabor adventum tuum.
19 Ingreſſus eſt itaque Gedeon & coxit hœdum, & de farinæ modio azymos panes: carnéſque ponens in caniſtro, & jus carnium mittens in ollam, tulit omnia ſub quercu, & obtulit ei.
20 Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes & azymos panes, & pone ſupra petram illam, & jus deſuper funde. Cúmque feciſſet ita,
21 Extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos: aſcendítque ignis de petra, & carnes azymóſque panes conſumpſit: Angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus.
22 Vidénſque Gedeon quòd eſſet Angelus Domini, ait: Heu mi Domine Deus: quia vidi Angelum Domini facie ad faciem.
23 Dixítque ei Dominus: Pax tecum: ne timeas, non morieris.
24 Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavítque illud, Domini pax, uſque in præſentem diem. Cúmque adhuc eſſet in Ephra, quæ eſt familiæ Ezri,
25 Nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum ſeptem, deſtruéſque aram Baal, quæ eſt patris tui: & nemus, quod circa aram eſt, ſuccide:
26 Et ædificabis altare Domino Deo tuo in ſummitate petræ hujus, ſuper quam antè ſacrificium poſuiſti: tolléſque taurum ſecundum, & offeres holocauſtum ſuper ſtruem lignorum, quæ de nemore ſuccideris.
27 Aſſumptis ergo Gedeon decem viris de ſervis ſuis, fecit ſicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris ſui, & homines illius civitatis, per diem noluit id facere, ſed omnia nocte complevit.
28 Cúmque ſurrexiſſent viri oppidi ejus manè, viderunt deſtructam aram Baal, lucúmque ſuccíſum, & taurum alterum impoſitum ſuper altare, quod tunc ædificatum erat.
29 Dixerúntque ad invicem: Quis hoc fecit? Cúmque perquirerent auctorem facti, dictum eſt: Gedeon filius Joas fecit hæc omnia.
30 Et dixerunt ad Joas: produc filium tuum huc, ut moriatur: quia deſtruxit aram Baal, & ſuccidit nemus.
31 Quibus ille reſpondit: Numquid ultores eſtis Baal, ut pugnetis pro eo? qui adverſarius eſt ejus, moriatur antequam lux craſtina veniat: ſi Deus eſt, vindicet ſe de eo, qui ſuffodit aram ejus.
32 Ex illo die vocatus eſt Gedeon, Jerobaal, eò quòd dixiſſet Joas: Ulciſcatur ſe de eo Baal, qui ſuffodit aram ejus.
33 Igitur omnis Madian, & Amalec, & Orientales populi congregati ſunt ſimul: & tranſeuntes Jordanem, caſtrametati ſunt in valle Jezraël.
34 Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut ſequeretur ſe.
35 Miſítque nuntios in univerſum Manaſſen, qui & ipſe ſecutus eſt eum: & alios nuntios in Aſer & Zabulon & Nephthali, qui occurrerunt ei.
36 Dixítque Gedeon ad Deum: Si ſalvum facis per manum meam Iſraël: ſicut locutus es,
37 Ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit: & in omni terra ſiccitas, ſciam quòd per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſraël.
38 Factúmque eſt ita. Et de nocte conſurgens, expreſſo vellere, concham rore implevit.
39 Dixítque rurſus ad Deum: Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentavero, ſignum quærens in vellere. Oro ut ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens.
40 Fecítque Deus nocte illa ut poſtulaverat: & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra.

CAPUT

CAPUT VII.

Probatis ad aquas his qui ad bellum eſſent progreſſuri, Gedeon audito unius è caſtris Madianitarum ſomnio, in eos irruit, tubis, lagenis ac lucernis armatus; quos cum Oreb & Zeb principibus eorum devicit.

1 IGitur Jerobaal qui & Gedeon, de nocte conſurgens, & omnis populus cum eo, venit ad fontem qui vocatur Harad. erant autem caſtra Madian in valle ad Septemtrionalem plagam collis excelſi.
2 Dixítque Dominus ad Gedeon: Multus tecum eſt populus, nec tradetur Madian in manus ejus: ne glorietur contra me Iſraël, & dicat: Meis viribus liberatus ſum.
3 Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica: * qui formidoloſus & timidus eſt, revertatur. Receſſerúntque de monte Galaad, & reverſi ſunt de populo viginti duo millia virorum, & tantùm decem millia remanſerunt.
*Deut. 20.b.8. 1.Mach. 3.g.56.
4 Dixítque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus eſt, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipſe pergat: quem ire prohibuero, revertatur.
5 Cúmque deſcendiſſet populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: * Qui lingua lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt.
*Qui manu & lingua.
6 Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os projiciente lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.
7 Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis virisqui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian: Omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum ſuum.
8 Sumptis itaque pro numero cibariis & tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula ſua: & ipſe cum trecentis viris ſe certamini dedit. Caſtra autem Madian erant ſubter in valle.
9 Eadem nocte dixit Dominus ad eum: Surge, & deſcende in caſtra: quia tradidi eos in manu tua.
10 Sin autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus.
11 Et cùm audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & ſecurior ad hoſtium caſtra deſcendes. Deſcendit ergo ipſe & Phara, puer ejus in partem caſtrorum, ubi erant armatorum vigiliæ.
12 Madian autem & Amalec, & omnes Orientales populi, fuſi jacebant in valle, ut locuſtarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, ſicut arena quæ jacet in littore maris.
13 Cúmque veniſſet Gedeon, narrabat aliquis ſomnium proximo ſuo: & in hunc modum referebat quod viderat: Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex ordeo volvi, & in caſtra Madian deſcendere: cúmque perveniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubvertit, & terræ funditus coæquavit.
14 Reſpondit is, cui loquebatur: Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis filij Joas viri Iſraëlitæ: tradidit enim Dominus in manus ejus Madian & omnia caſtra ejus.
15 Cúmq; audiſſet Gedeon ſomnium, & interpretationem ejus, adoravit: & reverſus eſt ad caſtra Iſraël, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus noſtras caſtra Madian:
16 Diviſítque trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenáſque vacuas ac lampades in medio lagenarum.
17 Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem caſtrorum, & quod fecero ſectamini.
18 Quando perſonuerit tuba in manu mea, vos quoque per caſtrorum circuitum clangite & conclamate, Domino & Gedeoni.
19 Ingreſúſque eſt Gedeon, & trecenti viri qui erant cum eo, in partem caſtrorum incipientibus vigiliis noctis mediæ, & cuſtodibus ſuſcitatis, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter ſe lagenas.
20 Cúmque per gyrum caſtrorum in tribus perſonarent locis, & hydrias confregiſſent, tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, & dextris ſonantes tubas, clamaverúntque: Gladius Domini & Gedeonis:
21 Stantes ſinguli in loco ſuo per circuitum caſtrorum hoſtilium. Omnia itaque caſtra turbata ſunt, & vociferantes, ululantéſque fugerunt:
22 Et nihilominus inſiſtebant trecenti viri buccinis perſonantes.* Immiſítque Dominus gladium in omnibus caſtris, & mutua ſe cæde truncabant,
*pſ. 82. c. 10.
23 Fugientes uſque ad Bethſetta, & crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Iſraël de Nephthali, & Aſer, & omni Manaſſe, perſequebantur Madian.
24 Miſítque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens: Deſcendite in occurſum Madian, & occupate aquas uſque Bethbera atque Jordanem. Clamavítque omnis Ephraim, & præoccupavit aquas atque Jordanem uſque Bethbera.
25 * Apprehenſóſque duos viros Madian, Oreb & Zeb, interfecit Oreb in Petra Oreb, Zeb verò in Torculari Zeb. Et perſecuti ſunt Madian, capita Oreb & Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis.
*pſ. 82. 6.12. Iſa. 10. f. 26.

CAPUT VIII.

Ephraim inſurgit adverſus Gedeon; qui devictis Zebee & Salmana, viros Soccoth & Phanuel perdidit, & ex inauribus aliiſque populi donis fecit Ephod quod domui ſuæ & Iſraëli fuit in ruinam: poſtquam autem quadraginta annis præfuit, generatis 70. filiis ex uxoribus, & uno ex concubina, mortuus eſt, rediitque Iſraël ad idololatriam.

1 DIxerúntque ad eum viri Ephraim: Quid eſt hoc quod facere voluiſti, ut nos non vocares, cùm ad pugnam pergeres contra Madian? jurgantes fortiter, & propè vim inferentes.
2 Quibus ille reſpondit: Quid enim tale facere potui, quale vos feciſtis? nónne melior eſt racemus Ephraim, vindemiis Abiezer?
3 In manus veſtras Dominus tradidit principes Madian, Oreb & Zeb: quid tale facere potui, quale vos feciſtis? Quod cùm locutus eſſet, requievit ſpiritus eorum, quo tumebant contra eum.
4 Cúmque veniſſet Gedeon ad Jordanem, tranſivit

Universidad de Deusto
Biblioteca

sivit eum cum trecentis viris qui secum erant : & præ lassitudine,fugientes persequi non poterant.

5 Dixítque ad viros Soccoth:Date,obsecro,panes populo qui mecũ est,quia valdè defecerunt,ut possimus persequi Zebee & Salmana reges Madian.

6 Respónderunt príncipes Soccoth : Forsitan palmæ manuũ Zebee & Salmana in manu tua sunt, & idcircò postulas ut demus exercitui tuo panes.

7 Quibus ille ait : Cùm ergo tradiderit Dominus Zebee & Salmana in manus meas , conteram carnes vestras cum spinis tribulísque deserti.

8 Et inde conscendens,venit in Phanuel:locutúsque est ad viros loci illius similia.Cui & illi respónderunt,sicut respónderant viri Soccoth.

9 Dixit itaque & eis:Cùm reversus fuero victor in pace , destruam turrim hanc :

10 Zebee autem & Salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim millia viri remanserant ex omnibus turmis Orientalium populorum cæsis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium.

11 * Ascendénsque Gedeon per viam eorum qui in tabernaculis morabantur , ad Orientalem partem Nobe & Jegbaa , percussit castra hostium, qui securi erant,& nihil adversi suspicabantur.

12 Fugerúntque Zebee & Salmana , quos persequens Gedeon comprehendit , turbato omni exercitu eorum.

13 Reverténsque de bello ante solis ortum,

14 Apprehendit puerum de viris Soccoth:interrogavítque eum nomina principum & seniorum Soccoth, & descripsit septuaginta septẽ viros.

15 Venítque ad Soccoth,& dixit eis:Ên Zebee & Salmana,super quibus exprobrastis mihi,dicentes:Forsitan manus Zebee & Salmana in manibus tuis sunt , & idcircò postulas ut demus viris , qui lassi sunt & defecerunt , panes.

16 Tulit ergo seniores civitatis & spinas deserti ac tribulos, & contrivit eum eis, atque comminuit viros Soccoth.

17 Turrim quoque Phanuel subvertit , occisis habitatoribus civitatis.

18 Dixítque ad Zebee & Salmana:Quales fuerunt viri,quos occidistis in Thabor ? Qui respónderunt:similes tui,& unus ex eis quasi filius regis.

19 Quibus ille respóndit : Fratres mei fuerunt, filij matris meæ. vivit Dominus, quia si servassetis eos, non vos occiderem.

20 Dixítque Jether primogenito suo : Surge, & interfice eos.Qui non eduxit gladium : timebat enim, quia adhuc puer erat.

21 Dixerúntque Zebee & Salmana: Tu surge, & irrue in nos:quia juxta ætatem robur est hominis. Surrexit Gedeon,* & interfecit Zebee & Salmana:& tulit ornamenta ac bullas,quibus colla regalium camelorum decorari solent.

22 Dixerúntque omnes viri Israël ad Gedeon: Dominare nostri tu,& filius tuus, & filius filij tui: quia liberasti nos de manu Madian.

23 Quibus ille ait : Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus , sed dominabitur vobis Dominus.

24 Dixítque ad eos:Unam petitionem postulo à vobis:Date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim aureas Ismaelitæ habere consueverant.

25 Qui respónderunt : Libentíssimè dabimus. Expandentésque super terram pallium , projecerunt in eo inaures de præda :

26 Et fuit pondus postulatarum inaurium,mille septingenti auri sicli, absque ornamentis,& monilibus, & veste purpurea, quibus reges Madian uti soliti erant , & præter torques aureas camelorum.

27 Fecítque ex eo Gedeon Ephod , & posuit illud in civitate sua Ephra.Fornicatúsque est omnis Israël in eo,& factum est Gedeoni & omni domui ejus in ruinam.

28 Humiliatus est autem Madian coram filiis Israël , nec potuerunt ultrà cervices elevare : sed quievit terra per quadraginta annos , quibus Gedeon præfuit.

29 Abiit itaque Jerobaal filius Joas , & habitavit in domo sua :

30 Habuítque septuaginta filios,qui egressi sunt de femore ejus : eò quòd plures haberet uxores.

31 Concubina autem illius , quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech.

32 Mortuúsque est Gedeon filius Joas in senectute bona , & sepultus est in sepulchro Joas patris sui in Ephra de familia Ezri.

33 Postquam autem mortuus est Gedeon,aversi sunt filij Israël, & fornicati sunt cum Baalim. Percussérúntque cum Baal fœdus,ut esset eis in Deum.

34 Nec recordati sunt Domini Dei sui , qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum :

35 Nec fecerunt misericordiam cum domo Jerobaal Gedeõ, juxta omnia bona quæ fecerat Israëli.

Caput IX.

Abimelech occisis 70.fratribus suis ,imperium sibi tyrannicè usurpat ; qui post parabolam Joatham fratris ejus qui servatus erat , exercitum Gaal devicit , turrimque Sichem exussit , & à muliere tandem fragmine mola oppressus est.

1 ABiit autem Abimelech filius Jerobaal in Sichem ad fratres matris suæ , & locutus est ad eos , & ad omnem cognationem domus patris matris suæ, dicens :

2 Loquimini ad omnes viros Sichem:Quid vobis est melius , ut dominentur vestri septuaginta viri omnes filij Jerobaal,an ut dominetur unus vir? simúlque considerate , quòd os vestrum & caro vestra sum.

3 Locutíque sunt fratres matris ejus de eo ad omnes viros Sichem universos sermones istos , & inclinaverunt cor eorum post Abimelech , dicentes : Frater noster est.

4 Dederúntque illi septuaginta pondo argenti de fano Baalberit. Qui conduxit sibi ex eo viros inopes & vagos, secutique sunt eum.

5 Et venit in domum patris sui in Ephra,& occidit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros, super lapidem unum : remansítque Joatham filius Jerobaal minimus, & absconditus est.

6 Congregati sunt autem omnes viri Sichem,& universæ familiæ urbis Mello:abierúntque & constituerunt regem Abimelech, juxta quercum quæ stabat in Sichem.

7 Quod cùm nuntiatum esset Joatham, ivit , & stetit in vertice montis Garizim:elevatáque voce clamavit

*Ose. 10.d,14.

*Psl. 82. 6.12.

clamavit, & dixit : Audite me viri Sichem,ita audiat vos Deus.

8 Ierunt ligna,ut ungerent super se regem:dixerúntque olivæ:Impera nobis.

9 Quæ respóndit : Numquid possum deserere pinguedinem meam , qua & dij utuntur & homines,& venire ut inter ligna promovear?

10 Dixerúntque ligna ad arborem ficum:Veni, & super nos regnum accipe.

11 Quæ respóndit eis:Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructúsque suavíssimos,& ire ut inter cetera ligna promovear?

12 Locutáque sunt ligna ad vitem:Veni,& impera nobis.

13 Quæ respóndit eis : Numquid possum deserere vinum meum,quod lætificat Deum & homines,& inter ligna cetera promoveri?

14 Dixerúntque omnia ligna ad rhamnum:Veni,& impera super nos.

15 Quæ respóndit eis:Si verè me regem vobis constituitis, venite,& sub umbra mea requiescite. si autem non vultis,egrediatur ignis de rhamno,& devoret cedros Libani.

16 Nunc igitur, si rectè & absque peccato constituístis super vos regẽ Abimelech,& benè egístis cum Jerobaal,& cum domo ejus, & reddidístis vicem beneficiis ejus,qui pugnavit pro vobis,

17 Et animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian,

18 Qui nunc surrexístis contra domum patris mei,& interfeciſtis filios ejus septuaginta viros super unum lapidem, &constituístis regem Abimelech filium ancillæ ejus super habitatores Sichem, eò quòd frater vester sit.

19 Si ergo rectè & absque vitio egístis cum Jerobaal,& domo ejus,hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis.

20 Sin autem perversè:egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem,& oppidum Mello:egrediatúrque ignis de viris Sichem,& de oppido Mello, & devoret Abimelech.

21 Quæ cùm dixísset, fugit,& abiit in Bera:habitavítque ibi ob metum Abimelech fratris sui.

22 Regnavit itaque Abimelech super Israël tribus annis.

23 Misítq; Dñs spíritum pessimũ inter Abimelech & habitatores Sichem:qui cœperũt eum detestari.

24 Et scelus interfectionis septuaginta filiorum Jerobaal, & effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum,& in ceteros Sichimorum principes , qui cum adjuverant.

25 Posuerúntque insídias adversus eum in summitate montium:& dum illius præstolabantur adventum, exercebant latrocinia,agentes prædas de prætereuntibus. nuntiatúmque est Abimelech.

26 Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis,& transívit in Sichimam. Ad cujus adventum erecti habitatores Sichem,

27 Egressi sunt in agros,vastantes vineas,uvásque calcantes:& factis cantantium choris,ingressi sunt fanum dei sui, & inter epulas & pocula maledicebant Abimelech,

28 Clamante Gaal filio Obed: Quis est Abimelech,& quæ est Sichem,ut serviamus ei:numquid non est filius Ierobaal, & constituit principem Zebul servum suum super viros Emor patris Sichem? Cur ergo serviemus ei ?

29 Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea,ut auferrem de medio Abimelech. Dictúmque est Abimelech:Congrega exercitus multitudinem,& veni.

30 Zebul enim princeps civitatis , auditis sermonibus Gaal filij Obed,iratus est valdè,

31 Et misit clàm ad Abimelech nuntios,dicens: Ecce,Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis, & oppugnat adversum te civitatem.

32 Surge itaque nocte cum populo qui tecum est, & latita in agro:

33 Et primo manè oriente sole,irrue super civitatem.illo autem egrediente adversùm te cum populo suo,fac ei quod potueris.

34 Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo nocte,& tetendit insídias juxta Sichimam in quattuor locis.

35 Egressúsque est Gaal filius Obed,& stetit in introitu portæ civitatis.Surrexit autem Abimelech, & omnis exercitus cum eo de insídiarum loco.

36 Cúmque vidísset populum Gaal,dixit ad Zebul:Ecce de montibus multitudo descendit.Cui ille respóndit : Umbras montium vides quasi capita hominum,& hoc errore deciperis.

37 Rursúmque Gaal ait:Ecce populus de umbilico terræ descendit, & unus cuneus venit per viam quæ respicit quercum.

38 Cui dixit Zebul:Ubi est nunc os tuum, quo loquebaris : Quis est Abimelech ut serviamus ei? Nónne hic populus est,quem despiciebas ? Egredere, & pugna contra eum.

39 Abiit ergo Gaal,spectante Sichimorum populo,& pugnavit contra Abimelech,

40 Qui persecutus est eum fugientem , & in urbem compulit : ceciderúntque ex parte ejus plurimi, usque ad portam civitatis :

41 Et Abimelech sedit in Ruma:Zebul autem, Gaal & socios ejus expulit de urbe, nec in ea passus est commorari.

42 Sequenti ergo die egressus est populus in campum. Quod cùm nuntiatum esset Abimelech,

43 Tulit exercitum suum,& divisit in tres turmas,tendens insídias in agris. Vidénsq; quòd egrederetur populus de civitate,surrexit, & irruit in eos

44 Cum cuneo suo,oppugnans, & obsídens civitatem : duæ autem turmæ palantes per campum adversarios persequebantur.

45 Porrò Abimelech omni die illo oppugnabat urbem , quam cepit ; interfectis habitatoribus ejus,ipsáque destructa,ita ut sal in ea dispergeret.

46 Quod cùm audíssent qui habitabant in turre Sichimorum,ingressi sunt fanum dei sui Berith, ubi fœdus cum eo pepigerant , & ex eo locus nomen acceperat,qui erat munitus valdè.

47 Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos,

48 Ascendit in montem Selmon cum omni populo suo:& arrepta securi,præcidit arboris ramum, impositúmque ferens humero , dixit ad socios: Quod me videtis facere , citò facite.

49 Igitur cæteri ramos de arboribus præcidẽtes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

G sequebantur ducem. Qui circumdantes præsidium, succenderunt; atque ita factum est, ut fumo & igne mille homines necarentur, viri pariter & mulieres, habitatorum turris Sichem.

50 Abimelech autem inde proficiscens venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obsidebat exercitu.

51 Erat autem turris excelsa in media civitate, ad quam confugerant simul viri ac mulieres, & omnes principes civitatis, clausa firmissimè janua, & super turris tectum stantes per propugnacula.

52 Accedénsque Abimelech juxta turrim, pugnabat fortiter: & appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur:

*2. Reg. 11.c.21. 53 * Et ecce una mulier fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.

*1.Reg. 31.a.4. 1. Par. 10.b.4. 54 * Qui vocavit citò armigerum suum, & ait ad eum: Evagina gladium tuum, & percute me: ne fortè dicatur quòd à femina interfectus sim. Qui jussa perficiens, interfecit eum.

55 Illóque mortuo, omnes qui cum eo erant de Israël, reversi sunt in sedes suas:

56 Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis.

57 Sichimitis quoque, quod operati erant, rettributum est, & venit super eos maledictio Joathan filij Jerobaal.

CAPUT X.

Thola vita functo, Iair dux succedit: Israëlitæ verò in idololatriam lapsi traduntur Philisthæis & Ammonitis; quibus pœnitentibus, Dominus ingratitudinem improperat, tandémque eorum miseretur.

A 1 POst Abimelech surrexit dux in Israël Thola filius Phua patrui Abimeleech, vir de Issachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim:

2 Et judicavit Israëlem viginti & tribus annis, mortuúsque est, ac sepultus in Samir.

3 Huic successit Jair Galaadites, qui judicavit Israëlem per viginti & duos annos,

4 Habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, & principes triginta civitatum,
B quæ ex nomine ejus sunt appellatæ Havoth Jair, id est oppida Jair, usque in præsentem diem, in Terra Galaad.

5 Mortuúsque est Jair, ac sepultus in loco cui est vocabulum Camon.

6 Filij autem Israël peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conspectu Domini, & servierunt idolis, Baalim & Astaroth, & diis Syriæ ac Sidonis & Moab & filiorum Ammon & Philisthiim: dimiserúntque Dominum, & non coluerunt eum.

7 Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philisthiim & filiorum Ammon.

8 Afflictíque sunt, & vehementer oppressi per annos decem & octo, omnes qui habitabant trans Jordanem in Terra Amorrhæi, qui est in Galaad:

9 In tantum, ut filij Ammon, Jordane transmisso, vastarent Judam & Benjamin & Ephraim: afflictúsque est Israël nimis.

C 10 Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, & servivimus Baalim.

11 Quibus locutus est Dominus: Numquid non Ægyptij & Amorrhæi, filiíque Ammon & Philisthiim,

12 Sidonij quoque & Amalec & Chanaan, oppresserunt vos, & clamastis ad me, & erui vos de manu eorum.

13 Et tamen reliquistis me, & coluistis deos alienos, idcircò non addam ut ultrà vos liberem:

14 Ite, & invocate deos quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ.

15 Dixerúntque filij Israël ad Dominum: Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet: tantùm nunc libera nos. D

16 Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola projecerunt, & servierunt Domino Deo: qui doluit super miseriis eorum.

17 Itaque filij Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria: contra quos congregati filij Israël in Maspha castrametati sunt.

18 Dixerúntque principes Galaad singuli ad proximos suos: Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.

CAPUT XI.

Jephte judex factus, Dei spiritu accensus, primùm ratione agit cum rege Ammonitarum; deinde ubi eos vicisset, ob votum temerè factum filiam suam sacrificavit.

1 FUit illo tempore Jephte Galaadites vir fortissimus atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus est de Galaad. A

2 Habuit autem Galaad uxorem, de qua suscepit filios: qui postquam creverant, ejecerunt Jephte, dicentes: Heres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es.

3 Quos ille fugiens atque devitans, habitavit in Terra Thob: congregatíque sunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, & quasi principem sequebantur.

4 In illis diebus pugnabant filij Ammon contra Israël.

5 Quibus acriter instantibus, perrexerunt majores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium sui Jephte de Terra Tob:

6 Dixerúntque ad eum: Veni & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon.

7 Quibus ille respondit: * Nónne vos estis, qui odistis me, & ejecistis de domo patris mei, & nunc venistis ad me necessitate compulsi? *Gen. 26.f.27 B

8 Dixerúntque príncipes Galaad ad Jephte: Ob hanc igitur causam nunc ad te venimus, ut proficiscaris nobiscum, & pugnes contra filios Ammon, sísque dux omnium qui habitant in Galaad.

9 Jephte quoque dixit eis: Si verè venistis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero vester princeps?

10 Qui respondérunt ei: Dominus, qui hæc audit, ipse mediator ac testis est, quòd nostra promissa faciemus.

11 Abiit itaque Jephte cum principibus Galaad, fecítque eum omnis populus princípem sui. Locutúsque est Jephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha.

12 Et

12 Et misit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex persona sua dicerent: Quid mihi & tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam?

*Num. 21.c.24. 13 Quibus ille respondit: * Quia tulit Israël terram meam, quando ascendi de Ægypto, à finibus
C Arnon usque Jaboc atque Jordanem: nunc ergo cum pace redde mihi eam.

14 Per quos rursum mandavit Jephte, & imperavit eis ut dicerent regi Ammon:

15 Hæc dicit Jephte: Non tulit Israël Terram Moab, nec Terram filiorum Ammon:

16 Sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulavit per solitudinem usque ad Mare rubrum, & venit in Cades.

*Nu.20. c.14. 17 * Misítque nuntios ad regem Edom, dicens: Dimitte me ut transeam per terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus ejus. Misit quoque ad Regem Moab, qui & ipse transitum præbere contempsit: Mansit itaque in Cades,

18 Et circuivit ex latere Terram Edom, & Terram Moab: venítque contra Orientalem plagam
D Terræ Moab, & castrametatus est trans Arnon: nec
*Nu.21. c.13. voluit intrare terminos Moab: * Arnon quippe confinium est Terræ Moab:

19 Misit itaque Israël nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon, & dixerunt ei: Dimitte ut transeam per Terram tuam usque ad fluvium.

20 Qui & ipse Israël verba despiciens, non dimisit eum transire per terminos suos: sed infinita multitudine congregata, egressus est contra eum in Jasa, & fortiter resistebat.

21 Tradiditq; eum Dñs in manus Israël cum omni exercitu suo, qui percussit eum, & possedit omnem Terram Amorrhæi habitatoris regionis illius,

22 Et universos fines ejus de Arnon usque Jaboc, & de solitudine usque ad Jordanem.

23 Dominus ergo Deus Israël subvertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo suo Israël, & tu nunc vis possidere terram ejus?

24 Nónne ea quæ possidet Chamos Deus tuus, tibi jure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem:

*Nu.21. c.2. E 25 * Nisi fortè melior es Balac filio Sephor rege Moab: aut docere potes, quòd jurgatus sit contra Israël, & pugnaverit contra eum,

26 Quando habitavit in Hesebon, & viculis ejus, & in Aroër, & villis illius, vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem, per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis?

27 Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me malè agis, indicens mihi bella non justa. Judicet Dominus arbiter hujus diei, inter Israël & inter filios Ammon.

28 Noluítque acquiescere rex filiorum Ammon verbis Jephte, quæ per nuntios mandaverat.

29 Factus est ergo super Jephte, Spiritus Domini, & circuiens Galaad, & Manasse, Maspha quoque Galaad, & inde transiens ad filios Ammon,

F 30 Votum vovit Domino dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas,

31 Quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihíque occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustũ offeram Dño.

32 Transivítque Jephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus ejus.

33 Percussítque ab Aroër usque dum venias in Mennith, viginti civitates, & usque ad Abel, quæ est vineis consita, plaga magna nimis. humiliatíque sunt filij Ammon à filiis Israël.

34 Revertente autem Jephte in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis & choris. non enim habebat alios liberos.

35 Qua visa, scidit vestimenta sua, & ait: Heu me, filia mea, decepisti me, & ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.

36 Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os G
tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis.

37 Dixítque ad patrem: Hoc solum mihi præsta quod deprecor: Dimitte me ut duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.

38 Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cúmque abiisset cum sociis ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus.

39 Expletísque duobus mensibus, reversa est ad patrem suum, & fecit ei sicut voverat, quæ ignorabat virum. Exinde mos increbruit in Israël, & consuetudo servata est:

40 Ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israël, & plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quattuor.

CAPUT XII.

Ephrathæi adversus Jephte insurgentes ad vada Jordanis occiduntur, cùm vocem Scibboleth proferre non possent; quo vita functo, succedunt duces Abesan, Abialon, & Abdon.

1 ECce autem in Ephraim orta est seditio. nam A
transeuntes contra aquilonem, dixerunt ad Jephte: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon vocare nos noluisti, ut pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam.

2 Quibus ille respondit: Disceptatio erat mihi & populo meo contra filios Ammon vehemens; vocavíque vos, ut præberetis mihi auxilium, & facere noluistis.

3 Quod cernens posui animam meam in manibus meis, transivíque ad filios Ammon, & tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, ut adversum me consurgatis in prælium?

4 Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim: percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitivus est Galaad de Ephraim, & habitat in medio Ephraim & Manasse. B

5 Occupaverúntque Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reversurus erat. Cúmque venisset ad ea de Ephraim numero, fugiens, atque dixisset: Obsecro ut me transire permittatis: dicebant ei Galaaditæ: Numquid Ephrathæus es: quo dicēte: Non sum:

6 Interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth,

Universidad de Deusto
Biblioteca

C quod interpretatur Spica. Qui respondebat, Sibboleth : eadem littera spicam exprimere non valens. Statímque apprehensum jugulabant in ipso Jordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia.

7 Judicavit itaque Jephte Galaadites Israël sex annis : & mortuus est, ac sepultus in civitate sua Galaad.

8 Post hunc judicavit Israël Abesan de Bethlehem:

9 Qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, & ejusdem numeri filiis suis accepit uxores, introducens in domum suam. Qui septem annis judicavit Israël.

10 Mortuúsque est, ac sepultus in Bethlehem.

11 Cui successit Ahialon Zabulonites : & judicavit Israël decem annis:

12 Mortuúsque est, ac sepultus in Zabulon.

13 Post hunc judicavit Israël Abdon, filius Illel, Pharathonites:

14 Qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum, & judicavit Israël octo annis:

15 Mortuúsque est, ac sepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte Amalec.

CAPUT XIII.

Israëlitæ rursum in idololatriam lapsi, Philisthæis traduntur : Samson nasciturus ab Angelo prædicitur matri, & deinde patri, natúsque à Domino benedicitur.

A 1 RUrsúmque * filij Israël fecerunt malum in conspectu Domini : qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis.

* Sup. 10. b. 6.

2 Erat autem quidam vir de Saraa, & de Stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem sterilem.

3 Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam : Sterilis es & absque liberis : * sed concipies & paries filium:

* Gen. 16. c. 11. 1. Reg. 1. c. 10. Luc. 1, c. 31.

4 * Cave ergo ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quidquam comedas :

* Nu. 6. c. 34.

5 Quia concipies, & paries filium, cujus non tanget caput novacula : erit enim nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israël de manu Philisthinorum.

B 6 Quæ cùm venisset ad maritum suum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem cùm interrogassem, quis esset, & unde venisset, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere :

7 Sed hoc respondit : Ecce concipies & paries filium : cave ne vinum bibas, nec siceram, & ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer nazaræus Dei ab infantia sua, ex utero matris suæ usque ad diem mortis suæ.

8 Oravit itaque Manue Dominum, & ait: Obsecro Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterùm, & doceat nos quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est.

9 Exaudivítque Dominus deprecantem Manue, & apparuit rursum Angelus Dei uxori ejus sedenti in agro. Manue autem maritus ejus non erat cum ea. Quæ cùm vidisset Angelum,

10 Festinavit, & cucurrit ad virum suum: nuntiavítque ei, dicens : Ecce apparuit mihi vir, quem antè videram.

11 Qui surrexit, & secutus est uxorem suam: veniénsque ad virum, dixit ei : Tu es qui locutus es C
mulieri ? Et ille respondit : Ego sum.

12 Cui Manue: Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer ? aut à quo se observare debebit ?

13 Dixítque Angelus Domini ad Manue : Ab omnibus, quæ locutus sum uxori tuæ, abstineat se:

14 Et quidquid ex vinea nascitur, non comedat: vinum & siceram non bibat, nullo vescatur immúdo: & quod ei præcepi, impleat atque custodiat.

15 Dixítque Manue ad Angelum Domini: Obsecro te ut acquiescas precibus meis, & faciamus tibi hœdum de capris.

16 Cui respondit Angelus : Si me cogis, non comedam panes tuos : si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue quòd Angelus Domini esset.

17 Dixítque ad eum : Quod est tibi nomen, ut si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te ?

18 Cui ille respondit: * Cur quæris nomen meum quod est mirabile ?

* Gen. 32. g. 29.

19 Tulit itaque Manue hœdum de capris, & libamenta, & posuit super petram, offerens Domino, qui facit mirabilia : ipse autem & uxor ejus intuebantur.

20 Cúmque ascenderet flamma altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit. D
Quod cùm vidissent Manue & uxor ejus, proni ceciderunt in terram.

21 Et ultrà eis non apparuit Angelus Domini. Statímque intellexit Manue Angelum Domini esse.

22 Et dixit ad uxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Deum.

23 Cui respondit mulier : Si Dominus nos vellet occidere: de manibus nostris holocaustum & libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea quæ sunt ventura dixisset.

24 Peperit itaque filium, & vocavit nomen ejus Samson. Crevítque puer : & benedixit ei Dominus.

25 Cœpítque Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa & Esthaol.

CAPVT XIV.

Samson uxorem ducit Philisthæam, quam cùm viseret, leonem laceravit, in cujus ore postmodum reperto melle sumpsit ab eo paraholam : qua sodalibus proposita, illi interpretationem per Samsonis uxorem intellexerunt.

A 1 DEscendit ergo Samson in Thamnatha. vidénsque ibi mulierẽ de filiabus Philisthiim,

2 Ascendit, & nuntiavit patri suo, & matri suæ, dicens : Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum : quam quæso ut mihi accipiatis uxorem.

3 Cui dixerunt pater & mater sua : Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt ? Dixítque Samson ad patrem suum : Hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis.

4 Parentes autem ejus nesciebant quòd res à Domino fieret, & quæreret occasionem contra Philisthiim. Eo enim tempore Philisthiim dominabantur Israëli. B

5 Descen

5 Descendit itaque Samson cum patre suo & matre in Thamnatha. Cúmque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sævus, & rugiens, & occurrit ei.

6 Irruit autem spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hœdum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu : & hoc patri & matri noluit indicare.

7 Descendítque & locutus est mulieri, quæ placuerat oculis ejus.

8 Et post aliquot dies revertens ut acciperet eam, declinavit ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis.

9 Quem cùm sumpsisset in manibus, comedebat in via : veniénsque ad patrem suum & matrem, dedit eis partem, qui & ipsi comederunt : nec tamen eis voluit indicare quòd mel de corpore leonis assumpserat.

C 10 Descendit itaque pater ejus ad mulierem, & fecit filio suo Samson convivium. Sic enim juvenes facere consueverant.

11 Cùm ergo cives loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta ut essent cum eo.

12 Quibus locutus est Samson : proponam vobis problema : quod si solveritis mihi intra septem dies convivij, dabo vobis triginta sindones, & totidem tunicas :

13 Sin autem non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones, & ejusdem numeri tunicas. Qui respondérunt ei : Propone problema, ut audiamus.

14 Dixítque eis : De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Nec potuerunt per tres dies propositionem solvere.

15 Cúmque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson : Blandire viro tuo, & suade ei ut indicet tibi quid significet problema, quod si facere nolueris, incendemus te, & domum patris tui. An idcircò vocastis nos ad nuptias ut spoliaretis ?

D 16 Quæ fundebat apud Samson lacrymas, & querebatur dicens : Odisti me, & non diligis : idcircò problema, quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille respondit: Patri meo & matri nolui dicere : & tibi indicare potero ?

17 Septem igitur diebus convivij flebat ante eum : tandémque die septimo cùm ei esset molesta, exposuit. Quæ statim indicavit civibus suis.

18 Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum : Quid dulcius melle, & quid fortius leone ? Qui ait ad eos : Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam.

19 Irruit itaque in eum Spiritus Domini, descendítque Ascalonem. & percussit ibi triginta viros. Quorum ablatas vestes dedit iis qui problema solverant. Iratúsque nimis ascendit in domum patris sui :

20 Uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis ejus & pronubis.

CAPUT XV.

Per vulpium multitudinem Samson Philisthæorum segetes incendit : & fractis funibus quibus ligatus erat, mille Philisthæos asini maxilla prostravit, è cujus dente molari aquæ sitienti fluxerunt.

1 POst aliquantulum autem temporis, cùm dies A
triticeæ messis instarent, venit Samson, invisere volens uxorem suam, & attulit ei hœdum de capris. Cúmque cubiculum ejus solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens :

2 Putavi quòd odisses eam, & ideò tradidi illam amico tuo : sed habet sororem, quæ junior & pulchrior illa est, sit tibi pro ea uxor.

3 Cui Samson respondit : Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthæos : faciam enim vobis mala.

4 Perrexítque & cepit trecentas vulpes, caudásque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio :

5 Quas igne succendens, dimisit, ut huc illúcque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philisthinorum. Quibus succensis, & comportatæ jam fruges, & adhuc stantes in stipula, B
concrematæ sunt, in tantum, ut vineas quoque & oliveta flamma consumeret.

6 Dixerúntque Philisthiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est : Samson gener Thamnathæi: quia tulit uxorem ejus, & alteri tradidit, hæc operatus est. Ascenderúntque Philisthiim : & combusserunt tam mulierem quàm patrem ejus.

7 Quibus ait Samson: Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, & tunc quiescam.

8 Percussítque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori imponerent. Et descendens habitavit in spelunca petræ Etam.

9 Igitur ascendentes Philisthiim in Terram Juda, castrametati sunt in loco qui posteà vocatus est Lechi, id est, maxilla, ubi eorum effusus est exercitus.

10 Dixerúntque ad eos de tribu Juda : Cur ascendistis adversum nos ? Qui respondérunt : Ut ligemus Samson, venimus, & reddamus ei quæ in nos operatus est.

11 Descenderunt ergo tria millia virorum de C
Juda ad specum silicis Etam, dixerúntque ad Samson: Nescis quòd Philisthiim imperent nobis? quare hoc facere voluisti ? Quibus ille ait : Sicut fecerunt mihi, sic feci eis.

12 Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philisthinorum. Quibus Samson, Jurate, ait, & spondete mihi quòd non occidatis me.

13 Dixerunt : Non te occidemus, sed vinctum trademus. Ligaverúntque eum duobus novis funibus, & tulerunt eum de petra Etam.

14 Qui cùm venisset ad locum Maxillæ, & Philisthiim vociferantes occurrissent ei, irruit Spiritus Domini in eum : & sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula quibus ligatus erat, dissipata sunt & soluta.

15 Inventámque maxillam, id est, mandibulam D
asini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.

16 Et ait : In maxilla asini, in mandibula pulli

Universidad de Deusto
Biblioteca

asinarum, delevi eos, & percussi mille viros.

17 Cúmque hæc verba canens complesset, projecit mandibulam de manu, & vocavit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur elevatio maxillæ.

18 Sitiénsque valdè, clamavit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam: en siti morior, incidámque in manus incircumcisorum.

19 Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, & vires recepit. Idcircò appellatum est nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, usque in præsentem diem.

20 Judicavítque Israël in diebus Philisthiim viginti annis.

Caput XVI.

Samson, observantibus eum custodibus, portas Gazæ urbis in montem detulit: à Dalila autem cui sapius illuserat, cognita causa fortitudinis, detonsus, excæcatur ab hostibus; quos tandem unà secum interemit.

A 1 Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingressúsque est ad eam.

2 Quod cùm audissent Philisthiim, & percrebruisset apud eos, intrasse urbem Samson, circumdederunt eum, positis in porta civitatis custodibus: & ibi tota nocte cum silentio præstolantes, ut facto manè exeuntem occiderent.

3 Dormivit autem Samson usque ad medium noctis: & inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & sera, impositásque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron.

4 Post hæc amavit mulierem, quæ habitabat in Valle Sorec, & vocabatur Dalila.

5 Venerúntque ad eam principes Philisthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quo modo eum superare valeamus, & vinctum affligere. B Quod si feceris, dabimus tibi singuli mille & centum argenteos.

6 Locuta est ergo Dalila ad Samson: Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, & quid sit quo ligatus erumpere nequeas?

7 Cui respondit Samson: Si septem nerviceis funibus, necdum siccis & adhuc humentibus, ligatus fuero, infirmus ero ut ceteri homines.

8 Attulerúntque ad eam satrapæ Philisthinorum septem funes, ut dixerat: quibus vinxit eum,

9 Latentibus apud se insidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus, clamavítque ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui rupit vincula, quo modo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine, cùm odorem ignis acceperit: & non est cognitum in quo esset fortitudo ejus.

C 10 Dixítque ad eum Dalila: Ecce illusisti mihi, & falsum locutus es: saltem nunc indica mihi quo ligari debeas.

11 Cui ille respondit: Si ligatus fuero novis funibus, qui numquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum similis.

12 Quibus rursum Dalila vinxit eum, & clamavit: Philisthiim super te Samson, in cubiculo insidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quasi fila telarum.

13 Dixítque Dalila rursum ad eum: Usquequò decipis me, & falsum loqueris? ostende quo vinciri debeas. Cui respondit Samson: Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero.

14 Quod cùm feciisset Dalila, dixit ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui consurgens de somno extraxit clavum cum crinibus & licio.

15 Dixítque ad eum Dalila: Quomodo dicis D quòd amas me, cùm animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, & noluisti dicere in quo sit maxima fortitudo tua.

16 Cúmque molesta esset ei, & per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, & ad mortem usque lassata est.

17 Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum numquam ascendit super caput meum, quia nazaræus, id est, consecratus Deo, sum de utero matris meæ: si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eróque sicut ceteri homines.

18 Vidénsque illa quòd confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philisthinorum ac mandavit: Ascendite adhuc semel, quia nunc mihi aperuit cor suum. Qui ascenderunt, assumpta pecunia quam promiserant.

19 At illa dormire eum fecit super genua sua, E & in sinu suo reclinare caput. Vocavítq; tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit.

20 Dixítque: Philisthiim super te Samson. Qui de somno consurgens, dixit in animo suo: Egrediar sicut antè feci, & me excutiam, nesciens quòd recessisset ab eo Dominus.

21 Quem cùm apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.

22 Jámque capilli ejus renasci cœperant,

23 Et principes Philisthinorum convenerunt in unum ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo, & epularentur, dicentes: Tradidit deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras. F

24 Quod etiam populus videns, laudabat deum suum, eadémque dicebat: Tradidit deus noster adversarium nostrum in manus nostras, qui delevit terram nostram & occidit plurimos.

25 Lætantésque per convivia, sumptis jam epulis, præceperunt ut vocaretur Samson, & ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, fecerúntque eum stare inter duas columnas.

26 Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & reclinet super eas, & paululum requiescam.

27 Domus autem erat plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes principes Philisthinorum, ac de tecto & solario circiter tria millia utriusque sexus spectantes ludentem Samson. G

28 At ille invocato Domino ait: Dominus Deus, memen

memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam.

29 Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alterámque earum dextera, & alteram læva tenens,

30 Ait: Moriatur anima mea cum Philisthiim. Concussísque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & ceteram multitudinem quæ ibi erat: multóque plures interfecit moriens, quàm antè vivus occiderat.

31 Descendentes autem fratres ejus & universa cognatio tulerunt corpus ejus, & sepelierunt inter Saraa & Esthaol in sepulchro patris sui Manue: judicavítque Israël viginti annis.

Caput XVII.

Mater Michæ conflavit ipsi de servato argento idolum; cui ille primò filium suum, deinde Leviten Bethlehemiten præfecit sacerdotem.

A 1 Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas,

2 Qui dixit matri suæ: Mille & centum argenteos, quos separaveras tibi, & super quibus me audiente juraveras, ecce ego habeo, & apud me sunt. Cui illa respondit: Benedictus filius meus Domino.

3 Reddidit ergo eos matri suæ, quæ dixerat ei: Consecravi & vovi hoc argentum Domino, ut de B manu mea suscipiat filius meus, & faciat sculptile atque conflatile: & nunc trado illud tibi.

4 Reddidit igitur eos matri suæ: quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, ut faceret ex eis sculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ.

5 Qui ædiculam quoque in ea Deo separavit, & fecit ephod, & theraphim, id est, vestem sacerdotalem, & idola: implevítque unius filiorum suorum manum, & factus est ei sacerdos.

6 In diebus illis non erat rex in Israël, sed unus- C quisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

7 Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Juda, ex cognatione ejus: erátque ipse Levites, & habitabat ibi.

8 Egressúsque de civitate Bethlehē, peregrinari voluit ubicumque sibi commodum reperisset. Cúmque venisset in montem Ephraim, iter faciens, & declinasset parumper in domum Michæ,

9 Interrogatus est ab eo unde venisset. Qui res- D pondit: Levita sum de Bethlehem Juda, & vado ut habitem ubi potuero, & utile mihi esse perspexero.

10 Dixítque Michas: Mane apud me, & esto mihi parens ac sacerdos: dabóque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem duplicem, & quæ ad victum sunt necessaria.

11 Acquievit, & mansit apud hominem, fuítque illi quasi unus de filiis.

12 Implevítque Michas manum ejus, & habuit puerum sacerdotem apud se.

13 Nunc scio, dicens, quòd benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis sacerdotem.

Caput XVIII.

Missis primùm exploratoribus, secuti posteà sunt sexcenti viri de tribu Dan, quærentes sibi possessionem, & ablato Michæ idolo cum sacerdote, urbem Lais vi capientes inhabitaverunt.

1 In diebus illis non erat rex in Israël, & tribus A Dan quærebat possessionem sibi, ut habitaret in ea: usque ad illum enim diem inter ceteras tribus sortem non acceperat.

2 Miserunt ergo filij Dan, stirpis & familiæ suæ quinque viros fortissimos de Saraa & Esthaol, ut explorarent terram, & diligenter inspicerent: dixerúntque eis: Ite, & considerate terram. Qui cùm pergentes venissent in montem Ephraim, & intrassent domum Michæ, requieverunt ibi:

3 Et agnoscentes vocem adolescentis Levitæ, utentésque illius diversorio, dixerunt ad eum: Quis B te huc adduxit? quid hîc agis? quam ob causam huc venire voluisti?

4 Qui respondit eis: Hæc & hæc præstitit mihi Michas, & me mercede conduxit, ut sim ei sacerdos.

5 Rogaverunt autem eum, ut consuleret Dominum, ut scire possent an prospero itinere pergerent, & res haberet effectum.

6 Qui respondit eis: Ite in pace: Dominus respicit viam vestram, & iter quò pergitis.

7 Euntes igitur quinque viri venerunt Lais: viderúntque populum habitantem in ea absque ullo timore, juxta consuetudinem Sidoniorum, securum & quietum, nullo ei penitus resistente, magnarúmque opum: & procul à Sidone atque à cunctis hominibus separatum.

8 Reversíque ad fratres suos in Saraa & Esthaol, C & quid egissent scíscitantibus responderunt:

9 Surgite, ascendamus ad eos: vidimus enim terram valdè opulentam & uberem: nolite negligere, nolite cessare. Eamus, & possideamus eam, nullus erit labor.

10 Intrabimus ad securos, in regionem latissimam, tradétque nobis Dominus locum, in quo nullius rei est penuria, eorum quæ gignuntur in terra.

11 Profecti igitur sunt de cognatione Dan, id est, de Saraa & Esthaol, sexcenti viri accincti armis bellicis,

12 Adscendentésque manserunt in Cariathiarim Judæ: qui locus, ex eo tempore, Castrorum Dan nomen accepit, & est post tergum Cariathiarim.

13 Inde transierunt in montem Ephraim. Cúmque venissent ad domum Michæ,

14 Dixerunt quinque viri, qui priùs missi fuerant ad considerandam Terram Lais, ceteris fratribus suis: Nostis quòd in domibus istis sit ephod, & theraphim, & sculptile, atque conflatile: videte quid vobis placeat. D

15 Et cùm paululùm declinassent, ingressi sunt domum adolescentis Levitæ, qui erat in domo Michæ: salutaverúntque eum verbis pacificis.

16 Sexcenti autem viri ita ut erant armati, stabant ante ostium.

17 At illi qui ingressi fuerant domum juvenis, sculptile

Universidad de Deusto
Biblioteca

sculptile, & ephod, & theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, & sacerdos stabat ante ostium, sexcentis viris fortissimis haud procul expectantibus.

18 Tulerunt igitur qui intraverant, sculptile, ephod, & idola, atque conflatile. Quibus dixit sacerdos: Quid facitis?

19 Cui responderunt: Tace, & pone digitum super os tuum: veníque nobiscum, ut habeamus te patrem, ac sacerdotem. Quid tibi melius est, ut sis sacerdos in domo unius viri, an in una tribu & familia in Israël?

20 Quod cùm audisset, acquievit sermonibus eorum, & tulit ephod, & idola, ac sculptile, & profectus est cum eis.

21 Quí cùm pergerent, & ante se ire fecissent parvulos ac jumenta, & omne quod erat pretiosum,

22 Et jam à domo Michæ essent procul, viri qui habitabant in ædibus Michæ conclamantes secuti sunt,

23 Et post tergum clamare cœperunt. Qui cùm respexissent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? cur clamas?

24 Quí respondit: Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & sacerdotem, & omnia quæ habeo, & dicitis: Quid tibi est?

25 Dixerúntque ei filij Dan: Cave ne ultrà loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipse cum omni domo tua pereas.

26 Et sic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quòd fortiores se essent, reversus est in domum suam.

27 Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem, & quæ suprà diximus: venerúntque in Lais ad populum quiescentem atque securum, & percusserunt eos in ore gladij: urbémque incendio tradiderunt,

28 Nullo penitus ferente præsidium, eò quòd procul habitarent à Sidone, & cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac negotij. Erat autem civitas sita in regione Rohob: quam rursum exstruentes habitaverunt in ea,

29 Vocato nomine civitatis Dan, juxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israël, quæ priùs Lais dicebatur.

30 Posuerúntque sibi sculptile, & Jonatham filium Gersam filij Moysi, ac filios ejus sacerdotes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ.

31 Mansítque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex in Israël.

Caput XIX.

Cùm Levita suam uxorem à parentum domo reduceret, ipsa à Gabaonitis qui tribus erant Benjamin, prodigiosa libidine extincta, & à marito in duodecim partes corpore secto, ad singulas tribus singula portiones missa sunt.

A 1 FUit quidam vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem Juda:

2 Quæ reliquit eum, & reversa est in domum Patris sui in Bethlehem, mansítque apud eum quatuor mensibus.

3 Secutúsque est eam vir suus, volens reconciliari ei, atque blandiri, & secum reducere, habens in comitatu puerum & duos asinos: quæ susceptum, & introduxit in domum patris sui. Quod cùm audisset socer ejus, eúmque vidisset, occurrit ei lætus,

4 Et amplexatus est hominem. Mansítque gener in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo & bibens familiariter.

5 Die autem quarto de nocte consurgens, proficísci voluit. Quem tenuit socer, & ait ad eum: Gusta priùs pauxillum panis, & conforta stomachum, & sic proficiscéris.

6 Sederúntque simul, ac comederunt & biberunt. Dixítque pater puellæ ad generum suum: Quæso te ut hodie hìc maneas, paritérque lætemur.

7 At ille consurgens, cœpit velle proficísci. Et nihilominus obnixè eum socer tenuit, & apud se fecit manere.

8 Manè autem facto parabat Levites iter. Cui socer rursum: Oro te, inquit, ut paululum cibi capias, & assumptis viribus, donec increscat dies, posteà proficiscaris. Comederunt ergo simul.

9 Surrexítque adolescens, ut pergeret cum uxore sua & puero. Cui rursum locutus est socer: Considera quòd dies ad occasum declivior sit, & propinquat ad vesperum: mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficiscéris ut vadas in domum tuam.

10 Noluit gener acquiescere sermonibus ejus: C sed statim perrexit, & venit contra Jebus, quæ altero nomine vocatur Jerusalem, ducens secum duos asinos onustos, & concubinam.

11 Jámque erant juxta Jebus, & dies mutabatur in noctem: dixítque puer ad dominum suum: Veni, obsecro, declinemus ad urbem Jebusæorum, & maneamus in ea.

12 Cui respondit Dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filiis Israël, sed transibo usque Gabaa:

13 Et cùm illuc pervenero, manebimus in ea, aut certè in urbe Rama.

14 Transierunt ergo Jebus, & cœptum carpebant iter, occubuítque eis sol juxta Gabaa, quæ est in tribu Benjamin:

15 Diverterúntque ad eam ut manerent ibi. Quò cùm intrassent, sedebant in platea civitatis, & nullus eos recipere voluit hospitio.

16 Et ecce, apparuit homo senex, revertens de D agro & de opere suo vesperi, qui & ipse de monte erat Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa. Homines autem regionis illius erant filij Jemini.

17 Elevatísque oculis, vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea civitatis: & dixit ad eum: Unde venis? & quò vadis?

18 Qui respondit ei: Profecti sumus de Bethlehem Juda, & pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim, unde ieramus in Bethlehem, & nunc vadimus ad domum Dei, nullúsque sub tectum suum nos vult recipere,

19 Habentes paleas & fœnum in Asinorum pabulum, & panem ac vinum in meos & ancillæ tuæ usus, & pueri qui mecum est: nulla re indigemus nisi hospitio.

20 Cui respondit senex: Pax tecum sit, ego præ- E bebo

bebo omnia quæ necessaria sunt: tantùm, quæso, ne in platea maneas.

21 Introduxítque eum in domum suam, & pabulum asinis præbuit: ac postquam laverunt pedes suos, recepit eos in convivium.

22 Illis epulantibus, & post laborem itineris, cibo & potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius, filij Belial, (id est, absque jugo) & circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes: * Educ virum, qui ingressus est domum tuam ut abutamur eo.

* Gen. 19.a.5.

F 23 Egressúsque est ad eos senex, & ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc, quia ingressus est homo hospitium meum, & cessate ab hac stultitia:

24 Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, ut humilietis eas, & vestram libidinem compleatis: tantùm obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum.

25 Nolebant acquiescere sermonibus illius. Quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam suam, & eis tradidit illudendam: qua cùm tota nocte abusi essent, dimiserunt eam manè.

26 At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domus, ubi manebat dominus suus, & ibi corruit.

27 Manè facto, surrexit homo, & aperuit ostium, ut cœptam expleret viam: & ecce concubina ejus jacebat ante ostium sparsis in limine manibus.

G 28 Cui ille, putans eam quiescere, loquebatur: Surge, & ambulemus. Qua nihil respondente, intelligens quòd erat mortua; tulit eam, & imposuit asino, reversúsque est in domum suam.

29 Quam cùm esset ingressus, arripuit gladium, & cadaver uxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israël.

30 Quod cùm vidissent singuli, conclamabant: Numquam res talis facta est in Israël, ex eo die quo ascenderunt patres nostri de Ægypto, usque in præsens tempus: ferte sententiam, & in commune decernite quid facto opus sit.

Caput XX.

Ob hoc scelus pugnantes reliqua tribus adversus Benjamin semel atque iterum bello inferiores, tertióque committentes jussu Domini prælium, tribum illam, præter sexcentos qui in solitudinem fugerant, penitus deleverunt.

A 1 EGressi itaque sunt omnes filij Israël, & pariter congregati, quasi vir unus, * de Dan usque Bersabee, & Terra Galaad, ad Dominum in Maspha:

* Osé.9. c. 9.

2 Omnésque anguli populorum, & cunctæ tribus Israël in Ecclesiam populi Dei convenerunt, quadringenta millia peditum pugnatorum.

3 (Nec latuit filios Benjamin, quòd ascendissent filij Israël in Maspha.) Interrogatúsque Levita, maritus mulieris interfectæ, quomodo tantum scelus perpetratum esset,

4 Respondit: Veni in Gabaa Benjamin cum uxore mea, illúcque diverti:

5 Et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, & uxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est.

6 Quam arreptam, in frusta concidi, misíque partes in omnes terminos possessionis vestræ: quia numquam tantum nefas, & tam grande piaculum factum est in Israël.

7 Adestis omnes filij Israël, decernite quid facere debeatis.

8 Stánsque omnis populus, quasi unius hominis sermone respondit: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum: B

9 Sed hoc contra Gabaa in commune faciamus.

10 Decem viri eligantur è centum ex omnibus tribubus Israël, & centum de mille, & mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, & possimus pugnare contra Gabaa Benjamin, & reddere ei pro scelere, quod meretur.

11 Convenítque universus Israël ad civitatem, quasi homo unus, eadem mente, unóque consilio.

12 Et miserunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum est?

13 Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, & auferatur malum de Israël. Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israël audire mandatum:

14 Sed ex cunctis urbibus, quæ sortis suæ erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, & contra universum populum Israël dimicarent.

15 Inventíque sunt viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa,

16 Qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra ut dextra præliantes: & sic fundis lapides ad C certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.

17 Virorum quoque Israël, absque filiis Benjamin, inventa sunt quadringenta millia educentium gladios, & paratorum ad pugnam.

18 Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo: consuluerúntque Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus: Judas sit dux vester.

19 Statímque filij Israël surgentes manè, castrametati sunt juxta Gabaa:

20 Et inde procedentes ad pugnam contra Benjamin, urbem oppugnare cœperunt.

21 Egressíque filij Benjamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israël die illo viginti duo millia virorum.

22 Rursum filij Israël & fortitudine & numero confidentes, in eodem loco, in quo priùs certaverant, aciem direxerunt:

23 Ita tamen ut priùs ascenderent & flerent coram Domino usque ad noctem: consuleréntque D eum, & dicerent: Debeo ultrà procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit: Ascendite ad eos, & inite certamen.

24 Cúmque filij Israël altera die contra filios Benjamin ad prælium processíssent,

25 Eruperunt filij Benjamin de portis Gabaa: & occurrentes eis, tanta in illos cæde bacchati sunt,

ut

Universidad de Deusto
Biblioteca

ut decem & octo millia virorum educentium gladium prosternerent.

26 Quamobrem omnes filij Israël venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino: jejunaverúntque die illo usque ad vesperam, & obtulerunt ei holocausta,atque pacificas victimas,

27 Et super statu suo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei,

28 Et Phinees filius Eleazari filij Aaron præpositus domus. Consuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt. Exire ultrà debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus: Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras.

29 Posuerúntque filij Israël insidias per circuitum urbis Gabaa:

30 Et tertia vice, sicut semel & bis, contra Benjamin exercitum produxerunt.

31 Sed & filij Benjamin audacter eruperunt de civitate,& fugientes adversarios longiùs persecuti sunt, ita ut vulnerarent ex eis sicut primo die & secundo, & cæderent per duas semitas vertentes terga, quarum una ferebatur in Bethel,& altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros:

32 Putaverunt enim solito eos more cædere. Qui fugam arte simulantes, inierunt consilium ut abstraherent eos de civitate, & quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent.

33 Omnes itaque filij Israël surgentes de sedibus suis, tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar. Insidiæ quoque, quæ circa urbem erant, paulatim se aperire cœperunt,

34 Et ab Occidentali urbis parte procedere. Sed & alia decem millia virorum de universo Israël, habitatores urbis ad certamina provocabant. Ingravatúmque est bellum contra filios Benjamin: & non intellexerunt quòd ex omni parte illis instaret interitus.

35 Percussítque eos Dominus in conspectu filiorum Israël, & interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia & centum viros, omnes bellatores & educentes gladium.

36 Filij autem Benjamin, cùm se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere. Quod cernentes filij Israël,dederunt eis ad fugiendum locum,ut ad præparatas insidias devenirent, quas juxta urbem posuerant.

37 Qui cùm repentè de latibulis surrexissent,& Benjamin terga cædentibus daret, ingressi sunt civitatem, & percusserunt eam in ore gladij.

38 Signum autem dederant filij Israël his quos in insidiis collocaverant, ut postquam urbem cepissent,ignem accenderent: ut ascendente in altum fumo, captam urbem demonstrarent.

39 Quod cùm cernerent filij Israël in ipso certamine positi,(putaverunt enim filij Benjamin eos fugere, & instantiùs persequebantur, cæsis de exercitu eorum triginta viri.)

40 Et viderent quasi columnam fumi de civitate conscendere; Benjamin quoque aspiciens retrò, cùm captam cerneret civitatem,& flammas in sublime ferri:

41 Qui priùs simulaverant fugam, versa facie fortiùs resistebant. Quod cùm vidissent filij Benjamin, in fugam versi sunt,

42 Et ad viam deserti ire cœperunt, illuc quoque eos adversariis persequentibus. Sed & hi qui urbem succenderant, occurrerunt eis.

43 Atque ita factum est, ut ex utraque parte ab hostibus cæderentur,nec erat ulla requies morientium. Ceciderunt, atque prostrati sunt ad Orientalem plagam urbis Gabaa.

44 Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt, decem & octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatores.

45 Quod cùm vidissent qui remanserant de Benjamin, fugerunt in solitudinem: & pergebant ad Petram, cujus vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, & in diversa tendentes,occiderunt quinque millia virorum. Et cùm ultrà tenderent, persecuti sunt eos, & interfecerunt etiam alia duo millia.

46 Et sic factum est, ut omnes qui ceciderant de Benjamin in diversis locis, essent viginti quinque millia,pugnatores ad bella promptissimi.

47 Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere, & fugere in solitudinem potuerunt, sexcenti viri: sederúntque in Petra Remmon mensibus quattuor.

48 Regressi autem filij Israël,omnes reliquias civitatis à viris usque ad jumenta, gladio percusserunt, cunctásque urbes & viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.

Caput XXI.

Instauratur tribus Benjamin ex 400. virginibus in cæde habitatorum Jabes Galaad reservatis,& ex raptis ducentium choros in Silo virginibus.

1 Juraverunt quoque filij Israël in Maspha & dixerunt: Nullus nostrûm dabit filiis Benjamin de filiabus suis uxorem.

2 Venerúntque omnes ad domum Dei in Silo, & in conspectu ejus sedentes usque ad vesperam, levaverunt vocem,& magno ululatu cœperunt flere, dicentes:

3 Quare Domine Deus Israël factum est hoc malum in populo tuo,ut hodie una tribus auferretur ex nobis?

4 Altera autem die diluculò consurgentes, extruxerunt altare, obtulerúntque ibi holocausta, & pacificas victimas, & dixerunt:

5 Quis non ascendit in exercitu Domini de universis tribubus Israël? Grandi enim juramento se constrinxerant, cùm essent in Maspha, interfici eos qui defuissent.

6 Ductíque pœnitentia filij Israël super fratre suo Benjamin, cœperunt dicere: Ablata est tribus una de Israël,

7 Unde uxores accipient? omnes enim in commune juravimus,non daturos nos his filias nostras.

8 Idcircò dixerunt: Quis est de universis tribubus Israël, qui non ascendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inventi sunt habitatores Jabes Galaad in illo exercitu non fuisse.

9 (Eo quoque tempore cùm essent in Silo,nullus ex eis ibi repertus est.)

10 Miserunt itaque decem millia viros robustissimos, & præceperunt eis: Ite, & percutite habitatores Jabes Galaad in ore gladij,tam uxores quàm parvulos eorum.

11 Et hoc erit quod observare debebitis:* Omne generis masculini, & mulieres quæ cognoverunt viros, interficite, virgines autem reservate.

12 Inventæque sunt de Jabes Galaad quadringentæ virgines, quæ nescierunt viri torum,& adduxerunt eas ad castra in Silo, in Terram Chanaan.

13 Miserúntque nuntios ad filios Benjamin,qui erant in Petra Remmon,& præceperunt eis,ut eos susciperent in pace.

14 Venerúntque filij Benjamin in illo tempore, & datæ sunt eis uxores de filiabus Jabes Galaad: alias autem non repererunt, quas simili modo traderent.

15 Universúsque Israël valdè doluit,& egit pœnitentiâ super interfectione unius tribus ex Israël:

16 Dixerúntque majores natu: Quid faciemus reliquis,qui non acceperunt uxores?omnes in Benjamin feminæ conciderunt,

17 Et magna nobis cura,ingentíque studio providendum est, ne una tribus deleatur ex Israël.

18 Filias enim nostras eis dare non possumus,constricti juramento & maledictione, qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem Benjamin.

* *Num.* 31.c.17. 18.

19 Ceperúntque consilium,atque dixerunt:Ecce sollemnitas Domini est in Silo anniversaria, quæ sita est ad Septemtrionem urbis Bethel,&ad Orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam,& ad Meridiem oppidi Lebona.

20 Præceperúntque filiis Benjamin, atque dixerunt: Ite, & latitate in vineis.

21 Cúmque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere,exite repentè de vineis, & rapite ex eis singuli uxores singulas, & pergite in Terram Benjamin.

22 Cúmque venerint patres earum, ac fratres, & adversum vos queri cœperint, atque jurgari, dicemus eis: Miseremini eorum: non enim rapuerunt eas jure bellantium atque victorum, sed rogantibus ut acciperent, non dedistis, & à vestra parte peccatum est.

23 Fecerúntque Filij Benjamin, ut sibi fuerat imperatum: & juxta numerum suum,rapuerunt sibi de his quæ ducebant choros, uxores singulas: abierúntque in possessionem suam ædificantes urbes,& habitantes in eis.

24 Filij quoque Israël reversi sunt per tribus & familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in Israël,sed unusquisque,quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

LIBER RUTH.

Caput Primum.

Elimelech Bethlehemita præ nimia fame cum uxore Noëmi ac filiis in Moab concedit:quo unà cum filiis mortuo,Noëmi cum Ruth nuru sua in Bethlehem revertens,non vult vocari Noëmi, sed Mara.

1 IN diebus unius judicis, quando judices præerant, facta est fames in Terra. Abiitque homo de Bethlehem Juda, ut peregrinaretur in regione Moabitide, cum uxore sua ac duobus liberis.

2 Ipse vocabatur Elimelech, & uxor ejus Noëmi: & duo filij, alter Mahalon, & alter Chelion, Ephrathæi de Bethlehem Juda. Ingressíque regionem Moabitidem, morabantur ibi.

3 Et mortuus est Elimelech maritus Noëmi,remansítque ipsa cum filiis.

4 Qui acceperunt uxores Moabitidas, quarum una vocabatur Orpha, altera verò Ruth. Manserúntque ibi decem annis.

5 Et ambo mortui sunt, Mahalon videlicet & Chelion: remansítque mulier orbata duobus liberis ac marito.

6 Et surrexit ut in patriam pergeret, cum utraque nuru sua, de regione Moabitide: audierat enim quòd respexisset Dominus populum suum, & dedisset eis escas.

7 Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ cum utraque nuru: & jam in via revertendi posita in Terram Juda,

8 Dixit ad eas: Ite in domum matris vestræ,faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis & mecum.

9 Det vobis invenire requiem in domibus virorum, quos sortituræ estis. Et osculata est eas. Quæ elevata voce flere cœperunt,

10 Et dicere:Tecum pergemus ad populum tuũ,

11 Quibus illa respondit:Revertimini filiæ meæ, cur venitis mecum? num ultrà habeo filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis?

12 Revertimini filiæ meæ, & abite: jam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo conjugali, etiam si possem hac nocte concipere,& parere filios.

13 Si eos expectare velitis, donec crescant, & annos pubertatis impleant,antè eritis vetulæ quàm nubatis. Nolite quæso filiæ meæ: quia vestra angustia magis me premit,& egressa est manus Domini contra me.

14 Elevata igitur voce, rursùm flere cœperunt: Orpha osculata est socrum, ac reversa est: Ruth adhæsit socrui suæ.

15 Cui dixit Noëmi:En reversa est cognata tua ad populum suum,& ad deos suos,vade cum ea.

16 Quæ respondit:Ne adverseris mihi ut relinquam te & abeam: quocumque enim perrexeris, pergam:& ubi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus.

17 Quæ te terra morientem susceperit,in ea moriar:ibíque locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus,& hæc addat, si non sola mors me & te separaverit.

18 Videns ergo Noëmi quòd obstinato animo Ruth decrevisset secum pergere, adversari noluit, nec ad suos ultrà reditum persuadere:

19 Profectæque sunt simul,& venerunt in Bethlehem. Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebruit: dicebántque mulieres:Hæc est illa Noëmi.

20 Quibus ait: Ne vocetis me Noëmi (id est, pulchram) sed vocate me Mara (id est, amaram) quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens.

21 Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noëmi,quam Dominus humiliavit & afflixit Omnipotens?

22 Venit ergo Noëmi cum Ruth Moabitide nuru sua, de terra peregrinationis suæ: ac reversa est in Bethlehem, quando primùm hordea metebantur.

Caput II.

Ruth spicas in agro Booz affinis colligens, gratiam apud eum invenit, & lata vesperi ad socrum reversa, multum frumenti & de ciborum reliquiis ei affert.

A 1 ERat autem viro Elimelech consanguineus, homo potens, & magnarum opum, nomine Booz.

2 Dixítque Ruth Moabitis ad socrum suam:Si jubes, vadam in agrum,& colligam spicas,quæ fugerint manus metentium, ubicumque clementis in me patris familias reperero gratiam. Cui illa respondit: Vade filia mea:

3 Abiit itaque & colligebat spicas post terga metentium.Accidit autem ut ager ille haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech.

4 Et ecce ipse veniebat de Bethlehem, dixítque messoribus: Dominus vobiscum.Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus.

5 Dixítque Booz juvenis, qui messoribus præerat: Cujus est hæc puella?

B 6 Cui respondit: Hæc est Moabitis,quæ venit cum Noëmi, de regione Moabitide,

7 Et rogavit ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia:& de manè usque nunc stat in agro, & ne ad momentum quidem domum reversa est.

8 Et ait Booz ad Ruth: Audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco: sed jungere puellis meis,

9 Et ubi messuerint, sequere. Mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi: sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas,& bibe aquas, de quibus & pueri bibunt.

10 Quæ cadens in faciem suam & adorans super terram, dixit ad eum: Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinam mulierem?

11 Cui ille respondit: Nuntiata sunt mihi omnia, quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui:& quòd reliqueris parentes tuos, & terrã in qua nata es, & veneris ad populum, quem anteà nesciebas.

C 12 Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israël, ad quem venisti, & sub cujus confugisti alas.

13 Quæ ait:Inveni gratiam apud oculos tuos domine mi, qui consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum.

14 Dixítque ad eam Booz: Quando hora vescendi fuerit,veni huc,& comede panem,& intinge buccellam tuam in aceto.Sedit itaque ad messorum latus, & congessit polentam sibi, comedítque & saturata est, & tulit reliquias.

15 Atque inde surrexit ut spicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis, dicens: Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam:

16 Et de vestris quoque manipulis projicite de industria, & remanere permittite, ut absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.

17 Collegit ergo in agro usque ad vesperam: & D quæ collegerat virga cædens & excutiens, invenit hordei quasi ephi mensuram, id est tres modios.

18 Quos portans reversa est in civitatem,& ostendit socrui suæ: insuper protulit,& dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat.

19 Dixítque ei socrus sua: Ubi hodie collegisti, & ubi fecisti opus? sit benedictus qui misertus est tui. Indicavítque ei apud quem fuisset operata:& nomen dixit viri, quòd Booz vocaretur.

20 Cui respondit Noëmi: Benedictus sit à Domino: quoniam eamdem gratiam quam præbuerat vivis,servavit & mortuis.Rursúmque ait: Propinquus noster est homo.

21 Et Ruth, Hoc quoque,inquit,præcepit mihi, ut tamdiu messoribus ejus jungerer, donec omnes segetes meterentur.

22 Cui dixit socrus: Melius est, filia mea,ut cum puellis ejus exeas ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi.

23 Juncta est itaque puellis Booz:& tamdiu cum eis messuit, donec hordea & triticum in horreis conderentur.

Caput III.

Ruth socrum consilio ad pedes Booz dormientis recumbens, accepto lato responso multas hordei mensuras ad socrum defert.

1 POstquam autem reversa est ad socrum suam, A audivit ab ea: Filia mea, quæram tibi requiem, & providebo ut benè sit tibi.

2 Booz iste,cujus puellis in agro juncta es,propinquus noster est,& hac nocte aream hordei ventilat.

3 Lavare igitur, & ungere, & induere cultioribus vestimentis, & descende in aream. Non te videat homo, donec esum potúmque finierit.

4 Quando autem ierit ad dormiendum,nota locum in quo dormiat: veniésque & discooperies pallium,quo operitur à parte pedum, & projicies te, & ibi jacebis: ipse autem dicet tibi quid agere debeas.

5 Quæ respondit: Quidquid præceperis faciam.

6 Descendítque in aream, & fecit omnia quæ B sibi imperaverat socrus.

7 Cúmque comedisset Booz, & bibisset, & factus esset hilarior, issetque ad dormiendum juxta acervum manipulorum,venit absconditè, & discooperto pallio à pedibus ejus, se projecit.

8 Et ecce, nocte jam media expavit homo, & conturbatus est: vidítque mulierem jacentem ad pedes suos,

9 Et ait illi: Quæ es? Illáque respondit: Ego sum

sum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es.

C 10 Et ille benedicta, inquit, es à Domino filia, & priorem misericordiam posteriore superasti:quia non es secuta juvenes, pauperes sive divites.

11 Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis.

12 Nec abnuo me propinquum,sed est alius me propinquior.

13 Quiesce hac nocte: & facto manè, si te voluerit propinquitatis jure retinere, benè res acta est: sin autem ille noluerit, ego te absque ulla du-D bitatione suscipiam, vivit Dominus, dormi usque manè.

14 Dormivit itaque ad pedes ejus, usque ad noctis abscessum. Surrexit itaque antequam homines se cognoscerent mutuò, & dixit Booz: Cave ne quis noverit quòd huc veneris.

15 Et rursum, expande, inquit, pallium tuum quo operiris, & tene utraque manu. Qua extendente, & tenente, mensus est sex modios hordei, & posuit super eam. Quæ portans ingressa est civitatem,

16 Et venit ad socrum suam.Quæ dixit ei: Quid egisti filia? Narravítque ei omnia, quæ sibi fecisset homo.

17 Et ait: Ecce sex modios hordei dedit mihi, & ait: Nolo vacuam te reverti ad socrum tuam.

18 Dixítque Noëmi:Expecta filia donec videamus quem res exitum habeat. Neque enim cessabit homo nisi compleverit quod locutus est.

Caput IV.

Booz coram senioribus civitatis accipit possessionem Elimelech,& Ruth nurum defuncti in uxorem,cedente alio propinquiore juri propinquitatis, ex qua genuit Obed avum David regis.

A 1 AScendit ergo Booz ad portam, & sedit ibi. Cúmque vidisset propinquum præterire,de quo priùs sermo habitus est, dixit ad eum: Declina paulisper, & sede hîc: vocans eum nomine suo. Qui divertit, & sedit.

2 Tollens autem Booz decem viros de senioribus civitatis, dixit ad eos: Sedete hîc.

3 Quibus sedentibus, locutus est ad propinquum:Partem agri fratris nostri Elimelech vendet Noëmi, quæ reversa est de regione Moabitide:

4 Quod audire te volui, & tibi dicere coram cunctis sedentibus, & majoribus natu de populo B meo. Si vis possidere jure propinquitatis: eme, & posside. Sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, ut sciam quid facere debeam. Nullus enim est propinquus, excepto te, qui prior es;& me,qui secundus sum.At ille respondit:Ego agrum emam.

5 Cui dixit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ uxor defuncti fuit, debes accipere: ut suscites nomen propinqui tui in hereditate sua.

6 Qui respondit: Cedo juri propinquitatis:neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo. Tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor.

7 * Hic autem erat mos antiquitus in Israël inter propinquos,ut si quando alter alteri suo juri cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum,& dabat proximo suo. Hoc erat testimonium cessionis in Israël. * Deut. 25.b.7.

8 Dixit ergo propinquo suo Booz:Tolle calceamentum tuum. Quod statim solvit de pede suo.

9 At ille majoribus natu,& universo populo,Testes vos, inquit, estis hodie, quòd possederim omnia quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mahalon,tradente Noëmi: C

10 Et Ruth Moabitidem uxorem Mahalon, in conjugium sumpserim, ut suscitem nomen defuncti in hereditate sua,ne vocabulum ejus de familia sua ac fratribus, & populo deleatur. Vos, inquam, hujus rei testes estis.

11 Respondit omnis populus, qui erat in porta, & majores natu: Nos testes sumus: faciat Dominus hanc mulierem,quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel & Liam, quæ ædificaverunt domum Israël: ut sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem:

12 Fiátque domus tua, sicut domus Phares, * quem Thamar peperit Judæ, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella. * Gen. 38.g.29.

13 Tulit itaque Booz Ruth, & accepit uxorem: D ingressúsque est ad eam, & dedit illi Dominus ut conciperet & pareret filium.

14 Dixerúntque mulieres ad Noëmi: Benedictus Dominus, qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, & vocaretur nomen ejus in Israël.

15 Et habeas qui consoletur animam tuam, & enutriat senectutem. de nuru enim tua natus est, quæ te diliget: & multò tibi melior est, quàm si septem haberes filios.

16 Susceptúmque Noëmi puerum posuit in sinu suo, & nutricis ac gerulæ fungebatur officio.

17 Vicinæ autem mulieres congratulantes ei,& dicentes: Natus est filius Noëmi: vocaverunt nomen ejus Obed: hic est pater Isai, patris David.

18 Hæ sunt generationes* Phares: Phares genuit Esron, * 1. Par. 2.a.5.4. a.1. Matth.a. a.3.

19 Esron genuit Aram,Aram genuit Aminadab.

20 Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit Salmon,

21 Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed,

22 Obed genuit Isai, Isai genuit David.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER PRIMUS

SAMUELIS, QUEM NOS PRIMUM REGUM DICIMUS.

Capvt Primum.

Elcana habuit uxores Annam & Phenennam: quarum Anna diu sterilis, & æmulæ improperio tristis, fusa in Silo coram Heli oratione ad Dominum, genuit Samuelem; quem Domino obtulit, ut voverat.

A 1 EXit vir unus de Ramathaimsophim, de monte Ephraim, & nomen ejus Elcana, filius Jeroham filij Eliu, filij Thohu, filij Suph, Ephrathæus:
2 Et habuit duas uxores, nomen uni Anna, & nomen secundæ Phenenna. Fuerúntque Phenennæ filij: Annæ autem non erant liberi:

3 Et ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus, ut adoraret & sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni & Phinees, sacerdotes Domini.

4 Venit ergo dies, & immolavit Elcana, dedítque Phenennæ uxori suæ, & cunctis filiis ejus, & filiabus partes:

5 Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vulvam ejus.

6 Affligebat quoque eam æmula ejus, & vehementer angebat, in tantum, ut exprobraret quòd
B Dominus conclusisset vulvam ejus:

7 Síque faciebat per singulos annos, cùm redeunte tempore ascenderent ad templum Domini: & sic provocabat eam. Porrò illa flebat, & non capiebat cibum.

8 Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna, cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij?

9 Surrexit autem Anna postquam comederat & biberat in Silo. Et Heli sacerdote sedente super Sellam ante postes templi Domini,

10 Cùm esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter,

11 Et votum vovit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederísque servæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non ascendet super caput ejus.

12 Factum est autem, cùm illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os ejus.

13 Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantúmque labia illius movebantur, & vox penitus
C non audiebatur. Æstimavit ergo eam Heli temulentam.

14 Dixítque ei: Usquequò ebria eris? digere paulisper vinum quo mades.

15 Respondens Anna, Nequaquam, inquit, domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinúmque & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.

16 Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris & mœroris mei locuta sum usque in præsens.

17 Tunc Heli ait ei: Vade in pace, & Deus Israël det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum.

18 Et illa dixit: Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, & comedit, vultúsque illius non sunt ampliùs in diversa mutati.

19 Et surrexerunt manè, & adoraverunt coram Domino: reversíque sunt, & venerunt in domum suam Ramatha. Cognovit autem Elcana Annam uxorem suam: & recordatus est ejus Dominus.

20 Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocavítque nomen ejus Samuel: eò quòd à Domino postulasset eum. D

21 Ascendit autem vir ejus Elcana, & omnis domus ejus, ut immolaret Domino hostiam sollemnem, & votum suum,

22 Et Anna non ascendit: dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi jugiter.

23 Et ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, & mane donec ablactes eum: precórque ut impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactavit filium suum, donec amoveret eum à lacte.

24 Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus.

25 Et immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli.

26 Et ait Anna: Obsecro mi domine, vivit anima tua domine, ego sum illa mulier, quæ steti coram te hîc orans Dominum.

27 Pro puero isto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam quam postulavi eum.

28 Idcircò & ego commodavi eum Domino, cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino. Et adoraverunt ibi Dominum. Et oravit Anna, & ait:

Caput II.

Annæ canticum in gratiarum actionem; quæ rursum tres filios & duas filias generavit: ob peccata autem filiorum Heli, & nimiam patris indulgentiam, fit illi & domui ejus comminatio, ac mors filiorum prædicitur.

A 1 EXultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo.

2 Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.

3 Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes: recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum, Dominus est, & ipsi præparantur cogitantes.

4 Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.

5 Repleti priùs, pro panibus se locaverunt: & famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata est.

B 6 * Dominus mortificat & vivificat, deducit ad
* *Deut. 32. f. 39. Tob. 13. a. 2. Sap. 16. b. 13.* inferos & reducit.

7 Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat.

8 Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.

9 Pedes sanctorum suorum servabit, & impij in tenebris conticescent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

C 10 Dominum formidabunt adversarij ejus & super ipsos in cælis tonabit: Dominus judicabit fines Terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.

11 Et abiit Elcana Ramatha, in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis.

12 Porrò filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum,

13 Neque officium sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua,

14 Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum: & omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi. Sic faciebant universo Israëli venientium in Silo.

15 Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam.

D 16 Dicebátque illi immolans: Incendatur primùm juxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi.

17 Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à sacrificio Domini.

18 Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo.

19 Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam sollemnem.

20 Et benedixit Heli Elcanæ & uxori ejus: dixítque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum.

21 Visitavit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias: & magnificatus est puer Samuel apud Dominum. E

22 Heli autem erat senex valdè, & audivit omnia quæ faciebant filij sui universo Israëli: & quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi:

23 Et dixit eis: Quare facitis res hujusce modi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo?

24 Nolite filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini.

25 Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.

26 Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino quàm hominibus. F

27 Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum Hæc dicit Dominus: Numquid non apertè revelatus sum domui patris tui, cùm essent in Ægypto in domo Pharaonis?

28 Et elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me: & dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël.

29 Quare calce abjecistis victimam meam, & munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos quàm me, ut comederetis primitias omnis sacrificij Israël populi mei,

30 Propterea ait Dominus Deus Israël: * Loquens *3. Re. 2. c. 27.* locutus sum, ut domus tua, & domus patris tui, ministraret in conspectu meo, usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

31 Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. G

32 Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israël: & non erit senex in domo tua omnibus diebus.

33 Veruntamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit:

34 Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni & Phinees: In die uno morientur ambo.

35 Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.

36 Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicátque:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.

Caput III.

Samuel quater à Domino vocatus, revelationem sibi adversum Heli factam, ei refert.

A 1 PUer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli,& sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta.

2 Factum est ergo in die quadam, Heli jacebat in loco suo,& oculi ejus caligaverant,nec poterat videre:

3 Lucerna Dei antequam extingueretur,Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei.

4 Et vocavit Dominus Samuel.Qui respondens, ait: Ecce ego.

5 Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: vocasti enim me. Qui dixit: Non vocavi: revertere, & dormi. Et abiit, & dormivit.

6 Et adjecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgénsque Samuel,abiit ad Heli,& dixit:Ecce ego: quia vocasti me. Qui respondit: Non vocavi te fili mi: revertere, & dormi.

B 7 Porrò Samuel necdum sciebat Dominum,neque revelatus fuerat ei sermo Domini.

8 Et adjecit Dominus,& vocavit adhuc Samuelem tertiò. Qui consurgens, abiit ad Heli,

9 Et ait: Ecce ego: quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum: & ait ad Samuelem: Vade, & dormi: & si deinceps vocaverit te, dices: Loquere Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuel,& dormivit in loco suo.

10 Et venit Dominus,& stetit: & vocavit,sicut vocaverat secundò,Samuel,Samuel.Et ait Samuel: Loquere Domine, quia audit servus tuus.

11 Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israël: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.

C 12 In die illa suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus: incipiam,& complebo.

13 Prædixi enim ei quòd judicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eò quòd noverat indignè agere filios suos,& non corripuerit eos.

14 Idcircò juravi Domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus ejus victimis & muneribus usque in æternum.

15 Dormivit autem Samuel usque manè, aperuítque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli.

16 Vocavit ergo Heli Samuelem, & dixit: Samuel fili mi? Qui respondens, ait: Præstò sum.

D 17 Et interrogavit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te? oro te ne celaveris me. Hæc faciat tibi Deus, & addat, si absconderis à me sermonem, ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi.

18 Indicavit itaque ei Samuel universos sermones, & non abscondit ab eo.Et ille respondit:Dominus est:quod bonum est in oculis suis faciat.

19 Crevit autem Samuel,& Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.

20 Et cognovit universus Israël à Dan,usque Bersabee, quòd fidelis Samuel propheta esset Domini.

21 Et addidit Dominus ut appareret in Silo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo,juxta verbum Domini. Et evenit sermo Samuelis universo Israëli.

Caput IV.

Cæduntur Israëlitæ à Philisthæis, rursúmque adducta in castra arca cæduntur,capiáque arca duo filij Heli occiduntur;quibus auditis, Heli corruens occumbit,nuru ejus in partu moriente.

1 ET factum est in diebus illis, convenerunt A Philisthiim in pugnam: & egressus est Israël obviàm Philisthiim in prælium, & castrametatus est juxta Lapidem adjutorij. Porrò Philisthiim venerunt in Aphec,

2 Et instruxerunt aciem contra Israël. Inito autem certamine,terga vertit Israël Philisthæis:& cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quattuor millia virorum.

3 Et reversus est populus ad castra: dixerúntque majores natu de Israël: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum.

4 Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim:erántque duo filij Heli cum arca fœderis Dei, Ophni & Phinees.

5 Cúmque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israël clamore grandi, & personuit terra.

6 Et audierunt Philisthiim vocem clamoris,di- B xerúntque. Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognoverunt quòd arca Domini venisset in castra.

7 Timuerúntque Philisthiim, dicentes: Venit Deus in castra.Et ingemuerunt,dicentes:

8 Væ nobis:non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius: væ nobis.quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum: hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga,in deserto.

9 Confortamini, & estote viri, Philisthiim: ne serviatis Hebræis,sicut & illi servierunt vobis:confortamini, & bellate.

10 Pugnaverunt ergo Philisthiim,& cæsus est Israël, & fugit unusquisque in tabernaculum suum: & facta est plaga magna nimis:& ceciderunt de Israël triginta millia peditum.

11 Et arca Dei capta est: duo quoque filij Heli C mortui sunt, Ophni & Phinees.

12 Currens autem vir de Benjamin ex acie,venit in Silo in die illa, scissa veste, & conspersus pulvere caput.

13 Cúmque ille venisset,Heli sedebat super sellam contra viam spectans.Erat enim cor ejus pavẽs pro arca Dei.Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiavit urbi: & ululavit omnis civitas.

14 Et audivit Heli sonitum clamoris, dixítque: Quis est hic sonitus tumultus hujus? At ille festinavit, & venit, & nuntiavit Heli.

15 Heli autem erat nonaginta & octo annorũ,& oculi ejus caligaverant, & videre non poterat.

16 Et

16 Et dixit ad Heli:Ego sum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum est fili mi?

17 Respondens autem ille,qui nuntiabat,Fugit, inquit, Israël coram Philisthiim, & ruina magna facta est in populo: insuper & duo filij tui mortui sunt,Ophni & Phinees:& arca Dei capta est. D

18 Cúmque ille nominasset arcam Dei, cecidit de Sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est. Senex enim erat vir & grandævus: & ipse judicavit Israël quadraginta annis.

19 Nurus autem ejus, uxor Phinees,prægnans erat,vicináque partui: & audito nuntio quòd capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incurvavit se & peperit: irruerant enim in eam dolores subiti.

20 In ipso autem momento mortis ejus, dixerunt ei quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animadvertit.

21 Et vocavit puerum, Ichabod, dicens: Translata est gloria de Israël,quia capta est arca Dei,& pro socero suo & pro viro suo;

22 Et ait:Translata est gloria ab Israël,eò quòd capta esset arca Dei.

Caput V.

Dagon coram arca semel ac iterum corruit, abscissis in limine,capite & manibus,Philisthæi quoque morbis & muribus percussi,arcam à se repellunt.

A 1 PHilisthiim autem tulerunt arcam Dei, & asportaverunt eam à Lapide adjutorij in Azotum.

2 Tulerúntque Philisthiim arcam Dei,& intulerunt eam in templum Dagon,& statuerunt eam juxta Dagon.

3 Cúmque surrexissent diluculò Azotij altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini:& tulerunt Dagon,& restituerunt eum in locum suum.

4 Rursúmque manè die altera consurgentes,invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon,& B duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen:

5 Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem.

6 Aggravata est autem manus Domini super *Psal. 77. 8. 66.* Azotios, & demolitus est eos: * & percussit in secretiori parte natium Azotum,& fines ejus.Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius,& nati sunt mures,& facta est confusio mortis magnæ in civitate.

7 Videntes autem viri Azotij hujuscemodi plaC gam, dixerunt: Non maneat arca Dei Israël apud nos:quoniam dura est manus ejus super nos, & super Dagon Deum nostrum.

8 Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum ad se, & dixerunt:Quid faciemus de arca Dei Israël?Respondeúntque Gethæi:Circumducatur arca Dei Israël. Et circumduxerunt arcam Dei Israël.

9 Illis autem circumducentibus eam,fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros uniuscujusque urbis, à parvo usque ad majorem, & computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas. D

10 Miserunt ergo arcam Dei in Accaron.Cúmq; venisset arca Dei in Accaron,exclamaverunt Accaronitæ, dicentes:Adduxerunt ad nos arcam Dei Israël, ut interficiat nos & populum nostrum.

11 Miserunt itaque & congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum qui dixerunt: Dimittite arcam Dei Israël, & revertatur in locum suum,& non interficiat nos cum populo nostro.

12 Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, & gravissima valdè manus Dei. viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium: & ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cælum.

Caput VI.

Philisthæi arcam cum muribus & anis aureis, suorum sacerdotum consilio, à se remittunt per vaccas lactantes & novum plaustrum usque Bethsames:ubi vaccas super ligna plaustri Bethsamitæ immolaverunt,plurimis de populo ac plebe à Domino interemptis,quòd arcam Dei conspexissent.

A 1 FUit ergo arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus.

2 Et vocaverunt Philisthiim sacerdotes & divinos, dicentes:Quid faciemus de arca Domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt:

3 Si remittitis arcam Dei Israël, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato: & tunc curabimini, & scietis quare non recedat manus ejus à vobis.

4 Qui dixerunt:Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Respondeúntque illi:

5 Juxta numerum provinciarum Philisthinorum,quinque anos aureos facietis,& quinque mures aureos: quia plaga una fuit omnibus vobis, & satrapis vestris. Facietísque similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium, qui demoliti sunt terram. & dabitis Deo Israël gloriam, si fortè relevet manum suam à vobis,& à diis vestris, & à terra vestra. B

6 Quare aggravatis corda vestra,sicut aggravavit Ægyptus,& Pharao cor suum? * nónne postquam percussus est, tunc demisit eos, & abie- *Exod. 12. c. 31.* runt?

7 Nunc ergo arripite & facite plaustrum novum unum: & duas vaccas fœtas,quibus non est impositum jugum, jungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi.

8 Tolletísque arcam Domini,& ponetis in plaustro, & vasa aurea, quæ exsolvistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus ejus:& dimittite eam ut vadat.

9 Et aspicietis:& siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem, minimè: sciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit.

10 Fecerunt ergo illi hoc modo: & tollentes

Universidad de Deusto
Biblioteca

duas vaccas, quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plaustrum, vitulósque earum concluserunt domi.

11 Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat mures aureos & similitudines anorum.

12 Ibant autem in directum vaccæ, per viam quæ ducit Bethsames, & itinere uno gradiebantur, pergentes & mugientes: & non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram: sed & satrapæ Philisthiim sequebantur usque ad terminos Bethsames.

13 Porrò Bethsamitæ metebant triticum in valle: & elevantes oculos suos, viderunt arcam, & gavisi sunt cùm vidissent.

14 Et plaustrum venit in agrum Josue Bethsamitæ, & stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri, vaccásque imposuerunt super ea holocaustum Domino.

15 Levitæ autem deposuerunt arcam Dei, & capsellam quæ erat juxta eam, in qua erant vasa aurea, & posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolaverunt victimas in die illa Domino.

16 Et quinque satrapæ Philisthinorum viderunt, & reversi sunt in Accaron in die illa.

17 Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto, Domino: Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, Accaron unum:

18 Et mures aurcos secundùm numerum urbium Philisthiim, quinque provinciarum, ab urbe murata usque ad villam quæ erat absque muro, & usque ad Abel magnum, super quem posuerunt arcam Domini, quæ erat usque in illum diem in agro Josue Bethsamitis.

19 Percussit autem de viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent arcam Domini: & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eò quòd Dominus percussisset plebem plaga magna.

20 Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus? & ad quem ascendet à nobis?

21 Miserúntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philisthiim arcam Domini, descendite, & reducite eam ad vos.

CAPUT VII.

Reducitur arca in domũ Abinadab in Gabaa, & Samuelis hortatu Israelitæ ad Dominum conversi Philisthæos vicerunt, orante pro ipsis Samuele.

1 VEnerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt ut custodiret arcam Dñi.

2 Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe jam annus vigesimus) & requievit omnis domus Israël post Dominum.

3 Ait autem Samuel ad universam domum Israël, dicens: *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim & Astaroth: & præparate corda vestra Domino, & servite ei soli, & eruet vos de manu Philisthiim.

*Deut. 6. b. 13. Mat. 4. b. 10.

4 Abstulerunt ergo filij Israël Baalim & Astaroth, & servierunt Domino soli.

5 Dixit autem Samuel: Congregate universum Israël in Masphath, ut orem pro vobis Dominum.

6 Et convenerunt in Masphath: hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino. Judicavítque Samuel filios Israël in Masphath.

7 Et audierunt Philisthiim quòd congregati essent filij Israël in Masphath, & ascenderunt Satrapæ Philisthinorum ad Israël. Quod cùm audissent filij Israël, timuerunt à facie Philisthinorum.

8 Dixerúntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum.

9 Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino: & clamavit Samuel ad Dominum pro Israël, & exaudivit eum Dominus.

10 Factum est autem, cùm Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israël: * intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israël.

*Eccli. 46. d. 20.

11 * Egresíque viri Israël de Masphath, persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos, usque ad locum qui erat subter Bethchar.

*Eccli. 46. d. 21.

12 Tulit autem Samuel lapidem unum, & posuit eum inter Masphath & inter Sen: & vocavit nomen loci illius, Lapis adjutorij. Dixítque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.

13 Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultrà ut venirent in terminos Israël. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuelis.

14 Et redditæ sũt urbes, quas tulerant Philisthiim ab Israël Israëli, ab Accaron usque Geth, & terminos suos: liberavítque Israël de manu Philisthinorum, erátque pax inter Israël & Amorrhæum.

15 Judicabat quoque Samuel Israëlem cunctis diebus vitæ suæ:

16 Et ibat per singulos annos circuiens Bethel & Galgala & Masphath, & judicabat Israëlem in supradictis locis.

17 Revertebatúrque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus: & ibi judicabat Israëlem: ædificavit etiam ibi altare Domino.

CAPUT VIII.

Filiis Samuelis ad avaritiam declinantibus petit populus sibi regem; quibus Samuel, jubente Domino, jus regis prædicit, sed non auditur.

1 FActum est autem cùm senuisset Samuel, posuit filios suos judices Israël.

2 Fuítque nomen filij ejus primogeniti Joel: & nomen secundi Abia, judicum in Bersabee.

3 Et non ambulaverunt filij illius in viis ejus: sed declinaverunt post avaritiam, acceperúntque munera, & perverterunt judicium.

4 Congregati ergo universi majores natu Israël, venerunt ad Samuelem in Ramatha.

5 Dixerúntque ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis: *constitue nobis regem, ut judicet nos, sicut & universæ habent nationes.

*Osee. 13. c. 10. Act. 13. c. 21.

6 Displi

6 Displicuit sermo in oculis Samuelis, eò quòd dixissent: Da nobis regem, ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum.

7 Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.

8 Juxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, & servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi.

9 Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen contestare eos, & prædic eis jus regis, qui regnaturus est super eos.

10 Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se regem,

11 Et ait: Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, faciétque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum,

12 Et constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum.

13 Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas.

14 Agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis.

15 Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis suis.

16 Servos etiam vestros, & ancillas, & juvenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo.

17 Greges quoque vestros addecimabit, vósque eritis ei servi.

18 Et clamabitis in die illa à facie regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem.

19 Noluit autẽ populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam: rex enimerit super nos,

20 Et erimus nos quoque sicut omnes gentes: & judicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.

21 Et audivit Samuel omnia verba populi, & locutus est ea in auribus Domini.

22 Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israël: Vadat unusquisque in civitatem suam.

CAPUT IX.

Saul quærendo patris asinas pervenit ad Samuelem, cum quo pransus est, ac nocte hospitio receptus.

1 ET erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filij Seror, filij Bechorath, filij Aphia, filij viri Jemini, fortis robore.

2 Et erat ei filius vocabulo Saul, electus & bonus: & non erat vir de filiis Israël melior illo. ab humero & sursum eminebat super omnem populum.

3 Perierant autem asinæ Cis patris Saul: & dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum unum de pueris, & consurgens vade, & quære asinas. Qui cùm transissent per montem Ephraim,

4 Et per terram Salisa, & non invenissent, transierunt etiam per Terram Salim, & non erant: sed & per Terram Jemini, & minimè repererunt.

5 Cùm autem venissent in Terram Suph, dixit Saul ad puerum qui erat cum eo: Veni & revertamur, ne fortè dimiserit pater meus asinas, & solicitus sit pro nobis.

6 Qui ait ei: Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, sine ambiguitate venit. nunc ergo eamus illuc, si fortè indicet nobis de via nostra, propter quam venimus.

7 Dixítque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarciis nostris: & sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud.

8 Rursum puer respondit Sauli, & ait: Ecce inventa est in manu mea quarta pars statéris argenti, demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostrã:

9 (Olim in Israël sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns)

10 Et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in civitatem, in qua erat vir Dei.

11 Cúmque ascenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num hic est Videns?

12 Quæ respondentes, dixerunt illis: Hic est: ecce ante te, festina nunc: hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est, hodie populi in excelso.

13 Ingredientes urbem, statim invenietis eum antequam ascendat excelsum ad vescendum. neque enim comesurus est populus donec ille veniat: quia ipse benedicit hostiæ, & deinceps comedunt qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum.

14 Et ascenderunt in civitatem. Cúmque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviàm eis, ut ascenderet in excelsum.

15* Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem quàm veniret Saul, dicẽs:

*Act 13. c. 21.

16 Hac ipsa hora, quæ nunc est, eras mittam virũ ad te de Terra Benjamin, & unges eum ducem super populum meum Israël: & salvabit populum meum de manu Philisthinorum: quia respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me.

17 Cúmque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.

18 Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, & ait: Indica, oro, mihi, ubi est domus Videntis.

19 Et respondit Samuel Sauli dicens: Ego sum Videns. ascende ante me in excelsum: ut comedatis mecum hodie, & dimittam te manè: & omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.

20 Et de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne solicitus sis, quia inventæ sunt. Et cujus erunt optima quæque Israël? nónne tibi & omni domui patris tui?

21 Respondens autẽ Saul, ait: Numquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Israël, & cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istũ?

22 Assumens itaque Samuel Saulem, & puerum ejus, introduxit eos in triclinium, & dedit eis

lo

Universidad de Deusto
Biblioteca

locum in capite eorum qui fuerant invitati. erant enim quasi triginta viri.

23 Dixítque Samuel coco: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi ut reponeres seorsum apud te.

24 Levavit autem cocus armum, & posuit ante Saul. Dixítque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa:

25 Et descenderunt de excelso in oppidum, & locutus est cum Saule in solario: stravítque Saul in solario, & dormivit.

26 Cúmque manè surrexissent, & jam eluceseceret, vocavit Samuel Saulem in solario, dicens: Surge, & dimittam te. Et surrexit Saul: egressíque sunt ambo, ipse videlicet, & Samuel.

27 Cúmque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero ut antecedat nos, & transeat: tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini.

Caput X.

Vngitur Saul in regem à Samuele, datis ac succedentibus signis, prophetat inter prophetas: & missis sortibus à Samuele confirmatur in regem: lex regni in libro scripta, coram Domino reponitur.

A 1 TUlit* autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus, & deosculatus est eum: & ait: Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt. Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem. *Act.13. c.21.

2 Cùm abieris hodie à me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin, in meridie, dicéntque tibi: Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas: & intermissis pater tuus asinis, solicitus est pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo?

3 Cúmque abieris inde, & ultrà transieris, & veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini.

4 Cúmque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.

5 Post hæc venies in collem Dei, ubi est statio Philisthinorum: & cùm ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsósque prophetantes.

B 6 Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.

7 Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est.

8 Et descendes ante me in Galgala, (ego quippe descendam ad te) ut offeras oblationem, & immoles victimas pacificas: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias.

9 Itaque cùm avertisset humerum suum ut abiret à Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa.

10 Venerúntque ad prædictum collem, & ecce cuneus prophetarum obvius ei: & insiluit super eum spiritus Domini, & prophetavit in medio eorum.

11 Videntes autem omnes qui noverant eum heri & nudiustertius, quòd esset cum prophetis, & prophetaret, dixerunt ad invicem: Quænam res accidit filio Cis: num & Saul inter prophetas?

12 Respondítque alius ad alterum, dicens: C Et quis pater eorum: propterea versum est in proverbium: * Num & Saul inter prophetas? *Inf.19. d.24.

13 Cessavit autem prophetare, & venit ad excelsum.

14 Dixítque patruus Saul ad eum, & ad puerum ejus: Quò abistis? Qui respondérunt: Quærere asinas: quas cùm non reperissemus, venimus ad Samuelem.

15 Et dixit ei patruus suus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuel.

16 Et ait Saul ad patruum suum: Indicavit nobis quia inventæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicavit ei quem locutus fuerat ei Samuel.

17 Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maspha:

18 Et ait ad filios Israël: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego eduxi Israël de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium regum qui affligebant vos.

19 Vos autem hodie projecistis Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis & tribulationibus vestris: & dixistis: * Nequaquam: sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, & per familias. *Sup. 8. d.19.

20 Et applicuit Samuel omnes tribus Israël, & cecidit sors tribus Benjamin. D

21 Et applicuit tribum Benjamin & cognationes ejus, & cecidit cognatio Metri, & pervenit usque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, & non est inventus.

22 Et consuluerunt post hæc Dominum, utrúmnam venturus esset illuc. Respondítque Dominus: Ecce absconditus est domi.

23 Cucurrerunt itaque & tulerunt eum inde: stetítque in medio populi, & altior fuit universo populo ab humero & sursum.

24 Et ait Samuel ad omnem populum: Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, & ait: Vivat Rex.

25 Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino: & dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam.

26 Sed & Saul abiit in domum suam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda.

27 Filij verò Belial dixerunt. Num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille verò dissimulabat se audire.

Caput

Caput XI.

Saul, irruente in ipsum Spiritu Domini, divisísque suis bobus, populum ad bellum convocat, vincítque Naas regem Ammonitarũ, liberatis viris Jabes Galaad, & regnum ejus instauratur in Galgala.

A 1 ET factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit adversum Jabes Galaad. Dixerúntque omnes viri Jabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, & serviemus tibi.

2 Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrûm oculos dextros, ponámque vos opprobrium in universo Israël.

3 Et dixerunt ad eum seniores Jabes: Concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios ad universos terminos Israël: & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te.

B 4 Venerunt ergo nuntij in Gabaa Saulis: & locuti sunt verba hæc, audiente populo: & levavit omnis populus vocem suam, & flevit.

5 Et ecce Saul veniebat, sequens boves de agro, & ait: Quid habet populus quòd plorat? Et narraverunt ei verba virorum Jabes.

6 Et insilivit Spiritus Domini in Saul, cùm audisset verba hæc, & iratus est furor ejus nimis.

7 Et assumens utrumque bovem, concîdit in frusta, misítque in omnes terminos Israël per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, & secutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus ejus. Invasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir unus.

C 8 Et recensuit eos in Besech: fuerúntque filiorum Israël trecenta millia: virorum autem Juda triginta millia.

9 Et dixerunt nuntiis, qui venerant: Sic dicetis viris, qui sunt in Jabes Galaad: Cras erit vobis salus, cùm incaluerit sol. Venerunt ergo nuntij, & annuntiaverunt viris Jabes: qui lætati sunt.

10 Et dixerunt: Manè exibimus ad vos: & facietis nobis omne quod placuerit vobis.

11 Et factum est, cùm dies crastinus venisset, D constituit Saul populum in tres partes: & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon usque dum incalesceret dies: reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter.

*Sup.10 d.27. 12 Et ait populus ad Samuelem: * Quis est iste qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos.

13 Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israël.

14 Dixit autem Samuel ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innovemus ibi regnum.

15 Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, & immolaverunt ibi victimas pacificas coram Dño. Et lætatus est ibi Saul, & cuncti viri Israël nimis.

Caput XII.

Samuel populi judicio probatus innocens, Israëlem ingratitudinis arguit, datis è cælo signis, hortatúrque ut Domino adhæreant, non cessans pro ipsis orare.

A 1 DIxit autem Samuel ad universum Israël: Ecce audivi vocem vestrã, juxta omnia quæ locuti estis ad me, & constitui super vos regem.

2 Et nunc rex graditur ante vos. Ego autem senui, & incanui: porrò filij mei vobiscum sunt: itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce præsto sum.

3 * Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrùm bovem cujusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, restituámque vobis. *Eccli. 46.d.22.

4 Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam.

5 Dixítque ad eos: Testis est Dominus adversum vos, & testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis.

6 Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moysen & Aaron, & eduxit patres nostros de Terra Ægypti.

7 Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum & cum patribus vestris: B

8 * Quo modo Jacob ingressus est in Ægyptum, & clamaverunt patres vestri ad Dominum: & misit Dominus Moysen & Aaron, & eduxit patres vestros de Ægypto: & collocavit eos in loco hoc. *Gen. 46.a.5.

9 Qui obliti sunt Domini Dei sui, * & tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, & in manu Philisthinorum, & in manu regis Moab, & pugnaverunt adversum eos. *Judic. 4.a.2.

10 Posteà autem clamaverunt ad Dominum, & dixerunt: Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, & servivimus Baalim & Astaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, & serviemus tibi.

11 *Et misit Dominus Jerobaal & Badan, & Jephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confidenter. *Judic. 6. c.14.

12 Videntes autem quòd Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi: * Nequaquam, sed rex imperabit nobis: cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis. C *Sup.8. d.19.10. c.19.

13 Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis & petistis: ecce dedit vobis Dominus regem.

14 Si timueritis Dominum, & servieritis ei, & audieritis vocem ejus, & non exasperaveritis os Domini: eritis & vos, & rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.

15 Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos, & super patres vestros.

16 Sed & nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro.

17 Numquid non messis tritici est hodie? invocabo Dominum, & dabit voces & pluvias: & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

18 Et clamavit Samuel ad Dominum, & dedit
D Dominus voces & pluvias in illa die.
19 Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem, & dixit universus populus ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur. addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem.
20 Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos feciſtis universum malum hoc: verumtamen nolite recedere à tergo Domini, ſed ſervite Domino in omni corde veſtro,
21 Et nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana ſunt.
22 Et non derelinquet Dominus populum ſuum propter nomen ſuum magnum: quia juravit Dominus facere vos ſibi populum.
23 Abſit autem à me hoc peccatum in Dominum, ut ceſſem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam.
24 Igitur timete Dominum, & ſervite ei in veritate, & ex toto corde veſtro. vidiſtis enim magnifica quæ in vobis geſſerit.
25 Quòd ſi perſeveraveritis in mălitia: & vos & rex veſter pariter peribitis.

CAPUT XIII.

Victi à Saule Philisthæi maximo apparatu adversus Israëlem armantur; territi Hebræi in antris latitant: & Saul quia non expectato Samuelis adventu obtulit holocaustum, reprobatus à Domino dicitur: de cautela Philisthinorum ut Israëlitæ armis spoliarentur.

A 1 FIlius unius anni erat Saul cùm regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnavit ſuper Iſraël.
2 Et elegit ſibi Saul tria millia de Iſraël: & erant cum Saul duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin. porrò ceterum populum remiſit unumquemque in tabernacula ſua.
3 Et percuſſit Jonathas ſtationem Philiſthinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cùm audiſſent Philiſthiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi.
4 Et univerſus Iſraël audivit hujuſcemodi famam: percuſſit Saul ſtationem Philiſthinorum: & erexit ſe Iſraël adverſus Philiſthiim. Clamavit ergo populus poſt Saul in Galgala.
5 Et Philiſthiim congregati ſunt ad prælian-dum contra Iſraël, triginta millia curruum, & ſex millia equitum, & reliquum vulgus, ſicut arena quæ eſt in littore maris plurima. Et aſcendentes caſtrametati ſunt in Machmas ad Orientem Bethaven.
B 6 Quod cùm vidiſſent viri Iſraël ſe in arcto poſitos, (afflictus enim erat populus) abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in abditis, in petris quoque & in antris, & in ciſternis.
7 Hebræi autem tranſierunt Jordanem in Terram Gad & Galaad. Cúmque adhuc eſſet Saul in Galgala, univerſus populus perterritus eſt, qui ſequebatur eum.
8 Et expectavit ſeptem diebus juxta placitum Samuelis, & non venit Samuel in Galgala, dilapſúsque eſt populus ab eo.
9 Ait ergo Saul: Afferte mihi holocauſtum, & pacifica. Et obtulit holocauſtum.
10 Cúmque compleſſet offerens holocauſtum, ecce Samuel veniebat: & egreſſus eſt Saul obviàm ei ut ſalutaret eum.
11 Locutúſque eſt ad eum Samuel: Quid feciſti? Reſpondit Saul: Quia vidi quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras juxta placitos dies, porrò Philiſthiim congregati fuerant in Machmas.
12 Dixi: Nunc deſcendent Philiſthiim ad me C in Galgala, & faciem Domini non placavi. Neceſſitate compulſus, obtuli holocauſtum.
13 Dixítque Samuel ad Saul: Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum,
14 Sed nequaquam regnum tuũ ultrà conſurget. * Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum: *Act.13. d.22.
& præcepit ei Dominus ut eſſet dux ſuper populum ſuum, eò quòd non ſervaveris quæ præcepit Dominus.
15 Surrexit autem Samuel, & aſcendit de Galgalis in Gabaa Benjamin. Et reliqui populi aſcenderunt poſt Saul obviàm populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Benjamin. Et recenſuit Saul populum, qui inventi fuerant cum eo, quaſi ſexcentos viros.
16 Et Saul & Jonathas filius ejus, populúſque qui inventus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin: porrò Philiſthiim conſederant in Machmas.
17 Et egreſſi ſunt ad prædandum de caſtris Philiſthinorum tres cunei. Unus cuneus pergebat con- D
tra viam Ephra ad Terram Sual.
18 Porrò alius ingrediebatur per viam Bethhoron. tertius autem verterat ſe ad iter termini imminentis valli Seboim contra deſertum.
19 Porrò faber ferrarius non inveniebatur in omni Terra Iſraël. Caverant enim Philiſthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam.
20 Deſcendebat ergo omnis Iſraël ad Philiſthiim, ut exacueret unuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem, & ſecurim, & ſarculum.
21 Retuſæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & ſecurium, uſque ad ſtimulum corrigendum.
22 Cúmque veniſſet dies prælij, non eſt inventus enſis & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule & Jonatha, excepto Saul & Jonatha filio ejus.
23 Egreſſa eſt autem ſtatio Philiſthiim, ut tranſcenderet in Machmas.

CAPUT XIV.

Jonathas Domino fidens, cum armigero suo Philisthæos dissipat; verùm post victoriam, melle gustato, ob patris juramentum mortem comminatum, populi auxilio vix evasit.

1 ET accidit quadam die ut diceret Jonathas A
filius Saul ad adoleſcentem armigerum ſuum: Veni, & tranſeamus ad ſtationem Philiſthinorum, quæ eſt trans locum illum: Patri autem ſuo hoc ipſum non indicavit.
2 Porrò Saul morabatur in extrema parte Gabaa, ſub malogranato, quæ erat in Magron: & erat populus cum eo quaſi ſexcentorum virorum.
3 Et Achias filius Achitob fratris Ichabod fi- *Sup.4. d.21.
lij Phinees, * qui ortus fuerat ex Heli ſacerdote Domini in Silo, portabat ephod. Sed & populus ignorabat quò iſſet Jonathas.
4 Erant autem inter aſcenſus, per quos nitebatur Jonathas tranſire ad ſtationem Philiſthinorum, eminentes petræ ex utraque parte, & quaſi in modum dentium ſcopuli hinc & inde præruptí, nomen uni Boſes, & nomen alteri Sene:
5 Unus ſcopulus prominens ad Aquilonem ex adverſo Machmas, & alter ad Meridiem contra Gabaa.
6 Dixit autem Jonathas ad adoleſcentem armi- B
gerum ſuum: Veni, tranſeamus ad ſtationem incircumciſorum horum, ſi fortè faciat Dominus pro nobis: quia non eſt Domino difficile ſalvare, vel in multis, vel in paucis.
7 Dixítque ei armiger ſuus: Fac omnia quæ placent animo tuo: perge quò cupis, & ero tecum ubicumque volueris.
8 Et ait Jonathas: Ecce nos tranſimus ad viros iſtos. Cúmque apparuerimus eis,
9 Si taliter locuti fuerint ad nos, manete donec veniamus ad vos: ſtemus in loco noſtro, nec aſcendamus ad eos.
10 Si autem dixerint: Aſcendite ad nos: aſcendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus noſtris: hoc erit nobis ſignum.
11 Apparuit igitur uterque ſtationi Philiſthinorum: dixerúntque Philiſthiim: En Hebræi egrediuntur de cavernis, in quibus abſconditi fuerant.
12 Et locuti ſunt viri de ſtatione ad Jonathan, & ad armigerum ejus, dixerúntque: Aſcendite ad nos, & oſtendemus vobis rem. Et ait Jonathas ad
*1.Mac. 4.d.30. armigerum ſuum: Aſcendamus, ſequere me: *tradidit enim Dominus eos in manus Iſraël.
13 Aſcendit autem Jonathas manibus & pedi- C
bus reptans, & armiger ejus poſt eum. Itaque alij cadebant ante Jonathan, alios armiger ejus interficiebat ſequens eum.
14 Et facta eſt plaga prima, qua percuſſit Jonathas & armiger ejus, quaſi viginti virorum, in media parte jugeri, quam par boum in die arare cõſuevit.
15 Et factum eſt miraculum in caſtris, per agros: ſed & omnis populus ſtationis eorum, qui ierant ad prædandum, obſtupuit, & conturbata eſt terra: & accidit quaſi miraculum à Deo.
16 Et reſpexerunt ſpeculatores Saul, qui erant in Gabaa Benjamin, & ecce multitudo proſtrata, & huc illúcque diffugiens.
17 Et ait Saul populo, qui erat cum eo: Requirite, & videte quis abierit ex nobis. Cúmque requiſiſſent, repertum eſt non adeſſe Jonathan, & armigerum ejus.
18 Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei. (Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Iſraël.)
19 Cúmque loqueretur Saul ad ſacerdotem, tumultus magnus exortus eſt in caſtris Philiſthinorum: creſcebátque paulatim, & clariùs reſonabat. Et ait Saul ad ſacerdotem: Contrahe manum tuam:
20 Conclamavit ergo Saul, & omnis populus qui erat cum eo, & venerunt uſque ad locum certaminis: & ecce verſus fuerat gladius uniuſcujuſque ad proximum ſuum, & cædes magna nimis.
21 Sed & Hebræi qui fuerant cum Philiſthiim heri & nudiuſtertius, aſcenderántque cum eis in caſtris, reverſi ſunt ut eſſent cum Iſraël, qui erant D
cum Saul & Jonatha.
22 Omnes quoque Iſraëlitæ qui ſe abſconderant in monte Ephraim, audientes quòd fugiſſent Philiſthæi, ſociaverunt ſe cum ſuis in prælio. Et erant cum Saul, quaſi decem millia virorum.
23 Et ſalvavit Dominus in die illa Iſraël. pugna autem pervenit uſque ad Bethaven.
24 Et viri Iſraël ſociati ſunt ſibi in die illa: adjuravit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem uſque ad veſperam, donec ulciſcar de inimicis meis. Et non manducavit univerſus populus panem:
25 Omnéque terræ vulgus venit in ſaltum, in quo erat mel ſuper faciem agri.
26 Ingreſſus eſt itaque populus ſaltum, & apparuit fluens mel, nullúſque applicuit manum ad os ſuum. timebat enim populus juramentum.
27 Porrò Jonathas non audierat cùm adjuraret pater ejus populum: extenditque ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis: & convertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi ejus.
28 Reſpondénſque unus de populo, ait: Jurejurando conſtrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie. (defecerat autem populus.)
29 Dixítque Jonathas: Turbavit pater meus ter- E
ram: vidiſtis ipſi quia illuminati ſunt oculi mei, eò quòd guſtaverim paululum de melle iſto:
30 Quantò magis ſi comediſſet populus de præda inimicorum ſuorum, quam reperit? nónne major plaga facta fuiſſet in Philiſthiim?
31 Percuſſerunt ergo in die illa Philiſthæos à Machmis uſque in Aialon. Defatigatus eſt autem populus nimis:
32 Et verſus ad prædam, tulit oves, & boves, & vitulos, & mactaverunt in terra: comedítque populus cum ſanguine.
33 Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quòd populus peccaſſet Domino, comedens cum ſanguine. Qui ait: prævaricati eſtis: volvite ad me jam nunc ſaxum grande.
34 Et dixit Saul: Diſpergimini in vulgus, & dícite eis, ut adducat ad me unuſquiſque bovem ſuum, & arietem, & occidite ſuper iſtud, & veſcimini, & non peccabitis Domino comedentes cum ſanguine. Adduxit itaque omnis populus unuſquiſque bovem in manu ſua uſque ad noctem: & occiderunt ibi.
35 Ædificavit autem Saul altare Domino; túncque primùm cœpit ædificare altare Domino.
36 Et dixit Saul: Irruamus ſuper Philiſtæos no- F
cte, & vaſtemus eos uſque dum illuceſcat manè, nec relinquamus ex eis virum. Dixítque populus: Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait ſacerdos: Accedamus huc ad Deum.
37 Et conſuluit Saul Dominum: Num perſequar Philiſthiim? ſi trades eos in manus Iſraël? & non reſpondit ei in die illa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

38 Dixítque Saul: Applicate huc universos angulos populi:& scitote, & videte,per quem acciderit peccatum hoc hodie.

39 Vivit Dominus salvator Israël, quia si per Jonathan filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo.

40 Et ait ad universum Israël: Separamini vos in partem unam,& ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera. Respondítque populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac.

41 Et dixit Saul ad Dominum Deum Israël: Domine Deus Israël da indicium: quid est quòd non responderis servo tuo hodie? Si in me, aut in Jonatha filio meo, est iniquitas hæc, da ostensionem:aut si hæc iniquitas est in populo tuo,da sanctitatem.Et deprehensus est Jonathas & Saul, populus autem exivit.

42 Et ait Saul: Mittite sortem inter me & inter Jonathan filium meum. Et captus est Jonathas.

43 Dixit autem Saul ad Jonathan:Indica mihi quid feceris. Et indicavit ei Jonathas, & ait: Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis,& ecce ego morior.

44 Et ait Saul: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Jonatha.

G 45 Dixítque populus ad Saul: Ergóne Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israël?hoc nefas est: vivit Dominus,si ceciderit capillus de capite ejus in terram,quia cum Deo operatus est hodie: Liberavit ergo populus Jonathan, ut non moreretur.

46 Recessítque Saul, nec persecutus est Philisthiim: portò Philisthiim abierunt in loca sua.

47 Et Saul, confirmato regno super Israël, pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos ejus,contra Moab,& filios Ammon,& Edom,& reges Soba, & Philisthæos:& quocumque se verterat, superabat.

48 Congregatóque exercitu, percussit Amalec, & eruit Israël de manu vastatorum ejus.

49 Fuerunt autem filij Saul, Jonathas,& Jessui, & Melchisua: & nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol.

50 Et nomen uxoris Saul,Achinoam filia Achimaas:& nomen principis militiæ ejus Abner,filius Ner, patruelis Saul.

51 Portò Cis fuit pater Saul, & Ner pater Abner, filius Abiel.

52 Erat autem bellum potens adversum Philisthæos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, & aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

Caput XV.

Saul missus à Domino ad delendum funditus Amalec, Agag eorum regem multámque prædam reservans,inobedientiæ arguitur commendata obedientia, ideóque à regno rejicitur;interfectóque Agag,Saul reprobatus à Samuele lugetur.

A 1 ET dixit Samuel ad Saul:Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum ejus Israël:nunc ergo audi vocem Domini.

2 Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalec Israëli, * quomodo re- *Exod. 17.c.8.
stitit ei in via cùm ascenderet de Ægypto.

3 Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus:non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bovem & ovem, camelum & asinum.

4 Præcepit itaque Saul populo, & recensuit eos quasi agnos: ducenta millia peditum, & decem millia virorum Juda.

5 Cúmque venisset Saul usque ad civitatem Amalec,tetendit insidias in torrente.

6 Dixítque Saul Cinæo: Abite,recedite,atque descendite ab Amalec:ne fortè involvam te cum eo.tu enim fecisti misericordiam cum omnibus B
filiis Israël,cùm ascenderent de Ægypto.Et recessit Cinæus de medio Amalec.

7 Percussítque Saul Amalec,ab Hevila,donec venias ad Sur,quæ est è regione Ægypti.

8 Et apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij.

9 Et pepercit Saul,& populus, Agag,& optimis gregibus ovium & armentorum, & vestibus & arietibus,& universis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quidquid verò vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt.

10 Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens:

11 Pœnitet me quòd constituerim Saul regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit.Contristatúsque est Samuel, & clamavit ad C
Dominum tota nocte.

12 Cúmque de nocte surrexisset Samuel,ut iret ad Saul manè,nuntiatum est Samueli,eò quòd venisset Saul in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem, & reversus transisset, descendissétque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, & Saul offerebat holocaustum Domino de initiis prædarum quæ attulerat ex Amalec.

13 Et cùm venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul:Benedictus tu Domino,implevi verbum Domini.

14 Dixítque Samuel: Et quæ est hæc vox gregum,quæ resonat in auribus meis,& armentorum, D
quam ego audio?

15 Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea:pepercit enim populus melioribus ovibus & armentis,ut immolarentur Domino Deo tuo;reliqua verò occidimus.

16 Ait autem Samuel ad Saul: Sine me,& indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixítque ei:Loquere.

17 Et ait Samuel:Nónne cùm parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es?unxítque te Dominus in regem super Israël,

18 Et misit te Dominus in viam,& ait:Vade,& interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum.

19 Quare ergo non audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini?

20 Et ait Saul ad Samuelem: Immò audivi vocem Domini, & ambulavi in via per quam misit E
me Dominus, & adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interfeci.

21 Tulit

21 Tulit autem de præda populus oves & boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis.

*Eccli.4. d.17. Ose. 6.c. 6. Mat. 9.b.13. 12.a.7. 22 Et ait Samuel: * Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci Domini? MELIOR est enim obedientia quàm victimæ: & auscultare magis quàm offerre adipem arietum.

23 Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare:& quasi scelus idololatriæ,nolle acquiescere. Pro eo ergo quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis rex.

24 Dixítque Saul ad Samuelem: Peccavi,quia prævaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.

25 Sed nunc porta, quæso, peccatum meum,& revertere mecum, ut adorem Dominum.

26 Et ait Samuel ad Saul:Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, & projecit te Dominus ne sis rex super Israël.

27 Et conversus est Samuel ut abiret: ille autem apprehendit summitatem pallij ejus, quæ & scissa est.

*Inf.28. c.17. 28 Et ait ad eum Samuel:*Scidit Dominus regnum Israël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.

29 Porrò Triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur:neque enim homo est ut agat pœnitentiam.

G 30 At ille ait:Peccavi:sed nunc honora me coram senioribus populi mei,& coram Israël,& revertere mecum,ut adorem Dominum Deum tuum.

31 Reversus ergo Samuel secutus est Saulem:& adoravit Saul Dominum.

32 Dixítque Samuel:Adducite ad me Agag regem Amalec.Et oblatus est ei Agag pinguissimus, & tremens. Et dixit Agag: Síccine separat amara mors?

33 Et ait Samuel:Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus,sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concídit eum Samuel coram Domino in Galgalis.

34 Abiit autem Samuel in Ramatha: Saul verò ascendit in domum suam in Gabaa.

35 Et non vidit Samuel ultrà Saul usque ad diem mortis suæ:verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quòd constituisset eum regem super Israël.

Caput XVI.

Reprobato Saul, David inter fratres in regem ungitur:quo cithara psallente coram Saule agitato spiritu malo, ille levius habebat.

A 1 DIxítque Dominus ad Samuelem:Usquequò tu luges Saul,cùm ego projecerim eum ne regnet super Israël:Imple cornu tuum oleo,& veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem:providi enim in filiis ejus mihi regem.

2 Et ait Samuel:Quo modo vadam?audiet enim Saul,& interficiet me.Et ait Dominus:Vitulum de armento tolles in manu tua,& dices:Ad immolandum Domino veni.

3 Et vocabis Isai ad victimam, & ego ostendam tibi quid facias, & unges quemcumque monstravero tibi.

4 Fecit ergo Samuel, sicut locutus est ei Dominus.venítq; in Bethlehem,& admirati sunt seniores civitatis,occurrentes ei,dixerúntque:pacificúsne est ingressus tuus?

5 Et ait:Pacificus:ad immolandum Domino veni,sanctificamini, & venite mecum ut immolem. B
Sanctificavit ergo Isai & filios ejus, & vocavit eos ad sacrificium.

6 Cúmque ingressi essent,vidit Eliab,& ait:Num coram Domino est Christus ejus?

7 Et dixit Dominus ad Samuelem:Ne respicias vultum ejus,neque altitudinem staturæ ejus:quoniam abjeci eum,nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent, * Domi- *Psal.7.b. 10.
nus autem intuetur cor.

8 Et vocavit Isai Abinadab,& adduxit eum coram Samuele. Qui dixit:Nec hunc elegit Dominus.

9 Adduxit autem Isai Samma, de quo ait:Etiam hunc non elegit Dominus.

10 Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele:& ait Samuel ad Isai:Non elegit Dominus ex istis.

11 Dixítque Samuel ad Isai:Numquid jam completi sunt filij:Qui respondit: Adhuc reliquus est parvulus,& pascit oves.Et ait Samuel ad Isai:Mitte, & adduc eum:nec enim discumbemus priùs quàm C
huc ille veniat.

12 Misit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aspectu,decoráque facie, & ait Dominus: Surge: unge eum, ipse est enim.

13 Tulit ergo Samuel cornu olei, * & unxit *2. Reg. 7.b.8. Psf.77.g. 70.88.c. 21. Act. 7f.46. 13.d.22.
eum in medio fratrum ejus: & directus est Spiritus Domini à die illa in David, & deinceps: surgénsque Samuel abiit in Ramatha.

14 Spiritus autem Domini recessit à Saul,& exagitabat eum spiritus nequam, à Domino.

15 Dixerúntque servi Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te.

16 Jubeat Dominus noster, & servi tui qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leviùs feras.

17 Et ait Saul ad servos suos: Providete ergo mihi aliquem benè psallentem, & adducite eum ad me.

18 Et respondens unus de pueris, ait:Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem, scientem psallere, & D
fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus est cum eo.

19 Misit ergo Saul nuntios ad Isai,dicens:Mitte ad me David filium tuum,qui est in pascuis.

20 Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, & lagenam vini,& hœdum de capris unum, & misit per manum David filij sui Sauli.

21 Et venit David ad Saul, & stetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus est ejus armiger.

22 Misítque Saul ad Isai,dicens: Stet David in conspectu meo: invenit enim gratiam in oculis meis.

23 Igitur quandocumque spiritus Dñi malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiebat manu sua,& refocillabatur Saul, & leviùs habebat. recedebat enim ab eo spiritus malus.

CAPUT XVII.

Philisthæi contra Israelem ad pugnã congregatis,Goliath gigantem in armis & fortitudine confidentem,inermis David occidit, præcisúmque caput, dissusis Philisthæis, ad Saulem tulit.

A 1 COngregantes autem Philisthiim agmina sua in prælium, convenerunt in Socho Judæ,& castrametati sunt inter Socho & Azeca, in finibus Dommim.

2 Porrò Saul & filij Israël congregati venerunt in Vallem terebinthi, & direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthiim.

3 Et Philisthiim stabant super montem ex parte hac,& Israël stabat supra montem ex altera parte : vallisque erat inter eos.

4 Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum, nomine Goliath,de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi:

5 Et cassis ærea super caput ejus,& lorica squamata induebatur. porrò pondus loricæ ejus, quinque millia siclorum æris erat:

6 Et ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros ejus.

7 Hastilæ autem hastæ ejus, erat quasi liciatorium texentium. ipsum autem ferrum hastæ ejus, sexcentos siclos habebat ferri: & armiger ejus antecedebat eum.

8 Stánsque clamabat adversum phalangas Israël, & dicebat eis: Quare venistis parati ad prælium?
B Numquid ego non sum Philisthæus, & vos servi Saul? Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen.

9 Si quiverit pugnare mecum,& percusserit me, erimus vobis servi: si autem ego prævaluero, & percussero eum, vos servi eritis, & servietis nobis.

10 Et aiebat Philisthæus: Ego exprobravi agminibus Israël hodie: Date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen.

11 Audiens autem Saul, & omnes Israëlitæ, sermones Philisthæi hujuscemodi, stupebant,& metuebant nimis.

12 David autem erat filius viri Ephrathæi, de
Sup.16. a.1. quo suprà dictum est, de Bethlehem Juda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios,& erat vir in diebus Saul senex, & grandævus inter viros.

13 Abierunt autẽ tres filij ejus majores post Saul in prælium: & nomina trium filiorum ejus, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & secundus Abinadab, tertiúsque Samma.

14 David autem erat minimus.Tribus ergo majoribus secutis Saulem,

15 Abiit David, & reversus est à Saul ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem.

16 Procedebat verò Philisthæus manè & vespere, & stabat quadraginta diebus.

17 Dixit autem Isai ad David filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes
C istos, & curre in castra ad fratres tuos,

18 Et decem formellas casei has deferes ad tribunum: & fratres tuos visitabis, si rectè agant: & cum quibus ordinati sunt, disce.

19 Saul autem,& illi,& omnes filij Israël in Valle terebinthi pugnabant adversum Philisthiim.

20 Surrexit itaque David manè, & commendavit gregem custodi: & onustus abiit, sicut præceperat ei Isai. Et venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine.

21 Direxerat enim aciem Israël, sed & Philisthiim ex adverso fuerant præparati.

22 Derelinquens ergo David vasa quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis,& interrogabat si omnia rectè agerentur erga fratres suos.

23 Cúmque adhuc ille loqueretur eis,apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine,Philisthæus, de Geth,de castris Philisthinorum: & loquente eo hæc eadem verba audivit David.

24 Omnes autem Israëlitæ, cùm vidissent virum,fugerunt à facie ejus, timentes eum valdè.

25 Et dixit unus quispiam de Israël: Num vidistis virum hunc qui ascendit? ad exprobrandum D
enim Israëli ascendit. Virum ergo qui percusserit eum, ditabit rex divitiis magnis,& filiam suam dabit ei, & domum patris ejus faciet absque tributo in Israël.

26 Et ait David ad viros qui stabant secum, dicens:Quid dabitur viro,qui percusserit Philisthæũ hunc, & tulerit opprobrium de Israël? quis enim est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobravit acies Dei viventis?

27 Referebat autem ei populus eumdem sermonem,dicens: Hæc dabuntur viro, qui percusserit eum.

28 Quod cùm audisset Eliab frater ejus major, loquente eo cum aliis, iratus est contra David,& ait: Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? ego novi superbiam tuam,& nequitiam cordis tui: quia ut videres prælium, descendisti.

29 Et dixit David: Quid feci? numquid non verbum est?

30 Et declinavit paululùm ab eo ad alium: dixitque eumdem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut priùs.

31 Audita sunt autem verba, quæ locutus est David, & annuntiata in conspectu Saul.

32 Ad quem cùm fuisset adductus, locutus est ei: Non concidat cor cujusquam in eo:ego servus tuus vadam,& pugnabo adversus Philisthæum.

33 Et ait Saul ad David: Non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare adversus eum: quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. E

34 Dixitque David ad Saul: * Pascebat servus *Ecc.47. a.3.
tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis:

35 Et persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum:& illi consurgebant adversum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebámque eos.

36 Nam & leonem & ursum interfeci ego servus tuus: erit igitur & Philisthæus hic incircumcisus, quasi unus ex eis. Nunc vadam,& auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis?

37 Et

37 Et ait David: Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu ursi,ipse me liberabit de manu Philisthæi hujus. Dixit autem Saul ad David:Vade,& Dominus tecum sit.

38 Et induit Saul David vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput ejus,& vestivit eum lorica.

39 Accinctus ergo David gladio ejus super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere:non enim habebat consuetudinem.Dixítque David ad Saul:Non possum sic incedere,quia non usum habeo. Et deposuit ea,

40 Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente,& misit eos in peram pastoralem,quam habebat secum, & fundam manu tulit:& processit adversum Philisthæum.

41 Ibat autem Philisthæus incedens, & appro-
F pinquans adversum David, & armiger ejus ante eum.

42 Cúmque inspexisset Philisthæus, & vidisset David,despexit eum.Erat enim adolescens:rufus,& pulcher aspectu.

43 Et dixit Philisthæus ad David: Numquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus David in diis suis:

44 Dixítque ad David: Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli & bestiis terræ.

45 Dixit autem David ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gladio,& hasta,& clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodie,

46 Et dabit te Dominus in manu mea,& percutiam te, & auferam caput tuum à te: & dabo cadavera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cæli, & bestiis terræ: ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israël.

47 Et noverit universa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras.

48 Cùm ergo surrexisset Philisthæus, & veniret,& appropinquaret contra David,festinavit David,& cucurrit ad pugnam ex adverso Philisthæi.

49 Et misit manum suam in peram: tulítque unum lapidem, & funda jecit, & circumducens
G percussit Philisthæum in fronte:& infixus est lapis in fronte ejus,& cecidit in faciem suam super terram.

* Eccli. 47. a.4. 1. Mac. 4.d. 30.
50 * Prævaluítque David adversum Philisthæum in funda & lapide,percusúmque Philisthæum interfecit. Cúmque gladium non haberet in manu David,

51 Cucurrit,& stetit super Philisthæum,& tulit gladium ejus,& eduxit eum de vagina sua: & interfecit eum, præcidítque caput ejus. Videntes autem Philisthiim, quòd mortuus esset fortissimus corum, fugerunt.

52 Et consurgentes viri Israël & Juda vociferati sunt, & persecuti sunt Philisthæos usque dum venirent in vallem, & usque ad portas Accaron, ecciderúntque vulnerati de Philisthiim in via Saraim,& usque ad Geth,& usque ad Accaron.

53 Et revertentes filij Israël postquam persecuti fuerant Philisthæos,invaserunt castra eorum.

54 Assúmens autem David caput Philisthæi,attulit illud in Jerusalem: arma verò ejus posuit in tabernaculo suo.

55 Eo autem tempore, quo viderat Saul David egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ: De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? dixítque Abner:Vivit anima tua, rex, si novi.

56 Et ait rex: Interroga tu, cujus filius sit iste puer.

57 Cúmque regressus esset David,percusso Philisthæo,tulit eum Abner:& introduxit coram Saule,caput Philisthæi habentem in manu.

58 Et ait ad eum Saul: De qua progenie es, ô adolescens? Dixítque David: Filius servi tui Isai Bethlehemitæ ego sum.

CAPUT XVIII.

Inito David cum Ionatha fœdere,Saul audita sui & David comparatione, malo spiritu agitatus nititur David configere,& Merob filiam, quam erat Davidi pollicitus,tradit alteri; Michol verò juniorem callidè mediantibus centum præputiis Philisthæorum despondet David in uxorem.

1 ET factum est cùm complesset loqui ad Saul: A
anima Jonathæ conglutinata est animæ David,& dilexit eum Jonathas quasi animam suam.

2 Tulítque eum Saul in die illa,& non concessit ei ut reverteretur in domum patris sui.

3 Inierunt autem David & Jonathas fœdus:diligebat enim eum quasi animam suam.

4 Nam expoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus,& dedit eam David,& reliqua vestimenta sua, usque ad gladium & arcum suum, & usque ad balteum.

5 Egrediebatur quoque David ad omnia quæcumque misisset eum Saul,& prudenter se agebat: B
posuítque eum Saul super viros belli, & acceptus erat in oculis universi populi, maximéque in conspectu famulorum Saul.

6 Porrò cùm reverteretur percusso Philisthæo David,egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israël,cantantes,chorósque ducentes in occursum Saul regis in tympanis lætitiæ,& in sistris.

7 Et præcinebant mulieres ludentes atque di-
*Inf.21. d.11. Eccl.47. a.7. centes: * Percussit Saul mille, & David decem millia.

8 Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in C
oculis ejus sermo iste:dixítque: Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt:quid ei superest,nisi solum regnum?

9 Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David à die illa, & deinceps.

10 Post diem autem alteram, invasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ:David autem psallebat manu sua,sicut per singulos dies.tenebátque Saul lanceam,

11 Et misit eam, putans quòd configere posset David cum pariete: & declinavit David à facie ejus secundò.

12 Et timuit Saul David, eò quòd Dominus esset cum eo, & à se recessisset.

13 Amovit ergo eum Saul à se,& fecit eum tribunum super mille viros: & egrediebatur, & intrabat in conspectu populi. D

14 In omnibus quoque viis suis David pruden-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter agebat, & Dominus erat cum eo.

15 Vidit itaque Saul quòd prudens esset nimis, & cœpit cavere eum.

16 Omnis autem Israël & Juda diligebat David: ipse enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos.

17 Dixitque Saul ad David: Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem: tantummodò esto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthinorum.

E 18 Ait autem David ad Saul: Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israël, ut fiam gener regis?

19 Factum est autem tempus, cùm deberet dari Merob filia Saul David, data est Hadrieli Molathitæ uxor.

20 Dilexit autem David Michol filia Saul altera. Et nuntiatum est Saul, & placuit ei.

21 Dixitque Saul: Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philisthinorum. Dixitque Saul ad David: In duabus rebus gener meus eris hodie.

22 Et mandavit Saul servis suis: Loquimini ad David clam me, dicentes: Ecce places regi, & omnes servi ejus diligunt te. Nunc ergo esto gener regis.

F 23 Et locuti sunt servi Saul in auribus David omnia verba hæc. Et ait David: Num parum videtur vobis, generum esse regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis.

24 Et renuntiaverunt servi Saul, dicentes: Hujuscemodi verba locutus est David.

25 Dixit autem Saul: Sic loquimini ad David: Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantùm centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis regis. Porrò Saul cogitabat tradere David in manus Philisthinorum.

26 Cúmque renuntiassent servi ejus David, verba quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis David, ut fieret gener regis.

G 27 Et post paucos dies surgens David, abiit cum viris, qui sub eo erant. Et percussit ex Philisthiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumeravit ea regi, ut esset gener ejus. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam uxorem.

28 Et vidit Saul, & intellexit quòd Dominus esset cum David. Michol autem filia Saul diligebat eum.

29 Et Saul magis cœpit timere David: factúsque est Saul inimicus David cunctis diebus.

30 Et egressi sunt principes Philisthinorum. à principio autem egressionis eorum, prudentiùs se gerebat David, quàm omnes servi Saul, & celebre factum est nomen ejus nimis.

CAPUT XIX.

Saul David occidere volens, voce Jonathæ placatur: quem coram se citharizantem, iterum transfigere tentat, & fugientem industria Michol in Naioth apud Samuelem persecutus, post ternos nuntios prophetantes etiam ipse prophetat.

A 1 LOcutus est autem Saul ad Jonathan filium suum, & ad omnes servos suos, ut occiderent David. Porrò Jonathas filius Saul diligebat David valdè.

2 Et indicavit Jonathas David, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter observa te, quæso, manè, & manebis clàm, & abscondèris.

3 Ego autem egrediens stabo juxta patrem meum, in agro ubicumque fueris: & ego loquar de te ad patrem meum: & quodcumque videro, nuntiabo tibi.

4 Locutus est ergo Jonathas de David bona ad Saul patrem suum: dixítque ad eum: Ne pecces rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valdè.

5 Et posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum, & fecit Dominus salutem magnam universo Israëli: vidisti, & lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque culpa?

B 6 Quod cùm audisset Saul, placatus voce Jonathæ, juravit: Vivit Dominus, quia non occidetur.

7 Vocavit itaque Jonathas David, & indicavit ei omnia verba hæc: & introduxit Jonathas David ad Saul, & fuit ante eum, sicut fuerat heri & nudiustertius.

8 Motum est autem rursum bellum: & egressus David, pugnavit adversum Philisthiim: percussítque eos plaga magna, & fugerunt à facie ejus.

9 Et factus est Spiritus Domini malus in Saul. sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam: porrò David psallebat manu sua.

10 Nisúsque est Saul configere David lancea in pariete, & declinavit David à facie Saul: lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, & David fugit, & salvatus est nocte illa.

11 Misit ergo Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, & interficeretur manè. Quod cùm annuntiasset David Michol uxor sua, dicens: Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris:

12 Deposuit eum per fenestram. Porrò ille abiit & aufugit, atque salvatus est.

C 13 Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus, & operuit eam vestimentis.

14 Misit autem Saul apparitores, qui raperent David: & responsum est quòd ægrotaret.

15 Rursúmque misit Saul nuntios ut viderent David, dicens: Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur.

16 Cúmque venissent nuntij, inventum est simulacrum super lectum, & pellis caprarum ad caput ejus.

17 Dixítque Saul ad Michol: Quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum ut fugeret? Et respondit Michol ad Saul: Quia ipse locutus est mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te.

18 David autem fugiens, salvatus est, & venit ad Samuel in Ramatha, & nuntiavit ei omnia quæ fecerat sibi Saul: & abierunt ipse & Samuel, & morati sunt in Naioth.

19 Nuntiatum est autem Sauli à dicentibus: Ecce David in Naioth in Ramatha.

D 20 Misit ergo Saul lictores, ut raperent David: qui cùm vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi.

21 Quod

21 Quod cùm nuntiatum esset Sauli, misit & alios nuntios: prophetaverunt autem & illi. Et rursum misit Saul tertios nuntios: qui & ipsi prophetaverunt. Et iratus iracundia Saul,

22 Abiit etiam ipse in Ramatha, & venit usque ad cisternam magnam, quæ est in Socho, & interrogavit, & dixit: In quo loco sunt Samuel & David? Dictúmque est ei: Ecce in Naioth sunt in Ramatha.

23 Et abiit in Naioth in Ramatha, & factus est etiam super eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat usque dum veniret in Naioth in Ramatha.

24 Et expoliavit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetavit cum ceteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa & nocte. Unde & exivit proverbium: * Num & Saul inter prophetas?

*Supp. 10. c. 12.

CAPUT XX.

Jonathas post repetitum cum David fœdus, ipsum cum patre reconciliare frustrà conatur, illum tamen è manibus ejus trium sagittarum signo liberat.

A 1 FUgit autem David de Naioth, quæ est in Ramatha, veniénsque locutus est coram Jonatha: Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?

2 Qui dixit ei: Absit, non morieris: neque enim faciet pater meus quidquam grande vel parvum, nisi priùs indicaverit mihi: hunc ergo celavit me pater meus sermonem tantummodò? nequaquam erit istud.

3 Et juravit rursum David. Et ille ait: Scit profectò pater tuus quia inveni gratiam in oculis tuis, & dicet: Nesciat hoc Jonathas, no fortè tristetur. Quinimmò vivit Dominus, & vivit anima tua, quia uno tantùm (ut ita dicam) gradu, ego mórsque dividimur.

4 Et ait Jonathas ad David: Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi.

5 Dixit autem David ad Jonathan: Ecce calendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum: dimitte ergo me ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ.

B 6 Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlehem civitatem suam: quia victimæ sollemnes ibi sunt universis contribulibus suis.

7 Si dixerit, Benè: pax erit servo tuo. Si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia ejus.

8 Fac ergo misericordiam in servum tuum: quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti. si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.

9 Et ait Jonathas: Absit hoc à te: neque enim fieri potest, ut si certè cognovero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi.

10 Respondítque David ad Jonathan: Quis renuntiabit mihi, si quid fortè responderit tibi pater tuus durè de me?

11 Et ait Jonathas ad David: Veni, & egrediamur foras in agrum. Cúmque exissent ambo in

C agrum,

12 Ait Jonathas ad David: Domine Deus Israël, si investigavero sententiam patris mei crastino vel perendie: & aliquid boni fuerit super David, & non statim misero ad te, & notum tibi fecero,

13 Hæc faciat Dominus Jonathæ, & hæc addat. Si autem perseveraverit patris mei malitia adversum te, revelabo aurem tuam, & dimittam te, ut vadas in pace, & sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo.

14 Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini: si verò mortuus fuero,

15 Non auferes misericordiam tuam à domo mea usque in sempiternum, quando eradicaverit Dominus inimicos David, unumquemque de terra: auferat Jonathan de domo sua, & requirat Dominus de manu inimicorum David.

16 Pepigit ergo Jonathas fœdus cum domo David: & requisivit Dominus de manu inimicorum David. D

17 Et addidit Jonathas dejerare David, eò quòd diligeret illum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum.

18 Dixítque ad eum Jonathas: Cras calendæ sunt, & requirêris:

19 Requiretur enim sessio tua usque perendie. Descendes ergo festinus, & venies in locum ubi celandus es in die qua operari licet, & sedebis juxta lapidem, cui nomen est Ezel.

20 Et ego tres sagittas mittam juxta eum, & jaciam quasi exercens me ad signum.

21 Mittam quoque & puerum, dicens ei: Vade, & affer mihi sagittas.

22 Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, vivit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittæ ultrà te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus.

23 De verbo autem quod locuti sumus ego & tu, sit Dominus inter me & te usque in sempiternum.

24 Absconditus est ergo David in agro, & venerunt calendæ, & sedit rex ad comedendum panem. E

25 Cúmque sedisset rex super cathedram suam (secundùm consuetudinem) quæ erat juxta parietem, surrexit Jonathas, & sedit Abner ex latere Saul, vacuúsque apparuit locus David.

26 Et non est locutus Saul quidquam in die illa: cogitabat enim quòd fortè evenisset ei, ut non esset mundus, nec purificatus.

27 Cúmque illuxisset dies secunda post calendas, rursus apparuit vacuus locus David. Dixítque Saul ad Jonathan filium suum: Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie, ad vescendum?

28 Respondítque Jonathas Sauli: Rogavit me obnixè, ut iret in Bethlehem,

29 Et ait: dimitte me, quoniam sacrificium sollemne est in civitate, unus de fratribus meis accersivit me: nunc ergo si inveni gratiam in oculis tuis, vadam citò: & videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis.

30 Iratus autem Saul adversum Jonathan, dixit F ei: Fili mulieris virum ultrò rapientis, numquid ignoro quia diligis filium Isai, in confusionem tuam & in confusionem ignominiosæ matris tuæ?

31 Omnibus enim diebus, quibus filius Isai

Universidad de Deusto
Biblioteca

vixerit ſuper terram; non ſtabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque jam nunc mitte,& adduc eum ad me: quia filius mortis eſt.

32 Reſpondens autem Jonathas Sauli patri ſuo, ait: Quare morietur? quid fecit?

33 Et arripuit Saul lanceam ut percuteret eum. Et intellexit Jonathas quòd definitum eſſet à patre ſuo, ut interficeret David.

34 Surrexit ergo Jonathas à menſa in ira furoris, & non comedit in die calendarum ſecunda panem. Contriſtatus eſt enim ſuper David, eò quòd confudiſſet eum pater ſuus.

35 Cúmque illuxiſſet manè, venit Jonathas in agrum juxta placitum David, & puer parvulus cum eo,

G 36 Et ait ad puerum ſuum: Vade, & affer mihi ſagittas, quas ego jacio. Cúmque puer cucurriſſet, jecit aliam ſagittam trans puerum.

37 Venit itaque puer ad locum jaculi,quod miſerat Jonathas: & clamavit Jonathas poſt tergum pueri,& ait: Ecce ibi eſt ſagitta porrò ultrà te.

38 Clamavítque iterùm Jonathas poſt tergum pueri, dicens: Feſtina velociter, ne ſteteris. Collegit autem puer Jonathæ ſagittas, & attulit ad dominum ſuum:

39 Et quid ageretur, penitus ignorabat: tantummodò enim Jonathas & David rem noverant.

40 Dedit ergo Jonathas arma ſua puero, & dixit ei: Vade, & defer in civitatem.

41 Cúmque abiiſſet puer, ſurrexit David de loco, qui vergebat ad Auſtrum, & cadens pronus in terram, adoravit tertiò: & oſculantes ſe alterutrum, fleverunt pariter, David autem ampliùs.

42 Dixit ergo Jonathas ad David: Vade in pace: quæcumque juravimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus ſit inter me & te, & inter ſemen meum & ſemen tuum uſque in ſempiternum.

43 Et ſurrexit David, & abiit: ſed & Jonathas ingreſſus eſt civitatem.

Caput XXI.

Profugus David in Nobe, fame compulſus panes ſanctificatos comedit datos ab Achimelech coram Doeg Idumæo; & Goliath gladio accepto, apud Achis regem Geth dementiam præ timore ſimulat.

A 1 Venit autem David in Nobe ad Achimelech ſacerdotem: & obſtupuit Achimelech, eò quòd veniſſet David. Et dixit ei: Quare tu ſolus,& nullus eſt tecum?

2 Et ait David ad Achimelech ſacerdotem: Rex præcepit mihi ſermonem,& dixit: Nemo ſciat rem, propter quam miſſus es à me, & cujuſmodi præcepta tibi dederim: nam & pueris condixi in illum & illum locum.

3 Nunc ergo ſi quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris.

4 Et reſpondens ſacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantùm panem ſanctum: ſi mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus?

B 5 Et reſpondit David ſacerdoti, & dixit ei: Equidem ſi de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri & nudiuſtertius, quando egrediebamur,& fuerunt vaſa puerorum ſancta. Porrò via hæc polluta eſt, ſed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis.

6 *Dedit ergo ei ſacerdos ſanctificatum panem. neque enim erat ibi panis, niſi tantùm panes propoſitionis, qui ſublati fuerant à facie Domini, ut ponerentur panes calidi. * Matt. 12.a.3.4

7 Erat autem ibi vir quidam de ſervis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini: & nomen ejus Doeg Idumæus, potentiſſimus paſtorum Saul.

8 Dixit autem David ad Achimelech: Si habes hîc ad manum haſtam, aut gladium: quia gladium meum,& arma mea non tuli mecum. ſermo enim regis urgebat. C

9 Et dixit ſacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi, quem percuſſiſti in Valle terebinthi, eſt involutus pallio poſt ephod: ſi iſtum vis tollere, tolle. neque enim hîc eſt alius abſque eo. Et ait David: Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.

10 Surrexit itaque David, & fugit in die illa à facie Saul: & venit ad Achis regem Geth:

11 Dixerúntque ſervi Achis ad eum cùm vidiſſent David: Numquid non iſte eſt David rex terræ? nónne huic cantabant per choros, dicentes: * Percuſſit Saul mille,& David decem millia? D *Sup. 18. b. 7. Eccl. 47. a. 7.

12 Poſuit autem David ſermones iſtos in corde ſuo,& extimuit valdè à facie Achis regis Geth.

13 Et immutavit os ſuum coram eis,& collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, defluebántque ſalivæ ejus in barbam.

14 Et ait Achis ad ſervos ſuos: Vidiſtis hominem inſanum: quare adduxiſtis eum ad me?

15 An deſunt nobis furioſi, quòd introduxiſti iſtum, ut fureret me præſente? híccine ingredietur domum meam?

Caput XXII.

David cum plurimis ad ſe in ſpeluncam Odollam ſuſceptis, inde ad regem Moab proficiſcitur, unde conſilio Gad prophetæ in terram Iuda revertitur. Saul verò omnes ſacerdotes Nobe, præter Abiathar qui ad David confugit, per Doeg Idumæum juſſit interimi.

1 Abiit ergo David inde, & fugit in ſpeluncam Odollam. Quod cùm audiſſent fratres ejus, & omnis domus patris ejus, deſcenderunt ad eum illuc. A

2 Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti,& oppreſſi ære alieno,& amaro animo: & factus eſt eorum princeps, fuerúntque cum eo quaſi quadringenti viri.

3 Et profectus eſt David inde in Maſpha, quæ eſt Moab: & dixit ad regem Moab: Maneat, oro, pater meus & mater mea vobiſcum, donec ſciam quid faciat mihi Deus.

4 Et reliquit eos ante faciem regis Moab: Manſerúntque apud eum cunctis diebus, quibus David fuit in præſidio.

5 Dixítque Gad propheta ad David: Noli manere in præſidio, proficiſcere,& vade in Terram Juda. Et profectus eſt David: & venit in ſaltum Haret.

6 Et audivit Saul quòd apparuiſſet David,& viri qui erant cum eo. Saul autem cùm maneret in Gabaa,& eſſet in nemore, quod eſt in Rama, haſtã manu tenens, cunctíque ſervi ejus circumſtarent eum,

7 Ait ad ſervos ſuos qui aſſiſtebant ei: Audite nunc filij Jemini: numquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros & vineas, & univerſos vos faciet tribunos, & centuriones: B

§ Quo

8 Quoniam conjuraſtis omnes adverſum me, & non eſt qui mihi renuntiet, maximè cùm & filius meus fœdus inierit cum filio Iſai? Non eſt qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi: eò quòd ſuſcitaverit filius meus ſervum meum adverſum me, inſidiantem mihi uſque hodie.

9 Reſpondens autem Doeg Idumæus, qui aſſiſtebat,& erat primus inter ſervos Saul, Vidi, inquit, filium Iſai in Nobe, apud Achimelech filium Achitob ſacerdotem.

10 Qui conſuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: ſed & gladium Goliath Philiſthæi dedit illi.

11 Miſit ergo rex ad accerſendum Achimelech ſacerdotem filium Achitob, & omnem domum patris ejus, ſacerdotum, qui erant in Nobe, qui univerſi venerunt ad regem.

C 12 Et ait Saul ad Achimelech: Audi fili Achitob. Qui reſpondit: Præſtò ſum domine.

13 Dixítque ad eum Saul: Quare conjuraſtis adverſum me, tu & filius Iſai, & dediſti ei panes & gladium, & conſuluiſti pro eo Deum, ut conſurgeret adverſum me, inſidiator uſque hodie permanens?

14 Reſpondénſque Achimelech regi, ait: Et quis in omnibus ſervis tuis, ſicut David fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum,& glorioſus in domo tua?

15 Num hodie cœpi pro eo conſulere Deum? abſit hoc à me: ne ſuſpicetur rex adverſus ſervum ſuum rem hujuſcemodi, in univerſa domo patris mei: non enim ſcivit ſervus tuus quidquam ſuper hoc negotio, vel modicum vel grande.

16 Dixítque rex: Morte morieris Achimelech, tu,& omnis domus patris tui.

17 Et ait rex emiſſariis, qui circumſtabant eum: Convertimini, & interficite ſacerdotes Domini: nam manus eorum cum David eſt: ſcientes quòd fugiſſet,& non indicaverunt mihi. Noluerunt autem ſervi regis extendere manus ſuas in ſacerdotes Domini. D

18 Et ait rex ad Doeg: Convertere tu, & irrue in ſacerdotes. Converſúſque Doeg Idumæus, irruit in ſacerdotes, & trucidavit in die illa octogintaquinque viros veſtitos ephod lineo.

19 Nobe autem civitatem ſacerdotum percuſſit in ore gladij, viros & mulieres, & parvulos, & lactentes, bovémque & aſinum, & ovem in ore gladij.

20 Evadens autem unus filius Achimelech, filij Achitob, cujus nomen erat Abiathar, fugit ad David,

21 Et annuntiavit ei quòd occidiſſet Saul ſacerdotes Domini.

22 Et ait David ad Abiathar: Sciebam in die illa, quòd cùm ibi eſſet Doeg Idumæus, proculdubiò annuntiaret Sauli: ego ſum reus omnium animarum patris tui.

23 Mane mecum, ne timeas: ſi quis quæſierit animam meam, quæret & animam tuam, mecúmque ſervaberis.

Caput XXIII.

Cùm David Ceilam à Philiſthæis liberaſſet, ne in manus Saul à viris Ceilæ traderetur, profugus in deſertum Ziph proditur à Ziphæis: fœdere autem inter David & Jonathan renovato, Saul eum perſequitur, ſed propter Philiſthæorum irruptionem liberatur.

1 Et annuntiaverunt David, dicentes: Ecce Philiſthiim oppugnant Ceilam, & diripiunt areas. A

2 Conſuluit ergo David Dominum, dicens: Num vadam, & percutiam Philiſthæos iſtos? Et ait Dominus ad David: Vade, & percuties Philiſthæos, & Ceilam ſalvabis.

3 Et dixerunt viri, qui erant cum David, ad eum: Ecce nos hîc in Judæa conſiſtentes timemus: quantò magis ſi ierimus in Ceilam adverſum agmina Philiſthinorum?

4 Rurſum ergo David conſuluit Dominum. Qui reſpondens, ait ei: Surge, & vade in Ceilam: ego enim tradam Philiſthæos in manu tua.

5 Abiit ergo David, & viri ejus, in Ceilam, & pugnavit adverſum Philiſthæos,& abegit jumenta eorum, & percuſſit eos plaga magna: & ſalvavit David habitatores Ceilæ.

6 Porrò eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad David in Ceilam, ephod ſecum habens deſcenderat.

7 Nuntiatum eſt autem Sauli quòd veniſſet David in Ceilam: & ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, concluſúſque eſt, introgreſſus urbem in qua portæ & ſeræ ſunt. B

8 Et præcepit Saul omni populo ut ad pugnam deſcenderet in Ceilam: & obſideret David,& viros ejus.

9 Quod cùm David reſciſſet, quia præpararet ei Saul clàm malum, dixit ad Abiathar ſacerdotem: Applica ephod.

10 Et ait David: Domine Deus Iſraël, audivit famam ſervus tuus, quòd diſponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me:

11 Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus? & ſi deſcendet Saul, ſicut audivit ſervus tuus? Domine Deus Iſraël indica ſervo tuo. Et ait Dominus: Deſcendet.

12 Dixítque David: Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui ſunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent.

13 Surrexit ergo David & viri ejus quaſi ſexcenti,& egreſſi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti: nuntiatúmque eſt Sauli quòd fugiſſet David de Ceila, & ſalvatus eſſet: quam ob rem diſſimulavit exire.

14 Morabatur autem David in deſerto in locis firmiſſimis, mansítque in monte ſolitudinis Ziph, in monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus: & non tradidit eum Deus in manus ejus.

15 Et vidit David quòd egreſſus eſſet Saul ut quæreret animam ejus. Porrò David erat in deſerto Ziph in ſilva. C

16 Et ſurrexit Jonathas filius Saul, & abiit ad David in ſilvam,& confortavit manus ejus in Deo: dixítque ei:

17 Ne timeas: neque enim inveniet te manus

Saul

Universidad de Deusto
Biblioteca

Saul patris mei, & tu regnabis super Israël, & ego ero tibi secundus, sed & Saul pater meus scit hoc.

18 Percussit ergo uterque fœdus coram Domino: mansitque David in silva: Jonathas autem reversus est in domum suam.

*Inf.26. a.1. 19 * Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nónne ecce David latitat apud nos in locis tutissimis silvæ, in Colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti?

20 Nunc ergo, sicut desideravit anima tua ut descenderes, descende: nostrum autem erit ut tradamus eum in manus regis.

21 Dixítque Saul: Benedicti vos à Domino, quia doluistis vicem meam.

22 Abite ergo, oro, & diligentiùs præparate, & curiosiùs agite, & considerate locum ubi sit pes
D ejus, vel quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quòd callidè insidier ei.

23 Considerate & videte omnia latibula ejus, in quibus absconditur: & revertimini ad me ad rem certam, ut vadam vobiscum. Quòd si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Juda.

24 At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul: David autem & viri ejus erant in deserto Maon, in campestribus, ad dexteram Jesimon.

25 Ivit ergo Saul & socij ejus ad quærendum eum: & nuntiatum est David, statímque descendit ad petram, & versabatur in deserto Maon. quod cùm audisset Saul, persecutus est David in deserto Maon.

26 Et ibat Saul ad latus montis ex parte una: David autem & viri ejus erant in latere montis ex parte altera: porrò David desperabat se posse evadere à facie Saul: itaque Saul & viri ejus, in modum coronæ cingebant David & viros ejus, ut caperent eos.

27 Et nuntius venit ad Saul, dicens: Festina, & veni, quoniam infuderũt se Philisthiim super terrã.

28 Reversus est ergo Saul desistens persequi David, & perrexit in occursum Philisthinorum. Propter hoc vocaverunt locum illum, Petram dividentem.

Caput XXIV.

David in spelunca Engaddi latitans oram chlamydis Saul persequentis abscidit, & ne occideretur ipsum liberavit: quare Saul culpam agnoscit, & sciens David regnaturum, suscepto ab ipso juramento ei reconciliatur.

A 1 Ascendit ergo David inde: & habitavit in locis tutissimis Engaddi.

2 Cúmque reversus esset Saul, postquam persecutus est Philisthæos, nuntiaverunt ei, dicentes: Ecce, David in deserto est Engaddi.

3 Assúmens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israël, perrexit ad investigandum David & viros ejus, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus perviæ sunt.

4 Et venit ad caulas ovium, quæ se offerebant vianti. erátque ibi spelunca quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem: porrò David & viri ejus in interiore parte speluncæ latebant.

5 Et dixerunt servi David ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saul silenter.

6 Post hæc percussit cor suum David, eò quòd B
abscidisset oram chlamydis Saul.

7 Dixítque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia christus Domini est.

8 Et confregit David viros suos sermonibus, & non permisit eos ut consurgerent in Saul: porrò Saul exurgens de spelunca, pergebat cœpto itinere.

9 Surrexit autem & David post eum: & egressus de spelunca, clamavit post tergum Saul, dicens: Domine mi rex. Et respexit Saul post se: & inclinans se David pronus in terram, adoravit.

10 Dixítque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adversum te? C

11 Ecce hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: & cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus. dixi enim: Non extendam manum meam in dominum meum, quia christus Domini est.

12 Quin potiùs pater mi, vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cùm præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. animadverte, & vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te: tu autem insidiaris animæ meæ ut auferas eam.

13 Judicet Dominus inter me & te, & ulciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te.

14 Sicut & in proverbio antiquo dicitur: Ab impiis egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te.

15 Quem persequeris, rex Israël? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem unum.

16 Sit Dominus judex, & judicet inter me & te: & videat, & judicet causam meam, & eruat me de manu tua.

17 Cùm autem complesset David loquens sermones hujusce modi ad Saul, dixit Saul: Numquid D
vox hæc tua est fili mi David? Et levavit Saul vocem suam, & flevit:

18 Dixítque ad David: Justior tu es quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.

19 Et tu indicasti hodie quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me.

20 Quis enim cùm invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me.

21 Et nunc quia scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israël:

22 Jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.

23 Et juravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam: & David & viri ejus ascenderunt ad tutiora loca.

Caput

Caput XXV.

Mortuus Samuel plangitur: David Nabal victum neganti mortem minatus, egregia Abigail oratione placatur, quam mortuo Nabal in connubium accipit, simul & Achinoam, Saul verò filiam Michol Phalti tradit.

A 1 Mortuus * est autem Samuel, & congregatus est universus Israël, & planxerunt eum
*Inf.28. a.3. Ecc.46. d.23. & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgénsque David descendit in desertum Pharan.

2 Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, & possessio ejus in Carmelo, & homo ille magnus nimis: erántque ei oves tria millia, & mille capræ: & accidit ut tonderetur grex ejus in Carmelo.

3 Nomen autem viri illius erat Nabal: & nomen uxoris eius Abigail. erátque mulier illa prudentissima & speciosa: porrò vir ejus durus, & pessimus, & malitiosus: erat autem de genere Caleb.

4 Cùm ergo audisset David in deserto quòd tonderet Nabal gregem suum,

5 Misit decem juvenes, & dixit eis: Ascendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine meo pacificè.

6 Et dicetis: Sit fratribus meis, & tibi pax, & B
domui tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax.

7 Audivi quòd tondérent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto: numquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo.

8 Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi. Nunc ergo inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus. quodcumque invenerit manus tua, da servis tuis, & filio tuo David.

9 Cúmque venissent pueri David, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine David: & siluerunt.

10 Respondens autem Nabal pueris David, ait: Quis est David? & quis est filius Isai? hodie increverunt servi qui fugiunt dominos suos.

11 Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & C
carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris quos nescio unde sint?

12 Regressi sunt itaque pueri David per viam suam, & reversi venerunt, & nuntiaverunt ei omnia verba quæ dixerat.

13 Tunc ait David pueris suis: Accingatur unusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctúsque est & David ense suo: & secuti sunt David quasi quadringenti viri: porrò ducenti remanserunt ad sarcinas.

14 Abigail autem uxori Nabal nuntiavit unus de pueris suis, dicens: Ecce David misit nuntios de deserto, ut benedicerent domino nostro: & aversatus est eos.

15 Homines isti, boni satis fuerunt nobis, & non molesti: nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conversati cum eis in deserto:

16 Pro muro erant nobis tam in nocte quàm in die, omnibus diebus quibus pavimus apud eos greges.

17 Quam ob rem considera, & recogita quid facias: quoniam completa est malitia adversum virum tuum, & adversum domum tuam, & ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui.

18 Festinavit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos utres vini, & quinque arietes coctos, D
& quinque sata polentæ, & centum ligaturas uvæ passæ, & ducentas massas caricarum, & posuit super asinos:

19 Dixítque pueris suis: Præcedite me: ecce, ego post tergum sequar vos: viro autem suo Nabal non indicavit.

20 Cùm ergo ascendisset asinum, & descenderet ad radices montis, David & viri ejus descendebant in occursum ejus: quibus & illa occurrit.

21 Et ait David: Verè frustrà servavi omnia quæ hujus erant in deserto, & non periit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono.

22 Hæc faciat Deus inimicis David: & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent usque manè, mingentem ad parietem.

23 Cùm autem vidisset Abigail David, festinavit, & descendit de asino, & procidit coram David super faciem suam, & adoravit super terram,

24 Et cecidit ad pedes ejus, & dixit: In me sit, domine mi, hæc iniquitas: loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis: & audi verba famulæ tuæ.

25 Ne ponat, oro, dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal: quoniam secundùm nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti.

26 Nunc ergo domine mi, vivit Dominus, & E
vivit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, & salvavit manum tuam tibi: & nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt domino meo malum.

27 Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo: & da pueris qui sequuntur te dominum meum.

28 Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris: malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.

29 Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita, quasi in fasciculo viventium, apud Dominum Deum tuum: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ.

30 Cùm ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israël,

31 Non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis domino meo, quòd effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris: & cùm benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ. F

32 Et ait David ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israël, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum,

33 Et Benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & ulciscerer me manu mea.

Universidad de Deusto
Biblioteca

34 Alioquin vivit Dominus Deus Israël, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi citò venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam, mingens ad parietem.

35 Suscepit ergo David de manu ejus omnia quæ attulerat ei, dixítque ei: Vade pacificè in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, & honoravi faciem tuam.

36 Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei convivium in domo ejus, quasi convivium regis, & cor Nabal jucundum: erat enim ebrius nimis: & non indicavit ei verbum pusillum aut grande usque manè.

37 Diluculò autem cùm digessisset vinum Nabal, indicavit ei uxor sua verba hæc, & emortuum G est cor ejus intrinsecus, & factus est quasi lapis.

38 Cúmque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.

39 Quod cùm audisset David mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui judicavit causam opprobrij mei de manu Nabal, & servum suum custodivit à malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput ejus. Misit ergo David, & locutus est ad Abigail, ut sumeret eam sibi in uxorem.

40 Et venerunt pueri David ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam, dicentes: David misit nos ad te, ut accipiat te sibi in uxorem.

41 Quæ consurgens adoravit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei.

42 Et festinavit, & surrexit Abigail, & ascendit super asinum, & quinque puellæ ierunt cum ea, pedissequæ ejus, & secuta est nuntios David: & facta est illi uxor.

43 Sed & Achinoam accepit David de Iezrael: & fuit utraque uxor ejus.

44 Saul autem dedit Michol filiam suam, uxorem David, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

Caput XXVI.

David à Ziphæis apud Saul proditus, hastam & scyphum dormienti Saul abstulit: quod agnoscens Saul, culpam fatetur, revocatóque Davidi securitatem pollicetur.

A 1 ET* venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, di- *Sup. 23. c. 19. centes: Ecce David absconditus est in colle Hachila, quæ est ex adverso solitudinis.

2 Et surrexit Saul, & descendit in desertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Israël, ut quæreret David in deserto Ziph.

3 Et castrametatus est Saul in Gabaa Hachila, quæ erat ex adverso solitudinis in via: David autem habitabat in deserto. Videns autem quòd venisset Saul post se in desertum,

4 Misit exploratores, & didicit quòd illuc venisset certissimè.

5 Et surrexit David clàm, & venit ad locum ubi erat Saul: cúmque vidisset locum, in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner, princeps militiæ ejus, & Saulem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum ejus.

6 Ait David ad Achimelech Hethæum, & Abisai filium Sarviæ, fratrem Joab, dicens: Quis descendet mecum ad Saul in castra? Dixítque Abisai: Ego descendam tecum.

7 Venerunt ergo David & Abisai ad populum nocte, & invenerunt Saul jacentem & dormientem in tentorio: & hastam fixam in terra ad caput B ejus: Abner autem & populum dormientes in circuitu ejus.

8 Dixítque Abisai ad David: Concluśit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, semel, & secundò opus non erit.

9 Et dixit David ad Abisai: Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in christum Domini, & innocens erit?

10 Et dixit David: Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium descendens perierit:

11 Propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in christum Domini. nunc igitur tolle hastam, quæ est ad caput ejus, & scyphum aquæ, & abeamus.

12 Tulit igitur David hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quisquam, qui videret & intelligeret, & evigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos.

13 Cúmque transisset David ex adverso, & stetisset in vertice montis de longè, & esset grande intervallum inter eos:

14 Clamavit David ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens: Nónne respondebis Abner? Et respondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas & inquietas regem?

15 Et ait David ad Abner: Numquid non vir C tu es? & quis alius similis tui in Israël? quare ergo non custodisti dominum tuum regem? ingressus est enim unus de turba, ut interficeret regem, dominum tuum.

16 Non est bonum hoc, quod fecisti: vivit Dominus, quoniam filij mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum, christum Domini. nunc ergo vide ubi sit hasta regis, & ubi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput ejus.

17 Cognovit autem Saul vocem David, & dixit: Numquid vox hæc tua, fili mi David? & ait David: Vox mea, domine mi rex.

18 Et ait: Quam ob causam dominus meus persequitur servum suum? Quid feci? aut quod est malum in manu mea?

19 Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba servi tui: Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium: si autem filij hominum, maledicti sunt in conspectu Domini: qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hereditate Domini, dicentes: Vade, servi diis alienis. D

20 Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino: quia egressus est rex Israël ut quærat pulicem unum, sicut persequitur perdix in montibus.

21 Et ait Saul: Peccavi, revertere fili mi David: nequaquam enim ultrà tibi malefaciam, eò quòd pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quòd stultè egerim, & ignoraverim multa nimis.

22 Et respondens David, ait: Ecce hasta regis: transeat unus de pueris regis, & tollat eam.

23 Domi

23 Dominus autem retribuet unicuique secundùm justitiam suam & fidem: tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Christum Domini.

24 Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni angustia.

25 Ait ergo Saul ad David: Benedictus tu fili mi David: & quidem faciens facies, & potens poteris. Abiit autem David in viam suam, & Saul reversus est in locum suum.

Caput XXVII.

David apud Achis profugus, urbem Siceleg ab eo obtinuit, quæ ex eo facta est in hereditatem regum Juda, unde plurimas agebat prædas imponens regi Achis.

A 1 ET ait David in corde suo: Aliquándo incidam una die in manus Saul: nónne melius est ut fugiam, & salver in Terra Philisthinorum, ut desperet Saul, cessétque me quærere in cunctis finibus Israël? fugiam ergo manus ejus.

2 Et surrexit David, & abiit ipse & sexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch regem Geth.

3 Et habitavit David cum Achis in Geth: ipse & viri ejus, vir & domus ejus; & David, & duæ uxores ejus, Achinoam Jezrahelitis, & Abigail uxor Nabal Carmeli.

B 4 Et nuntiatum est Sauli quòd fugisset David in Geth: & non addidit ultrà quærere eum.

5 Dixit autem David ad Achis: Si inveni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in una urbium regionis hujus, ut habitem ibi: cur enim manet servus tuus in civitate regis tecum?

6 Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam causam facta Siceleg regum Juda, usque in diem hanc.

7 Fuit autem numerus dierũ, quibus habitavit David in regione Philisthinorum, quattuor mensium.

C 8 Et ascendit David, & viri ejus, & agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur usque ad Terram Ægypti.

9 Et percutiebat David omnem terram, nec relinquebat viventem virum & mulierem: tollénsque oves, & boves, & asinos, & camelos, & vestes, revertebatur, & veniebat ad Achis.

D 10 Dicebat autem ei Achis: In quem irruisti hodie? Respondebat David: Contra meridiem Judæ, & contra meridiem Jerameel, & contra meridiem Ceni.

11 Virum & mulierem non vivificabat David, nec adducebat in Geth, dicens: Ne fortè loquantur adversum nos: Hæc fecit David: & hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitavit in regione Philisthinorum.

12 Credidit ergo Achis David, dicens: Multa mala operatus est contra populum suum Israël: erit igitur mihi servus sempiternus.

Caput XXVIII.

Philisthæi contra Saul armantur, ad quod bellum David pollicetur fidem Achis. Saul occisis Magis, Pythonissam consulit, suscitari jubens Samuelem, à quo suam suorúmque proximam mortem didicit.

A 1 FActum est autem in diebus illis, congregaverunt Philisthiim agmina sua, ut præpara-

rentur ad bellum contra Israël: dixítque Achis ad David: Sciens nunc scito, quòniam mecum egredieris in castris tu, & viri tui.

2 Dixítque David ad Achis: Nunc scies quæ facturus est servus tuus. Et ait Achis ad David: Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus.

3 *Samuel autem mortuus est, planxítque eum *Sup. 25. a. 1. omnis Israël, & sepelierunt eum in Ramatha urbe Eccli. 46. d. 23. sua. Et Saul abstulit magos & ariolos de terra.

4 Congregatíq; sunt Philisthiim, & venerunt, & castrametati sunt in Sunam: congregavit autem & Saul universum Israël, & venit in Gelboë.

5 Et vidit Saul castra Philisthiim, & timuit, & expavit cor ejus nimis.

6 Consuluítque Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neque per sacerdotes, neque B per prophetas.

7 Dixítque Saul servis suis: Quærite mihi mulierem habentem * pythonem, & vadam ad eam, *Lev. 20. c. 27. Deut. 18. b. 11. Act. 16. c. 16. & sciscitabor per illam. Et dixerunt servi ejus ad eum: Est mulier pythonem habens in Endor.

8 Mutavit ergo habitum suum: vestitúsque est aliis vestimentis, & abiit ipse, & duo viri cum eo, venerúntque ad mulierem nocte, & ait illi: Divina mihi in pythone, & suscita mihi quem dixero tibi.

9 Et ait mulier ad eum: Ecce, tu nosti quanta fecerit Saul, & quo modo eraserit magos & ariolos de terra: quare ergo insidiaris animæ meæ, ut occidar?

10 Et juravit ei Saul in Domino, dicens: Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem.

11 Dixítque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita.

12 Cùm autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul.

13 Dixítque ei rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra.

14 Dixítque ei: Qualis est forma ejus? Quæ ait: C Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul quòd Samuel esset, & inclinavit se super faciem suam in terra, & adoravit. *Ecc. 46. d. 23.

15 Dixit autem Samuel ad Saul: *Quare inquietasti me ut suscitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: siquidem Philisthiim pugnant adversum me, & Deus recessit à me, & exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia: vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam.

16 Et ait Samuel: Quid interrogas me, cùm Dominus recesserit à te, & transierit ad æmulum tuũ?

17 Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David:

18 Quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris ejus in Amalech. idcircò quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.

19 Et dabit Dominus etiam Israël tecum in manus Philisthiim: cras autem tu & filij tui mecum D eritis: sed & castra Israël tradet Dominus in manus Philisthiim.

Universidad de Deusto
Biblioteca

20 Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa.

21 Ingressa est itaque mulier illa ad Saul, (conturbatus enim erat valdè) dixítque ad eum: Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam in manu mea: & audivi sermones tuos, quos locutus es ad me.

22 Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te bucellam panis ut comedens convalescas, & possis iter agere.

23 Qui renuit, & ait: Non comedam. Coëgerunt autem eum servi sui & mulier, & tandem audita voce eorum surrexit de terra, & sedit super lectum.

24 Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, & festinavit, & occidit eum: tollénsque farinam, miscuit eam, & coxit azyma,

25 Et posuit ante Saul & ante servos ejus. Qui cùm comedissent, surrexerunt, & ambulaverunt per totam noctem illam.

Caput XXIX.

David cum Philisthæis adversus Israël proficiscens remittitur: quia metuebant principes ne in prælio fieret ipsis adversarius.

A 1 COngregata sunt ergo Philisthiim universa agmina in Aphec: sed & Israël castrametatus est super fontem, qui erat in Jezrahel.

2 Et satrapæ quidem Philisthiim incedebant in centuriis & millibus: David autem & viri ejus erant in novissimo agmine cum Achis.

3 Dixerúntque principes Philisthiim ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philisthiim: Num ignoratis David, qui fuit servus Saul regis Israël, & est apud me multis diebus, vel annis, & non inveni in eo quidquam, ex die qua transfugit ad me, usque ad diem hanc?

4 * Irati sunt autem adversus eum principes * 1. Par. 12. d. 19.
Philisthiim, & dixerunt ei: Revertatur vir iste, & B
sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis adversarius, cùm præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris?

5 Nónne iste est David cui cantabant in choris, dicentes: Percussit Saul in millibus suis, & David in decem millibus suis?

C 6 Vocavit ergo Achis David, & ait ei: Vivit Dominus: quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris: & non inveni in te quidquam mali, ex die qua venisti ad me, usque in diem hanc: sed satrapis non places.

7 Revertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos satraparum Philisthiim.

8 Dixítque David ad Achis: Quid enim feci, & quid invenisti in me servo tuo, à die qua fui in conspectu tuo usque in diem hanc, ut non veniam, & pugnem contra inimicos domini mei regis?

D 9 Respondens autem Achis, locutus est ad David: Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei, sed principes Philisthinorum dixerunt: Non ascendet nobiscum in prælium.

10 Igitur consurge manè tu, & servi domini tui, qui venerunt tecum: & cùm de nocte surrexeritis, & cœperit dilucescere, pergite.

11 Surrexit itaque de nocte David ipse & viri ejus, ut proficiscerentur manè, & reverterentur ad Terram Philisthiim: Philisthiim autem ascenderunt in Jezrahel.

Caput XXX.

Absente David, Amalecitæ Siceleg incenderant ablata præda, quos David persequens occidit, recepta præda, quam singulis sociis ex æquo divisit etiam iis qui ad sarcinas lassi remanserant.

A 1 CUmque * venissent David & viri ejus in * 1. Par. 12. d. 20.
Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte australi in Siceleg, & percusserant Siceleg, & succenderant eam igni.

2 Et captivas duxerant mulieres ex ea, à minimo usque ad magnum: & non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, & pergebant itinere suo.

3 Cùm ergo venissent David & viri ejus ad civitatem, & invenissent eam succensam igni, & uxores suas, & filios suos, & filias ductas esse captivas,

4 Levaverunt David & populus qui erat cum eo voces suas, & planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ.

5 Siquidem & duæ uxores David captivæ ductæ fuerant, Achinoam Jezrahelites, & Abigail B
uxor Nabal Carmeli.

6 Et contristatus est David valdè: volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima uniuscujusque viri super filiis suis & filiabus: confortatus est autem David in Domino Deo suo.

7 Et ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimelec: Applica ad me ephod. Et applicavit Abiathar ephod ad David,

8 Et consuluit David Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixítque ei Dominus: Persequere: absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.

9 Abiit ergo David ipse, & sexcenti viri qui C
erant cum eo, & venerunt usque ad Torrrentem Besor: & lassi quidam substiterunt.

10 Persecutus est autem David ipse, & quadringenti viri: substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant Torrentem Besor.

11 Et invenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad David: dederúntque ei panem ut comederet, & biberet aquam.

12 Sed & fragmen massæ caricarum, & duas ligaturas uvæ passæ. Quæ cùm comedisset, reversus est spiritus ejus, & refocillatus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus & tribus noctibus.

13 Dixit itaque ei David: Cujus es tu? vel unde? & quò pergis? Qui ait: puer Ægyptius ego D
sum, servus viri Amalecitæ: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius.

14 Siquidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, & contra Judam, & ad meridiem Caleb,

leb, & Siceleg succendimus igni.

15 Dixítque ei David: Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait: Jura mihi per Deum, quòd non occidas me, & non tradas me in manus domini mei, & ego ducam te ad cuneum istum. Et juravit ei David.

16 Qui cùm duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ, comedentes & bibentes, & quasi festum celebrantes diem, pro cuncta præda, & spoliis quæ ceperant de Terra Philisthiim, & de Terra Juda.

E 17 Et percussit eos David à vespere usque ad vesperam alterius diei, & non evasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, & fugerant.

18 Eruit ergo David omnia quæ tulerant Amalecitæ, & duas uxores suas eruit.

19 Nec defuit quidquam à parvo usque ad magnum, tam de filiis quàm de filiabus, & de spoliis, & quæcumque rapuerant, omnia reduxit David.

20 Et tulit universos greges & armenta, & minavit ante faciem suam: dixerúntque: Hæc est præda David.

F 21 Venit autem David ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi potuerant David, & residere eos jusserat in Torrente Besor: qui egressi sunt obviàm David & populo qui erat cum eo. Accedens autem David ad populum, salutavit eos pacificè.

22 Respondénsque omnis vir pessimus & iniquus, de viris qui ierant cum David, dixit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus: sed sufficiat unicuique uxor sua & filij: quos cùm acceperint, recedant.

23 Dixit autem David: Non sic facietis fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus, & custodivit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant adG
versum nos in manus nostras:

24 Nec audiet vos quisquam super sermone hoc. æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter dividet.

25 Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum & præfinitum, & quasi lex in Israël usque in diem hanc.

26 Venit ergo David in Siceleg, & misit dona de præda senioribus Juda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Domini:

27 His qui erant in Bethel, & qui in Ramoth, ad Meridiem, & qui in Jether,

28 Et qui in Aroër, & qui in Sephamoth, & qui in Esthamo,

29 Et qui in Rachal, & qui in urbibus Jerameel, & qui in urbibus Ceni,

30 Et qui in Aarama, & qui in lacu Asan, & qui in Athach,

31 Et qui in Hebron, & reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat David ipse & viri ejus.

Caput XXXI.

Saul cum filiis in pugna cæsi, corpus truncato capite in muro Bethsan suspenditur, armáque ejus in templo Astaroth: viri autem Iabes, ablatis Saul ac filiorum ejus corporibus, juxta Iabes ea sepelierunt.

1 PHilisthiim autem pugnabant adversum Is- A
raël: & fugerunt viri Israël ante faciem Philisthiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboë.

2 * Irruerúntque Philisthiim in Saul, & in filios * 1. Par. 10. a. 2. 3.
ejus, & percusserunt Jonathan, & Abinadab, & Melchisua, filios Saul,

3 Totúmque pondus prælij versum est in Saul: & consecuti sunt eum viri sagittarij, & vulneratus est vehementer à sagittariis:

4 * Dixítque Saul ad armigerum suum: Evagina * 1. Par. 10. b. 4.
gladium tuum, & percute me: ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus: fuerat enim nimio terB
rore perterritus. arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum.

5 Quod cùm vidisset armiger ejus, videlicet quòd mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo.

6 Mortuus est ergo Saul, & tres filij ejus, & armiger illius, & universi viri ejus in die illa pariter.

7 Videntes autem viri Israël, qui erant trans vallem, & trans Jordanem, quòd fugissent viri Israëlitæ, & quòd mortuus esset Saul, & filij ejus, reliquerunt civitates suas, & fugerunt: venerúntC
que Philisthiim, & habitaverunt ibi.

8 Facta autem die altera, venerunt Philisthiim, ut spoliarent interfectos, & invenerunt Saul & tres filios ejus jacentes in monte Gelboë.

9 Et præciderunt caput Saul, & spoliaverunt eum armis: & miserunt in Terram Philisthinorum per circuitum, ut annuntiaretur in templo idolorum, & in populis.

10 Et posuerunt arma ejus in templo Astaroth, corpus verò ejus suspenderunt in muro Bethsan. D

11 * Quod cùm audissent habitatores Jabes Ga- * 2. Reg. 2. a. 4.
laad, quæcumque fecerant Philisthiim Saul,

12 Surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulaverunt tota nocte, & tulerunt cadaver Saul, & cadavera filiorum ejus, de muro Bethsan: venerúntque Jabes Galaad, & combusserunt ea ibi:

13 Et tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Jabes, & jejunaverunt septem diebus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER SECUNDUS

SAMUELIS, QUEM NOS SECUNDUM REGUM DICIMUS.

Caput Primum.

David occiso nuntio, qui se Saulem occidisse dicebat, scissis vestibus deflet eum cum ceteris occisis, jejunans ac præcipiens ut filios Juda docerent arcum.

A 1 Factum est autem postquam mortuus est Saul, ut David reverteretur à cæde Amalec, & maneret in Siceleg duos dies.

2 In die autem tertia, apparuit homo veniens de castris Saul, veste conscissa, & pulvere conspersus caput: & ut venit ad David, cecidit super faciem suam, & adoravit.

3 Dixítque ad eum David: Unde venis? Qui ait ad eum: De castris Israël fugi.

4 Et dixit ad eum David: Quod est verbum quod factum est? Indica mihi. Qui ait: Fugit populus ex prælio, & multi corruentes è populo mortui sunt: sed & Saul & Jonathas filius ejus interierunt.

5 Dixítque David ad adolescentem, qui nuntiabat ei: Unde scis quia mortuus est Saul, & Jonathas filius ejus?

6 Et ait adolescens, qui nuntiabat ei: Casu veni in montem Gelboë, & Saul incumbebat super hastam suam: porrò currus & equites appropinquabant ei,

B 7 Et conversus post tergum suum, vidénsque me vocavit. Cui cùm respondissem: Adsum:

8 Dixit mihi: Quisnam es tu? Et aio ad eum: Amalecites ego sum.

9 Et locutus est mihi: Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustiæ, & adhuc tota anima mea in me est.

10 Stánsque super eum, occidi illum: sciebam enim quòd vivere non poterat post ruinam: & tuli diadema quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc.

11 Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnésque viri qui erant cum eo,

12 Et planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam, super Saul, & super Jonathan filium ejus, & super populum Domini, & super domum Israël, eò quòd corruissent gladio.

13 Dixítque David ad juvenem qui nuntiaverat ei: Unde es tu? Qui respondit: Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum.

14 Et ait ad eum David: * Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres christum C
Domini? *1.sf.104. b.15.

15 Vocánsque David unum de pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, & mortuus est.

16 Et ait ad eum David: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est adversum te, dicens: Ego interfeci christum Domini.

17 Planxit autem David planctum hujuscemodi super Saul, & super Jonathan filium ejus,

18 (Et præcepit ut docerent filios Juda arcum, sicut scriptum est in Libro justorum.) Et ait: Considera Israël, pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati.

19 Inclyti, Israël, super montes tuos interfecti sunt: quo modo ceciderunt fortes?

20 Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis: ne fortè lætentur filiæ D
Philisthiim, ne exultent filiæ incircumcisorum.

21 Montes Gelboë, nec ros nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum: quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.

22 A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Jonathæ numquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est reversus inanis.

23 Saul & Jonathas amabiles, & decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi: aquilis velociores, leonibus fortiores.

24 Filiæ Israël super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.

25 Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Jonathas in excelsis tuis occisus est?

26 Doleo super te frater mi Jonatha decore nimis, & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.

27 Quo modo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica?

Caput II.

David in Hebron super Juda in regem unctus, viros Iabes Galaad ob Saul sepulturam commendat: Isboseth verò in regem super Israël unctio, gravem peperit seditionem ac pugnã.

1 Igitur post hæc consuluit David Dominum, A
dicens: Num ascendam in unam de civitatibus Juda? Et ait Dominus ad eum: Ascende. Dixítque David: Quò ascendam? Et respondit ei: In Hebron.

2 Ascen

2 Ascendit ergo David, & duæ uxores ejus, Achinoam Jezraelites, & Abigail uxor Nabal Carmeli:

3 Sed & viros, qui erant cum eo, duxit David singulos cum domo sua: & manserunt in oppidis Hebron.

* *Marc. 2.sf.57.* 4 * Venerúntque viri Juda, & unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Juda. Et nuntiatum est David, quòd viri Jabes Galaad sepelissent Saul.

5 Misit ergo David nuntios ad viros Jabes Galaad, dixítque ad eos: Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum.

6 Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam B
gratiam, eò quòd fecistis verbum istud.

7 Confortentur manus vestræ, & estote filij fortitudinis: licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in regem sibi.

8 Abner autem filius Ner, princeps exercitus Saul, tulit Isboseth filium Saul, & circumduxit eum per castra,

9 Regémque constituit super Galaad & super Gessuri, & super Jezrael, & super Ephraim, & super Benjamin, & super Israël universum.

10 Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul, cùm regnare cœpisset super Israël, & duobus annis regnavit: sola autem domus Juda sequebatur David.

11 Et fuit numerus dierum, quos commoratus est David, imperans in Hebron super domum Ju- C
da, septem annorum, & sex mensium.

12 Egressúsque est Abner filius Ner, & pueri Isboseth filij Saul, de castris in Gabaon.

13 Porrò Joab filius Sarviæ, & pueri David egressi sunt, & occurrerunt eis juxta piscinam Gabaon. Et cùm in unum convenissent, è regione sederunt: hi ex una parte piscinæ, & illi ex altera.

14 Dixítque Abner ad Joab: Surgant pueri, & ludant coram nobis. Et respondit Joab: Surgant.

15 Surrexerunt ergo, & transierunt numero duodecim de Benjamin, ex parte Isboseth filij Saul, & duodecim de pueris David.

16 Apprehensóque unusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt simul: vocatúmque est nomen loci illius: Ager robustorum, in Gabaon.

17 Et ortum est bellum durum satis in die illa: D
fugatúsque est Abner, & viri Israël, à pueris David.

18 Erant autem ibi tres filij Sarviæ, Joab, & Abisai, & Asaël: porrò Asaël cursor velocissimus fuit, quasi unus de capreis quæ morantur in silvis.

19 Persequebatur autem Asaël Abner, & non declinavit ad dexteram neque ad sinistram omittens persequi Abner.

20 Respexit itaque Abner post tergum suum, & ait: Túne es Asaël? Qui respondit: Ego sum.

21 Dixítque ei Abner: Vade ad dexteram, sive ad sinistram, & apprehende unum de adolescentibus, & tolle tibi spolia ejus. Noluit autem Asaël E
omittere quin urgeret eum.

22 Rursúmque locutus est Abner ad Asaël: Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, & levare non potero faciem meam ad Joab fratrem tuum.

23 Qui audire contempsit, & noluit declinare: percussit ergo eum Abner aversa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est in eodem loco: omnésque qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asaël, & mortuus erat, subsistebant.

24 Persequentibus autem Joab & Abisai fugientem Abner, sol occubuit: & venerunt usque F
ad Collem aquæ ductus, qui est ex adverso vallis itineris deserti in Gabaon.

25 Congregatíque sunt filij Benjamin ad Abner: & conglobati in unum cuneum, steterunt in summitate tumuli unius.

26 Et exclamavit Abner ad Joab, & ait: Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet? an ignoras quòd periculosa sit desperatio? usquequò non dicis populo ut omittat persequi fratres suos?

27 Et ait Joab: Vivit Dominus, si locutus fuisses, manè recessissent populus persequens fratrem suum.

28 Insonuit ergo Joab buccina, & stetit omnis G
exercitus, nec persecuti sunt ultrà Israël, neque iniere certamen.

29 Abner autem & viri ejus abierunt per campestria, tota nocte illa: & transierunt Jordanem, & lustrata omni Beth horon, venerunt ad castra.

30 Porrò Joab reversus, omisso Abner, congregavit omnem populum: & defuerunt de pueris David decem & novem viri, excepto Asaële.

31 Servi autem David percusserunt de Benjamin, & de viris qui erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui & mortui sunt.

32 Tulerúntque Asaël, & sepelierunt eum in sepulchro patris sui in Bethlehem: & ambulaverunt tota nocte Joab & viri qui erant cum eo, & in ipso crepusculo pervenerunt in Hebron.

Caput III.

Abner iratus regi Isboseth fœdus init cum David, & reducta Michol, dum congregaret Israëlitas ad David, occiditur à Joab, cui David iratus amarè deflet Abner.

1 Facta est ergo longa concertatio inter do- A
mum Saul, & inter domum David: David proficiscens, & semper seipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie.

2 * Natíque sunt filij David in Hebron: fuít- * *1.Par. 3.a.1.*
que primogenitus ejus Amnon de Achinoam Jezraelitide.

3 Et post eum Cheleab de Abigail uxore Nabal Carmeli: porrò tertius Absalom, filius Maacha filiæ Tholmai regis Gessur.

4 Quartus autem Adonias, filius Haggith: & quintus Saphathia, filius Abital.

5 Sextus quoque Jethraam, & Egla uxore David. hi nati sunt David in Hebron.

6 Cùm ergo esset prælium inter domum Saul & domum David, Abner filius Ner regebat domum Saul.

7 Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Aia. Dixítque Isboseth ad Abner:

8 Quare ingressus es ad concubinam patris mei? B
Qui iratus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis ego sum adversum Judam hodie,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui, & super fratres & proximos ejus, & non tradidi te in manus David, & tu requisisti in me quod arguères pro muliere hodie ?

9 Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, nisi quomodo juravit Dominus David, sic faciam cum eo,

10 Ut transferatur regnum de domo Saul, & elevetur thronus David super Israël, & super Judam, à Dan usque Bersabee.

11 Et non potuit respondere ei quidquam: quia metuebat illum.

12 Misit ergo Abner nuntios ad David pro se dicentes: cujus est terra? Et ut loquerentur: Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te universum Israël.

13 Qui ait: Optimè: ego faciam tecum amicitias: sed unam rem peto à te, dicens: Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol filiam Saul: & sic venies, & videbis me.

14 Misit autem David nuntios ad Isboseth filium Saul, dicens: * Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis Philisthiim.

15 Misit ergo Isboseth, & tulit eam à viro suo Phaltiel filio Lais.

16 Sequebatúrque eam vir suus, plorans usque Bahurim: & dixit ad eum Abner: Vade, & revertere. Qui reversus est.

17 Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israël, dicens: Tam heri quàm nudiustertius quærebatis David ut regnaret super vos.

18 Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus est ad David, dicens: In manu servi mei David salvabo populum meum Israël de manu Philisthiim, & omnium inimicorum ejus.

19 Locutus est autem Abner etiam ad Benjamin. Et abiit ut loqueretur ad David in Hebron, omnia quæ placuerant Israëli & universo Benjamin.

20 Venítque ad David in Hebron cum viginti viris: & fecit David Abner, & viris ejus qui venerant cum eo, convivium.

21 Et dixit Abner ad David: Surgam, ut congregem ad te dominum meum regem omnem Israël, & ineam tecum fœdus, & imperes omnibus, sicut desiderat anima tua. Cùm ergo deduxisset David Abner, & ille isset in pace,

22 Statim pueri David & Joab venerunt, cæsis latronibus, cum præda magna nimis: Abner autem non erat cum David in Hebron, quia jam dimiserat eum, & profectus fuerat in pace.

23 Et Joab, & omnis exercitus qui erat cum eo, posteà venerunt: nuntiatum est itaque Joab à narrantibus: Venit Abner filius Ner ad regem, & dimisit eum, & abiit in pace.

24 Et ingressus est Joab ad regem, & ait: Quid fecisti? Ecce venit Abner ad te: quare dimisisti eum, & abiit & recessit?

25 Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, ut deciperet te, & sciret exitum tuum & introitum tuum, & nosset omnia quæ agis?

26 Egressus itaque Joab à David, misit nuntios post Abner, & reduxit eum à cisterna Sira, ignorante David.

27 Cúmque rediisset * Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loqueretur ei, in dolo: & percussit illum ibi in inguine, & mortuus est in ultionem sanguinis Asael fratris ejus. * 3. Reg. 2. a. 5.

28 Quod cùm audisset David rem jam gestam, ait: Mundus ego sum, & regnum meum, apud Dominum usque in sempiternum, à sanguine Abner filij Ner;

29 Et veniat super caput Joab, & super omnem domum patris ejus: nec deficiat de domo Joab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane.

30 Igitur Joab & Abisai frater ejus interfecerunt Abner, eò quòd occidisset Asael fratrem eorum in Gabaon, in prælio.

31 Dixit autem David ad Joab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner. porrò rex David sequebatur feretrum.

32 Cúmque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, & flevit super tumulum Abner: flevit autem & omnis populus.

33 Plangénsque rex & lugens Abner, ait: Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner.

34 Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti. Congeminánsque omnis populus flevit super eum.

35 Cúmque venisset universa multitudo cibum capere cum David, clara adhuc die juravit David, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum solis gustavero panem vel aliud quidquam.

36 Omnísque populus audivit, & placuerunt eis cuncta quæ fecit rex in conspectu totius populi.

37 Et cognovit omne vulgus & universus Israël in die illa, quoniam non actum fuisset à rege ut occideretur Abner filius Ner.

38 Dixit quoque rex ad servos suos: Num ignoratis quoniam princeps & maximus cecidit hodie in Israël?

39 Ego autem adhuc delicatus, & unctus rex: porrò viri isti filij Sarviæ duri sunt mihi: retribuat Dominus facienti malum juxta malitiam suam.

Caput IV.

Baana & Rechab caput Isboseth quem dormientem occiderant, ad David attulerunt, quos pro mercede jussit interimi.

1 AUdivit autem Isboseth filius Saul, quòd cecidisset Abner in Hebron: & dissolutæ sunt manus ejus, omnísque Israël perturbatus est.

2 Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen uni Baana, & nomen alteri Rechab filij Remmon Berothitæ de filiis Benjamin: siquidem & Beroth reputata est in Benjamin.

3 Et fugerunt Berothitæ in Gethaim, fuerúntque ibi advenæ usque ad tempus illud.

4 Erat autem Jonathæ filio Saul filius debilis pedibus: quinquennis enim fuit, quando venit nuntius de Saul & Jonatha ex Iezrael. tollens itaque eum nutrix sua, fugit: cúmque festinaret ut fugeret, cecidit, & claudus effectus est, habuítque vocabulum Miphiboseth.

5 Venientes igitur filij Remmon Berothitæ, Rechab & Baana, ingressi sunt fervente die domum Isboseth: qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum, obdormivit.

6 Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici, & percusserunt eum in inguine Rechab & Baana frater ejus, & fugerunt.

7 Cùm autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclavi, & percutientes interfecerunt eum: sublatóque capite ejus, abierunt per viam deserti tota nocte,

8 Et attulerunt caput Isboseth ad David in Hebron: dixerúntque ad regem: Ecce caput Isboseth filij Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam: & dedit Dominus domino meo regi ultionem hodie de Saul, & de semine ejus.

9 Respondens autem David Rechab, & Baana fratri ejus, filiis Remmon Berothitæ, dixit ad eos: vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia:

10 * Quoniam eum, qui annuntiaverat mihi, & dixerat: Mortuus est Saul: qui putabat se prospera nuntiare, tenui, & occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio. * Supr. 1. c. 14.

11 Quantò magis nunc, cùm homines impij interfecerunt virum innoxium, in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem ejus de manu vestra, & auferam vos de terra?

12 Præcepit itaque David pueris suis, & interfecerunt eos: præcidentésque manus & pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron: caput autem Isboseth tulerunt, & sepelierunt in sepulchro Abner in Hebron.

Caput V.

David unctus super totum Israël, pulsis Jebusæis arcem Sion capit; ubi extructa domo habitavit, alias superinducens uxores, filiósque procreans, & Philisthæos bis prosternens.

1 ET venerunt universæ tribus Israël ad David in Hebron, dicentes: * Ecce nos, os tuum & caro tua sumus. * 1. Par. 11. a. 1.

2 Sed & heri & nudiustertius, cùm esset Saul rex super nos, tu eras educens & reducens Israël: dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israël, & tu eris dux super Israël.

3 Venerunt quoque & seniores Israël ad regem in Hebron, & percussit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Domino: unxerúntque David in regem super Israël.

4 Filius triginta annorum erat David, cùm regnare cœpisset,* & quadraginta annis regnavit. * 3. Reg. 2. b. 11.

5 In Hebron regnavit super Judam septem annis & sex mensibus: in Jerusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israël & Judam.

6 Et abiit rex, & omnes viri qui erant cum eo, in Jerusalem, ad Jebusæum habitatorem terræ: dictúmque est David ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos dicentes: Non ingredietur David huc.

7 Cepit autem David arcem Sion, hæc est civitas David.

8 Proposuerat enim David in die illa præmium, qui percussisset Jebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos & claudos odientes animam David. idcircò dicitur in proverbio: Cæcus & claudus non intrabunt in templum.

9 Habitavit autem David in arce, & vocavit eam, Civitatem David: & ædificavit per gyrum à Mello & intrinsecus.

10 Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo.

11 * Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, & ligna cedrina, & artifices lignorum, artificésque lapidum ad parietes: & ædificaverunt domum David. * 1. Par. 14. a. 1.

12 Et cognovit David quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israël, & quoniam exaltasset regnum ejus super populum suum Israël.

13 * Accepit ergo David adhuc concubinas & uxores de Jerusalem, postquam venerat de Hebron: natíque sunt David & alij filij & filiæ. * 1. Par. 3. a. 1. 2. 4.

14 Et hæc nomina eorum qui nati sunt ei in Jerusalem, Samua, & Sobab, & Nathan, & Salomon.

15 Et Jebahar, & Elisua, & Nepheg,

16 Et Japhia, & Elisama, & Elioda, & Eliphaleth.

17 Audierunt ergo Philisthiim quòd unxissent David in regem super Israël: & ascenderunt universi ut quærerent David: quod cùm audisset David, descendit in præsidium.

18 * Philisthiim autem venientes diffusi sunt in Valle Raphaim. * 1. Par. 14. b. 9.

19 Et consuluit David Dominum, dicens: Si ascendam ad Philisthiim? & si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad David: Ascende, quia tradens dabo Philisthiim in manu tua.

20 * Venit ergo David in Baal Pharasim; & percussit eos ibi, & dixit: Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ. Propterea vocatum est nomen loci illius, Baal Pharasim. * Isa. 28. f. 21.

21 Et reliquerunt ibi sculptilia sua: quæ tulit David, & viri ejus.

22 Et addiderunt adhuc Philisthiim ut ascenderent, & diffusi sunt in Valle Raphaim.

23 Consuluit autem David Dominum: Si ascendam contra Philisthæos, & tradas eos in manus meas? Qui respondit: Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex adverso pyrorum.

24 Et cùm audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim.

25 Fecit itaque David sicut præceperat ei Dominus, & percussit Philisthiim, de Gabaa, usque dum venias Gezer.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPUT VI.

Reducente David arcam à domo Abinadab, Oza à Domino occisus est, quòd illam attigisset; quare eam in domo Obededom reliquit: postmodum vero in Jerusalem reducens, & ante eam ludens, à Michol uxore ridetur: in cujus pœnam numquam illa deinceps peperit.

A 1 COngregavit autem rursum David omnes electos ex Israël triginta millia.

*1. Par. 13. b. 5. 2 * Surrexítque David, & abiit, & universus populus qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent arcam Dei super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubim super eam.

3 Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum: tulerúntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem & Ahio filij Abinadab, minabant plaustrum novum.

*1. Reg. 7. a. 1. 4 * Cúmque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam.

5 David autem & omnis Israël ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, & citharis & lyris & tympanis & sistris & cymbalis.

6 Postquam autem venerunt ad Aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam.

B 7 Iratúsque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi juxta arcam Dei.

*1. Par. 13. d. 11. 8 * Contristatus est autem David, eò quòd percussisset Dominus Ozam, & vocatum est nomen loci illius, Percussio Ozæ, usque in diem hanc.

9 Et extimuit David Dominum in die illa, dicens: Quo modo ingredietur ad me arca Domini:

10 Et noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David: sed divertit eam in domum Obededom Gethæi.

11 Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus.

12 Nuntiatúmque est regi David quòd benedixisset Dominus Obededom, & omnia ejus, propter arcam Dei. *1. Par. 15. d. 25. * Abiit ergo David, & adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio: & erant cum David septem chori, & victima vituli.

*1. Par. 15. d. 26. 13 * Cúmque transcendissent qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat bovem & arietem,

C 14 Et David saltabat totis' viribus ante Dominum. porrò David erat accinctus ephod lineo.

15 Et David & omnis domus Israël ducebant arcam testamenti Domini, in jubilo, & in clangore buccinæ.

16 Cúmque intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David subsilientem, atque saltantem coram Domino: & despexit eum in corde suo.

17 Et introduxerunt arcam Domini, & imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi quod tetenderat ei David: & obtulit David holocausta, & pacifica coram Domino.

18 Cúmque complesset offerens holocausta & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum.

19 Et partitus est universæ multitudini Israël, tam viro quàm mulieri, singulis colliridam panis unam, & assaturam bubulæ carnis unam, & similam frixam oleo: & abiit omnis populus, unusquisque in domum suam. D

20 Reversúsque est David ut benediceret domui suæ: & egressa Michol filia Saul in occursum David, ait: Quàm gloriosus fuit hodie rex Israël, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est quasi si nudetur unus de scurris.

21 Dixítque David ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum ejus, & præcepit mihi ut essem dux super populum Domini in Israël,

22 Et ludam, & vilior fiam plus quàm factus sum: & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.

23 Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ.

CAPUT VII.

David proponens ædificare domum Domino, à Nathan propheta primùm collaudatur, postmodum jubente Domino prohibetur, sed filius ei promittitur illam ædificaturus, unde Domino gratias agit.

1 FActum est autem cùm sedisset rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis, A

2 Dixit ad Nathan prophetam: * Vidésne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium? *1. Par. 17. a. 1.

3 Dixítque Nathan ad regem: Omne quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est.

4 Factum est autem in illa nocte: & ecce sermo Domini ad Nathan, dicens:

5 Vade, & loquere ad servum meum David: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?

6 Neque enim habitavi in domo ex die illa qua eduxi filios Israël de Terra Ægypti, usque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo, & in tentorio.

7 Per cuncta loca, quæ transivi cum omnibus filiis Israël; numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israël, cui præcepi, ut pasceret populum meum Israël, dicens: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam? B

8 Et nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dominus exercituum: * Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israël: *1. Reg. 16. c. 11. Psal. 77. g. 70.

9 Et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti, & interfeci universos inimicos tuos à facie tua: fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra.

10 Et ponam locum populo meo Israël, & plantabo eum, & habitabit sub eo, & non turbabitur ampliùs: nec addent filij iniquitatis ut affligant eum sicut priùs,

11 Ex die qua constitui judices super populum meum Israël: & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis

inimicis tuis. prædicítque tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus.

*3. Reg. 8. b. 19. 12 * Cúmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus.

*3. Reg. 5. a. 5. 13 * Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.

*1. Par. 22. b. 10. Hebr. 1. b. 5. 14 * Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.

*Psal. 88. a. 4. c. 37. 15 * Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amovi à facie mea.

C *Hebr. 1. c. 8. 16 Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, & * thronus tuus erit firmus jugiter.

17 Secundùm omnia verba hæc, & juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David.

18 Ingressus est autem rex David, & sedit coram Domino, & dixit: Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque?

19 Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum: ista est enim lex Adam, Domine Deus.

20 Quid ergo addere poterit adhuc David, ut loquatur ad te? tu enim scis servum tuum Domine Deus.

21 Propter verbum tuum, & secundùm cor tuum feci sti omnia magnalia hæc, ita ut notum faceres servo tuo.

22 Idcircò magnificatus es Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus quæ audivimus auribus nostris.

D 23 Quæ est autem, ut populus tuus Israël, gens in terra, propter quam ivit Deus, ut redimeret eam sibi in populum, & poneret sibi nomen, faceréntque eis magnalia, & horribilia super terram, à facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, & deum ejus.

24 Firmasti enim tibi populum tuum Israël in populum sempiternum: & tu Domine Deus, factus es eis in Deum.

25 Nunc ergo Domine Deus, verbum, quod locutus es super servum tuum, & super domum ejus, suscita in sempiternum: & fac sicut locutus es,

26 Ut magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, atque dicatur: Dominus exercituum, Deus super Israël. Et domus servi tui David erit stabilita coram Domino,

27 Quia tu Domine exercituum Deus Israël revelasti aurem servi tui, dicens: domum ædificabo tibi: propterea invenit servus tuus cor suum ut oraret te oratione hac.

28 Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera: locutus es enim ad servum tuum bona hæc.

29 Incipe ergo, & benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum coram te: quia tu Domine Deus locutus es, & benedictione tua benedicetur domus servi tui in sempiternum.

CAPUT VIII.

Victoria David, qui multos fecit tributarios quibus solent Israëlitæ pendere tributa: congratulatio Thou regis Emath de rege Adarezere devicto, à quo multa spolia David abstulit: officiarij quos habebat David recensentur.

1 FActum est autem post hæc, percussit David Philisthiim, & humiliavit eos, * & tulit David Frenum tributi de manu Philisthiim. A *1. Par. 18. a. 1.

2 Et percussit Moab, & mensus est eos funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum: factúsque est Moab David serviens sub tributo.

3 Et percussit David Adarezer filium Rohob regem Soba, quando profectus est ut dominaretur super flumen Euphraten.

4 Et captis David ex parte ejus mille septingentis equitibus, & viginti millibus peditum, subnervavit omnes jugales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus.

5 Venit quoque Syria Damasci, ut præsidium ferret Adarezer regi Soba: & percussit David de Syria viginti duo millia virorum.

6 Et posuit David præsidium in Syria Damasci: B factáque est Syria David serviens sub tributo: servavítque Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est.

7 Et tulit David arma aurea, quæ habebant servi Adarezer, & detulit ea in Jerusalem.

8 Et de Bete & de Beroth, civitatibus Adarezer tulit rex David æs multum nimis.

9 Audivit autem Thou rex Emath, quòd percussisset David omne robur Adarezer,

10 Et misit Thou Joram filium suum ad regem David, ut salutaret eum congratulans, & gratias ageret. eò quòd expugnasset Adarezer, & percussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adarezer, & in manu ejus erant vasa aurea, & vasa argentea, & C vasa ærea:

11 Quæ & ipsa sanctificavit rex David Domino cum argento & auro, quæ sanctificaverat de universis gentibus quas subegerat,

12 De Syria, & Moab, & filiis Ammon, & Philisthiim, & Amalec, & de manubiis Adarezer filij Rohob regis Soba.

13 Fecit quoque sibi David nomen, cùm reverteretur capta Syria in Valle Salinarum, cæsis decem & octo millibus.

14 Et posuit in Idumæa custodes, statuítque præsidium: & facta est universa Idumæa serviens David. & servavit Dominus David in omnibus D ad quæcumque profectus est.

15 Et regnavit David super omnem Israël: faciebat quoque David judicium & justitiam omni populo suo.

16 Joab autem filius Sarviæ erat super exercitum: porrò Josaphat filius Ahilud erat à commentariis:

17 Et Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar, erant sacerdotes: & Saraias, scriba:

18 Banaias autem filius Joiadæ, super Cerethi & Phelethi: filij autem David sacerdotes erant.

CAPUT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPUT IX.

Quantum pietatis exhibuerit David Miphiboseth filio Ionathæ claudo, datis omnibus agris Saul, quos colebat Siba cum filiis ac servis suis, Miphiboseth ad mensam David recepto.

A 1 ET dixit David: Putásne est aliquis qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Jonathan?

2 Erat autem de domo Saul, servus nomine Siba: quem cùm vocasset rex ad se, dixit ei: Túne es Siba? & ille respondit: Ego sum servus tuus.

3 Et ait rex: Numquid supereſt aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei? Dixítque Siba regi: Supereſt filius Jonathæ, debilis pedibus.

4 Ubi, inquit, est? Et Siba ad regem, Ecce, ait, in domo est Machir filij Ammiel in Lodabar.

B 5 Misit ergo rex David, & tulit eum de domo Machir filij Ammiel de Lodabar.

6 Cùm autem veniſſet Miphiboseth filius Jonathæ filij Saul ad David, corruit in faciem suam, & adoravit. Dixítque David: Miphiboseth? Qui respondit: Adsum servus tuus.

7 Et ait ei David: Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Jonathan patrem tuum, & restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper.

8 Qui adorans eum, dixit: Quis ego sum ser-
C vus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?

9 Vocavit itaque rex Sibam puerum Saul, & dixit ei: Omnia quæcumque fuerunt Saul, & universam domum ejus, dedi filio domini tui.

10 Operare igitur ei terram tu, & filij tui, & servi tui: & inferes filio domini tui cibos ut alatur: Miphiboseth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam. Erant autem Sibæ quindecim filij, & viginti servi.

D 11 Dixítque Siba ad regem: Sicut jussisti domine mi rex servo tuo, sic faciet servus tuus: & Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi unus de filiis regis.

12 Habebat autem Miphiboseth filium parvulum nomine Micha: omnis verò cognatio domus Sibæ serviebat Miphiboseth.

13 Porrò Miphiboseth habitabat in Jerusalem: quia de mensa regis jugiter vescebatur: & erat claudus vtroque pede.

CAPUT X.

Hanon rex Ammonitarum, post illatam servis David injuriam, quos ad consolandum de patris morte miserat, contractis quinque regum Syriæ copiis, profligatur semel ac iterùm.

A 1 FActum est autem post hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon, & regnavit Hanon filius ejus pro eo.

*1.Par. 19.a.2. 2 Dixítque David: * Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum misericordiam. Misit ergo David, consolans eum per servos suos super patris interitu. Cùm autem veniſſent servi David in terram filiorum Ammon,

3 Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum suum: Putas quòd propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores, & non ideò ut investigaret, & exploraret civitatem, & everteret eam, misit David servos suos ad te?

4 Tulit itaque Hanon servos David, rasítque dimidiam partem barbæ eorum, & præscidit vestes eorum medias usque ad nates, & dimisit eos.

5 Quod cùm nuntiatum esset David, misit in B occursum eorum: erant enim viri confusi turpiter valdè, & mandavit eis David: Manete in Jericho, donec crescat barba vestra, & tunc revertimini.

6 Videntes autem filij Ammon quòd injuriam feciſſent David, miserunt, & conduxerunt mercede Syrum Rohob, & Syrum Soba, viginti millia peditum, & à rege Maacha mille viros, & ab Istob duodecim millia virorum.

7 Quod cùm audisset David, misit Joab & omnem exercitum bellatorum.

8 Egressi sunt ergo filij Ammon, & direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ: Syrus autem Soba, & Rohob, & Istob, & Maacha, seorsum erant in campo.

9 Videns igitur Joab quòd præparatum esset adversum se prælium, & ex adverso & post tergum, elegit ex omnibus electis Israël, & instruxit aciem C contra Syrum:

10 Reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem adversus filios Ammon.

11 Et ait Joab: Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adjutorium: si autem filij Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi.

12 Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro, & civitate Dei nostri: Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo.

13 Iniit itaque Joab, & populus qui erat cum eo, certamen contra Syros: qui statim fugerunt à facie ejus.

14 Filij autem Ammon videntes quia fugiſſent Syri, fugerunt & ipsi à facie Abisai, & ingressi sunt civitatem: reversúsque est Joab à filiis Ammon, & venit Jerusalem: D

15 Videntes igitur Syri quoniam corruiſſent coram Israël, congregati sunt pariter.

16 Misítque Adarezer, & eduxit Syros qui erant trans fluvium, & adduxit eorum exercitum: Sobach autem, magister militiæ Adarezer, erat princeps eorum.

17 Quod cùm nuntiatum esset David, contraxit omnem Israëlem, & transivit Jordanem, venítque in Helam: & direxerunt aciem Syri ex adverso David, & pugnaverunt contra eum.

18 Fugerúntque Syri à facie Israël, & occidit David de Syris septingentos currus, & quadraginta millia equitum: & Sobach principem militiæ percussit: qui statim mortuus est.

19 Videntes autem universi reges, qui erant in præsidio Adarezer, se victos esse ab Israël, expaverunt & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Israël. Et fecerunt pacem cum Israël: & servierunt eis, timuerúntque Syri auxilium præbere ultrà filiis Ammon.

CAPUT

CAPUT XI.

Obsessa Rabba civitate Ammonitarum, David adulterio Bethsabee adjunxit, ad id celandum, homicidium viri illius Uriæ, acceptáque illa in uxorem, & nato ex ea filio, Dominum commovit ad iram.

A 1 FActum est autem, * vertente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit David Joab, & servos suos cum eo, & universum Israël, & vastaverunt filios Ammon, & obsederunt Rabba: David autem remansit in Jerusalem.
*1.Par. 20.a.1.

2 Dum hæc agerentur, accidit ut surgeret David de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ: vidítque mulierem se lavantem, ex adverso super solarium suum: erat autem mulier pulchra valdè.

3 Misit ergo rex, & requisivit quæ esset mulier. Nuntiatúmque est ei, quòd ipsa esset Bethsabee filia Eliam, uxor Uriæ Hethæi.

4 Missis itaque David nuntiis, tulit eam. quæ *Levit.15. c.18. cùm ingressa esset ad illum, dormivit cum ea: * ita-tímque sanctificata est ab immunditia sua:

5 Et reversa est in domum suam concepto fetu. Mitténsque nuntiavit David, & ait: Concepi.

6 Misit autem David ad Joab, dicens: Mitte ad me Uriam Hethæum. Misítque Joab Uriam ad David.

B 7 Et venit Urias ad David. Quæsivítque David quàm rectè ageret Joab, & populus, & quomodo administraretur bellum.

8 Et dixit David ad Uriam: Vade in domum tuam, & lava pedes tuos. Et egressus est Urias de domo regis, secutúsque est eum cibus regius.

9 Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis servis domini sui, & non descendit ad domum suam.

10 Nuntiatúmque est David à dicentibus: Non ivit Urias in domum suam. Et ait David ad Uriam: Numquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam?

11 Et ait Urias ad David: Arca Dei & Israël & Juda habitant in papilionibus, & dominus meus Joab, & servi domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.

12 Ait ergo David ad Uriam: Mane hîc etiam hodie, & cras dimittam te. Mansit Urias in Jerusalem in die illa & altera:

13 Et vocavit eum David ut comederet coram se & biberet, & inebriavit eum: qui egressus vespere, dormivit in strato suo cum servis domini sui, & in domum suam non descendit.

C 14 Factum est ergo manè, & scripsit David epistolam ad Joab: misítque per manum Uriæ,

15 Scribens in epistola: Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium: & derelinquite eum, ut percussus intereat.

16 Igitur cùm Joab obsideret urbem, posuit Uriam in loco ubi sciebat viros esse fortissimos.

17 Egressíque viri de civitate, bellabant adversum Joab, & ceciderunt de populo servorum David, & mortuus est etiam Urias Hethæus.

18 Misit itaque Joab, & nuntiavit David omnia verba prælij:

19 Præcepítque nuntio, dicens: Cùm compleveris universos sermones belli ad regem,

20 Si cum videris indignari, & dixerit: Quare accessistis ad murum, ut prælaremini? an ignorabatis quòd multa desuper ex muro tela mittantur?

21 Quis percussit Abimelech filium Jerobaal? * * *Iud.9. c.53.* nónne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, & interfecit eum in Thebes: quare juxta murum accessistis? dices: Etiam servus tuus Urias Hethæus occubuit.

22 Abiit ergo nuntius, & venit, & narravit Da- D vid omnia quæ ei præceperat Joab.

23 Et dixit nuntius ad David: Prævaluerunt adversum nos viri, & egressi sunt ad nos in agrum: nos autem facto impetu persecuti eos sumus usque ad portam civitatis.

24 Et direxerunt jacula sagittarij ad servos tuos ex muro desuper: mortuíque sunt de servis regis, quinetiam servus tuus Urias Hethæus mortuus est.

25 Et dixit David ad nuntium: Hæc dices Joab: Non te frangat ista res: varius enim eventus est belli; nunc hunc, & nunc illum consumit gladius: conforta bellatores tuos adversus urbem, ut destruas eam, & exhortare eos.

26 Audivit autem uxor Uriæ, quòd mortuus esset Urias vir suus, & planxit eum.

27 Transacto autem luctu, misit David, & introduxit eam in domum suam, & facta est ei uxor, peperítque ei filium: & displicuit verbum hoc, quod fecerat David, coram Domino.

CAPUT XII.

David sub parabola à Nathan proposita, in se ipsum tulit sententiam: unde Nathan multa illi minatur incommoda; quibus compuncto culpa condonatur, manente pœna: & mortuo puero, nascitur Salomon; ac civitas Rabbath cum magna ultione diruitur, accepto diademate pretiosissimo regis ipsius.

1 MIsit ergo Dominus Nathan ad David: qui A cùm venisset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in civitate una, unus dives, & alter pauper.

2 Dives habebat oves, & boves plurimos valdè.

3 Pauper autem nihil habebat omnino, præter ovem unam parvulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu illius dormiens: erátque illi sicut filia.

4 Cùm autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens ille sumere de ovibus & de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, & præparavit cibos homini qui venerat ad se.

5 Iratus autem indignatione David adversus B hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc.

6 * Ovem reddet in quadruplum, eò quòd fe- *Exod. 22.a.1. cerit verbum istud, & non pepercerit.

7 Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego unxi te in regem super Israël, & ego erui te de manu Saul.

8 Et dedi tibi domum domini tui, & uxores domini tui in sinu tuo, dedíque tibi domum Israël & Juda: & si parva sunt ista, adjiciam tibi multò majora.

9 Quare

Universidad de Deusto
Biblioteca

9 Quare ergo contempsisti verbum Domini, C
ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon.

10 Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eò quòd despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua.

11 Itaque hæc dicit Dominus: Ecce, ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & * dabo proximo tuo, & *Inf. 16. d. 22. dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus.

12 Tu enim feciſti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis.

13 Et dixit David ad Nathan: Peccavi Domino *Ecc. 47. b. 13. Dixítque Nathan ad David: * Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.

14 Verumtamen, quoniam blasphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.

D 15 Et reversus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus parvulum, quem peperat uxor Uriæ David, & desperatus est.

16 Deprecatúsque est David Dominum pro parvulo: & jejunavit David jejunio, & ingressus seorsum, jacuit super terram.

17 Venerunt autem seniores domus ejus, cogentes eum ut surgeret de terra: qui noluit, nec comédit cum eis cibum.

18 Accidit autem die septima ut moreretur infans: timuerúntque servi David nuntiare ei quòd mortuus esset parvulus. dixerunt enim: Ecce cùm parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, & non audiebat vocem nostram: quantò magis si dixerimus, Mortuus est puer, se affliget?

19 Cùm ergo David vidisset servos suos mussitantes, intellexit quòd mortuus esset infantulus: E dixítque ad servos suos: Num mortuus est puer? Qui respónderunt ei: Mortuus est.

20 Surrexit ergo David de terra: & lotus unctúsque est: cúmque mutasset vestem, ingressus est domum Domini: & adoravit, & venit in domum suam, petivítque ut ponerét ei panem, & comedit.

21 Dixerunt autem ei servi sui: Quis est sermo, quem feciſti? propter infantem, cùm adhuc viveret, jejunasti & flebas: mortuo autem puero, surrexisti, & comedisti panem.

F 22 Qui ait: Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi & flevi: dicebam enim: Quis scit si fortè donet eum mihi Dominus, & vivat infans?

23 Nunc autem quia mortuus est, quare jejunem? Numquíd potero revocare eum ampliùs? ego vadã magis ad eum: ille verò non revertetur ad me.

24 Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam, ingressúsque ad eam dormivit cum ea: quæ genuit filium, & vocavit nomen ejus Salomon, & Dominus dilexit eum.

25 Misítque in manu Nathan prophetæ, & vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eò quòd di- *1. Par. 20. a. 1. ligeret eum Dominus.

26 * Igitur pugnabat Joab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat urbem regiam.

27 Misítque Joab nuntios ad David, dicens: Dimicavi adversum Rabbath, & capienda est Urbs aquarum. G

28 Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside civitatem, & cape eam: ne, cùm à me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria

29 Congregavit itaque David omnem populum, & profectus est adversum Rabbath: cúmque dimicasset, cepit eam.

30 Et tulit diadema regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosíssimas, & impositum est super caput David. Sed & prædam civitatis asportavit multam valdè:

31 Populum quoque ejus adducens serrâvit, & circumegit super eos ferrata carpenta: divisítque cultris, & traduxit in typo laterum: sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon. Et reversus est David, & omnis exercitus in Jerusalem.

CAPUT XIII.

Absalom, propter incestum cum sorore Thamar, fratrem Amnon occidit; iratóque patre profugus ad regem Gessur, tribus annis ibi permansit.

1 FActum est autem post hæc, ut Absalom filij A
David sororem speciosíssimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius David,

2 Et deperiret eam valdè, ita ut propter amorem ejus ægrotaret: quia cùm esset virgo, difficile ei videbatur ut quippiam inhonestè ageret cum ea.

3 Erat autem Amnon amicus, nomine Jonadab, filius Semmaa fratris David, vir prudens valdè.

4 Qui dixit ad eum: Quare sic attenuaris macie fili regis per singulos dies? cur non indicas mihi? Dixítque ei Amnon: Thamar sororem fratris mei Absalom amo.

5 Cui respondit Jonadab: Cuba super lectum tuum, & languorem simula: cúmque venerit pater tuus ut visitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar soror mea, ut det mihi cibum, & faciat pulmentum ut comedam de manu ejus.

6 Accubuit itaque Amnon, & quasi ægrotare cœpit: cúmque venisset rex ad visitandum eum, B
ait Amnon ad regem: Veniat, obsecro, Thamar soror mea, ut faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, & cibum capiam de manu ejus.

7 Misit ergo David ad Thamar domum, dicens: Veni in domum Amnon fratris tui, & fac ei pulmentum.

8 Venítque Thamar in domum Amnon fratris sui: ille autem jacebat: quæ tollens farinam commiscuit: & liquefaciens, in oculis ejus coxit sorbitiunculas:

9 Tollénsque quod coxerat, effudit, & posuit coram eo, & noluit comedere: dixítque Amnon: Ejicite universos à me. Cúmque ejecissent omnes,

10 Dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in conclave, ut vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar sorbitiunculas, quas fecerat, & tulit ad Amnon fratrem suum in conclave.

11 Cúmque obtulisset ei cibum, apprehendit C
eam, & ait: Veni, cuba mecum soror mea.

12 Quæ respondit ei: Noli frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Israël: noli facere stultitiam hanc.

13 Ego enim ferre non potero opprobrium meum, & tu eris quasi unus de insipientibus in Israël: quin potiùs

potiùs loquere ad regem, & non negabit me tibi.

14 Noluit autem acquiescere precibus ejus, sed prævalens viribus oppressit eam, & cubavit cum ea.

15 Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis; ita ut majus esset odium quo oderat eam, amore quo antè dilexerat. Dixítque ei Amnon: Surge, & vade.

16 Quæ respondit ei: Majus est hoc malum, quod nunc agis adversum me, quàm quod antè feciſti, expellens me. Et noluit audire eam:

D 17 Sed vocato puero, qui ministrabat ei, dixit: Ejice hanc à me foras, & claude ostium post eam.

18 Quæ induta erat talari tunica: hujuscemodi enim filiæ regis virgines vestibus utebantur. Ejecit itaque eam minister illius foras: clausítque fores post eam.

19 Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositísque manibus super caput suum, ibat ingrediens, & clamans.

20 Dixit autem ei Absalom frater suus: Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum? sed nunc soror tace, frater tuus est: neque affligas cor tuum pro hac re. Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalom fratris sui.

21 Cùm autem audisset rex David verba hæc, contristatus est valdè, & noluit contristare spiritum Amnon filij sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.

22 Porrò non est locutus Absalom ad Amnon, E
nec malum, nec bonum: oderat enim Absalom Amnon, eò quòd violasset Thamar sororem suam.

23 Factum est autem post tempus biennij, ut tonderentur oves Absalom in Baalhasor, quæ est juxta Ephraim: & vocavit Absalom omnes filios regis.

24 Venítque ad regem, & ait ad eum: Ecce tondentur oves servi tui: veniat, oro, rex cum servis suis ad servum suum.

25 Dixítque rex ad Absalom: Noli fili mi, noli rogare ut veniamus omnes, & gravemus te. Cùm autem cogeret eum, & noluisset ire, benedixit ei.

26 Et ait Absalom: Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon frater meus. dixítque ad eum rex: Non est necesse ut vadat tecum.

27 Coegit itaque Absalom eum, & dimisit cum eo Amnon & universos filios regis. Fecerátque Absalom convivium quasi convivium regis.

28 Præceperat autem Absalom pueris suis, di- F
cens: Observate cùm temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite: nolite timere: ego enim sum qui præcipio vobis: roboramini, & estote viri fortes.

29 Fecerunt ergo pueri Absalom adversum Amnon, sicut præceperat eis Absalom. Surgentéque omnes filij regis ascenderunt singuli mulas suas, & fugerunt.

30 Cúmque adhuc pergerent in itinere, fama pervenit ad David, dicens: Percussit Absalom omnes filios regis, & non remansit ex eis saltem unus.

31 Surrexit itaque rex, & scidit vestimenta sua: & cecidit super terram, & omnes servi illius, qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua.

32 Respondens autem Jonadab filius Semmaa fratris David, dixit: Ne æstimet Dominus meus rex, quòd omnes pueri filij regis, occisi sint: Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus, ex die qua oppressit Thamar sororem ejus.

33 Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud, dicens: Omnes filij regis occisi sunt: quoniam Amnon solus mortuus est. G

34 Fugit autem Absalom: & elevavit puer speculator oculos suos, & aspexit: & ecce populus multus veniebat per iter devium ex latere montis.

35 Dixit autem Jonadab ad regem: Ecce filij regis adsunt: juxta verbum servi tui sic factum est.

36 Cúmque cessasset loqui, apparuerunt & filij regis: & intrantes levaverunt vocem suam, & fleverunt: sed & rex & omnes servi ejus fleverunt ploratu magno nimis.

37 Porrò Absalom fugiens, abiit ad Tholomai filium Ammiud regem Gessur. Luxit ergo David filium suum cunctis diebus.

38 Absalom autem cùm fugisset, & venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis.

39 Cessavítque rex David persequi Absalom, eò quòd consolatus esset super Amnon interitu.

CAPUT XIV.

Absalom mulieris Thecuitæ solertia revocari curat Ioab à Gessur in Ierusalem: de pulchritudine & filiis Absalom, qui biennio post reditum faciem patris non vidit, donec messem Ioab incendi jussit.

1 INtelligens autem Joab filius Sarviæ quòd cor A
regis versum esset ad Absalom,

2 Misit Thecuam, & tulit inde mulierem sapientem: dixítque ad eam: Lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum:

3 Et ingredieris ad regem, & loquéris ad eum sermones hujuscemodi. Posuit autem Joab verba in ore ejus.

4 Itaque cùm ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terram, & adoravit, & dixit: Serva me rex.

5 Et ait ad eam rex: Quid causæ habes? Quæ respondit: Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus.

6 Et ancillæ tuæ erant duo filij: qui rixati sunt adversum se in agro, nullúsque erat qui eos prohi- B
bere posset: & percussit alter alterum, & interfecit eum.

7 Et ecce consurgens universa cognatio adversum ancillam tuam, dicit: Trade eum qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui quem interfecit, & deleamus heredem: & quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen, & reliquiæ super terram.

8 Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, & ego jubebo pro te.

9 Dixítque mulier Thecuitis ad regem: In me, domine mi rex, sit iniquitas, & in domum patris mei: rex autem & thronus ejus sit innocens.

10 Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & ultrà non addet ut tangat te.

11 Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei sui, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscen- C
dum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum, & nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filij tui super terram.

12 Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait: Loquere.

13 Dixítque mulier: Quare cogitasti hujuscemodi rem contra populum Dei, & locutus est rex verbum istud, ut peccet, & non reducat ejectum suum?

14 Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur: * nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abjectus est.

* Exec. 18.g.32. 33.c.11.

15 Nunc igitur veni, ut loquar ad dominum meum regem verbum hoc, præsente populo. Et dixit D ancilla tua: Loquar ad regem, si quo modo faciat rex verbum ancillæ suæ.

16 Et audivit rex, ut liberaret ancillam suam de manu omnium, qui volebant de hereditate Dei delere me, & filium meum simul.

17 Dicat ergo ancilla tua ut fiat verbum domini mei regis sicut sacrificium. Sicut enim Angelus Dei sic est dominus meus rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur: unde & Dominus Deus tuus est tecum.

18 Et respondens rex, dixit ad mulierem: Ne abscondas à me verbum, quod te interrogo. Dixítque ei mulier: Loquere domine mi rex.

19 Et ait rex: Numquid manus Joab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, & ait: Per salutem animæ tuæ, domine mi rex, nec ad sinistram, E nec ad dexteram est, ex omnibus his quæ locutus est dominus meus rex: servus enim tuus Joab, ipse præcepit mihi, & ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc.

20 Ut verterem figuram sermonis hujus, servus tuus Joab præcepit istud: tu autem domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.

21 Et ait rex ad Joab: Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & revoca puerum Absalom.

22 Cadénsque Joab super faciem suam in terram, adoravit & benedixit regi: & dixit Joab: Hodie intellexit servus tuus, quia inveni gratiam in oculis tuis, domine mi rex: feci*sti* enim sermonem servi tui.

23 Surrexit ergo Joab & abiit in Gessur, & adF duxit Absalom in Jerusalem.

24 Dixit autem rex: Revertatur in domum suam, & faciem meam non videat. Reversus est itaque Absalom in domum suã, & faciem regis non vidit.

25 Porrò sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula.

26 Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico.

27 Nati sunt autem Absalom filij tres: & filia una nomine Thamar, elegantis formæ.

28 Mansítque Absalom in Jerusalem duobus annis, & faciem regis non vidit.

29 Misit itaque ad Joab, ut mitteret eum ad regem: qui noluit venire ad eum. Cúmque secundò misisset, & ille noluisset venire ad eum,

30 Dixit servis suis: Scitis agrum Joab juxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, G & succendite eum igni. Succenderunt ergo servi Absalom segetem igni. Et venientes servi Joab, scissis vestibus suis, dixerunt: Succenderunt servi Absalom partem agri igni.

31 Surrexítque Joab, & venit ad Absalom in domum ejus, & dixit: Quare succenderunt servi tui segetem meam igni.

32 Et respondit Absalom ad Joab: Misi ad te obsecrans ut venires ad me, & mitterem te ad regem, & diceres ei: Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse: obsecro ergo ut videam faciem regis: quòd si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.

33 Ingressus itaque Joab ad regem, nuntiavit ei omnia: vocatúsque est Absalom, & intravit ad regem, & adóravit super faciem terræ coram eo: osculatúsque est rex Absalom.

CAPUT XV.

Absalom conciliato sibi populi favore, adversus patrem conjurat in Hebron, quem pater fugit, paucis cum Arca remissis, & inter alios Chusai remittitur, dissipaturus consilium Achitophel.

1 IGitur post hæc fecit sibi Absalõ currus, & equiA tes, & quinquaginta viros qui præcederẽt eum.

2 Et manè consurgens Absalom, stabat juxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium ut veniret ad regis judicium, vocabat Absalom ad se, & dicebat: De qua civitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex una tribu Israël ego sum servus tuus.

3 Respondebátque ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni & justi. Sed non est qui te audiat constitutus à rege. dicebátque Absalom:

4 Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, & justè judicem?

5 Sed & cùm accederet ad eum homo ut salutaret illum, extendebat manum suam, & appreB hendens, osculabatur eum.

6 Faciebátque hoc omni Israël venienti ad judicium, ut audiretur à rege, & solicitabat corda virorum Israël.

7 Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad regem David: Vadam, & reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron.

8 Vovens enim vovit servus tuus, cùm esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Domino.

9 Dixítque ei rex David: Vade in pace. Et surrexit, & abiit in Hebron.

10 Misit autem Absalom exploratores in universas tribus Israël, dicens: statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnavit Absalom in Hebron.

11 Porrò cum Absalom ierunt ducenti viri de Jerusalem vocati, euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes.

12 Accersivit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David, de civitate sua Gilo. Cúmque immolaret victimas, facta est conC juratio valida, populúsque concurrens augebatur cum Absalom.

13 Venit

13 Venit igitur nuntius ad David, dicens: Toto corde universus Israël sequitur Absalom.

14 Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerusalem: Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugium à facie Absalom: festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percutiat civitatem in ore gladij.

15 Dixerúntque servi regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit dominus noster rex: libenter exequemur servi tui.

16 Egressus est ergo rex, & universa domus ejus, pedibus suis: & dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.

17 Egressúsque rex & omnis Israël pedibus suis, stetit procul à domo.

D 18 Et universi servi ejus ambulabant juxta eum, & legiones Cerethi & Phelethi, & omnes Gethæi, pugnatores validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem.

19 Dixit autem rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiscum? revertere, & habita cum rege, quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo.

20 Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi? ego autem vadam quò iturus sum: revertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiam & veritatem, quia ostendisti gratiam & fidem.

21 Et respondit Ethai regi, dicens: Vivit Dominus, & vivit dominus meus rex: quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.

22 Et ait David Ethai: Veni, & transi. Et transE vit Ethai Gethæus, & omnes viri qui cum eo erant, & reliqua multitudo.

23 Omnésque flebant voce magna, & universus populus transibat: rex quoque transgrediebatur Torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum.

24 Venit autem & Sadoc sacerdos, & universi Levitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, & deposuerunt arcam Dei: & ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de civitate.

25 Et dixit rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in urbem: si invenero gratiam in oculis Dñi, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum.

26 Si autem dixerit mihi: Non places: præstò sum, faciat quod bonum est coram se.

F 27 Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem: O videns revertere in civitatem in pace: & Achimaas filius tuus, & Jonathas filius Abiathar, duo filij vestri, sint vobiscum.

28 Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo à vobis indicans mihi.

29 Reportaverunt ergo Sadoc & Abiathar arcam Dei in Jerusalem: & manserunt ibi.

30 Porrò David ascendebat Clivum olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite: sed omnis populus, qui erat cum eo operto capite, ascendebat plorans.

31 Nuntiatum est autem David, quòd & Achitophel esset in conjuratione cum Absalom: dixítque David: Infatua, quæso, Domine consilium Achitophel.

32 Cúmque ascenderet David summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, & terra G pleno capite.

33 Et dixit ei David: Si veneris mecum, eris mihi oneri.

34 Si autem in civitatem revertaris, & dixeris Absalom: Servus tuus sum, rex: sicut fui servus patris tui, sic ero servus tuus: dissipabis consilium Achitophel.

35 Habes autem tecum Sadoc & Abiathar sacerdotes: & omne verbum quodcumque audieris de domo regis, indicabis Sadoc & Abiathar sacerdotibus.

36 Sunt autem cum eis duo filij eorum, Achimaas filius Sadoc, & Jonathas filius Abiathar: & mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis.

37 Veniente ergo Chusai amico David in civitatem, Absalom quoque ingressus est Jerusalem.

CAPUT XVI.

Sibæ cibaria adferenti ac detractori confert bona Miphiboseth. Semei maledicentem occidi vetat. Absalom Jerusalem ingressus, consilio Achitophel ad concubinas patris sui publicè ingreditur.

1 CUmque David transisset paululùm montis A verticem, apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum ejus, cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis uvæ passæ, & centum massis palatharum, & utre vini.

2 Et dixit rex Sibæ: Quid sibi volunt hæc? Respondítque Siba: Asini, domesticis regis ut sedeant: panes & palathæ, ad vescendum pueris tuis: vinum autem, ut bibat si*quis* defecerit in deserto.

3 Et ait rex: Ubi est filius domini tui? * Respon- * *Inf.* 19. dítque Siba regi: Remansit in Jerusalem, dicens: c. 27. Hodie restituet mihi domus Israël regnum patris mei.

4 Et ait rex Sibæ: Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth. Dixítque Siba: Oro, ut inveniam gratiam coram te, domine mi rex.

5 Venit ergo rex David usque ad Bahurim: & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebátque egrediens, & * maledicebat,

6 Mittebátque lapides contra David, & con- *3. Reg. 2.8. tra universos servos regis David: omnis autem popuB lus, & universi bellatores, à dextro & à sinistro latere regis incedebant.

7 Ita autem loquebatur Semei cùm malediceret regi: Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial.

8 Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul: quoniam invasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalom filij tui: & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.

9 Dixit autem Abisai filius Sarviæ regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam, & amputabo caput ejus.

10 Et ait rex: Quid mihi & vobis est filij Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei ut malediceret David: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?

Universidad de Deusto
Biblioteca

C 11 Et ait rex Abisai, & universis servis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam: quantò magis nunc filius Jemini? dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini.

12 Si fortè respiciat Dominus afflictionem meam: & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.

13 Ambulabat itaque David & socij ejus per viam cum eo. Semei autem per jugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, & mittens lapides adversum eum, terrámque spargens.

14 Venit itaque rex, & universus populus cum eo lassus, & refocillati sunt ibi.

15 Absalom autem & omnis populus ejus ingressi sunt Jerusalem, sed & Achitophel cum eo.

16 Cùm autem venisset Chusai Arachites amicus David ad Absalom, locutus est ad eum: Salve rex, salve rex.

17 Ad quem Absalom, Hæc est, inquit, gratia tua D ad amicum tuum? quare non ivisti cum amico tuo?

18 Respondítque Chusai ad Absalom: Nequaquam: quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & universus Israël, & cum eo manebo.

19 Sed ut & hoc inferam, cui ego serviturus sum: nónne filio regis? sicut parui patri tuo, ita parebo & tibi.

20 Dixit autem Absalom ad Achitophel: Inite consilium quid agere debeamus.

21 Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum: ut cùm audierit omnis Israël quòd fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.

*Sup. 12. 7. 11. 22 * Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressúsque est ad concubinas patris sui coram universo Israël.

23 Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi siquis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, & cùm esset cum David, & cùm esset cum Absalom.

Caput XVII.

Chusai dissipat consilium Achitophel, idque per nuntios indicat David, qui consilio Chusai transit Jordanem, quare se suspendit Achitophel: tres amici David munera adferunt, ne ejus populus necessariis egens deficeret.

A 1 Dixit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar David hac nocte.

2 Et irruens super eum (quippe qui lassus est, & solutis manibus) percutiam eum: cúmque fugerit omnis populus qui cum eo est, percutiam regem desolatum.

3 Et reducam universum populum, quomodo unus homo reverti solet: unum enim virum tu quæris: & omnis populus erit in pace.

4 Placuítque sermo ejus Absalom, & cunctis majoribus natu Israël.

5 Ait autem Absalom: vocate Chusai Arachiten & audiamus quid etiam ipse dicat.

6 Cúmq; venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eũ: Hujusce modi sermonẽ locutus est Achitophel: facere debemus an non? quod das consilium? B

7 Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice.

8 Et rursum intulit Chusai: Tu nosti, patrem tuum & viros qui cum eo sunt, esse fortissimos & amaro animo, veluti si ursa raptis catulis in saltu sæviat: sed & pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo.

9 Forsitan nunc latitat in foveis, aut in uno, quo voluerit, loco: & cùm ceciderit unus quilibet in principio, audiet quicumque audierit, & dicet: Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalom.

10 Et fortissimus quisque, cujus cor est quasi leonis, pavore solvetur: scit enim omnis populus Israël, C fortem esse patrem tuum, & robustos omnes qui cum eo sunt.

11 Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium: Congregetur ad te universus Israël, à Dan usque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis: & tu eris in medio eorum.

12 Et irruemus super eum in quocumque loco inventus fuerit: & operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram: & non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne unum quidem.

13 Quòd si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israël civitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, ut non reperiatur ne calculus quidem ex ea.

14 Dixítque Absalom, & omnes viri Israël: Melius est consilium Chusai Arachitæ, consilio D Achitophel: Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum.

15 Et ait Chusai Sadoc & Abiathar sacerdotibus: Hoc & hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, & senioribus Israël: & ego tale & tale dedi consilium.

16 Nunc ergo mittite citò, & nuntiate David, dicentes: Ne morêris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere: ne fortè absorbeatur rex, & omnis populus qui cum eo est.

17 Jonathas autem & Achimaas stabant juxta E Fontem rogel: Abiit ancilla & nuntiavit eis: & illi profecti sunt, ut referrẽt ad regem David nuntium: non enim poterant videri, aut introire civitatem.

18 Vidit autem eos quidam puer, & indicavit Absalom: illi verò concito gradu ingressi sunt domum cujusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, & descenderunt in eum.

19 Tulit autem mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas: & sic latuit res.

20 Cúmque venissẽt servi Absalom in domum, ad mulierem dixerunt: Ubi est Achimaas & Jonathas? Et respondit eis mulier: Transierunt festinanter, gustata paululùm aqua. At hi qui quærebant cùm non reperissẽt, reversi sunt in Jerusalem.

21 Cúmque abiissent, ascenderunt illi de puteo, & pergentes nuntiaverunt regi David, & dixerunt: Surgite, & transite citò fluvium: quoniam hujusce modi dedit consilium cõtra vos Achitophel. F

22 Surrexit ergo David, & omnis populus qui cum eo erat, & transierunt Jordanem, donec diluceseeret: & ne unus quidem resíduus fuit, qui non transisset fluvium.

23 Porrò

23 Porrò Achitophel videns quòd non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexítque & abiit in domum suam & in civitatem suam: & dispósita domo sua, suspendio interiit, & sepultus est in sepulchro patris sui.

24 David autem venit in Castra, & Absalom G transivit Jordanem, ipse & omnes viri Israël cum eo.

25 Amasam verò constituit Absalom pro Joab super exercitum: Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Jethra de Jezraeli, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas, sororem Sarviæ, quæ fuit mater Joab.

26 Et castrametatus est Israël cum Absalom in Terra Galaad.

27 Cúmque venisset David in Castra, Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, & Machir filius Ammihel de Lodabar, & Berzellai Galaadites de Rogelim,

28 Obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer,

29 Et mel, & butyrum, oves, & pingues vitulos. dederúntque David, & populo qui cum eo erat, ad vescendum: suspicati enim sunt populum fame & siti fatigari in deserto.

Caput XVIII.

Absalom victus prælio, quercúque pendens ab Ioab transfoditur; quod audiens David, amarè eum flevit.

A 1 IGitur considerato David populo suo, constituit super eos tribunos & centuriones,

2 Et dedit populi tertiam partem sub manu Joab, & tertiam partem sub manu Abisai filij Sarviæ fratris Joab, & tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth, dixítque rex ad populum: Egrediar & ego vobiscum.

3 Et respondit populus: Non exibis: sive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: sive media pars ceciderit è nobis, non satis curabunt: quia tu unus pro decem millibus computaris: melius est igitur ut sis nobis in urbe præsidio.

4 Ad quos rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex juxta portam: egrediebatúrque populus per turmas suas, centeni, & milleni.

B 5 Et præcepit rex Joab, & Abisai, & Ethai, dicens: Servate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalom.

6 Itaque egressus est populus in campum contra Israël, & factum est prælium in saltu Ephraim.

7 Et cæsus est ibi populus Israël ab exercitu David, factáque est plaga magna in die illa viginti millium.

8 Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multò plures erant quos saltus consumpserat de populo, quàm hi quos voraverat gladius in die illa.

9 Accidit autem ut occurreret Absalom servis David, sedens mulo: cúmque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput ejus quercui: & illo suspenso inter cælum & terram, mulus, cui insederat, pertransivit.

10 Vidit autem hoc quispiam, & nuntiavit Joab, dicens. Vidi Absalom pendere de quercu.

11 Et ait Joab viro, qui nuntiaverat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, & ego de- C disssem tibi decem argenti siclos, & unum balteum?

12 Qui dixit ad Joab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, & Abisai, & Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalom.

13 Sed & si fecissem contra animam meam audaciter, nequáquam hoc regem latere potuisset, & tu stares ex adverso?

14 Et ait Joab: Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom: cúmque adhuc palpitaret hærens in quercu,

15 Cucurrerunt decem juvenes armigeri Joab, & percutientes interfecerunt eum. D

16 Cecinit autem Joab buccina, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israël, volens parcere multitudini.

17 Et tulerunt Absalom, & projecerunt eum in saltu, in foveam grandem, & comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis: omnis autem Israël fugit in tabernacula sua.

18 Porrò Absalom erexerat sibi, cùm adhuc viveret, titulum qui est in Valle regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei. Vocavítque titulum nomine suo, & appellatur Manus Absalom, usque ad hanc diem.

19 Achimaas autem filius Sadoc, ait: Curram, & nuntiabo regi, quia judicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum ejus.

20 Ad quem Joab dixit: Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia: hodie nolo te nun- E tiare, filius enim regis est mortuus.

21 Et ait Joab Chusi: Vade, & nuntia regi quæ vidisti. Adoravit Chusi Joab, & cucurrit.

22 Rursus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Joab: Quid impedit si etiam ego curram post Chusi? Dixítque ei Joab: Quid vis currere fili mi? non eris boni nuntij bajulus.

23 Qui respondit: Quid enim si cucurrero? & ait ei: Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendij, transivit Chusi.

24 David autem sedebat inter duas portas: speculator verò, qui erat in fastigio portæ super murum, elevans oculos, vidit hominem currentem solum.

25 Et exclamans indicavit regi: dixítque rex: Si solus est, bonus est nuntius in ore ejus. Properante autem illo, & accedente propiùs,

26 Vidit speculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine, ait: Apparet mihi F alter homo currens solus. Dixítque rex: Et iste bonus est nuntius.

27 Speculator autem, Contemplor, ait, cursum prioris, quasi cursum Achimaas filij Sadoc. Et ait rex: Vir bonus est: & nuntium portans bonum, venit.

28 Clamans autem Achimaas, dixit ad regem: Salve rex. Et adorans regem corã eo pronus in terram, ait: Benedictus Dñs Deus tuus, qui conclusit

Universidad de Deusto
Biblioteca

homines qui levaverunt manus suas contra dominum meum regem.

29 Et ait rex: Estne pax puero Absalom? Dixítque Achimaas: Vidi tumultum magnum, cùm mitteret Joab servus tuus, ô rex, me servum tuum: nescio aliud.

G 30 Ad quem rex: Transi, ait, & sta hîc. Cúmque ille transisset, & staret,

31 Apparuit Chusi: & veniens ait: Bonum apporto nuntium, domine mi rex: judicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui surrexerunt contra te.

32 Dixit autem rex ad Chusi: Estne pax puero Absalom? Cui respondens Chusi, Fiant, inquit, sicut puer, inimici domini mei regis, & universi qui consurgunt adversus eum in malum.

33 Contristatus itaque rex, ascendit cœnaculum portæ, & flevit. Et sic loquebatur, vadens: * Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom? *Inf.19. n.4.

CAPUT XIX.

David Joab verbis commotus, suos conspiratores sibi reconciliat, & à viris Juda in Jerusalem reducitur, ac Semei veniam precanti, ignoscit, & Miphiboseth recipit, jubens ut agros cum Siba dividat: valedicit ipsi Berzellai retinens secum Chamaam. Israëlautem cum Juda pro David contendit.

A 1 NUntiatum est autem Joab quòd rex fleret & lugeret filium suum:

2 Et versa est victoria in luctum in die illa omni populo: audivit enim populus in die illa dici: Dolet rex super filio suo.

3 Et declinavit populus in die illa ingredi civitatem, quomodo declinare solet populus versus & fugiens de prælio.

4 Porrò rex operuit caput suum, & clamabat, voce magna: Fili mi Absalom, Absalom fili mi, fili mi.

5 Ingressus ergo Joab ad regem in domum, dixit: Confudisti hodie vultus omnium servorum tuorum, qui salvam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam uxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum.

6 Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de servis tuis: & verè cognovi modò, quia si Absalom viveret, & omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi.

B 7 Nunc igitur surge, & procede, & alloquens satisfac servis tuis: juro enim tibi per Dominum, quòd si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac: & pejus erit hoc tibi, quàm omnia mala quæ venerunt super te, ab adolescentia tua usque in præsens.

8 Surrexit ergo rex & sedit in porta: & omni populo nuntiatum est quòd rex sederet in porta: venítque universa multitudo coram rege: Israël autem fugit in tabernacula sua.

9 Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israël, dicens: Rex liberavit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse salvavit nos de manu Philisthinorum: & nunc fugit de terra propter Absalom.

10 Absalom autem, quem unximus super nos, mortuus est in bello: usquequò siletis, & non reducitis regem? C

11 Rex verò David misit ad Sadoc & Abiathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad majores natu Juda, dicentes: Cur venitis novissimi ad reducendum regem in domum suam? (Sermo autem omnis Israël pervenerat ad regem in domo ejus.)

12 Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, quare novissimi reducitis regem?

13 Et Amasæ dicite: Nónne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab.

14 Et inclinavit cor omnium virorum Juda, quasi viri unius: miserúntque ad regem, dicentes: Revertere tu, & omnes servi tui.

15 Et reversus est rex: & venit usque ad Jordanem, & omnis Juda venit usque in Galgalam, ut occurreret regi, & traduceret eum Jordanem.

16 * Festinavit autem Semei filius Gera filij Jemini de Bahurim, & descendit cum viris Juda in occursum regis David *1.Reg. 2.b.8.

17 Cum mille viris de Benjamin, & Siba puer de domo Saul: & quindecim filij ejus, ac viginti servi erant cum eo: & irrumpentes Jordanem, ante regem D

18 Transierunt vada, ut traducerent domum regis, & facerent juxta jussionem ejus: Semei autem filius Gera prostratus coram rege, cùm jam transisset Jordanem,

19 Dixit ad eum: Ne reputes mihi domine mi iniquitatem, neque memineris injuriarum servi tui in die qua egressus es domine mi rex de Jerusalem, neque ponas rex in corde tuo.

20 Agnosco enim servus tuus peccatum meum: & idcircò hodie primus veni de omni domo Joseph, descendíque in occursum domini mei regis.

21 Respondens verò Abisai filius Sarviæ, dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit Christo Domini?

22 Et ait David: Quid mihi, & vobis filij Sarviæ? cur efficimini mihi hodie in satan? ergóne hodie interficietur vir in Israël? an ignoro hodie me factum regem super Israël?

23 Et ait rex Semei: Non morieris. Juravítque ei. E

24 Miphiboseth quoque filius Saul descendit in occursum regis, illotis pedibus, & intonsa barba: vestésque suas non laverat à die qua egressus fuerat rex, usque ad diem reversionis ejus in pace.

25 Cúmque Jerusalem occurrisset regi, dixit ei rex: Quare non venisti mecum Miphiboseth?

26 Et respondens ait: Domine mi rex, servus meus contempsit me: dixíque ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, & ascendens abirem cum rege: claudus enim sum servus tuus.

27 * Insuper & accusavit me servum tuum ad te dominum meum regem: tu autem Domine mi rex, sicut angelus Dei es, fac quod placitum est tibi. *Sup.16. n.3.

28 Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi: tu autem posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ: quid ergo habeo justæ querelæ: aut quid possum ultrà vociferari ad regem?

29 Ait

29 Ait ergo ei rex: Quid ultrà loqueris? fixum est quod locutus sum: tu & Siba dividite possessiones.

30 Respondítque Miphiboseth regi: Etiam cuncta accipiat, postquam reversus est dominus meus rex pacificè in domum suam.

F 31 Berzellai quoque Galaadites, descendens de Rogelim, traduxit regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum.

32 * Erat autem Berzellai Galaadites senex valdè, id est, octogenarius, & ipse præbuit alimenta regi, cùm moraretur in Castris: fuit quippe vir dives nimis. *Sup.17. g.28. 3.Reg.2. b.7.

33 Dixit itaque rex ad Berzellai: Veni mecum: ut requiescas securus mecum in Jerusalem.

34 Et ait Berzellai ad regem: Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Jerusalem?

35 Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei ad discernendum suave, aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus & potus? vel audire possum ultrà vocem cantorum, atque cantatricum? quare servus tuus sit oneri domino meo regi?

36 Paululum procedam famulus tuus ab Jordane tecum: non indigeo hac vicissitudine,

37 Sed obsecro ut revertar servus tuus, & moriar in civitate mea, & sepeliar juxta sepulchrum patris mei, & matris meæ. Est autem servus tuus Chamaam, ipse vadat tecum domine mi rex, & fac ei quidquid tibi bonum videtur.

G 38 Dixit itaque ei rex: Mecum transeat Chamaam, & ego faciam ei quidquid tibi placuerit, & omne, quod petieris à me, impetrabis.

39 Cúmque transisset universus populus, & rex Jordanem, osculatus est rex Berzellai, & benedixit ei: & ille reversus est in locum suum.

40 Transivit ergo rex in Galgalam, & Chamaam eum eo. omnis autem populus Juda traduxerat regem, & media tantùm pars adfuerat de populo Israël.

41 Itaque omnes viri Israël concurrentes ad regem dixerunt ei: Quare te furati sunt fratres nostri viri Juda, & traduxerunt regem & domum ejus Jordanem, omnésque viros David cum eo?

42 Et respondit omnis vir Juda ad viros Israël: Quia mihi propior est rex: cur irasceris super hac re? numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data sunt?

43 Et respondit vir Israël ad viros Juda, & ait: Decem partibus major ego sum apud regem, magísque ad me pertinet David quàm ad te: cur fecisti mihi injuriam, & non mihi nuntiatum est priori, ut reducerem regem meum? Duriùs autem responderunt viri Juda viris Israël.

CAPUT XX.

Joab cum fratre Abisai persequens Sebam filium Bochri moventem contra David seditionem in Israël, Amasam in via occidit, tandémque ab obsidione Abelæ, misso Seba per murum capite, discedit.

A 1 ACcidit quoque ut ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir Jemineus: & cecinit buccina, & ait: Non est nobis pars in David, neque hereditas in filio Isai, revertere in tabernacula tua Israël.

2 Et separatus est omnis Israël à David, secutúsque est Seba filium Bochri: viri autem Juda adhæserunt regi suo, à Jordane usque Jerusalem.

3 Cúmque venisset rex in domum suam in Jerusalem, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam domum, & tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens: & non est ingressus ad eas, sed erant clausæ usque in diem mortis suæ in viduitate viventes. B

4 Dixit autem rex Amasæ: Convoca mihi omnes viros Juda in diem tertium, & tu adesto præsens.

5 Abiit ergo Amasa ut convocaret Judam, & moratus est extra placitum quod ei constituerat rex.

6 Ait autem David ad Abisai: Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri quàm Absalom: tolle igitur servos domini tui, & persequere eum, ne fortè inveniat civitates munitas, & effugiat nos.

7 Egressi sunt ergo cum eo viri Joab, Cerethi quoque & Phelethi: & omnes robusti exierunt de Jerusalem ad persequendum Seba filium Bochri. C

8 Cúmque illi essent juxta lapidem grandem, qui est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis. Porrò Joab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, & desuper accinctus gladio dependente usque ad ilia, in vagina, qui fabricatus levi motu egredi poterat, & percutere.

9 Dixit itaque Joad ad Amasam: Salve mi frater. * Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. *3.Reg. 2.a.5.

10 Porrò Amasa non observavit gladium quem habebat Joab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina ejus in terram, nec secundum vulnus apposuit, & mortuus est. Joab autem, & Abisai frater ejus, persecuti sunt Seba filium Bochri.

11 Interea quidam viri, cùm stetissent juxta cadaver Amasæ, de sociis Joab, dixerunt: Ecce qui esse voluit pro Joab comes David. D

12 Amasa autem conspersus sanguine, jacebat in media via. Vidit hoc quidam vir quòd subsisteret omnis populus ad videndum eum, & amovit Amasam de via in agrum, operuítque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum.

13 Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Joab ad persequendum Seba filium Bochri.

14 Porrò ille transierat per omnes tribus Israël in Abelam, & Bethmaacha: omnésque viri electi congregati fuerant ad eum.

15 Venerunt itaque & oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha, & circumdederunt munitionibus civitatem, & obsessa est urbs: omnis autem turba, quæ erat cum Joab, moliebatur destruere muros. E

16 Et exclamavit mulier sapiens de civitate: Audite, audite, dicite Joab: Appropinqua huc, & loquar tecum.

17 Qui cùm accessisset ad eam, ait illi: Tu es Joab? Et ille respondit: Ego. Ad quem sic locuta est: Audi sermones ancillæ tuæ. Qui respondit: Audio.

18 Rursúmque illa, Sermo, inquit, dicebatur in veteri proverbio: Qui interrogant, interrogent in Abela: & sic perficiebant. F

Universidad de Deusto
Biblioteca

19 Nónne ego sum quæ respondeo veritatem in Israël,& tu quæris subvertere civitatem,& evertere matrem in Israël? Quare præcipitas hereditatem Domini?

20 Respondénsque Joab, ait: Absit,absit hoc à me: non præcipito, neque demolior.

G 21 Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomine, levavit manum suam contra regem David: tradite illum solum, & recedemus à civitate. Et ait mulier ab Joab: Ecce caput ejus mittetur ad te per murum.

22 Ingressa est ergo ad omnem populum,& locuta est eis sapienter: qui abscissum caput Seba filij Bochri projecerunt ad Joab. & ille cecinit tuba, & recesserunt ab urbe,unusquisque in tabernacula sua: Joab autem reversus est Jerusalem ad regem.

Sup. 8. d.16. 23 * Fuit ergo Joab super omnem exercitum Israël: Banaias autem filius Joiadæ super Cerethæos & Phelethæos.

24 Aduram verò super tributa: porrò Josaphat filius Ahilud, à commentariis.

25 Siva autem,scriba: Sadoc verò & Abiathar, sacerdotes.

26 Ira autem Jairites erat sacerdos David.

CAPUT XXI.

Immissa propter Saulis in Gabaonitas peccatum fame triennij, ad illorum petitionem David Saulis reliquias,præter Miphiboseth tradit, ut crucifigerentur; quarum ossa unà cum Saulis & Ionathæ ossibus jubet sepulturæ tradi: narrantur & quattuor bella David adversus Philisthæos.

A 1 FActa est quoque fames in diebus David tribus annis jugiter: & consuluit David oraculum Domini. Dixítque Dominus: Propter Saul,& domum ejus sanguinum,quia occidit Gabaonitas.

2 Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos. (Porrò Gabaonitæ non erant de filiis Israël,sed re-
** Ios. 9. c. 25.* liquiæ Amorrhæorum: * filij quippe Israël juraverant eis, & voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israël & Juda.)

3 Dixit ergo David ad Gabaonitas: Quid faciam vobis? & quod erit vestri piaculum,ut benedicatis hereditati Domini?

4 Dixerúntque ei Gabaonitæ: Non est nobis super argento & auro quæstio, sed contra Saul, & contra domum ejus: neque volumus ut interficiatur homo de Israël. Ad quos rex ait: Quid ergo vultis ut faciam vobis?

5 Qui dixerunt regi: Virum qui attrivit nos & oppressit iniquè, ita delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe ejus in cunctis finibus Israël.

6 Dentur nobis septem viri de filiis ejus,ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait rex: Ego dabo.

B 7 Pepercítque rex Miphiboseth filio Jonathæ
** 1.Reg. 18. a.3.* filij Saul,* propter jusjurandum Domini,quod fuerat inter David & inter Jonathan filium Saul.

8 Tulit itaque rex duos filios Respha filiæ Aia, quos peperit Sauli, Armoni & Miphiboseth: & quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi,

9 Et dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino: & ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei.

10 Tollens autem Respha filia Aia cilicium,substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo: & non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem. C

11 Et nuntiata sunt David quæ fecerat Respha, filia Aia, concubina Saul.

12 Et abiit David, & tulit ossa Saul, & ossa Jonathæ filij ejus à viris Jabes Galaad, * qui furati ** 1. Reg. 31. d.12.* fuerant ea de platea Bethsan,in qua suspenderant eos Philisthiim cùm interfecissent Saul in Gelboë:

13 Et asportavit inde ossa Saul, & ossa Jonathæ filij ejus: & colligentes ossa eorum qui affixi fuerant,

14 Sepelierunt ea cum ossibus Saul & Jonathæ filij ejus in Terra Benjamin,in latere,in sepulchro Cis patris ejus: feceruntque omnia,quæ præceperat rex, & repropitiatus est Deus terræ post hæc.

15 Factum est autem rursum prælium Philisthinorum adversum Israël,& descendit David,& servi ejus cum eo, & pugnabant contra Philisthiim. Deficiente autem David,

16 Jesbibenob, qui fuit de genere arapha,* cu-
** 1.Reg. 17.a.7.* jus ferrum hastæ trecentas uncias appendebat, & accinctus erat ense novo, nisus est percutere David.

17 Præsidióque ei fuit Abisai filius Sarviæ, & D percussum Philisthæum interfecit. Tunc juraverunt viri David,dicentes: Jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israël:

18 * Secundum quoque bellum fuit in Gob ** 1.Par. 20.c.4.* cõtra Philisthæos:tunc percussit Sobochai de Husati, Saph de stirpe arapha de genere gigantum.

19 Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæũ, cujus hastile hastæ erat quasi liciatorium texentium.

20 Quartum bellum fuit in Geth: in quo vir fuit excelsus,qui senos in manibus pedibúsque habebat digitos,id est,viginti quattuor,& erat de origine arapha.

21 Et blasphemavit Israël: percussit autem eum Jonathan filius Samaa fratris David.

22 Hi quattuor nati sunt de arapha in Geth,& ceciderunt in manu David,& servorum ejus.

CAPUT XXII.

Canticum gratiarum actionis David pro sua ab omnibus inimicis liberatione.

1 LOcutus est autem David Domino verba car- A minis hujus,in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul.

** Psal. 17.a.3.* 2 Et ait: * Dominus petra mea,& robur meum, & salvator meus.

3 Deus fortis meus, sperabo in eum: scutum meum, & cornu salutis meæ: elevator meus, & refugium meum: salvator meus, de iniquitate liberabis me.

** Psal. 17.a.4.* 4 * Laudabilem invocabo Dominum: & ab inimicis meis salvus ero.

5 Quia circumdederunt me contritiones mortis: torrentes Belial terruerunt me.

6 Funes

6 Funes inferni circumdederunt me: prævenerunt me laquei mortis.

7 In tribulatione mea invocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo: & exaudiet de templo suo vocem meam, & clamor meus veniet ad aures ejus.

8 Commota est & contremuit terra: fundamenta montium concussa sunt, & conquassata, quoniam iratus est eis.

9 Ascendit fumus de naribus ejus, & ignis de ore ejus vorabit: carbones succensi sunt ab eo.

10 Inclinavit cælos, & descendit: & caligo sub pedibus ejus.

B 11 Et ascendit super cherubim, & volavit: & lapsus est super pennas venti.

12 Posuit tenebras in circuitu suo tabulum cribrans aquas de nubibus cælorum.

13 Præ fulgore in conspectu ejus, succensi sunt carbones ignis.

14 Tonabit de cælo Dominus: & excelsus dabit vocem suam.

15 Misit sagittas,& dissipavit eos; fulgur,& consumpsit eos.

16 Et apparuerunt effusiones maris, & revelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione Domini, ab inspiratione spiritus furoris ejus.

17 Misit de excelso, & assumpsit me: & extraxit me de aquis multis.

18 Liberavit me ab inimico meo potentissimo, & ab his qui oderant me: quoniam robustiores me erant.

19 Prævenit me in die afflictionis meæ,& factus est Dominus firmamentum meum.

20 Et eduxit me in latitudinem: liberavit me, quia complacui ei.

21 Retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam: & secundùm munditiam manuum mearum reddet mihi.

22 Quia custodivi vias Domini, & non egi impiè, à Deo meo.

23 Omnia enim judicia ejus in conspectu meo: & præcepta ejus non amovi à me.

C 24 Et ero perfectus cum eo: & custodiam me ab iniquitate mea.

25 Et restituet mihi Dominus secundùm justitiam meam: & secundùm munditiam manuum mearum, in conspectu oculorum suorum.

26 Cum sancto sanctus eris:& cum robusto perfectus.

27 Cum electo electus eris: & cum perverso pervertêris.

28 Et populum pauperem salvum facies: oculisque tuis excelsos humiliabis.

29 Quia tu lucerna mea Domine: & tu Domine illuminabis tenebras meas.

30 In te enim curram accinctus: in Deo meo transiliam murum.

31 Deus, immaculata via ejus, eloquium Domini igne examinatum: scutum est omnium sperantium in se.

32 Quis est Deus præter Dominum:& quis fortis præter Deum nostrum?

33 Deus qui accinxit me fortitudine: & complanavit perfectam viam meam.

34 Coæquans pedes meos cervis, & super excelsa mea statuens me.

35 * Docens manus meas ad prælium, & com- ** Ps.143. d.1.* ponens quasi arcum æreum brachia mea.

36 Dedisti mihi clypeum salutis tuæ: & mansuetudo tua multiplicavit me.

37 Dilatabis gressus meos subtus me:& non deficient tali mei. D

38 Persequar inimicos meos, & conteram: & non convertar donec consumam eos.

39 Consumam eos & confringam, ut non consurgant: cadent sub pedibus meis.

40 Accinxisti me fortitudine ad prælium: incurvasti resistentes mihi subtus me.

41 Inimicos meos dedisti mihi dorsum, odientes me, & disperdam eos.

42 Clamabunt, & non erit qui salvet: ad Dominum, & non exaudiet eos.

43 Delebo eos ut pulverem terræ: quasi lutum platearum comminuam eos atque contringam.

44 Salvabis me à contradictionibus populi mei: custodies me in caput Gentium: populus, quem ignoro, serviet mihi.

45 Filij alieni resistent mihi, auditu auris obedient mihi.

46 Filij alieni defluxerunt, & contrahentur in angustiis suis.

47 Vivit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltabitur Deus fortis salutis meæ.

48 Deus qui das vindictas mihi, & dejicis populos sub me.

49 Qui educis me ab inimicis meis,& à resistentibus mihi elevas me: *à viro iniquo liberabis me. ** Ps.17. d.49.*

50 * Propterea confitebor tibi Domine in gen- ** Rom. 15.c.9.* tibus: & nomini tuo cantabo.

51 Magnificans salutes regis sui, & faciens misericordiam christo suo David, & semini ejus in sempiternum.

CAPUT XXIII.

Verba novissima David, & catalogus virorum ipsius illustrium.

1 HÆc autem sunt verba David novissima. Di- A xit David filius Isai: Dixit vir, cui constitutum est de christo Dei Jacob, egregius psaltes Israël:

2 Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.

3 Dixit Deus Israël mihi, locutus est fortis Israël, Dominator hominum, justus dominator in timore Dei.

4 Sicut lux auroræ, oriente sole, manè absque nubibus rutilat, & sicut pluviis germinat herba de terra.

5 Nec tanta est domus mea apud Deum,ut pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim salus mea, & omnis voluntas: nec est quidquam ex ea quod non germinet.

6 Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur universi: quæ non tolluntur manibus.

7 Et si quis tangere voluerit eas,armabitur ferro & ligno lanceato,igné que succensæ comburentur usque ad nihilum.

8 * Hæc nomina fortium David. Sedens in ca- ** 1.Par. 11.c.10.*
thedra

Universidad de Deusto
Biblioteca

thedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.

9 Post hunc, Eleazar filius patrui ejus Ahohites inter tres fortes, qui erant cum David quando exprobraverunt Philisthiim, & congregati sunt illuc in prælium.

B 10 Cumque ascendissent viri Israël, ipse stetit & percussit Philisthæos, donec deficeret manus ejus, & obrigesceret cum gladio: fecitque Dominus salutem magnam in die illa: & populus qui fugerat, reversus est ad cæsorum spolia detrahenda.

11 Et post hunc, Semma filius Age de Arari. & congregati sunt Philisthiim in statione: erat quippe ibi ager lente plenus. Cumque fugisset populus à facie Philisthiim,

12 Stetit ille in medio agri, & tuitus est eum, percussítque Philisthæos: & fecit Dominus salutem magnam.

13 Nec non & antè descenderant tres qui erant principes inter triginta, & venerant tempore messis ad David in speluncam Odollam: castra autem Philisthinorum erant posita in Valle gigantum.

14 Et David erat in præsidio: porrò statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem.

C 15 Desideravit ergo David, & ait: O si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna quæ est in Bethlehem juxta portam!

16 Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem: quæ erat juxta portam, & attulerunt ad David: at ille noluit bibere, sed libavit eam Domino,

17 Dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc: num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere. hæc fecerunt tres robustissimi.

18 Abisai quoque frater Joab filius Sarviæ, princeps erat de tribus: ipse est qui levavit hastam suam contra trecentos, quos interfecit, nominatus in tribus.

19 Et inter tres nobilior, erátque eorum princeps, sed usque ad tres primos non pervenerat.

20 Et Banaias filius Joiadæ viri fortissimi, magnorum operum, de Cabseel: ipse percussit duos leones Moab, & ipse descendit, & percussit leonem in media cisterna in diebus nivis.

21 Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam: itaque cùm descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Ægyptij, & interfecit eum hasta sua.

D 22 Hæc fecit Banaias filius Joiadæ.

23 Et ipse nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores: verumtamen usque ad tres non pervenerat: feecitque eum sibi David auricularium, à secreto.

24 Asaël frater Joab inter triginta. Elehanan filius patrui ejus de Bethlehem,

25 Semma de Harodi, Elica de Harodi,

26 Heles de Phalti, Hira filius Acces de Thecua,

27 Abiezer de Anathoth, Mobonnai de Husati,

28 Selmon Ahohites Maharai Netophathites,

29 Heled filius Baana, & ipse Netophathites, Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin,

30 Banaia Pharathonites, Heddai de Torrente Gaas,

31 Abialbon Arbathites, Azmaveth de Beromi,

32 Eliaba de Salaboni. Filij Jassen, Jonathan.

33 Semma de Orori, Aiam filius Sarar Arorites,

34 Eliphelet filius Aasbai filij Machati, Eliam filius Achitophel Gelonites,

35 Hesrai de Carmelo, Pharai de Arbi,

36 Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gadi,

37 Selec de Ammoni, Naharai Berothites armiger Joab filij Sarviæ,

38 Ira Jethrites, Gareb & ipse Jethrites,

39 Urias Hethæus. Omnes triginta septem.

Caput XXIV.

David ob numeratum populum à Gad propheta correptus, ex tribus oblatis pestem triduanam elegit; qua in populum saviente, ac 70000. interemptis, orat David Dominum, & à Gad propheta admonitus, in area Areuna, dato pretio, altare erigit, cessátque pestis.

1 ET * addidit furor Domini irasci contra Israël, commovítque David in eis dicentem: Vade, numera Israël & Judam. A *1. Par. 21, a. 1.

2 Dixítque rex ad Joab principem exercitus sui: Perambula omnes tribus Israël à Dan usque Bersabee, & numerate populum, ut sciam numerum ejus.

3 Dixítque Joab regi: Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc est, iterúmque centuplicet in conspectu domini mei regis: sed quid sibi dominus meus rex vult in re hujuscemodi?

4 Obtinuit autem sermo regis verba Joab & principum exercitus: egressúsque est Joab, & principes militum, à facie regis, ut numerarent populum Israël.

5 Cúmque pertransissent Jordanem, venerunt in Aroër ad dexteram urbis, quæ est in valle Gad:

6 Et per Jazer transierunt in Galaad, & in terram inferiorem Hodsi, & venerunt in Dan silvestria. Circumeuntésque juxta Sidonem,

7 Transierunt prope mœnia Tyri, & omnem terram Hevæi & Chananæi, venerúntque ad meridiem Juda in Bersabee:

8 Et lustrata universa terra, adfuerunt post novem menses & viginti dies in Jerusalem. B

9 Dedit ergo Joab numerum descriptionis populi regi, & inventa sunt de Israël octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Juda quingenta millia pugnatorum.

10 Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus: & dixit David ad Dominum: Peccavi valdè in hoc facto: sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stultè egi nimis.

11 Surrexit itaque David manè, & sermo Domini factus est ad Gad prophetam & Videntem David, dicens:

12 Vade, & loquere ad David: Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi.

13 Cúmque venisset Gad ad David, nuntiavit ei, dicens: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies adversarios tuos,

C tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua: Nunc ergo delibera, & vide quem respondeam ei, qui me misit, sermonem.

14 Dixit autem David ad Gad: Coarctor nimis: * sed melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quàm in manus hominum. *1. Par. 21. b. 13 Dan. 13. c. 23.

15 Immisítque Dominus pestilentiam in Israël, de manè usque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo, à Dan usque ad Bersabee, septuaginta millia virorum.

16 Cúmque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: sufficit: nunc contine manum tuam. erat autem Angelus Domini juxta aream Areuna Jebusæi.

17 Dixítque David ad Dominum, cùm vidisset Angelum cædentem populum: Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? verratur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.

18 Venit autem Gad ad David in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare Domino in area Areuna Jebusæi.

19 Et ascendit David juxta sermonem Gad, D quem præceperat ei Dominus.

20 Conspiciénsque Areuna, animadvertit regem & servos ejus transire ad se:

21 Et egressus adoravit regem prono vultu in terram, & ait: Quid causæ est ut veniat dominus meus rex ad servum suum? Cui David ait: Ut emam à te aream, & ædificem altare Domino, & cesset interfectio quæ grassatur in populo.

22 Et ait Areuna ad David. Accipiat, & offerat dominus meus rex, sicut placet ei: habes boves in holocaustum, & plaustrum & juga boum in usum lignorum.

23 Omnia dedit Areuna rex regi: dixítque Areuna ad regem: Dñs Deus tuus suscipiat votum tuum.

24 Cui respondens rex, ait: Nequaquam ut vis, sed emam pretio à te, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo David aream, & boves, argenti siclis quinquaginta:

25 Et ædificavit ibi David altare Domino, & obtulit holocausta & pacifica: & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.

LIBER REGUM TERTIUS, SECUNDUM HEBRÆOS PRIMUS MALACHIM.

Caput Primum.

David senio confectum puella Abisag calefacit, casta manens: Adonia verò regnum occupante, Bethsabee directa consilio Nathan impetravit à David ungi Salomonem in regem; quo audito, fugit Adonias.

A 1 ET rex David senuerat, habebátque ætatis plurimos dies: cúmque operiretur vestibus, non calefiebat.

2 Dixerunt ergo ei servi sui: Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, & stet coram rege, & foveat eum, dormiátque in sinu suo, & calefaciat dominum nostrum regem.

3 Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israël: & invenerunt Abisag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad regem.

4 Erat autem puella pulchra nimis, dormiebátque cum rege, & ministrabat ei, rex verò non cognovit eam.

5 Adonias autem filius Haggith elevabatur dicens: Ego regnabo. Fecítque sibi currus & equites, & quinquaginta viros qui currerent ante eum.

6 Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem & ipse pulcher valdè, secundus natu post Absalom.

7 Et sermo ei cum Joab filio Sarviæ, & cum B Abiathar sacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ.

8 Sadoc verò sacerdos, & Banaias filius Joiadæ, & Nathan propheta, & Semei & Rei, & robur exercitus David, non erat cum Adonia.

9 Immolatis ergo Adonias arietibus & vitulis, & universis pinguibus, juxta lapidem zoheleth, qui erat vicinus Fonti rogel, vocavit universos fratres suos filios regis, & omnes viros Juda servos regis,

10 Nathan autem prophetam, & Banaian, & robustos quosque, & Salomonem fratrem suum, non vocavit.

11 Dixit itaque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis: Num audisti, quòd regnaverit Adonias filius Haggith, & dominus noster David hoc ignorat?

12 Nunc ergo veni, accipe consilium à me, & salva animam tuam, filiíque tui Salomonis.

13 Vade, & ingredere ad regem David, & dic ei: Nónne tu domine mi rex jurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo? quare ergo regnat Adonias?

14 Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego ve- C niam post te, & complebo sermones tuos.

15 Ingressa

Universidad de Deusto
Biblioteca

15 Ingressa est itaque Bethsabee ad regem in cubiculum: rex autem senuerat nimis, & Abisag Sunamitis ministrabat ei.

16 Inclinavit se Bethsabee, & adoravit regem. Ad quam rex, Quid tibi, inquit vis?

17 Qui respondens, ait: Domine mi, tu jurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo.

18 Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi rex, ignorante.

19 Mactavit boves, & pinguia quæque, & arietes plurimos, & vocavit omnes filios regis, Abiathar quoque sacerdotem, & Joab principem militiæ: Salomonem autem servum tuum non vocavit.

20 Veruntamen domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israël, ut indices eis, quis sedere debeat in solio tuo, domine mi rex, post te.

21 Erítque cùm dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores.

22 Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit.

23 Et nuntiaverunt regi, dicentes: Adest Nathan propheta. Cúmque introisset in conspectu regis, & adorasset eum pronus in terram,

D 24 Dixit Nathan: Domine mi rex: tu dixisti: Adonias regnet post me, & ipse sedeat super thronum meum?

25 Quia descendit hodie, & immolavit boves, & pinguia, & arietes plurimos, & vocavit universos filios regis, & principes exercitus, Abiathar quoque sacerdotem: illísque vescentibus, & bibentibus coram eo, & dicentibus: Vivat rex Adonias:

26 Me servum tuum, & Sadoc sacerdotem, & Banaiam filium Joiadæ, & Salomonem famulum tuum, non vocavit.

27 Numquid à domino meo rege exivit hoc verbum, & mihi non indicasti servo tuo, quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum?

28 Et respondit rex David, dicens: Vocate ad me Bethsabee. Quæ cùm fuisset ingressa coram rege, & stetisset ante eum,

29 Juravit rex, & ait: Vivit Dominus qui eruit animam meam de omni angustia,

30 Quia sicut juravi tibi per Dominum Deum Israël, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum pro me: sic faciam hodie.

E 31 Summissóque Bethsabee in terram vultu, adoravit regem, dicens: Vivat dominus meus David in æternum.

32 Dixit quoque rex David: Vocate mihi Sadoc sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaiam filium Joiadæ. Qui cùm ingressi fuissent coram rege,

33 Dixit ad eos: Tollite vobiscum servos domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam: & ducite eum in Gihon.

34 Et ungat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, in regem super Israël: & canetis buccina, atque dicetis: Vivat rex Salomon.

35 Et ascendetis post eum, & veniet, & sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me: illíque præcipiam ut sit dux super Israël: & super Judam.

36 Et respondit Banaias filius Joiadæ, regi, dicens: Amen: sic loquatur Dominus Deus domini mei regis.

37 Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone, & sublimius faciat solium ejus à solio domini mei regis David.

38 Descendit ergo Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, & Banaias filius Joiadæ, & Cerethi, & Phelethi: & imposuerunt Salomonem super mulam regis David, & adduxerunt eum in Gihon.

39 Sumpsítque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonẽ: & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat rex Salomon.

40 Et ascendit universa multitudo post eum, & F populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & insonuit terra à clamore eorum.

41 Audivit autem Adonias, & omnes qui invitati fuerant ab eo, jámque convivium finitum erat: sed & Joab, audita voce tubæ, ait: Quid sibi vult clamor civitatis tumultuantis?

42 Adhuc illo loquente, Jonathas filius Abiathar sacerdotis venit: cui dixit Adonias: ingredere, quia vir fortis es, & bona nuntians.

43 Respondítque Jonathas Adoniæ: Nequaquam: Dominus enim noster rex David regem constituit Salomonem:

44 Misítque cum eo Sadoc sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaiam filium Joiadæ, & Cerethi & Phelethi, & imposuerunt eum super mulam regis.

45 Unxerúntque eum Sadoc sacerdos & Nathan propheta regem in Gihon: & ascenderunt inde lætantes, & insonuit civitas: hæc est vox, quam audistis.

46 Sed & Salomon sedet super solium regni.

47 Et ingressi servi regis benedixerunt domino nostro regi David, dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificet thronum ejus super thronum tuum. Et adoravit rex in lectulo suo:

48 Et locutus est: Benedictus Dominus Deus Israël, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis.

49 Territi sunt ergo, & surrexerunt omnes qui invitati fuerant ab Adonia, & ivit unusquisque in viam suam.

50 Adonias autem timens Salomonem, surrexit, & abiit, tenuítque cornu altaris.

51 Et nuntiaverunt Salomoni, dicentes: Ecce Adonias timens regem Salomonem, tenuit cornu altaris, dicens: Juret mihi rex Salomon hodie, quòd non interficiat servum suum gladio.

52 Dixítque Salomon: Si fuerit vir bonus, non cadet ne unus quidem capillus ejus in terram: sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur.

53 Misit ergo rex Salomon, & eduxit eum ab altari: & ingressus adoravit regem Salomonem: dixítque ei Salomon: Vade in domum tuam.

CAPUT

CAPUT II.

David datis Salomoni variis præceptis moritur. Adonias petens Abisag in uxorem, occidi à Salomone jubetur: Abiathar sacerdotio privatur, & tandem Joab in tabernaculo interficitur: Semei quoque, quia contra præscriptum egressus est Ierusalem, occiditur.

A 1 APpropinquaverunt autem dies David ut moreretur, præcepítque Salomoni filio suo, dicens:

2 Ego ingredior viam universæ terræ: confortare, & esto vir.

3 Et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias cæremonias ejus, & *Deut. 27.d.29. præcepta ejus, & judicia, & testimonia, * sicut scriptum est in lege Moysi: ut intelligas universa quæ facis, & quocumque te verteris:

4 Ut confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me, dicens: Si custodierint filij tui vias suas, & ambulaverint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel.

5 Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Joab filius Sarviæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus *2. Reg. 3.e.17. Israël, * Abner filio Ner, & * Amasæ filio Jether: *2. Reg. 20.c.10. quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace, B & posuit cruorem prælij in balteo suo, qui erat circa lumbos ejus, & in calceamento suo, quod erat in pedibus ejus.

6 Facies ergo juxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem ejus pacificè ad inferos.

7 Sed & filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, erúntque comedentes in mensa tua: * occur- *2. Reg. 19.f.31. rerunt enim mihi quando fugiebam à facie Absalom fratris tui.

8 * Habes quoque apud te Semei filium Gera *2. Reg. 16.d.5. filij Jemini de Bahurim, qui maledixit mihi male- 19.d.19. dictione pessima, quando ibam ad Castra: sed quia descendit mihi in occursum cùm transirem Jordanem, & juravi ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio:

9 Tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es, ut scias quæ facies ei, deducésque canos ejus cum sanguine ad inferos.

10 * Dormivit igitur David cum patribus suis, * Act. 2. d.29. & sepultus est in civitate David.

11 * Dies autem quibus regnavit David super *1. Par. 29.g.27. Israël, quadraginta anni sunt: in Hebron regnavit septem annis: in Jerusalem, triginta tribus.

12 Salomon autem sedit super thronum David patris sui, & firmatum est regnum ejus nimis.

13 Et ingressus est Adonias filius Haggith ad Bethsabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei: pacificúsne est ingressus tuus? Qui respondit: Pacificus. C

14 Addidítque: Sermo mihi est ad te. Cui ait: Loquere. Et ille:

15 Tu, inquit, nosti, quia meum erat regnum, & me præposuerat omnis Israël sibi in regem: sed transíatum est regnum, & factum est fratris mei: à Domino enim constitutum est ei.

16 Nunc ergo petitionem unam precor à te, ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum: Loquere.

17 Et ille ait: Precor ut dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quidquam potest) ut det mihi Abisag Sunamitidem uxorem.

18 Et ait Bethsabee: Benè, ego loquar pro te regi.

19 Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia: & surrexit rex in occursum ejus, adoravítque eam, & sedit super thronum suum: positúsque est thronus matri regis: quæ sedit ad dexteram ejus. D

20 Dixítque ei: petitionem unam parvulam ego deprecor à te; ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex: Pete mater mea: neque enim fas est ut avertam faciem tuam.

21 Quæ ait: Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor.

22 Respondítque rex Salomon, & dixit matri suæ: Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum: ipse est enim frater meus major me, & habet Abiathar sacerdotem, & Joab filium Sarviæ.

23 Juravit itaque rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc.

24 Et nunc vivit Dominus, qui firmavit me, & collocavit me super solium David patris mei, & qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occidetur Adonias.

25 Misítque rex Salomon per manum Banaiæ filij Joiadæ, qui interfecit eum, & mortuus est.

26 Abiathar quoque sacerdoti dixit rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus. E

27 Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini, * ut impleretur sermo Domini, *1. Reg. 2.g.35. quem locutus est super domum Heli in Silo.

28 Venit autem nuntius ad Joab, quòd Joab declinasset post Adoniam, & post Salomonem non declinasset: fugit ergo Joab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.

29 Nuntiatúmque est regi Salomoni, quòd fugisset Joab in tabernaculum Domini, & esset juxta altare, misítque Salomon Banaiam filium Joiadæ, dicens: Vade interfice eum.

30 Et venit Banaias ad tabernaculum Domini, & dixit ei: Hæc dicit rex: Egredere. Qui ait: Non egrediar, sed hìc moriar. Renuntiavit Banaias regi sermonem, dicens: Hæc locutus est Joab, & hæc respondit mihi.

31 Dixítque ei rex: Fac sicut locutus est: & interfice eum, & sepeli, & amovebis sanguinem innocentem, qui effusus est à Joab, à me, & à domo patris mei.

32 Et reddet Dominus sanguinem ejus super caput ejus, quia interfecit duos viros justos, meliorésque se: & occidit eos gladio, patre meo David ignorante, * Abner filium Ner principem militiæ *2. Reg. 3.c.27. Israël, * & Amasam filium Jether principem exercitus Juda. F

33 Et revertetur sanguis illorum in caput Joab, *2. Reg. 20.c.10. & in caput seminis ejus in sempiternum. David autem & semini ejus, & domui & throno illius, sit pax usque in æternum à Domino.

Universidad de Deusto
Biblioteca

34 Ascendit itaque Banaias filius Joiadæ,& aggressus eum interfecit:sepultúsque est in domo sua in deserto.

35 Et constituit rex Banaiam filium Joiadæ pro eo super exercitum,& Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar.

36 Misitquoque rex,& vocavitSemei, dixítque ei: Ædifica tibi domum in Jerusalem, & habita ibi:& non egredieris inde huc atque illuc.

37 Quacumque autem die egressus fueris, & transieris Torrentem Cedron, scito te interficiendum:sanguis tuus erit super caput tuum.

38 Dixítque Semei regi:Bonus sermo. sicut locutus est dominus meus rex,sic faciet servus tuus. G Habitavit itaque Semei in Jerusalem diebus multis.

9 Factum est autem post annos tres,ut fugerent servi Semei ad Achis filium Maacha regem Geth: nuntiatúmque est Semei, quòd servi ejus essent in Geth.

40 Et Surrexit Semei, & stravit asinum suum: ivítque ad Achis in Geth ad requirendum servos suos,& adduxit eos de Geth.

41 Nuntiatum est autem Salomoni, quòd isset Semei in Geth de Jerusalem, & rediisset.

42 Et mittens vocavit eum,dixítque illi:Nónne testificatus sum tibi per Dominum, & prædixi tibi:Quacumque die egressus,ieris huc & illuc,scito te esse moriturum?Et respondisti mihi: Bonus sermo, quem audivi.

43 Quare ergo non custodisti jusjurandum Domini, & præceptum quod præceperam tibi?

44 Dixítque rex ad Semei: Tu nosti omne malum,cujus tibi consicium est cor tuum,quod fecisti David patri meo:reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum.

45 Et rex Salomon benedictus,& thronus David erit stabilis coram Dño usque in sempiternum.

46 Jussit itaque rex Banaiæ filio Joiadæ:qui egressus,percussit eum,& mortuus est.

Caput III.

Salomon,accepta in uxorem filia Pharaonis,sapientiam in somno petit, quam unà cum divitiis & gloria accipit, & primum in meretricum dirimenda lite ostendit.

A 1 Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis,& affinitate conjunctus est Pharaoni regi Ægypti: accepit namque filiam ejus,& adduxit in civitatem David,donec compleret ædificans domum suam & domum Domini, & murum Jerusalem per circuitum. 2. Par. 1.3. 1.

2 Attamen populus immolabat in excelsis:non enim ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum.

3 Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui, excepto quod in excelsis immolabat,& accendebat thymiama.

4 Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi:illud quippe erat excelsum maximum:mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon.

5 Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis ut dem tibi.

6 Et ait Salomon: Tu fecisti cum servo tuo David patre meo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo in veritate, & justitia, & recto corde tecum; custodisti ei misericordiam tuam grandem, & dedisti ei filium sedentem super thronum ejus, sicut est hodie.

7 Et nunc Domine Deus,tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer parvulus, & ignorans egressum & introitum meum. B A

8 Et servus tuus in medio est populi, quem elegisti,populi infiniti, qui numerari & supputari non potest præ multitudine.

9 * Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum. quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum hunc multum. * 2. Par. 1. c. 10.

10 Placuit ergo sermo coram Domino, quòd Salomon postulasset hujuscemodi rem.

11 Et dixit Dominus Salomoni:Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium:

12 Ecce feci tibi secundùm sermones tuos,& dedi tibi cor sapiens & intelligens,in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.

13 * Sed & hæc, quæ non postulasti,dedi tibi: divitias scilicet, & gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retrò diebus. * Sap. 7. b. 11. Matt. 6. d. 29.

14 Si autem ambulaveris in viis meis, & custodieris præcepta mea, & mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos. C

15 Igitur evigilavit Salomon,& intellexit quòd esset somnium: cúmque venisset Jerusalem, stetit coram arca fœderis Domini,& obtulit holocausta, & fecit victimas pacificas, & grande convivium universis famulis suis.

16 Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, steterúntque coram eo,

17 Quarum una ait:Obsecro, mi domine:ego & mulier hæc habitabamus in domo una, & peperi apud eam in cubiculo.

18 Tertia autem die postquam ego peperi, peperit & hæc:& eramus simul, nullúsque alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus.

19 Mortuus est autem filius mulieris hujus nocte, dormiens quippe oppressit eum.

20 Et consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocavit in sinu suo: suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo.

21 Cúmque surrexissem manè ut darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentiùs intuens clara luce,deprehendi non esse meum quem genueram. D

22 Respondítque altera mulier: Non est ita ut dicis, sed filius tuus mortuus est,meus autem vivit. Econtrario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus vivit, & filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege.

23 Tunc rex ait:Hæc dicit,Filius meus vivit, & filius tuus mortuus est. Et ista respondit, Non, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit.

24 Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cúmque attulissent gladium coram rege,

Dividite

25 Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri.

26 Dixit autem mulier,cujus filius erat vivus,ad regem: (commota sunt quippe viscera ejus super filio suo) Obsecro domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere eum. Econtrariò illa dicebat:Nec mihi, nec tibi sit,sed dividatur.

27 Respondit rex, & ait: Date huic infantem vivum, & non occidatur:hæc est enim mater ejus.

28 Audivit itaque omnis Israël judicium quod judicasset rex,& timuerunt regem,videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium.

Caput IV.

Numerantur principes & præfecti Salomonis,apparatus eiborum ipsius,pacisque securitas eo regnante,& numerus parabolarum atque carminum ejus.

A 1 Erat autem rex Salomon regnans super omnem Israël.

2 Et hi principes quos habebat: Azarias filius Sadoc sacerdotis:

3 Elihoreph & Ahia filij Sisa scribæ:Josaphat filius Ahilud à commentariis:

4 Banaias filius Joiadæ super exercitum: Sadoc autem,& Abiathar sacerdotes.

5 Azarias filius Nathan,super eos qui assistebant regi: Zabud filius Nathan, sacerdos, amicus regis:

6 Et Ahisar præpositus domus: & Adoniram filius Abda super tributa.

7 Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israël, qui præbebant annonam regi & domui ejus:per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant.

8 Et hæc nomina eorum: Benhur, in monte Ephraim.

9 Bendecar, in Macces, & in Salebim, & in Bethsames, & in Elon, & in Bethanan.

10 Benhesed in Aruboth:ipsius erat Socho, & omnis terra Epher.

11 Benabinadab,cujus omnis Nephath dor,Taphetb filiam Salomonis habebat uxorem. B

12 Bana filius Ahilud regebat Thanac & Mageddo, & universam Bethsan, quæ est juxta Sarthana subter Jezrael, à Bethsan usque Abelmehula à regione Jecmaan.

13 Bengaber in Ramoth Galaad:habebat Avothiair filij Manasse in Galaad,ipse præerat in omni regione Argob,quæ est in Basan, sexaginta civitatibus magnis atque muratis, quæ habebant seras æreas.

14 Ahinadab filius Addo præerat in Manaim.

15 Achimaas in Nephthali:sed & ipse habebat Basemath filiam Salomonis in conjugio.

16 Baana filius Husi, in Aser,& in Baloth.

17 Josaphat filius Pharuë, in Issachar.

18 Semei filius Ela in Benjamin.

19 Gaber filius Uri, in terra Galaad, in terra Sehon regis Amorrhæi & Og regis Basan, super omnia quæ erant in illa terra.

20 Juda & Israël innumerabiles,sicut arena maris in multitudine:comedentes,& bibentes,atque lætantes. C

* Eccl. 47.b.15. 21 * Salomon autem erat in ditione sua,habens

omnia regna à flumine terræ Philisthiim usque ad terminum Ægypti:offerentium sibi munera, & servientium ei cunctis diebus vitæ ejus.

22 Erat autem cibus Salomonis per dies singulos,triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ,

23 Decem boves pingues, & viginti boves pascuales, & centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum atque bubalorum & avium altilium.

24 Ipse enim obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, à Thapsa usque ad Gazan, & cunctos reges illarum regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu.

25 Habitabátque Juda & Israël absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, à Dan usque Bersabee,cunctis diebus Salomonis.

26 * Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium. *2. Par. 9.f.25.

27 Nutriebántque eos supradicti regis præfecti:sed & necessaria mensæ regis Salomonis, cum ingenti cura præbebant in tempore suo. D

28 Hordeum quoque & paleas equorum & jumentorum, deferebant in locum ubi erat rex, juxta constitutum sibi.

29 Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris.

30 Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum,

31 * Et erat sapientior cunctis hominibus: sapientior Ethan, Ezrahita, & Heman, & Chalcol, & Dorda, filiis Mahol: & erat nominatus in universis gentibus per circuitum. *Eccli. 47.b.16.

32 Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas:& fuerunt carmina ejus quinque & mille.

33 Et disputavit super lignis,à cedro quæ est in Libano,usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete:& disseruit de jumentis,& volucribus, & reptilibus, & piscibus:

34 Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab universis regibus terræ, qui audiebant sapientiam ejus.

Caput V.

Concedit Hiram Salomoni ad templi ædificationem cæsores lignorum,quibus Salomon tribuit cibaria, numerus cæsorum, portantium onera, latomorum, & præfectorum eorum.

1 Misit quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomonem:audivit enim quòd ipsum unxissent regem pro patre ejus: quia amicus fuerat Hiram David omni tempore. A

2 Misit autem Salomon ad Hiram, dicens:

3 Tu scis voluntatem David patris mei,& quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum ejus.

4 Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum: & non est satan, neque occursus malus.

5 Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri meo,dicens:* Filius tuus,quem *2. Reg. 7. b. 13. 1. Par. 22. c. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo.

6 Præcipe igitur ut præcidant mihi servi tui cedros de Libano, & servi mei sint cum servis tuis: mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris: scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit ligna cædere sicut Sidonij.

7 Cùm ergo audisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valdè, & ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc plurimum.

8 Et misit Hiram ad Salomonem, dicens: Audivi quæcumque mandasti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & abiegnis.

9 Servi mei deponent ea de Libano ad mare: & ego componam ea in ratibus in mari, usque ad C locum quem significaveris mihi; & applicabo ea ibi, & tu tolles ea: præbebísque necessaria mihi, ut detur cibus domui meæ.

10 Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna, juxta omnem voluntatem ejus.

11 Salomon autem præbebat Hiram, coros tritici viginti millia, in cibum domui ejus, & viginti coros purissimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos.

*Sup. 3 b. 12. 12 * Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei: & erat pax inter Hiram & Salomonem, & percusserunt ambo fœdus.

D 13 Elegítque rex Salomon operarios de omni Israël, & erat indictio triginta millia virorum.

14 Mittebátque eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim, ita ut duobus mensibus essent in domibus suis: & Adoniram erat super hujusce modi indictione.

15 Fuerúntque Salomoni septuaginta millia eorum qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte:

16 Absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium & trecentorum, præcipientium populo & his qui faciebant opus.

17 Præcepítque rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos:

18 Quos dolaverunt cæmentarij Salomonis, & cæmentarij Hiram: porrò Giblij præparaverunt ligna & lapides ad ædificandam domum.

CAPUT VI.

Figura & fabrica templi quoad præcipuas ejus partes interiores & exteriores.

A 1 FActum est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israël de
2. Par. 3. a. 1. Terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio, (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israël, ædificari cœpit domus Domino.

2 Domus autem, quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.

3 Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, juxta mensuram latitudinis templi: & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.

4 Fecítque in templo fenestras obliquas.

5 Et ædificavit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu.

6 Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hærerent muris templi.

7 Domus autem cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo cùm ædificaretur.

8 Ostium lateris medij in parte erat domus dextræ: & per cochleam ascendebant in medium B cœnaculum, & à medio in tertium.

9 Et ædificavit domum, & consummavit eam: texit quoque domum laquearibus cedrinis.

10 Et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, & operuit domum lignis cedrinis.

11 Et factus est sermo Domini ad Salomonem, dicens:

12 Domus hæc, quam ædificas, si ambulaveris in præceptis meis, & judicia mea feceris, & custodieris omnia mandata mea, gradiens per ea: firmabo sermonem meum tibi, * quem locutus sum ad *2. Reg. 7. c. 16. David patrem tuum.

13 * Et habitabo in medio filiorum Israël, & *1. Par. 22. b. 9. non derelinquam populum meum Israël.

14 Igitur ædificavit Salomon domum, & consummavit eam.

15 Et ædificavit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis, à pavimento domus usque ad summitatem parietum, & usque ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinsecus: & texit pavimentum domus tabulis abiegnis.

16 Ædificavítque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, à pavimento usque ad superiora: & fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum.

17 Porrò quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi.

18 Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas & juncturas suas fabrefactas, & cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis vestiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete. C

19 Oraculum autem in medio domus, in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis Domini.

20 Porrò oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis: & operuit illud atque vestivit auro purissimo. sed & altare vestivit cedro.

21 Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clavis aureis.

22 Nihílque erat in templo quod non auro tegeretur: sed & totum altare oraculi texit auro.

23 Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis.

24 Quinque

24 Quinque cubitorum ala cherub una, & quinque cubitorum ala cherub altera: id est, decem cubitos habentes, à summitate alæ unius usque ad alæ alterius summitatem.

25 Decem quoque cubitorum erat cherub secundus: in mensura pari, & opus unum erat in duobus cherubim,

26 Id est, altitudinem habebat unus cherub decem cubitorum, & similiter cherub secundus.

27 Posuítque cherubim in medio templi interioris: extendebant autem alas suas cherubim, & D tangebat ala una parietem, & ala cherub secundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant.

28 Texit quoque cherubim auro.

29 Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis & torno: & fecit in eis cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes.

30 Sed & pavimentum domus texit auro intrinsecus & extrinsecus.

31 Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olivarum, postésque angulorum quinque.

32 Et duo ostia de lignis olivarum: & sculpsit in eis picturam cherubim, & palmarum species, & anaglypha valdè prominentia: & texit ea auro: & operuit tam cherubim quàm palmas, & cætera, auro.

33 Fecítque in introitu templi postes de lignis olivarum quadrangulatos:

34 Et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus: & utrumque ostium duplex erat, & se invicem tenens aperiebatur.

35 Et sculpsit cherubim, & palmas, & cælaturas valdè eminentes: operuítque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.

36 Et ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine lignorum cedri.

37 Anno quarto fundata est domus Domini in mense Zio:

38 Et in anno undecimo, mense Bul (ipse est mensis octavus) perfecta est domus in omni opere suo, & in universis utensilibus suis: ædificavítque eam annis septem.

CAPUT VII.

Palatium Salomonis, domus saltus atque uxoris ejus, varia & sumptuosissima templi supellex.

A 1 DOmum autem suam ædificavit Salomon
*Inf. 9. b. 10. * tredecim annis, & ad perfectum usque perduxit.

2 Ædificavit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum altitudinis: & quattuor deambulacra inter columnas cedrinas: ligna quippe cedrina exciderat in columnas.

3 Et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Unus autē ordo habebat columnas quindecim.

4 Contra se invicem positas,

5 Et è regione se respicientes, æquali spatio inter columnas, & super columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia.

6 Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, & triginta cubitorum latitudinis, & alteram porticum in facie majoris porticus: & columnas, & epistylia super columnas.

7 Porticum quoque solij, in qua tribunal est, fecit: & texit lignis cedrinis à pavimento usque ad summitatem.

8 Et domuncula, in qua sedebatur ad judicandum, erat in media porticu, simili opere. Domum quoque fecit filiæ Pharaonis (* quam uxorem du- *sup. 3. 1. xerat Salomon) tali opere, quali & hanc porticum.

9 Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam atque mensuram tam intrinsecus quàm B extrinsecus serrati erant: à fundamento usque ad summitatem parietum, & extrinsecus usque ad atrium majus.

10 Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem sive octo cubitorum.

11 Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ fecti erant, similitérque de cedro.

12 Et atrium majus rotundum, trium ordinum de lapidibus sectis, & unius ordinis de dolata cedro: necnon & in atrio domus Domini interiori, & in porticu domus.

13 Misit quoque rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro,

14 Filium mulieris viduæ de tribu Nephthali, patre Tyrio, artificem ærarium, & plenum sapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cùm venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus ejus.

15 Et finxit duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam unam,* & linea *Ier. 52. d. 21. duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque. C

16 Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære: quinque cubitorum altitudinis capitellum unum, & quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum:

17 Et quasi in modum retis, & catenarum sibi invicem miro opere contextarum. Utrumque capitellum columnarum fusile erat: septena versuum retiacula in capitello uno, & septena retiacula in capitello altero.

18 Et perfecit columnas, & duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella, quæ erant super summitatem, malogranatorum: eodem modo fecit & capitello secundo.

19 Capitella autem, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilij fabricata erant in porticu quattuor cubitorum.

20 Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper juxta mensuram columnæ contra retiacula: malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi.

21 Et statuit duas columnas in porticu templi: cúmque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin: similiter erexit columnam secundam, & vocavit nomen ejus Booz.

22 Et super capita columnarum opus in modum lilij posuit: perfectúmque est opus colum- D narum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

D *2. Par. 4.a.2.

23 *Fecit quoque mare fusile decem cubitorum à labio usque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo ejus, & resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.

24 Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare: duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles.

25 Et stabat super duodecim boves, è quibus tres respiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem, & mare super eos desuper erat: quorum posteriora universa intrinsecus latitabant.

26 Grossitudo autem luteris, trium unciarum erat: labiumque ejus, quasi labium calicis, & folium repandi lilij: duo millia batos capiebat.

27 Et fecit decem bases æneas, quattuor cubitorum longitudinis bases singulas, & quattuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis.

28 Et ipsum opus basium, interrasile erat: & sculpturæ inter juncturas.

29 Et inter coronulas & plectas, leones & boves & cherubim: & in juncturis similiter desuper: & subter leones & boves, quasi lora ex ære dependentia.

30 Et quattuor rotæ per bases singulas, & axes ærei: & per quattuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles, contra se invicem respectantes.

E 31 Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate: & quod forinsecus apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, paritérque habebat unum cubitum & dimidium: in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant: & media intercolumnia, quadrata non rotunda.

32 Quattuor quoque rotæ, quæ per quattuor angulos basis erant, cohærebant sibi subter basim: una rota habebat altitudinis cubitum & semis.

33 Tales autem rotæ erant, quales solent in curru fieri: & axes earum, & radij, & canthi, & modioli, omnia fusilia.

34 Nam & humeruli illi quattuor per singulos angulos basis unius, ex ipsa basi fusiles & conjuncti erant.

35 In summitate autem basis erat quædam rotunditas dimidij cubiti, ita fabrefacta, ut luter desuper posset imponi, habens cælaturas suas, variásque sculpturas ex semetipsa.

F 36 Sculpsit quoque in tabulatis illis quæ erant ex ære, & in angulis, cherubim, & leones, & palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, ut non cælata, sed apposita per circuitum viderentur.

37 In hunc modum fecit decem bases, fusura una, & mensura, sculpturáque consimili.

38 Fecit quoque decem luteres æneos: quadraginta batos capiebat luter unus, erátque quattuor cubitorum: singulos quoque luteres per singulas, id est, decem bases, posuit.

39 Et constituit decem bases, quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad sinistram: mare autem posuit ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem.

40 Fecit ergo Hiram lebetes, & scutras, & hamulas, & perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini.

41 Columnas duas, & funiculos capitellorum super capitella columnarum duos: & retiacula duo, ut operirent duos funiculos, qui erant super capita columnarum.

42 Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis: duos versus malogranatorum in retiaculis singulis ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant super capita columnarum.

43 Et bases decem, & luteres decem super bases.

44 Et mare unum, & boves duodecim subter mare.

45 Et lebetes, & scutras, & hamulas, omnia vasa, quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini, de aurichalco erant. G

46 In campestri regione Jordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochoth & Sarthan.

47 Et posuit Salomon omnia vasa: propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris.

48 Fecítque Salomon omnia vasa in domo Domini: altare aureum, & mensam, super quam ponerentur panes propositionis, aureum:

49 Et candelabra aurea, quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram, contra oraculum, ex auro puro: & quasi lilij flores, & lucernas desuper aureas: & forcipes aureos,

50 Et hydrias, & fuscinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula, de auro purissimo: & cardines ostiorum, domus interioris Sancti sanctorum, & ostiorum domus templi, ex auro erant.

51 * Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, & intulit quæ sanctificaverat David pater suus, argentum & aurum, & vasa, reposuítque in thesauris domus Domini. *2. Par. 5.a.1.

CAPUT VIII.

Templum introducta in ipsum arca dedicatur, nebula illud implente, Salomon post longam orationem populo benedicit: numerus boum & ovium immolatarum hac celebri festivitate.

1 TUnc * congregati sunt omnes majores natu Israël cum principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Israël, ad regem Salomonem in Jerusalem: ut deferrent arcam fœderis Domini, de civitate David, id est, de Sion. A *2. Par. 5.a.2.

2 Convenítque ad regem Salomonem universus Israël in mense Ethanim, in sollemni die, ipse est mensis septimus.

3 Venerúntque cuncti senes de Israël, & tulerunt arcam sacerdotes,

4 Et portaverunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vasa Sanctuarij, quæ erant in tabernaculo: & ferebant ea sacerdotes & Levitæ.

5 Rex autem Salomon, & omnis multitudo Israël, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, & immolabant oves & boves absque æstimatione & numero.

6 Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sanctorum, subter alas cherubim.

7 Siquidem cherubim expandebant alas super locum arcæ, & protegebant arcam & vectes ejus desuper.

8 Cúmque eminerent vectes, & apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultrà extrinsecus, qui & fuerunt ibi usque in præsentem diem. * *Exod. 34.d.27. Hebr. 9. a. 4.*

9 In arca autem non erat aliud, * nisi duæ tabulæ

læ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israël, cùm egrederentur de Terra Ægypti.

B 10 Factum est autem, cùm exissent sacerdotes de Sanctuario, nebula implevit domum Domini,

11 Et non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini.

* *2. Par. 7.a.1.* 12 Tunc ait Salomon: * Dominus dixit ut habitaret in nebula.

13 Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum.

14 Convertítque rex faciem suam, & benedixit omni ecclesiæ Israël: omnis enim ecclesia Israël stabat.

15 Et ait Salomon: Benedictus Dominus Deus Israël, qui locutus est ore suo ad David patrem meum, & in manibus ejus perfecit, dicens:

16 A die qua eduxi populum meum Israël de Ægypto, non elegi civitatem de universis tribubus Israël, ut ædificaretur domus, & esset nomen meum ibi: sed elegi David ut esset super populum meum Israël.

* *2. Reg. 7.a.5.* 17 * Voluítque David pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israël:

18 Et ait Dominus ad David patrem meum: Quod cogitásti in corde tuo ædificare domum nomini meo, benè fecisti, hoc ipsum mente tractans.

19 Verumtamen tu non ædificabis mihi domum, sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit domum nomini meo.

20 Confirmavit Dominus sermonem suum, quem locutus est: stetíque pro David patre meo, & sedi super thronum Israël, sicut locutus est Dominus: & ædificavi domum nomini Domini Dei Israël.

21 Et constitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini est, quod percussit cum patribus nostris, quando egressi sunt de Terra Ægypti.

C 22 Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israël, & expandit manus suas in cælum,

23 Et ait: Domine Deus Israël, non est similis tui Deus in cælo desuper, & super terram deorsum: qui custodis pactum & misericordiam servis tuis, qui ambulabant coram te in toto corde suo.

24 Qui custodisti servo tuo David patri meo quæ locutus es ei: ore locutus es, & manibus perfecisti, ut hæc dies probat.

25 Nunc igitur Domine Deus Israël, conserva famulo tuo David patri meo quæ locutus es ei, dicens: * Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israël: ita tamen si custodierint filij tui viam suam, ut ambulent coram me sicut tu ambulasti in conspectu meo. * *1. Reg. 7.b.12.*

26 Et nunc Domine Deus Israël firmentur verba tua, quæ locutus es servo tuo David patri meo.

27 Ergóne putandum est quòd verè Deus habitet super terram? si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi?

28 Sed respice ad orationem servi tui, & ad preces ejus, Domine Deus meus: audi hymnum & orationem, quam servus tuus orat coram te hodie:

29 Ut sint oculi tui * aperti super domum hanc nocte ac die: super domum, de qua dixisti: * Erit nomen meum ibi: ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus tuus. * *Deut. 12.b.11.*

30 Ut exaudias deprecationem servi tui & populi tui Israël, quodcumque oraverint in loco isto: & exaudies in loco habitaculi tui in cælo, & cùm exaudieris, propitius eris.

31 Si peccaverit homo in proximum suum, & habuerit aliquod juramentum, quo teneatur astrictus; & venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam,

32 Tu exaudies in cælo: & facies, & judicabis servos tuos, condemnans impium, & reddens viam suam super caput ejus, justificánsque justum, & retribuens ei secundùm justitiam suam. D

33 Si fugerit populus tuus Israël inimicos suos (quia peccaturus est tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo, venerint, & oraverint, & deprecati te fuerint in domo hac;

34 Exaudi in cælo, & dimitte peccatum populi tui Israël, & reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum.

35 Si clausum fuerit cælum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam:

36 Exaudi eos in cælo, & dimitte peccata servorum tuorum, & populi tui Israël: & ostende eis viam bonam per quam ambulent, & da pluviam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem.

37 Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aër, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus ejus portas obsidens, omnis plaga, universa infirmitas,

38 Cuncta devotatio, & imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Israël: si quis cognoverit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac,

39 Tu exaudies in cælo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies ut des unicuique secundùm omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.) E

40 Ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris.

41 Insuper & alienigena, qui non est de populo tuo Israël, cùm venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum

42 Extentum, ubique) cùm venerit ergo, & oraverit in hoc loco,

43 Tu exaudies in cælo in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israël, & probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi.

44 Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam, quocumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis, quam elegisti, & contra domum, quam ædificavi nomini tuo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

45 Et exaudies in cælo orationes eorum,& preces eorum, & facies judicium eorum.

46 Quòd si peccaverint tibi (* non est enim homo qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis suis, & captivi ducti fuerint in terram inimicorum longè vel propè,

47 Et egerint pœnitentiam in corde suo in loco captivitatis, & conversi deprecati te fuerint in captivitate sua, dicentes : Peccavimus, iniquè egimus, impiè gessimus :

48 Et reversi fuerint ad te in universo corde suo,& tota anima sua in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint:& oraverint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & civitatis quam elegisti, & templi quod ædificavi nomini tuo :

49 Exaudies in cælo, in firmamento solij tui, orationes eorum,& preces eorum, & facies judicium eorum:

50 Et propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati sunt in te : & dabis misericordiam coram eis qui eos captivos habuerint,ut misereantur eis.

51 Populus enim tuus est, & hereditas tua, quos eduxisti de Terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ.

52 Ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui, & populi tui Israël, & exaudias eos in universis pro quibus invocaverint te.

53 Tu enim separasti eos tibi in hereditatem de universis populis terræ, sicut locutus es per Moysen servum tuum, quando eduxisti patres nostros de Ægypto, Domine Deus.

54 Factum est autem, cùm complesset Salomon orans Dominum omnem orationem & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini : utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum.

55 Sterit ergo, & benedixit omni ecclesiæ Israël voce magna, dicens :

56 Benedictus Dominus,qui dedit requiem populo suo Israël, juxta omnia quæ locutus est : non cecidit ne unus quidem sermo, ex omnibus bonis quæ locutus est per Moysen servum suum.

57 Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque projiciens.

58 Sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, & custodiamus mandata ejus, & ceremonias ejus, & judicia quæcumque mandavit patribus nostris.

59 Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, ut faciat judicium servo suo, & populo suo Israël per singulos dies:

60 Ut sciant omnes populi terræ, quia Dominus ipse est Deus, & non est ultrà absque eo.

61 Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis ejus, & custodiamus mandata ejus, sicut & hodie.

62 Igitur rex, & omnis Israël cum eo, immolabant victimas coram Domino.

63 Mactavitque Salomon hostias pacificas,quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia : & dedicaverunt templum Domini rex & filij Israël.

64 In die illa sanctificavit rex medium atrij, quod erat ante domum Domini: fecit quippe holocaustum ibi, & sacrificium, & adipem pacificorum: quoniam altare æreum,quod erat coram Domino, minus erat,& capere non poterat holocaustum,& sacrificium, & adipem pacificorum.

65 Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, & omnis Israël cum eo,multitudo magna ab introitu Emath usque ad Rivum Ægypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus, & septem diebus, id est, quattuordecim diebus.

66 Et in die octava dimisit populos: qui benedicentes regi profecti sunt in tabernacula sua lætantes, & alacri corde super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus David servo suo, & Israël populo suo.

* 2. Par. 6. f. 36. Eccl. 7. c. 21. 1. Joan. 1. d. 8.

Caput IX.

Dominus Salomoni secundò apparens, jubet sua servare præcepta, addita comminatione nisi servata fuerint. Salomon plures ædificat civitates, gentes sibi facit tributarias, & classe in Ophir missa plurimum auri recipit.

1 FActum est autem cùm perfecisset Salomon ædificium domus Domini, & ædificium regis, & omne quod optaverat & voluerat facere,

2 Apparuit ei Dominus secundò, * sicut apparuerat ei in Gabaon.

3 Dixitque Dominus ad eum: Exaudivi orationem tuam & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me:sanctificavi domum hanc,quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.

4 Tu quoque si ambulaveris coram me sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis, & in æquitate : & feceris omnia,quæ præcepi tibi,& legitima mea & judicia mea servaveris,

5 * Ponam thronum regni tui super Israël in sempiternum,sicut locutus sum David patri tuo,dicens : Non auferetur vir de genere tuo de solio Israël.

6 Si autem aversione aversi fueritis vos & filij vestri,non sequentes me,nec custodientes mandata mea, & cæremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis & colueritis deos alienos, & adoraveritis eos :

7 Auferam Israël de superficie terræ, quam dedi eis: & templum, quod sanctificavi nomini meo, projiciam à conspectu meo,eritque Israël in proverbium, & in fabulam cunctis populis.

8 Et domus hæc erit in exemplum : omnis qui transierit per eam, stupebit, & sibilabit, & dicet: * Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic ?

9 Et respondebunt:Quia dereliquerunt Dominum Deum suum, qui eduxit patres eorum de Terra Ægypti, & secuti sunt deos alienos,& adoraverunt eos, & coluerunt eos : idcircò induxit Dominus super eos omne malum hoc.

10 * Expletis autem annis viginti postquam ædificaverat Salomon duas domos, id est, domum Domini, & domum regis,

11 (Hiram rege Tyri præbente Salomoni ligna cedrina & abiegna, & aurum juxta omne quod opus habuerat) tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in Terra Galilææ.

* Sup. 3. n. 5. 2. Par. 7. c. 12.

* 2. Reg. 7. b. 12. c. 16.

* Deut. 29. d. 24. Ier. 22. c. 8.

* 2. Reg. 8. n. 1.

12 Et egressus est Hiram de Tyro, ut videret oppida quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei,

13 Et ait : Hæcine sunt civitates, quas dedisti mihi, frater ? Et appellavit eas Terram chabul, usque in diem hanc.

14 Misit quoque Hiram ad regem Salomonem centum viginti talenta auri.

15 Hæc est summa expensarum, quam obtulit rex Salomon ad ædificandam domum Domini & domum suam, & Mello, & murum Jerusalem, & Heser, & Mageddo, & Gazer.

16 Pharao rex Ægypti ascendit, & cepit Gazer, succenditque eam igni : & Chananæum,qui habitabat in civitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ suæ uxori Salomonis.

17 Ædificavit ergo Salomon Gazer, & Bethoron inferiorem,

18 Et Baalath, & Palmiram in Terra solitudinis.

19 Et omnes vicos, qui ad se pertinebant, & erant absque muro,munivit, & civitates curruum & civitates equitum,& quodcumque ei placuit ut ædificaret in Jerusalem, & in Libano, & in omni terra potestatis suæ.

20 Universum populum, qui remanserat de Amorrhæis, & Hethæis, & Pherezæis,& Hevæis, & Jebusæis, qui non sunt de filiis Israël:

21 Horum filios, qui remanserant in terra, quos scilicet non potuerant filij Israël exterminare : fecit Salomon tributarios, usque in diem hanc.

22 De filiis autem Israël non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri ejus, & principes, & duces, & præfecti curruum & equorum.

23 Erant autem principes super omnia opera Salomonis præpositi quingenti quinquaginta, qui habebant subjectum populum,& statutis operibus imperabant.

24 * Filia autem Pharaonis ascendit de civitate David in domum suam, quam ædificaverat ei Salomon : tunc ædificavit Mello.

25 Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta, & pacificas victimas, super altare quod ædificaverat Domino, & adolebat thymiama coram Domino:perfectúmque est templum.

26 Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est juxta Ailat in littore Maris rubri, in Terra Idumææ.

27 Misitque Hiram in classe illa servos suos viros nauticos & gnaros maris, cum servis Salomonis.

28 Qui cùm venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem.

* 2. Par. 8. b. 11.

Caput X.

Venit regina Saba ad regem Salomonem : quæ ejus miratà sapientiam, magnificentiam & gubernationem, datis acceptisque amplis muneribus,discessit : Salomon multum tributum ac aurum aliunde accipit ; vasa & scuta, magnificúmque thronum construit ; multam ac pretiosam habet supellectilem in vasis, curribus & equis, in abundantia argenti ac cedrorum.

1 SEd * & regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.

2 Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu,& divitiis, camelis portantibus aromata,& aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem, & locuta est ei universa quæ habebat in corde suo.

3 Et docuit eam Salomon omnia verba quæ proposuerat : non fuit sermo, qui regem posset latére, & non responderet ei.

4 Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificaverat,

5 Et cibos mensæ ejus, & habitacula servorum, & ordines ministrantium, vestésque eorum, & pincernas, & holocausta quæ offerebat in domo Domini : non habebat ultrà spiritum.

6 Dixítque ad regem : Verus est sermo, quem audivi in terra mea,

7 Super sermonibus tuis, & super sapientia tua: & non credebam narrantibus mihi,donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probavi quòd media pars mihi nuntiata non fuerit : major est sapientia & opera tua, quàm rumor quem audivi.

8 Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.

9 Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israël, eò quòd dilexerit Dominus Israël in sempiternum,& constituit te regem, ut faceres judicium & justitiam.

10 Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas: non sunt allata ultrà aromata tam multa, quàm ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni.

11 (Sed & * classis Hiram,quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas pretiosas.

12 Fecítque rex de lignis thyinis fulcra domus Domini, & domus regiæ,& citharas lyrásque cantoribus: non sunt allata hujuscemodi ligna thyina, neque visa usque in præsentem diem.)

13 Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia quæ voluit & petivit ab eo : exceptis his, quæ ultrò obtulerat ei munere regio. Quæ revertsa est, & abiit in terram suam cum servis suis.

14 Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum auri :

15 Excepto eo, quod afferebant viri qui super vectigalia erant,& negotiatores, universíque scruta vendentes, & omnes reges Arabiæ, ducésque terræ.

16 Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo, sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius.

* 2. Par. 9. a. 1. Matt. 12. d. 42. Luc. 11. d. 31.

* 2. Par. 9. c. 10.

17 Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

17 Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri unam peltam vestiebant: posuítque eas rex in domo saltus Libani.

18 Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis,

19 Qui habebat sex gradus: & summitas throni rotunda erat in parte posteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: & duo leones stabant juxta manus singulas.

20 Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde: non est factum tale opus in universis regnis.

21 Sed & omnia vasa, quibus potabat rex Salomon, erant aurea: & universa supellex domus saltus Libani de auro purissimo: non erat argentum, nec alicujus pretij putabatur in diebus Salomonis,

D 22 Quia classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & simias, & pavos.

23 Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ, divitiis, & sapientia.

24 Et universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus.

25 Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea & aurea, vestes & arma bellica, aromata quoque, & equos & mulos, per annos singulos.

*1.Par. 1.d.14. 26 * Congregavítque Salomon currus & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & dispósuit eos per civitates munitas, & cum rege in Jerusalem.

27 Fecítque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum: & cedrorum præbuit multitudinem, quasi sycomoros quæ nascuntur in campestribus.

28 Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa. Negotiatores enim regis emebant de Coa, & statuto pretio perducebant.

29 Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum & Syriæ equos venumdabant.

CAPUT XI.

Salomon plurimis jungitur mulieribus alienigenis, & ab ipsis infatuatus ad ipsarum idola convertitur: in quem iratus Dominus, suscitat ei adversarios Adad, Razon, & Jeroboam; cui per prophetam Ahiam promittit regnum Israël, servata una tribu Salomonis filio moritur Salomon post quadraginta regni annos, cui succedit filius Roboam.

A 1 REx autem Salomon * adamavit mulieres
* Deut. 17.d.17. Eccl. 47. c.21. alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hethæas:

2 De gentibus super quibus dixit Dominus filiis Israël: * Non ingrediemini ad eas, neque de
* Exod. 34.b.16. illis ingredientur ad vestras: certissimè enim avertent corda vestra ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore.

3 Fuerúntque ei uxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ: & averterunt mulieres cor ejus.

4 Cúmque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus.

5 Sed colebat Salomon Astarthen deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum.

6 Fecítque Salomon quod non placuerat coram B
Domino, & non adimplevit ut sequeretur Dominum, sicut David pater ejus.

7 Tunc ædificavit Salomon fanum, Chamos idolo Moab, in monte qui est contra Jerusalem, & Moloch idolo filiorum Ammon.

8 Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant diis suis.

9 Igitur iratus est Dominus Salomoni, quòd
* Sup.9. a.1. aversa esset mens ejus à Domino Deo Israël, qui * apparuerat ei secundò,

10 Et præceperat de verbo hoc ne sequeretur deos alienos, & non custodivit quæ mandavit ei Dominus.

11 Dixit itaque Dominus Salomoni: quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandavi tibi, dirumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo.

12 * Verumtamen in diebus tuis non faciam, *Inf.12, d.15. propter David patrem tuum: de manu filij tui scindam illud, C

13 Nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo, propter David servum meum, & Jerusalem quam elegi.

14 Suscitavit autem Dominus adversarium Salomoni, Adad Idumæum de semine regio, qui erat in Edom.

15 * Cùm enim esset David in Idumæa, & *2.Reg. 8.d.14. ascendisset Joab princeps militiæ ad sepeliendum eos qui fuerant interfecti, & occidisset omne masculinum in Idumæa

16 (Sex enim mensibus ibi moratus est Joab, & omnis Israël, donec interimeret omne masculinum in Idumæa)

17 Fugit Adad ipse, & viri Idumæi de servis patris ejus cum eo, ut ingrederetur Ægyptum: erat autem Adad puer parvulus.

18 Cúmque surrexissent de Madian, venerunt in Pharan, tulerúntque secum viros de Pharan, & introierunt Ægyptum ad Pharaonem regem Ægypti: qui dedit ei domum, & cibos constituit, & terram delegavit.

19 Et invenit Adad gratiam coram Pharaone valdè, in tantum ut daret ei uxorem, sororem uxoris suæ germanam Taphnes reginæ. D

20 Genuítque ei soror Taphnes Genubath filium, & nutrivit eum Taphnes in domo Pharaonis: erátque Genubath habitans apud Pharaonem cum filiis ejus.

21 Cúmque audisset Adad in Ægypto, dormisse David cum patribus suis, & mortuum esse Joab principem militiæ, dixit Pharaoni: Dimitte me, ut vadam in terram meam.

22 Dixítque ei Pharao: Qua enim re apud me indiges: ut quæras ire ad terram tuam? At ille respondit: Nulla: sed obsecro te ut dimittas me.

23 Suscitavit quoque ei Deus adversarium Razon

zon filium Eliada, qui fugerat Adarezer regem Soba dominum suum:

E 24 Et congregavit contra eum viros, & factus est princeps latronum cùm interficeret eos David: abierúntque Damascum, & habitaverunt ibi, & constituerunt eum regem in Damasco,

25 Erátque adversarius Israëli cunctis diebus Salomonis: & hoc est malum Adad, & odium contra Israël, regnavítque in Syria.

*2.Par. 13.a.6. 26 * Jeroboam quoque filius Nabath, Ephrathæus, de Sareda, servus Salomonis, cujus mater erat nomine Sarva, mulier vidua: levavit manum contra regem.

27 Et hæc est causa rebellionis adversus eum, quia Salomon ædificavit Mello, & coæquavit voraginem civitatis David patris sui.

28 Erat autem Jeroboam vir fortis & potens: vidénsque Salomon adolescentem bonæ indolis & industrium, constituerat eum præfectum super tributa universæ domus Joseph.

*2.Par. 10.d.15. 29 * Factum est igitur in tempore illo, ut Jeroboam egrederetur de Jerusalem, & inveniret eum Ahias Silonites propheta in via opertus pallio novo: erant autem duo tantùm in agro.

30 Apprehendénsque Ahias pallium suum novũ, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes.

F 31 Et ait ad Jeroboam: Tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.

32 Porrò una tribus remanebit ei, propter servum meum David, & Jerusalem civitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israël:

33 Eò quòd dereliquerit me, & adoraverit Astarthen deam Sidoniorum, & Chamos deum Moab, & Moloch deum filiorum Ammon: & non ambulaverit in viis meis, ut faceret justitiam coram me, & præcepta mea, & judicia sicut David pater ejus.

34 Nec auferam omne regnum de manu ejus, sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ: propter David servum meum, quem elegi, qui custodivit mandata mea & præcepta mea.

35 Auferam autem regnum de manu filij ejus, & dabo tibi decem tribus:

36 Filio autem ejus dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me in Jerusalem civitate, quam elegi ut esset nomen meum ibi.

G 37 Te autem assumam, & regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erísque rex super Israël.

38 Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea & præcepta mea, sicut fecit David servus meus: ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi David domũ, & tradam tibi Israël:

39 Et affligam semen David super hoc, verumtamen non cunctis diebus.

40 Voluit ergo Salomon interficere Jeroboam: qui surrexit, & aufugit in Ægyptum ad Sesac regem Ægypti, & fuit in Ægypto usque ad mortem Salomonis.

41 Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia quæ fecit, & sapientia ejus: ecce universa scripta sunt in Libro verborum dierum Salomonis.

42 Dies autem, quos regnavit Salomon in Jerusalem super omnẽ Israël, quadraginta anni sunt.

43 Dormivítque Salomon cum patribus suis, & sepultus est in Civitate David patris sui, regnavítque Roboam filius ejus pro eo.

CAPUT XII.

Roboam juvenum secutus consilium patitur regni divisionem, & Jeroboam rex super decem tribus constituitur, exercitum quoque Roboam adversus Jeroboam Dominus per Semeiam prophetam dissipat. Jeroboam verò aureos erexit vitulos adorandos, constitutis sollemnitate, altari, ac sacerdotibus.

1 VEnit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Israël ad constituendum eum regem. A
2 Par. 10.a.1.

2 At verò Jeroboam filius Nabat, cùm adhuc esset in Ægypto profugus à facie regis Salomonis, audita morte ejus, reversus est de Ægypto.

3 Miserúntque & vocaverunt eum: venit ergo Jeroboam, & omnis multitudo Israël, & locuti sunt ad Roboam, dicentes:

4 Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de jugo gravissimo quod imposuit nobis, & serviemus tibi.

5 Qui ait eis: Ite usque ad tertium diem, & revertimini ad me. Cúmque abiisset populus,

6 Iniit consilium rex Roboam cum senioribus, B
qui assistebant coram Salomone patre ejus cùm adhuc viveret, & ait: Quod datis mihi consilium, ut respondeam populo huic?

7 Qui dixerunt ei: Si hodie obedieris populo huic, & servieris, & petitioni eorum cesseris, locutúsque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus.

8 Qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, & adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi,

9 Dixítque ad eos: Quod mihi datis consilium, ut respondeam populo huic, qui dixerunt mihi: Levius fac jugum quod imposuit pater tuus super nos?

10 Et dixerunt ei juvenes qui nutriti fuerant C
cum eo: Sic loquêris populo huic qui locuti sunt ad te, dicentes: Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu releva nos. Sic loquêris ad eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei.

11 Et nunc pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum: pater meus cæcîdit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.

12 Venit ergo Jeroboam, & omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat rex, dicens: Revertimini ad me die tertia.

13 Respondítque rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant,

14 Et locutus est eis secundùm consilium juvenum, dicens: Pater meus aggravavit jugum vestrum: ego autem addam jugo vestro: pater meus cæcîdit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. D

15 Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

15 Et non acquievit rex populo: quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum, *quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ, ad Jeroboam filium Nabat. *Sup. 11. f. 31.

16 Videns itaque populus quòd noluisset eos audire rex, respondit ei, dicens: Quæ nobis pars in David? vel quæ hereditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua Israël, nunc vide domum tuam David. Et abiit Israël in tabernacula sua.

17 Super filios autem Israël, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam.

18 Misit ergo rex Roboam Aduram, qui erat super tributa: & lapidavit eum omnis Israël, & mortuus est. Porrò rex Roboam festinus ascendit currum, & fugit in Jerusalem: E

19 Recessitque Israël à domo David, usque in præsentem diem.

20 Factum est autem cùm audisset omnis Israël, quòd reversus esset Jeroboam, miserunt, & vocaverunt eum congregato cœtu, & constituerunt eum regem super omnem Israël, nec secutus est quisquam domum David præter tribum Juda solam.

21 Venit autem Roboam Jerusalem, & congregavit universam domum Juda, & tribum Benjamin, centum octoginta millia electorum virorum bellatorum, ut pugnarent contra domum Israël, & reducerent regnum Roboam filio Salomonis.

*2. Par. 11. a. 2. F 22 *Factus est autem sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens:

23 Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, & ad omnem domum Juda, & Benjamin, & reliquos de populo, dicens:

24 Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israël: revertatur vir in domum suam, à me enim factũ est verbum hoc. Audierunt sermonem Domini, & reversi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus.

25 Ædificavit autem Jeroboam Sichem in monte Ephraim, & habitavit ibi: & egressus inde ædificavit Phanuel.

26 Dixitque Jeroboam in corde suo: Nunc revertetur regnum ad domum David,

27 Si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem: & convertetur cor populi hujus ad dominum suum, Roboam regem Juda, interficiéntque me, & revertentur ad eum.

*Tob. 1. a. 5. *Exod. 32. b. 8. G 28 *Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: nolite ultrà ascendere in Jerusalem: *Ecce dij tui Israël, qui te eduxerunt de Terra Ægypti.

29 Posuitque unum in Bethel, & alterum in Dan:

30 Et factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan.

*2. Par. 13. c. 15. 31 Et fecit fana in excelsis, & *sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi.

32 Constituítque diem sollemnem in mense octavo, quintadecima die mensis, in similitudinem sollemnitatis, quæ celebrabatur in Juda. Et ascendens altare, similiter fecit in Bethel, ut immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat: constituítque in Bethel sacerdotes excelsorum, quæ fecerat.

33 Et ascendit super altare quod extruxerat in Bethel, quintadecima die mensis octavi, quem finxerat de corde suo: & fecit sollemnitatem filiis Israël, & ascendit super altare, ut adoleret incensum.

Caput XIII.

Missus propheta de Iuda ad Ieroboam, de altaris subversione & nativitate Iosiæ regis prophetat: quo orante, manus Ieroboam quæ exaruerat, sanitati restituitur; rediens autem propheta, à leone occiditur, quòd Dei verbo inobediens fuisset; & Ieroboam suam auget impietatem.

1 ET ecce vir Dei venit de Juda in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante super altare, & thus jaciente. A

2 Et exclamavit contra altare in sermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: *Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet. *4. Reg. 23. d. 16.

3 Deditque in illa die signum, dicens: Hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, & effundetur cinis qui in eo est.

4 Cumque audisset rex sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad se.

5 Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de altari, juxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini. B

6 Et ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravítque vir Dei faciem Domini, & reversa est manus regis ad eum, & facta est sicut priùs fuerat.

7 Locutus est autem rex ad virum Dei: Veni mecum domum ut prandeas, & dabo tibi munera.

8 Respondítque vir Dei ad regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto:

9 Sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec revertêris per viam qua venisti. C

10 Abiit ergo per aliam viam, & non est reversus per iter, quo venerat in Bethel.

11 Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filij sui, & narraverunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel: & verba quæ locutus fuerat ad regem, narraverunt patri suo.

12 Et dixit eis pater eorum: Per quam viam abiit? Ostenderunt ei filij sui viam, per quam abierat vir Dei, qui venerat de Juda.

13 Et ait filiis suis: Sternite mihi asinum. Qui cùm stravissent, ascendit,

14 Et abiit post virum Dei, & invenit eum sedentem subtus terebinthum: & ait illi: Túne es vir Dei qui venisti de Juda? Respondit ille: Ego sum.

15 Dixítque ad eum: Veni mecum domum, ut comedas panem. D

16 Qui ait: Non possum reverti, neque venire tecum,

tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto:

17 Quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini, dicens: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, nec revertêris per viam qua ieris.

18 Qui ait illi: Et ego propheta sum similis tui: & angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam ut comedat panem, & bibat aquam. Fefellit eum,

19 Et reduxit secum: comedit ergo panem in domo ejus, & bibit aquam.

20 Cúmque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum. E

21 Et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de Juda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus,

22 Et reversus es, & comedisti panem, & bibisti aquam, in loco in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in sepulchrum patrum tuorum.

23 Cúmque comedisset & bibisset, stravit asinum suum prophetæ, quem reduxerat.

24 Qui cùm abiisset, invenit eum leo in via, & occidit, & erat cadaver ejus projectum in itinere: asinus autem stabat juxta illum, & leo stabat juxta cadaver.

25 Et ecce, viri transeuntes viderunt cadaver projectum in via, & leonem stantem juxta cadaver. Et venerunt & divulgaverunt in civitate, in qua prophetes ille senex habitabat.

26 Quod cùm audisset propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit juxta verbum Domini, quod locutus est ei. F

27 Dixítque ad filios suos: Sternite mihi asinum, Qui cùm stravissent,

28 Et ille abiisset, invenit cadaver ejus projectum in via, & asinum & leonem stantes juxta cadaver: non comedit leo de cadavere, nec læsit asinum.

29 Tulit ergo prophetes cadaver viri Dei, & posuit illud super asinum, & reversus intulit in civitatem prophetæ senis ut plangeret eum.

30 Et posuit cadaver ejus in sepulchro suo: & planxerunt eum: Heu heu mi frater.

31 Cúmque planxissent eum, dixit ad filios suos: Cùm mortuus fuero, sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est: juxta ossa ejus ponite ossa mea. G

32 Profectò enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra altare quod est in Bethel, & contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in urbibus Samariæ.

33 Post verba hæc non est reversus Jeroboam de via sua pessima, sed è contrario fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum: quicumque volebat implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum.

34 Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, & eversa est, & deleta de superficie terræ.

Caput XIV.

Ahias propheta ab uxore Ieroboam super filio Abia ægrotante interrogatus, prædicit filium moriturum, & domum Ieroboam penitus evertendam; quo mortuo, succedit filius Nadab: rex autem Ægypti diripit domum Domini in Ierusalem; & mortuo Roboam, succedit filius Abia.

1 IN tempore illo, ægrotavit Abia filius Jeroboã. A

2 Dixítque Jeroboam uxori suæ: Surge, & commuta habitum, ne cognoscaris quòd sis uxor Jeroboam: & vade in Silo, ubi est Ahias propheta, *qui locutus est mihi, quòd regnaturus essem super populum hunc. *Sup. 11. f. 31.

3 Tolle quoque in manu tua decem panes, & crustulam, & vas mellis, & vade ad illum: ipse enim indicabit tibi quid eventurum sit puero huic.

4 Fecit ut dixerat, uxor Jeroboam: & consurgens abiit in Silo, & venit in domum Ahiæ: at ille non poterat videre, quia caligaverant oculi ejus præ senectute.

5 Dixit autem Dominus ad Ahiam: Ecce uxor Jeroboam ingreditur ut consulat te super filio suo qui ægrotat hæc & hæc loquêris ei. Cùm ergo illa intraret, & dissimularet se esse quæ erat, B

6 Audivit Ahias sonitum pedum ejus introeuntis per ostium, & ait: Ingredere uxor Jeroboam: quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius.

7 Vade, & dic Jeroboam: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Quia exaltavi te de medio populi, & dedi te ducem super populum meum Israël:

8 Et scidi regnum domus David, & dedi illud tibi, & non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo: C

9 Sed operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, & fecisti tibi deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projecisti post corpus tuum:

10 Idcircò ecce ego inducam mala super domum Jeroboam, & *percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, & clausum, & novissimum in Israël: & mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum. *Infr. 15. f. 29.

11 Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cæli: quia Dominus locutus est.

12 Tu igitur surge, & vade in domum tuam: & in ipso introitu pedum tuorum in urbem, morietur puer,

13 Et plangent eum omnis Israël, & sepelient: iste enim solus inferetur de Jeroboam in sepulchrum, quia inventus est super eo sermo bonus à Domino Deo Israël, in domo Jeroboam. D

14 Constituit autem sibi Dominus regem super Israël, qui percutiet domum Jeroboam in hac die, & in hoc tempore:

15 Et percutiet Dominus Deus Israël, sicut moveri solet arundo in aqua: & evellet Israël de terra bona hac quam dedit patribus eorum: & ventilabit eos trans Flumen: quia fecerunt sibi lucos, ut irritarent Dominum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

16 Et tradet Dominus Israël propter peccata Jeroboam, qui peccavit, & peccare fecit Israël.

17 Surrexit itaque uxor Jeroboam, & abiit, & venit in Thersa: cúmque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est,

18 Et sepelierunt eum. Et planxit eum omnis Israël juxta sermonem Domini, quem locutus est in manu servi sui Ahiæ prophetæ.

19 Reliqua autem verborum Jeroboam, quomodo pugnaverit, & quomodo regnaverit, ecce scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israël.

20 Dies autem, quibus regnavit Jeroboam, viginti duo anni sunt: & dormivit cum patribus suis: regnavítque Nadab filius ejus pro eo.

*2. Par. 12.d.13. 21 * Porrò Roboam filius Salomonis regnavit in Juda. Quadraginta & unius anni erat Roboam, cùm regnare cœpisset: decem & septem annos regnavit in Jerusalem civitate, quam elegit Dominus ut poneret nomen suum ibi, ex omnibus tribubus Israël. Nomen autem matris ejus Naama Ammanitis.

22 Et fecit Judas malum coram Domino, & irritaverunt eum super omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis suis quæ peccaverunt.

23 Ædificaverunt enim & ipsi sibi aras, & statuas, & lucos, super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam:

24 Sed & effeminati fuerunt in terra, fecerúntque omnes abominationes gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israël.

25 In quinto autem anno regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Jerusalem,

26 Et tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios, & universa diripuit: scuta quoque aurea, quæ * fecerat Salomon:

*Sup. 10. c. 16.

27 Pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea, & tradidit ea in manum ducum scutariorum, & eorum qui excubabant ante ostium domus regis.

28 Cúmque ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea qui præeundi habebant officium: & posteà repottabant ad armamentarium scutariorum.

29 Reliqua autem sermonum Roboam, & omnia quæ fecit, ecce scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda.

30 Fuítque bellum inter Roboam & Jeroboam cunctis diebus.

31 Dormivítque Roboam cum patribus suis, & sepultus est cum eis in civitate David: nomen autem matris ejus Naama Ammanitis: & regnavit Abiam filius ejus pro eo.

Caput XV.

Impio Abia regi Iudæ succedit pius filius Asa, qui adversus Basan regem Israël præliatur, impetrato à Benadad rege Syriæ auxilio. Asa morienti succedit filius Iosaphat: at Baasa Nadab filium Ieroboam cum universa cognatione occidit, & pro eo regnat super Israël viginti quattuor annis, impius post impium.

2 IGitur in octavo decimo anno regni Jeroboam filij Nabat, regnavit Abiam super Judam.

*2. Par. 13.a.2. 2 Tribus annis regnavit in Jerusalem: * nomen matris ejus Maacha filia Abessalom.

3 Ambulavítque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum: nec erat cor ejus perfectum eum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus.

4 Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Jerusalem, ut suscitaret filium ejus post eum, & statueret Jerusalem:

5 Eò quòd fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, * excepto sermone Uriæ Hethæi.

*2. Reg. 11,a.4.

6 Attamen bellum fuit inter Roboam & Jeroboam, omni tempore vitæ ejus.

7 Reliqua autem sermonum Abiam, & omnia quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Juda? Fuítque * prælium inter Abiam & inter Jeroboam.

*2. Par. 13.a 3.

8 Et dormivit Abiam cum patribus suis, & sepelierunt eum in civitate David: * regnavítque Asa filius ejus pro eo.

*2. Par. 14.a.1.

9 In anno ergo vigesimo Jeroboam regis Israël regnavit Asa rex Juda,

10 Et quadraginta & uno anno regnavit in Jerusalẽ. Nomen matris ejus Maacha, filia Abessalom.

11 Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus:

12 Et abstulit effeminatos de terra, purgavítque universas sordes idolorũ, quæ fecerant patres ejus.

13 Insuper & Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco ejus, quem consecraverat: subvertítque specum ejus, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in Torrente Cedron:

14 Excelsa autem non abstulit. Verumtamen cor Asa perfectũ erat cum Domino cunctis diebus suis:

15 Et intulit ea, quæ sanctificaverat pater suus, & voverat, in domum Domini, argentum & aurum, & vasa.

16 Bellum autem erat inter Asa, & Baasa regem Israël, cunctis diebus eorum.

17 * Ascendit quoque Baasa rex Israël in Judam, & ædificavit Rama, ut non posset quispiam egredi vel ingredi de parte Asa regis Juda.

*2. Par. 16, a.1.

18 Tollens itaque Asa omne argentum & aurum, quod remanserat in thesauris domus Domini, & in thesauris domus regiæ, dedit illud in manus servorum suorum: & misit ad Benadad filium Tabremon filij Hesion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens:

19 Fœdus est inter me & te, & inter patrem meum & patrem tuum: ideò misi tibi munera, argentum & aurum: & peto ut venias, & irritum facias fœdus, quod habes cum Baasa rege Israël, & recedat à me.

20 Acquiescens Benadad regi Asa, misit principes exercitus sui in civitates Israël, & percusserunt Ahion, & Dan, & Abeldomum Maacha, & universam Cenneroth, omnem scilicet Terram Nephthali.

21 Quod cùm audisset Baasa, intermisit ædificare Rama, & reversus est in Thersa.

22 Rex autem Asa nuntium misit in omnem Judam, dicens: Nemo sit excusatus. Et tulerunt lapides de Rama, & ligna ejus, quibus ædificaverat Baasa, & extruxit de eis rex Asa Gabaa Benjamin, & Maspha.

23 Reliqua

23 Reliqua autem omnium sermonum Asa, & universæ fortitudines ejus, & cuncta quæ fecit, & civitates quas extruxit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? Verumtamen in tempore senectutis suæ doluit pedes.

2. Par. 17.a.1. 24 Et dormivit cum patribus suis, & sepultus est cum eis in Civitate David patris sui. Regnavítque Josaphat filius ejus pro eo.

25 Nadab verò filius Jeroboam regnavit super Israël anno secundo Asa regis Juda: regnavítque super Israël duobus annis.

26 Et fecit quod malum est in conspectu Domini, & ambulavit in viis patris sui, & in peccatis ejus, quibus peccare fecit Israël.

27 Insidiatus est autem ei Baasa filius Ahiæ de domo Issachar, & percussit eum in Gebbethon, quæ est urbs Philisthinorum: siquidem Nadab & omnis Israël obsidebant Gebbethon.

28 Interfecit ergo illum Baasa in anno tertio Asa regis Juda, & regnavit pro eo.

*Inf. 21. f. 22.

29 Cúmque regnasset, * percussit omnem domum Jeroboam: non dimisit ne unam quidem animam de semine ejus, donec deleret eum, juxta verbum Domini, * quod locutus fuerat in manu servi sui Ahiæ Silonitis;

*Sup. 14. c. 10.

30 Propter peccata Jeroboam, quæ peccaverat, & quibus peccare fecerat Israël: & propter delictum, quo irritaverat Dominum Deum Israël.

31 Reliqua autem sermonum Nadab, & omnia quæ operatus est, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israël?

32 Fuítque bellum inter Asa, & Baasa regem Israël, cunctis diebus eorum.

33 Anno tertio Asa regis Juda, regnavit Baasa filius Ahiæ, super omnem Israël, in Thersa, viginti quattuor annis.

34 Et fecit malum coram Domino, ambulavítque in via Jeroboam, & in peccatis ejus, quibus peccare fecit Israël.

Caput XVI.

Iehu prophetat regis Baasa & domus ipsius subversionem; cui mortuo succedit filius Ela, quem impius Zambri occidit, eóque regnum invadente elegit Israël Amri; quo impio regnum obtinente, Zambri se cum domo regia succendit: mortuo autem Amri succedit filius impiissimus Achab, qui Iezabel duxit uxorem, & ejus tempore reædificatur Jericho.

1 FActus est autem sermo Domini ad Jehu filium Hanani contra Baasa, dicens:

2 Pro eo quòd exaltavi te de pulvere, & posui te ducem super populum meum Israël, tu autem ambulasti in via Jeroboam, & peccare fecisti populum meum Israël, ut me irritares in peccatis eorum:

3 Ecce ego demetam posteriora Baasa, & posteriora domus ejus: & faciam domum tuam sicut domum Jeroboam filij Nabat.

*Sup. 14. c. 11.

4 * Qui mortuus fuerit de Baasa in civitate, comedent eum canes: & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cæli.

*1. Par. 16.a.2.

5 * Reliqua autem sermonum Baasa, & quæcumque fecit, & prælia ejus, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israël?

6 Dormivit ergo Baasa cum patribus suis, sepultúsque est in Thersa: & regnavit Ela filius ejus pro eo.

7 Cùm autẽ in manu Jehu filij Hanani prophetæ verbum Domini factum esset contra Baasa, & contra domum ejus: & contra omne malum, quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, ut fieret sicut domus Jeroboam: ob hanc causam occidit eum, hoc est, Jehu filium Hanani, prophetam.

8 Anno vigesimo sexto Asa regis Juda, regnavit Ela filius Baasa super Israël in Thersa duobus annis.

9 Et rebellavit contra eum servus suus Zambri, dux mediæ partis equitum: erat autem Ela in Thersa bibens & temulentus, in domo Arsa præfecti Thersa.

10 * Irruens ergo Zambri, percussit & occidit eum anno vigesimo septimo Asa regis Juda, & regnavit pro eo.

*4. Reg. 9.f. 31.

11 Cúmque regnasset, & sedisset super solium ejus, percussit omnem domum Baasa, & non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, & propinquos & amicos ejus.

12 Delevítque Zambri omnem domum Baasa, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baasa in manu Jehu prophetæ,

13 Propter universa peccata Baasa, & peccata Ela filij ejus, qui peccaverunt, & peccare fecerunt Israël, provocantes Dominum Deum Israël in vanitatibus suis.

14 Reliqua autem sermonum Ela, & omnia quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israël?

15 Anno vigesimo septimo Asa regis Juda, regnavit Zambri septẽ diebus in Thersa: porrò exercitus obsidebat Gebbethon urbem Philisthinorũ.

16 Cúmque audisset rebellasse Zambri, & occidisse regem, fecit sibi regem omnis Israël Amri, qui erat princeps militiæ super Israël in die illa in castris.

17 Ascendit ergo Amri, & omnis Israël cum eo, de Gebbethon, & obsidebant Thersa.

18 Videns autem Zambri quòd expugnanda esset civitas, ingressus est palatium, & succendit se cum domo regia: & mortuus est

19 In peccatis suis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino, & ambulans in via Jeroboam, & in peccato ejus, quo fecit peccare Israël.

20 Reliqua autem sermonum Zambri, & insidiarum ejus, & tyrannidis, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israël?

21 Tunc divisus est populus Israël in duas partes: media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, ut constitueret eum regem: & media pars Amri.

22 Prævaluit autem populus qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth: mortuúsque est Thebni, & regnavit Amri.

23 Anno trigesimo primo Asa regis Juda, regnavit Amri super Israël, duodecim annis: in Thersa regnavit sex annis.

24 Emítque montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti: & ædificavit eum, & vocavit nomen civitatis, quam extruxerat, nomine Somer domini montis, Samariam.

25 Fecit autem Amri malum in conspectu Domini,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ni,& operatus est nequiter, super omnes qui fuerunt ante eum.

26 Ambulavítque in omni via Jeroboam filij Nabat, & in peccatis ejus quibus peccare fecerat Israël: ut irritaret Dominum Deum Israël in vanitatibus suis.

27 Reliqua autem sermonum Amri, & prælia ejus quæ gessit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israël?

28 Dormivítque Amri cum patribus suis,& sepultus est in Samaria: regnavítque Achab filius ejus pro eo.

29 Achab verò filius Amri regnavit super Israël anno trigesimo octavo Asa regis Juda. Et regnavit Achab filius Amri super Israël in Samaria viginti & duobus annis.

G 30 Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerunt ante eum.

31 Nec sufficit ei ut ambularet in peccatis Jeroboam filij Nabat: insuper duxit uxorem jezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum. Et abiit, & servivit Baal, & adoravit eum.

32 Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria,

33 Et plantavit lucum: & addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israël, super omnes reges Israël qui fuerunt ante eum.

Ios.6.d.26. 34 In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel, Jericho: in Abiram primitivo suo fundavit eam, & in Segub novissimo suo posuit portas ejus: juxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Josue filij Nun.

Caput XVII.

Elias cælum triennio claudit, primúmque pascitur à corvis, deinde à muliere Sarephtana, cujus hydria farinæ & lecythus olei non minuuntur; filius autem ipsius oratione Eliæ resuscitatur.

A 1 ET dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.

Eccli. 48.a.1. Iac.5.d.17.

2 Et factum est verbum Domini ad eum, dicens:

3 Recede hinc,& vade contra Orientem,& absconde in Torrente carith, qui est contra Jordanem,

4 Et ibi de torrente bibes: corvísque præcepi ut pascant te ibi.

5 Abiit ergo,& fecit juxta verbum Domini: cúmque abiisset, sedit in Torrente carith, qui est contra Jordanem.

6 Corvi quoque deferebant ei panem & carnes manè, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente.

7 Post dies autem siccatus est torrens: non enim pluerat super terram.

8 Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens:

9 Surge,& vade in Sarephta Sidoniorum,& manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te.

B *Luc.4.d.26. 10 * Surrexit,& abiit in Sarephta. Cúmque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocavit eam, dixítque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam

11 Cúmque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, & buccellam panis in manu tua.

12 Quæ respondit: Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur.

13 Ad quam Elias ait: Noli timere, sed vade, & C fac sicut dixisti: verumtamen mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies posteà.

14 Hæc autem dicit Dominus Deus Israël: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.

15 Quæ abiit,& fecit juxta verbum Eliæ: & comedit ipse,& illa, & domus ejus: & ex illa die

16 Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ.

17 Factum est autem post hæc, ægrotavit filius mulieris matris familias,& erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus.

18 Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi & tibi vir D Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?

19 Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulítque eum de sinu ejus,& portavit in cœnaculum ubi ipse manebat,& posuit super lectulum suum.

20 Et clamavit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, etiámne viduam, apud quam ego utcumq; sustentor, afflixisti ut interficeres filiam ejus?

21 Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, revertatur obsecro anima pueri hujus in viscera ejus.

22 Et exaudivit Dominus vocem Eliæ: & reversa est anima pueri intra eum, & revixit.

23 Tulítque Elias puerum, & deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri suæ,& ait illi: En vivit filius tuus.

24 Dixítque mulier ad Eliam: Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.

Caput XVIII.

Increscente fame, Elias Abdiæ herbam pecoribus quærenti occurrit; cui agrè persuadet ut nuntiet Achab se adesse, qui occurrens Eliæ ab ipso corripitur: Dei zelo Elias 850. pseudoprophetas occidi jubet, dato de cælo igne ad consummationem holocausti, & pluviam à Deo impetrat. A

1 POst dies multos factum est verbum Domini ad Eliam, in anno tertio dicens: Vade, & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ.

2 Ivit ergo Elias, ut ostenderet se Achab: erat autem fames vehemens in Samaria.

3 Vocavítque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ: Abdias autem timebat Dñm valdè.

4 Nam cùm interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, & abscondit eos quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & pavit eos pane & aqua.

5 Dixit

5 Dixit ergo Achab ad Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquarum, & in cunctas valles, si fortè possimus invenire herbam,& salvare equos & mulos, & non penitus jumenta intereant.

6 Divisérúntque sibi regiones, ut circuirent B eas; Achab ibat per viam unam, & Abdias per viam alteram seorsum.

7 Cúmque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cùm cognovisset eum, cecidit super faciem suam,& ait: Num tu es, domine mi, Elias?

8 Cui ille respondit: Ego. Vade, & dic domino tuo: Adest Elias.

9 Et ille, Quid peccavi, inquit: quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat me?

10 Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens, aut regnum, quò non miserit dominus meus te requirens: & respondentibus cunctis: Non est hîc: adjuravit regna singula & gentes, eò quòd minimè reperireris.

11 Et nunc tu dicis mihi: Vade, & dic domino tuo: Adest Elias.

12 Cúmque recessero à te, Spiritus Domini asportabit te, in locum quem ego ignoro: & ingressus nuntiabo Achab, & non inveniens te, interficiet me, servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua.

13 Numquid non indicatum est tibi domino C meo, quid fecerim cùm interficeret Jezabel prophetas Domini, quòd absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos, in speluncis, & paverim eos pane & aqua?

14 Et nunc tu dicis: Vade, & dic domino tuo: Adest Elias: ut interficiat me?

15 Et dixit Elias: Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto, quia hodie apparebo ei.

16 Abiit ergo Abdias in occursum Achab, & indicavit ei: venítque Achab in occursum Eliæ.

17 Et cùm vidisset eum, ait: Túne es ille, qui conturbas Israël?

18 Et ille ait: Non ego turbavi Israël, sed tu, & A domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini: & secuti estis Baalim.

19 Verumtamen nunc mitte, & congrega ad me universum Israël in monte Carmeli,& prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetásque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Jezabel.

20 Misit Achab ad omnes filios Israël, & congregavit prophetas in monte Carmeli.

21 Accedens autem Elias ad omnem populum, ait: Usquequò claudicatis in duas partes? si D Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum.

22 Et ait rursus Elias ad populum: Ego remansi propheta Domini solus: prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta viri sunt.

23 Dentur nobis duo boves, & illi eligant sibi bovem unum, & in frusta cædentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant & ego faciam bovem alterum, & imponam super ligna, ignem autem non supponam.

24 Invocate nomina deorum vestrorum, & ego invocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait: Optima propositio.

25 Dixit ergo Elias prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, & facite primi, quia vos plures E estis: & invocate nomina deorum vestrorum, ignémque non supponatis.

26 Qui cùm tulissent bovem, quem dederat eis, fecerunt: & invocabant nomen Baal de manè usque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet: transiliebántque altare quod fecerant.

27 Cúmque esset jam meridies, illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce majore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.

28 Clamabant ergo voce magna, & incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.

29 Postquam autem transiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes:

30 Dixit Elias omni populo: Venite ad me. Et accedente ad se populo, curavit altare Domini, quod destructum fuerat.

31 Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens:* Israël erit nomen tuum. *Gen. 32.f.28.

32 Et ædificavit de lapidibus altare in nomine F Domini: fecítque aquæductum, quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris,

33 Et composuit ligna: divisítque per membra bovem, & posuit super ligna,

34 Et ait: Implete quattuor hydrias aqua,& fundite super holocaustum, & super ligna. Rursúmque dixit: Etiam secundò hoc facite. Qui cùm fecissent secundò, ait: Etiam tertiò idipsum facite. Fecerúntque tertiò,

35 Et currebant aquæ circum altare, & fossa aquæductus repleta est.

36 Cúmque jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias propheta, ait: Domine Deus Abraham,& Isaac, & Israël, ostende hodie quia tu es Deus Israël,& ego servus tuus, & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.

37 Exaudi me Domine, exaudi me: ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus,& tu convertisti cor eorum iterùm.

38 Cecidit autem ignis Domini,& voravit holocaustum,& ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.

39 Quod cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.

40 Dixítque Elias ad eos: Apprehendite prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis. G Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad Torrentem Cilon, & interfecit eos ibi.

41 Et ait Elias ad Achab: Ascende, comede, & bibe: quia sonus multæ pluviæ est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

42 Ascendit Achab ut comederet & biberet: Elias autem ascendit in verticem Carmeli,& pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua.

43 Et dixit ad puerum suum: Ascende,& prospice contra mare.Qui cùm ascendisset,& contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursum ait illi: Revertere septem vicibus.

44 In septima autem vice, Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait: Ascende, & dic Achab: Junge currum tuum & descende, ne occupet te pluvia.

45 Cúmque se verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluvia grandis. Ascendens itaque Achab abiit in Jezrahel:

46 Et manus Domini facta est super Eliam,accinctíque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrahel.

Caput XIX.

Elias fugiens Iezabel in deserto, à somno excitatus, panem divinitus missum edit, aquámque bibit, & ita ad montem Horeb pervenit; ibique in spelunca quærens se solum Domini prophetam relictum, audit septem millia esse relicta: mittitúrque ad ungendum Hazael in regem Syriæ, Iehu in regem Israël, & Eliseum in prophetam.

1 NUntiavit autem Achab Jezabel omnia quæ fecerat Elias, & quomodo occidisset universos prophetas gladio.

2 Misítque Jezabel nuntium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis.

3 Timuit ergo Elias, & surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas: venítque in Bersabee Juda,& dimisit ibi puerum suum,

4 Et perrexit in desertum, viam unius diei. Cúmque venisset, & sederet subter unam juniperum, petivit animæ suæ ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quàm patres mei.

5 Projecítque se,& obdormivit in umbra juniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum,& dixit illi: Surge, & comede.

6 Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit,& rursum obdormivit.

7 Reversúsque est Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixítque illi: Surge, comede:grandis enim tibi restat via.

8 Qui cùm surrexisset, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.

9 Cúmque venisset illuc, mansit in spelunca: & ecce sermo Domini ad eum, dixítque illi: Quid hîc agis Elia?

10 At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum,quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam ut auferant eam.

11 Et ait: Egredere, & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus,

12 Et post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.

13 Quod cùm audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ,& ecce vox ad eum dicens: Quid hîc agis Elia? Et ille respondit.

14 Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: * quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël: altaria tua destruxerunt,prophetas tuos occiderunt gladio,derelictus sum ego solus,& quærunt animam meam ut auferant eam. *Rom. 11.a.3.

15 Et ait Dominus ad eum: Vade, & revertere in viam tuam per desertum in Damascum:cúmque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam,

16 * Et Jehu filium Namsi unges regem super Israël: Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeúla, unges prophetam pro te. *4.Reg. 9.a.2.

17 Et erit quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu: & quicumque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliseus.

18 *Et derelinquam mihi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os,quod non adoravit eum osculans manus. *Rom. 11.a.4.

19 Profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum filium Saphat, arantem in duodecim jugis boum, & ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat: cúmque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum.

20 Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, & ait: Osculer, oro, patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te. Dixítque ei: Vade, & revertere: quod enim meum erat, feci tibi.

21 Reversus autem ab eo, tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt:consurgénsque abiit, & secutus est Eliam, & ministrabat ei.

Caput XX.

Syri Samariam obsidentes caduntur à pueris principum provinciarum,rursúmque anno altero in campestribus cæduntur: rex autem Achab à propheta reprehenditur, quòd fœdus cum Benadad rege Syriæ inierit, illúmque vivum demiserit.

1 POrrò Benadad rex Syriæ congregavit omnem exercitum suum, & triginta duos reges secum, & equos, & currus: & ascendens pugnabat contra Samariam,& obsidebat eam.

2 Mitténsque nuntios ad Achab regem Israël in civitatem,

3 Ait: Hæc dicit Benadad: Argentum tuum, & aurum tuum meum est,& uxores tuæ, & filij tui optimi, mei sunt.

4 Respondítque rex Israël:Juxta verbum tuum, domine mi rex, tuus sum ego,& omnia mea.

5 Revertentésque nuntij, dixerunt: Hæc dicit Benadad, qui misit nos ad te: Argentum tuum, & aurum tuum, & uxores tuas, & filios tuos dabis mihi.

6 Cras igitur hac eadem hora mittam servos meos ad te, & scrutabuntur domum tuam, & domum servorum tuorum: & omne quod eis placuerit,

cuerit, ponent in manibus suis,& auferent.

7 Vocavit autem rex Israël omnes seniores terræ, & ait: Animadvertite, & videte, quoniam insidietur nobis.misit enim ad me pro uxoribus meis, & filiis,& pro argento & auro: & non abnui.

8 Dixerúntque omnes majores natu,& universus populus, ad eum: Non audias, neque acquiescas illi.

9 Respondit itaque nuntiis Benadad: Dicite domino meo regi: Omnia propter quæ misisti ad me servum tuum in initio,faciam:hanc autem rem facere non possum.

10 Reversíque nuntij retulerunt ei. Qui remisit, & ait: Hæc faciant mihi dij, & hæc addant,si sufficerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me.

11 Et respondens rex Israël, ait: Dicite ei: Ne glorietur accinctus æquè ut discinctus.

12 Factum est autem,cùm audisset Benadad verbum istud, bibebat ipse & reges in umbraculis,& ait servis suis: Circumdate civitatem. Et circumdederunt eam.

13 Et ecce propheta unus accedens ad Achab regem Israël, ait ei: Hæc dicit Dominus: Certè vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? ecce, ego tradam eam in manu tua hodie: ut scias,quia ego sum Dominus.

14 Et ait Achab: Per quem? Dixítque ei: Hæc dicit Dominus: Per pedisequos principum provinciarum. Et ait: Quis incipiet præliari? Et ille dixit: Tu.

15 Recensuit ergo pueros principum provinciarum, & reperit numerum ducentorum triginta duorum: & recensuit post eos populum,omnes filios Israël,septem millia:

16 Et egressi sunt meridie. Benadad autem bibébat temulentus in umbraculo suo, & reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium ejus venerant.

17 Egressi sunt autem pueri principum provinciarum in prima fronte.misit itaque Benadad.Qui nuntiaverunt ei, dicentes: Viri egressi sunt de Samaria.

18 Et ille ait: Sive pro pace veniunt,apprehendite eos vivos:sive ut prælientur, vivos eos capite.

19 Egressi sunt ergo pueri principum provinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur:

20 Et percussit unusquisque virum, qui contra se veniebat: fugerúntque Syri, & persecutus est eos Israël. Fugit quoque Benadad Rex Syriæ in equo cum equitibus suis.

21 Necnon egressus rex Israël percussit equos & currus, & percussit Syriam plaga magna.

22 (Accedens autem propheta ad regem Israël, dixit ei: Vade, & confortare,& scito, & vide quid facias: sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te.)

23 Servi verò regis Syriæ dixerunt ei:Dij montium sunt dij eorum, ideò superaverunt nos: sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos.

24 Tu ergo verbum hoc fac: Amove reges singulos ab exercitu tuo, & pone principes pro eis;

25 Et instaura numerum militum qui ceciderunt de tuis, & equos secundùm equos pristinos, & currus secundùm currus quos ante habuisti: & pugnabimus contra eos in campestribus, & videbis quòd obtinebimus eos. Credidit consilio eorum, & fecit ita.

26 Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad Syros, & ascendit in Aphec, ut pugnaret contra Israël.

27 Porrò filij Israël recensiti sunt, & acceptis cibariis profecti ex adverso, castráque metati sunt contra eos, quasi duo parvi greges caprarum: Syri autem repleverunt terram.

28 (Et accedens unus vir Dei, dixit ad regem Israël:Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium: dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & scietis quia ego sum Dominus.)

29 Dirigebántque septem diebus ex adverso hi atque illi acies, septima autem die commissum est bellum: percusserúntque filij Israël de Syris centum millia peditum in die una.

30 Fugerunt autem qui remanserant in Aphec, in civitatem: & cecidit murus super viginti septem millia hominum qui remanserant.Porrò Benadad fugiens ingressus est civitatem, in cubiculum quod erat intra cubiculum.

31 Dixerúntque ei servi sui: Ecce, audivimus quòd reges domus Israël clementes sint: ponamus itaque saccos in lumbis nostris,& funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad regem Israël:forsitan salvabit animas nostras.

32 Accinxerunt saccis lumbos suos,& posuerunt funiculos in capitibus suis,venerúntque ad regem Israël, & dixerunt ei: Servus tuus Benadad dicit: Vivat, oro te, anima mea. Et ille ait: Si adhuc vivit, frater meus est.

33 Quod acceperunt viri pro omine: & festinantes rapuerunt verbum ex ore ejus,atque dixerunt: Frater tuus Benadad. Et dixit eis: Ite, & adducite eum ad me. Egressus est ergo ad eum Benadad, & levavit eum in currum suum.

34 Qui dixit ei:Civitates, quas tulit pater meus à patre tuo,reddam:& plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria,& ego fœderatus recedam à te. Pepigit ergo fœdus, & dimisit eum.

35 Tunc vir quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere.

36 Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cúmque paululum recessisset ab eo, invenit eum leo, atque percussit.

37 Sed & alterum inveniens virum, dixit ad eum: Percute me. Qui percussit eum, & vulneravit.

38 Abiit ergo propheta, & occurrit regi in via, & mutavit aspersione pulveris os & oculos suos.

39 Cúmque rex transisset, clamavit ad regem, & ait: Servus tuus egressus est ad præliandum cominus: cúmque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, & ait: Custodi virum istum: qui si lapsus fuerit,erit anima tua pro anima ejus, aut talentum argenti appendes.

40 Dum autem ego turbatus huc illúcque me verterem, subitò non comparuit. Et ait rex Israël

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad eum: Hoc est judicium tuum, quod ipse decrevisti.

41 At ille statim abstersit pulverem de facie sua, & cognovit eum rex Israël, quòd esset de prophetis.

*Inf.22. g.37. 42 Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus: * Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.

43 Reversus est igitur rex Israël in domum suam, audire contemnens, & furibundus venit in Samariam.

CAPUT XXI.

Naboth ob negatam regi Achab vineam à falsis testibus jussu Jezabel accusatus lapidatur, quo facto, ipsi Achab ad occupandam vineam properanti Eliæ plurima comminatur mala, quæ tamen Achab se humiliando evadit.

A 1 POst verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Jezrahelitæ, qui erat in Jezrahel, juxta palatium Achab regis Samariæ.

2 Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens. Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam, dabóque tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est.

3 Cui respondit Naboth: propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi.

4 Venit ergo Achab in domum suam indignans, & frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Jezrahelites, dicens: Non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.

B 5 Ingressa est autem ad eum Jezabel uxor sua, dixítque ei: Quid est hoc, unde anima tua contristata est? & quare non comedis panem?

6 Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Jezrahelitæ, & dixi ei: Da mihi vineam tuam, accepta pecunia: aut, si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait: Non dabo tibi vineam meam.

7 Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus: Grandis auctoritatis es, & benè regis regnum Israël. Surge, & comede panem, & æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Jezrahelitæ.

8 Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, & signavit eas annulo ejus, & misit ad majores natu & optimates, qui erant in civitate ejus, & habitabant cum Naboth.

C 9 Litterarum autem hæc erat sententia: Prædicate jejunium, & sedere facite Naboth inter primos populi,

10 Et submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant: Benedixit Deum & regem: & educite eum, & lapidate, sícque moriatur.

11 Fecerunt ergo cives ejus majores natu & optimates, qui habitabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Jezabel, & sicut scriptum erat in litteris quas miserat ad eos:

12 Prædicaverunt jejunium, & sedere fecerunt Naboth inter primos populi.

13 Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum: at illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum & regem: quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt. D

14 Miserúntque ad Jezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth, & mortuus est.

15 Factum est autem, cùm audisset Jezabel lapidatum Naboth, & mortuum, locuta est ad Achab: Surge, & possíde vineam Naboth Jezrahelitæ, qui noluit tibi acquiescere, & dare eam accepta pecunia: non enim vivit Naboth, sed mortuus est.

16 Quod cùm audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, & descendebat in vineam Naboth Jezrahelitæ, ut possideret eam.

17 Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens:

18 Surge & descende in occursum Achab regis Israël, qui est in Samaria: ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam:

19 Et loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti, insuper & possedisti. Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: * In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. E *Inf.22. f. 38.

20 Et ait Achab ad Eliam: Num invenisti me inimicum tibi? Qui dixit: Inveni eò quòd venumdatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini.

21 * Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum & ultimum in Israël. *4. Reg. 9.b.8.

22 Et dabo domum tuam sicut * domum Jeroboam filij Nabat, & sicut domum * Baasa filij Ahia: quia egisti, ut me ad iracundiam provocares, & peccare feciśti Israël. *Sup.15. f.29. *Sup.16. a.3.

23 * Sed & de Jezabel locutus est Dominus, dicens: Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel. *4. Reg. 9.g.36. F

24 Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli:

25 Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venumdatus est ut faceret malum in conspectu Domini: concitavit enim eum Jezabel uxor sua,

26 Et abominabilis factus est, in tantum ut sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dominus à facie filiorum Israël.

27 Itaque cùm audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite. G

28 Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens:

29 Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed * in diebus filij sui inferam malum domui ejus. *4. Reg. 9.f.26.

CAPUT XXII.

Achab & Iosaphat reges, pseudoprophetarum vaticinio decepti ad pugnam procedunt in Ramoth Galaad, ac vincuntur, occiso Achab, qui Michæam vera prophetantem carcere incluserat: impio Achab succedit filius impius Ochozias, pio autem Iosaphat succedit impius filius Ioram.

A 1 TRansierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam & Israël. 2. Par. 18.a.1.

2 In

2 In anno autem tertio, descendit Josaphat rex Juda ad regem Israël.

3 (Dixítque rex Israël ad servos suos: Ignoratis quòd nostra sit Ramoth Galaad, & negligimus tollere eam de manu regis Syriæ?)

4 Et ait ad Josaphat: Veniésne mecum ad præliandum in Ramoth Galaad?

5 Dixítque Josaphat ad regem Israël: Sicut ego sum, ita & tu: populus meus, & populus tuus unum sunt: & equites mei, equites tui. Dixítque Josaphat ad regem Israël: Quære, oro te, hodie sermonem Domini.

6 Congregavit ergo rex Israël prophetas, quadringentos circiter viros, & ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui responderunt: Ascende, & dabit eam Dominus in manu regis.

7 Dixit autem Josaphat: Non est hìc propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum?

8 Et ait rex Israël ad Josaphat: Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Jemla. Cui Josaphat ait: Ne loquaris ita rex. B

9 Vocavit ergo rex Israël eunuchum quemdam, & dixit ei: Festina adducere Michæam filium Jemla.

10 Rex autem Israël, & Josaphat rex Juda, sedebant unusquisque in solio suo, vestiti cultu regio, in area juxta ostium portæ Samariæ, & universi prophetæ prophetabant in conspectu eorum.

11 Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam:

12 Omnésque prophetæ similiter prophetabant, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, & vade prosperè, & tradet Dominus in manus regis.

13 Nuntius verò, qui ierat ut vocaret Michæam, locutus est ad eum, dicens: Ecce sermones prophetarum ore uno regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona.

14 Cui Michæas ait: Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.

15 Venit itaque ad regem, & ait illi rex: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare? Cui ille respondit: Ascende, & vade prosperè, & tradet eam Dominus in manus regis. C

16 Dixit autem rex ad eum: Iterùm atque iterùm adjuro te, ut non loquaris mihi nisi quod verum est, in nomine Domini.

17 Et ille ait: Vidi cunctum Israël dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem. & ait Dominus: Non habent isti dominum: revertatur unusquisque in domum suam in pace.

18 (Dixit ergo rex Israël ad Josaphat: Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum?)

19 Ille verò addens, ait: Propterea audi sermonem Domini: Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei à dextris & à sinistris:

20 Et ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Israël, ut ascendat & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba hujuscemodi, & alius aliter.

21 Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo? D

22 Et ille ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita.

23 Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum, qui hìc sunt: & Dominus locutus est contra te malum.

24 Accessit autem Sedecias filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam, & dixit: Méne ergo dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi?

25 Et ait Michæas: Visurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum ut abscondaris.

26 Et ait rex Israël: Tollite Michæam, & maneat apud Amon principem civitatis, & apud Joas filium Amelech,

27 Et dicite eis: Hæc dicit rex: Mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiæ, donec revertar in pace.

28 Dixítque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus in me Dominus. Et ait: Audite populi omnes.

29 Ascendit itaque rex Israël, & Josaphat rex Juda, in Ramoth Galaad.

30 Dixit itaque rex Israël ad Josaphat: Sume arma, & ingredere prælium, & induere vestibus tuis. Porrò rex Israël mutavit habitum suum, & ingressus est bellum.

31 Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis contra minorem & majorem quempiam, nisi contra regem Israël solum. E

32 Cùm ergo vidissent principes curruum Josaphat, suspicati sunt quòd ipse esset rex Israël, & impetu facto pugnabant contra eum: & exclamavit Josaphat.

33 Intellexerúntque principes curruum quòd non esset rex Israël, & cessaverunt ab eo.

34 Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israël inter pulmonem & stomachum. At ille dixit aurigæ suo: Verte manum tuam, & ejice me de exercitu, quia graviter vulneratus sum.

35 Commissum est ergo prælium in die illa, & rex Israël stabat in curru suo contra Syros, & mortuus est vespere: fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus,

36 Et præco insonuit in universo exercitu antequam sol occumberet, dicens: Unusquisque revertatur in civitatem, & in terram suam.

37 Mortuus est autem rex, & perlatus est in Samariam, sepelierúntque regem in Samaria,

38 Et * laverunt currum ejus in piscina Samariæ, & linxerunt canes sanguinem ejus, & habenas laverunt, juxta verbum Domini quod locutus fuerat. *Sup.21. c.19. F

39 Reliqua autem sermonum Achab, & universa quæ fecit, & domus eburnea quam ædificavit, cunctarúmque urbium quas extruxit, nónne

hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

40 Dormivit ergo Achab cum patribus suis, & regnavit Ochozias filius ejus pro eo.

41 Josaphat verò filius Asa regnare cœperat super Judam anno quarto Achab regis Israël.

42 Triginta quinque annorum erat cùm regnare cœpisset, & viginti quinque annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Azuba filia Salai.

43 Et ambulavit in omni via Asa patris sui, & non declinavit ex ea: fecitque quod rectum erat in conspectu Domini.

44 Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis.

45 Pacémque habuit Josaphat cum rege Israël.

46 Reliqua autem verborum Josaphat, & opera ejus, quæ gessit, & prælia, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

47 Sed & reliquias effeminatorum, qui remanserant in diebus Asa patris ejus, abstulit de terra.

48 Nec erat tunc rex constitutus in Edom.

49 Rex verò Josaphat fecerat classes in mari, G
quæ navigarent in Ophir propter aurum: & ire non potuerunt, quia confractæ sunt in Asiongaber.

50 Tunc ait Ochozias filius Achab ad Josaphat: Vadant servi mei cum servis tuis in navibus. Et noluit Josaphat.

51 Dormivítque Josaphat cum patribus suis, & sepultus est cum eis in Civitate David patris sui: regnavítque Joram filius ejus pro eo.

52 Ochozias autem filius Achab regnare cœperat super Israël in Samaria, anno septimodecimo Josaphat regis Juda, regnavítque super Israël duobus annis.

53 Et fecit malum in conspectu Domini, & ambulavit in via patris sui & matris suæ, & in via Jeroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël.

54 Servivit quoque Baal, & adoravit eum, & irritavit Dominum Deum Israël, juxta omnia quæ fecerat pater ejus.

LIBER REGUM QUARTUS, SECUNDUM HEBRÆOS MALACHIM SECUNDUS.

Caput Primum.

Ochozias super agritudine sua Beelzebub consulere volens ab Elia increpatur, ac moriturus prædicitur: duos quinquagenarios principes ad Eliam missos ignis cælestis devorat cum ipsorum militibus, tertio principe sua modestia servato, cum quo Elias ad Ochoziam descendit: cui mortuo, succedit frater Ioram.

A 1 PRÆVARICATUS est autem Moab in Israël, postquam mortuus est Achab.

2 Cecidítque Ochozias per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, & ægrotavit: misítque nuntios, dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebub deum Accaron, utrùm vivere queam de infirmitate mea hac.

3 Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid non est Deus in Israël, ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron?

4 Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Et abiit Elias.

5 Reversíque sunt nuntij ad Ochoziam. Qui dixit eis: Quare reversi estis?

6 At illi respónderunt ei: Vir occurrit nobis, & dixit ad nos: Ite, & revertimini ad regem, qui misit vos, & dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid, quia non erat Deus in Israël, mittis ut consulatur Beelzebub deus Accaron? Idcircò de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. B

7 Qui dixit eis: Cujus figuræ & habitus est vir ille, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc?

8 At illi dixerunt: Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est.

9 Misítque ad eum quinquagenarium principem, & quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum: sedentíque in vertice montis, ait: Homo Dei, rex præcepit ut descendas.

10 Respondénsque Elias, dixit quinquagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cælo, & devoravit eum, & quinquaginta qui erant cum eo.

11 Rursúmque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo. C
Qui locutus est illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Festina, descende.

12 Respondens Elias ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cælo, & devoravit illum, & quinquaginta ejus.

13 Iterùm misit principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta qui erant cum eo. Qui cùm venisset, curvavit genua contra Eliam, & precatus est eum, & ait: Homo Dei, noli despicere animam

animam meam, & animas servorum tuorum qui mecum sunt.

D 14 Ecce descendit ignis de cælo, & devoravit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos qui cum eis erant: sed nunc obsecro ut miserearis animæ meæ.

15 Locutus est autem Angelus Domini ad Eliam, dicens: Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & descendit cum eo ad regem,

16 Et locutus est ei: Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israël, à quo posses interrogare sermonem, ideò de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.

17 Mortuus est ergo juxta sermonem Domini, quem locutus est Elias, & regnavit Joram frater ejus pro eo, anno secundo Joram filij Josaphat regis Judæ: non enim habebat filium.

18 Reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ operatus est, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

Caput II.

Eliseus individuus Eliæ comes, Iordanem, aqua Eliæ pallio divisa, cum illo transit; Elia autem in cælum igneo curru rapto, duplicem ejus spiritum accipit, ac pallio Eliæ rursum Iordanis aquas dividit. Eliæ quæsitus non invenitur: aquæ Iericho ac terræ sterilitas immisso per Eliseum sale sanantur: pueríque Eliseum irridentes, ab ursis lacerantur.

A 1 FActum est autem, cùm levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum, ibant Elias & Eliseus de Galgalis.

2 Dixítque Elias ad Eliseum: Sede hîc, quia Dominus misit me usque in Bethel. Cui ait Eliseus: Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cúmque descendissent Bethel,

3 Egressi sunt filij prophetarum, qui erant in Bethel, ad Eliseum, & dixerunt ei: Numquid nosti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum à te? Qui respondit: Et ego novi: silete.

4 Dixit autem Elias ad Eliseum: Sede hîc, quia Dominus misit me in Jericho. Et ille ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cúmque venissent Jericho,

5 Accessérunt filij prophetarum, qui erant in Jericho, ad Eliseum, & dixerunt ei: Numquid nosti quia Dominus hodie tollet dominum tuum à te? Et ait: Et ego novi: silete.

6 Dixit autem ei Elias: Sede hîc, quia Dominus misit me usque ad Jordanem. Qui ait: Vivit B
Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter,

7 Et quinquaginta viri de filiis prophetarum secuti sunt eos, qui & steterunt è contra, longè: illi autem ambo stabant super Jordanem.

8 Tulítque Elias pallium suum, & involvit illud, & percussit aquas, quæ divisæ sunt in utramque partem, & transiérunt ambo per siccum.

9 Cúmque transissent, Elias dixit ad Eliseum: Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar à te. Dixítque Eliseus: Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus.

10 Qui respondit: Rem difficilem postulasti: attamen si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti: si autem non videris, non erit.

11 Cúmque pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque: & * ascendit Elias per turbinem in cælum, * Eccli. 48. b. 13. 1. Mac. 2. 58.

12 Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga ejus. Et non vidit eum ampliùs: apprehendítque vestimenta sua, & scidit illa in duas partes. C

13 Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reversúsque stetit super ripam Jordanis,

14 Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt divisæ. & dixit: Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? Percussítque aquas, & divisæ sunt huc atque illuc, & transiit Eliseus.

15 Videntes autem filij prophetarum, qui erant in Jericho ecntrà dixerunt: Requievit spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram,

16 Dixerúntque illi: Ecce, cum servis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, & quærere dominum tuum, ne fortè tulerit eum Spiritus Domini, & projecerit eum in unum montium, aut in unam vallium. Qui ait: Nolite mittere.

17 Coëgerúntque eum, donec acquiesceret, & diceret: Mittite. Et miserunt quinquaginta viros: qui cùm quæsissent tribus diebus, non invenerunt.

18 Et reversi sunt ad eum: at ille habitabat in Jericho, & dixit eis: Numquid non dixi vobis: Nolite mittere? D

19 Dixerunt quoque viri civitatis ad Eliseum: Ecce habitatio civitatis hujus optima est, sicut tu ipse domine perspicis: sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis.

20 At ille ait: Afferte mihi vas novum, & mittite in illud sal. Quod cùm attulissent,

21 Egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultrà in eis mors, neque sterilitas.

22 Sanatæ sunt ergo aquæ usque in diem hanc, juxta verbum Elisei, quod locutus est.

23 Ascendit autem inde in Bethel: cúmque ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calve, ascende calve.

24 Qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressíque sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.

25 Abiit autem inde in montem Carmeli, & inde reversus est in Samariam.

Caput III.

Ob prævaricatum à rege Moab fœdus quod cum rege Israël habebat, ascendunt adversus illum rex Israël, rex Iuda, & rex Edom; quibus Dominus per Eliseum aquam sine pluvia promittit, & victoriam de rege Moab, qui suum primogenitum immolat.

1 IOram verò filius Achab regnavit super Israël A
in Samaria anno decimo octavo Josaphat regis Judæ. Regnavítque duodecim annis.

2 Et fecit malum coram Domino, sed non sicut pater suus & mater: tulit enim statuas Baal, quas fecerat pater ejus.

3 Verum-

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Verumtamen in peccatis Jeroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël, adhæsit, nec recessit ab eis.

4 Porrò Mesa rex Moab, nutriebat pecora multa, & solvebat regi Israël centum millia agnorum, & centum millia arietum, cum velleribus suis.

5 Cúmque mortuus fuisset Achab, prævaricatus est fœdus, quod habebat cum rege Israël.

6 Egressus est igitur rex Joram in die illa de Samaria, & recensuit universum Israël.

7 Misítque ad Josaphat regem Juda, dicens: Rex Moab recessit à me, veni mecum contra eum ad prælium. Qui respondit: Ascendam: qui meus est, tuus est: populus meus, populus tuus; & equi mei, equi tui.

8 Dixítque: per quam viam ascendemus? At ille respondit: Per desertum Idumææ. B

9 Perrexerunt igitur, rex Israël, & rex Juda, & rex Edom, & circuierunt per viam septem dierum, nec erat aqua exercitui, & jumentis quæ sequebantur eos.

10 Dixítque rex Israël: Heu heu heu, congregavit nos Dominus tres reges, ut traderet in manus Moab.

11 Et ait Josaphat: Estne hîc propheta Domini, ut deprecemur Dominum per eum? Et respondit unus de servis Regis Israël: Est hîc Elisæus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ.

12 Et ait Josaphat: Est apud eum sermo Domini. Descendítque ad eum rex Israël, & Josaphat rex Juda, & rex Edom.

13 Dixit autem Elisæus ad regem Israël: Quid mihi & tibi est? vade ad prophetas patris tui, & matris tuæ. Et ait illi rex Israël: Quare congregavit Dominus tres reges hos, ut traderet eos in manus Moab?

14 Dixítque ad eum Elisæus: Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quòd si non vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.

15 Nunc autem adducite mihi psaltem. Cúmque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait: C

16 Hæc dicit Dominus: Facite alveum torrentis hujus fossas & fossas.

17 Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam: & alveus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ vestræ, & jumenta vestra.

18 Parúmque est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus vestras.

19 Et percutietis omnem civitatem munitam, & omnem urbem electam, & universum lignum fructiferum succidetis, cunctósque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus.

20 Factum est igitur manè, quando sacrificium offerri solet, & ecce, aquæ veniebant per viam Edom, & repleta est terra aquis.

21 Universi autem Moabitæ, audientes quòd ascendissent reges ut pugnarent adversum eos, convocaverunt omnes qui accincti erant balteo desuper, & steterunt in terminis.

22 Primóque manè surgentes, & orto jam sole ex adverso aquarum, viderunt Moabitæ econtrà aquas rubras quasi sanguinem, D

23 Dixerúntque: Sanguis gladij est: pugnaverunt reges contra se, & cæsi sunt mutuò: nunc perge ad prædam Moab.

24 Perrexerúntque in castra Israël: porrò consurgens Israël, percussit Moab: at illi fugerunt coram eis. Venerunt igitur qui vicerant, & percussérunt Moab,

25 Et civitates destruxerunt: & omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleverunt: & universos fontes aquarum obturaverunt: & omnia ligna fructifera succiderunt, ita ut muri tantùm fictiles remanerent: & circumdata est civitas à fundibulariis, & magna ex parte percussa.

26 Quod cùm vidisset rex Moab, prævaluisse scilicet hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladium, ut irrumperent ad regem Edom: & non potuerunt.

27 Arripiénsque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum: & facta est indignatio magna in Israël, statímque recesserunt ab eo, & reversi sunt in terram suam.

Caput IV.

Elisæus viduæ pauperculæ oleum impetrat, quo solvat creditoribus; Sunamitidi hospitæ suæ filium, quem postea mortuum suscitat; farina quoque pulmento infusa, ipsius aufert amaritudinem, & paucis panibus multos satiat.

1 Mulier autem quædam de uxoribus prophetarum clamabat ad Elisæum, dicens: Servus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti quia servus tuus fuit timens Dominum: & ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. A

2 Cui dixit Elisæus: Quid vis ut faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar.

3 Cui ait: Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca.

4 Et ingredere, & claude ostium tuum, cùm intrinsecus fueris tu, & filij tui: & mitte inde in omnia vasa hæc: cùm plena fuerint, tolles.

5 Ivit itaque mulier, & clausit ostium super se, & super filios suos: illi offerebant vasa, & illa infundebat.

6 Cúmque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum: Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit: Non habeo. Stetítque oleum.

7 Venit autem illa, & indicavit homini Dei. Et ille, Vade, inquit, vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem, & filij tui vivite de reliquo. B

8 Facta est autem quædam dies, & transibat Elisæus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum ut comederet panem: cúmque frequenter inde transiret, divertebat ad eam ut comederet panem.

9 Quæ dixit ad virum suum: Animadverto quòd vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter.

10 Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, ut cùm venerit ad nos, maneat ibi.

11 Facta est ergo dies quædam, & veniens divertit in cœnaculum, & requievit ibi.

12 Dixítque ad Giezi puerum suum: Voca Sunamitidem istam. Qui cùm vocasset eam, & illa stetisset coram eo,

13 Dixit ad puerum suum: Loquere ad eam: Ecce, sedulè in omnibus ministrasti nobis, quid vis ut faciam tibi: numquid habes negotium, & C vis ut loquar regi, sive principi militiæ? Quæ respondit: In medio populi mei habito.

14 Et ait: Quid ergo vult ut faciam ei? Dixítque Giezi: Ne quæras: filium enim non habet, & vir eius senex est.

15 Præcepit itaque ut vocaret eam: quæ cùm vocata fuisset, & stetisset ante ostium,

16 Dixit ad eam: In tempore isto, & in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium. At illa respondit: Noli quæso domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ.

17 Et concepit mulier, & peperit filium, in tempore, & in hora eadem, qua dixerat Elisæus.

18 Crevit autem puer. Et cùm esset quædam dies, & egressus isset ad patrem suum, ad messores, D

19 Ait patri suo: Caput meum doleo, caput meum doleo. At ille dixit puero: Tolle, & duc eum ad matrem suam.

20 Qui cùm tulisset, & duxisset eum ad matrem suam, posuit eum illa super genua sua usque ad meridiem, & mortuus est.

21 Ascendit autem, & collocavit eum super lectulum hominis Dei, & clausit ostium: & egressa,

22 Vocavit virum suum, & ait: Mitte mecum, obsecro, unum de pueris, & asinam, ut excurram usque ad hominem Dei, & revertar.

23 Qui ait illi: Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ, neque Sabbatum. Quæ respondit: Vadam.

24 Stravítque asinam, & præcepit puero: Mina, & propera, ne mihi moram facias in eundo: & hoc age quod præcipio tibi.

25 Profecta est igitur, & venit ad virum Dei in montem Carmeli: cúmque vidisset eam vir Dei econtrà, ait ad Giezi puerum suum: Ecce Sunamitis illa.

26 Vade ergo in occursum ejus, & dic ei: Recténe agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum? Quæ respondit: Rectè.

27 Cúmque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes ejus: & accessit Giezi ut amoveret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam: anima enim ejus in amaritudine est, & Dominus celavit à me, & non indicavit mihi. E

28 Quæ dixit illi: Numquid petivi filium à domino meo? numquid non dixi tibi: Ne illudas me?

29 Et ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi: & pones baculum meum super faciem pueri.

30 Porrò mater pueri ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, & secutus est eam.

31 Giezi autem præcesserat ante eos, & posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox neque sensus: reversúsque est in occursum ejus, & nuntiavit ei, dicens: Non surrexit puer.

32 Ingressus est ergo Elisæus domum, & ecce F puer mortuus jacebat in lectulo eius:

33 Ingressúsque clausit ostium super se, & super puerum: & oravit ad Dominum.

34 Et ascendit, & incubuit super puerum: posuítque os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus: & incurvavit se super eum, & calefacta est caro pueri.

35 At ille reversus, deambulavit in domo, semel huc atque illuc: & ascendit, & incubuit super eum: & oscitavit puer septies, aperuítque oculos.

36 At ille vocavit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum.

37 Venit illa, & corruit ad pedes ejus, & adoravit super terram: tulítque filium suum, & egressa est.

38 Et Elisæus reversus est in Galgala. Erat autem fames in terra, & filij prophetarum habitabant coram eo. dixítque uni de pueris suis: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis prophetarum.

39 Et egressus est unus in agrum ut colligeret G herbas agrestes: invenítque quasi vitem silvestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & implevit pallium suum, & reversus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid esset.

40 Infuderunt ergo sociis, ut comederent: cúmque gustassent de coctione, clamaverunt, dicentes: Mors in olla vir Dei. Et non potuerunt comedere.

41 At ille, Afferte, inquit farinam. Cúmque tulissent, misit in ollam, & ait: Infunde turbæ, ut comedant. Et non fuit ampliùs quidquam amaritudinis in olla.

42 Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & frumentum novum, in pera sua. At ille dixit: Da populo, ut comedat.

43 Respondítque ei minister ejus: Quantum est hoc, ut apponam centum viris? Rursum ille ait: Da populo, ut comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent, & supererit.

44 Posuit itaque coram eis: qui comederunt, & superfuit juxta verbum Domini.

Caput V.

Scidit rex Israël vestimenta sua, quòd jussisset rex Syriæ ut Naaman leprosum curaret; quem Elisæus septies in Iordane lotione mundat à lepra, quæ Giezi propter munera suscepta, ab Elisæo spreta, perpetuò adhæsit.

1 Naaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir A magnus apud dominum suum, & honoratus: per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ: erat autem vir fortis & dives, sed leprosus.

2 Porrò de Syria egressi fuerant latrunculi, & captivam duxerant de Terra Israël puellam parvulam, quæ erat in obsequio uxoris Naaman,

3 Quæ ait ad dominam suam: Utinam fuisset dominus meus ad prophetam, qui est in Samaria: profectò curasset eum à lepra, quam habet.

4 Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum, & nuntiavit ei, dicens: Sic & sic locuta est puella de Terra Israël.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5 Dixítque ei rex Syriæ: Vade, & mittam litteras ad regem Iſraël. Qui cùm profectus eſſet, & tuliſſet ſecum decem talenta argenti, & ſex millia aureos, & decem mutatoria veſtimentorum,

6 Detulit litteras ad regem Iſraël, in hæc verba: Cùm acceperis epiſtolam hanc, ſcito quòd miſerim ad te Naaman ſervum meum, ut cures eum à lepra ſua.

7 Cúmque legiſſet rex Iſraël litteras, ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Numquid Deus ego ſum, ut occidere poſſim, & vivificare, quia iſte miſit ad me, ut curem hominem à lepra ſua? animadvertite, & videte quòd occaſiones quærat adverſum me.

8 Quod cùm audiſſet Eliſeus vir Dei, ſcidiſſe videlicet regem Iſraël veſtimenta ſua, miſit ad eum, dicens: Quare ſciditi veſtimenta tua? veniat ad me, & ſciat eſſe prophetam in Iſraël.

9 Venit ergo Naaman cum equis & curribus, & ſtetit ad oſtium domus Eliſei:

10 Miſítque ad eum Eliſeus nuntium, dicens: Vade, & lavare ſepties in Jordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis.

11 Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quòd egrederetur ad me, & ſtans invocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me.

12 Numquid non meliores ſunt Abana & Pharphar, fluvij Damaſci, omnibus aquis Iſraël, ut laver in eis, & munder? Cùm ergo vertiſſet ſe, & abiret indignans,

13 Acceſſerunt ad eum ſervi ſui, & locuti ſunt ei: Pater, & ſi rem grandem dixiſſet tibi propheta, certè facere debueras: quantò magis quia nunc dixit tibi: Lavare, & mundaberis?

* Luce 4. c. 27. 14 * Deſcendit, & lavit in Jordane ſepties juxta ſermonem viri Dei, & reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri parvuli, & mundatus eſt.

15 Reverſúſque ad virum Dei cum univerſo comitatu ſuo, venit, & ſtetit coram eo, & ait: Verè ſcio quòd non ſit alius Deus in univerſa terra, niſi tantùm in Iſraël. Obſecro itaque ut accipias benedictionem à ſervo tuo.

16 At ille reſpondit: Vivit Dominus, ante quem ſto, quia non accipiam. Cúmque vim faceret, penitùs non acquievit.

17 Dixítque Naaman: Ut vis: ſed, obſecro, concede mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet ultrà ſervus tuus holocauſtum aut victimam diis alienis, niſi Domino.

18 Hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remnon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in templo Remnon, adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re.

19 Qui dixit ei: Vade in pace. Abiit ergo ab eo electo terræ tempore.

20 Dixítque Giezi puer viri Dei: Pepercit dominus meus Naaman Syro iſti, ut non acciperet ab eo quæ attulit: vivit Dominus, quia curram poſt eum, & accipiam ab eo aliquid.

21 Et ſecutus eſt Giezi poſt tergum Naaman: quem cùm vidiſſet ille currentem ad ſe, deſiliit de curru in occurſum ejus, & ait: Recténe ſunt omnia?

22 Et ille ait: Rectè. dominus meus miſit me ad te, dicens: Modò venerunt ad me duo adoleſcentes de monte Ephraim, ex filiis Prophetarum: da eis talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices.

23 Dixítque Naaman: Melius eſt ut accipias duo talenta. Et coëgit eum, ligavítque duo talenta argenti in duobus ſaccis, & duplicia veſtimenta, & impoſuit duobus pueris ſuis, qui & portaverunt coram eo.

24 Cúmque veniſſet jam veſperi, tulit de manu eorum, & repoſuit in domo, dimisitque viros, & abierunt.

25 Ipſe autem ingreſſus, ſtetit coram domino ſuo. Et dixit Eliſeus: Unde venis Giezi? Qui reſpondit: Non ivit ſervus tuus quóquam.

26 At ille ait: Nónne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, ut emas oliveta & vineas, & oves, & boves, & ſervos, & ancillas.

27 Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo, uſque in ſempiternum. Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix.

Caput VI.

Eliſeus ferrum ſecuris natare facit: regis Syriæ milites ducuntur excæcati in Samariam ab Eliſeo, quem ob regis ſui ſecreta regi Iſraël patefacta capere nitebantur: at poſtmodum Syris obſidentibus Samariam, matres ob inediam filios ſuos comedunt, propter quod Eliſeus à rege jubetur occidi.

1 Dixerunt autem filij prophetarum ad Eliſeum: Ecce locus, in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis.

2 Eamus uſque ad Jordanem, & tollant ſinguli de ſilva materias ſingulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit: Ite.

3 Et ait unus ex illis: Veni ergo & tu cum ſervis tuis. Reſpondit: Ego veniam.

4 Et abiit cum eis. Cúmque veniſſent ad Jordanem, cædebant ligna.

5 Accidit autem, ut cùm unus materiam ſuccidiſſet, caderet ferrum ſecuris in aquam: exclamavitque ille, & ait: Heu heu heu domine mi, & hoc ipſum mutuò acceperam.

6 Dixit autem homo Dei: Ubi cecidit? At ille monſtravit ei locum. Præcidit ergo lignum, & miſit illuc: natavítque ferrum,

7 Et ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud.

8 Rex autem Syriæ pugnabat contra Iſraël, conſiliúmque iniit cum ſervis ſuis, dicens: In loco illo & illo ponamus inſidias.

9 Miſit itaque vir Dei ad regem Iſraël, dicens: Cave ne tranſeas in locum illum: quia ibi Syri in inſidiis ſunt.

10 Miſit itaque rex Iſraël ad locum quem dixerat ei vir Dei, & præoccupavit eum, & obſervavit ſe ibi non ſemel neque bis.

11 Conturbatúmque eſt cor regis Syriæ pro hac re: & convocatis ſervis ſuis, ait: Quare non indicatis mihi quis proditor mei ſit apud regem Iſraël?

12 Dixit

12 Dixítque unus ſervorum ejus: Nequaquam Domine mi rex, ſed Eliſeus propheta, qui eſt in Iſraël, indicat regi Iſraël omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo.

13 Dixítque eis: Ite, & videte ubi ſit: ut mittam, & capiam eum. Annuntiavertúntque ei, dicentes: Ecce in Dothan.

14 Miſit ergo illuc equos & currus, & robur exercitus: qui cùm veniſſent nocte, circumdederunt civitatem.

15 Conſurgens autem diluculò miniſter viri Dei, egreſſus, vidit exercitum in circuitu civitatis, & equos & currus: nuncia vítque ei, dicens: Heu heu heu domine mi, quid faciemus?

16 At ille reſpondit: Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis.

17 Cúmque oraſſet Eliſeus, ait: Domine, aperi oculos hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum, in circuitu Eliſei.

18 Hoſtes verò deſcenderunt ad eum: porrò Eliſeus oravit ad Dominum, dicens: percute, obſecro, gentem hanc cæcitate. Percuſsítque eos Dominus, ne viderent, juxta verbum Eliſei.

19 Dixit autem ad eos Eliſeus: Non eſt hæc via, neque iſta eſt civitas, ſequimini me, & oſtendam vobis virum quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam:

20 Cúmque ingreſſi fuiſſent in Samariam, dixit Eliſeus: Domine aperi oculos iſtorum, ut videant. Aperuítque Dominus oculos eorum, & viderunt ſe eſſe in medio Samariæ.

21 Dixítque rex Iſraël ad Eliſeum, cùm vidiſſet eos: Numquid percutiam eos, pater mi?

22 At ille ait: Non percutias: neque enim cepiſti eos gladio & arcu tuo, ut percutias: ſed pone panem & aquam coram eis, ut comedant & bibant, & vadant ad dominum ſuum.

23 Appoſitáque eſt eis ciborum magna præparatio, & comederunt, & biberunt, & dimiſit eos, abierúntque ad dominum ſuum, & ultrà non venerunt latrones Syriæ in Terram Iſraël.

24 Factum eſt autem poſt hæc, congregavit Benadad rex Syriæ, univerſum exercitum ſuum, & aſcendit, & obſidebat Samariam.

25 Factáque eſt fames magna in Samaria: & tamdiu obſeſſa eſt, donec venumdaretur caput aſini octoginta argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis.

26 Cúmque rex Iſraël tranſiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum, dicens: Salva me domine mi rex.

27 Qui ait: Non te ſalvat Dominus: unde te poſſum ſalvare? de area, vel de torculari? Dixítque ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ reſpondit:

28 Mulier iſta dixit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras.

29 Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixítque ei die altera: Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abſcondit filium ſuum.

30 Quod cùm audiſſet rex, ſcidit veſtimenta ſua, & tranſibat per murum. Vidítque omnis populus cilicium, quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus.

31 Et ait rex: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi ſteterit caput Eliſei filij Saphat ſuper ipſum hodie.

32 Eliſeus autem ſedebat in domo ſua, & ſenes ſedebant cum eo. Præmiſit itaque virum: & antequam veniret nuntius ille, dixit ad ſenes: Numquid ſcitis quòd miſerit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum? videte ergo, cùm venerit nuntius, claudite oſtium, & non ſinatis eum introire: ecce enim ſonitus pedum domini ejus poſt eum eſt.

33 Adhuc illo loquente eis, apparuit nuntius, qui veniebat ad eum. Et ait: Ecce, tantum malum à Domino eſt: quid amplius expectabo à Domino.

Caput VII.

Eliſeus in Samaria prædicit frumenti abundantiam, quam leproſi quattuor in Samaria annuntiant, territis à Deo Syris, ac omnibus relictis obſidionem ſolventibus: dux autem Eliſei verbo incredulus, à turba conculcatur in porta Samariæ.

1 Dixit autem Eliſeus: Audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus: In tempore hoc cras modius ſimilæ uno ſtatere erit, & duo modij hordei ſtatere uno, in porta Samariæ.

2 Reſpondens unus de ducibus, ſuper cujus manum rex incumbebat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, numquid poterit eſſe quod loqueris? Qui ait: Videbis oculis tuis, & inde non comedes.

3 Quattuor ergo viri erant leproſi juxta introitum portæ: qui dixerunt ad invicem: Quid hîc eſſe volumus donec moriamur?

4 Sive ingredi voluerimus civitatem, fame moriemur: ſive manſerimus hîc, moriendum nobis eſt: venite ergo, & tranſfugiamus ad caſtra Syriæ. Si pepercerint nobis, vivemus: ſi autem occidere voluerint, nihilominus moriemur.

5 Surrexerunt ergo veſperi, ut venirent ad caſtra Syriæ. Cúmque veniſſent ad principium caſtrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt.

6 Siquidem Dominus ſonitum audiri fecerat in caſtris Syriæ curruum & equorum, & exercitus plurimi: dixerúntque ad invicem: Ecce mercede conduxit adverſum nos rex Iſraël reges Hethæorum & Ægyptiorum, & venerunt ſuper nos.

7 Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria ſua, & equos & aſinos, in caſtris, fugerúntque, animas tantùm ſuas ſalvare cupientes.

8 Igitur cùm veniſſent leproſi illi ad principium caſtrorum, ingreſſi ſunt unum tabernaculum, & comederunt, & biberunt: tulerúntque inde argentum & aurum, & veſtes, & abierunt, & abſconderunt: & rurſum reverſi ſunt ad aliud tabernaculum, & inde ſimiliter auferentes abſconderunt.

9 Dixerúntque ad invicem: Non rectè facimus: hæc enim dies boni nuntij eſt. Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare uſque manè, ſceleris arguemur: venite, eamus, & nuntiemus in aula regis.

10 Cúmque veniſſent ad portam civitatis, narraverunt eis: dicentes: Ivimus ad caſtra Syriæ, & nullum ibidem reperimus hominem, niſi equos & aſinos alligatos, & fixa tentoria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

11 Ierunt ergo portarij, & nuntiaverunt in palatio regis intrinsecus.

12 Qui surrexit nocte, & ait ad servos suos: Dico vobis quid fecerint nobis Syri: Sciunt quia fame laboramus, & idcircò egressi sunt de castris, & latitant in agris, dicentes: Cùm egressi fuerint de civitate, capiemus eos vivos, & tunc civitatem ingredi poterimus.

13 Respondit autem unus servorum ejus: Tollamus quinque equos, qui remanserunt in urbe (quia ipsi tantùm sunt in universa multitudine Israël, alij enim consumpti sunt) & mittentes, explorare poterimus.

14 Adduxerunt ergo duos equos, misitque rex in castra Syrorum, dicens: Ite, & videte.

15 Qui abierunt post eos usque ad Jordanem: D ecce autem omnis via plena erat vestibus & vasis, quæ projecerant Syri cùm turbarentur: reversíque nuntij indicaverunt regi.

16 Et egressus populus diripuit castra Syriæ, factúsque est modius similæ statere uno, & duo modij hordei statere uno, juxta verbum Domini.

17 Porrò rex ducem illum, in cujus manu incumbebat, constituit ad portam: quem conculcavit turba in introitu portæ, & mortuus est, juxta quod locutus fuerat vir Dei, quando descenderat rex ad eum.

18 Factúmque est secundùm sermonem viri Dei, quem dixerat regi, quando ait: Duo modij hordei statere uno erunt, & modius similæ statere uno, hoc eodem tempore cras in porta Samariæ.

19 Quando responderat dux ille viro Dei, & dixerat: Etiamsi Dominus fecerit cataractas in cælo, numquid poterit fieri quod loqueris? Et dixit ei: Videbis oculis tuis, & inde non comedes.

20 Evenit ergo ei sicut prædictum fuerat, & conculcavit eum populus in porta, & mortuus est.

Caput VIII.

Post septennem famem ab Eliseo prædictam, Sunamitis, quæ ipsius consilio peregrinata erat, reversa suos agros cum fructibus recuperat: Eliseus Benadad ægrotantem respondet moriturum, & impium Azahel regnaturum: Joram rex Iuda, percussit Idumæos, quòd à se recessissent; cui impio succedit Ochozias filius impius.

A 1 ELiseus autem locutus est ad mulierem,* cujus vivere fecerat filium, dicens: Surge, vade tu & domus tua, & peregrinare ubicumque repereris: vocavit enim Dominus famem, & veniet super terram septem annis. *Sup. 4. f. 35.

2 Quæ surrexit, & fecit juxta verbum hominis Dei: & vadens cum domo sua, peregrinata est in Terra Philisthiim diebus multis.

3 Cúmque finiti essent anni septem, reversa est mulier de Terra Philisthiim: & egressa est ut interpellaret regem pro domo sua, & pro agris suis.

4 Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens: Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliseus.

5 Cúmque ille narraret regi quo modo mortuum suscitasset, apparuit mulier, cujus vivificaverat B filium, clamans ad regem pro domo sua, & pro agris suis. Dixítque Giezi: Domine mi rex, hæc est mulier, & hic est filius ejus, quem suscitavit Eliseus.

6 Et interrogavit rex mulierem: quæ narravit ei. Dedítque ei rex eunuchum unum, dicens: Restitue ei omnia quæ sua sunt, & universos reditus agrorum, à die qua reliquit terram usque ad præsens.

7 Venit quoque Eliseus Damascum, & Benadad rex Syriæ ægrotabat: nuntiavertúntque ei, dicentes: Venit vir Dei huc.

8 Et ait rex ad Hazaël: Tolle tecum munera, & vade in occursum viri Dei, & consule Dominum C per eum, dicens: Si evadere potero de infirmitate mea hac?

9 Ivit igitur Hazaël in occursum ejus, habens secum munera, & omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum. Cúmque stetisset coram eo, ait: Filius tuus Benadad rex Syriæ misit me ad te, dicens: Si sanari potero de infirmitate mea hac?

10 Dixítque ei Eliseus: Vade, dic ei: Sanaberis: porrò ostendit mihi Dominus quia morte morietur.

11 Stetítque cum eo, & conturbatus est usque ad suffusionem vultus: flevítque vir Dei.

12 Cui Hazaël ait: Quare dominus meus flet? At ille dixit: Quia scio quæ facturus sis filiis Israël mala. Civitates eorum munitas igne succendes, & juvenes eorum interficies gladio, & parvulos eorum elides, & prægnantes divides. D

13 Dixítque Hazaël: Quid enim sum servus tuus canis, ut faciam rem istam magnam? Et ait Eliseus: Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore.

14 Qui cùm recessisset ab Eliseo, venit ad dominum suum. Qui ait ei: Quid dixit tibi Eliseus? At ille respondit: Dixit mihi: Recipies sanitatem.

15 Cúmque venisset dies altera, tulit stragulum, & infudit aquam, & expandit super faciem ejus: quo mortuo, regnavit Hazaël pro eo.

16 Anno quinto Joram filij Achab regis Israël, & Josaphat regis Juda, regnavit Joram filius Josaphat rex Juda.

17 * Triginta duorum annorum erat cùm regnare cœpisset, & octo annis regnavit in Jerusalem. *2. Par. 21. b. 5.

18 Ambulavítque in viis regum Israël, sicut ambulaverat domus Achab: filia enim Achab erat E uxor ejus: & fecit quod malum est in conspectu Domini.

19 * Noluit autem Dominus disperdere Judam, propter David servum suum, sicut promiserat ei, ut daret illi lucernam, & filiis ejus cunctis diebus. *2. Reg. 7. c. 16.

20 * In diebus ejus recessit Edom, ne esset sub Juda, & constituit sibi regem. *2. Par. 21. b. 8.

21 Venítque Joram Seira, & omnes currus cum eo: & surrexit nocte, percussítque Idumæos, qui eum circumdederant, & principes curruum, populus autem fugit in tabernacula sua. F

22 Recessit ergo Edom ne esset sub Juda usque ad diem hanc. Tunc recessit & Lobna in tempore illo.

23 Reliqua autem sermonum Joram, & universa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

24 Et dormivit Joram cum patribus suis, sepultúsque est cum eis in Civitate David, & re-

gnavit Ochozias filius ejus pro eo.

*2. Par. 22. a. 1. 25 * Anno duodecimo Joram filij Achab regis Israël, regnavit Ochosías filius Joram regis Judæ.

26 Viginti duorum annorum erat Ochosías G cùm regnare cœpisset, & uno anno regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Athalia filia Amri regis Israël.

27 Et ambulavit in viis domus Achab: & fecit quod malum est coram Domino, sicut domus Achab: gener enim domus Achab fuit.

28 Abiit quoque cum Joram filio Achab, ad prælíandum contra Hazaël regem Syriæ in Ramoth Galaad, & vulneraverunt Syri Joram:

29 Qui reversus est ut curaretur, in Jezrahel: quia vulneraverant eum Syri in Ramoth, præliantem contra Hazaël regem Syriæ. Porrò Ochosías filius Joram rex Juda, descendit invisere Joram filium Achab in Jezrahel, quia ægrotabat ibi.

Caput IX.

Iehu in regem Israël uncto mandat Dominus ut deleat domum Achab: occidit ergo Ioram unà cum Ochosía rege Iuda, & corpus Iezabel à fenestra; ipsius jussu præcipitatæ canes comederunt, juxta Eliæ vaticinium.

A 1 ELiseus autem prophetes vocavit unum de filiis prophetarum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad.

*3. Reg. 19. c. 16. 2 * Cúmque veneris illuc, videbis Jehu filium Josaphat filij Namsi: & ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, & introduces in interius cubiculum.

3 Tenénsque lenticulam olei, fundes super caput ejus, & dices: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israël. Aperiésque ostium, & fugies, & non ibi subsistes.

4 Abiit ergo adolescens puer prophetæ in Ramoth Galaad,

5 Et ingressus est illuc; ecce autem principes exercitus sedebant, & ait: Verbum mihi ad te, ô princeps. Dixítque Jehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te, ô princeps.

6 Et surrexit & ingressus est cubiculum: at ille fudit oleum super caput ejus, & ait: Hæc dicit Do- B minus Deus Israël: Unxi te regem super populum Domini Israël.

7 Et percuties domum Achab domini tui: & ulciscar sanguinem servorum meorum prophetarum, & sanguinem omnium servorum Domini, de manu Jezabel.

*3. Reg. 21. c. 21. 8 * Perdámque omnem domum Achab: & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum & novissimum in Israël.

*3. Reg. 15. f. 29. *3. Reg. 16. a. 3. 9 Et dabo domum Achab, sicut * domum Jeroboam filij Nabat, & sicut domum * Baasa filij Ahia.

10 Jezabel quoque comedent canes in agro Jezrahel, nec erit qui sepeliat eam. Aperuítque ostium, & fugit.

11 Jehu autem egressus est ad servos domini sui: qui dixerunt ei: Recténe sunt omnia? quid venit insanus iste ad te? Qui ait eis: Nostis hominem, & quid locutus sit.

12 At illi respondérunt: Falsum est, sed magis uarra nobis. Qui ait eis: Hæc & hæc locutus C est mihi, & ait: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israël.

13 Festinaverunt itaque, & unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnavit Jehu.

14 Conjuravit ergo Jehu filius Josaphat filij Namsi contra Joram: * porrò Joram obsederat Ramoth Galaad, ipse & omnis Israël, contra Hazaël regem Syriæ: *Sup. 8. f. 28.

15 Et reversus fuerat ut curaretur in Jezrahel propter vulnera, quia percusserant eum Syri, præliantem contra Hazaël regem Syriæ. Dixítque Jehu: Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de civitate, ne vadat, & nuntiet in Jezrahel.

16 Et ascendit, & profectus est in Jezrahel: Joram enim ægrotabat ibi, & Ochozias rex Juda descenderat ad visitandum Joram.

17 Igitur speculator qui stabat super turrim Jezrahel, vidit globum Jehu venientis, & ait: Video ego globum. Dixítque Joram: Tolle currum, & D mitte in occursum eorum, & dicat vadens: Recténe sunt omnia?

18 Abiit ergo, qui ascenderat currum, in occursum ejus, & ait: Hæc dicit rex: Pacatáne sunt omnia? Dixítque Jehu: Quid tibi & paci? transi, & sequere me. Nuntiavit quoque speculator, dicens: Venit nuntius ad eos, & non revertitur.

19 Misit etiam currum equorum secundum: venítque ad eos, & ait: Hæc dicit rex: Numquid pax est? Et ait Jehu: Quid tibi & paci? transi, & sequere me.

20 Nuntiavit autem speculator, dicens: Venit usque ad eos, & non revertitur: est autem incessus E quasi incessus Jehu filij Namsi, præceps enim graditur.

21 Et ait Joram: Junge currum. Junxerúntque currum ejus, & egressus est Joram rex Israël, & Ochozias rex Juda, singuli in curribus suis, egressíque sunt in occursum Jehu, & invenerunt eum in agro Naboth Jezrahelitæ.

22 Cúmque vidisset Joram Jehu, dixit: Pax est Jehu? At ille respondit. Quæ pax? adhuc fornicationes Jezabel matris tuæ, & veneficia ejus multa vigent.

23 Convertit autem Joram manum suam, & fugiens ait ad Ochoziam: Insidiæ Ochozia.

24 Porrò Jehu tetendit arcum manu, & percussit Joram inter scapulas: & egressa est sagitta per cor ejus, stratímque corruit in curru suo.

25 Dixítque Jehu ad Badacer ducem: Tolle, projice eum in agro Naboth Jezrahelitæ: memini enim quando ego & tu sedentes in curru sequebamur Achab patrem hujus, quòd Dominus onus hoc levaverit super eum, dicens:

26 * Si non pro sanguine Naboth, & pro san- *3. Reg. guine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, 21. f. 22. reddam tibi in agro isto, dicit Dominus. Nunc ergo tolle, & projice eum in agrum, juxta verbum Domini: F

27 Ochosías autem rex Juda videns hoc, fugit per viam domus horti: persecutúsque est eum Jehu, & ait: Etiam hunc percutite in curru suo. & percussérunt eum in ascensu Gaver, qui est juxta Jeblaam:

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui fugit in Mageddo, & mortuus est ibi.

28 Et imposuerunt eum servi ejus super currum suum, & tulerunt in Jerusalem: sepelierúntque eum in sepulchro cum patribus suis in Civitate David.

29 Anno undecimo Joram filij Achab, regnavit Ochozias super Judam,

30 Venítque Jehu in Jezrahel. Porrò Jezabel introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, & ornavit caput suum, & respexit per fenestram

*3.Reg. 16.c.10. 31 Ingredientem Jehu per portam, & ait: * Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum?

G 32 Levavítque Jehu faciem suam ad fenestram, & ait: Quæ est ista? & inclinaverunt se ad eum duo vel tres eunuchi.

33 At ille dixit eis: Præcipitate eam deorsum. & præcipitaverunt eam, aspersúsque est sanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam.

34 Cúmque introgressus esset, ut comederet, biberétque, ait: Ite, & videte maledictam illam, & sepelite eam: quia filia regis est.

35 Cúmque issent, ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam, & pedes, & summas manus.

*3.Reg. 21.f.23. 36 Reversíque nuntiaverunt ei. Et ait Jehu: * Sermo Domini est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro Iezrahel comedent canes carnes Iezabel,

37 Et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Jezrahel, ita ut prætereuntes dicant: Hæccine est illa Jezabel.

CAPUT X.

Jehu 70. filios Achab & 42. fratres Ochoziæ necari jubet, totámque Achab progeniem delet, & omnes sacerdotes Baal callidè convocatos occidit, exusta illius statua, & templo in cloacam verso; attamen propter peccata Jehu vehementer cæsus est Israël ab Hazaël: mortuo autem Jehu, succedit filius ejus Ioachaz.

A 1 ERant autem Achab septuaginta filij in Samaria: scripsit ergo Jehu litteras, & misit in Samariam, ad optimates civitatis, & ad majores natu, & ad nutritios Achab, dicens.

2 Statim ut acceperitis litteras has, qui habetis filios domini vestri, & currus, & equos, & civitates firmas, & arma,

3 Eligite meliorem, & eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri, & eum ponite super solium patris sui, & pugnate pro domo domini vestri.

4 Timuerunt illi vehementer, & dixerunt: Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, & quomodo nos valebimus resistere?

5 Miserunt ergo præpositi domus, & præfecti civitatis, & majores natu, & nutritij, ad Jehu, dicentes: Servi tui sumus, quæcumque jusseris faciemus, nec constituemus nobis regem: quæcumque tibi placent, fac.

B 6 Rescripsit autem eis litteras secundò, dicens: Si mei estis, & obeditis mihi, tollite capita filiorum domini vestri, & venite ad me hac eadem hora cras in Jezrahel. Porrò filij regis, septuaginta viri, apud optimates civitatis nutriebantur.

7 Cúmque venissent litteræ ad eos, tulerunt filios regis, & occiderũt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Jezrahel.

8 Venit autem nuntius, & indicavit ei, dicens: Attulerunt capita filiorum regis. Qui respondit: Ponite ea ad duos acervos juxta introitum portæ usque manè.

9 Cúmque diluxisset, egressus est, & stans dixit ad omnem populum: Justi estis: si ego conjuravi contra dominum meum, & interfeci eum, quis percussit omnes hos?

10 * Videte ergo nunc quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super domum Achab, & Dominus fecit quod locutus est in manu servi sui Eliæ. *3.Reg. 21.g.29. C

11 Percussit igitur Jehu, omnes qui reliqui erant de domo Achab in Jezrahel, & universos optimates ejus, & notos, & sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ.

12 Et surrexit, & venit in Samariam: cúmque venisset ad Cameram pastorum in via,

13 Invenit fratres Ochoziæ regis Juda, dixítque ad eos: Quinam estis vos? Qui responderunt: Fratres Ochoziæ sumus, & descendimus ad salutandos filios regis, & filios reginæ.

14 Qui ait: Comprehendite eos vivos. Quos cùm comprehendissent vivos, jugulaverunt eos in cisterna juxta Cameram, quadraginta duos viros, & non reliquit ex eis quemquam.

15 Cúmque abiisset inde, invenit Jonadab filium Rechab in occursum sibi, & benedixit ei. Et ait ad eum: Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum:

16 Dixítque ad eum: Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino. Et impositum in curru suo, D

17 Duxit in Samariam. Et percussit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samaria usque ad unum, juxta verbum Domini, quod locutus est per Eliam.

18 Congregavit ergo Jehu omnem populum, & dixit ad eos: * Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius. *3.Reg. 16.g.31.

19 Nunc igitur omnes prophetas Baal, & universos servos ejus & cunctos sacerdotes ipsius, vocate ad me: nullus sit qui non veniat, sacrificium enim grande est mihi Baal: quicumque defuerit, non vivet. Porrò Jehu faciebat hoc insidiosè, ut disperderet cultores Baal.

20 Et dixit: Sanctificate diem sollemnem Baal. Vocavítque,

21 Et misit in universos terminos Israël, & venerunt cuncti servi Baal: non fuit residuus ne unus quidem qui non veniret. Et ingressi sunt templum Baal: & repleta est domus Baal, à summo usque ad summum. E

22 Dixítque his qui erant super vestes: Proferte vestimenta universis servis Baal. Et protulerunt eis vestes.

23 Ingressúsque Jehu, & Jonadab filius Rechab, templum Baal, ait cultoribus Baal: Perquirite, & videte, ne quis fortè vobiscum sit de servis Domini, sed ut sint servi Baal soli.

24 Ingressi sunt igitur ut facerent victimas & holocausta: Jehu autem præparaverat sibi foris octoginta viros, & dixerat eis: Quicumque fugerit

gerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras, anima ejus erit pro anima illius.

F 25 Factum est autem, cùm completum esset holocaustum, præcepit Jehu militibus, & ducibus suis: Ingredimini, & percutite eos, nullus evadat. Percussérúntque eos in ore gladij, & projecerunt milites & duces: & ierunt in civitatem templi Baal.

26 Et protulerunt statuam de fano Baal, & combusserunt,

27 Et comminuerunt eam. Destruxerunt quoque ædem Baal, & fecerunt pro ea latrinas usque in diem hanc.

28 Delevit itaque Jehu Baal de Israël:

29 Verumtamen à peccatis Jeroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan.

30 Dixit autem Dominus ad Jehu: Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti

*Inf.15. 6.12. contra domum Achab: * filij tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël.

31 Porrò Jehu non custodivit ut ambularet in lege Domini Dei Israël in toto corde suo: non G enim recessit à peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Israël.

32 In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israël: percussítque eos Hazael in universis finibus Israël,

33 A Jordane contra Orientalem plagam, omnem terram Galaad, & Gad, & Ruben, & Manasse, ab Aroër, quæ est super Torrentem Arnon, & Galaad, & Basan.

34 Reliqua autem verborum Jehu, & universa quæ fecit, & fortitudo ejus, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israël?

35 Et dormivit Jehu cum patribus suis, sepelierúntque eum in Samaria: & regnavit Joachaz filius ejus pro eo.

36 Dies autem, quos regnavit Jehu super Israël, viginti & octo anni sunt, in Samaria.

CAPUT XI.

Athalia, omni semine regio præter Ioas per ipsam extincto, regnum sibi usurpat; sed præcipiente Joiada sacerdote occiditur, & Ioas rex Iuda constituitur, destructis aris & imaginibus Baal.

A 1 AThalia verò mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semen regium. 2.Par. 22.d.10.

2 Tollens autem Josaba filia regis Joram, soror Ochoziæ, Joas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis qui interficiebantur, & nutricem ejus, de triclinio: & abscondit eum à facie Athaliæ, ut non interficeretur.

3 Erátque cum ea sex annis clàm in domo Domini: porrò Athalia regnavit super terram.

*2.Par. 23.a.1. 4 * Anno autem septimo misit Joiada, & assúmens centuriones & milites, introduxit ad se in templum Domini, pepigítque cum eis fœdus: & adjurans eos in domo Domini, ostendit eis filium regis:

5 Et præcepit illis, dicens: Iste est sermo, quem facere debetis:

6 Tertia pars vestrûm introëat sabbato, & observet excubias domus regis. Tertia autem pars sit ad portam Sur: & tertia pars sit ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum: & custodietis excubias domus Messa. B

7 Duæ verò partes è vobis, omnes egredientes sabbato, custodiant excubias domus Domini circa regem.

8 Et vallabitis eum, habentes arma in manibus vestris: si quis autem ingressus fuerit septum templi, interficiatur: eritísque cum rege introëunte & egrediente.

9 Et fecerunt centuriones, juxta omnia quæ præceperat eis Joiada sacerdos: & assúmentes singuli viros suos, qui ingrediebantur sabbatum, cum his qui egrediebantur sabbato, venerunt ad Joiadam sacerdotem.

10 Qui dedit eis hastas, & arma regis David, quæ erant in domo Domini.

11 Et steterunt singuli habentes arma in manu C sua, à parte templi dextera, usque ad partem sinistram altaris & ædis circum regem.

12 Produxítque filium regis, & posuit super eum diadema, & testimonium: fecerúntque eum regem, & unxerunt: & plaudentes manu, dixerunt: Vivat rex.

13 Audivit autem Athalia vocem populi currentis: & ingressa ad turbas in templum Domini,

14 Vidit regem stantem super tribunal juxta morem, & cantores & tubas prope eum, omnémque populum terræ lætantem, & canentem tubis: & scidit vestimenta sua, clamavítque: Conjuratio, conjuratio.

15 Præcepit autem Joiada centurionibus, qui erant super exercitum, & ait eis: Educite eam extra septa templi, & quicumque eam secutus fuerit, feriatur gladio. Dixerat enim sacerdos: Non occidatur in templo Domini.

16 Imposuerúntque ei manus, & impegerunt eam per viam introitus equorum, juxta palatium, & interfecta est ibi.

17 Pepigit ergo Joiadas fœdus inter Dominum, & inter regem, & inter populum, ut esset popu- D lus Domini, & inter regem & populum.

18 Ingressúsque est omnis populus terræ templum Baal, & destruxerunt aras ejus, & imagines contriverunt validè: Mathan quoque sacerdotem Baal occiderunt coram altari. Et posuit sacerdotes custodias in domo Domini.

19 Tulítque centuriones, & Cerethi & Phelethi legiones, & omnem populum terræ, deduxerúntque regem de domo Domini: & venerunt per viam portæ scutariorum in palatium, & sedit super thronum regum.

20 Lætatúsque est omnis populus terræ, & civitas conquievit: Athalia autem occisa est gladio in domo regis.

21 Septémque annorum erat Joas, cùm regnare cœpisset.

CAPUT XII.

Ioas gazophylacij pecuniam ad sartatecta templi instauranda expendit, Hazaeli autem regi Syriæ bellum contra Ierusalem paranti mittit omnes templi & palatij thesauros; tandémque à servis suis occiditur: cui succedit filius ejus Amasias.

1 ANno septimo Jehu, regnavit Joas: & qua- A draginta annis regnavit in Jerusalem. nomen matris ejus Sebia de Bersabee.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Joiada sacerdos.

3 Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat in excelsis incensum.

4 Dixitque Joas ad sacerdotes: Omnem pecuniam sanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini à prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam sponte & arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini:

5 Accipiant illam sacerdotes juxta ordinem suum, & instaurent sartatecta domus, si quid necessarium viderint instauratione.

6 Igitur usque ad vigesimum tertium annum regis Joas, non instauraverunt sacerdotes sartatecta templi.

B

7 Vocavítque rex Joas Joiadam pontificem & sacerdotes, dicens eis: Quare sartatecta non instauratis templi? nolite ergo ampliùs accipere pecuniam juxta ordinem vestrum, sed ad instaurationem templi reddite eam.

8 Prohibitique sunt sacerdotes ultrà accipere pecuniam à populo, & instaurare sartatecta domus.

9 Et tulit Joiada pontifex gazophylacium unum aperuítque foramen desuper, & posuit illud juxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebántque in eo sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini.

10 Cúmque viderent nimiam pecuniam esse in gazophylacio, ascendebat scriba regis, & pontifex, effundebántque & numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo Domini:

11 Et dabant eam juxta numerum atque mensuram, in manu eorum qui præerant cæmentariis

C

domus Domini: qui impendebant eam in fabris lignorum, & in cæmentariis iis, qui operabantur in domo Domini,

12 Et sartatecta faciebant: & in iis, qui cædebant saxa, & ut emerent ligna, & lapides, qui excidebantur, ita ut impleretur instauratio domus Domini, in universis quæ indigebant expensa ad muniendam domum.

13 Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, & fuscinulæ, & thuribula, & tubæ, & omne vas aureum & argenteum, de pecunia quæ inferebatur in templum Domini.

14 Iis enim qui faciebant opus, dabatur ut instauraretur templum Domini:

15 Et non fiebat ratio iis hominibus, qui accipiebant pecuniam, ut distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam.

16 Pecuniam verò pro delicto, & pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini, quia sacerdotum erat.

17 Tunc ascendit Hazaël rex Syriæ, & pugnabat contra Geth, cepítque eam: & direxit faciem

D

suam ut ascenderet in Jerusalem.

18 Quamobrem tulit Joas rex Juda omnia sanctificata, quæ consecraverant Josaphat & Joram & Ochozias, patres ejus reges Juda, & quæ ipse obtulerat: & universum argentum, quod inveniri potuit in thesauris templi Domini, & in palatio regis: misítque Hazaëli regi Syriæ, & recessit ab Jerusalē.

19 Reliqua autem sermonum Joas, & universa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

20 Surrexerunt autem servi ejus, & conjuraverunt inter se, percusserúntque Joas in Domo Mello in descensu Sella.

21 Josachar namque filius Semaath, & Jozabad filius Somer, servi ejus, percusserunt eum, & mortuus est, & sepelierunt eum cum patribus suis in Civitate David, regnavítque Amasias filius ejus pro eo.

Caput XIII.

Joachaz rex Israël propter peccata sua gravissimè afflictus à rege Syriæ, conversus ad Dominum liberatur; cui mortuo succedit filius Joas, qui juxta Elisei morientis vaticinium Syros ter devicit: mortui autem Elisei sepulchro injectus quidam mortuus suscitatur.

1 ANno vigesimo tertio Joas filij Ochoziæ regis Juda, regnavit Joachaz filius Jehu super Israël in Samaria decem & septem annis.

A

2 Et fecit malum coram Domino, secutúsque est peccata Jeroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël, & non declinavit ab eis.

3 Iratúsque est furor Domini contra Israël, & tradidit eos in manu Hazaël regis Syriæ, & in manu Benadad filij Hazaël, cunctis diebus.

4 Deprecatus est autem Joachaz faciem Domini, & audivit eum Dominus: vidit enim angustiam Israël, quia attriverat eos rex Syriæ:

5 Et dedit Dominus salvatorem Israëli, & liberatus est de manu regis Syriæ: habitaverúntque filij Israël in tabernaculis suis sicut heri & nudiustertius.

6 Verumtamen non recesserunt à peccatis domus Jeroboam, qui peccare fecit Israël, sed in ipsis ambulaverunt: siquidem & lucus permansit in Samaria.

B

7 Et non sunt derelicti Joachaz de populo nisi quinquaginta equites, & decem currus, & decem millia peditum: interfecerat enim eos rex Syriæ, & redegerat quasi pulverem in tritura areæ.

8 Reliqua autem sermonum Joachaz, & universa quæ fecit, & fortitudo ejus, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

9 Dormivítque Joachaz cum patribus suis, & sepelierunt eum in Samaria: regnavítque Joas filius ejus pro eo.

10 Anno trigesimo septimo Joas regis Juda, regnavit Joas filius Joachaz super Israël in Samaria sedecim annis,

11 Et fecit quod malum est in conspectu Domini: non declinavit ab omnibus peccatis Jeroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël, sed in ipsis ambulavit.

12 Reliqua autem sermonum Joas, & universa quæ fecit, & fortitudo ejus, quomodo pugnaverit contra Amasiam regem Juda, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

13 Et dormivit Joas cum patribus suis: Jeroboam autem sedit super solium ejus. Porrò Joas sepultus est in Samaria cum regibus Israël.

14 Eliseus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est: descendítque ad eum Joas rex Israël, & flebat coram eo, dicebátque: Pater mi, pater

C

ter mi, currus Israël, & auriga ejus.

15 Et ait illi Eliseus: Affer arcum, & sagittas. Cúmque attulisset ad eum arcum, & sagittas,

16 Dixit ad regem Israël: Pone manum tuam super arcum. Et cùm posuisset ille manum suam, superposuit Eliseus manus suas manibus regis,

17 Et ait: Aperi fenestram orientalem. Cúmque aperuisset, dixit Eliseus: Jace sagittam. Et jecit. Et ait Eliseus: Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam: percutiésque Syriam in Aphec, donec consumas eam.

18 Et ait: Tolle sagittas. Qui cùm tulisset, rursum dixit ei: Percute jaculo terram. Et cùm percussisset tribus vicibus, & stetisset,

19 Iratus est vir Dei contra eum, & ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.

D

20 Mortuus est ergo Eliseus, & sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno.

* Eccl. 48.b.14.

21 * Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in sepulchro Elisei. Quod cùm tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos.

22 Igitur Hazaël rex Syriæ afflixit Israël cunctis diebus Joachaz:

23 Et misertus est Dominus eorum, & reversus est ad eos propter pactum suum, quod habebat cum Abraham, & Isaac, & Jacob: & noluit disperdere eos, neque projicere penitus, usque in præsens tempus.

24 Mortuus est autem Hazaël rex Syriæ, & regnavit Benadad filius ejus pro eo.

25 Porrò Joas filius Joachaz tulit urbes de manu Benadad filij Hazaël, quas tulerat de manu Joachaz patris sui jure prælij, tribus vicibus percussit eum Joas, & reddidit civitates Israël.

Caput XIV.

Amasias interfectis occisoribus patris sui Ioas, percutit Edom; sed provocans ad bellum Ioas regem Israël, ab eo capitur, & Ierusalem diripitur: at Ioas regi Israël succedit filius Ieroboam, qui ab angustiis liberat Israël, cui succedit filius Zacharias: porrò facta conjuratione adversus Amasiam regem Iuda à suis occiditur: cui succedit filius Azarias impius.

A

1 IN anno secundo Joas filij Joachaz regis Israël, regnavit Amasias filius Joas regis Juda.

* 2. Par. 25.a.1.

2 * Viginti quinque annorum erat cùm regnare cœpisset: viginti autem & novem annis regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Joadan de Jerusalem.

3 Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater ejus. Juxta omnia, quæ fecit Joas pater suus, fecit:

4 Nisi hoc tantùm, quòd excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat incensum in excelsis.

5 Cúmque obtinuisset regnum, percussit servos suos, qui interfecerant regem patrem suum:

B

* Deut. 24. c.16. Ezech. 18.c.20.

6 Filios autem eorum qui occiderant, non occidit, juxta quod scriptum est in libro legis Moysi, sicut præcepit Dominus, dicens: * Non morientur patres pro filiis, neque filij morientur pro patribus: sed unusquisque in peccato suo morietur.

7 Ipse percussit Edom in Valle Salinarum decem millia, & apprehendit petram in prælio, vocavítque nomen ejus Jectehel, usque in præsentem diem.

8 Tunc misit Amasias nuntios ad Joas filium Joachaz, filij Jehu regis Israël, dicens: Veni, & videamus nos.

9 Remisítque Joas rex Israël ad Amasiam regem Juda, dicens: Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Transierúntque bestiæ saltus quæ sunt in Libano, & conculcaverunt carduum.

C

10 Percutiens invaluisti super Edom, & sublevavit te cor tuum: contentus esto gloria, & sede in domo tua: quare provocas malum, ut cadas tu & Judas tecum?

11 Et non acquievit Amasias: ascendítque Joas rex Israël, & viderunt se, ipse & Amasias rex Juda, in Bethsames oppido Judæ.

12 Percussúsque est Juda coram Israël, & fugerunt unusquisque in tabernacula sua.

13 Amasiam verò regem Juda, filium Joas filij Ochoziæ, cepit Joas rex Israël in Bethsames, & adduxit eum in Jerusalem: & interrupit murum Jerusalem, à porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentis cubitis.

D

14 Tulítque omne aurum, & argentum, & universa vasa, quæ inventa sunt in domo Domini, & in thesauris regis, & obsides, & reversus est in Samariam.

15 Reliqua autem verborum Joas quæ fecit, & fortitudo ejus qua pugnavit contra Amasiam regem Juda, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

16 Dormivítque Joas cum patribus suis, & sepultus est in Samaria cum regibus Israël: & regnavit Jeroboam filius ejus pro eo.

17 Vixit autem Amasias, filius Joas, rex Juda,

E

postquam mortuus est Joas filius Joachaz regis Israël, quindecim annis.

18 Reliqua autem sermonum Amasiæ, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

19 Factáque est contra eum conjuratio in Jerusalem: at ille fugit in Lachis. Miserúntque post eum in Lachis, & interfecerunt eum ibi.

20 Et asportaverunt in equis, sepultúsque est in Jerusalem cum patribus suis in Civitate David.

F

* 2. Par. 26.a.1.

21 * Tulit autem universus populus Judæ Azariam annos natum sedecim, & constituerunt eum regem pro patre ejus Amasia.

22 Ipse ædificavit Ælath, & restituit eam Judæ, postquam dormivit rex cum patribus suis.

23 Anno quintodecimo Amasiæ filij Joas regis Juda, regnavit Jeroboam filius Joas regis Israël in Samaria, quadraginta & uno anno:

24 Et fecit quod malum est coram Domino. Non recessit ab omnibus peccatis Jeroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël.

25 Ipse restituit terminos Israël, ab introitu Emath, usque ad mare solitudinis, juxta sermonem Domini Dei Israël, quem locutus est per servum suum

* Ioas. 1. a. 1.

* Jonam filium Amathi prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher.

26 Vidit

Universidad de Deusto
Biblioteca

26 Vidit enim Dominus afflictionem Israël amaram nimis, & quòd consumpti essent usque ad clausos carcere, & extremos, & non esset qui auxiliaretur Israëli.

27 Nec locutus est Dominus ut deleret nomen Israël de sub cælo, sed salvavit eos in manu Jeroboam filij Joas.

28 Reliqua autem sermonum Jeroboam,& universa quæ fecit,& fortitudo ejus qua præliatus est, & quomodo restituit Damascum & Emath Judæ in Israël, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

29 Dormivítque Jeroboam cum patribus suis regibus Israël,& regnavit Zacharias filius ejus pro eo.

Caput XV.

Azaria leproso succedit filius Ioathan in Iuda, Zacharia autem in Israël succedit Sellum, & huic Manahem qui fit tributarius regi Assyriorum, & huic Phaceia, & huic Phacee; cujus temporibus Theglathphalasar devictam magnam partem Israëlitarum transtulit in Assyrios: huic succedit Osee: in Iuda autem mortuo Ioathan, succedit filius Achaz.

A 1 ANno vigesimo septimo Jeroboã regis Israël, regnavit Azarias filius Amasiæ regis Juda.

2 Sedecim annorum erat cùm regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jechelia de Jerusalem.

3 Fecítque quod erat placitum coram Domino, juxta omnia quæ fecit Amasias pater ejus.

4 Verumtamen excelsa non est demolitus: adhuc populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis.

* 2. Par. 26. d, 21. 5 * Percussit autem Dominus regem, & fuit leprosus usque in diem mortis suæ, & habitabat in domo libera seorsum: Joathan verò filius regis gubernabat palatium, & judicabat populum terræ.

B 6 Reliqua autem sermonum Azariæ, & universa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

7 Et dormivit Azarias cum patribus suis: sepelierúntque eum cum majoribus suis in Civitate David, & regnavit Joathan filius ejus pro eo.

8 Anno trigesimo octavo Azariæ regis Juda,regnavit Zacharias filius Jeroboam super Israël in Samaria sex mensibus:

9 Et fecit quod malum est coram Domino, sicut fecerant patres ejus: non recessit à peccatis Jeroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël.

10 Conjuravit autem contra eum Sellum filius Jabes: percussítque eum palàm, & interfecit, regnavítque pro eo.

11 Reliqua autem verborum Zachariæ, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

* Sup. 10. f. 30. C 12 * Iste est sermo Domini, quem locutus est ad Jehu, dicens: Filij tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël. Factúmque est ita.

13 Sellum filius Jabes regnavit trigesimo nono anno Azariæ regis Juda: regnavit autem uno mense in Samaria.

14 Et ascendit Manahem filius Gadi de Thersa, venítque in Samariam,& percussit Sellum filium Jabes in Samaria, & interfecit eum, regnavítque pro eo.

15 Reliqua autem verborum Sellum, & conjuratio ejus, per quam tetendit insidias, nónne hæc scripta sunt in libro sermonum dierũ regum Israël?

16 Tunc percussit Manahem Thapsam, & omnes qui erant in ea, & terminos ejus de Thersa. noluerant enim aperire ei: & interfecit omnes prægnantes ejus, & scidit eas.

17 Anno trigesimo nono Azariæ regis Juda, regnavit Manahem filius Gadi super Israël decem D annis in Samaria.

18 Fecítque quod erat malum coram Domino: non recessit à peccatis Jeroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël cunctis diebus ejus.

19 Veniebat Phul rex Assyriorum in terram, & dabat Manahem Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium, & firmaret regnum ejus.

20 Indixítque Manahem argentum super Israël cunctis potentibus & divitibus, ut daret regi Assyriorum, quinquaginta siclos argenti per singulos: reversúsque est rex Assyriorum, & non est moratus in terra.

21 Reliqua autem sermonum Manahem, & universa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

22 Et dormivit Manahem cum patribus suis: regnavítque Phaceia filius ejus pro eo.

23 Anno quinquagesimo Azariæ regis Juda,regnavit Phaceia filius Manahem super Israël in Samaria biennio: E

24 Et fecit quod erat malum coram Domino: non recessit à peccatis Jeroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël.

25 Conjuravit autem adversus eum Phacee filius Romeliæ, dux ejus, & percussit eum in Samaria in turre domus regiæ, juxta Argob, & juxta Arie,& cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum, & interfecit eum,regnavítque pro eo.

26 Reliqua autem sermonum Phaceia, & universa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël? F

27 Anno quinquagesimo secundo Azariæ regis Juda, regnavit Phacee filius Romeliæ super Israël in Samaria viginti annis.

28 Et fecit quod erat malum coram Domino: non recessit à peccatis Jeroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël.

29 In diebûs Phacee regis Israël venit Theglathphalasar rex Assur, & cepit Aion, & Abel Domum, Maacha & Janoë, & Cedes, & Asor, & Galaad, & Galilæam,& universam Terram Nephthali: & transtulit eos in Assyrios.

30 Conjuravit autem, & tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, & percussit eum,& interfecit: regnavítque pro eo vigesimo anno Joathan filij Oziæ.

31 Reliqua autem sermonum Phacee, & universa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

32 * Anno secundo Phacee, filij Romeliæ regis * 2. Par. 27. a. 1. Israël, regnavit Joathan filius Oziæ regis Juda. G

33 Viginti quinque annorum erat cùm regnare cœpisset, & sedecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jerusa, filia Sadoc.

34 Fecítque quod erat placitum coram Domino:

no: juxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, operatus est.

35 Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc populus immolabat, & adolebat incensum in excelsis: ipse ædificavit portam domus Domini sublimissimam.

36 Reliqua autem sermonum Joatham, & universa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

37 In diebus illis cœpit Dominus mittere in Judam, Rasin regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ.

38 Et dormivit Joatham cum patribus suis, sepultúsque est cum eis in Civitate David patris sui, & regnavit Achaz filius ejus pro eo.

Caput XVI.

Achaz filium suum per ignem consecrat: regibus quoque Israël & Syriæ Ierusalem obsidentibus, auxilium à rege Assyriorum missis muneribus obtinet; in cujus gratiam, ablato Dei cultu, dius Assyriorum sacrificat; cui succedit pius filius Ezechias.

A 1 ANno decimo septimo Phacee filij Romeliæ regnavit Achaz filius Joatham regis Juda.

* 2. Par. 28. a. 1. 2 * Viginti annorum erat Achaz cùm regnare cœpisset, & sedecim annis regnavit in Jerusalem: non fecit quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sicut David pater ejus.

3 Sed ambulavit in via regum Israël: insuper & filium suum consecravit,transferens per ignem secundùm idola Gentium: quæ dissipavit Dominus coram filiis Israël.

4 Immolabat quoque victimas, & adolebat incensum in excelsis, & in collibus,& sub omni ligno frondoso.

* Isai. 7. a. 1. 5 * Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israël, in Jerusalem ad præliandum. cúmque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum.

B 6 In tempore illo restituit Rasin rex Syriæ, Ailam Syriæ, & ejecit Judæos de Aila: & Idumæi venerunt in Ailam, & habitaverunt ibi usque in diem hanc.

7 Misit autem Achaz nuntios ad Theglathphalasar regem Assyriorum, dicens: Servus tuus, & filius tuus ego sum: ascende, & salvum me fac de manu regis Syriæ, & de manu regis Israël, qui consurrexerunt adversum me.

8 Et cùm collegisset argentum & aurum, quod inveniri potuit in domo Domini, & in thesauris regis, misit regi Assyriorum munera.

9 Qui & acquievit voluntati ejus: ascendit enim rex Assyriorum in Damascum, & vastavit eam: & transtulit habitatores ejus Cyrenen, Rasin autem interfecit.

10 Perrexítque rex Achaz in occursum Theglathphalasar regi Assyriorum in Damascum.cúmque vidisset altare Damasci, misit rex Achaz ad Uriam sacerdotem exemplar ejus, & similitudinem juxta omne opus ejus.

C 11 Extruxítque Urias sacerdos altare: juxta omnia quæ præceperat rex Achaz de Damasco, ita fecit sacerdos Urias, donec veniret rex Achaz de Damasco.

12 Cúmque venisset rex de Damasco, vidit altare, & veneratus est illud: ascendítque & immolavit holocausta, & sacrificium suum,

13 Et libavit libamina, & fudit sanguinem pacificorum, quæ obtulerat super altare.

14 Porrò altare æreum,quod erat coram Domino, transtulit de facie templi, & de loco altaris,& de loco templi Domini: posuítque illud ex latere altaris ad Aquilonem.

15 Præcepit quoque rex Achaz Uriæ sacerdoti, dicens: Super altare majus offer holocaustum matutinum, & sacrificium vespertinum, & holocaustum regis,& sacrificium ejus,& holocaustum universi populi terræ, & sacrificia eorum, & libamina eorum: & omnem sanguinem holocausti,& universum sanguinem victimæ super illud effundes: altare verò æreum erit paratum ad voluntatem meam. D

16 Fecit igitur Urias sacerdos juxta omnia quæ præceperat rex Achaz.

17 Tulit autem rex Achaz cælatas bases, & luterem, qui erat desuper: & mare deposuit de bobus æreis, qui sustentabant illud, & posuit super pavimentum stratum lapide.

18 Musach quoque sabbati, quod ædificaverat in templo, & ingressum regis exteriùs, convertit in templum Domini, propter regem Assyriorum.

19 Reliqua autem verborum Achaz,quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

20 Dormivítque Achaz cum patribus suis,& sepultus est cum eis in Civitate David, & regnavit Ezechias filius ejus pro eo.

Caput XVII.

Post multa filiorum Israël quæ commemorantur facinora, Salmanasar sub Osee recusante antiquum Assyrio pendere tributum, transfert Israël in Assyrios: & quia Assyrij in Samariam missi cultum Dei ignorantes devorabantur à leonibus, mittitur eis sacerdos Israëliticus qui ipsos instituat; sicque factum est, ut & Deo & idolis servirent.

1 ANno duodecimo Achaz regis Juda, regnavit Osee filius Ela in Samaria super Israël novem annis. A

2 Fecítque malum coram Domino: sed non sicut reges Israël, qui ante eum fuerant.

* Inf. 18. b. 19. Tob. 1. b. 2. 3 * Contra hunc ascendit Salmanasar rex Assyriorum, & factus est ei Osee servus, reddebátque illi tributa.

4 Cúmque deprehendisset rex Assyriorum Osee, quòd rebellare nitens misisset nuntios ad Sua regem Ægypti,ne præstaret tributa regi Assyriorum, sicut singulis annis solitus erat,obsedit eum,& vinctum misit in carcerem.

5 Pervagatúsque est omnem terram, & ascendens Samariam, obsedit eam tribus annis.

* Inf. 18. b. 10. 6 * Anno autem nono Osee, cepit rex Assyriorum Samariam, & transtulit Israël in Assyrios: posuítque eos in Hala, & in Habor juxta fluvium Gozan, in civitatibus Medorum. B

7 Factum est enim, cùm peccassent filij Israël Domino Deo suo, qui eduxerat eos de Terra Ægypti,de manu Pharaonis regis Ægypti coluerunt deos alienos.

8 Et ambulaverunt juxta ritum Gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israël, & regum Israël: quia similiter fecerant.

9 Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

9 Et offenderunt filij Israël verbis non rectis Dominum Deum suum: & ædificaverunt sibi excelsa in cunctis urbibus suis, à Turre custodum usque ad Civitatem munitam.

10 Fecerúntque sibi statuas, & lucos, in omni colle sublimi, & subter omne lignum nemorosum:

11 Et adolebant ibi incensum super aras in morem Gentium, quas transtulerat Dominus à facie eorum: fecerúntque verba pessima irritantes Dominum.

12 Et coluerunt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus ne facerent verbum hoc.

C 13 Et testificatus est Dominus in Israël & in Juda, per manum omnium Prophetarum & Videntium, dicens: * Revertimini à viis vestris pessimis, & custodite præcepta mea, & ceremonias, juxta omnem legem quam præcepi patribus vestris: & sicut misi ad vos in manu servorum meorum Prophetarum.

Jerem. 25.a.5.

14 Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo.

15 Et abjecerunt legitima ejus, & pactum quod pepigit cum patribus eorum, & testificationes, quibus contestatus est eos: secutique sunt vanitates, & vanè egerunt: & secuti sunt Gentes, quæ erant per circuitum eorum, super quibus præceperat Dominus eis, ut non facerent sicut & illæ faciebant.

16 Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei sui: fecerúntque sibi conflatiles duos vitulos & lucos, & adoraverunt universam militiam cæli: servierúntque Baal,

17 Et consecraverunt filios suos, & filias suas, per ignem: & divinationibus inserviebant & auguriis: & tradiderunt se ut facerent malum coram Domino, ut irritarent eum.

18 Iratúsque est Dominus vehementer Israëli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Juda tantummodò.

19 Sed nec ipse Juda custodivit mandata Domini Dei sui: verùm ambulavit in erroribus Israël, quos operatus fuerat.

D 20 Projecítque Dominus omne semen Israël, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec projiceret eos à facie sua:

3.Reg. 12.c.19.

21 * Ex eo jam tempore, quo scissus est Israël à domo David, & constituerunt sibi regem Jeroboam filium Nabat: separavit enim Jeroboam Israël à Domino, & peccare eos fecit peccatum magnum.

22 Et ambulaverunt filij Israël in universis peccatis Jeroboam quæ fecerat: & non recesserunt ab eis,

Jerem. 25.b.9.

23 * Usquequò Dominus auferret Israël à facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium servorum suorum Prophetarum: translatúsque est Israël de terra sua in Assyrios, usque in diem hanc.

24 Adduxit autem rex Assyriorum de Babylone, & de Cutha, & de Avah, & de Emath, & de Sepharuaim: & collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israël: qui possederunt Samariam: & habitaverunt in urbibus ejus.

25 Cúmque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum: & immisit in eos Dominus leones qui interficiebant eos.

26 Nuntiatúmque est regi Assyriorum, & dictum: Gentes, quas transtulisti, & habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: & immisit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eò quòd ignorent ritum Dei terræ. E

27 Præcepit autem rex Assyriorum, dicens: Ducite illuc unum de sacerdotibus, quos inde captivos adduxistis, & vadat, & habitet cum eis: & doceat eos legitima Dei terræ.

28 Igitur cùm venisset unus de sacerdotibus his, qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitavit in Bethel, & docebat eos quomodo colerent Dominum.

29 Et unaquæque Gens fabricata est Deum suum: posuerúntque eos in fanis excelsis, quæ fecerant Samaritæ, Gens & Gens in urbibus suis, in quibus habitabat.

30 Viri enim Babylonij fecerunt Sochothbenoth: viri autem Chutæi fecerunt Nergel: & viri de Emath fecerunt Asima. F

31 Porrò Hevæi fecerunt Nebahaz & Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharuaim, comburebant filios suos igni, Adramelech & Anamelech diis Sepharuaim,

32 Et nihilominùs colebant Dominum. Fecerunt autem sibi de novissimis sacerdotes excelsorum, & ponebant eos in fanis sublimibus.

33 Et cùm Dominum colerent, diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam:

34 Usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum: non timent Dominum, neque custodiunt ceremonias ejus, judicia, & legem, & mandatum, quod præceperat Dominus filiis Jacob,

Gen. 32.f.28.

* quem cognominavit Israël:

35 Et percusserat cum eis pactum, & mandaverat eis, dicens: Nolite timere deos alienos, & non adoretis eos, neque colatis eos, & non immoletis eis:

36 Sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de Terra Ægypti in fortitudine magna, & in brachio extento, ipsum timete, & illum adorate, & ipsi immolate. G

37 Ceremonias quoque & judicia, & legem, & mandatum, quod scripsit vobis, custodite ut faciatis cunctis diebus: & non timeatis deos alienos.

38 Et pactum, quod percussit vobiscum, nolite oblivisci: nec colatis deos alienos,

39 Sed Dominum Deum vestrum timete, & ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum.

40 Illi verò non audierunt, sed juxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant.

41 Fuerunt igitur Gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilominùs & idolis suis servientes: nam & filij eorum, & nepotes, sicut fecerunt patres, sui, ita faciunt usque in præsentem diem.

CAPUT

CAPUT XVIII.

Ezechias pietate eximius, dissipatis idolorum delubris, ac æneo Moysi serpente confracto, percutit Edom; & cùm Assyriis rebellasset, rex Assyriorum expugnatis civitatibus Iuda, Ezechiæ veniam precanti, magnam pecuniæ vim imponit, missa quoque manu valida Ierusalem obsidet, multis probris in Ezechiam & blasphemiis in Deum per Rabsacem jactatis.

A 1 ANno * tertio Osee filij Ela regis Israël, regnavit Ezechias filius Achaz regis Juda.

2.Par. 28.d.27 29.a.1.

2 Vigintiquinque annorum erat, cùm regnare cœpisset: & vigintinovem annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Abi filia Zachariæ.

3 Fecítque quod erat bonum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus.

4 Ipse dissipavit excelsa, & contrivit statuas, & succídit lucos, confregítque serpentem æneum, * quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum: vocavítque nomen ejus Nohestan.

Num. 21.f.9.

5 In Domino Deo Israël speravit: itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuerunt:

6 Et adhæsit Domino, & non recessit à vestigiis ejus, fecítque mandata ejus, quæ præceperat B Dominus Moysi.

7 Unde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat. Rebellavit quoque contra regem Assyriorum, & non servivit ei.

8 Ipse percussit Philisthæos usque ad Gazam, & omnes terminos eorum, à Turre custodum usque ad Civitatem munitam.

9 Anno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Osee filij Ela regis Israël, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam, & oppugnavit eam,

Sup.17. a.6. Tob. 1. a.2.

10 Et cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, id est * nono anno Osee regis Israël, capta est Samaria:

11 Et transtulit rex Assyriorum Israël in Assyrios, collocavítque eos in Hala & in Habor fluviis Gozan in civitatibus Medorum:

12 Quia non audierunt vocem Domini Dei sui, sed prætergressi sunt pactum ejus: omnia quæ præceperat Moyses servus Domini, non audierunt, neque fecerunt.

2.Par. 32.a.1. Isai. 36. a.1. Eccl. 48. c.20.

13 * Anno quartodecimo regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib rex Assyriorum ad universas civitates Juda munitas: & cepit eas.

C 14 Tunc misit Ezechias rex Juda nuntios ad regem Assyriorum in Lachis, dicens: Peccavi, recede à me: & omne, quod imposueris mihi, feram. Indixit itaque rex Assyriorum Ezechiæ regi Judæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri.

15 Dedítque Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris regis.

16 In tempore illo confregit Ezechias valvas templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas regi Assyriorum.

17 Misit autem rex Assyriorum Tharthan, & Rabsaris, & Rabsacen de Lachis ad regem Ezechiam, cum manu valida, Jerusalem, qui cùm ascendissent, venerunt Jerusalem, & steterunt juxta aquæ ductum piscinæ superioris, quæ est in via D Agrifullonis.

18 Vocavérúntque regem: egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciæ præpositus domus, & Sobna scriba, & Joahe filius Asaph à commentariis.

19 Dixítque ad eos Rabsaces: Loquímini Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: quæ est ista fiducia qua niteris?

20 Forsitan inísti consílium, ut præpares te ad prælium. In quo confidis, ut audeas rebellare?

21 An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam? sic est Pharao rex Ægypti, omnibus qui confidunt in se.

22 Quòd si dixeritis mihi: In Domino Deo nostro habemus fiduciam, nónne iste est, cujus abstulit Ezechias excelsa & altaria: & præcepit Judæ & Jerusalem: Ante altare hoc adorabitis in Jerusalem? E

23 Nunc igitur transite ad dominum meum regem Assyriorum, & dabo vobis duo millia equorum, & videte an habere valeatis ascensores eorum.

24 Et quo modo potestis resistere ante unum satrapam de servis domini mei minimis? An fiduciam habes in Ægypto propter currus & equites?

25 Numquid sine Domini voluntate ascendi ad locum istum, ut demolirer eum? Dominus dixit mihi: Ascende ad terram hanc, & demolire eam.

26 Dixerunt autem, Eliacim filius Helciæ, & Sobna, & Joahe, Rabsaci: Precamur ut loquaris nobis servis tuis Syriacè: siquidem intelligimus hanc linguam: & non loquaris nobis Judaicè, audiente populo, qui est super murum.

27 Respondítque eis Rabsaces, dicens: Numquid ad dominum tuum, & ad te misit me dominus meus, ut loquerer sermones hos, & non potiùs ad viros, qui sedent super murum, ut comedant stercora sua, & bibant urinam suam vobiscum? F

28 Stetit itaque Rabsaces, & exclamavit voce magna Judaicè, & ait: Audite verba regis magni, regis Assyriorum.

29 Hæc dicit rex: Non vos seducat Ezechias: non enim poterit eruere vos de manu mea.

30 Neque fiduciam vobis tribuat super Dominum, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, & non tradetur civitas hæc in manu regis Assyriorum.

31 Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit rex Assyriorum: Facite mecum quod vobis est utile, & egredimini ad me: & comedet unusquisque de vinea sua, & de ficu sua, & bibetis aquas de cisternis vestris:

32 Donec veniam, & transferam vos in terram, quæ similis est terræ vestræ, in terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis & vinearum, terram olivarum, & olei ac mellis, & vivetis, & non moriemini. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens: Dominus liberabit nos. G

33 Numquid liberaverunt dij Gentium terram suam de manu regis Assyriorum?

34 Ubi est Deus Emath, & Arphad? ubi est Deus Sepharuaim, Ana, & Ava? num-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid liberaverunt Samariam de manu mea?

35 Quinam illi sunt in universis diis terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit eruere Dominus Jerusalem de manu mea?

36 Tacuit itaque populus, & non respondit ei quidquam: siquidem præceptum regis acceperant, ut non responderent ei.

37 Venitque Eliacim filius Helciæ, præpositus domus, & Sobna scriba, & Joahe filius Asaph à commentariis, ad Ezechiam, scissis vestibus, & nuntiaverunt ei verba Rabsacis.

CAPUT XIX.

Ezechia & Isaia conversis ad Dominum, & pro liberatione precantibus, propter Rabsacis blasphemias, percutit Angelus Domini 185000. Assyriorum; & fugiens Sennacherib in templo idolorum suorum à filiis suis occiditur.

A *Isa. 37. a. 1.* 1 QUæ cùm audisset Ezechias rex, scidit vestimenta sua, & opertus est sacco, ingressúsque est domum Domini.

2 Et misit Eliacim præpositum domus, & Sobnam scribam, & senes de sacerdotibus, opertos saccis, ad Isaiam prophetam filium Amos.

3 Qui dixerunt: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & increpationis, & blasphemiæ, dies iste: venerunt filij usque ad partum, & vires non habet parturiens.

4 Si fortè audiat Dominus Deus tuus universa verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus, ut exprobraret Deum viventem, & argueret verbis, quæ audivit Dominus Deus tuus: & fac orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt.

5 Venerunt ergo servi regis Ezechiæ ad Isaiam.

B 6 Dixítque eis Isaias: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus: Noli timere à facie sermonum, quos audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me.

7 Ecce, ego immittam ei spiritum, & audiet nuntium, & revertetur in terram suam, & dejiciam eum gladio in terra sua.

8 Reversus est ergo Rabsaces, & invenit regem Assyriorum expugnantem Lobnam: Audierat enim quòd recessisset de Lachis.

9 Cúmque audisset de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes: Ecce, egressus est ut pugnet adversum te: & iret contra eum, misit nuntios ad Ezechiam, dicens:

10 Hæc dicite Ezechiæ regi Juda: Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam: neque dicas: Non tradetur Jerusalem in manus regis Assyriorum.

C 11 Tu enim ipse audisti quæ fecerunt reges Assyriorum universis terris, quo modo vastaverunt eas: num ergo solus poteris liberari?

12 Numquid liberaverunt dij Gentium singulos, quos vastaverunt patres mei, Gozan videlicet, & Haran, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thelassar?

13 Ubi est rex Emath, & rex Arphad, & rex civitatis Sepharuaim, Ana, & Ava?

14 Itaque cùm accepisset Ezechias litteras de manu nuntiorum, & legisset eas, ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino,

15 Et oravit in conspectu ejus, dicens: Domine Deus Israël, qui sedes super cherubim, tu es Deus solus regum omnium terræ: tu fecisti cælum & terram.

16 Inclina aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide: audi omnia verba Sennacherib, qui misit ut exprobraret nobis Deum viventem.

17 Verè Domine dissipaverunt reges Assyriorum Gentes, & terras omnium. D

18 Et miserunt deos eorum in ignem: non enim erant dij, sed opera manuum hominum ex ligno & lapide, & perdiderunt eos.

19 Nunc igitur Domine Deus noster, salvos nos fac de manu ejus, ut sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus solus.

20 Misit autem Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum, audivi.

21 Iste est sermo, quem locutus est Dominus de eo: Sprevit te, & subsannavit te, virgo filia Sion: post tergum tuum caput movit, filia Jerusalem.

22 Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, & elevasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Israël. E

23 Per manum servorum tuorum exprobrasti Domino, & dixisti: In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium in summitate Libani, & succîdi sublimes cedros ejus, & electas abietes illius. Et ingressus sum usque ad terminos ejus, & saltum carmeli ejus.

24 Ego succîdi. Et bibi aquas alienas, & siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas.

25 Numquid non audisti quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plasmavi illud, & nunc adduxi: erúntque in ruinam collium pugnantium civitates munitæ.

26 Et qui sedent in eis, humiles manu, contremuerunt & confusi sunt, facti sunt velut fœnum agri, & virens herba tectorum, quæ arefacta est antequam veniret ad maturitatem. F

27 Habitaculum tuum, & egressum tuum, & introitum tuum, & viam tuam ego præscivi & furorem tuum, contra me.

28 Insanisti in me, & superbia tua ascendit in aures meas: ponam itaque circulum in naribus tuis, & camum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.

29 Tibi autem Ezechia hoc erit signum: Comede hoc anno quæ repereris: in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur: porrò in tertio anno seminate & metite: plantate vineas, & comedite fructum earum.

30 Et quodcumque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.

31 De Jerusalem quippe egredientur reliquiæ, & quod salvetur de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet hoc.

32 Quamobrem hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio:

33 Per

G 33 Per viam, qua venit, revertetur: civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus.

34 Protegámque urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum.

* *Tob. 1. d. 21. Eccl. 48. d. 24. Isa. 37. g. 36. 1. Mach. 7. f. 41. 2. Mach. 8. e. 19.* 35 * Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cúmque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum: & recedens abiit,

* *Tob. 1. d. 24.* 36 Et reversus est Sennacherib rex Assyriorum, & mansit in Ninive.

37 Cúmque adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech & Sarazar filij ejus percusserunt eum gladio, fugerúntque in terram Armeniorum, & regnavit Asarhaddon filius ejus pro eo.

CAPUT XX.

Isaias ægrotantem Ezechiam moriturum denuntiat; at ille sua oratione sanitatem cum prorogatione vitæ ad quindecim annos à Deo impetrat, dato sanitatis signo per solis regressum: Assyrijs autem munera deferentibus thesauros ostendit, & ob id per Isaiam reprehenso, captivitas Babylonica denuntiatur: cui impius succedit filius Manasses.

A *2. Par. 32. f. 24. Isa. 38. a. 1.* 1 IN diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem: & venit ad eum Isaias filius Amos, propheta, dixítque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non vives.

2 Qui convertit faciem suam ad parietem, & oravit Dominum, dicens:

3 Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno.

4 Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum, dicens:

5 Revertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: & ecce sanavi te, die tertio ascendes templum Domini.

6 Et addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu regis Assyriorum liberabo te, & civitatem hanc, & protegam urbem istam propter me, B & propter David servum meum.

7 Dixítque Isaias: Afferte massam ficorum. Quam cùm attulissent, & posuissent super ulcus ejus, curatus est.

8 Dixerat autem Ezechias ad Isaiam: Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, & quia ascensurus sum die tertia templum Domini?

9 Cui ait Isaias: Hoc erit signum à Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est: Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus?

10 Et ait Ezechias: Facile est, umbram crescere decem lineis: nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus.

11 Invocavit itaque Isaias propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam C descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.

* *Isa. 39. a. 1.* 12 * In tempore illo misit Berodach Baladan, filius Baladan, rex Babyloniorum, litteras & munera ad Ezechiam: audierat enim quòd ægrotasset Ezechias.

13 Lætatus est autem in adventu eorum Ezechias, & ostendit eis domum aromatum, & aurum & argentum, & pigmenta varia, unguenta quoque, & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua.

14 Venit autem Isaias propheta ad regem Ezechiam, dixítque ei: Quid dixerunt viri isti? aut unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone.

15 At ille respondit: Quid viderunt in domo D tua? Ait Ezechias: Omnia quæcumque sunt in domo mea, viderunt: nihil est quod non monstraverim eis in thesauris meis.

16 Dixit itaque Isaias Ezechiæ: Audi sermonem Domini:

17 Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus.

18 Sed & de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.

19 Dixit Ezechias ad Isaiam: Bonus sermo Domini, quem locutus es: sit pax & veritas in diebus meis.

20 Reliqua autem sermonum Ezechiæ, & omnis fortitudo ejus, & quomodo fecerit piscinam, & aquæ ductum, & introduxerit aquas in civitatem, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

21 Dormivítque Ezechias cum patribus suis, & regnavit Manasses filius ejus pro eo.

CAPUT XXI.

Propter abominandam Manassis impietatem prædicit Dominus se Judam ac Jerusalem deleturum: cui succedit impius filius Amon; & hoc à servis occiso, regnat super Judam pius filius Iosias.

1 DUodecim annorum erat Manasses cùm regnare cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Haphsiba. A *2. Par. 33. a. 1.*

2 Fecítque malum in conspectu Domini, juxta idola Gentium, quas delevit Dominus à facie filiorum Israël.

* *2. Par. 33. a. 3.* 3 * Conversúsque est, & ædificavit excelsa, quæ dissipaverat Ezechias pater ejus: & erexit aras Baal, & fecit lucos sicut fecerat Achab rex Israël, & adoravit omnem militiam cæli, & coluit eam.

* *2. Reg. 7. b. 10.* 4 Extruxítque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus: * In Jerusalem ponam nomen meum.

5 Et extruxit altaria universæ militiæ cæli in duobus atriis templi Domini.

6 Et traduxit filium suum per ignem: & ariolatus est, & observavit auguria, & fecit pythones, & aruspices multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, & irritaret eum. B

* *2. Reg. 7. d 26. 3. Reg. 8. b. 16. a 9.* 7 Posuit quoque idolum luci, quem fecerat in templo Domini; * super quod locutus est Dominus ad David, & ad Salomonem filium ejus: In templo

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc, & in Jerusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israël, ponam nomen meum in sempiternum.

8 Et ultrà non faciam commoveri pedem Israël de terra, quam dedi patribus eorum: si tamen custodierint opere omnia quæ præcepi eis, & universam legem, quam mandavit ei servus meus Moyses.

9 Illi verò non audierunt: sed seducti sunt à Manasse, ut facerent malum super gentes, quas contrivit Dominus à facie filiorum Israël.

10 Locutúsque est Dominus in manu servorum
* Ierem. 15.a.4. suorum Prophetarum, dicens:

11 * Quia fecit Manasses rex Juda abominationes istas pessimas, super omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, & peccare fecit etiam Judam in
C immunditiis suis:

12 Propterea hæc dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego inducam mala super Jerusalem & Judam: ut quicumque audierit, tinniant ambæ aures ejus.

13 Et extendam super Jerusalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab: & delebo Jerusalem, sicut deleri solent tabulæ: & delens vertam, & ducam crebriùs stylum super faciem ejus.

14 Dimittam verò reliquias hereditatis meæ, & tradam eas in manus inimicorum ejus: erúntque in vastitatem, & in rapinam cunctis adversariis suis:

15 Eò quòd fecerint malum coram me, & perseveraverint irritantes me, ex die qua egressi sunt patres eorum ex Ægypto, usque ad hanc diem.

16 Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os: absque peccatis suis, quibus peccare fecit Judam, ut faceret malum coram Domino.

17 Reliqua autem sermonum Manasse, & universa quæ fecit, & peccatum ejus quod peccavit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

18 Dormivítque Manasses cum patribus suis, &
D sepultus est in horto domus suæ, in horto Oza: & regnavit Amon filius ejus pro eo.

19 Viginti duorum annorum erat Amon cùm regnare cœpisset: duobus quoque annis regnavit in Jerusalem. nomen matris ejus Mesalemeth filia Harus de Jeteba.

20 Fecítque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus.

21 Et ambulavit in omni via, per quam ambulaverat pater ejus: servívítque immunditiis, quibus servierat pater ejus, & adoravit eas.

22 Et dereliquit Dominum Deum patrum suorum, & non ambulavit in via Domini.

23 Tetenderúntque ei insidias servi sui, & interfecerunt regem in domo sua.

24 Percussit autem populus terræ, omnes qui conjuraverant contra regem Amon: & constituerunt sibi regem Josiam filium ejus pro eo.

25 Reliqua autem sermonum Amon quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

26 Sepelierúntque eum in sepulchro suo, in horto Oza: & regnavit Josias filius ejus pro eo.

CAPUT XXII.

Iosias templum ac Dei cultum instaurat; Dominum super reperto Deuteronomij libro consulens, responsum accipit, inducenda super Iudam scripta in eo mala propter neglectum à patribus Dei cultum, ipsum tamen prius in pace moriturum.

1 OCto annorum erat Josias cùm regnare cœpisset, triginta & uno anno regnavit in Je- A
2. Par. 34.a.1. rusalem: nomen matris ejus Idida, filia Hadaia de Besecath.

2 Fecítque quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes vias David patris sui: non declinavit ad dexteram, sive ad sinistram.

3 Anno autem octavo decimo regis Josiæ, misit rex Saphan filium Aslia, filij Mesulam, scribam templi Domini, dicens ei:

4 Vade ad Helciam sacerdotem magnum, ut confletur pecunia, quæ illata est in templum Domini, quam collegerunt janitores templi à populo,

5 Detúrque fabris per præpositos domus Domini: qui & distribuant eam his qui operantur in templo Domini, ad instauranda sartatecta templi:

6 Tignariis videlicet & cæmentariis, & iis qui interrupta componunt: & ut emantur ligna, & B
lapides de lapicidinis ad instaurandum templum Domini.

7 Verumtamen non supputetur eis argentum quod accipiunt, sed in potestate habeant, & in fide.

8 Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan scribam: Librum Legis reperi in domo Domini: dedítque Helcias volumen Saphan, qui & legit illud.

9 Venit quoque Saphan scriba ad regem, & renuntiavit ei quod præceperat, & ait: Conflaverunt servi tui pecuniam, quæ reperta est in domo Domini: & dederunt ut distribueretur fabris à præfectis operum templi Domini.

10 Narravit quoque Saphan scriba regi, dicens: Librum dedit mihi Helcias sacerdos. Quem cùm legisset Saphan coram rege,

11 Et audisset rex verba Libri Legis Domini, scidit vestimenta sua.

12 Et præcepit Helciæ sacerdoti, & Ahicam C
filio Saphan, & Achobor filio Micha, & Saphan scribæ, & Asaiæ servo regis, dicens:

13 Ite & consulite Dominum super me, & super populo, & super omni Juda, de verbis voluminis istius, quod inventum est: magna enim ira Domini succensa est contra nos: quia non audierunt patres nostri verba Libri hujus, ut facerent omne quod scriptum est nobis.

14 Ierunt itaque, Helcias sacerdos, & Ahicam, & Achobor, & Saphan, & Asaia, ad Holdam prophetidem, uxorem Sellum, filij Thecuæ, filij Araas custodis vestium, quæ habitabat in Jerusalem in Secunda: locutíque sunt ad eam.

15 Et illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Dicite viro, qui misit vos ad me.

16 Hæc dicit Dominus: Ecce, ego adducam mala super locum istum, & super habitatores ejus, D
omnia verba Legis quæ legit rex Juda:

17 Quia dereliquerunt me, & sacrificaverunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum: & succendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur.

18 Regi

18 Regi autem Juda qui misit vos ut consuleretis Dominum, sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Pro eo quòd audisti verba voluminis,

19 Et perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores ejus, quòd videlicet fierent in stuporem & in maledictum: & scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me, & ego audivi, ait Dominus:

20 Idcircò colligam te ad patres tuos, & colligêris ad sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.

CAPUT XXIII.

Iosias Deuteronomium coram populo legit, percussóque cum Domino fœdere, ac destructis abominationibus, præcipit Pascha celebrari: quo in Mageddo occiso, succedit impius filius Ioachaz, quem Pharao captum ducit in Ægyptum, substituto Eliacim quem Ioakim nominat, & ei gravem mulctam imponit.

A 1 ET renuntiaverunt regi quod dixerat. Qui
2. Par. 34.v.28. misit: & congregati sunt ad eum omnes senes Juda & Jerusalem.

2 Ascendítque rex templum Domini, & omnes viri Juda, universíque qui habitabant in Jerusalem cum eo sacerdotes & prophetæ, & omnis populus à parvo usque ad magnum: legítque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini.

3 Stetítque rex super gradum: & fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, & custodirent præcepta ejus, & testimonia, & ceremonias, in omni corde, & in tota anima, & suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo: acquievítque populus pacto.

4 Et præcepit rex Helciæ pontifici & sacerdotibus secundi ordinis, & janitoribus, * ut projicerent de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & universæ militiæ cæli: & combussit ea foris Jerusalem in Convalle cedron, & tulit pulverem eorum in Bethel.

5 Et delevit aruspices, quos posuerant reges Juda ad sacrificandum in excelsis per civitates Juda, & in circuitu Jerusalem: & eos, qui adolebant incensum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim signis, & omni militiæ cæli.

6 Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Jerusalem in Convalle cedron, & combussit eum ibi, & redegit in pulverem, & projecit super sepulchra vulgi.

7 Destruxit quoque ædiculas effeminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci.

8 Congregavítque omnes sacerdotes de civitatibus Juda: & contaminavit excelsa, ubi sacrificabant sacerdotes, de Gabaa usque Bersabee: & destruxit aras portarum in introitu ostij Josue principis civitatis, quod erat ad sinistram portæ civitatis.

C 9 Verumtamen non ascendebant sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Jerusalem: sed tantùm comedebant azyma in medio fratrum suorum.

10 Contaminavit quoque Topheth, quod est in

Convalle filij Ennom: ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem, Moloch.

11 Abstulit quoque equos, quos dederant reges Juda, Soli, in introitu templi Domini juxta exedram Nathammelech eunuchi, qui erat in Pharurim: currus autem Solis combussit igni.

12 Altaria quoque, quæ erant super tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant reges Juda, & altaria quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit rex: & cucurrit inde, & dispersit cinerem eorum in Torrentem cedron.

13 Excelsa quoque quæ erant in Jerusalem ad dexteram partem Montis offensionis, * quæ ædi- *3. Reg. 11.b.7.
ficaverat Salomon rex Israël Astaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offensioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit rex.

14 Et contrivit statuas, & succidit lucos: replevítque loca eorum ossibus mortuorum.

15 * Insuper & altare, quod erat in Bethel, & D
*3. Reg. 13.5.32. excelsum, quod fecerat Jeroboam filius Nabat, qui peccare fecerat Israël: & altare illud, & excelsum destruxit, atque combussit, & comminuit in pulverem, succenditque etiam lucum.

16 Et conversus Josias, vidit ibi sepulchra, quæ erant in monte: misítque & tulit ossa de sepulchris, & combussit ea super altare, & polluit illud juxta verbum Domini, quod locutus est vir Dei, qui prædixerat verba hæc.

17 * Et ait: Quis est titulus ille, quem video? *3. Reg. 13.a.2.
Responderuntque ei cives urbis illius: Sepulchrum est hominis Dei, qui venit de Iuda, & prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel,

18 Et ait: Dimitte eum, nemo commoveat ossa ejus. Et intacta manserunt ossa illius, cum ossibus prophetæ qui venerat de Samaria.

19 Insuper & omnia fana excelsorum quæ erant in civitatibus Samariæ, quæ fecerant reges Israël ad irritandum Dominum, abstulit Josias: & fecit eis, secundùm omnia opera quæ fecerat in Bethel.

20 Et occidit universos sacerdotes excelsorum, E
qui erant ibi super altaria: & combussit ossa humana super ea: reversúsque est Jerusalem.

21 * Et præcepit omni populo, dicens: Facite *2. Par. 35.a.1.
Phase Domino Deo vestro, secundùm quod scriptum est in libro fœderis hujus.

22 Nec enim factum est Phase tale à diebus judicum, qui judicaverunt Israël, & omnium dierum regum Israël, & regum Juda,

23 Sicut in octavo decimo anno regis Josiæ factum est Phase istud Domino in Jerusalem.

24 Sed & pythones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Juda & Jerusalem, abstulit Josias: ut statueret verba legis, quæ scripta sunt in Libro, quem invenit Helcias sacerdos in templo Domini.

25 Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota G
anima sua, & in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysi: neque post eum surrexit similis illi.

26 Verumtamen non est aversus Dominus ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam: propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses.

*Infr.24. a.2. 27 * Dixit itaque Dominus: Etiam Judam auferam à facie mea, sicut abstuli Israël: & projiciam civitatem hanc, quam elegi, Jerusalem, & domum de qua dixi: Erit nomen meum ibi.

28 Reliqua autem sermonum Josiæ, & universa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

*2. Par. 35.a.20. 29 * In diebus ejus ascendit Pharao Nechao rex Ægypti, contra regem Assyriorum, ad flumen Euphraten: & abiit Josias rex in occursum ejus: & occisus est in Mageddo, cùm vidisset eum.

30 Et portaverunt eum servi sui mortuum de Mageddo: & pertulerunt in Jerusalem, & sepelierunt eum in sepulchro suo. Tulítque populus terræ Joachaz filium Josiæ: & unxerunt eum, & constituerunt eum regem pro patre suo.

*2. Par. 36.a.2. 31 * Viginti trium annorum erat Joachaz cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Amital, filia Jeremiæ, de Lobna.

G 32 Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerant patres ejus.

33 Vinxítque eum Pharao Nechao in Rebla, quæ est in terra Emath, ne regnaret in Jerusalem: & imposuit mulctam terræ, centum talentis argenti, & talento auri.

34 Regémque constituit Pharao Nechao Eliacim filium Josiæ pro Josia patre ejus: vertítque nomen ejus Joakim. Porrò Joachaz tulit, & duxit in Ægyptum, & mortuus est ibi.

35 Argentum autem & aurum dedit Joakim Pharaoni, cùm indixisset terræ per singulos, ut conferretur juxta præceptum Pharaonis: & unumquemque juxta vires suas exegit, tam argentum quàm aurum de populo terræ, ut daret Pharaoni Nechao.

36 Vigintiquinque annorum erat Joakim cùm regnare cœpisset: & undecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Zebida filia Phadaia de Ruma.

37 Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerant patres ejus.

CAPUT XXIV.

Ioakym triennio servit regi Babylonis: deinde varios patitur latrunculos: quo mortuo, succedit filius Ioachin; quem cum thesauris templi ac domus regiæ universoque robore habitatorum Jerusalem ducit Nabuchodonosor in Babylonem, suffecto in regem illius patruo Matthania quem vocavit Sedeciam.

A 1 IN diebus ejus ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, & factus est ei Joakim servus tribus annis: & rursum rebellavit contra eum.

2 Immisítque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon: & immisit eos in Judam, ut disperderent eum, * juxta verbum Domini, quod locutus fuerat per servos suos prophetas.

* Sup. 23.f.27.

3 Factum est autem hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se, propter peccata Manasse universa quæ fecit,

4 Et propter sanguinem innoxium, quem effudit, & implevit Jerusalem cruore innocentium: & ob hanc rem noluit Dominus propitiari.

5 Reliqua autem sermonum Joakim, & universa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda? Et dormivit Joakim cum patribus suis:

6 Et regnavit Joachin filius ejus pro eo. B

7 Et ultrà non addidit rex Ægypti, ut egrederetur de terra sua: tulerat enim rex Babylonis, à rivo Ægypti usque ad fluvium Euphraten, omnia quæ fuerant regis Ægypti.

8 Decem & octo annorum erat Joachin cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Nohesta filia Elnathan de Jerusalem.

9 Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat pater ejus.

10 * In tempore illo ascenderunt servi Nabuchodonosor regis Babylonis in Jerusalem, & circumdata est urbs munitionibus. *Dan. 1.a.1.

11 Venítque Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem cum servis suis, ut oppugnarent eam. C

12 Egressúsque est Joachin rex Juda ad regem Babylonis, ipse & mater ejus, & servi ejus, & principes ejus, & eunuchi ejus: & suscepit eum rex Babylonis anno octavo regni sui.

13 Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus regiæ: & concídit universa vasa aurea quæ fecerat Salomon rex Israël in templo Domini juxta verbum Domini.

14 Et transtulit omnem Jerusalem, & universos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia, in captivitatem, & omnem artificem & clusorem: nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ.

15 * Transtulit quoque Joachin in Babylonem, & matrem regis, & uxores regis, & eunuchos ejus & judices terræ duxit in captivitatem de Jerusalem in Babylonem: *2. Par. 36.b.10 Esth. 2. a.6. 11. b.4.

16 Et omnes viros robustos, septem millia, & artifices, & clusores mille, omnes viros fortes & bellatores: duxítque eos rex Babylonis captivos in Babylonem. D

17 * Et constituit Matthaniam patruum ejus pro eo: imposuítque nomen ei Sedeciam. * Iere. 37.a.1. 52.a.1.

18 Vigesimum & primum annum ætatis habebat Sedecias cùm regnare cœpisset, & undecim annis regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus erat Amital, filia Jeremiæ, de Lobna.

19 Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Joakim.

20 Irascebatur enim Dominus contra Jerusalem & contra Judam, donec projiceret eos à facie sua: recessítque Sedecias à rege Babylonis.

CAPUT XXV.

Obsessa à Nabuchodonosor Ierusalem, Sedecias cæcus ac vinctus, necatis coram se filijs, in Babylonem ducitur cum reliquo populo: quibusdam tamen ad exercendam terram relictis: post exusta una cum templo omnia magnifica ædificia, præfecit Nabuchodonosor Godoliam, quo ab Ismaële interempto, fugit populus in Babylonem; Ioachin autem in captivitate sublimatur à rege Babylonis.

A 1 FActum est autem anno nono regni ejus, mense decimo, decima die mensis, venit Nabucho *Iere. 39.a.1. 52.a.4.

Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse & omnis exercitus ejus, in Jerusalem, & circumdederunt eam: & extruxerunt in circuitu ejus munitiones.

2 Et clausa est civitas atque vallata, usque ad undecimum annum regis Sedeciæ,

3 Nona die mensis, prævaluítque fames in civitate, nec erat panis populo terræ.

4 Et interrupta est civitas: & omnes viri bellatores nocte fugerunt, per viam portæ, quæ est inter duplicem murum ad hortum (regis porrò Chaldæi obsidebant in circuitu civitatem) fugit itaque Sedecias per viam quæ ducit ad campestria solitudinis.

B 5 Et persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehendítque eum in planitie Jericho: & omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquerunt eum.

6 Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha: qui locutus est cum eo judicium.

7 Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos ejus effodit, vinxítque eum catenis, & adduxit in Babylonem.

8 Mense quinto, septima die mensis, ipse est annus nonus decimus regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps exercitus, servus regis Babylonis, in Jerusalem.

*Psal. 73.a.7. 9 * Et succendit domum Domini, & domum regis: & domos Jerusalem, omnémque domum combussit igni.

C 10 Et muros Jerusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum.

11 Reliquam autem populi partem, quæ remanserat in civitate, & perfugas qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquum vulgus, transtulit Nabuzardan princeps militiæ.

12 Et de pauperibus terræ reliquit vinitores & agricolas.

*Ierem. 27.d.19 13 * Columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, & bases, & mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, & transtulerunt æs omne in Babylonem.

14 Ollas quoque æreas, & trullas, & tridentes, & scyphos, & mortariola, & omnia vasa ærea, in quibus ministrabant, tulerunt. D

15 Necnon & thuribula, & phialas; quæ aurea, aurea; & quæ argentea, argentea; tulit princeps militiæ:

16 Id est, columnas duas, mare unum, & bases quas fecerat Salomon in templo Domini: non erat pondus æris omnium vasorum.

*3. Reg. 7.b.15. 17 * Decem & octo cubitos altitudinis habebat columna una: & capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum: & retiaculum, & malogranata super capitellum columnæ, omnia ærea: similem & columna secunda habebat ornatum. 2. Par. 3. d.15. Iere. 52. d.21.

18 Tulit quoque princeps militiæ Saraiam sacerdotem primum, & Sophoniam sacerdotem secundum, & tres janitores.

19 Et de civitate eunuchum unum, qui erat præfectus super bellatores viros: & quinque viros de his qui steterant coram rege, quos reperit in civitate: & Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ: & sexaginta viros è vulgo, qui inventi fuerant in civitate. E

20 Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha.

21 Percussítque eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & transfatus est Juda de terra sua.

22 Populo autem qui relictus erat in terra Juda, quem dimiserat Nabuchodonosor rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahicam filij Saphan.

23 Quod cùm audissent omnes duces militum, F ipsi & viri qui erant cum eis, videlicet quòd constituisset rex Babylonis Godoliam, venerunt ad Godoliam in Maspha, Ismahel filius Nathaniæ, & Johanan filius Caree, & Saraia filius Thanehumeth Netophathites, & Jezonias filius Maachathi, ipsi & socij eorum.

24 Juravítque Godolias ipsis & sociis eorum, dicens: Nolite timere servire Chaldæis: manete in terra, & servite regi Babylonis, & benè erit vobis.

25 Factum est autem in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ, filij Elisama de semine regio, & decem viri cum eo: percussérintque Godoliam, qui & mortuus est: sed & Judæos & Chaldæos, qui erant cum eo in Maspha.

26 Consurgénsque omnis populus à parvo usque ad magnum, & principes militum, venerunt in Ægyptum, timentes Chaldæos,

27 Factum est verò in anno trigesimo septimo G transmigrationis Joachin regis Juda, mense duodecimo, vigesima septima die mensis sublevavit Evilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachin regis Juda de carcere.

28 Et locutus est ei benignè: & posuit thronum ejus super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone.

29 Et mutavit vestes ejus, quas habuerat in carcere, & comedebat panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ.

30 Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ & dabatur ei à rege per singulos dies omnibus diebus vitæ suæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER PRIMUS PARALIPOMENON, HEBRAICE DIBRE HAIAMIN.

CAPUT PRIMUM.

Genealogia Adam usque ad Abraham, & generationes filiorum Abrahæ unà cum filiis ac posteris Esaü, & regibus ac ducibus terræ Edom, antequam essent reges super filios Israël.

A 1 ADAM, Seth, Enos,
Gen.2. a.7.4. d.25.5. a.6.b.9.
2 Cainam, Malaleel, Jared,
3 Henoch, Mathusale, Lamech,
4 Noë, Sem, Cham, & Japheth.
5 Filij Japheth, Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, Thubal, Mosoch, Thiras.
6 Porrò filij Gomer: Ascenez, & Riphath, & Thogorma.
7 Filij autem Javan: Elisa & Tharsis, Cethim & Dodanim.
8 Filij Cham: Chus, & Mesrahim, & Phut, & Chanaan.
9 Filij autem Chus: Saba, & Hevila, Sabatha, & Regma, & Sabathacha. Porrò filij Regma: Saba, & Dadan.
** Gen.* 10 Chus autem genuit *Nemrod: iste cœpit
10.b.8. esse potens in terra.
11 Mesraim verò genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, & Nephthuim,
12 Phetrusim quoque & Casluim: de quibus egressi sunt Philisthiim, & Caphtorim.
B 13 Chanaan verò genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum quoque,
14 Et Jebusæum, & Amorrhæum, & Gergæseum,
15 Hevæúmque & Aracæum, & Sinæum;
16 Aradium quoque, & Samaræum, & Hamathæum.
** Gen.* 17 Filij *Sem: Ælam, & Assur, & Arphaxad,
10.d.22. 11.b.10. & Lud, & Aram, & Hus, & Hul, & Gether, & Mosoch.
18 Arphaxad autem genuit Sale, qui & ipse genuit Heber.
19 Porrò Heber nati sunt duo filij, nomen uni Phaleg, quia in diebus ejus divisa est terra; & nomen fratris ejus Jectan.
20 Jectan autem genuit Elmodad, & Saleph & Asarmoth, & Jare,
21 Adoram quoque, & Huzal, & Decla,
22 Hebal etiam, & Abimaël, & Saba, necnon
23 Et Ophir, & Hevila, & Jobab. omnes isti filij Jectan.
24 Sem, Arphaxad, Sale,
25 Heber, Phaleg, Ragau,
26 Serug, Nachor, Thare,
** Gen.* 27 Abram, * iste est Abraham.
11.d.26. 28 Filij autem Abraham, Isaac & Ismahel.
29 Et hæ generationes eorum. Primogenitus *Ismahelis, Nabaioth, & Cedar, & Abdeel, & ** Gen. 25.b.13.*
Mabsam,
30 Et Masma, & Duma, Massa, Hadad, & Thema,
31 Jetur, Naphis, Cedma. hi sunt filij Ismahelis.
32 Filij autem Ceturæ concubinæ Abraham, quos genuit: Zamran, Jecsan, Madan, Madian, Jesboc, & Sue. Porrò filij Jecsan: Saba, & Dadan. Filij autem Dadan: Assurim, & Latusim, & Laomim.
33 Filij *autem Madian: Epha, & Epher, & C
Henoch, & Abida, & Eldaa. omnes hi, filij Ceturæ. ** Gen. 25.a.4.*
34 Genuit *autem Abraham Isaac: cujus fue- ** Gen. 25.c.19.*
runt filij, Esau & Israël.
35 Filij *Esau: Eliphaz, Rahuel, Jehus, Ihelom, ** Gen. 36.b.10.*
& Core.
36 Filij Eliphaz: Theman, Omar, Sephi, Gathan, Cenez, Thamna, Amalec.
37 Filij Rahuel: Nahath, Zara, Samma, Meza.
38 Filij Seir: Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Dison, Eser, Disan.
39 Filij Lotan: Hori, Homam. Soror autem Lotan fuit Thamna.
40 Filij Sobal: Alian, & Manahath, & Ebal, Sephi, & Onam. Filij Sebeon: Aia & Ana. Filij Ana: Dison:
41 Filij Dison: Hamram, & Esban, & Jethran, & Charan.
42 Filij Eser: Balaan, & Zavan, & Iacan. Filij Disan: Hus & Aran.
43 Isti sunt reges, qui imperaverunt in Terra D
Edom, antequam esset rex super filios Israël: Bale Filius Beor: & nomen civitatis ejus, Denaba.
44 Mortuus est autem Bale, & regnavit pro eo Jobab filius Zare de Bosra.
45 Cúmque & Jobab fuisset mortuus, regnavit pro eo Husam de Terra Themanorum.
46 Obiit quoque & Husam, & regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in Terra Moab: & nomen civitatis ejus Avith.
47 Cúmque & Adad fuisset mortuus, regnavit pro eo Semla de Masreca.
48 Sed & Semla mortuus est, & regnavit pro eo Saul de Rohoboth, quæ juxta amnem sita est.
49 Mortuo quoque Saul, regnavit pro eo Balanan filius Achobor.
50 Sed & hic mortuus est, & regnavit pro eo Adad: cujus urbis nomen fuit Phau, & appellata est uxor ejus Meetabel filia Matred filiæ Mezaab.
51 Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom esse cœperunt: dux Thamna, dux Alua, dux Jetheth.
52 Dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon,
53 Dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar,
54 Dux Magdiel, dux Hiram. hi duces Edom.

CAPUT

CAPUT II.

Genealogia Judæ Patriarchæ usque ad Isai patrem David, fratrúmque ac sororum ejus.

A 1 FILij autem Israël: Ruben, Simeon, Levi, Judа, Issachar, & Zabulon,
Gen.29. d.32. 30.a.5. 35. d.22.
2 Dan, Joseph, Benjamin, Nephthali, Gad, & Aser.
** Gen. 38.a.3. 46.b.12. * Inf.4. a.1. Matth. 1.a.3.*
3 Filij *Juda: Her, Onan, & Sela. hi tres nati sunt ei de filia Sue Chananitide. Fuit autem Her primogenitus Juda, malus coram Domino, & occidit eum.
4 * Thamar autem nurus ejus peperit ei Phares & Zara. omnes ergo filij Juda, quinque.
5 Filij autem Phares: Hesron & Hamul.
6 Filij quoque Zaræ: Zamri, & Ethan, & Eman, Chalchal quoque, & Dara, simul quinque.
** Ios.7. a.1.*
7 Filij *Charmi: Achar, qui turbavit Israël, & peccavit in furto anathematis.
8 Filij Ethan: Azarias.
** Ruth 4.d.19.*
9 Filij *autem Hesron qui nati sunt ei: Jerameel, & Ram, & Calubi.
B 10 Porrò Ram genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Nahasson, principem filiorum Juda.
11 Nahasson quoque genuit Salma, de quo ortus est Booz.
12 Booz verò genuit Obed, qui & ipse genuit Isai.
** 1.Reg. 16.b.6. 8.9. 17. b.12.*
13 * Isai autem genuit primogenitum Eliab, secundum Abinadab, tertium Simaa,
14 Quartum Nathanaël, quintum Raddai,
15 Sextum Asom, septimum David.
C 16 Quorum sorores fuerunt, Sarvia, & Abigail. Filij Sarviæ: Abisai, Joab, & Asaël, tres.
17 Abigail autem genuit Amasa, cujus pater fuit Jether Ismahelites.
18 Caleb verò filius Hesron accepit uxorem nomine Azuba, de qua genuit Jerioth: fuerúntque filij ejus Jaser, & Sobab, & Ardon.
19 Cúmque mortua fuisset Azuba, accepit uxorem Caleb, Ephrata: quæ peperit ei Hur.
20 Porrò Hur genuit Uri: & Uri genuit Beseleel.
21 Post hæc ingressus est Hesron ad filiam Machir patris Galaad, & accepit eam cùm esset annorum sexaginta: quæ peperit ei Segub.
22 Sed & Segub genuit Jair, & possedit viginti tres civitates in Terra Galaad.
23 Cepítque Gessur, & Aram, oppida Jair; & Canath, & viculos ejus sexaginta civitatum. omnes isti, filij Machir patris Galaad.
D 24 Cùm autem mortuus esset Hesron, ingressus est Caleb ad Ephrata. Habuit quoque Hesron uxorem Abia, quæ peperit ei Assur patrẽ Thecuæ.
25 Nati sunt autem filij Jerameel primogeniti Hesron, Ram primogenitus ejus, & Buna, & Aram, & Asom, & Achia.
26 Duxit quoque uxorem alteram Jerameel, nomine Atara, quæ fuit mater Onam.
27 Sed & filij Ram primogeniti Jerameel, fuerunt Moos, Jamin, & Achar.
28 Onam autem habuit filios, Semei, & Jada. Filij autem Semei: Nadab, & Abisur.
29 Nomen verò uxoris Abisur, Abihail, quæ peperit ei Ahobban, & Molid.
30 Filij autem Nadab fuerunt, Saled, & Apphaim. Mortuus est autem Saled absque liberis.
31 Filius verò Apphaim, Jesi: qui Jesi genuit Sesan. Porrò Sesan genuit Oholai.
32 Filij autem Jada fratris Semei: Jether, & E
Jonathan. Sed & Jether mortuus est absque liberis.
33 Porrò Jonathan genuit Phaleth, & Ziza. Isti fuerunt filij Jerameel.
34 Sesan autem non habuit filios, sed filias; & servum Ægyptium nomine Jeraa.
35 Deditque ei filiam suam uxorem: quæ peperit ei Ethei.
36 Ethei autem genuit Nathan, & Nathan genuit Zabad.
37 Zabad quoque genuit Ophlal, & Ophlal genuit Obed,
38 Obed genuit Jehu, Jehu genuit Azariam,
39 Azarias genuit Helles, & Helles genuit Elasa,
40 Elasa genuit Sisamoi, Sisamoi genuit Sellum,
41 Sellum genuit Icamiam, Icamia autem genuit Elisama.
42 Filij autem Caleb fratris Jerameel: Mesa F
primogenitus ejus, ipse est pater Ziph: & filij Maresa patris Hebron.
43 Porrò filij Hebron, Core, & Taphua; & Recem, & Samma.
44 Samma autem genuit Raham, patrem Jercaam, & Recem genuit Sammai.
45 Filius Sammai, Maon: & Maon pater Bethsur.
46 Epha autem concubina Caleb peperit Haran, & Mosa, & Gezez. Porrò Haran genuit Gezez.
47 Filij autem Jahaddai, Regom, & Joathan, & Gesan, & Phalet, & Epha, & Saaph.
48 Concubina Caleb Maacha, peperit Saber, & Tharana.
49 Genuit autem Saaph pater Madmena, Sue patrem Machbena, & patrem Gabaa. Filia verò Caleb, fuit Achsa. G
50 Hi erant filij Caleb, filij Hur primogeniti Ephrata, Sobal pater Cariathiarim,
51 Salma pater Bethlehem, Hariph pater Bethgader.
52 Fuerunt autem filij Sobar patris Cariathiarim, Qui videbat dimidium requietionum.
53 Et de cognatione Cariathiarim, Jethrei, & Aphuthei, & Semathei, & Maserei. Ex his egressi sunt Saraitæ, & Esthaolitæ.
54 Filij Salma, Bethlehem, & Netophathi, Coronæ domus Joab, & dimidium requietionis Sarai.
55 Cognationes quoque scribarum habitantium in Jabes, Canentes atque Resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab.

CAPUT III.

Generationes David & regum Iuda ex progenie David, cum filiis ac filiabus eorum.

A 1 DAvid verò hos habuit filios, qui ei nati *2. Reg. 3.a.2.*
sunt in Hebron; primogenitum Amnon ex Achinoam Jezrahelitide, secundum Daniel de Abigail Carmelitide,
2 Tertium Absalom filium Maacha filiæ Tholmai regis Gessur, quartum Adoniam filium Aggith,
3 Quintum Saphatiam ex Abital, sextum Jethraham de Egla uxore sua.

4 Rex

Universidad de Deusto
Biblioteca

4 Sex ergo nati sunt ei in Hebron, ubi regnavit septem annis, & sex mensibus. Triginta autem & tribus annis regnavit in Jerusalem.

B 5 * Porrò in Jerusalem nati sunt ei filij, Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quattuor de
* 2. Reg. 5. c. 14. Bethsabee filia Ammiel,
6 Jebaar quoque, & Elisama,
7 Et Eliphaleth, & Noge, & Nepheg, & Japhia,
8 Necnon Elisama, & Eliada, & Eliphaleth, novem:

9 Omnes hi, filij David, absque filiis concubinarum: habuerúntque sororem Thamar.

10 Filius autem Salomonis, Roboam: cujus Abia filius genuit Asa. De hoc quoque natus est Josaphat,

11 Pater Joram: qui Joram genuit Oehoziam, ex quo ortus est Joas:

12 Et hujus Amasias filius genuit Azariam. Porrò Azariæ filius Joathan.

C 13 Procreavit Achaz patrem Ezechiæ, de quo natus est Manasses.

14 Sed & Manasses genuit Amon patrem Josiæ.

15 Filij autem Josiæ fuerunt, primogenitus Johanan, secundus Joakim, tertius Sedecias, quartus Sellum.

* Matt. 1. b. 11. 16 * De Joakim natus est Jechonias, & Sedecias.

17 Filij Jechoniæ fuerunt, Asir, Salathiel,

18 Melchiram, Phadaia, Senneser, & Jecemia, Sama, & Nadabia.

19 De Phadaia orti sunt Zorobabel & Semei. Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam, & Salomith sororem eorum:

20 Hasaban quoque, & Ohol, & Barachian, & Hasadian, Josabhesed, quinque.

D 21 Filius autem Hananiæ, Phaltias pater Jesaiæ, cujus filius Raphaia. hujus quoque filius, Arnan, de quo natus est Obdia, cujus filius fuit Sechenias.

22 Filius Secheniæ, Semeia: cujus filij, Hattus, & Jegaal, & Baria, & Naaria, & Saphat, sex numero.

23 Filius Naariæ, Elioënai, & Ezechias, & Ezricam, tres.

24 Filij Elioënai, Odúia, & Eliasub, & Pheleia, & Accub, & Johanan, & Dalaia, & Anani septem.

CAPUT IV.

Rursum posteritas Judæ ac Simeonis, & habitationes eorum: stirps Cham deletur à filiis Simeonis, Amalecitæ quoque ab ipsis percutiuntur.

A 1 Filij Juda: Phares, Hesron, & Charmi, & Hur, & Sobal.
Gen. 38. n. 3. 46. b. 12. Sup. 2. a. 4. Matt. 1. a. 3.

2 Raia verò filius Sobal genuit Jahath, de quo nati sunt Ahumai & Laad. hæ cognationes Sarathi.

3 Ista quoque stirps Etam: Jezrahel, & Jesema, & Jedebos. Nomen quoque sororis eorum, Asalelphuni.

4 Phanuel autem pater Gedor, & Ezer pater Hosa. isti sunt filij Hur primogeniti Ephratha patris Bethlehem.

5 Assur verò patri Thecuæ erant duæ uxores, Halaa, & Naara.

6 Peperit autem ei Naara, Oozam, & Hepher, & Themani, & Ahasthari. isti sunt filij Naara.

7 Porrò filij Halaa, Sereth, Isaar, & Ethnan.

8 Cos autem genuit Anob, & Soboba, & cognationem Aharehel filij Arum.

9 Fuit autem Jabes inclytus præ fratribus suis, B
& mater ejus vocavit nomen illius Jabes, dicens: Quia peperi eum in dolore.

10 Invocavit verò Jabes Deum Israël, dicens: Si benedicens benedixeris mihi, & dilataveris terminos meos, & fuerit manus tua mecum, & feceris me à malitia non opprimi. Et præstitit Deus quæ precatus est.

11 Caleb autem frater Sua genuit Mahir, qui fuit pater Esthon.

12 Porrò Esthon genuit Bethrapha, & Phesse, & Tehinna patrem urbis Naas: hi sunt viri Recha.

13 Filij autem Cenez, Othoniel, & Saraia. Porrò C
filij Othoniel, Hathath, & Maonathi.

14 Maonathi genuit Ophra, Saraia autem genuit Joab patrem Vallis artificum: ibi quippe artifices erant.

15 Filij verò Caleb filij Jephone, Hir, & Ela, & Naham. Filij quoque Ela: Cenez.

16 Filij quoque Jaleleel: Ziph, & Zipha, Thiria, & Asraël.

17 Et filij Ezra, Jether, & Mered, & Epher, & Jalon, genuitque Mariam, & Sammai, & Jesba patrem Esthamo.

18 Uxor quoque ejus Judaia, peperit Jared patrem Gedor, & Heber patrem Socho, & Icuthiel patrem Zanoë. hi autem filij Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mered.

19 Et filij uxoris Odaiæ sororis Naham patris D
Ceila, Garmi, & Esthamo, qui fuit de Machathi.

20 Filij quoque Simon, Amnon & Rinna filius Hanan, & Thilon. Et filij Jesi, Zoheth, & Benzoheth.

21 Filij * Sela, filij Juda: Her pater Lecha, & * Gen. 38. n. 5.
Laada pater Maresa, & cognationes domus operantium byssum in domo juramenti.

22 Et qui stare fecit Solem, viríque Mendacij, & Securus, & Incendens, qui principes fuerunt in Moab, & qui reversi sunt in Lahem. hæc autem verba vetera.

23 Hi sunt figuli habitantes in Plantationibus, & in Sepibus, apud regem in operibus ejus, commoratíque sunt ibi.

24 Filij * Simeon: Namuel & Jamin, Jarib, Za- * Gen. 46. b. 10.
ra, Saul.

25 Sellum filius ejus, Mapsam filius ejus, Masma filius ejus.

26 Filij Masma: Hamuel filius ejus, Zachur E
filius ejus, Semei filius ejus.

27 Filij Semei sedecim, & filiæ sex: fratres autem ejus non habuerunt filios multos, & universa cognatio non potuit adæquare summam filiorum Juda.

28 Habitaverunt autem in Bersabee, & Molada, & Hasarsuhal,

29 Et in Bala, & in Asom, & in Tholad,

30 Et in Bathuel, & in Horma, & in Siceleg,

31 Et in Bethmarchaboth, & in Hasarsusim, & in Bethberai, & in Saarim. hæ civitates eorum usque ad regem David.

32 Villæ quoque eorum: Etam, & Aen, Remmon, & Thochen, & Asan, civitates quinque.

33 Et

F 33 Et universi viculi eorum per circuitum civitatum istarum usque ad Baal. hæc est habitatio eorum, & sedium distributio.

34 Mosobab quoque & Jemlech, & Josa filius Amasiæ,

35 Et Joël, & Jehu filius Josabiæ filij Saraiæ filij Asiel,

36 Et Elioënai, & Jacoba, & Isuhaia, & Asaia, & Adiel, & Ismiel, & Banaia.

37 Ziza quoque filius Sephei filij Allon filij Idaia filij Semri filij Samaia.

38 Isti sunt nominati principes in cognationibus suis, & in domo affinitatum suarum multiplicati sunt vehementer.

39 Et profecti sunt ut ingrederentur in Gador usque ad Orientem vallis, & ut quærerent pascua gregibus suis.

G 40 Invenerúntque pascuas uberes, & valdè bonas, & terram latissimam & quietam & fertilem, in qua antè habitaverant de stirpe Cham.

41 Hi ergo venerunt, quos suprà descripsimus nominatim, in diebus Ezechiæ regis Juda: & percusserunt tabernacula eorum, & habitatores qui inventi fuerant ibi, & deleverunt eos usque in præsentem diem: habitaverúntque pro eis, quoniam uberrimas pascuas ibidem repererunt.

42 De filiis quoque Simeon abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes principes Phalthiam & Naariam & Raphaiam & Oziel filios Jesi:

43 Et percusserunt reliquias, quæ evadere potuerant, Amalecitarum, & habitaverunt ibi pro eis usque ad diem hanc.

CAPUT V.

Catalogus filiorum Ruben, Gad & dimidiæ tribus Manasse, & habitatio eorum qui percusserunt Agarenos, sed tandem ducti sunt ad Assyrios ob idololatriam ipsorum.

A 1 Filij quoque Ruben primogeniti Israël (ipse quippe fuit primogenitus ejus: sed cùm
* Gen. 35. d. 22. 49. n. 4. violasset thorum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Joseph filij Israël, & non est ille reputatus in primogenitum.

2 Porrò Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt: primogenita autem reputata sunt Joseph.)

* Gen. 46. b. 9. Exod. 6. c. 14. Num. 26. n. 5. 3 Filij * ergo Ruben primogeniti Israël: Enoch, & Phallu, Esron, & Carmi.

4 Filij Joël: Samia filius ejus, Gog filius ejus, Semei filius ejus,

5 Micha filius ejus, Reia filius ejus, Baal filius ejus,

6 Beera filius ejus, quem captivum duxit Thelgathphalnasar rex Assyriorum, & fuit princeps in tribu Ruben.

7 Fratres autem ejus, & universa cognatio ejus, quando numerabantur per familias suas, habuerunt principes, Jehiel & Zachariam.

B 8 Porrò Bala filius Azaz, filij Samma, filij Joël, ipse habitavit in Aroër usque ad Nebo & Beelmeon.

9 Contra Orientalem quoque plagam habitavit usque ad introitum eremi, & flumen Euphraten. multum quippe jumentorum numerum possidebant in Terra Galaad.

10 In diebus autem Saul præliati sunt contra Agarenos, & interfecerunt illos, habitaverúntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga, quæ respicit ad Orientem Galaad.

11 Filij verò Gad è regione eorum habitaverunt in Terra Basan usque Selcha:

12 Joël in capite, & Saphan secundus: Janai autem, & Saphat, in Basan.

13 Fratres verò eorum secundùm domos cognationum suarum, Michaël, & Mosollam, & Sebe, & Jorai, & Jachan, & Zie, & Heber, septem.

14 Hi filij Abihail, filij Huri, filij Jara, filij Galaad, filij Michaël, filij Jesesi, filij Jeddo, filij Buz.

15 Fratres quoque filij Abdiel, filij Guni, princeps domus in familiis suis.

16 Et habitaverunt in Galaad, & in Basan, & in viculis ejus, & in cunctis suburbanis Saron, usque ad terminos.

17 Omnes hi numerati sunt in diebus Joathan C
regis Juda, & in diebus Jeroboam regis Israël.

18 Filij Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, viri bellatores, scuta portantes & gladios, & tendentes arcum, eruditíque ad prælia quadraginta quattuor millia & septingenti sexaginta, procedentes ad pugnam.

19 Dimicaverunt contra Agareos: Ituræi verò, & Naphis, & Nodab,

20 Præbuerunt eis auxilium. Traditíque sunt in manus eorum Agarei, & universi qui fuerant cum eis, quia Deum invocaverunt cùm prælia-rentur: & exaudivit eos, eò quòd credidissent in eum.

21 Ceperúntque omnia quæ possederant, camelorum quinquaginta millia, & ovium ducenta quinquaginta millia, & asinos duo millia, & animas hominum centum millia.

22 Vulnerati autem multi corruerunt: fuit D
enim bellum Domini. Habitaverúntque pro eis usque ad transmigrationem.

23 Filij quoque dimidiæ tribus Manasse, possederunt terram à finibus Basan usque Baal, Hermon, & Sanir, & montem Hermon, ingens quippe numerus erat.

24 Et hi fuerunt principes domus cognationis eorum, Epher, & Jesi, & Eliel, & Ezriel, & Jeremia, & Odoia, & Jediel, viri fortissimi & potentes, & nominati duces in familiis suis.

25 Reliquerunt autem Deum patrum suorum, & fornicati sunt post deos populorum terræ, quos abstulit Deus coram eis.

26 Et suscitavit Deus Israël spiritum Phul regis Assyriorum, & spiritum Thelgathphalnasar regis Assur: & transtulit Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse, & adduxit eos in Lahela, & in Habor, & Ara, & fluvium Gozan, usque ad diem hanc.

CAPUT VI.

Genealogia filiorum Levi, & quos ex eis constituerit David cantores ac ministros in domo Domini: item generatio filiorum Aaron cum urbibus suis in singulis tribubus Israël, & quæ fuerint civitates refugij.

1 Filij Levi: Gerson, Caath, & Merari. A

2 Filij Caath: Amram, Isaar, Hebron, & Gen. 46. b. 11 Inf. 23. a. 6.
Oziel.

3 Filij Amram: Aaron, Moyses, & Maria: Filij Aaron: Nadab & Abiu, Eleazar & Ithamar.

4 Eleazar

Universidad de Deusto
Biblioteca

4 Eleazar genuit Phinees, & Phinees genuit Abisue.
5 Abisue verò genuit Bocci, & Bocci genuit Ozi.
6 Ozi genuit Zaraiam, & Zaraias genuit Meraioth.
7 Porrò Meraioth genuit Amariam, & Amarias genuit Achitob.
8 Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Achimaas,
9 Achimaas genuit Azariam, Azarias genuit Johanan,
10 Johanan genuit Azariam. ipse est qui sacerdotio functus est, in domo quam ædificavit Salomon in Jerusalem.
11 Genuit autem Azarias Amariam, & Amarias genuit Achitob,
12 Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Sellū,
13 Sellum genuit Helciam, & Helcias genuit Azariam,
14 Azarias genuit Saraiam, & Saraias genuit Josedec.
B 15 Porrò Josedec egressus est, quando transtulit Dominus Judam & Jerusalem per manus Nabuchodonosor,
* Exod. 6.c.16. 16 Filij * ergo Levi: Gerson, Caath, & Merari.
17 Et hæc nomina filiorum Gerson: Lobni, & Semei.
18 Filij Caath: Amram, & Isaar, & Hebron, & Oziel.
19 Filij Merari: Moholi & Musi. Hæ autem cognationes Levi secundùm familias eorum.
20 Gerson, Lobni filius ejus, Jahath filius ejus, Zamma filius ejus,
21 Joah filius ejus, Addo filius ejus, Zara filius ejus, Jethrai filius ejus.
22 Filij Caath, Aminadab filius ejus, Core filius ejus, Asir filius ejus,
23 Elcana filius ejus, Abiasaph filius ejus, Asir filius ejus.
24 Thahath filius ejus: Uriel filius ejus, Ozias filius ejus, Saul filius ejus.
25 Filij Elcana, Amasai & Achimoth
26 Et Elcana: Filij Elcana: Sophai filius ejus, Nahath filius ejus,
27 Eliab filius ejus, Jeroham filius ejus, Elcana filius ejus.
28 Filij Samuel, primogenitus Vasseni, & Abia.
29 Filij autem Merari, Moholi: Lobni filius ejus, Semei filius ejus, Oza filius ejus,
C 30 Sammaa filius ejus, Haggia filius ejus, Asaia filius ejus.
31 Isti sunt, quos constituit David super cantores domus Domini, ex quo collocata est arca:
32 Et ministrabant coram tabernaculo testimonij, canentes donec ædificaret Salomon domum Domini in Jerusalem: stabant autem juxta ordinem suum in ministerio.
33 Hi verò sunt, qui assistebant cum filiis suis, de filiis Caath, Hemam cantor filius Johel, filij Samuel,
34 Filij Elcana, filij Jeroboam, filij Eliel, filij Thohu,
35 Filij Suph, filij Elcana, filij Mahath, filij Amasai,
36 Filij Elcana, filij Johel, filij Azariæ, filij Sophoniæ,
37 Filij Thahath, filij Asir, filij Abiasaph, filij Core,
38 Filij Isaar, filij Caath, filij Levi, filij Israël.
39 Et frater ejus Asaph, qui stabat à dextris ejus, Asaph filius Barachiæ, filij Samaa,
40 Filij Michaël, filij Basaiæ, filij Melchiæ,
41 Filij Athanai, filij Zara, filij Adaia,
42 Filij Ethan, filij Zamma, filij Semei,
43 Filij Jeth, filij Gersom, filij Levi.
44 Filij autem Merari fratres eorum, ad sinistram, Ethan filius Cusi, filij Abdi, filij Maloch, D
45 Filij Hasabiæ, filij Amasiæ, filij Helciæ,
46 Filij Amasai, filij Boni, filij Somer,
47 Filij Moholi, filij Musi, filij Merari, filij Levi.
48 Fratres quoque eorum Levitæ, qui ordinati sunt in cunctum ministerium tabernaculi domus Domini.
49 Aaron verò, & filij ejus adolebant incensum super altare holocausti, & super altare thymiamatis, in omne opus Sancti sanctorum: & ut precarentur pro Israël, juxta omnia quæ præceperat Moyses servus Dei.
50 Hi sunt autem filij Aaron: Eleazar filius ejus, Phinees filius ejus, Abisue filius ejus,
51 Bocci filius ejus, Ozi filius ejus, Zarahia filius ejus,
52 Meraioth filius ejus, Amarias filius ejus, Achitob filius ejus,
53 Sadoc filius ejus, Achimaas filius ejus.
54 Et hæc habitacula eorum per vicos atque confinia, filiorum scilicet Aaron, juxta cognationes Caathitarum: ipsis enim sorte contigerant.
55 Dederunt igitur eis Hebron in terra Juda, E & suburbana ejus per circuitum:
56 * Agros autem civitatis, & villas, Caleb filio Jephone. * Ios. 21. b. 12.
57 Porrò filiis Aaron dederunt civitates ad confugiendum, Hebron, & Lobna & suburbana ejus,
58 Jether quoque & Esthemo cum suburbanis suis, sed & Helon & Dabir cum suburbanis suis,
59 Asan quoque & Bethsemes & suburbana earum.
60 De tribu autem Benjamin, Gabee, & suburbana ejus, & Almath cum suburbanis suis, Anathoth quoque cum suburbanis suis. omnes civitates, tredecim, per cognationes suas.
61 Filiis autem Caath residuis de cognatione sua, dederunt ex dimidia tribu Manasse in possessionem urbes decem.
62 Porrò filiis Gersom per cognationes suas, de tribu Issachar, & de tribu Aser, & de tribu Nephthali, & de tribu Manasse in Basan, urbes tredecim.
63 Filiis autem Merari per cognationes suas, de tribu Ruben, & de tribu Gad, & de tribu Zabulon, dederunt sorte civitates duodecim.
64 Dederunt quoque filij Israël Levitis civitates, & suburbana earum:
65 Dederúntque per sortem, ex tribu filiorum Juda, & ex tribu filiorum Simeon, & ex tribu filiorum Benjamin, urbes has quas vocaverunt nominibus suis,
66 Et his qui erant de cognatione filiorum Caath,

* Ios. 21. b. 21. Caath, * fuerúntque civitates in terminis eorum de tribu Ephraim.
67 Dederunt ergo eis urbes ad confugiendum, Sichem cum Suburbanis suis in monte Ephraim, & Gazer cum suburbanis suis,
68 Jecmaan quoque cum suburbanis suis, & Bethoron similiter,
69 Necnon & Helon cum suburbanis suis, & Gethremmon in eumdem modum.
70 Porrò ex dimidia tribu Manasse, Aner, & suburbana ejus, Baalam & suburbana ejus: his videlicet, qui de cognatione filiorum Caath reliqui erāt.
71 Filiis autem Gersom, de cognatione dimidiæ tribus Manasse, Gaulon in Basan & suburbana ejus, & Astharoth cum suburbanis suis.
G 72 De tribu Issachar, Cedes & suburbana ejus, & Dabereth cum suburbanis suis.
73 Ramoth quoque & suburbana ejus, & Anem cum suburbanis suis.
74 De tribu verò Aser: Masal cum suburbanis suis, & Abdon similiter,
75 Hucac quoque & suburbana ejus, & Rohob cum suburbanis suis.
76 Porrò de tribu Nephthali Cedes in Galilæa & suburbana ejus, Hamon cum suburbanis suis, & Cariathaim & suburbana ejus.
77 Filiis autem Merari residuis: de tribu Zabulon, Remmono & suburbana ejus, & Thabor cum suburbanis suis:
78 Trans Jordanem quoque ex adverso Jericho contra Orientem Jordanis, de tribu Ruben, Bosor in solitudine cum suburbanis suis, & Jassa cum suburbanis suis,
79 Cademoth quoque & suburbana ejus, & Mephaat cum suburbanis suis.
80 Necnon & de tribu Gad, Ramoth in Galaad & suburbana ejus, & Manaim cum suburbanis suis,
81 Sed & Hesebon cum suburbanis suis, & Jezer cum suburbanis suis.

CAPUT VII.

Genealogia Issachar, Benjamin, Nephthali, Manasse, Ephraim, & Aser.

A Gen. 46. b. 13. 1 PORrò filij Issachar: Thola, & Phua, Jasub, & Simeron, quattuor.
2 Filij Thola: Ozi & Raphaia, & Jeriel, & Jemai, & Jebsē, & Samuel, principes per domos cognationum suarum. De stirpe Thola viri fortissimi numerati sunt in diebus David, viginti duo millia sexcēti.
3 Filij Ozi: Izrahia, de quo nati sunt Michaël, & Obadia, & Johel, & Jesia, quinque omnes principes.
4 Cúmque eis per familias & populos suos, accincti ad prælium, viri fortissimi, triginta sex millia: multas enim habuerunt uxores, & filios.
5 Fratres quoque eorum per omnem cognationem Issachar, robustissimi ad pugnandum, octoginta septem millia numerati sunt.
B * Gen. 46.c.21. 6 Filij * Benjamin: Bela, & Bechor, & Jadiel, tres.
7 Filij Bela: Esbon, & Ozi, & Oziel, & Jerimoth, & Urai, quinque principes familiarum, & ad pugnandum robustissimi: numerus autem eorum, viginti duo millia & triginta quattuor.
8 Porrò filij Bechor: Zamira, & Joas, & Eliezer, & Elioënai, & Amri, & Jerimoth, & Abia, & Anathoth, & Almath: omnes hi, filij Bechor.
9 Numerati sunt autem per familias suas principes cognationum suarum, ad bella fortissimi, viginti millia & ducenti.
10 Porrò filij Jadihel: Balan. Filij autem Balan: C Jehus, & Benjamin, & Aod, & Chanana, & Zethan, & Tharsis, & Ahisahar.
11 Omnes hi filij Jadihel, principes cognationum suarum, viri fortissimi, decem & septem millia & ducenti, ad prælium procedentes.
12 Sepham quoque & Hapham filij Hir: & Hasim filij Aher.
13 * Filij autem Nephthali: Jasiel, & Guni, & Jeser, & Sellum, filij Bala. * Gen. 46.c.23.
14 Porrò filius Manasse, Esriel: concubináque ejus Syra peperit Machir patrem Galaad.
15 Machir autem accepit uxores filiis suis Happhim & Saphan: & habuit sororem nomine Maacha: nomen autem secundi, Salphaad, natæque sunt Salphaad filiæ.
16 Et peperit Maacha uxor Machir filium, vocavítque nomen ejus Phares: porrò nomen fratris ejus, Sares: & filij ejus, Ulam, & Recen. D
17 Filius autem Ulam, Badan. hi sunt filij Galaad, filij Machir, filij Manasse.
18 Soror autem ejus Regina peperit Virum decorum, & Abiezer, & Mohola.
19 Erant autem filij Semida, Ahin, & Sechem, & Leci, & Aniam.
20 Filij autem Ephraim: Suthala, Bared filius ejus, Thahath filius ejus, Elada filius ejus, Thahath filius ejus, hujus filius Zabad,
21 Et hujus filius Suthala, & hujus filius Ezer & Elad: occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descenderant ut invaderent possessiones eorū.
22 Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus, & venerunt fratres ejus ut consolarentur eum. E
23 Ingressúsque est ad uxorem suam: quæ concepit, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Beria, eò quòd in malis domus ejus ortus esset:
24 Filia autem ejus fuit Sara, quæ ædificavit Bethoron inferiorem & superiorem, & Ozensara.
25 Porrò filius ejus Rapha, & Reseph, & Thale, de quo natus est Thaan,
26 Qui genuit Laadan: hujus quoque filius Ammiud, qui genuit Elizama,
27 De quo ortus est Nun, qui habuit filiū Josue.
28 Possessio autē eorū & habitatio, Bethel cū filiabus suis, & contra Orientem Noran, ac Occidētalem plagam Gazer & filiæ ejus, Sichem quoque F cum filiabus suis, usque ad Aza cum filiabus ejus.
29 Juxta filios quoque Manasse, Bethsan & filias ejus, Thanach & filias ejus, Mageddo & filias ejus: Dor & filias ejus: in his habitaverunt filij Joseph, filij Israël.
30 Filij * Aser: Jemna, & Jesua, & Jessui, & Baria, & Sara soror eorum. * Gen. 46.b.17.
31 Filij autem Baria: Heber, & Melchiel: ipse est pater Barsaith.
32 Heber autem genuit Jephlat, & Somer, & Hothan, & Suaa sororem eorum.
33 Filij Jephlat: Phosech, & Chamaal, & Asoth: hi filij Jephlat. G
34 Porrò filij Somer: Ahi, & Roaga, & Haba, & Aram.

Universidad de Deusto
Biblioteca

35 Filij autem Helem fratris ejus: Supha, & Jemna, & Selles, & Amal.
36 Filij supha: Sue, Harnapher, & Sual, & Beri, & Jamra,
37 Bosor, & Hod, & Samma, & Saluſa, & Jethran, & Bera.
38 Filij Jether: Jephone, & Phaſpha, & Ara.
39 Filij autem Olla: Aree, & Haniel, & Reſia.
40 Omnes hi filij Aſer, principes cognationum, electi atque fortiſſimi duces ducum: numerus autem eorum ætatis quæ apta eſſet ad bellum, viginti ſex millia.

CAPUT VIII.

Rurſum genealogia Benjamin & Saul, filiorúmque ipſius.

A 1 BEnjamin autem genuit Bale primogenitum ſuum, Asbel ſecundum, Ahara tertium.
Gen. 46. c. 21. Sup. 7. b. 6.
2 Nohaa quartum, & Rapha quintum.
3 Fuerúntque filij Bale: Addar, & Gera, & Abiud,
4 Abiſue quoque & Naaman, & Ahoë,
5 Sed & Gera, & Sephuphan, & Huram.
6 Hi ſunt filij Ahod, principes cognationum habitantium in Gabaa, qui tranſlati ſunt in Manahath.
7 Naaman autem, & Achia, & Gera ipſe tranſtulit eos, & genuit Oza, & Ahiud.
8 Porrò Saharaim genuit in regione Moab, poſtquam dimiſit Huſim & Bara uxores ſuas.
9 Genuit autem de Hodes uxore ſua Jobab, & Sebia, & Moſa, & Molchom,
10 Jehus quoque, & Sechia, & Marma. hi ſunt filij ejus, principes in familiis ſuis.
B 11 Mehuſim verò genuit Abitob, & Elphaal.
12 Porrò filij Elphaal: Heber, & Miſaam, & Samad: hic ædificavit Ono, & Lod, & filias ejus.
13 Baria autem & Sama, principes cognationum habitantium in Aialon: hi fugaverunt habitatores Geth.
14 Et Ahio, & Seſac, & Jerimoth,
15 Et Zabadia, & Arod, & Heder,
16 Michaël quoque, & Jeſpha, & Joha, filij Baria.
17 Et Zabadia, & Moſollam, & Hezeci, & Heber,
18 Et Jeſamari, & Jezlia, & Jobab, filij Elphaal,
19 Et Jacim, & Zechri, & Zabdi,
20 Et Elioënai, & Selethai, & Eliel,
21 Et Adaia, & Baraia, & Samarath filij Semei.
22 Et Jeſpham, & Heber, & Eliel,
23 Et Abdon, & Zechri, & Hanan,
24 Et Hanania, & Ælam, & Anathothia,
25 Et Jephdaia, & Phanuel filij Seſac,
26 Et Samſari, & Sohoria, & Otholia,
27 Et Jerſia, & Elia, & Zechri, filij Jeroham.
C 28 Hi patriarchæ, & cognationum principes, qui habitaverunt in Jeruſalem.
** Inf. 9. f. 35.*
29 In * Gabaon autem habitaverunt Abigabaon, & nomen uxoris ejus Maacha:
30 Filiúſque ejus primogenitus Abdon, & Sur, & Cis, & Baal, & Nadab.
31 Gedor quoque, & Ahio, & Zacher, & Macelloth:
32 Et Macelloth genuit Samaa: habitaverúntque ex adverſo fratrum ſuorum in Jeruſalem cum fratribus ſuis.
** 1. Reg. 14. g. 51. Inf. 9. g. 39.*
33 * Ner autem genuit Cis, & Cis genuit Saul. Porrò Saul genuit Jonathan, & Melchiſua, & Abinadab, & Esbaal.
34 Filius autem Jonathan, Meribbaal: & Meribbaal genuit Micha.
35 Filij Micha, Phithon, & Melech, & Tharaa, & Ahaz.
36 Et Ahaz genuit Joada: & Joada genuit Alamath, & Azmoth, & Zamri: porrò Zamri genuit D
Moſa,
37 Et Moſa genuit Banaa, cujus filius fuit Rapha, de quo ortus eſt Elaſa, qui genuit Aſel.
38 Porrò Aſel ſex filij fuerunt his nominibus, Ezricam, Bocru, Iſmaël, Saria, Obdia, & Hanan. omnes hi filij Aſel.
39 Filij autem Eſec fratris ejus, Ulam primogenitus, & Jehus ſecundus, & Eliphalet tertius.
40 Fuerúntque filij Ulam viri robuſtiſſimi, & magno robore tendentes arcum: & multos habentes filios ac nepotes, uſque ad centum quinquaginta. Omnes hi, filij Benjamin.

CAPUT IX.

Qui primi filiorum Iſraël habitaverint in Ieruſalem, & officia ſacerdotum ac Levitarum, generationes quoque Saul ac filiorum ejus repetuntur.

1 UNiverſus ergo Iſraël dinumeratus eſt: & ſumma eorum ſcripta eſt in Libro regum A
Iſraël, & Juda: tranſlatíque ſunt in Babylonem propter delictum ſuum.
2 Qui autem habitaverunt primi in poſſeſſionibus, & in urbibus ſuis: Iſraël, & Sacerdotes, & Levitæ, & Nathinæi.
3 Commorati ſunt in Jeruſalem de filiis Juda, & de filiis Benjamin, de filiis quoque Ephraim, & Manaſſe.
4 Othei filius Ammiud, filij Amri, filij Omrai, filij Bonni, de filiis Phares filij Juda.
5 Et de Siloni: Aſaia primogenitus, & filij ejus.
6 De filiis autem Zara: Jehuel, & fratres eorum, ſexcenti nonaginta.
7 Porrò de filiis Benjamin: Salo filius Moſollam, filij Oduia, filij Aſana:
8 Et Jobania filius Jeroham: & Ela filius Ozi, filij Mochori: & Moſollam filius Saphatiæ, filij Ra- B
huel, filij Jebaniæ,
9 Et fratres eorum per familias ſuas, nongenti quinquaginta ſex. Omnes hi, principes cognationum per domos patrum ſuorum.
10 De ſacerdotibus autē: Jedaia, Joiarib, & Jachin:
11 Azarias quoque filius Helciæ, filij Moſollam, filij Sadoc, filij Maraioth, filij Achitob, pontifex domus Dei.
12 Porrò Adaias, filius Jeroham, filij Phaſſur, filij Melchiæ: & Maaſai filius Adiel, filij Jezra, filij Moſollam, filij Moſollamith, filij Emmer.
13 Fratres quoque eorum principes per familias ſuas, mille ſeptingenti ſexaginta, fortiſſimi robore ad faciendum opus miniſterij in domo Dei. C
14 De Levitis autem: Semeia filius Haſſub, filij Ezricam, filij Haſebia, de filiis Merari.
15 Bacbacar quoque carpentarius, & Galal, & Mathania filius Micha, filij Zechri, filij Aſaph:
16 Et Obdia filius Semeiæ, filij Galal, filij Idithun: & Barachia filius Aſa, filij Elcana, qui habitavit in atriis Netophati.
17 Janitores autem: Sellum, & Accub, & Telmon, & Ahimam, & frater eorum Sellum princeps,
18 Uſque

18 Uſque ad illud tempus, in porta regis ad Orientem, obſervabant per vices ſuas de filiis Levi.
19 Sellum verò filius Core, filij Abiaſaph, filij D
Core, cum fratribus ſuis, & domo patris ſui, hi ſunt Coritæ ſuper opera miniſterij, cuſtodes veſtibulorum tabernaculi: & familiæ eorum per vices caſtrorum Domini cuſtodientes introitum.
20 Phinees autem filius Eleazari, erat dux eorum coram Domino.
21 Porrò Zacharias filius Moſollamia, janitor portæ tabernaculi teſtimonij.
22 Omnes hi electi in oſtiarios per portas, ducenti duodecim: & deſcripti in villis propriis: quos conſtituerunt David, & Samuel Videns, in fide ſua,
23 Tam ipſos, quàm filios eorum, in oſtiis domus Domini, & in tabernaculo, vicibus ſuis.
24 Per quattuor ventos erant oſtiarij: id eſt ad Orientem, & ad Occidentem, & ad Aquilonem, & ad Auſtrum.
25 Fratres autem eorum in viculis morabantur, & veniebant in ſabbatis ſuis de tempore uſque ad tempus.
26 His quattuor Levitis creditus erat omnis E
numerus janitorum, & erant ſuper exedras, & theſauros domus Domini.
27 Per gyrum quoque templi Domini morabantur in cuſtodiis ſuis: ut cùm tempus fuiſſet, ipſi manè aperirent fores.
28 De horum genere erant & ſuper vaſa miniſterij: ad numerum enim & inferebantur vaſa, & efferebantur.
29 De ipſis, & qui credita habebant utenſilia ſanctuarij, præerant ſimilæ, & vino, & oleo, & thuri, & aromatibus.
30 Filij autem ſacerdotum unguenta ex aromatibus conficiebant.
31 Et Mathathias Levites primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum quæ in ſartagine frigebantur.
32 Porrò de filiis Caath fratribus eorum, ſuper F
panes erant propoſitionis, ut ſemper novos per ſingula ſabbata præpararent.
33 Hi ſunt principes cantorum per familias Levitarum, qui in exedris morabantur, ut die ac nocte jugiter ſuo miniſterio deſervirent.
34 Capita Levitarum, per familias ſuas principes, manſerunt in Jeruſalem.
** Sup. 9. c. 29.*
35 In * Gabaon autem commorati ſunt, pater Gabaon Jehiel, & nomen uxoris ejus Maacha.
36 Filius primogenitus ejus Abdon, & Sur, & Cis, & Baal, & Ner, & Nadab,
37 Gedor quoque, & Ahio, & Zacharias, & Macelloth.
38 Porrò Macelloth genuit Samaan: iſti habita- G
verunt è regione fratrum ſuorum in Jeruſalem, cum fratribus ſuis.
** Sup. 8. c. 33.*
39 * Ner autem genuit Cis: & Cis genuit Saul: & Saul genuit Jonathan, & Melchiſua, & Abinadab, & Esbaal.
40 Filius autem Jonathan, Meribbaal: & Meribbaal genuit Micha.
41 Porrò filij Micha, Phithon, & Melech, & Tharaa, & Ahaz.
42 Ahas autē genuit Jara, & Jara genuit Alamath,

& Azmoth, & Zamri. Zamri autem genuit Moſa.
43 Moſa verò genuit Banaa: cujus filius Raphaia, genuit Elaſa: de quo ortus eſt Aſel.
44 Porrò Aſel ſex filios habuit his nominibus, Ezricam, Bocru, Iſmahel, Saria, Obdia, Hanan. hi ſunt filij Aſel.

CAPUT X.

Saul propter varias iniquitates à Philiſthæis occiditur cum filiis; ejuſque capite à Philiſthæis amputato, reliquum corpus cum filiis ſepelitur à viris Jabes Galaad.

1 PHiliſthiim autem pugnabant contra Iſraël, A
fugerúntque viri Iſraël Palæſthinos, & ce- *1. Reg. 31. a. 1.*
ciderunt vulnerati in monte Gelboë.
2 Cúmque appropinquaſſent Philiſthæi perſequentes Saul, & filios eius, percuſſerunt Jonathan, & Abinadab, & Melchiſua, filios Saul.
3 Et aggravatum eſt prælium contra Saul, invenerúntque eum ſagittarij, & vulneraverūt jaculis.
4 Et dixit Saul ad armigerum ſuum: Evagina gladium tuum, & interfice me: ne fortè veniant B
incircumciſi iſti, & illudant mihi. Noluit autem armiger ejus hoc facere, timore perterritus: arripuit ergo Saul enſem, & irruit in eum.
5 Quod cùm vidiſſet armiger eius, videlicet mortuum eſſe Saul, irruit etiam ipſe in gladium ſuum, & mortuus eſt.
6 Interiit ergo Saul, & tres filij ejus, & omnis domus illius pariter concidit.
7 Quod cùm vidiſſent viri Iſraël, qui habitabant in campeſtribus, fugerunt: & Saul ac filiis ejus mortuis, dereliquerunt urbes ſuas, & huc illúcque diſperſi ſunt: venerúntque Philiſthiim, & habitaverunt in eis. C
8 Die igitur altero detrahentes Philiſthiim ſpolia cæſorum, invenerunt Saul, & filios ejus jacentes in monte Gelboë.
9 Cúmque ſpoliaſſent eum, & amputaſſent caput, armíſque nudaſſent, miſerunt in terram ſuam, ut circumferretur, & oſtenderetur idolorum templis, & populis:
10 Arma autem ejus conſecraverunt in fano dei ſui, & caput affixerunt in templo Dagon.
11 Hoc cùm audiſſent viri Jabes Galaad omnia ſcilicet quæ Philiſthiim fecerant ſuper Saul,
12 Conſurrexerunt ſinguli virorum fortium, & D
tulerunt cadavera Saul & filiorum ejus: attulerúntque ea in Jabes, & ſepelierunt oſſa eorum ſubter quercum, quæ erat in Jabes, & jejunaverunt ſeptem diebus.
13 Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eò quòd prævaricatus ſit * mandatum Domini ** Exod. 17. d. 14. 1. Reg. 15. a. 3.*
quod præceperat, & non cuſtodierit illud: ſed * inſuper etiam pythoniſſam conſuluerit,
14 Nec ſperaverit in Domino: propter quod ** 1. Reg. 28. b. 8.*
interfecit eum, & tranſtulit regnum ejus ad David filium Iſai.

CAPUT XI.

Victus David in regem devictis Iebuſæis habitavit in Ieruſalem ſtipatus potentiſſimis ac ſtrenuiſſimis militibus, quorum heroica geſta narrantur: noluit David deſideratam bibere aquam, eò quòd cum fortium ſuorū periculo allata eſſet.

1 COngregatus eſt igitur omnis Iſraël ad Da- A
vid in Hebron, dicens: Os tuum ſumus, & *2. Reg. 5. a. 1.*
caro tua.
2 Heri quoque, & nudiuſtertius, cùm adhuc

Universidad de Deusto
Biblioteca

regnaret Saul, tu eras qui educebas, & introducebas Iſraël: tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu paſces populum meum Iſraël, & tu eris princeps ſuper eum.

3 Venerunt ergo omnes majores natu Iſraël ad regem in Hebron, & iniit David cum eis fœdus coram Domino: unxerúntque eum regem ſuper Iſraël, juxta ſermonem Domini, quem locutus eſt in manu Samuel.

B 4 Abiit quoque David, & omnis Iſraël, in Jeruſalem. hæc eſt Jebus, ubi erant Jebuſæi habitatores terræ.

5 Dixerúntque qui habitabant in Jebus ad David: Non ingredieris huc. Porrò David cepit arcem Sion, quæ eſt Civitas David,

6 Dixítque: Omnis qui percuſſerit Jebuſæum in primis, erit princeps & dux. Aſcendit igitur primus Joab filius Sarviæ, & factus eſt princeps.

7 Habitavit autem David in arce, & idcircò appellata eſt Civitas David.

8 Ædificavítque urbem in circuitu à Mello uſque ad gyrum, Joab autem reliqua urbis extruxit.

9 Proficiebátque David vadens & creſcens, & Dominus exercituum erat cum eo.

C 10 *Hi principes virorum fortium David, qui
*2.Reg. 23.a.8. adjuverunt eum ut rex fieret ſuper omnem Iſraël, juxta verbum Domini, quod locutus eſt ad Iſraël.

11 Et iſte numerus robuſtorum David: Jesbaam filius Achamoni princeps inter triginta: iſte levavit haſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos una vice.

12 Et poſt eum Eleazar filius patrui ejus Ahohites, qui erat inter tres potentes.

13 Iſte fuit cum David in Phesdomim, quando Philiſthiim congregati ſunt ad locum illum in prælium: & erat ager regionis illius plenus hordeo, fugerátque populus à facie Philiſthinorum.

14 Hi ſteterunt in medio agri, & defenderunt eum: cúmque percuſſiſſent Philiſthæos, dedit Dominus ſalutem magnam populo ſuo.

D 15 Deſcenderunt autem tres de triginta principibus ad petram, in qua erat David, ad ſpeluncam Odollam, quando Philiſthiim fuerant caſtrametati in Valle raphaim.

*2.Reg. 23.b.14. 16 * Porrò David erat in præſidio, & ſtatio Philiſthinorum in Bethlehem.

17 Deſideravit igitur David, & dixit: O ſi quis daret mihi aquam de ciſterna Bethlehem, quæ eſt in porta.

18 Tres ergo iſti per media caſtra Philiſthinorum perrexerunt, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat in porta, & attulerunt ad David ut biberet: qui noluit, ſed magis libavit illam Domino,

E 19 Dicens: Abſit ut in conſpectu Dei mei hoc faciam, & ſanguinem iſtorum virorum bibam: quia in periculo animarum ſuarum attulerunt mihi aquam. Et ob hanc cauſam noluit bibere. hæc fecerunt tres robuſtiſſimi.

20 Abiſai quoque frater Joab ipſe erat princeps trium, & ipſe levavit haſtã ſuam contra trecentos vulneratos, & ipſe erat inter tres nominatiſſimus.

21 Et inter tres ſecũdos inclytus, & princeps eorũ: verumtamen uſque ad tres primos non pervenerat.

22 Banaias filius Joiadæ viri robuſtiſſimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabſeel: ipſe percuſſit duos ariel Moab: & ipſe deſcendit, & interfecit leonem in media ciſterna tempore nivis.

23 Et ipſe percuſſit virum Ægyptium, cujus ſtatura erat quinque cubitorum, & habebat lanceam ut liciatorium texentium: deſcendit igitur ad eum cum virga, & rapuit haſtam, quam tenebat manu, & interfecit eum haſta ſua.

24 Hæc fecit Banaias filius Joiadæ, qui erat inter F
tres robuſtos nominatiſſimus,

25 Inter triginta primus, verumtamen ad tres uſque non pervenerat: poſuit autem eum David ad auriculam ſuam.

26 Porrò fortiſſimi viri in exercitu, Aſahel frater Joab, & Elchanaan filius patrui ejus de Bethlehem,

27 Sammoth Arorites, Helles Phalonites,

28 Ira filius Acces Thecuites, Abiezer Anathothites,

29 Sobbachai Huſathites, Ilai Ahohites,

30 Maharai Netophathites, Heled filius Baana Netophathites,

31 Ethai filius Ribai de Gabaath filiorum Ben- G
jamin, Banaia Pharatonites,

32 Hurai de Torrente Gaas, Abiel Arbathites, Azmoth Baüramites, Eliaba Salabonites.

33 Filij Aſſem Gezonites, Jonathan filius Sage Ararites,

34 Ahiam filius Sachar Ararites,

35 Eliphar filius Ur,

36 Hepher Mecherathites, Ahia Phelonites,

37 Heſro Carmelites, Naarai filius Asbai.

38 Joel frater Nathan, Mibahar filius Agarai.

39 Selec Ammonites, Naarai Berothites armiger Joab filij Sarviæ.

40 Ira Jethræus, Gareb Jethræus,

41 Urias Hethæus, Zabad filius Oholi,

42 Adina filius Siza Rubenites princeps Rubenitarum, & cum eo triginta:

43 Hanan filius Maacha, & Joſaphat Mathanites,

44 Ozia Aſtarothites, Samma & Jehiel filij Hotham Arorites,

45 Jedihel filius Samri, & Joha frater eius Thoſaites,

46 Eliel Mahumites, & Jeribai, & Joſaia filij Elnaëm, & Jethma Moabites, Eliel, & Obed, & Jaſiel de Maſobia.

CAPUT XII.

Qui David fuerant ſecuti fugientem Saul, & qui poſtea ex omnibus tribubus venerunt ut eum regem conſtituerent in Hebron.

1 HI quoque venerunt ad David in Siceleg, A
cùm adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortiſſimi & egregij pugnatores,

2 Tendentes arcum, & utraque manu fundis ſaxa jacientes, & dirigentes ſagittas: de fratribus Saul ex Benjamin.

3 Princeps Ahiezer, & Joas, filij Samaa, Gabaathites, & Jaziel, & Phallet filij Azmoth, & Baracha, & Jehu Anathotites.

4 Samaias quoque Gabaonites fortiſſimus inter triginta & ſuper triginta. Jeremias, & Jeheziel, & Johanan, & Jezabad Gaderothites.

5 Et Eluzai & Jerimuth, & Baalia, & Samaria, & Saphatia Haruphites.

6 Elcana

6 Elcana, & Jeſia, & Azareel, & Joëzer, & Jesbaam de Carehim:

B 7 Joëla quoque, & Zabadia, filij Jerohã de Gedor.

8 Sed & de Gaddi transfugerunt ad David, cùm lateret in deſerto, viri robuſtiſſimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & haſtam: facies eorum quaſi facies leonis, & veloces quaſi capreæ in montibus:

9 Ezer princeps, Obdias ſecundus, Eliab tertius,

10 Maſmana quartus, Jeremias quintus,

11 Ethi ſextus, Eliel ſeptimus,

12 Johanan octavus, Elzebad nonus,

13 Jeremias decimus, Machbanai undecimus.

14 Hi de filiis Gad principes exercitus: noviſſimus centum militibus præerat, & maximus mille.

15 Iſti ſunt qui tranſierunt Jordanem menſe primo, quando inundare conſuevit ſuper ripas ſuas: & omnes fugaverunt qui morabantur in vallibus ad Orientalem plagam, & Occidentalem.

C 16 Venerunt autem & de Benjamin, & de Juda, ad præſidium in quo morabatur David.

17 Egreſſúſque eſt David obviàm eis, & ait: Si pacificè veniſtis ad me ut auxiliemini mihi, cor meum jungatur vobis: ſi autem inſidiamini mihi pro adverſariis meis, cùm ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum noſtrorum, & judicet.

18 Spiritus verò induit Amaſai principem inter triginta, & ait: Tui ſumus ô David, & tecum fili Iſai: pax, pax tibi, & pax adjutoribus tuis. te enim adjuvat Deus tuus. Suſcepit ergo eos David, & conſtituit principes turmæ.

19 Porrò de Manaſſe transfugerunt ad David, quando veniebat cum Philiſthiim adverſus Saul, ut
*1.Reg. 29.b.4. pugnaret: & non dimicavit cum eis; *quia inito conſilio remiſerunt eum principes Philiſthinorum, dicentes: Periculo capitis noſtri revertetur ad dominum ſuum Saul.

D 20 Quando igitur reverſus eſt in Siceleg, transfugerunt ad eum de Manaſſe, Ednas, & Jozabad, & Jedihel, & Michaël, & Ednas, & Jozabad, & Eliu, & Salathi, principes millium in Manaſſe.

21 Hi præbuerunt auxilium David adverſus latrunculos: omnes enim erant viri fortiſſimi, & facti ſunt principes in exercitu.

22 Sed & per ſingulos dies veniebant ad David ad auxiliandum ei, uſque dum fieret grandis numerus, quaſi exercitus Dei.

23 Iſte quoque eſt numerus principum exercitus, qui venerũt ad David, cùm eſſet in Hebron, ut trãſferrent regnũ Saul ad eum, juxta verbum Domini.

24 Filij Juda portantes clypeum & haſtam, ſex millia octingenti expediti ad prælium.

25 De filiis Simeon, virorum fortiſſimorum ad pugnandum, ſeptem millia centum.

26 De filiis Levi, quattuor millia ſexcenti.

27 Joiada quoque princeps de ſtirpe Aaron, & cum eo tria millia ſeptingenti.

E 28 Sadoc etiam puer egregiæ indolis, & domus patris ejus, principes viginti duo.

29 De filiis autem Benjamin fratribus Saul tria millia: magna enim pars eorum adhuc ſequebatur domum Saul.

30 Porrò de filiis Ephraim viginti millia octingenti, fortiſſimi robore, viri nominati in cognationibus ſuis.

31 Et ex dimidia tribu Manaſſe, decem & octo millia, ſinguli per nomina ſua venerunt ut conſtituerent regem David.

32 De filiis quoque Iſſachar viri eruditi, qui no- F
verant ſingula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Iſraël, principes ducenti: omnis autem reliqua tribus, eorum conſilium ſequebatur.

33 Porrò de Zabulon qui egrediebantur ad prælium, & ſtabant in acie inſtructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium, non in corde duplici.

34 Et de Nephthali, principes mille: & cum eis inſtructi clypeo & haſta, triginta & ſeptẽ millia.

35 De Dan etiam præparati ad prælium, viginti octo millia ſexcenti.

36 Et de Aſer egredientes ad pugnam, & in acie provocantes, quadraginta millia.

37 Trans Jordanem autem de filiis Ruben, & de Gad, & dimidia parte tribus Manaſſe, inſtructi armis bellicis, centum viginti millia.

38 Omnes iſti viri bellatores expediti ad pu- G
gnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, ut conſtituerent regem David ſuper univerſum Iſraël: ſed & omnes reliqui ex Iſraël, uno corde erant, ut rex fieret David.

39 Fuerúntque ibi apud David tribus diebus comedentes & bibentes. præparaverant enim eis fratres ſui.

40 Sed & qui juxta erant, uſque ad Iſſachar, & Zabulon, & Nephthali, afferebant panes in aſinis, & camelis, & mulis, & bobus, ad veſcendum: farinam, palathas, uvam paſſam, vinum, oleum, boves, arietes ad omnem copiam. gaudium quippe erat in Iſraël.

CAPUT XIII.

A Cariathiarim reducitur arca Domini de domo Abinadab, omni Iſraël cum David ante eam ludentibus: ſed quia Oza arcam contingens à Domino percuſſus eſt, avertit eam David in domum Obededom, cui ex eo tempore benedixit Dominus.

1 INiit autem conſilium David cum tribunis, & A
centurionibus, & univerſis principibus,

2 Et ait ad omnem cœtum Iſraël: Si placet vobis: & à Domino Deo noſtro egreditur ſermo, quem loquor: mittamus ad fratres noſtros reliquos in univerſas regiones Iſraël, & ad Sacerdotes, & Levitas, qui habitant in ſuburbanis urbium, ut congregentur ad nos,

3 Et reducamus arcam Dei noſtri ad nos: non enim requiſivimus eam in diebus Saul.

4 Et reſpondit univerſa multitudo ut ita fieret: B
placuerat enim ſermo omni populo.

5 Congregavit ergo David cunctum Iſraël, à Sihor Ægypti, uſque dum ingrediaris Emath,
*2.Reg. 6.a.2. * ut adduceret arcam Dei de Cariathiarim.

6 Et aſcendit David, & omnis vir Iſraël, ad collem Cariathiarim, qui eſt in Juda, ut afferret inde arcam Domini Dei ſedentis ſuper cherubim, ubi invocatum eſt nomen ejus.

7 Impoſuerúntque arcam Dei ſuper plauſtrum novum, de domo Abinadab: Oza autem, & frater ejus, minabant plauſtrum.

8 Porrò

Universidad de Deusto
Biblioteca

8 Porrò David, & universus Israël, ludebant coram Deo omni virtute in canticis, & in citharis, & psalteriis, & tympanis, & cymbalis, & tubis.

9 Cùm autem perveníssent ad Aream Chidon, tetendit Oza manum suam, ut sustentaret arcam: bos quippe lasciviens paululùm inclinaverat eam.

10 Iratus est itaque Dominus contra Ozam, & percussit eum, eò quòd tetigisset arcam: & mortuus est ibi coram Domino.

D 11 Contristatúsque est David, eò quòd divisisset Dominus Ozam: vocavítque locum illum: Divisio Ozæ, usque in præsentem diem.

12 Et timuit Deum tunc temporis, dicens: Quo modo possim ad me introducere arcam Dei?

13 Et ob hanc causam non adduxit eam ad se, hoc est, in Civitatem David, sed avertit in domum Obededom Gethæi.

14 Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus: & benedixit Dominus domui ejus, & omnibus quæ habebat.

CAPUT XIV.

David acceptis à rege Tyri lignis & artificibus ad extruendam sibi domum, aliàs ducit uxores, ac multos gignit liberos, & consulto Domino bis cædit Philistæos.

A 1 Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad
2.Reg.5.b.11. David, & ligna cedrina, & artifices parietum, lignorúmque: ut ædificarent ei domum.

2 Cognovítque David quòd confirmasset eum Dominus in regem super Israël, & sublevatum esset regnum suum super populum ejus Israël.

*2 Reg. 5.c.13. 3 * Accepit quoque David alias uxores in Jerusalem: genuítque filios, & filias.

4 Et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei in Jerusalem: Samua, & Sobad, Nathan, & Salomon,

B 5 Jebahar, & Elisua, & Eliphalet,

6 Noga quoque, & Napheg, & Japhia,

7 Elisama, & Baaliada, & Eliphalet.

*1. Reg 5.c.17. 8 * Audientes autem Philisthiim eò quòd unctus esset David in regem super universum Israël, ascenderunt omnes ut quærerent eum: quod cùm audisset David, egressus est obviàm eis.

9 Porrò Philisthiim venientes, diffusi sunt in Valle Raphaim.

10 Consuluítque David Dominum, dicens: Si ascendam ad Philisthæos, & si trades eos in manu mea? Et dixit ei Dominus: Ascende, & tradam eos
C in manu tua.

11 Cúmque illi ascendissent in Baalpharasim, percussit eos ibi David, & dixit: Divisit Deus inimicos meos per manum meam, sicut dividuntur aquæ: & idcircò vocatum est nomen illius loci Baalpharasim.

12 Dereliquerúntque ibi deos suos, quos David jussit exuri.

13 Alia etiam vice Philisthiim irruerunt, & diffusi sunt in valle.

14 Consuluítque rursum David Deum, & dixit
D ei Deus: Non ascendas post eos, recede ab eis, & venies contra illos ex adverso pyrorum.

15 Cúmque audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc egredieris ad bellum. Egressus est enim Deus ante te, ut percutiat castra Philisthiim.

16 Fecit ergo David sicut præceperat ei Deus, & percussit castra Philisthinorum, de Gabaon usque Gazera.

17 Divulgatúmque est nomen David in universis regionibus, & Dominus dedit pavorem ejus super omnes gentes.

CAPUT XV.

Deducitur magno cum apparatu arca Dei in Ierusalem, comitante omni Israël, sacerdotibus verò ac Levitis juxta sua officia ministrantibus; & Michol despicit David coram arca saltantem, indutum stola byssina, & ephod lineo.

1 Fecit quoque sibi domos in Civitate David: A
& ædificavit locum arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum.

2 Tunc dixit David: Illicitum est ut à quocumque portetur arca Dei nisi à Levitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, & ad ministrandum sibi usque in æternum.

3 Congregavítque universum Israël in Jerusalem, ut afferretur arca Dei in locum suum, quem præparaverat ei.

4 Necnon & filios Aaron, & Levitas.

5 De filiis Caath, Uriel princeps fuit, & fratres ejus centum viginti.

6 De filiis Merari, Asaia princeps; & fratres ejus ducenti viginti.

7 De filiis Gersom, Joël princeps; & fratres ejus centum triginta.

8 De filiis Elisaphan, Semeias princeps; & fratres ejus ducenti.

9 De filiis Hebron, Eliel princeps; & fratres ejus octoginta.

10 De filiis Oziel, Aminadab princeps; & fratres ejus centum duodecim. B

11 Vocavítque David Sadoc, & Abiathar Sacerdotes, & Levitas, Uriel, Asaiam, Joël, Semeiam, Eliel & Aminadab:

12 Et dixit ad eos: Vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte arcam Domini Dei Israël, ad locum qui ei præparatus est:

13 * Ne ut à principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus; sic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus. *Sup. 13. c. 10.

14 Sanctificati sunt ergo Sacerdotes, & Levitæ, ut portarent arcam Domini Dei Israël.

15 * Et tulerunt filij Levi arcam Dei, sicut præceperat Moyses juxta verbum Domini, humeris suis, in vectibus. * Num. 4.b.15.

16 Dixítque David principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet, & lyris, & cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ.

17 Constituerúntque Levitas: Hemam filium Joël, & de fratribus ejus, Asaph filium Barachiæ: de filiis verò Merari, fratribus eorum, Ethan filium Casaiæ.

18 Et cum eis fratres eorum: in secundo ordine, Zachariam, & Ben, & Jaziel, & Semiramoth, & Jahiel, & Ani, Eliab, & Banaiam, & Maasiam, & Mathathiam, & Eliphalu, & Maceniam, & Obededom, & Jehiel, janitores.

19 Porrò cantores, Heman, Asaph, & Ethan; in cymbalis æneis concrepantes. C

20 Zacharias autem, & Oziel, & Semiramoth, &

& Jahiel, & Ani, & Eliab, & Maasias, & Banaias, in nablis arcana cantabant.

21 Porrò Mathathias, & Eliphalu, & Macenias, & Obededom, & Jehiel, & Ozaziu, in citharis pro octava canebant epinicion.

22 Chonenias autem princeps Levitarum, prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiam: erat quippe valdè sapiens.

23 Et Barachias, & Elcana, janitores arcæ.

24 Porrò Sebenias, & Josaphat, & Nathanaël, & Amasai, & Zacharias, & Banaias, & Eliezer, sacerdotes, clangebant tubis coram arca Dei: & Obededom, & Jehias, erant janitores arcæ.

D *2.Reg. 6.b.12. 25 * Igitur David, & omnes majores natu Israël, & tribuni, ierunt ad deportandam arcam fœderis Domini de domo Obededom, cum lætitia.

26 Cúmque adjuvisset Deus Levitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri, & septem arietes.

27 Porrò David erat indutus stola byssina, & universi Levitæ qui portabant arcam, cantorésque, & Chonenias princeps prophetiæ inter cantores: David autem etiam indutus erat ephod lineo.

28 Universúsque Israël deducebant arcam fœderis Domini in jubilo, & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis, & citharis concrepantes.

29 Cúmque perveníssent arca fœderis Domini usque ad Civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David saltantem atque ludentem, & despexit eum in corde suo.

CAPUT XVI.

Constituta arca in tabernaculo fœderis, oblatísque victimis, & populo à David benedicto, ordinantur varia Levitarum ministeria coram arca, interposito cantico divinæ laudis.

A 1 Attulerunt igitur arcam Dei, & constitue-
2.Reg.6. c.17. runt eam in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David. & obtulerunt holocausta, & pacifica coram Deo.

2 Cúmque complesset David offerens holocausta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini.

3 Et divisit universis per singulos, à viro usque ad mulierem, tortam panis, & partem assæ carnis bubalæ, & frixam oleo similam.

4 Constituítque coram arca Domini de Levitis, qui ministrarent, & recordarentur operum ejus, & glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israël:

5 Asaph principem; & secundum ejus Zachariam: Porrò Jahiel, & Semiramoth, & Jehiel, & Mathathiam, & Eliab, & Banaian, & Obededom: Jehiel super organa psalterij, & lyras: Asaph autem ut cymbalis personaret;

6 Banaiam verò & Jaziel sacerdotes, canere tuba jugiter coram arca fœderis Domini.

7 In illo die fecit David principem ad confitendum Domino Asaph, & fratres ejus.

*Ps.104. a.1. Isai. 12. b.4. 8 * Confitemini Domino, & invocate nomen ejus: notas facite in populis adinventiones ejus.

9 Cantate ei, & psallite ei: & narrate omnia mirabilia ejus.

10 Laudate nomen sanctum ejus: lætetur cor quærentium Dominum.

11 Quærite Dominum, & virtutem ejus: quærite faciem ejus semper.

12 Recordamini mirabilium ejus, quæ fecit: signorum illius, & judiciorum oris ejus. B

13 Semen Israël servi ejus: filij Jacob electi ejus.

14 Ipse Dominus Deus noster: in universa terra judicia ejus.

15 Recordamini in sempiternum pacti ejus: sermonis, quem præcepit in mille generationes.

16 Quem pepigit cum Abraham: & juramenti illius cum Isaac.

17 Et constituit illud Jacob in præceptum: & Israël in pactum sempiternum,

18 Dicens: Tibi dabo Terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ.

19 Cùm essent pauci numero, parvi & coloni ejus.

20 Et transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

21 Non dimisit quemquam calumniari eos, sed increpavit pro eis reges.

22 * Nolite tangere christos meos: & in pro- *Ps.104 b.15.
phetis meis nolite malignari.

23 * Cantate Domino omnis terra: annuntiate *Ps.92. a.1.
ex die in diem salutare ejus. C

24 Narrate in gentibus gloriam ejus: in cunctis populis mirabilia ejus.

25 Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis: & horribilis super omnes deos.

26 Omnes enim dij populorum idola: Dominus autem cælos fecit.

27 Confessio & magnificentia coram eo: fortitudo & gaudium in loco ejus.

28 Afferte Domino familiæ populorum: afferte Domino gloriam & imperium.

29 Date Domino gloriam nomini ejus, levate sacrificium, & venite in conspectu ejus: & adorate Dominum in decore sancto.

30 Commoveatur à facie ejus omnis terra: ipse enim fundavit orbem immobilem.

31 Lætentur cæli, & exultet terra: & dicant in nationibus, Dominus regnavit.

32 Tonet mare, & plenitudo ejus: exultent agri, & omnia quæ in eis sunt.

33 Tunc laudabunt ligna saltus coram Domino: quia venit judicare terram.

34 Confitemini Domino, quoniam bonus: quo- D
niam in æternum misericordia ejus.

35 Et dicite: Salva nos Deus salvator noster, & congrega nos, & erue de gentibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, & exultemus in carminibus tuis.

36 Benedictus Dominus Deus Israël ab æterno usque in æternum: & dicat omnis populus: Amen, & hymnum Domino.

37 Reliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini, Asaph & fratres ejus, ut ministrarent in conspectu arcæ jugiter, per singulos dies, & vices suas.

38 Porrò Obededom, & fratres ejus sexaginta octo; & Obededom filium Idithun, & Hosa constituit janitores.

39 Sadoc autem sacerdotem, & fratres ejus sacerdotes, coram tabernaculo Domini in excelso, quod erat in Gabaon,

Universidad de Deusto
Biblioteca

40 Ut offerrent holocausta Domino super altare holocautomatis jugiter, manè & vesperè, juxta omnia quæ scripta sunt in lege Domini, quam præcepit Israëli.

41 Et post eum Heman, & Idithun, & reliquos electos unumquemque vocabulo suo ad confitendum Domino: Quoniam in æternum misericordia ejus.

42 Heman quoque & Idithun canentes tuba, & quatientes cymbala, & omnia musicorum organa, ad canendum Deo: filios autem Idithun fecit esse portarios.

43 Reversúsque est omnis populus in domum suam, & David, ut benediceret etiam domui suæ.

CAPUT XVII.

Cogitanti David ædificare domum Domino, promittitur filius qui illam sit ædificaturus; unde David gratias agit, Dei erga se bonitatem extollens.

A 1 CUm autem habitaret David in domo sua, dixit ad Nathan prophetam: Ecce ego habito in domo cedrina: arca autem fœderis Domini sub pellibus est.

2. Reg. 7. a. 2.

2 Et ait Nathan ad David: Omnia quæ in corde tuo sunt, fac: Deus enim tecum est.

3 Igitur nocte illa factus est sermo Dei ad Nathan, dicens:

4 Vade, & loquere David servo meo: Hæc dicit Dominus: Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum.

5 Neque enim mansi in domo, ex eo tempore quo eduxi Israël, usque ad diem hanc: sed fui semper mutans loca tabernaculi, & in tentorio

6 Manens cum omni Israël. Numquid locutus sum saltem uni judicum Israël, quibus præceperam ut pascerent populum meum, & dixi: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?

7 Nunc itaque sic loquêris ad servum meum David: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli

B te, cùm in pascuis sequereris gregem, ut esses dux populi mei Israël:

8 Et fui tecum quocumque perrexisti: & interfeci omnes inimicos tuos coram te, feciqúe tibi nomen quasi unius magnorum, qui celebrantur in terra.

9 Et dedi locum populo meo Israël: plantabitur, & habitabit in eo, & ultrà non commovebitur: nec filij iniquitatis atterent eos, sicut à principio,

10 Ex diebus quibus dedi judices populo meo Israël, & humiliavi universos inimicos tuos. Annuntio ergo tibi, quòd ædificaturus sit tibi Dominus domum.

11 Cúmque impleveris dies tuos, ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis: & stabiliam regnum ejus.

12 Ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium ejus usque in æternum.

13 Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: & misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit.

14 Et statuam eum in domo mea, & in regno

C meo, usque in sempiternum: & thronus ejus erit firmissimus in perpetuum.

15 Juxta omnia verba hæc, & juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David.

16 Cúmque venisset rex David, & sedisset coram Domino, dixit: Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, ut præstares mihi talia?

17 Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo, ideóque locutus es super domum servi tui etiam in futurum: & fecisti me spectabilem super omnes homines, Domine Deus.

18 Quid ultrà addere potest David, cùm ita glorificaveris servum tuum, & cognoveris eum?

19 Domine propter famulum tuum juxta cor tuum fecisti omnem magnificentiam hanc, & nota esse voluisti universa magnalia.

20 Domine non est similis tui: & non est alius Deus absque te, ex omnibus, quos audivimus auribus nostris.

21 Quis enim est alius, ut populus tuus Israël, D gens una in terra, ad quam perrexit Deus, ut liberaret, & faceret populum sibi, & magnitudine sua atque terroribus ejiceret nationes à facie ejus, quem de Ægypto liberabat?

22 Et posuisti populum tuum Israël tibi in populum usque in æternum, & tu Domine factus es Deus ejus.

23 Nunc igitur Domine, sermo, quem locutus es famulo tuo, super domum ejus, confirmetur in perpetuum, & fac sicut locutus es.

24 Permaneátque & magnificetur nomen tuum usque in sempiternum: & dicatur: Dominus exercituum Deus Israël, & domus David servi ejus permanens coram eo.

25 Tu enim Domine Deus meus revelasti auriculam servi tui, ut ædificares ei domum: & idcircò invenit servus tuus fiduciam, ut oret coram te.

26 Nunc ergo Domine, tu es Deus: & locutus es ad servum tuum tanta beneficia.

27 Et cœpisti benedicere domui servi tui, ut sit semper coram te: te enim Domine benedicente, benedicta erit in perpetuum.

CAPUT XVIII.

Prælia David, & tributa gentibus impósita, atque officiarij ejus.

A 1 FActum est autem post hæc, ut percuteret David Philisthiim, & humiliaret eos, & tolleret 2. Reg. 8. a. 1. Geth, & filias ejus, de manu Philisthiim,

2 Percuterétque Moab, & fierent Moabitæ servi David, offerentes ei munera.

3 Eo tempore percussit David etiam Adarezer regem Soba regionis Hemath, quando perrexit ut dilataret imperium suum usque ad flumen Euphraten.

4 Cepit ergo David mille quadrigas ejus, & septem millia equitum, ac viginti millia virorum peditum, subnervavítque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reservavit sibi.

5 Supervenit autem & Syrus Damascenus, ut auxilium præberet Adarezer regi Soba: sed & hu- B jus percussit David viginti duo millia virorum.

6 Et posuit milites in Damasco, ut Syria quoque serviret sibi, & offerret munera. Adjuvítque eum Dominus in cunctis, ad quæ perrexerat.

7 Tulit quoque David pharetras aureas, quas habuerant servi Adarezer, & attulit eas in Jerusalé.

8 Nec

8 Necnon de Thebath & Chun, urbibus Adarezer, æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vasa ænea.

C 9 Quod cùm audisset Thoü rex Emath, percussisse videlicet David omnem exercitum Adarezer regis Soba,

10 Misit Adoram filium suum ad regem David, ut postularet ab eo pacem, & congratularetur ei, quòd percussisset & expugnasset Adarezer: adversarius quippe erat Thoü Adarezer.

11 Sed & omnia vasa aurea, & argentea, & ænea consecravit David rex Domino, cum argento & auro, quod tulerat ex universis gentibus, tam de Idumæa, & Moab, & filiis Ammon, quàm de Philisthiim & Amalec.

12 Abisai verò filius Sarviæ percussit Edom in

D Valle Salinarum, decem & octo millia:

13 Et constituit in Edom præsidium, ut serviret Idumæa David: salvavítque Dominus David in cunctis, ad quæ perrexerat.

14 Regnavit ergo David super universum Israël, & faciebat judicium atque justitiam cuncto populo suo.

15 Porrò Joab filius Sarviæ erat super exercitum, & Josaphat filius Ahilud à commentariis.

16 Sadoc autem filius Achitob, & Achimelec filius Abiathar, sacerdotes: & Susa, scriba.

17 Banaias quoque filius Joiadæ super legiones Cerethi, & Phelethi: porrò filij David primi ad manum regis.

CAPUT XIX.

Hanon rex Ammon, servis David, qui ad consolandum de patris morte venerant, contumelia affectis: à David invaditur, ac vincitur unà cum Syris auxiliaribus.

A 1 ACcidit autem ut moreretur Naas rex filio- 2. Reg. 10. a. 1. rum Ammon, & regnaret filius ejus pro eo.

2 Dixítque David: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas: præstitit enim mihi pater ejus gratiam. Misítque David nuntios ad consolandum eum super morte patris sui. Qui cùm pervenissent in terram filiorum Ammon, ut consolarentur Hanon,

3 Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon: Tu forsitan putas, quòd David honoris causa in patrem tuum miserit qui consolentur te: nec animadvertis, quòd ut explorent, & investigent, & scrutentur terram tuam, venerint ad te servi ejus.

4 Igitur Hanon pueros David decalvavit, & rasit, & præcídit tunicas eorum à natibus usque ad pedes, & dimisit eos.

B 5 Qui cùm abiissent, & hoc mandassent David, misit in occursum eorum (grandem enim contumeliam sustinuerant) & præcepit ut manerent in Jericho, donec cresceret barba eorum, & tunc reverterentur.

6 Videntes autem filij Ammon, quòd injuriam fecissent David, tam Hanon, quàm reliquus populus, miserunt mille talenta argenti, ut conducerent sibi de Mesopotamia, & de Syria Maacha, & de Soba, currus & equites.

7 Conduxerúntque triginta duo millia curruum, & regem Maacha cum populo ejus. Qui cùm venissent, castrametati sunt è regione Medaba. Filij quoque Ammon congregati de urbibus suis, venerunt ad bellum.

8 Quod cùm audisset David, misit Joab, & omnem exercitum virorum fortium: C

9 Egressíque filij Ammon, direxerunt aciem juxta portam civitatis: reges autem, qui ad auxilium ejus venerant, separatim in agro steterunt.

10 Igitur Joab intelligens bellum ex adverso & post tergum contra se fieri, elegit viros fortissimos de universo Israël, & perrexit contra Syrum.

11 Reliquam autem partem populi dedit sub manu Abisai fratris sui; & perrexerunt contra filios Ammon.

12 Dixítque: Si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi: si autem superaverint te filij Ammon, ero tibi in præsidium.

13 Confortare, & agamus viriliter pro populo nostro, & pro urbibus Dei nostri: Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciet.

14 Perrexit ergo Joab, & populus qui cum eo erat, contra Syrum ad prælium: & fugavit eos.

15 Porrò filij Ammon videntes quòd fugisset D Syrus, ipsi quoque fugerunt Abisai fratrem ejus, & ingressi sunt civitatem: reversúsque est etiam Joab in Jerusalem.

16 Videns autem Syrus quòd cecidisset coram Israël, misit nuntios, & adduxit Syrum, qui erat trans fluvium: Sophach autem princeps militiæ Adarezer, erat dux eorum.

17 Quod cùm nuntiatum esset David, congregavit universum Israël, & transivit Jordanẽ, irruítque in eos, & direxit ex adverso aciem, illis contrà pugnantibus.

18 Fugit autem Syrus Israël: & interfecit David de Syris septem millia curruum, & quadraginta millia peditum, & Sophac exercitus principem.

19 Videntes autem servi Adarezer se ab Israël esse superatos, transfugerunt ad David, & servierunt ei: noluítque ultrà Syria auxilium præbere filiis Ammon.

CAPUT XX.

Bella à David prosperè acta adversùm Ammonitas ac Philisthæos, & in his occiditur gigas senos habens digitos, hoc est simul 24.

A 1 FActum est autem post anni circulum, eo 2. Reg. 10. b. 7. 11. a. 1. tempore, quo solent reges ad bella procedere, congregavit Joab exercitum, & robur militiæ, & vastavit terram filiorum Ammon; perrexítque & obsedit Rabba: porrò David manebat in Jerusalem, quando Joab percussit Rabba; & destruxit eam.

2 Tulit autem David coronam Melchom de capite ejus, & invenit in ea auri pondo talentum, & B pretiosissimas gemmas, fecítque sibi inde diadema: manubias quoque urbis plurimas tulit:

3 Populum autem, qui erat in ea, eduxit: & fecit super eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur, & contererentur: sic fecit David cunctis urbibus filiorum Ammon; & reversus est cum omni populo suo in Jerusalem.

4 * Post hæc initum est bellum in Gazer ad- * 2. Reg. 21. d. 18. versum Philisthæos: in quo percussit Sobochai Husathites, Saphai de genere Raphaim, & humiliavit eos.

5 Aliud

D 5 Aliud quoque bellum gestum est adversus Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethæi, cujus hastæ lignum erat quasi liciatorium texentium.

6 Sed & aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus, senos habens digitos, id est, simul viginti quattuor: qui & ipse de Rapha fuerat stirpe generatus.

7 Hic blasphemavit Israël: & percussit eum Jonathan filius Samaa fratris David. Hi sunt filij Rapha in Geth, qui ceciderunt in manu David & servorum ejus.

Caput XXI.

David populum numerando Deum offendens, peste quam ex tribus elegerat percutitur, donec Deum oratione placaret; & altare in area Ornan Iebusæi erigeret.

A 1 Consurrexit autem Satan contra Israël: & concitavit David ut numeraret Israël.

2. Reg. 24. a. 1. Inf. 27. c. 24.

2 Dixítque David ad Joab, & ad principes populi: Ite, & numerate Israël à Bersabee usque Dan: & afferte mihi numerum ut sciam.

3 Respondítque Joab: Augeat Dominus populum suum centuplum, quàm sunt: nónne domine mi rex, omnes servi tui sunt: quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israëli?

4 Sed sermo regis magis prævaluit: egressúsque est Joab: & circuivit universum Israël; & reversus est Jerusalem:

5 Dedítque Davidi numerum eorum, quos circuierat: & inventus est omnis numerus Israël, mille millia & centum millia virorum educentium gladium: de Juda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum.

6 Nam Levi & Benjamin non numeravit: eò quòd Joab invitus exequeretur regis imperium.

7 Displicuit autem Deo quod jussum erat; & percussit Israël.

8 Dixítque David ad Deum: Peccavi nimis ut hoc facerem: obsecro aufer iniquitatem servi tui, B quia insipienter egi.

9 Et locutus est Dominus ad Gad Videntem Davidis, dicens:

10 Vade, & loquere ad David, & dic ei: Hæc dicit Dominus: Trium tibi optionem do; unum quod volueris, elige, & faciam tibi.

11 Cúmque venisset Gad ad David, dixit ei: Hæc dicit Dominus: Elige quod volueris:

12 Aut tribus annis famem: aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, & gladium eorum non posse evadere: aut tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari in terra, & angelum Domini interficere in universis finibus Israël: nunc igitur vide quid respondeam ei, qui misit me.

13 Et dixit David ad Gad: Ex omni parte me angustiæ premunt: sed melius mihi est, ut incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes ejus, quàm in manus hominum.

14 Misit ergo Dominus pestilentiam in Israël: & ceciderunt de Israël septuaginta millia virorum.

15 Misit quoque angelum in Jerusalem, ut percuteret eam: cúmque percuteretur, vidit Dominus, & misertus est super magnitudine mali: & imperavit angelo, qui percutiebat: Sufficit, jam cesset manus tua. Porrò angelus Domini C stabat juxta aream Ornan Jebusæi.

16 Levánsque David oculos suos, vidit angelum Domini stantem inter cælum & terrã, & evaginatum gladium in manu ejus, & versum contra Jerusalem: & ceciderunt, tam ipse quàm majores natu vestiti ciliciis, proni in terram.

17 Dixítque David ad Deum: Nónne ego sum, qui jussi ut numeraretur populus? Ego, qui peccavi: ego, qui malum feci: iste grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur obsecro manus tua in me, & in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur.

18 Angelus autem Domini præcepit Gad, ut diceret Davidi ut ascenderet, extruerétque altare Domino Deo in area Ornan Jebusæi.

19 Ascendit ergo David juxta sermonem Gad, quem locutus ei fuerat ex nomine Domini.

20 Porrò Ornan cùm suspexisset, & vidisset angelum, quattuórque filij ejus cum eo, absconderunt se: nam eo tempore terebat in area triticum.

21 Igitur cùm veniret David ad Ornan, conspexit eum Ornan, & processit ei obviàm de area, & adoravit eum pronus in terram.

22 Dixítque ei David: Da mihi locum areæ tuæ ut ædificem in ea altare Domino: ita ut quantum valet argenti accipias, & cesset plaga à populo. D

23 Dixit autem Ornan ad David: Tolle, & faciat dominus meus rex quodcumque ei placet: sed & boves do in holocaustum, & tribulas in ligna, & triticum in sacrificium: Omnia libens præbebo.

24 Dixítque ei rex David: Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantum valet: neque enim tibi auferre debeo, & sic offerre Domino holocausta gratuita.

25 Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri justíssimi ponderis sexcentos.

26 * Et ædificavit ibi altare Domino: obtulítque holocausta, & pacifica, & invocavit Dominum, & exaudivit eum in igne de cælo super altare holocausti. ** 2. Par. 3. a. 1.*

27 Præcepítque Dominus angelo: & convertit gladium suum in vaginam.

28 Protinus ergo David, videns quòd exaudisset eum Dominus in area Ornan Jebusæi, immolavit ibi victimas.

29 Tabernaculum autem Domini, * quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorum, ea tempestate erat in excelso Gabaon. ** Exod. 36. a. 2.*

30 Et non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obsecraret Deum: nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium Angeli Domini.

Caput XXII.

Præparat David necessaria ad ædificandum templum Domini, quod Salomoni præcipit ut extruat, Deúmque semper sedulò colat, exhortans principes ut illi sint auxilio.

1 Dixítque David: Hæc est domus Dei, & hoc altare in holocaustum Israël. A

2 Et præcepit ut congregarentur omnes proselyti de Terra Israël, & constituit ex eis latomos ad cædendos lapides & poliendos, ut ædificaretur domus Dei.

3 Ferrum quoque plurimum ad clavos januarum, & ad commissuras atque juncturas præparavit David: & æris pondus innumerabile.

4 Ligna

4 Ligna quoque cedrina non poterant æstimari, quæ Sidonij & Tyrij deportaverant ad David.

5 Et dixit David: Salomon filius meus puer parvulus est & delicatus; domus autem, quam ædificari volo Domino, talis esse debet ut in cunctis regionibus nominetur: præparabo ergo ei necessária. Et ob hanc causam ante mortem suam omnes præparavit impensas.

6 Vocavítque Salomonem filium suum: & præcepit ei ut ædificaret domum Domino Deo Israël. B

7 Dixítque David ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit ut ædificarem domum nomini Domini Dei mei,

8 Sed factus est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me:

9 Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietíssimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: & ob hanc causam Pacificus vocábitur: & pacem & otium dabo in Israël cunctis diebus ejus.

** 2. Reg. 7. b. 13. 3. Reg. 5. a. 5.* 10 * Ipse ædificabit domum nomini meo, & ** 2. Reg. 6. b. 14. Heb. 1. b. 5.* ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: firmabóque solium regni ejus super Israël in æternum. C

11 Nunc ergo fili mi, sit Dominus tecum, & prosperare, & ædifica domum Domino Deo tuo, sicut locutus est de te.

12 Det quoque tibi Dominus prudentiam & sensum, ut regere possis Israël, & custodire legem Domini Dei tui.

13 Tunc enim proficere poteris, si custodieris mandata & judicia, quæ præcepit Dominus Moysi ut doceret Israël: confortare & viriliter age, ne timeas, neque paveas.

14 Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris verò & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides præparavi ad universa impendia.

15 Habes quoque plurimos artifices, latomos, & cæmentarios, artificésque lignorum, & omnium D artium ad faciendum opus prudentíssimos,

16 In auro & argento & ære & ferro, cujus non est numerus. Surge igitur, & fac, & erit Dominus tecum.

17 Præcepit quoque David cunctis principibus Israël, ut adjuvarent Salomonem filium suum.

18 Cernitis, inquiens, quòd Dominus Deus vester vobiscum sit, & dederit vobis requiem per circuitum, & tradiderit omnes inimicos vestros in manus vestras, & subjecta sit terra coram Domino, & coram populo ejus.

19 Præbete igitur corda vestra & animas vestras, ut quæratis Dominum Deum vestrum: & consurgite, & ædificate sanctuarium Domino Deo, ut introducatur arca fœderis Domini, & vasa Domino consecrata, in domum, quæ ædificatur nomini Domini.

Caput XXIII.

David senex, Salomone rege designato, numeratorum Levitarum officia designat: Moysique filij Levitis annumerantur.

1 Igitur David senex & plenus dierum, regem constituit Salomonem filium suum super Israël. A

2 Et congregavit omnes principes Israël, & Sacerdotes atque Levitas.

3 Numeratíque sunt Levitæ à triginta annis, & supra: & inventa sunt triginta octo millia virorum.

4 Ex his electi sunt, & distributi in ministerium domus Domini, viginti quattuor millia: præpositorum autem & judicum sex millia.

5 Porrò quattuor millia janitores: & totidem psaltæ canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum.

6 * Et distribuit eos David per vices filiorum Levi, Gerson videlicet, & Caath, & Merari. ** Sup. 6. a. 1.*

7 Filij Gerson: Leedan, & Semei.

8 Filij Leedan: princeps Jahiel, & Zethan, & Joël, tres.

9 Filij Semei: Salomith, & Hosiel, & Aran, tres: B isti principes familiarum Leedan.

10 Porrò filij Semei, Leheth, & Ziza, & Jaus, & Baria: isti filij Semei, quattuor.

11 Erat autem Leheth prior, Ziza secundus: porrò Jaus & Baria non habuerunt plurimos filios, & idcircò in una familia, unáque domo computati sunt.

12 Filij Caath: Amram, & Isaar, Hebron, & Oziel quattuor.

13 * Filij Amran: Aaron & Moyses. * Separatúsque est Aaron ut ministraret in Sancto sanctorum, ipse & filij ejus in sempiternum, & adoleret incensum Domino secundùm ritum suum, ac benediceret nomini ejus in perpetuum. ** Sup. 6. a. 3. * Heb. 5. b. 4.*

14 Moysi quoque hominis Dei filij annumerati sunt in tribu Levi.

15 Filij * Moysi: Gersom, & Eliezer. ** Exod. 2. d. 22. 18. a. 3. 4*

16 Filij Gersom: Subuel primus.

17 Fuerunt autem filij Eliezer: Rohobia primus: & non erant Eliezer filij alij. Porrò filij Rohobia multiplicati sunt nimis.

18 Filij Isaar: Salomith primus. C

19 Filij Hebron: Jeriaü primus, Amarias secundus, Jahaziel tertius, Jecmaam quartus.

20 Filij Oziel: Micha primus, Jesia secundus.

21 Filij Merari: Moholi, & Musi. Filij Moholi: Eleazar, & Cis.

22 Mortuus est autem Eleazar, & non habuit filios, sed filias: acceperúntque eas filij Cis fratres earum.

23 Filij Musi: Moholi, & Eder, & Jerimoth, tres.

24 Hi filij Levi in cognationibus & familiis suis, principes per vices, & numerum capitum singulorum, qui faciebant opera ministerij domus Domini, à viginti annis & supra.

25 Dixit enim David: Requiem dedit Dominus Deus Israël populo suo, & habitationem Jerusalem usque in æternum.

26 Nec erit officij Levitarum ut ultrà portent tabernaculum, & omnia vasa ejus ad ministrandum.

27 Juxta præcepta quoque David novíssima, supputabitur numerus filiorum Levi à viginti annis & supra.

28 Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

28 Et erunt sub manu filiorum Aaron in cultum
D domus Domini, in vestibulis, & in exedris, & in
loco purificationis, & in sanctuario, & in univer-
sis operibus ministerij templi Domini.

29 Sacerdotes autem, super panes propositionis,
& ad similæ sacrificium, & ad lagana azyma, & far-
taginem, & ad torrendum, & super omne pondus
atque mensuram.

30 Levitæ verò, ut stent manè ad confitendum
& canendum Domino: similitérque ad vesperam.

31 Tam in oblatione holocaustorum Domini,
quàm in sabbatis & Calendis & sollemnitatibus re-
liquis, juxta numerum, & ceremonias uniuscujus-
que rei jugiter coram Domino.

32 Et custodiant observationes tabernaculi fœ-
deris, & ritum sanctuarij, & observationem filiorum
Aaron fratrum suorum, ut ministrent in domo Dñi.

Caput XXIV.

Familiarum Eleazar & Ithamar vices 24. in ministerio Domini à David designantur, reliquorúmque Levitarum familiæ similiter sorte distribuuntur.

A 1 PORrò filiis Aaron hæ partitiones erant: Filij
Aaron: Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Itha-
mar.

* Levit. 10. a. 2. Num 3. a. 4.

2 * Mortui sunt autem Nadab & Abiu ante pa-
trem suum absque liberis: sacerdotióque functus
est Eleazar, & Ithamar.

3 Et divisit eos David, id est, Sadoc de filiis
Eleazari, & Abimelech de filiis Ithamar, secun-
dùm vices suas & ministerium.

4 Inventíque sunt multò plures filij Eleazar
in principibus viris, quàm filij Ithamar. Divisit au-
tem eis, hoc est filiis Eleazar, principes per fami-
lias sedecim: & filiis Ithamar per familias & do-
mos suas octo.

5 Porrò divisit utrasque inter se familias sorti-
bus: erant enim principes sanctuarij, & principes
Dei, tam de filiis Eleazar, quàm de filiis Ithamar.

6 Descripsítque eos Semeias filius Nathanaël
B scriba Levites, coram rege & principibus, & Sa-
doc sacerdote, & Ahimelech filio Abiathar, prin-
cipibus quoque familiarum sacerdotalium & Le-
viticarum: unam domum, quæ ceteris præerat,
Eleazar: & alteram domum, quæ sub se habebat
ceteros, Ithamar.

7 Exivit autem sors prima Jojarib, secunda Jedei,
8 Tertia Harim, quarta Seorim,
9 Quinta Melchia, sexta Maiman,
10 Septima Accos, octava Abia,
11 Nona Jesua, decima Sechenia,
12 Undecima Eliasib, duodecima Jacim,
13 Tertiadecima Hoppha, decimaquarta Isbaab,
14 Decimaquinta Belga, decimasexta Emmer,
15 Decimaseptima Hezir, decimaoctava Aphses,
16 Decimanona Phetcia, vigesima Hezechiel,
17 Vigesimaprima Jachim, vigesimasecunda
Gamul,
18 Vigesimatertia Dalaiaü, vigesimaquarta
Maaziaü.

C 19 Hæ vices eorum secundùm ministeria sua, ut
ingrediantur domum Domini, & juxta ritum suum
sub manu Aaron patris eorum: sicut præceperat
Dominus Deus Israël.

20 Porrò filiorum Levi, qui reliqui fuerant, de fi-
liis Amrã erat Subaël, & de filiis Subaël, Jehedeia.

21 De filiis quoque Rohobiæ princeps Jesias.

22 Isaari verò filius Salemoth, filiúsque Sale-
moth Jahath:

23 Filiúsque ejus Jeriaü primus, Amarias secun-
dus, Jahaziel tertius, Jecmaan quartus.

24 Filius Oziel, Micha: filius Micha, Samir.

25 Frater Micha, Jesia: filiúsque Jesiæ, Zacharias.

26 Filij Merari: Moholi & Musi. Filius Oziaü:
Benno. D

27 Filius quoque Merari: Oziaü & Soam & Za-
chur & Hebri.

28 Porrò Moholi filius: Eleazar, qui non habe-
bat liberos.

29 Filius verò Cis, Jerameel.

30 Filij Musi: Moholi, Eder, & Jerimoth. isti fi-
lij Levi secundùm domos familiarum suarum.

31 Miserúntque & ipsi sortes contra fratres suos
filios Aaron, coram David rege, & Sadoc, & Ahi-
melech, & principibus familiarum Sacerdotalium
& Leviticarum, tam majores, quàm minores. om-
nes sors æqualiter dividebat.

Caput XXV.

Ex filiis Asaph, Heman & Idithun, cantoribus, psaltis ac citharœdis, viginti quattuor familiæ ac vices sorte distribuuntur.

1 IGitur David & magistratus exercitus, segrega-
verunt in ministerium filios Asaph, & Heman,
& Idithun: qui prophetarent in citharis, & psalte-
riis, & cymbalis, secundùm numerum suum dedi-
cato sibi officio servientes.

2 De filiis Asaph: Zacchur, & Joseph, & Na-
thania, & Asarela, filij Asaph: sub manu Asaph
prophetantis juxta regem.

3 Porrò Idithun filij Idithun, Godolias, Sori, Je-
seias, & Hasabias, & Mathathias, sex sub manu pa-
tris sui Idithun, qui in cithara prophetabat super
confitentes & laudantes Dominum.

4 Heman quoque: filij Heman, Bocciau, Ma-
thaniau, Oziel, Subuel, & Jerimoth, Hananias, Ha-
nani, Eliatha, Geddelthi, & Romemthiezer, & B
Jesbacassa, Mellothi, Othir, Mahazioth:

5 Omnes isti filij Heman Videntis regis in ser-
monibus Dei, ut exaltaret cornu: dedítque Deus
Heman filios quattuordecim, & filias tres.

6 Universi sub manu patris sui ad cantandum
in templo Domini distributi erant in cymbalis, &
psalteriis, & citharis, in ministeria domus Domini
iuxta regẽ: Asaph videlicet, & Idithun, & Heman.

7 Fuit autem numerus eorum cum fratribus
suis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti do-
ctores, ducenti octoginta octo.

8 Miserúntque sortes per vices suas, ex æquo tã
major quàm minor, doctus pariter, & indoctus. C

9 Egressáque est sors prima Joseph, qui erat de
Asaph. Secunda Godoliæ, ipsi & filiis ejus, & fra-
tribus ejus duodecim.

10 Tertia Zachur, filiis & fratribus ejus duodecim.

11 Quarta Isari, filiis & fratribus ejus duodecim.

12 Quinta Nathaniæ, filiis & fratribus ejus duo-
decim.

13 Sexta Bocciau, filiis & fratribus ejus duodecim.

14 Septima Isreela filiis & fratribus ejus duodecim.

15 Octava Jesaiæ, filiis & fratribus ejus duodecim.

16 Nona Mathaniæ, filiis & fratribus ejus duodecim.

17 Decima

17 Decima Semeiæ, filiis & fratrib⁹ ejus duodecim.

18 Undecima Azareel, filiis & fratribus ejus duo-
decim.

19 Duodecima Hasabiæ, filiis & fratribus ejus
duodecim.

D 20 Tertiadecima Subael, filiis & fratribus ejus
duodecim.

21 Quartadecima Mathathiæ, filiis & fratribus
ejus duodecim,

22 Quintadecima Jerimoth, filiis & fratribus
ejus duodecim.

23 Sextadecima Hananiæ, filiis & fratribus ejus
duodecim.

24 Septimadecima Jesbacassæ, filiis & fratribus
ejus duodecim.

25 Octavadecima Hanani, filiis & fratribus
ejus duodecim.

26 Nonadecima Mellothi, filiis & fratribus
ejus duodecim.

27 Vigesima Eliatha, filiis & fratribus ejus duo-
decim.

28 Vigesimaprima Othir, filiis & fratribus ejus
duodecim.

29 Vigesima secunda Geddelthi, filiis & fratri-
bus ejus duodecim.

30 Vigesimatertia Mahazioth, filiis & fratribus
ejus duodecim.

31 Vigesimaquarta Romemthiezer, filiis & fra-
tribus ejus duodecim.

Caput XXVI.

Templi janitores designantur, & qua porta à qua familia sit custodienda sorte disponitur, item qui thesauros & vasa sa-cra custodiant.

A 1 DIvisiones autem janitorum: de Coritis Me-
selemia, filius Core, de filiis Asaph.

2 Filij Meselemiæ: Zacharias primogenitus, Ja-
dihel secundus, Zabadias tertius, Jathanaël quartus,

3 Ælã quintus, Johanan sextus, Elioënai septimus:

4 Filij autem Obededom: Semeias primogeni-
tus, Jozabad secundus, Joaha tertius, Sachar quar-
tus, Nathanaël quintus,

5 Ammiel sextus, Issachar septimus, Phollathi
octavus: quia benedixit illi Dominus.

6 Semei autem filio ejus nati sunt filij, præfecti
familiarum suarum: erant enim viri fortissimi.

7 Filij ergo Semeiæ: Othni, & Raphael, &
Obed, Elzabad, fratres ejus viri fortissimi: Eliu
quoque, & Samachias.

8 Omnes hi, de filiis Obededom: ipsi, & filij, &
fratres eorum fortissimi ad ministrandum, sexagin-
ta duo de Obededom.

B 9 Porrò Meselemiæ filij, & fratres eorum ro-
bustissimi, decem & octo.

10 De Hosa autem, id est, de filiis Merari: Semri
princeps (non enim habuerat primogenitum, & ideirco posuerat eum pater ejus in principem)

11 Helcias secundus, Tabelias tertius, Zacharias
quartus, omnes hi filij, & fratres Hosa, tredecim.

12 Hi divisi sunt in janitores, ut semper prin-
cipes custodiarum, sicut & fratres eorum, ministra-
rent in domo Domini.

13 Missæ sunt ergo sortes ex æquo, & parvis, &
magnis, per familias suas in unamquamq; portarum.

14 Cecidit ergo sors Orientalis, Selemiæ. Porrò
Zachariæ filio ejus, viro prudentissimo, & eruditò, sortitò obtigit plaga Septemtrionalis.

15 Obededom verò & filiis ejus ad Austrum: in
qua parte domus erat seniorum concilium.

16 Sephim & Hosa ad Occidentem, juxta por-
tam, quæ ducit ad viam ascensionis: custodia con-
tra custodiam.

17 Ad Orientem verò Levitæ sex: & ad Aquilo-
nem quattuor per diem: atque ad Meridiẽ similiter
in die quattuor: & ubi erat concilium, bini & bini.

18 In cellulis quoque janitorum ad Occidentem C
quattuor in via, binique per cellulas.

19 Hæ sunt divisiones janitorum, filiorum Core
& Merari.

20 Porrò Achias erat super thesauros domus
Dei, & vasa sanctorum.

21 Filij Ledan, filij Gersonni: de Ledan principes
familiarum, Ledan, & Gersonni, Jehieli.

22 Filij Jehieli: Zathan, & Joël fratres ejus, su-
per thesauros domus Domini.

23 Amramitis, & Isaaritis, & Hebronitis, & Ozi-
helitis.

24 Subaël autem filius Gersom, filij Moysi, præ-
positus thesauris.

25 Fratres quoque ejus Eliezer, cujus filius Ra-
habia, & hujus filius Isaias, & hujus filius Joram,
hujus quoq; filius Zechri, & hujus filius Selemith.

26 Ipse Selemith, & fratres ejus, super thesau-
ros sanctorum, quæ sanctificavit David rex, &
principes familiarum, & tribuni, & centuriones:
& duces exercitus,

27 De bellis & manubiis præliorum, quæ con- D
secraverant ad instaurationem, & supellectilem
templi Domini.

28 Hæc autem universa sanctificavit Samuel
Videns, & Saul filius Cis, & Abner filius Ner, &
Joab filius Sarviæ: omnes, qui sanctificaverant ea
per manum Selemith, & fratrum ejus.

29 Isaaritis verò præerat Chonenias, & filij ejus,
ad opera forinsecus super Israël, ad docendum, &
judicandum eos.

30 Porrò de Hebronitis Hasabias, & fratres ejus
viri fortissimi, mille septingenti, præerant Israëli
trans Jordanem contra Occidentem, in cunctis
operibus Domini, & in ministerium regis.

31 Hebronitarum autem princeps fuit Jeria, se-
cundùm familias & cognationes eorum. Quadra-
gesimo anno regni David recensiti sunt, & inven-
ti sunt viri fortissimi in Jazer Galaad,

32 Fratresque ejus robustioris ætatis, duo millia
septingenti principes familiarum. Præposuit autem
eos David rex Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ
tribui Manasse, in omne ministerium Dei, & regis.

Caput XXVII.

Recensentur duodecim principes, quorum singuli suo mense viginti quattuor millibus præerant, ad hæc principes seu præfecti tribuum thesaurorum, reliquæque substantiæ regiæ recensentur.

1 FIlij autem Israël secundùm numerum suum, A
principes familiarum, tribuni, & centuriones,
& præfecti, qui ministrabant regi juxta turmas suas,
ingredientes & egredientes per singulos menses in
anno, viginti quattuor millibus singuli præerant.

2 Primæ turmæ in primo mense Jesboam præerat

Universidad de Deusto
Biblioteca

filius Zabdiel, & sub eo viginti quattuor millia.

3 De filiis Phares, princeps cunctorum principum in exercitu mense primo.

4 Secundi mensis habebat turmam Dudia Ahohites, & post se alter nomine Macelloth, qui regebat partem exercitus viginti quattuor millium.

5 Dux quoque turmæ tertiæ in mense tertio, erat Banaias filius Joiadæ sacerdos: & in divisione sua viginti quattuor millia.

B 6 Ipse est Banaias fortissimus inter triginta, & super triginta. præerat autem turmæ ipsius Amizabad filius ejus.

7 Quartus, mense quarto, Azahel frater Joab, & Zabadias filius ejus post eum: & in turma ejus viginti quattuor millia.

8 Quintus, mense quinto, princeps Samaoth Jezerites: & in turma ejus viginti quattuor millia.

9 Sextus, mense sexto, Hira filius Acces Thecuites: & in turma ejus viginti quattuor millia.

10 Septimus, mense septimo, Helles Phallonites de filiis Ephraim: & in turma ejus viginti quattuor millia.

11 Octavus, mense octavo, Sobochai Husathites de stirpe Zarahi: & in turma ejus viginti quattuor millia.

12 Nonus, mense nono, Abiezer Anathothites de filiis Jemini: & in turma ejus viginti quattuor millia.

13 Decimus, mense decimo, Marai, & ipse Netophathites de stirpe Zarai: & in turma ejus viginti quattuor millia.

14 Undecimus, mense undecimo, Banaias Pharathonites de filiis Ephraim: & in turma ejus viginti quattuor millia.

15 Duodecimus, mense duodecimo, Holdai Netophathites, de stirpe Gothoniel: & in turma ejus viginti quattuor millia.

C 16 Porrò tribubus præerant Israël, Rubenitis, dux Eliezer filius Zechri: Simeonitis, dux Saphatias filius Maacha:

17 Levitis, Hasabias filius Camuel: Aaronitis, Sadoc:

18 Juda, Eliu frater David: Issachar, Amri filius Michaël.

19 Zabulonitis, Jesmaias filius Abdiæ: Nephthalitibus, Jerimoth filius Ozriel:

20 Filiis Ephraim, Osee filius Ozaziu: dimidiæ tribui Manasse, Joel filius Phadaiæ:

21 Et dimidiæ tribui Manasse in Galaad, Jaddo filius Zachariæ: Benjamin autem, Jasiel filius Abner.

22 Dan verò, Ezrihel filius Jeroham: hi principes filiorum Israël.

23 Noluit autem David numerare eos à viginti annis inferiùs: quia dixerat Dominus ut multiplicaret Israël quasi stellas cæli.

* Sup. 21. a. 2. 24 * Joab filius Sarviæ cœperat numerare, nec complevit: quia super hoc ira irruerat in Israël: & idcircò numerus eorum qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David.

D 25 Super thesauros autē regis fuit Azmoth filius Adiel. his autē thesauris, qui erant in urbibus, & in vicis, & in turribus, præsidebat Jonathā filius Oziæ.

26 Operi autem rustico, & agricolis qui exercebant terram, præerat Ezri filius Chelub:

27 Vinearúmque cultoribus, Semeias Romathites: cellis autem vinariis Zabdias Aphonites.

28 Nam super oliveta & ficeta, quæ erant in campestribus, Balanan Gederites: super apothecas autem olei, Joas.

29 Porrò armentis, quæ pascebantur in Saron, præpositus fuit Setrai Saronites: & super boves in vallibus, Saphat filius Adli:

30 Super camelos verò, Obil Ismaëlites: & super asinos, Jadias Meronathites.

31 Super oves quoque Jaziz Agareus. omnes hi, principes substantiæ regis David.

32 Jonathan autem patruus David, consiliarius, vir prudens & litteratus: Ipse & Jahiel filius Hachamoni erant cum filiis regis.

33 Achitophel etiam consiliarius regis, & Chusai Arachites amicus regis.

34 Post Achitophel fuit Joiada filius Banaiæ, & Abiathar. Princeps autem exercitus regis erat Joab.

CAPUT XXVIII.

David præparatis ad templi ædificationem omnibus necessariis, Salomonem universósque principes convocatos exhortatur ad mandata Dei custodienda, præscribens formam templi ædificandi.

1 CONvocavit igitur David omnes principes A
Israël, duces tribuum, & præpositos turmarum, qui ministrabant regi: tribunos quoque & centuriones, & qui præerant substantiæ & possessionibus regis, filiósque suos cum eunuchis, & potentes, & robustissimos quosq; in exercitu Jerusalē.

2 Cúmque surrexisset rex, & stetisset, ait: Audite me fratres mei, & populus meus: Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri: & ad ædificandum, omnia præparavi.

3 Deus autem dixit mihi: *Non ædificabis do- *2. Reg. 7. b. 13.
mum nomini meo, eò quòd sis vir bellator, & sanguinem fuderis.

4 Sed elegit Dñs Deus Israël me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israël in sempiternum: de Juda enim elegit principes: porrò de domo Juda, domum patris mei: & de filiis patris mei, placuit ei ut me eligeret regem super cunctum Israël.

5 *Sed & de filiis meis (filios enim mihi multos *Sup. 9. b. 7.
dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, B
ut sederet in throno regni Domini super Israël,

6 Dixítque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea: ipsum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem.

7 Et firmabo regnum ejus usque in æternum, si perseveraverit facere præcepta mea, & judicia, sicut & hodie.

8 Nunc ergo coram universo cœtu Israël, audiente Deo nostro, custodite, & perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri: ut possideatis Terram bonam, & relinquatis eam filiis vestris post vos usque in sempiternum.

9 Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui, & servito ei corde perfecto, & animo voluntario: * omnia enim corda scrutatur Dominus, & * Psal. 7 b. 10.
universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.

10 Nunc ergo quia elegit te Dominus ut ædificares domum Sanctuarij, confortare, & perfice.

11 Dedit

C 11 Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis,

12 Necnon & omnium quæ cogitaverat atriorum, & exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, & in thesauros sanctorum,

13 Divisiónúmque Sacerdotalium & Leviticarum, in omnia opera domus Domini, & in universa vasa ministerij templi Domini.

14 Aurum in pondere per singula vasa ministerij. Argenti quoque pondus pro vasorum & operum diversitate.

15 Sed & in candelabra aurea, & ad lucernas eorum pro mensura uniuscujusque candelabri & lucernarum. Similiter & in candelabra argentea, & in lucernas eorum, pro diversitate mensuræ, pondus argenti tradidit.

16 Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diversitate mensarum: similiter & argentum in alias mensas argenteas.

D 17 Ad fuscinulas quoque, & phialas, & thuribula, ex auro purissimo, & leunculos aureos, pro qualitate mensuræ pondus distribuit in leunculum & leunculum. Similiter & in leones argenteos diversum argenti pondus separavit

18 Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit: ut ex ipso fieret similitudo quadrigæ cherubim, extendentium alas, & velantium arcam fœderis Domini.

19 Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.

20 Dixit quoque David Salomoni filio suo: Viriliter age, & confortare, & fac: ne timeas, & ne paveas: Dominus enim Deus meus tecum erit, & non dimittet te, nec derelinquet, donec perficias omne opus ministerij domus Domini.

21 Ecce divisiones Sacerdotum & Levitarum, in omne ministerium domus Domini assistunt tibi, & parati sunt, & noverunt tam principes quàm populus facere omnia præcepta tua.

CAPUT XXIX.

Recensentur impensæ à David in ædificium templi præparata, quibus principes ac populus plurima adjiciunt donaria: David benedicens Dominum orat pro Salomone ac populo; & sacrificiis cum ingenti lætitia oblatis, ungitur secundò Salomon in regem pro patre David, qui anno regni quadragesimo in pace quievit.

A 1 LOcutúsque est David rex ad omnē ecclesiam: Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum: opus namq; grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.

2 Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus Dei mei. Aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea, & lapides onychinos, & quasi stibinos, & diversorum colorum, omnémque pretiosum lapidem, & marmor Parium abundantissimè:

3 Et super hæc, quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum & argentum, do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparavi in ædem sanctam.

B 4 Tria millia talenta auri de auro Ophir: & septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes templi.

5 Et, ubicumque opus est aurum de auro, & ubicumque opus est argentum de argento, opera fiant per manus artificū: & si quis sponte offert, impleat manum suam hodie, & offerat quod voluerit Dñō.

6 Polliciti sunt itaque principes familiarum, & proceres tribuum Israël, tribuni quoque, & centuriones, & principes possessionum regis.

7 Dederúntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, & solidos decem millia: argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum.

8 Et apud quemcumque inventi sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini, per manum Jahiel Gersonitis.

9 Lætatúsque est populus, cùm vota sponte pro- C
mitterent: quia corde toto offerebant ea Domino: sed & David rex lætatus est gaudio magno.

10 Et benedixit Domino coram universa multitudine, & ait: Benedictus es Domine Deus Israël patris nostri ab æterno in æternum.

11 Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria: & tibi laus: cuncta enim quæ in cælo sunt, & in terra, tua sunt: tuum Domine regnum, & tu es super omnes principes.

12 Tuæ divitiæ, & tua est gloria: tu dominaris omnium, in manu tua virtus & potentia: in manu tua magnitudo & Imperium omnium.

13 Nunc igitur Deus noster confitemur tibi, & D
laudamus nomen tuum inclytum.

14 Quis ego, & quis populus meus, ut possimus hæc tibi universa promittere? tua sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.

15 Peregrini enim sumus coram te, & advenæ, sicut omnes patres nostri. * Dies nostri quasi um- * Sap. 2. b. 5.
bra super terram, & nulla est mora.

16 Domine Deus noster, omnis hæc copia, quam paravimus, ut ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, & tua sunt omnia.

17 Scio Deus meus quòd probes corda, & simplicitatem diligas, unde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc: & populum E
tuum, qui hìc repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria.

18 Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israël, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat.

19 Salomoni quoque filio meo da cor perfectum ut custodiat mandata tua, testimonia tua, & ceremonias tuas, & faciat universa: & ædificet ædem: cujus impensas paravi.

20 Præcepit autem David universæ ecclesiæ: Benedicite Dñō Deo nostro. Et benedixit omnis ecclesia Domino Deo patrū suorum: & inclinaverunt se, & adoraverunt Deum, & deinde regem.

21 Immolaverúntque victimas Domino: & obtulerunt holocausta die sequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille cum libaminibus suis, & universo ritu abundantissimè in omnem Israël.

22 Et comederunt, & biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia. * Et unxerunt secun- * 3. Reg. 1. b. 34.
dò Salomonem filium David. Unxerunt autem eum Domino in principem, & Sadoc in pontificem.

23 Sedítque Salomon super sólium Domini in

Universidad de Deusto
Biblioteca

regem pro David patre suo, & cunctis placuit: & paruit illi omnis Israël.

24 Sed & universi principes, & potentes, & cuncti filij regis David dederunt manum, & subjecti fuerunt Salomoni regi.

25 Magnificavit ergo Dominus Salomonem super omnem Israël: & dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israël.

26 Igitur David filius Isai regnavit super universum Israël.

* 3.Reg. 2.b.11. 27 *Et dies, quibus regnavit super Israël, fuerunt quadraginta anni: in Hebron regnavit septem annis, & in Jerusalem annis triginta tribus.

28 Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum, & divitiis, & gloria, & regnavit Salomon filius ejus pro eo.

29 Gesta autē David regis priora, & novissima, scripta sunt in Libro Samuelis Vidētis, & in Libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad Videntis:

30 Universique regni ejus, & fortitudinis, & temporum, quæ transierunt sub eo, sive in Israël, sive in cunctis regnis terrarum.

LIBER SECUNDUS PARALIPOMENON,

HEBRAICE DIBRE HAIAMIM.

Caput Primum.

Oblatis mille hostiis à Salomone in Gabaon, Dominus illi nocte apparens dat ei petitam sapientiam, additis divitiis & gloria; post quæ currus & equites congregat.

A 1 3.Reg.3. & 1. ORFORTATUS est ergo Salomon filius David in regno suo, & Dominus Deus ejus erat cum eo, & magnificavit eum in excelsum.

2 Præcepitque Salomon universo Israëli, tribunis, & centurionibus, & ducibus, & judicibus omnis Israël, & principibus familiarum:

3 Et abiit cum universa multitudine in Excelsum Gabaon, ubi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus Dei in solitudine.

4 Arcam autem Dei adduxerat David de Cariathiarim, in locum quem præparaverat ei, & ubi fixerat illi tabernaculum, hoc est, in Jerusalem.

B * Exod. 38.a.1. 5 Altare quoque æneum,* quod fabricatus fuerat Beseleel filius Uri filij Hur, ibi erat coram tabernaculo Domini: quod requisivit Salomon, & omnis ecclesia.

6 Adscenditque Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, & obtulit in eo mille hostias.

7 Ecce autem in ipsa nocte apparuit ei Deus dicens: Postula quod vis, ut dem tibi.

8 Dixitque Salomon Deo: Tu fecisti cum David patre meo misericordiam magnam: & constituisti me regem pro eo.

9 Nunc ergo Domine Deus impleatur sermo C tuus, quem pollicitus es David patri meo: tu enim me fecisti regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est, quàm pulvis terræ.

* Sup. 9. c. 10. 10 *Da mihi sapientiam & intelligentiam, ut ingrediar & egrediar coram populo tuo: quis enim potest hunc populum tuum dignè, qui tam grandis est, judicare?

11 Dixit autem Deus ad Salomonem: Quia hoc magis placuit cordi tuo, & non postulasti divitias, & substantiam, & gloriam, neque animas eorum qui te oderant, sed nec dies vitæ plurimos: petisti autem sapientiam & scientiam, ut judicare possis populum meum, super quem constitui te regem.

12 Sapientia & scientia data sunt tibi: divitias autem & substantiam & gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus nec ante te nec post te fuerit similis tui. D

13 Venit ergo Salomon ab Excelso Gabaon in Jerusalem coram tabernaculo fœderis, & regnavit super Israël.

14 * Congregavitque sibi currus & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum; & fecit eos esse in urbibus quadrigarum, & cum rege in Jerusalem. *3.Reg. 10.d.26.

15 Præbuitque rex argentum & aurum in Jerusalem quasi lapides, & cedros quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus multitudine magna.

16 Adducebantur autem ei equi de Ægypto, & de Coa, à negotiatoribus regis, qui ibant, & emebant pretio,

17 Quadrigā equorū sexcentis argenteis, & equū centum quinquaginta: similiter de universis regnis Hethæorū, & à regibus Syriæ, emptio celebrabatur.

Caput II.

Ordinatis pro templo ædificando operariis, Salomon cum rege Hiram convenit de mittendo erudito artifice, lignisque ad templi structuram cædendis.

1 DEcrevit autem Salomon ædificare domum nomini Domini, & palatium sibi. A

2 Et numeravit septuaginta millia virorum portantium humeris, & octoginta millia qui cæderent lapides in montibus, præpositósque eorum tria millia sexcentos.

3 * Misit quoque ad Hiram regem Tyri, dicens: Sicut egisti cum David patre meo, & misisti ei ligna cedrina ut ædificaret sibi domum, in qua & habitavit: *3.Reg. 5.a.1.

4 Sic fac mecum, ut ædificem domum nomini Domini Dei mei, ut consecrem eam ad adolendum incensum coram illo, & fumiganda aromata, & ad propositionem panum sempiternam, & ad holocautomata manè, & vesperè, sabbatis quoque, & neomeniis, & sollemnitatibus Domini Dei nostri in sempiternum, quæ mandata sunt Israëli.

5 Domus enim, quam ædificare cupio, magna B est: magnus est enim Deus noster super omnes deos.

6 Quis

6 Quis ergo poterit prævalere, ut ædificet ei dignam domum? si cælum, & cæli cælorum capere eum nequeunt: quantus ego sum, ut possim ædificare ei domum? sed ad hoc tantum, ut adoleatur incensum coram illo.

7 Mitte ergo mihi virum eruditum, qui noverit operari in auro, & argento, ære, & ferro, purpura, coccino, & hyacintho, & qui sciat sculpere cælaturas, cum his artificibus, quos mecum habeo in Judæa, & Jerusalē, quos præparavit David pater meus.

8 Sed & ligna cedrina mitte mihi, & arceutina, & pinea, de Libano: scio enim quòd servi tui noverint cædere ligna de libano, & erunt servi mei cum servis tuis,

C 9 Ut parentur mihi ligna plurima. Domus enim quam cupio ædificare, magna est nimis, & inclyta.

10 Prætereà operariis, qui cæsuri sunt ligna, servis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas, olei quoque sata viginti millia.

11 Dixit autem Hiram rex Tyri per litteras, quas miserat Salomoni: Quia dilexit Dominus populum suum, idcircò te regnare fecit super eum.

12 Et addidit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, qui fecit cælum & terram, qui dedit David regi filium sapientem, & eruditum & sensatum atque prudentem, ut ædificaret domum Domino, & palatium sibi.

13 Misi ergo tibi virum prudentem & scientissimum Hiram, patrem meum,

14 Filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater D fuit Tyrius, qui novit operari in auro, & argento, ære, & ferro, & marmore, & lignis, in purpura quoque, & hyacintho, & byssо, & coccino: & qui scit cælare omnem sculpturam, & adinvenire prudenter quodcumque in opere necessarium est, cum artificibus tuis, & cum artificibus domini mei David patris tui.

15 Triticum ergo, & hordeum, & oleum, & vinū, quæ pollicitus es domine mi, mitte servis tuis.

16 Nos autem cædemus ligna de Libano, quot necessaria habueris, & applicabimus ea ratibus per mare in Joppe: tuum autem erit transferre ea in Jerusalem.

17 Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israël, post dinumerationē quā dinumeravit David pater ejus, & inventi sunt centum quinquaginta millia, & tria millia sexcenti.

18 Fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent: tria autem millia & sexcentos præpositos operum populi.

Caput III.

Templum extruitur cum porticu, velo, & duabus columnis ante fores templi.

A 3. Reg. 6. a. 1. *2.Reg. 24.d.25 1. Par. 21.d.26. 1 ET cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus, in loco, quem paraverat David in * area Ornan Jebusæi.

2 Cœpit autem ædificare mense secundo, anno quarto regni sui.

3 Et hæc sunt fundamenta, quæ jecit Salomon, ut ædificaret domum Dei, longitudinis cubitos in mēsura prima sexaginta, latitudinis cubitos viginti.

4 Porticum verò ante frontem, quæ tendebatur in longum juxta mensuram latitudinis domus, cubitorum viginti: porrò altitudo centum viginti cubitorum erat: & deauravit eam intrinsecus auro mundissimo. B

5 Domum quoque majorem texit tabulis ligneis abiegnis, & laminas auri obrizi affixit per totum: sculpsitque in ea palmas, & quasi catenulas se invicem complectentes.

6 Stravit quoque pavimentum templi pretiosissimo marmore, decore multo.

7 Porrò aurum erat probatissimum, de cujus laminis texit domum, & trabes ejus, & postes, & parietes, & ostia: & cælavit cherubim in parietibus.

8 Fecit quoque domum Sancti sanctorum: longitudinem juxta latitudinem domus, cubitorum viginti, & latitudinem similiter viginti cubitorum: & laminis aureis texit eam, quasi talentis sexcentis.

9 Sed & clavos fecit aureos, ita ut singuli clavi C sicles quinquagenos appenderent: cœnacula quoque texit auro.

10 Fecit etiam in domo Sancti sanctorum cherubim duos, opere statuario: & texit eos auro.

11 Alæ cherubim viginti cubitis extendebantur, ita ut una ala haberet cubitos quinque, & tangeret parietem domus: & altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius cherub.

12 Similiter cherub alterius ala, quinque habebat cubitos, & tangebat parietem: & ala ejus altera quinque cubitorum, alam cherub alterius contingebat.

13 Igitur alæ utriusque cherubim expansæ erant, & extendebantur per cubitos viginti: ipsi autem D stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum.

14 * Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, & byssо: & intexuit ei cherubim. * Mat. 27.f.51. * Ierem. 52.d.20

15 * Ante fores etiam templi duas columnas, quæ triginta & quinque cubitos habebant altitudinis: porrò capita earum, quinque cubitorum.

16 Nec non & quasi catenulas in oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit.

17 Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, unam à dextris, & alterā à sinistris: eam quæ à dextris erat, vocavit Jachin, & quæ ad lævā, Booz.

Caput IV.

Constructio altaris ænei, maris fusilis, decem concharum, candelabrorum, mensarum, phialarum, ac cæterorum quæ ad templum ejúsque ornatum pertinebant.

1 FEcit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis. A

2 * Mare etiam fusile decem cubitis à labio usque ad labium, rotundum per circuitum: quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum ejus. * 3.Reg. 7.d.23.

3 Similitudo quoque boum erat subter illud, & decem cubitis quædam extrinsecus cælaturæ, quasi duobus versibus alvum maris circuibant. Boves autem erant fusiles:

4 Et ipsum Mare super duodecim boves impositum erat, quorum tres respiciebant ad Aquilonem, & alij tres ad Occidentem: porrò tres alij

Meridiem,& tres qui reliqui erant, Orientem,habentes mare superpositum:posteriora autem boum erant intrinsecus sub mari.

5 Porrò vastitas ejus habebat mensuram palmi, & labium illius erat quasi labium calicis, vel repandi lilij:capiebátque tria millia metretas.

6 Fecit quoque conchas decem:& posuit quinque à dextris, & quinque à sinistris, ut lavarent in eis omnia, quæ in holocaustum oblaturi erant: porrò in mari sacerdotes lavabantur.

7 Fecit autem & candelabra aurea decem, secundùm speciem qua jussa erant fieri: & posuit ea in templo,quinque à dextris,& quinque à sinistris.

C 8 Necnon & mensas decem: & posuit eas in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris: phialas quoque aureas centum.

9 Fecit etiam atrium sacerdotum, & Basilicam grandem: & ostia in basilica, quæ texit ære.

10 Porrò mare posuit in latere dextro contra Orientem ad Meridiem.

11 Fecit autem Hiram lebetes, & creagras,& phialas: & cõplevit omne opus regis in domo Dei:

12 Hoc est, columnas duas, & epistylia, & capita, & quasi quædam retiacula, quæ capita tegerent super epistylia.

13 Malogranata quoque quadringenta,& retiacula duo, ita ut bini ordines malogranatorum singulis retiaculis jungerentur,quæ protegerent epistylia, & capita columnarum.

14 Bases etiam fecit, & conchas, quas superposuit basibus:

15 Mare unũ,boves quoque duodecim sub mari.

16 Et lebetes, & creagras, & phialas. Omnia vasa fecit Salomoni Hiram pater ejus in domo Domini ex ære mundissimo.

D 17 In regione Jordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochot & Saredatha.

18 Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita ut ignoraretur pondus æris.

19 Fecitque Salomon omnia vasa domus Dei,& altare aureum, & mensas, & super eas panes propositionis:

20 Candelabra quoque cum lucernis suis,ut lucerent ante oraculũ juxta ritum,ex auro purissimo:

21 Et florentia quædam,& lucernas, & forcipes aureos: omnia de auro mundissimo facta sunt.

22 Thymiamateria quoque, & thuribula, & phialas,& mortariola, ex auro purissimo. Et ostia cælavit templi interioris, id est, in Sancta sanctorum: & ostia templi forinsecus aurea.Sícque completum est omne opus,quod fecit Salomon in domo Domini.

Caput V.

Oblatis plurimis donariis arca continens tabulas Moysi in oraculum inducitur, unde gloria Domini implevit templum.

A 1 INtulit igitur Salomon omnia,quæ voverat Dauid pater suus,argentum, & aurum,& universa vasa posuit in thesauris domus Dei.
3.Reg.7. g.51.

*3.Reg. 8.a.1. 2 * Post quæ congregavit majores natu Israël, & cunctos principes tribuum,& capita familiarum de filiis Israël in Jerusalem, ut adducerent arcam fœderis Domini de Civitate David, quæ est Sion.

3 Venerunt itaque ad regem omnes viri Israël in die sollemni mensis septimi.

4 Cúmque venissent cuncti seniorum Israël,portaverunt Levitæ arcam,

5 Et intulerunt eam, & omnem paraturam tabernaculi.Porrò vasa sanctuarij,quæ erant in tabernaculo, portaverunt Sacerdotes cum Levitis. B

6 Rex autem Salomon,& universus cœtus Israël, & omnes qui fuerunt congregati ante arcam, immolabant arietes, & boves absque ullo numero: tanta enim erat multitudo victimarum.

7 Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est, ad oraculum templi, in Sancta sanctorum subter alas cherubim,

8 Ita ut cherubim expanderent alas suas super locum, in quo posita erat arca, & ipsam arcam tegerent cum vectibus suis.

9 Vectium autem, quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum: si verò quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat. Fuit itaque arca ibi usque in præsentem diem. C

10 Nihilque erat aliud in arca,nisi duæ tabulæ, quas posuerat Moyses in Horeb,quando legem dedit Dominus filiis Israël egredientibus ex Ægypto.

11 Egressis autem Sacerdotibus de sanctuario (omnes enim Sacerdotes, qui ibi potuerant inveniri, sanctificati sunt: nec adhuc in illo tempore vices, & ministeriorum ordo inter eos divisus erat)

12 Tam Levitæ quàm cantores,id est,& qui sub Asaph erant, & qui sub Eman, & qui sub Idithun, filij, & fratres eorum, vestiti byssinis, cymbalis, & D psalteriis, & citharis concrepabant, stantes ad Orientalem plagam altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis.

13 Igitur cunctis pariter, & tubis, & voce, & cymbalis,& organis,& diversi generis musicorum concinentibus, vocem in sublime tollentibus;longè sonitus audiebatur, ita ut cùm Dominum laudare cœpissent & dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus; impleretur Dei nube,

14 Nec possent Sacerdotes stare & ministrare propter caliginem. Compleverat enim gloria Domini domum Dei.

Caput VI.

Benedicit Salomon populo Israël, gratias Deo agens de impletione promissionis factæ David, orátque supplex coram multitudine,ut orantium in eo templo vota Deus exaudiat.

1 TUnc Salomon ait: Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine: A
3. Reg. 8.b.12.

2 Ego autem ædificavi domum nomini ejus, ut habitaret ibi in perpetuum.

3 Et convertit rex faciem suam, & benedixit universæ multitudini Israël (nam omnis turba stabat intenta) & ait:

4 Benedictus Dominus Deus Israël, qui quod locutus est David patri meo, opere complevit, dicens:

5 A die, qua eduxi populum meum de Terra Ægypti, non elegi civitatem de cunctis tribubus Israël,ut ædificaretur in ea domus nomini meo:neque elegi quemquam alium virum, ut esset dux in populo meo Israël,

6 Sed

6 Sed elegi Jerusalem, ut sit nomen meum in ea, & elegi David, ut constituerem eum super populum meum Israël. B

7 Cúmque fuisset voluntatis David patris mei, ut ædificaret domum nomini Domini Dei Israël,

8 Dixit Dominus ad eum.Quia hæc fuit voluntas tua, ut ædificares domum nomini meo, benè quidem fecisti hujusmodi habere voluntatem:

9 Sed non tu ædificabis domũ,verùm filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse ædificabit domum nomini meo.

10 Complevit ergo Dominus sermonem suum, quem locutus fuerat:& ego surrexi pro David patre meo, & sedi super thronum Israël, sicut locutus est Dominus:& ædificavi domum nomini Domini Dei Israël.

11 Et posui in ea arcam, in qua est pactum Domini, quod pepigit cum filiis Israël.

12 Stetit ergo coram altari Domini ex adverso universæ multitudinis Israël,& extẽdit manus suas.

13 Siquidem fecerat Salomon basim æneam,& posuerat eam in medio basilicæ,habentem quinque cubitos longitudinis, & quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos altitudinis:stetítque super eam: & deinceps flexis genibus contra universam multitudinem Israël, & palmis in cælum levatis, C

*2.Mac. 2.b.8. 14 Ait: * Domine Deus Israël, non est similis tui Deus in cælo & in terra: qui custodis pactum & misericordiam cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo:

15 Qui præstitisti servo tuo David patri meo quæcumque locutus fueras ei:& quæ ore promiseras opere complesti,sicut & præsens tempus probat.

16 Nunc ergo Domine Deus Israël,imple servo tuo patri meo David quæcumque locutus es, dicens: Non deficiet ex te vir coram me,qui sedeat super thronum Israël:ita tamen si custodierint filij tui vias suas, & ambulaverint in lege mea, sicut & tu ambulasti coram me.

17 Et nunc Domine Deus Israël, firmetur sermo tuus, quem locutus es servo tuo David.

18 Ergóne credibile est ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quantò magis domus ista, quam ædificavi?

19 Sed ad hoc tantùm facta est,ut respiciasorationem servi tui, & obsecrationem ejus, Domine Deus meus: & audias preces,quas fundit famulus tuus coram te:

D 20 Ut aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es ut invocaretur nomen tuum,

21 Et exaudires orationem, quam servus tuus orat in eo: & exaudias preces famuli tui,& populi tui Israël.Quicumque oraverit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo,id est,de cælis, & propitiare.

22 Si peccaverit quispiam in proximum suum, & jurare contra eum paratus venerit, séque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista:

23 Tu audies de cælo, & facies judicium servorum tuorum, ita ut reddas iniquo viam suam in caput proprium,& ulciscaris justum, retribuens ei secundùm justitiam suam.

24 Si superatus fuerit populus tuus Israël ab inimicis (peccabunt enim tibi) & conversi egerint pœnitentiam, & obsecraverint nomen tuum, & fuerint deprecati in loco isto,

25 Tu exaudies de cælo, & propitiare peccato populi tui Israël, & reduc eos in terram, quam dedisti eis, & patribus eorum. E

26 Si clauso cælo pluvia non fluxerit propter peccata populi,& deprecati te fuerint in loco isto, & confessi nomini tuo, & conversi à peccatis suis, cùm eos afflixeris,

27 Exaudi de cælo Domine,& dimitte peccata servis tuis & populi tui Israël, & doce eos viam bonam, per quam ingrediantur: & da pluviam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum.

28 * Fames si orta fuerit in terra,& pestilentia, *Inf.10. ærugo, & aurugo, & locusta,& bruchus;& hostes, c.9. vastatis regionibus, portas obsederint civitatis, omnísque plaga & infirmitas pressérit:

29 Si quis de populo tuo Israël fuerit deprecatus, cognoscens plagam & infirmitatem suam, & expanderit manus suas in domo hac,

30 Tu exaudies de cælo, de sublimi scilicet habitaculo tuo, & propitiare, & redde unicuique secundùm vias suas,quas nosti eum habere in corde suo: (tu enim solus nosti corda filiorum hominum.)

31 Ut timeant te,& ambulent in viis tuis cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, F quam dedisti patribus nostris.

32 Externum quoque, qui non est de populo tuo Israël, si venerit de terra longinqua, propter nomen tuum magnum, & propter manum tuam robustam, & brachium tuum extentum, & adoraverit in loco isto,

33 Tu exaudies de cælo firmissimo habitaculo tuo,& facies cuncta, pro quibus invocaverit te ille peregrinus: ut sciant omnes populi terræ nomen tuum,& timeant te sicut populus tuus Israël,& cognoscant quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi.

34 Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra adversarios suos per viam in qua miseris eos, adorabunt te contra viam, in qua civitas hæc est, quam elegisti, & domus, quam ædificavi nomini tuo:

35 Tu exaudies de cælo preces eorum,& obsecrationem, & ulciscaris.

36 Si autem peccaverint tibi (* neque enim est *3.Reg. 8.c.46. homo, qui non peccet) & iratus fueris eis, & tradideris hostibus,& captivos duxerint eos in terram Eccl.7. c.21. 1.Ioan.1. longinquam, vel certè quæ juxtà est, d.8.

37 Et conversi in corde suo, in terra, ad quam captivi ducti fuerant, egerint pœnitentiam,& deprecati te fuerint in terra captivitatis suæ,dicentes: Peccavimus, iniquè fecimus, injustè egimus: G

38 Et reversi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua in terra captivitatis suæ,ad quam ducti sunt, adorabunt te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & urbis, quam elegisti, & domus, quam ædificavi nomini tuo:

39 Tu exaudies de cælo,hoc est de firmo habitaculo tuo, preces eorum,& facias judicium,& dimittas populo tuo quamvis peccatori:

40 Tu es enim Deus meus: aperiantur, quæso,

oculi tui, & aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto.

*Psal.131. 41 * Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ: Sacerdotes tui Domine Deus induantur salutem,& sancti tui lætentur in bonis.

42 Domine Deus ne averteris faciem christi tui: memento misericordiarum David servi tui.

CAPUT VII.

Post devorata cœlesti igne sacrificia, Dei majestas templum implet, & plurimis immolatis hostiis, templi dedicatio septem diebus celebratur, diéque octavo fit collecta; Dominus autem Salomoni revelat, se ipsius orationem exaudisse.

A 1 CUmque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, & devoravit
*2.Mac. 2.b.8. holocausta & victimas: * & majestas Domini implevit domum.

2 Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini,eò quòd implesset majestas Domini templum Domini.

3 Sed & omnes filij Israël videbant descendentem ignem, & gloriam Domini super domum: & corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt, & laudaverunt Dominum: Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

4 Rex autem,& omnis populus,immolabant victimas coram Domino.

*3.Reg. 8.g.63. 5 * Mactavit igitur rex Salomon hostias, boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia: & dedicavit domum Dei rex, & universus populus.

B 6 Sacerdotes autem stabant in officiis suis: & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David rex ad laudandum Dominum: Quoniam in æternum misericordia ejus,hymnos David canentes per manus suas: porrò Sacerdotes canebant tubis ante eos,cunctúsque Israël stabat.

7 Sanctificavit quoque Salomon medium atrij ante templum Domini: obtulerat enim ibi holocausta & adipes pacificorum: quia altare æneum, quod fecerat, non poterat sustinere holocausta & sacrificia & adipes.

8 Fecit ergo Salomon sollemnitatem in tempore illo septem diebus, & omnis Israël cum eo, ecclesia magna valdè, ab introitu Emath usque ad Torrentem Ægypti.

9 Fecítque die octavo collectam, eò quòd dedicasset altare septem diebus,& sollemnitatem celebrasset diebus septem.

10 Igitur in die vigesimotertio mensis septimi dimisit populos ad tabernacula sua, lætantes atque gaudentes super bono,quod fecerat Dominus Davidi,& Salomoni, & Israëli populo suo.

*3.Reg. 9.a.1. 11 * Complevítque Salomon domum Domini, & domum regis, & omnia quæ dispositerat in corde suo,ut faceret in domo Domini,& in domo sua,
C & prosperatus est.

12 Apparuit autem ei Dominus nocte, & ait: Audivi orationem tuam,& elegi locum istum mihi in domum sacrificij.

13 Si clausero cælum, & pluvia non fluxerit, & mandavero & præcepero locustæ, ut devoret terram,& misero pestilentiam in populum meum:

14 Conversus autem populus meus,super quos invocatum est nomen meum,deprecatus me fuerit,& exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis suis pessimis:& ego exaudiam de cælo,& propitius ero peccatis eorum,& sanabo terram eorum.

15 Oculi quoque mei erunt aperti,& aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.

16 Elegi enim,& sanctificavi locum istum, ut sit D
nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei,& cor meum ibi cunctis diebus.

17 Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit David pater tuus,& feceris juxta omnia quæ præcepi tibi, & justitias meas judiciáque servaveris:

18 Suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur de stirpe tua vir, qui sit princeps in Israël.

19 Si autem aversi fueritis, & dereliqueritis justitias meas,& præcepta mea,quæ proposui vobis,& abeuntes servieritis diis alienis,& adoraveritis eos,

20 Evellam vos de terra mea,quam dedi vobis: & domum hanc, quam sanctificavi nomini meo, projiciam à facie mea,& tradam eam in parabolam, & in exemplum cunctis populis.

21 Et domus ista erit in proverbium universis transeuntibus, & dicent stupentes: Quare fecit Dominus sic terræ huic,& domui huic?

22 Respondebúntque:Quia dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxit eos de Terra Ægypti, & apprehenderunt deos alienos, & adoraverunt eos,& coluerunt:idcircò venerunt super eos universa hæc mala.

CAPUT VIII.

Ædificatis à Salomone variis civitatibus, reliquias Gentium sibi facit tributarias, offert holocausta, & sacerdotum ac Levitarum ministeria juxta dispositionem David constituit: missáque classe plurimum auri ex Ophir refertur ad Salomonem.

1 EXpletis autem viginti annis,postquam ædifi- A
3.Reg.9. b.10. cavit Salomon domum Domini & domum suam:

2 Civitates,quas dederat Hiram Salomoni,ædificavit,& habitare ibi fecit filios Israël.

3 Abiit quoque in Emath Suba,& obtinuit eam.

4 Et ædificavit Palmiram in deserto,& alias civitates munitissimas ædificavit in Emath.

5 Extruxítque Bethoron superiorem, & Bethoron inferiorem, civitates muratas habentes portas & vectes & seras:

6 Balaath etiam & omnes urbes firmissimas,quæ fuerunt Salomonis, cunctásque urbes quadrigarum, & urbes equitum. omnia quæcumque voluit Salomon atque disposuit, ædificavit in Jerusalem & in Libano, & in universa terra potestatis suæ.

7 Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethæis, & Amorrhæis, & Pherezæis,& Hevæis, & Jebusæis, qui non erant de stirpe Israël; B

8 De filiis eorum, & de posteris, quos non interfecerant filij Israël, subjugavit Salomon in tributarios, usque in diem hanc.

9 Porrò de filiis Israël non posuit ut servirent operibus regis: ipsi enim erant viri bellatores, & duces primi, & principes quadrigarum & equitum ejus.

10 Omnes

10 Omnes autem principes exercitus regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum.

C 11 Filiam verò Pharaonis transtulit de Civitate David, in domum quam ædificaverat ei. Dixit enim rex:Non habitabit uxor mea in domo David regis Israël,eò quòd sanctificata sit: quia ingressa est in eam arca Domini.

12 Tunc obtulit Salomon holocausta Domino super altare Domini, quod extruxerat ante porticum,

13 Ut per singulos dies offerretur in eo juxta præceptum Moysi in sabbatis & in calendis, & in festis diebus, ter per annum, id est, in sollemnitate azymorum, & in sollemnitate hebdomadarum & in sollemnitate tabernaculorum.

14 Et constituit juxta dispositionem David patris sui, officia sacerdotum in ministeriis suis: & Levitas in ordine suo, ut laudarent, & ministrarent coram Sacerdotibus juxta ritum uniuscujusque diei: & janitores in divisionibus suis per portam & por-
D tam:sic enim præceperat David homo Dei.

15 Nec prætergressi sunt de mandatis regis,tam Sacerdotes quàm Levitæ,ex omnibus quæ præceperat, & in custodiis thesaurorum.

16 Omnes impensas præparatas habuit Salomon, ex eo die quo fundavit domum Domini, usque in diem quo perfecit eam.

17 Tunc abiit Salomon in Asiongaber,& in Ailath ad oram Maris rubri, quæ est in Terra Edom.

18 Misit autem ei Hiram per manus servorum suorum naves, & nautas gnaros maris, & abierunt cum servis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad regem Salomonem.

CAPUT IX.

Regina Saba Salomonis admirata sapientiam, datis acceptísque muneribus discessit: pondus auri quod Salomoni quotannis adferebatur: hastas, scuta, omniáque convivij vasa aurea, & solium eburneum auro vestitum extruxit: describitur quoque amplitudo divitiarum, sapientiæ & potestatis Salomonis, qui anno regni sui quadragesimo moritur, succedente filio Roboam.

A 1 REgina quoque Saba,cùm audisset famam Salomonis, venit ut tentaret eum in ænigmatibus in Jerusalem, cum magnis opibus,& camelis
3.Reg. 10.a.1. Mat.12. d.42. Luc.11. d.31. qui portabant aromata,& auri plurimum,gemmásque pretiosas. Cúmque venisset ad Salomonem, locuta est ei quæcumque erant in corde suo.

2 Et exposuit ei Salomon omnia quæ proposuerat: nec quidquam fuit, quod non perspicuum ei fecerit.

3 Quæ postquam vidit,sapientiam scilicet Salomonis, & domum quam ædificaverat,

4 Necnon & cibaria mensæ ejus, & habitacula servorum,& officia ministrorum ejus,& vestimenta eorum, pincernas quoque & vestes eorum, & victimas quas immolabat in domo Domini: non
B erat præ stupore ultrà in ea spiritus.

5 Dixítque ad regem: Verus est sermo, quem audierã in terra mea de virtutibus & sapientia tua.

6 Non credebam narrantibus, donec ipsa venissem, & vidissent oculi mei, & probassem vix medietatem sapientiæ tuæ mihi fuisse narratam: vicisti famam virtutibus tuis.

7 Beati viri tui, & beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam.

8 Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum, regem Domini Dei tui. Quia diligit Deus Israël, & vult servare eum in æternum, idcircò posuit te super eum regem,ut facias judicia atque justitiam.

9 Dedit autem regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosissimas: non fuerunt aromata talia ut hæc, quæ dedit regina Saba regi Salomoni.

10 Sed & servi Hiram cum servis Salomonis C
attulerunt aurum de Ophir, & ligna thyina, & gemmas pretiosissimas:

11 De quibus fecit rex, de lignis scilicet thyinis, gradus in domo Domini, & in domo regia,citharas quoque & psalteria cantoribus: numquam visa sunt in Terra Juda ligna talia.

12 Rex autem Salomon dedit reginæ Saba cuncta quæ voluit, & quæ postulavit, & multò plura quàm attulerat ad eum: quæ reversa, abiit in terram suam cum servis suis.

13 Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per singulos annos, sexcenta sexaginta sex talenta auri:

14 Excepta ea summa, quam legati diversarum D
gentium, & negotiatores afferre consueverant, omnésque reges Arabiæ, & satrapæ terrarum, qui comportabant aurum & argentum Salomoni.

15 Fecit igitur rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur:

16 Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta: posuítque ea rex in armamentario, quod erat consitum nemore.

17 Fecit quoque rex solium eburneum grande, & vestivit illud auro mundissimo.

18 Sex quoque gradus, quibus adscendebatur ad solium, & scabellum aureum, & brachiola duo altrinsecus,& duos leones stantes juxta brachiola,

19 Sed & alios duodecim leunculos stantes super sex gradus ex utraque parte: non fuit tale so- E
lium in universis regnis.

20 Omnia quoque vasa convivij regis erant aurea, & vasa domus saltus Libani ex auro purissimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur.

21 Siquidem naves regis ibant in Tharsis cum servis Hiram,semel in annis tribus: & deferebant inde aurum & argentum, & ebur, & simias, & pavos.

22 Magnificatus est igitur Salomon super omnes reges terræ præ divitiis & gloria.

23 Omnésque reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde ejus:

24 Et deferebant ei munera, vasa argentea, & F
aurea,& vestes, & arma, & aromata, equos,& mulos, per singulos annos.

25 Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis,& curruum equitumque duodecim

Universidad de Deusto
Biblioteca

decim millia, constituítque eos in urbibus quadrigarum, & ubi erat rex in Jerusalem.

26 Exercuit etiam potestatem super cunctos reges, à flumine Euphrate usque ad terram Philisthinorum, & usque ad terminos Ægypti.

27 Tantámque copiam præbuit argenti in Jerusalem quasi lapidum; & cedrorum tantam multitudinem velut sycomororum, quæ gignuntur in campestribus.

28 Adducebantur autem ei equi de Ægypto, cunctísque regionibus.

29 Reliqua autem operum Salomonis priorum & novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo Videntis, contra Jeroboam filium Nabat.

30 Regnavit autem Salomon in Jerusalem super omnem Israël quadraginta annis.

31 Dormivítque cum patribus suis, & sepelierunt eum in Civitate David: regnavítque Roboam filius ejus pro eo.

Caput X.

Roboam spreto seniorum consilio, & juvenile secutus, scidit regnum in duo, electo in regem Jeroboam super decem tribus.

A 1 PRofectus est autem Roboam in Sichem: illuc enim cunctus Israël convenerat ut constituerent eum regem.
3. Reg. 12. a. 1.

2 Quod cùm audisset Jeroboam filius Nabat, qui erat in Ægypto (fugerat quippe illuc ante Salomonem) statim reversus est.

3 Vocaverúntque eum, & venit cum universo Israël, & locuti sunt ad Roboam, dicentes:

4 Pater tuus durissimo jugo nos pressit, tu leviora impera patre tuo, qui nobis imposuit gravem servitutem, & paululum de onere subleva, ut serviamus tibi.

5 Qui ait. Post tres dies revertimini ad me. Cúmque abiisset populus,

B 6 Iniit consilium cum senibus, qui steterant coram patre ejus Salomone dum adhuc viveret, dicens: Quid datis consilij ut respondeam populo?

7 Qui dixerunt ei: Si placueris populo huic, & leniveris eos verbis clementibus, servient tibi omni tempore.

8 At ille reliquit consilium senum, & cum juvenibus tractare cœpit, qui cum eo nutriti fuerant, & erant in comitatu illius.

9 Dixítque ad eos: Quid vobis videtur? vel respondere quid debeo populo huic, qui dixit mihi: Subleva jugum quod imposuit nobis pater tuus?

10 At illi responderunt ut juvenes, & nutriti cum eo in deliciis, atque dixerunt: Sic loquêris
C populo, qui dixit tibi: Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu subleva: & sic respondebis ei: Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei.

11 Pater meus imposuit vobis grave jugum, & ego majus pondus apponam: pater meus cæcidit vos flagellis, ego verò cædam vos scorpionibus.

12 Venit ergo Jeroboam, & universus populus, ad Roboam die tertio, sicut præceperat eis.

13 Respondítque rex dura, derelicto consilio seniorum:

14 Locutúsque est juxta juvenum voluntatem: Pater meus grave vobis imposuit jugum, quod ego gravius faciam: pater meus cæcídit vos flagellis, ego verò cædam vos scorpionibus. D

15 Et non acquievit populi precibus: erat enim voluntatis Dei, ut compleretur sermo ejus, * quem locutus fuerat per manum Ahiæ Silonitis ad Jeroboam filium Nabat. * 3. Reg. 11. c. 29.

16 Populus autem universus, rege duriora dicente, sic locutus est ad eum: Non est nobis pars in David, neque hereditas in filio Isai. Revertere in tabernacula tua Israël, tu autem pasce domum tuam David. Et abiit Israël in tabernacula sua.

17 Super filios autem Israël, qui habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam.

18 Misítque rex Roboam Aduram, qui præerat tributis, & lapidaverunt eum filij Israël, & mortuus est: porrò rex Roboam currum festinavit ascendere, & fugit in Jerusalem.

19 Recessítque Israël à domo David, usque ad diem hanc.

Caput XI.

Præcipit Deus ne pugnet Roboam contra Israël: extructis autem à Roboam multis civitatibus, confluunt ad eum Levitæ ac sacerdotes abjecti à Ieroboam, ceterique Dei cultores, Roboam autem multas duxit uxores ac concubinas.

A 1 VEnit autem Roboam in Jerusalem, & convocavit universam domum, Juda & Benjamin, centum octoginta millia electorum atque bellantium, ut dimicaret contra Israël, & converteret ad se regnum suum. 3. Reg. 12. a. 21.

2 Factúsque est sermo Domini ad Semeiam hominem Dei, dicens:

3 Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, & ad universum Israël qui est in Juda & Benjamin:

4 Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque pugnabitis contra fratres vestros: revertatur unusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate. Qui cùm audissent sermonem Domini, reversi sunt, nec perrexerunt contra Jeroboã. B

5 Habitavit autem Roboam in Jerusalem, & ædificavit civitates muratas in Juda.

6 Extruxítque Bethlehem, & Etam, & Thecue,

7 Bethsur quoque, & Socho, & Odollam,

8 Necnon & Geth, & Maresa, & Ziph,

9 Sed & Aduram, & Lachis, & Azeca,

10 Saraa quoque, & Aialon, & Hebron, quæ erant in Juda & Benjamin, civitates munitissimas.

11 Cúmque clausisset eas muris, posuit in eis principes, ciborúmque horrea, hoc est, olei, & vini.

12 Sed & in singulis urbibus fecit armamentarium scutorũ & hastarum, firmavítque eas summa diligentia, & imperavit super Judam & Benjamin.

13 Sacerdotes autem & Levitæ, qui erant in universo Israël, venerunt ad eum de cunctis sedibus C suis,

14 Relinquentes suburbana & possessiones suas, & transeuntes ad Judam & Jerusalem: eò quòd abjecisset eos Jeroboam, & posteri ejus, ne sacerdotio Domini fungerentur.

15 Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum, & dæmoniorum, vitulorúmque quos fecerat.

16 Sed & de cunctis tribubus Israël, quicumque dederant cor suum ut quærerent Dominum Deum Israël, venerunt in Jerusalem ad immolandum

dum victimas suas coram Dño Deo patrum suorum.

D 17 Et roboraverunt regnum Juda, & confirmaverunt Roboam filium Salomonis per tres annos: ambulaverunt enim in viis David & Salomonis, annis tantùm tribus.

18 Duxit autem Roboam uxorem Mahalath, filiam Jerimoth, filij David: Abihail quoque filiam Eliab filij Isai,

19 Quæ peperit ei filios, Jehus, & Somoriam, & Zoom.

20 Post hãc quoq; accepit Maacha filiã Absalom, quæ peperit ei Abia, & Ethai, & Ziza, & Salomith.

21 Amavit autem Roboam Maacha filiam Absalom, super omnes uxores suas, & concubinas: nam uxores decem & octo duxerat, concubinas autem sexaginta: & genuit viginti octo filios, & sexaginta filias.

22 Constituit verò in capite, Abiam filium Maacha, ducem super omnes fratres suos: ipsum enim regem facere cogitabat,

23 Quia sapientior fuit, & potentior super omnes filios ejus, & in cunctis finibus Juda & Benjamin, & in universis civitatibus muratis: præbuítque eis escas plurimas, & multas petivit uxores

Caput XII.

Propter peccata Roboam ac populi Iuda, tradit illos Deus regi Ægypti; qui captis munitissimis civitatibus Iuda, diripit Ierusalem, sublato regis ac templi thesauro, scutis quoque aureis & argenteis, pro quibus ænea fecit Roboam: quo mortuo, succedit filius Abia.

A 1 CUmque roboratum fuisset regnum Roboam & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Israël cum eo.

2 Anno autem quinto regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Jerusalem (quia peccaverant Domino)

3 Cum mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitum: nec erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex Ægypto, Libyes scilicet, & Troglodytæ, & Æthiopes.

4 Cepitque civitates munitissimas in Juda, & venit usque in Jerusalem.

5 Semeias autem propheta ingressus est ad Roboam, & principes Juda, qui congregati fuerant in Jerusalem, fugientes Sesac, dixítque ad eos: Hæc dicit Dominus: vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac.

B 6 Consternatíque principes Israël & rex dixerunt: Justus est Dominus.

7 Cúmque vidisset Dominus, quòd humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, dabóque eis pauxillum auxilij, & non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac.

8 Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, & servitutis regni terrarum.

9 Recessit itaque Sesac rex Ægypti ab Jerusalem, sublatis thesauris domus Domini, & domus regis, omniáque secum tulit, & clypeos aureos, quos fecerat Salomon,

C 10 Pro quibus fecit rex æneos, & tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatij.

11 Cúmque introiret rex domum Domini, veniebant scutarij, & tollebant eos, iterúmque referebant eos ad armamentarium suum.

12 Verumtamen quia humiliati sunt, aversa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus: siquidem & in Juda inventa sunt opera bona.

13 * Confortatus est ergo rex Roboam in Jerusalem, atque regnavit: quadraginta autem & unius anni erat cùm regnare cœpisset, & decem & septem annis regnavit in Jerusalem, urbe, quam elegit Dominus, ut confirmaret nomen suum ibi, de cunctis tribubus Israël: nomen autem matris ejus Naama Ammanitis. * 3. Reg. 14. c. 21. D

14 Fecit autem malum, & non præparavit cor suum ut quæreret Dominum.

15 Opera verò Roboam prima & novissima, scripta sunt in Libris Semeiæ prophetæ, & Addo Videntis, & diligenter exposita: pugnaverúntque adversum se Roboam & Jeroboam cunctis diebus.

16 Et dormivit Roboam cum patribus suis, sepultúsque est in Civitate David. Et regnavit Abia filius ejus pro eo.

Caput XIII.

Abia ad bellum contra Ieroboam accedens, dehortatur exercitum Ieroboam à bello contra se, cùm Deum haberent ducem, quem illi abjecerant, & sperans in Domino victor evadit, ac diversas cepit civitates, plurimósque ex variis uxoribus procreat liberos.

1 ANno octavo decimo regis Jeroboam, regnavit Abia super Judam. A 3. Reg. 15. a. 2.

2 Tribus annis regnavit in Jerusalem, nomén- que matris ejus Michaia, filia Uriel de Gabaa: & erat bellum inter Abiam & Jeroboam:

3 * Cúmque iniisset Abia certamen, & haberet bellicosissimos viros, & electorum quadringenta millia: Jeroboam instruxit econtrà aciem octingenta millia virorum, qui & ipsi electi erant, & ad bella fortissimi. * 3. Reg. 15. b. 7.

4 Stetit ergo Abia super montem Semeron, qui erat in Ephraim, & ait: Audi Jeroboam, & omnis Israël.

5 Num ignoratis quòd Dominus Deus Israël dederit regnum David super Israël in sempiternum, ipsi & filiis ejus in pactum salis?

6 Et surrexit Jeroboam filius Nabat, servus Salomonis filij David: * & rebellavit contra dominum suum. * 3. Reg. 12. c. 26.

7 Congregatíque sunt ad eum viri vanissimi, & filij Belial: & prævaluerunt contra Roboam filium B Salomonis: porrò Roboam erat rudis, & corde pavido, nec potuit resistere eis.

8 Nunc ergo vos dicitis quòd resistere possitis regno Domini, quod possidet per filios David, habetísque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Jeroboam in deos.

9 * Et ejecistis Sacerdotes Domini, filios Aaron, atque Levitas: & fecistis vobis Sacerdotes sicut omnes populi terrarum: quicumque venerit, & initiaverit manum suam in tauro de bobus, & in arietibus septem, fit sacerdos eorum qui non sunt dij. * 3. Reg. 12. g. 31.

10 Noster autem Dominus, Deus est quem non relinquimus, Sacerdotésque ministrant Domino de filiis Aaron, & Levitæ sunt in ordine suo:

11 Holocausta quoque offerunt Domino per singulos

Universidad de Deusto
Biblioteca

singulos dies manè & vesperè, & thymiama juxta
C legis præcepta confectum, & proponuntur panes
in mensa mundissima, éstque apud nos candela-
brum aureum, & lucernæ ejus, ut accendantur
semper ad vesperam: nos quippe custodimus præ-
cepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis.

12 Ergo in exercitu nostro dux Deus est, & Sa-
cerdotes ejus qui clangunt tubis, & resonant con-
tra vos: filij Israël nolite pugnare contra Domi-
num Deum patrum vestrorum, quia non vobis
expedit.

13 Hæc illo loquente, Jeroboam retrò molieba-
tur insidias. Cúmque ex adverso hostium staret,
ignorantem Judam suo ambiebat exercitu.

14 Respiciénsque Judas vidit instare bellum
ex adverso & post tergum, & clamavit ad Do-
minum: ac Sacerdotes tubis canere cœperunt.

15 Omnésque viri Juda vociferati sunt: & ecce
illis clamantibus, perterruit Deus Jeroboam, &
omnem Israël qui stabat ex adverso Abia & Juda.

16 Fugerúntque filij Israël Judam, & tradidit
eos Deus in manu eorum.

17 Percussit ergo eos Abia, & populus ejus, plaga
magna: & corruerunt vulnerati ex Israël quin-
D genta millia virorum fortium.

18 Humiliatíque sunt filij Israël in tempore illo,
& vehementissimè confortati filij Juda, eò quòd
speràssent in Domino Deo patrum suorum.

19 Persecutus est autem Abia fugientem Jero-
boam, & cepit civitates ejus, Bethel & filias ejus,
& Jesana cum filiabus suis, Ephron quoque & fi-
lias ejus:

20 Nec valuit ultrà resistere Jeroboam in die-
bus Abia: quem percussit Dominus, & mortuus
est.

21 Igitur Abia, confortato imperio suo, accepit
uxores quattuordecim: procreavítque viginti duos
filios, & sedecim filias.

22 Reliqua autem sermonum Abia, viarúmque
& operum ejus, scripta sunt diligentissimè in Libro
Addo Prophetæ.

Caput XIV.

Abia succedit filius Asa; qui, pace à Deo concessa, idolorum cultum subvertit, & civitates Juda ædificat ac munit, Zarámque regem Æthiopum cum exercitu mille millium divino auxilio devicit.

A 1 DOrmivit autem Abia cum patribus suis, &
3. Reg. 15. b. 8. sepelierunt eum in Civitate David: regnavítque Asa filius ejus pro eo, in cujus diebus quie-
vit terra annis decem.

2 Fecit autem Asa quod bonum & placitum
erat in conspectu Dei sui, & subvertit altaria pe-
regrini cultus, & excelsa,

3 Et confregit statuas, lucósque succidit:

4 Et præcepit Judæ ut quæreret Dominum Deũ
patrum suorum, & faceret legem, & universa man-
data:

5 Et abstulit de cunctis urbibus Juda aras, &
fana, & regnavit in pace.

6 Ædificavit quoque urbes munitas in Juda,
quia quietus erat, & nulla temporibus ejus bella
B surrexerant, pacem Domino largiente.

7 Dixit autem Judæ: Ædificemus civitates istas,
& vallemus muris, & roboremus turribus, & por-
tis, & seris, donec à bellis quieta sunt omnia, eò
quòd quæsierimus Dominum Deum patrum no-
strorum, & dederit nobis pacem per gyrum. Ædi-
ficaverunt igitur, & nullum in extruendo impe-
dimentum fuit.

8 Habuit autem Asa in exercitu suo portantium
scuta & hastas de Juda trecenta millia, de Benja-
min verò scutariorum & sagittariorum ducenta
octoginta millia, omnes isti viri fortissimi.

9 Egressus est autem contra eos Zara Æthiops
cum exercitu suo, decies centena millia, & curri- C
bus trecentis: & venit usque Maresa.

10 Porrò Asa perrexit obviàm ei, & instruxit
aciem ad bellum in Valle Sephata, quæ est juxta
Maresa:

11 Et invocavit Dominum Deum, & ait: * Do- * 1. Reg.
mine non est apud te ulla distantia, utrùm in pau- 14. b. 6.
cis auxilieris, an in pluribus: adjuva nos Domine
Deus noster: in te enim, & in tuo nomine haben-
tes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem.
Domine, Deus noster tu es, non prævaleat con-
tra te homo.

12 Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram D
Asa & Juda: fugerúntque Æthiopes.

13 Et persecutus est eos Asa, & populus qui cum
eo erat, usque Gerara: & ruerunt Æthiopes usque
ad internecionem, quia Domino cædente contri-
ti sunt, & exercitu illius præliante. Tulerunt ergo
spolia multa,

14 Et percusserunt civitates omnes per circui-
tum Geraræ: grandis quippe cunctos terror inva-
serat: & diripuerunt urbes, & multam prædam
asportaverunt.

15 Sed & caulas ovium destruentes, tulerunt
pecorum infinitam multitudinem, & camelorum:
reversíque sunt in Jerusalem.

Caput XV.

Azarias prophetat Israël futurum multo tempore absque Deo vero, sacerdote & lege; cujus prophetæ exhortatione confortatus Asa, aufert sordes idolorum, suámque matrem idololatram imperio privat: populus autem jurat se Deo servituũ.

A 1 AZarias autem filius Oded, facto in se spiritu
Dei,

2 Egressus est in occursum Asa, & dixit ei: Au-
dite me Asa & omnis Juda & Benjamin: Dominus
vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum,
invenietis: si autem dereliqueritis eum, derelin-
quet vos.

3 Transibunt autem multi dies in Israël absque
Deo vero & absque sacerdote doctore, & absque
lege.

4 Cúmque reversi fuerint in angustia sua ad
Dominum Deum Israël, & quæsierint eum, repe-
rient eum.

5 In tempore illo non erit pax egredienti, &
ingredienti, sed terrores undique in cunctis habi-
tatoribus terrarum:

6 Pugnabit enim gens contra gentem, & civi- B
tas contra civitatem, quia Dominus conturbabit
eos in omni angustia.

7 Vos ergo confortamini, & non dissolvantur
manus vestræ: erit enim merces operi vestro.

8 Quod cùm audisset Asa, verba scilicet &
prophetiam Azariæ filij Oded prophetæ, confor-
tatus

tatus est, & abstulit idola de omni terra Juda, & de
Benjamin, & ex urbibus, quas ceperat, montis
Ephraim, & dedicavit altare Domini quod erat
ante porticum Domini.

9 Congregavítque universum Judam & Benja-
min, & advenas cum eis de Ephraim, & de Ma-
C nasse, & de Simeon: plures enim ad eum confuge-
rant ex Israël, videntes quòd Dominus Deus illius
esset cum eo.

10 Cúmque venissent in Jerusalem mense ter-
tio, anno decimoquinto regni Asa,

11 Immolaverunt Domino in die illa, de ma-
nubiis & præda quam adduxerant, boves septin-
gentos, & arietes septem millia.

12 Et intravit ex more ad corroborandum fœ-
dus, ut quærerent Dominum Deum patrum suo-
rum in toto corde, & in tota anima sua.

13 Si quis autem, inquit, non quæsierit Domi-
num Deum Israël, moriatur à minimo usque ad ma-
ximum, à viro usque ad mulierem.

14 Juraverúntque Domino voce magna in ju-
bilo, & in clangore tubæ, & in sonitu buccinarum,

15 Omnes qui erant in Juda cum execratione:
in omni enim corde suo juraverunt, & in tota vo-
D luntate quæsierunt eum, & invenerunt: præstitit-
que eis Dominus requiem per circuitum.

16 Sed & Maacham matrem Asa regis ex au-
gusto depositi imperio, eò quòd fecisset in luco
simulacrum Priapi: quod omne contrivit, & in fru-
sta comminuens combussit in Torrente cedron.

17 Excelsa autem derelicta sunt in Israël: attա-
men cor Asa erat perfectum cunctis diebus ejus.

18 Eáque quæ voverat pater suus, & ipse, intu-
lit in domum Domini, argentum, & aurum, vaso-
rúmque diversam supellectilem.

19 Bellum verò non fuit usque ad trigesimum
quintum annum regni Asa.

Caput XVI.

Pugnante Baasa rege Israël contra Asa, vocavit Asa Benadad regem Syriæ in auxilium, & Hanani prophetam ipsum ob id increpantem in nervum conjecit, ac dolore pedum cruciatus, in medicorum arte spem ponens, anno regni sui 41. moritur.

A 1 ANno autem trigesimo sexto regni ejus,
ascendit Baasa rex Israël in Judam, & mu-
ro circumdabat Rama, ut nullus tutè posset egredi
& ingredi de regno Asa.

2 Protulit ergo Asa argentum & aurum de the-
sauris domus Domini, & de thesauris regis, misit-
que ad Benadad regem Syriæ, qui habitabat in
Damasco, dicens:

3 Fœdus inter me & te est, pater quoque meus
& pater tuus habuere concordiam: quam ob rem
misi tibi argentum & aurum, ut rupto fœdere,
quod habes cum Baasa rege Israël, facias eum à me
recedere.

B 4 Quo comperto, Benadad misit principes exer-
cituum suorum ad urbes Israël: qui percusserunt
Ahion, & Dan, & Abelmaim, & universas urbes
Nephthali muratas.

5 Quod cùm audisset Baasa, desiit ædificare Ra-
ma, & intermisit opus suum.

6 Porrò Asa rex assumpsit universum Judam, &
& tulerunt lapides de Rama, & ligna quæ ædifi-
cationi præparaverat Baasa, ædificavítque ex eis
Gabaa, & Maspha.

7 In tempore illo venit Hanani propheta ad
Asa regem Juda, & dixit ei: Quia habuisti fidu-
ciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo,
idcircò evasit Syriæ regis exercitus de manu tua. C

8 * Nónne Æthiopes & Libyes multò plures * Sup. 14.
erant, quadrigis & equitibus, & multitudine nimia: c. 9.
quos, cùm Dño credidisses, tradidit in manu tua?

9 Oculi enim Domini contemplantur univer-
sam terram, & præbent fortitudinem his, qui cor-
de perfecto credunt in eum. Stultè igitur egisti,
& propter hoc ex præsenti tempore adversum te
bella consurgent.

10 Iratúsque Asa adversus Videntem, jussit eum
mitti in nervum: valdè quippe super hoc fuerat
indignatus: & interfecit de populo in tempore illo
plurimos.

11 Opera autem Asa prima & novissima, scripta
sunt in Libro regum Juda & Israël.

12 Ægrotavit etiam Asa anno trigesimo nono
regni sui, dolore pedum vehementissimo, & nec D
in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis
in medicorum arte confisus est.

13 Dormivítque cum patribus suis: & mortuus
est anno quadragesimo primo regni sui.

14 Et sepelierunt eum in sepulchro suo quod
foderat sibi in Civitate David: posuerúntque eum
super lectum suum, plenum aromatibus & un-
guentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum
arte confecta, & combusserunt super eum ambi-
tione nimia.

Caput XVII.

Pius Iosaphat patri Asa succedens, divitiis potens & armis, mittit doctores legis Dei per universum Judam; cujus principes recensentur, cum numero subjectorum militum.

1 REgnavit autem Josaphat filius ejus pro eo, & A
invaluit contra Israël.

2 Constituítque militum numeros in cunctis
urbibus Juda, quæ erant vallatæ muris. Præsidiáque
disposuit in terra Juda, & in civitatibus Ephraim,
quas ceperat Asa pater ejus.

3 Et fuit Dominus cum Josaphat, quia ambula-
vit in viis David patris sui primis: & non spera-
vit in Baalim,

4 Sed in Deo patris sui, & perrexit in præceptis
illius, & non juxta peccata Israël.

5 Confirmavítque Dominus regnum in manu
ejus, & dedit omnis Juda munera Josaphat: factæ-
que sunt ei infinitæ divitiæ, & multa gloria.

6 Cúmque sumpsisset cor ejus audaciam propter
vias Domini, etiã excelsa & lucos de Juda abstulit. B

7 Tertio autem anno regni sui, misit de princi-
pibus suis Benhail, & Obdiam, & Zachariam, &
Nathanaël, & Michæam, ut docerent in civitati-
bus Juda.

8 Et cum eis Levitas, Semeiam, & Nathaniam, &
Zabadiam, Asaël quoque, & Semiramoth, & Jona-
than, Adoniámque & Thobiam, & Thobadomiam,
Levitas, & cum eis Elisama & Joram Sacerdotes.

9 Docebántque populum in Juda, habentes li-
brum legis Domini, & circuibant cunctas urbes
Juda, atque erudiebant populum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

10 Itaque factus est pavor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Juda, nec audebant bellare contra Josaphat.

11 Sed & Philisthæi Josaphat munera deferebant, & vectigal argenti, Arabes quoque adducebant pecora, arietum septem millia septingenta, & hircorum totidem.

12 Crevit ergo Josaphat, & magnificatus est usque in sublime: atque ædificavit in Juda domos ad instar turrium, urbesque muratas.

13 Et multa opera paravit in urbibus Juda: viri quoque bellatores, & robusti erant in Jerusalem,

14 Quorum iste numerus per domos atque familias singulorum: In Juda principes exercitus, Ednas dux, & cum eo robustissimi viri trecenta millia.

15 Post hunc Johanan princeps, & cum eo ducenta octoginta millia.

16 Post istum quoque Amasias filius Zechri, consecratus Domino, & cum eo ducenta millia virorum fortium.

17 Hunc sequebatur robustus ad prælia Eliada, & cum eo tenentium arcum & clypeum ducenta millia.

18 Post istum etiam Jozabad, & cum eo centum octoginta millia expeditorum militum.

19 Hi omnes erant ad manū regis, exceptis aliis, quos posuerat in urbibus muratis, in universo Juda.

Caput XVIII.

Iosaphat impio Achab affinitate junctus, ascendit cum eo contra Ramoth Galaad, 400. pseudoprophetis victoriam promittentibus; Michæas autem contrarium prophetans, incarceratur; sed Achab juxta Michæa prophetiam in bello occiditur.

1 Fuit ergo Josaphat dives & inclytus multùm, & affinitate conjunctus est Achab.

2 Descenditque post annos ad eum in Samariam: ad cujus adventum mactavit Achab arietes & boves plurimos, ipsi, & populo qui venerat cum eo: persuasitque illi ut ascenderet in Ramoth Galaad.

3 Dixitque Achab rex Israël ad Josaphat regem Juda: Veni mecum in Ramoth Galaad. Cui ille respondit: Ut ego, & tu: sicut populus tuus, sic & populus meus: tecúmque erimus in bello.

4 Dixitque Josaphat ad regem Israël: Consule obsecro impræsentiarum sermonem Domini.

5 Congregavit igitur rex Israël prophetarum quadringentos viros, & dixit ad eos: In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus an quiescere? At illi, Ascende, inquiunt, & tradet Deus in manu regis.

6 Dixitque Josaphat: Numquid non est hîc prophetes Domini, ut ab illo etiam requiramus?

7 Et ait rex Israël ad Josaphat: Est vir unus, à quo possumus quærere Domini voluntatem: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore: est autem Michæas filius Jemla. Dixitque Josaphat: Ne loquaris rex hoc modo.

8 Vocavit ergo rex Israël unum de eunuchis, & dixit ei: Voca citò Michæam filium Jemla.

9 Porrò rex Israël, & Josaphat rex Juda, uterque sedebant in solio suo, vestiti cultu regio: sedebant autem in area juxta portam Samariæ, omnésque prophetæ vaticinabantur coram eis.

10 Sedecias verò filius Chanaana fecit sibi cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec conteras eam.

11 Omnésque prophetæ similiter prophetabant, atque dicebant: Ascende in Ramoth Galaad, & prosperaberis, & tradet eos Dominus in manu regis.

12 Nuntius autem, qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi: Ecce verba omnium prophetarum uno ore bona regi annuntiant: quæso ergo te ut & sermo tuus ab eis non dissentiat, loquarísque prospera.

13 Cui respondit Michæas: Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar.

14 Venit ergo ad regem. Cui rex ait: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Cui ille respondit: Ascendite: cuncta enim prospera evenient, & tradentur hostes in manus vestras.

15 Dixítque rex: Iterùm atque iterùm te adjuro, ut mihi non loquaris, nisi quod verum est, in nomine Domini.

16 At ille ait: Vidi universum Israël dispersum in montibus, sicut oves absque pastore: & dixit Dominus: Non habent isti dominos: revertatur unusquisque in domum suam in pace.

17 Et ait rex Israël ad Josaphat: Nónne dixi tibi, quòd non prophetaret iste mihi quidquam boni, sed ea quæ mala sunt?

18 At ille, Idcircò, ait, audite verbum Domini: Vidi Dominum sedentem in solio suo, & omnem exercitum cæli assistentem ei à dextris & à sinistris.

19 Et dixit Dominus: Quis decipiet Achab regem Israël, ut ascendat & corruat in Ramoth Galaad? Cúmque diceret unus hoc modo, & alter alio:

20 Processit spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam eum. Cui Dominus, In quo, inquit, decipies?

21 At ille respondit: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Dixítque Dominus: Despicies, & prævalebis: egredere, & fac ita.

22 Nunc igitur, ecce Dominus dedit spiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum, & Dominus locutus est de te mala.

23 Accessit autem Sedecias filius Chanaana, & percussit Michææ maxillam, & ait: Per quam viam transivit Spiritus Domini à me, ut loqueretur tibi?

24 Dixítque Michæas: Tu ipse videbis in die illo, quando ingressus fueris cubiculum de cubiculo ut abscondaris.

25 Præcepit autem rex Israël, dicens: Tollite Michæam, & ducite eum ad Amon principem civitatis, & ad Joas filium Amelech.

26 Et dicetis: Hæc dicit rex: mittite hunc in carcerem, & date ei panis modicum, & aquæ paxillum, donec revertar in pace.

27 Dixítque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me. Et ait: Audite omnes populi.

28 Igitur ascenderunt rex Israël & Josaphat rex Juda in Ramoth Galaad.

29 Dixítque rex Israël ad Josaphat: Mutabo habitum, & sic ad pugnam vadam, tu autem induere vestibus tuis. Mutatóque rex Israël habitu, venit ad bellum.

30 Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus sui, dicens: Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum, nisi contra solum regē Israël.

31 Itaque cùm vidissent principes equitatus Josaphat, dixerunt: Rex Israël est iste. Et circumdederunt eum dimicantes: at ille clamavit ad Dominum, & auxiliatus est ei, atque avertit eos ab illo.

32 Cùm enim vidissent duces equitatus, quòd non esset rex Israël, reliquerunt eum.

33 Accidit autem ut unus è populo sagittam in incertum jaceret, & percuteret regem Israël inter cervicem & scapulas. at ille aurigæ suo ait: Converte manum tuam, & educ me de acie, quia vulneratus sum.

34 Et finita est pugna in die illo: porrò rex Israël stabat in curru suo contra Syros usque ad vesperam, & mortuus est occidente sole.

Caput XIX.

Josaphat à Iehu propheta correptus de præstito auxilio Achab, constitutos à se judices admonet de servanda justitia, & Levitas de promovendo cultu divino, populóque rectè instituendo.

1 Reversus est autem Josaphat rex Juda in domum suam pacificè in Jerusalem.

2 Cui occurrit Jehu filius Hanani Videns, & ait ad eum: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, & idcircò iram quidem Domini merebaris:

3 Sed bona opera inventa sunt in te, eò quòd abstuleris lucos de terra Juda, & præparaveris cor tuum ut requireres Dominum Deum patrum tuorum.

4 Habitavit ergo Josaphat in Jerusalem: rursúmque egressus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, & revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum.

5 Constituítque judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca,

6 Et præcipiens judicibus, Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.

7 Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, * nec personarum acceptio, nec cupido munerum.

8 In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas, & Sacerdotes, & principes familiarum ex Israël, ut judicium & causam Domini judicarent habitatoribus ejus.

9 Præcepítque eis, dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto.

10 Omnem causam, quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter cognationem, & cognationem, ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos & super fratres vestros: sic ergo agentes non peccabitis.

11 Amarias autem sacerdos & pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porrò Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent: habetísque magistros Levitas coram vobis, confortamini, & agite diligenter, & erit Dominus vobiscum in bonis.

Caput XX.

Ammonitis, Moabitis, ac Syris contra Iosaphat insurgentibus, ipse prædicato jejunio unà cum populo suo supplex ad Deum confugit, sicque ab eis se mutuò cædentibus liberatus, spolia colligit: verum ob fœdus cum impio Ochozia à propheta corripitur.

1 Post hæc congregati sunt filij Moab, & filij Ammon, & cum eis de Ammonitis, ad Josaphat, ut pugnarent contra eum.

2 Venerúntque nuntij, & indicaverunt Josaphat, dicentes: Venit contra te multitudo magna, de his locis quæ trans mare sunt, & de Syria, & ecce consistunt in Asasonthamar, quæ est Engaddi.

3 Josaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium universo Juda.

4 Congregatúsque est Judas ad deprecandum Dominum: sed & omnes de urbibus suis venerunt ad obsecrandum eum.

5 Cúmque stetisset Josaphat in medio cœtu Juda, & Jerusalem, in domo Domini ante atrium novū,

6 Ait: Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cælo, & dominaris cunctis regnis Gentium, in manu tua est fortitudo & potentia, nec quisquam tibi potest resistere.

7 Nónnetu Deus noster interfeceisti omnes habitatores terræ hujus corā populo tuo Israël, & dedisti eam semini Abraham amici tui in sempiternū?

8 Habitaverúntque in ea, & extruxerunt in illa sanctuarium nomini tuo, dicentes:

9 Si irruerint super nos mala, gladius judicij, pestilentia, & fames, stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua invocatum est nomen tuum: & clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies, salvósque facies.

10 Nunc igitur ecce filij Ammon, & Moab, & mons Seir,* per quos non concessisti Israël ut transirent quando egrediebantur de Ægypto, sed declinaverunt ab eis, & non interfecerunt illos: * Deut. 2.d.1.

11 Econtrariò agunt, & nituntur ejicere nos de possessione, quam tradidisti nobis.

12 Deus noster, ergo non judicabis eos? In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.

13 Omnis verò Juda stabat coram Domino, cum parvulis, & uxoribus, & liberis suis.

14 Erat autem Jahaziel filius Zachariæ, filij Banaiæ, filij Jehiel, filij Mathaniæ, Levites de filiis Asaph, super quem factus est Spiritus Domini in medio turbæ,

15 Et ait: Attendite omnis Juda, & qui habitatis Jerusalem, & tu rex Josaphat: Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei.

16 Cras descendetis contra eos: ascensuri enim sunt per clivū nomine Sis, & invenietis illos in summitate torrentis, qui est contra solitudinem Jeruel.

Universidad de Deusto
Biblioteca

17 Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodò confidenter state,& videbitis auxilium Domini super vos, ó Juda, & Jerusalem: nolite timere, nec paveatis: cras egrediemini contra eos, & Dominus erit vobiscum.

18 Josaphat ergo, & Juda, & omnes habitatores Jerusalem, ceciderunt proni in terram coram Domino, & adoraverunt eum.

19 Porrò Levitæ de filiis Caath,& de filiis Core, laudabant Dominum Deum Israël voce magna,in excelsum.

20 Cúmque manè surrexissent, egressi sunt per desertum Thecue: profectisque eis, stans Josaphat in medio eorum, dixit: Audite me viri Juda, & omnes habitatores Jerusalem: credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite prophetis ejus, & cuncta evenient prospera.

21 Dedítque consilium populo,& statuit cantores Domini,ut laudarent eum in turmis suis,& antecederent exercitum, ac voce consona dicerent:
*Psal.135. a.1. * Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus.

22 Cúmque cœpissent laudes canere,vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, & Moab, & montis Seir, qui egressi fuérant ut pugnarent contra Judam,& percussi sunt.

23 Namque filij Ammon, & Moab, consurrexerunt adversum habitatores montis Seir, ut interficerent & delerent eos: cúmque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi, mutuis concidêre vulneribus.

24 Porrò Juda cùm venisset ad speculam, quæ respicit solitudinem, vidit procul omnem latè regionem plenam cadaveribus,nec superesse quemquam, qui necem potuisset evadere.

25 Venit ergo Josaphat,& omnis populus cum eo, ad detrahenda spolia mortuorum: invenerúntque inter cadavera variā supellectilem,vestes quoque, & vasa pretiosissima,& diripuerunt,ita ut omnia portare non possent,nec per tres dies spolia auferre præ prædæ magnitudine.

26 Die autem quarto congregati sunt in Valle benedictionis: etenim quoniam ibi benedixerant Domino, vocaverunt locum illum Vallis benedictionis usque in præsentem diem.

27 Reversúsque est omnis vir Juda,& habitatores Jerusalem, & Josaphat ante eos, in Jerusalem cum lætitia magna, eò quòd dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis.

28 Ingressíque sunt in Jerusalem cum psalteriis, & citharis, & tubis, in domum Domini.

29 Irruit autem pavor Domini super universa regna terrarum,cùm audissent quòd pugnasset Dominus contra inimicos Israël.

30 Quievítque regnum Josaphat, & præbuit ei Deus pacem per circuitum.

31 Regnavit igitur Josaphat super Judam,& erat trigintaquinque annorum cùm regnare cœpisset: viginti autem & quinque annis regnavit in Jerusalem, & nomen matris ejus Azuba filia Selahi.

32 Et ambulavit in via patris sui Asa, nec declinavit ab ea, faciens quæ placita erant coram Domino.

33 Veruntamen excelsa non abstulit, & adhuc populus non direxerat cor suum ad Dominum Deum patrum suorum.

34 Reliqua autem gestorum Josaphat priorum & novissimorum, scripta sunt in verbis Jehu filij Hanani, quæ digessit in Libros regum Israël.

35 Post hæc iniit amicitias Josaphat rex Juda cum Ochozia rege Israël,cujus opera fuerunt impiissima.

36 Et particeps fuit ut facerent naves, quæ irent in Tharsis: fecerúntque classem in Asiongaber.

37 Prophetavit autem Eliezer filius Dodaü de Maresa ad Josaphat, dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.

CAPUT XXI.

Impius Ioram filius Iosaphat occidit fratres suos,& quosdam principes Iuda,cui Elias per litteras pessimam agritudinem ac mortem, & domus suæ ac regni direptionem prædixit, quæ tandem subsecuta sunt.

1 DOrmivit autem Josaphat cum patribus suis, & sepultus est cum eis in Civitate David: regnavítque Joram filius ejus pro eo. 3. Reg. 22.51.

2 Qui habuit fratres, filios Josaphat, Azariam, & Jahiel, & Zachariam, & Azariam,& Michaël, & Saphatiam.omnes hi, filij Josaphat regis Juda.

3 Dedítque eis pater suus multa munera argenti,& auri, & pensitationes cum civitatibus munitissimis in Juda: regnum autem tradidit Joram, eò quòd esset primogenitus.

4 Surrexit ergo Joram super regnum patris sui: cúmque se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio, & quosdam de principibus Israël.

5 Triginta duorum annorum erat Joram cùm regnare cœpisset: & octo annis regnavit in Jerusalem.

6 Ambulavítque in viis regum Israël,sicut egerat domus Achab: filia quippe Achab erat uxor ejus,& fecit malum in conspectu Domini.

7 Noluit autem Dominus dísperdere domum David, propter pactum quod inierat cum eo: & quia promiserat ut daret ei lucernam, & filiis ejus omni tempore.

8 In diebus illis rebellavit Edom, ne esset subditus Judæ: & constituit sibi regem.

9 Cúmque transisset Joram cum principibus suis, & cuncto equitatu qui erat secum, surrexit nocte, & percussit Edom, qui se circumdederat,& omnes duces equitatus ejus.

10 Attamen rebellavit Edom, ne esset sub ditione Juda, usque ad hanc diem: eo tempore & Lobna recessit ne esset sub manu illius. Dereliquerat enim Dominum Deum patrum suorum:

11 Insuper & excelsa fabricatus est in urbibus Juda, & fornicari fecit habitatores Jerusalem, & prævaricari Judam.

12 Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui, & in viis Asa regis Juda,

13 Sed incessisti per iter regum Israël, & fornicari fecisti Judam, & habitatores Jerusalem,imitatus fornicationē domus Achab,insuper & fratres tuos,

tuos, domum patris tui, meliores te, occidisti:

14 Ecce Dominus percutiet te plaga magna, cum populo tuo,& filiis,& uxoribus tuis,universáque substantia tua.

15 Tu autem ægrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.

16 Suscitavit ergo Dominus contra Joram spiritum Philisthinorum, & Arabum, qui confines sunt Æthiopibus.

17 Et ascenderunt in Terram Juda, & vastaverunt eam, diripuerúntque cunctam substantiam, quæ inventa est in domo regis, insuper & filios ejus,& uxores: nec remansit ei filius,nisi Joachaz, qui minimus natu erat.

18 Et super hæc omnia percussit eum Dominus alvi languore insanabili.

19 Cúmque diei succederet dies, & temporum spatia volverentur, duorum annorum expletus est circulus:& sic longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera sua, languore pariter & vita caruit. Mortuúsque est in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundùm morem combustionis, exequias, sicut fecerat majoribus ejus.

20 Triginta duorum annorum fuit,cùm regnare cœpisset, & octo annis regnavit in Jerusalem. Ambulavítque non rectè, & sepelierunt eum in Civitate David: veruntamē non in sepulchro regū.

CAPUT XXII.

Impium Ochoziam filium Ioram occidit Iehu, simul & Ioram regem Israël: occidente autem Athalia filios regis, servavit Iosabeth Ioas natu minimum.

1 COnstituerunt autem habitatores Jerusalem Ochoziam filium ejus minimum,regem pro eo: omnes enim majores natu, qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum,qui irruerant in castra: regnavítque Ochozias filius Joram regis Juda. 4.Reg.8. f.25.

2 Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset,& uno anno regnavit in Jerusalem,& nomen matris ejus Athalia filia Amri.

3 Sed & ipse ingressus est per vias domus Achab: mater enim ejus impulit eum ut impiè ageret.

4 Fecit igitur malum in conspectu Domini sicut domus Achab: ipsi enim fuerunt ei consiliarij post mortem patris sui,in interitum ejus.

5 Ambulavítque in consiliis eorum. Et perrexit cum Joram filio Achab rege Israël, in bellum contra Hazaël regem Syriæ in Ramoth Galaad: vulneraverúntque Syri Joram.

6 Qui reversus est ut curarétur in Jezrahel:multas enim plagas acceperat in supradicto certamine. Igitur Ochozias filius Joram rex Juda,descendit ut inviseret Joram filium Achab in Jezrahel ægrotantem.

7 Voluntatis quippe fuit Dei adversus Ochoziam,ut veniret ad Joram:& cùm venisset,& egrederetur cum eo adversum Jehu filium Namsi, quem unxit Dominus ut deleret domum Achab.

8 Cùm ergo everteret Jehu domum Achab,invenit principes Juda,& filios fratrum Ochoziæ,qui ministrabant ei,& interfecit illos.

9 Ipsum quoque perquirens Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria: adductúmque ad se,occidit,& sepelierunt eum: eò quòd esset filius Josaphat, qui quæsierat Dominum in toto corde suo. nec erat ultrà spes aliqua,ut de stirpe quis regnaret Ochoziæ.

10 * Si quidem Athalia mater ejus,videns quòd mortuus esset filius suus,surrexit,& interfecit omnē stirpem regiam domus Joram. * 4 Reg. 11.a.1.

11 Porrò Josabeth filia regis tulit Joas filium Ochoziæ, & furata est eum de medio filiorum regis, cùm interficerentur: abscondítque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum: Josabeth autem, quæ absconderat eum, erat filia regis Joram, uxor Joiadæ pontificis, soror Ochoziæ,& ideireò Athalia non interfecit eum.

12 Fuit ergo cum eis in domo Dei absconditus sex annis, quibus regnavit Athalia super terram.

CAPUT XXIII.

Ioiada Pontifex unxit Ioas in regem Iuda, curavitque ut Athalia occideretur, & cultus Dei restitueretur; populus autem destruit domum, altaria ac simulacra Baal.

1 ANno autem septimo confortatus Joiada,assúmpsit centuriones, Azariam videlicet filium Jeroham,& Ismahel filium Johanan,Azariam quoque filium Obed,& Maasiam filium Adaiæ,& Elisaphat filium Zechri: & iniit cum eis fœdus. 4. Reg. 11.a.4.

2 Qui circumeuntes Judam, congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda,& principes familiarum Israël, venerúntque in Jerusalem.

3 Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege: dixitque ad eos Joiada: Ecce filius regis regnabit, sicut locutus est Dominus super filios David.

4 Iste est ergo sermo quem facietis:

5 Tertia pars vestrûm qui veniunt ad Sabbatum, Sacerdotum, & Levitarum,& janitorum, erit in portis:tertia verò pars ad domum regis: & tertia ad portam, quæ appellatur Fundamenti: omne verò reliquum vulgus sit in atriis domus Domini.

6 Nec quispiam alius ingrediatur domum Domini, nisi Sacerdotes, & qui ministrant de Levitis: ipsi tantummodò ingrediantur, quia sanctificati sunt: & omne reliquum vulgus observet custodias Domini.

7 Levitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua: (& si quis alius ingressus fuerit templum, interficiatur) sintque cum rege & intrante & egrediente.

8 Fecerunt ergo Levitæ, & universus Juda, juxta omnia quæ præceperat Joiada pontifex: & assúmpserunt singuli viros qui sub se erant, & veniebant per ordinem sabbati, cum his qui impleverant sabbatum, & egressuri erant, siquidem Joiada pontifex non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant.

9 Dedítque Joiada sacerdos centurionibus lanceas, clypeósque & peltas regis David, quas consecraverat in domo Domini.

10 Constituítque omnem populum tenentium pugiones, à parte templi dextra, usque ad partem templi sinistram, coram altari, & templo, per circuitum regis.

11 Et eduxerunt filium regis, & imposuerunt ei diadema,& testimonium,dederúntque in manu ejus

ejus tenendam legem,& constituerunt eum regem:
unxit quoque illum Joiada pontifex, & filij ejus:
imprecatíque sunt ei, atque dixerunt: Vivat rex.
C 12 Quod cùm audisset Athalia, vocem scilicet
currentium atque laudantium regem, ingressa est
ad populum in templum Domini.
13 Cúmque vidisset regem stantem super gra-
dum in introitu, & principes, turmásque circa
eum, omnémque populum terræ gaudentem, at-
que clangentem tubis, & diversi generis organis
concinentem, vocémque laudantium,scidit vesti-
menta sua, & ait: Insidiæ, insidiæ.
14 Egressus autem Joiada pontifex ad centurio-
nes,& principes exercitus,dixit eis: Educite illam
extra septa templi, & interficiatur foris gladio.
Præcepítque sacerdos ne occideretur in domo Do-
mini.
15 Et imposuerunt cervicibus ejus manus:cúm-
que intrasset portam equorum domus regis, inter-
fecerunt eam ibi.
16 Pepigit autem Joiada fœdus inter se,univer-
súmque populum, & regem, ut esset populus Do-
D mini.
17 Itaque ingressus est omnis populus domum
Baal, & destruxerunt eam: & altaria ac simulacra
illius confregerunt: Mathan quoque sacerdotem
Baal interfecerunt ante aras.
18 Constituit autem Joiada præpositos in domo
Domini sub manibus Sacerdotum, & Levitarum,
quos distribuit David in domo Domini: ut offer-
rent holocausta Domino, sicut scriptum est in le-
ge Moysi, in gaudio & canticis, juxta dispositio-
nem David.
19 Constituit quoque janitores in portis domus
Domini, ut non ingrederetur eam immundus in
omni re.
20 Assumpsítque centuriones, & fortissimos vi-
ros ac principes populi, & omne vulgus terræ, &
fecerunt descendere regem de domo Domini, &
introire per medium portæ superioris in domum
regis, & collocaverunt eum in solio regali.
21 Lætatúsque est omnis populus terræ, & urbs
quievit: porrò Athalia interfecta est gladio.

Caput XXIV.

Joas vivente Ioiada bonus ac pius, jussit ad sartatecta templi congregari pecuniam,deinde factus impius, jubet occidi Zachariam filium Ioiadæ: Iuda & Ierusalem à Syris diripiuntur, & Ioas à servis suis occiditur.

A 1 SEptem annorum erat Joas cùm regnare cœ-
4. Reg. 11. d. 21. 12. a. 1. pisset: & quadraginta annis regnavit in Je-
rusalem, nomen matris ejus Sebia de Bersabee.
2 Fecítque quod bonum est coram Domino
cunctis diebus Joiadæ sacerdotis.
3 Accepit autem ei Joiada uxores duas, è qui-
bus genuit filios & filias.
4 Post quæ placuit Joas ut instauraret domum
Domini.
5 Congregavítque Sacerdotes, & Levitas, &
dixit eis: Egredimini ad civitates Juda, & colli-
gite de universo Israël pecuniam ad sartatecta
templi Dei vestri, per singulos annos, festinató-
B que hoc facite. porrò Levitæ egére negligentiùs.
6 Vocavítque rex Joiadam principem, & dixit
ei: Quare tibi non fuit curæ, ut cogeres Levitas
inferre de Juda & de Jerusalem pecuniam, quæ
constituta est à Moyse servo Domini, ut inferret
eam omnis multitudo Israël in tabernaculum te-
stimonij?
7 Athalia enim impiissima, & filij ejus, destru-
xerunt domum Dei; & de universis, quæ sancti-
ficata fuerant in templo Domini, ornaverunt fa-
num Baalim.
8 Præcepit ergo rex, & fecerunt arcam: posue-
rúntque eam juxta portam domus Dñi forinsecus.
9 Et prædicatum est in Juda & Jerusalem,ut de-
ferrent singuli pretium Domino,* quod constituit * Exod. 30.b.12.
Moyses servus Dei super omnem Israël in deserto.
C 10 Lætatíque sunt cuncti principes & omnis po-
pulus: & ingressi contulerunt in arcam Domini,
atque miserunt ita ut impleretur.
11 Cúmque tempus esset ut deferrent arcam
coram rege per manus Levitarum (vibebant enim
multam pecuniam) ingrediebatur scriba regis,
& quem primus sacerdos constituerat: effunde-
bántque pecuniam quæ erat in arca: porrò arcam
reportabant ad locum suum: síque faciebant per
singulos dies,& congregata est infinita pecunia.
12 Quam dederunt rex & Joiada his, qui præ-
erant operibus domus Domini:at illi conducebant
ex ea cæsores lapidum,& artifices operum singulo-
rum, ut instaurarent domum Domini: fabros quo-
que ferri & æris,ut quod cadere cœperat,fulciretur. D
13 Egerúntque hi qui operabantur industriè,&
obducebatur parietum cicatrix per manus eorum,
ac suscitaverunt domum Domini in statum pristi-
num, & firmiter eam stare fecerunt.
14 Cúmque complessent omnia opera, detule-
runt coram rege & Joiada reliquam partem pecu-
niæ: de qua facta sunt vasa templi in ministerium,
& ad holocausta,phialæ quoque,& cetera vasa au-
rea & argentea:& offerebantur holocausta in do-
mo Domini jugiter cunctis diebus Joiadæ.
15 Senuit autem Joiada plenus dierum, & mor-
tuus est cùm esset centum triginta annorum. E
16 Sepelierúntque eum in Civitate David cum
regibus,eò quòd fecisset bonum cum Israël,& cum
domo ejus.
17 Postquam autem obiit Joiada, ingressi sunt
principes Juda: & adoraverunt regem; qui deli-
nitus obsequiis eorum,acquievit eis.
18 Et dereliquerunt templum Domini Dei pa-
trum suorum,servierúntque lucis & sculptilibus,&
facta est ira contra Judam & Jerusalem propter hoc
peccatum.
19 Mittebátque eis prophetas ut reverterentur
ad Dominum, quos protestantes, illi audire no-
lebant.
20 Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium
Joiadæ sacerdotem,& stetit in conspectu populi, &
dixit eis: Hæc dicit Dominus Deus: Quare trans-gre- F
dimini præceptum Domini,quod vobis non prode-
rit,& dereliquistis Dominum ut derelinqueret vos?
21 Qui congregati adversus eum,miserunt lapi-
des juxta regis imperium in atrio domus Domini.
22 Et non est recordatus Joas rex misericordiæ,
quam fecerat Joiada pater illius secum, * sed inter- * Mat. 23. d. 35.
fecit filium ejus. Qui cùm moreretur, ait: Videat
Dominus, & requirat.

23 Cúm

23 Cúmque evolutus esset annus, ascendit con-
tra eum exercitus Syriæ: venítque in Judam &
Jerusalem, & interfecit cunctos principes popu-
li, atque universam prædam miserunt regi in
Damascum.
G 24 Et certè cùm permodicus venisset numerus
Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum in-
finitam multitudinem, eò quòd dereliquissent Do-
minum Deum patrum suorum: in Joas quoque ig-
nominiosa exercuere judicia.
25 Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus
magnis: surrexerunt autem contra eum servi sui,
in ultionem sanguinis filij Joiadæ sacerdotis, &
occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est: se-
pelierúntque eum in Civitate David, sed non in
sepulchris regum.
26 Insidiati verò sunt ei,Zabad filius Semmaath
Ammanitidis,& Jozabad filius Semarith Moabitidis.
27 Porrò filij ejus, ac summa pecuniæ quæ adu-
nata fuerat sub eo, & instauratio domus Dei,scri-
pta sunt diligentiùs in Libro regum: regnavit au-
tem Amasias filius ejus pro eo.

Caput XXV.

Amasias patri Ioas succedens, interfecit eos qui patrem occiderant; & post habitam de Idumæis victoriam, adora-vit deos illorum, & ob id capitur à Ioas rege Israël, quem ad prælium provocaverat, ac Ierusalem diripitur, tandém-que Ioas in Lachis fugiens occiditur.

A 1 VIgintiquinque annorum erat Amasias cùm
4. Reg. 14. a. 2. regnare cœpisset, & vigintinovem annis
regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Joadan
de Jerusalem.
2 Fecítque bonum in conspectu Domini: ve-
rumtamen non in corde perfecto.
3 Cúmque roboratum sibi videret imperium,
jugulavit servos, qui occiderant regem patrem
suum,
4 Sed filios eorum non interfecit,sicut scriptum
est in Libro legis Moysi, ubi præcepit Dominus,
* Deut. 26. a. 16. 4. Reg. 14. b. 6. Ezech. 18. e. 20. dicens: * Non occidentur patres pro filiis, neque
filij pro patribus suis, sed unusquisque in suo pec-
cato morietur.
5 Congregavit igitur Amasias Judam, & con-
stituit eos per familias, tribunósque & centurio-
B nes in universo Juda & Benjamin: & recensuit à
viginti annis suprà, invenítque trecenta millia
juvenum, qui egrederentur ad pugnam, & te-
nerent hastam & clypeum.
6 Mercede quoque conduxit de Israël centum
millia robustorum, centum talentis argenti.
7 Venit autem homo Dei ad illum, & ait: O
rex, ne egrediatur tecum exercitus Israël: non est
enim Dominus cum Israël,& cunctis filiis Ephraim:
8 Quòd si putas in robore exercitus bella con-
sistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei
quippe est adjuvare, & in fugam convertere.
9 Dixítque Amasias ad hominem Dei: Quid
ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus
Israël? Et respondit ei homo Dei: Habet Domi-
C nus unde tibi dare possit multò his plura.
10 Separavit itaque Amasias exercitum, qui
venerat ad eum ex Ephraim, ut reverteretur in
locum suum: at illi contra Judam vehementer
irati, reversi sunt in regionem suam.
11 Porrò Amasias confidenter eduxit populum
suum, & abiit in Vallem salinarum, percussítque
filios Seir decem millia.
12 Et alia decem millia virorum ceperunt filij
Juda, & adduxerunt ad præruptum cujusdam pe-
træ, præcipitaverúntque eos de summo in præ-
ceps, qui universi crepuerunt.
13 At ille exercitus, quem remiserat Amasias D
ne secum iret ad prælium, diffusus est in civitati-
bus Juda, à Samaria usque ad Bethoron, & inter-
fectis tribus millibus, diripuit prædam magnam.
14 Amasias verò post cædem Idumæorum, &
allatos deos filiorum Seir, statuit illos in deos sibi,
& adorabat eos, & illis adolebat incensum.
15 Quamobrem iratus Dominus contra Ama-
siam,misit ad illum prophetam,qui diceret ei: Cur
adorasti deos, qui non liberaverunt populum suum
de manu tua?
16 Cúmque hæc ille loqueretur, respondit ei: E
Num consiliarius regis es? quiesce ne interficiam
te. Discedénsque propheta, Scio, inquit, quòd
cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc ma-
lum, & insuper non acquievisti consilio meo.
17 Igitur Amasias rex Juda, inito pessimo consi-
lio, misit ad Joas filium Joachaz filij Jehu, regem
Israël, dicens: Veni, videamus nos mutuò.
18 At ille remisit nuntios, dicens: Carduus,qui
est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens:
Da filiam tuam filio meo uxorem: & ecce bestiæ,
quæ erant in silva Libani, transierunt, & concul-
caverunt carduum.
19 Dixisti: Percussi Edom, & idcircò erigitur F
cor tuum in superbiam: sede in domo tua, cur
malum adversum te provocas, ut cadas & tu, &
Juda tecum?
20 Noluit audire Amasias,eò quòd Domini esset
voluntas ut traderetur in manus hostium propter
deos Edom.
21 Ascendit igitur Joas rex Israël, & mutuos
sibi præbuere conspectus: Amasias autem rex Juda
erat in Bethsames Juda:
22 Corruítque Juda coram Israël, & fugit in ta-
bernacula sua.
23 Porrò Amasiam regem Juda, filium Joas filij
Joachaz, cepit Joas rex Israël in Bethsames, & ad-
duxit in Jerusalem: destruxítque murum ejus à
porta Ephraim usque ad portam anguli, quadrin-
gentis cubitis.
24 Omne quoque aurum, & argentum, & uni- G
versa vasa, quæ repererat in domo Dei, & apud
Obededom, in thesauris etiam domus regiæ, nec-
non & filios obsidum, reduxit in Samariam.
25 Vixit autem Amasias filius Joas rex Juda,
postquam mortuus est Joas filius Joachaz rex Israël,
quindecim annis.
26 Reliqua autem sermonum Amasiæ priorum
& novissimorum, scripta sunt in Libro regum Ju-
da & Israël.
27 Qui postquam recessit à Domino, tetende-
runt ei insidias in Jerusalem. Cúmque fugisset in
Lachis, miserunt, & interfecerunt eum ibi.
28 Reportantésque super equos, sepelierunt
eum cum patribus suis in Civitate David.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput XXVI.

Oziæ filij Amasiæ pietas commendatur, qui adversus Philisthiim, Arabes, & Ammonitas triumphat, multásque extruit civitates: ac postmodum ob nimiam felicitatem elatus, præsumpsit incensum adolere; quamobrem ad diem usque mortis à Domino lepra percussus est gubernante regnum filio Ioatham, qui successit in regnum.

A 1 OMnis autem populus Juda, filium ejus Oziam annorum sedecim, constituit regem pro Amasia patre suo. *4. Reg. 14. s. 21.*

2 Ipse ædificavit Ailath, & restituit eam ditioni Juda, postquam dormivit rex cum patribus suis.

3 Sedecim annorum erat Ozias cùm regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Jechelia de Jerusalem.

4 Fecítque quod erat rectum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Amasias pater ejus.

5 Et exquisívit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum: cúmque requireret Dominum, direxit eum in omnibus.

6 Denique egressus est, & pugnavit contra Philisthiim, & destruxit murum Geth, & murum Jabniæ, murúmque Azoti: ædificavit quoque oppida in Azoto, & in Philisthiim.

7 Et adjuvit eum Deus contra Philisthiim, & contra Arabes, qui habitabant in Gurbaal, & contra Ammonitas.

B 8 Appendebántque Ammonitæ munera Oziæ: & divulgatum est nomen ejus usque ad introitum Ægypti propter crebras victorias.

9 Ædificavítque Ozias turres in Jerusalem super portam anguli, & super portam vallis, & reliquas in eodem muri latere, firmavítque eas.

10 Extruxit etiam turres in solitudine, & effodit cisternas plurimas, eò quòd haberet multa pecora, tam in campestribus, quàm in éremi vastitate: vineas quoque habuit & vinitores in montibus, & in carmelo: erat quippe homo agriculturæ deditus.

11 Fuit autem exercitus bellatorum ejus, qui procedebant ad prælia, sub manu Jehiel scribæ, Maasiæque doctoris, & sub manu Hananiæ, qui erat de ducibus regis.

12 Omnísque numerus principum per familias virorum fortium, duorum millium sexcentorum.

13 Et sub eis universus exercitus trecentorum & septem millium quingentorum: qui erant apti ad bella, & pro rege contra adversarios dimicabant.

C 14 Præparavit quoque eis Ozias, id est, cuncto exercitui, clypeos, & hastas, & galeas, & loricas, arcúsque & fundas ad jaciendos lapides.

15 Et fecit in Jerusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit, & in angulis murorum, ut mitterent sagittas, & saxa grandia: egressúmque est nomen ejus procul, eò quòd auxiliaretur ei Dominus, & corroborasset illum.

16 Sed cùm roboratus esset, elevátum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum: ingressúsque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis.

17 Statímque ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo Sacerdotes Dñi octoginta, viri fortissimi,

18 Restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officij Ozia, ut adoleas incensum Domino: sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo.

19 Iratúsque Ozias, tenens in manu thuribulum ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statímque orta est lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis. D

20 Cúmque respexisset eum Azarias pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & festinatò expulerunt eum. Sed & ipse perterritus, acceleravit egredi, eò quòd sensisset illicò plagam Domini.

21 * Fuit igitur Ozias rex leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Porrò Ioatham filius ejus rexit domum regis, & judicabat populum terræ. *4 Reg. 15. a. 5.

22 Reliqua autem sermonum Oziæ priorum & novissimorum, scripsit Isaias filius Amos, propheta.

23 Dormivítque Ozias cum patribus suis, & sepelierunt eum in agro regalium sepulchrorum, eò quòd esset leprosus: regnavítque Joatham filius ejus pro eo.

Caput XXVII.

Ioatham pietas commendatur, qui devicto rege Ammon magnam ab eo mulctam accepit; cui succedit impius filius Achaz.

A 1 VIginti quinque annorum erat Joatham cùm regnare cœpisset, & sedecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jerusa filia Sadoc. *4. Reg. 15. s. 33.*

2 Fecítque quod rectum erat coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, excepto quòd non est ingressus templum Domini, & adhuc populus delinquebat.

B 3 Ipse ædificavit portam domus Domini excelsam, & in muro Ophel multa construxit.

4 Urbes quoque ædificavit in montibus Juda, & in saltibus castella & turres.

C 5 Ipse pugnavit contra regem filiorum Ammon, & vicit eos, dederúntque ei filij Ammon in tempore illo centum talenta argenti, & decem millia coros tritici, ac totidem coros hordei: hæc ei præbuerunt filij Ammon, in anno secundo & tertio.

6 Corroboratúsque est Joatham, eò quòd direxisset vias suas coram Domino Deo suo.

7 Reliqua autem sermonum Joatham, & omnes pugnæ ejus, & opera, scripta sunt in Libro regum Israël & Juda.

D 8 Vigintiquinque annorum erat cùm regnare cœpisset, & sedecim annis regnavit in Jerusalem.

9 Dormivitque Joatham cum patribus suis, & sepelierunt eum in Civitate David: & regnavit Achaz filius ejus pro eo.

Caput XXVIII.

Propter scelera Achaz multipliciter affligitur Iuda, primùm ab Assyriis, deinde à filiis Israël (qui ob id crudelitatis arguti à propheta, remittunt Iudæos captivos cum præda) rursum etiam ab Idumæis & Philisthæis: Achaz tamen post omnem plagam adhuc auget impietatem; cui pius succedit filius Ezechias.

A 1 VIginti annorum erat Achaz cùm regnare cœpisset: & sedecim annis regnavit in Jerusalem: non fecit rectum in conspectu Domini sicut *4. Reg. 16. a. 2.*

sicut David pater ejus:

2 Sed ambulavit in viis regum Israël, insuper & statuas fudit Baalim.

3 Ipse est, qui adolevit incensum in Vallebennenom, & lustravit filios suos in igne, juxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israël.

4 Sacrificabat quoque, & thymiama succendebat in excelsis, & in collibus, & sub omni ligno frondoso.

5 Tradidítque eum Dominus Deus ejus in manu regis Syriæ, qui percussit eum, magnámque prædam cepit de ejus imperio, & adduxit in Damascum: manibus quoque regis Israël traditus est, & percussus plaga grandi.

6 Occidítque Phacee, filius Romeliæ, de Juda centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores: eò quòd reliquissent Dominum Deum patrum suorum.

7 Eodem tempore occidit Zechri, vir potens ex Ephraim, Maasiam filium regis, & Ezricam ducem domus ejus, Elcanam quoque secundum à rege.

8 Ceperúntque filij Israël de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & infinitam prædam: pertulerúntque eam in Samariam.

B 9 Ea tempestate erat ibi propheta Domini, nomine Oded: qui egressus obviàm exercitui venienti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Juda, tradidit eos in manibus vestris, & occidistis eos atrociter, ita ut ad cælum pertingeret vestra crudelitas.

10 Insuper filios Juda & Jerusalem vultis vobis subjicere in servos & ancillas. quod nequaquam facto opus est: peccastis enim super hoc Domino Deo vestro.

11 Sed audite consilium meum, & reducite captivos, quos adduxistis de fratribus vestris, quia magnus furor Domini imminet vobis.

12 Steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraim, Azarias filius Johanan, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Sellum, & Amasa filius Adali, contra eos qui veniebant de prælio,

13 Et dixerunt eis: Non introducetis huc captivos, ne peccemus Domino. Quare vultis adjicere super peccata nostra, & vetera cumulare delicta? grande quippe peccatum est, & ira furoris Domini imminet super Israël.

14 Dimiserúntque viri bellatores prædam, & universa quæ ceperant, coram principibus, & omni multitudine.

C 15 Steterúntque viri, quos suprà memoravimus, & apprehendentes captivos, omnésque qui nudi erant, vestierunt de spoliis: cúmque vestissent eos, & calceassent, & refecissent cibo ac potu, unxissémtque propter laborem, & adhibuissent eis curam: quicumque ambulare non poterant, & erant imbecillo corpore, imposuerunt eos jumentis, & adduxerunt Jericho Civitatem palmarum ad fratres eorum, ipsíque reversi sunt in Samariam.

16 Tempore illo misit rex Achaz ad regem Assyriorum, postulans auxilium.

17 Venerúntque Idumæi, & percusserunt multos ex Juda, & ceperunt prædam magnam.

18 Philisthiim quoque diffusi sunt per urbes campestres, & ad Meridiem Juda: ceperúntque Bethsames, & Aialon, & Gaderoth, Socho quoque, & Thamnan, & Gamzo, cum viculis suis, & habitaverunt in eis.

19 Humiliaverat enim Dominus Judam propter Achaz regem Juda, eò quòd nudasset eum auxilio, & contemptui habuisset Dominum.

20 Adduxítque contra eum Thelgathphalnasar, regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistente vastavit. D

21 Igitur Achaz, spoliata domo Domini, & domo regum ac principum, dedit regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit.

22 Insuper & tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum, ipse per se rex Achaz,

23 Immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, & dixit: Dij regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi, cùm econtrariò ipsi fuerint ruinæ ei, & universo Israël.

24 Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit januas templi Dei, & fecit sibi altaria in universis angulis Jerusalem.

25 In omnibus quoque urbibus Juda extruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum suorum.

26 Reliqua autem sermonum ejus, & omnium operum suorum priorum & novissimorum, scripta sunt in Libro regum Juda & Israël.

27 Dormivítque Achaz cum patribus suis, & sepelierunt eum in civitate Jerusalem: neque enim receperunt eum in sepulchra regum Israël. Regnavítque Ezechias filius ejus pro eo.

Caput XXIX.

Ezechias abolitum Dei cultum, aperto templo, restitutisque sacerdotibus, Levitis & cantoribus, instauravit; oblatis plurimis holocaustis & sacrificiis cum ingenti lætitia.

A 1 IGitur Ezechias regnare cœpit, cùm viginti quinque esset annorum, & viginti novem annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Abia, filia Zachariæ. *4. Reg. 18. a. 2.*

2 Fecítque quod erat placitum in conspectu Domini, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus.

3 Ipse anno & mense primo regni sui, aperuit valvas domus Domini, & instauravit eas.

4 Adduxítque Sacerdotes atque Levitas, & congregavit eos in plateam Orientalem.

5 Dixítque ad eos: Audite me Levitæ, & sanctificamini, mundate domum Dñi Dei patrum vestrorum, & auferte omnem immunditiam de sanctuario.

6 Peccaverunt patres nostri, & fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum: averterunt facies suas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorsum.

7 Clausérunt ostia, quæ erant in porticu, & extinxerunt lucernas, incensúmque non adoleverunt, & holocausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israël.

8 Concitatus est itaque furor Domini super Judam & Jerusalem, tradidítque eos in commotionem, & in interitum, & in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris.

9 En, corruerunt patres nostri gladiis; filij nostri, & filiæ nostræ, & conjuges captivæ ductæ sunt, propter hoc scelus.

10 Nunc

Universidad de Deusto
Biblioteca

10 Nunc ergo placet mihi ut ineamus fœdus cum Domino Deo Iſraël, & avertet à nobis furorem iræ ſuæ.

11 Filij mei nolite negligere: vos elegit Dominus ut ſtetis coram eo, & miniſtretis illi, colatíſque eum, & cremetis ei incenſum.

C 12 Surrexerunt ergo Levitæ: Mahath filius Amaſai, & Joel filius Azariæ, de filiis Caath: Porrò de filiis Merari, Cis filius Abdi: & Azarias filius Jalaleel. De filiis autem Gerſom, Joah filius Zemma, & Eden filius Joah.

13 At verò de filiis Eliſaphan, Samri, & Jahiel. De filiis quoque Aſaph, Zacharias, & Mathanias.

14 Necnon de filiis Heman, Jahiel, & Semei: Sed & de filiis Idithun, Semeias, & Oziel.

15 Congregaverúntque fratres ſuos, & ſanctificati ſunt, & ingreſſi ſunt juxta mandatum regis & imperium Domini, ut expiarent domum Dei.

16 Sacerdotes quoque ingreſſi templum Domini ut ſanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intrò repererant in veſtibulo domus Domini, quam tulerunt Levitæ, & aſportaverunt ad Torrentem cedron foras.

D 17 Cœperunt autem prima die menſis primi mundare, & in die octavo ejuſdem menſis ingreſſi ſunt porticum templi Domini, expiaverúntque templum diebus octo, & in die ſextadecima menſis ejuſdem, quod cœperant impleverunt.

18 Ingreſſi quoque ſunt ad Ezechiam regem, & dixerunt ei: Sanctificavimus omnem domum Domini, & altare holocauſti, vaſáque ejus, necnon & menſam propoſitionis cum omnibus vaſis ſuis,

19 Cunctámque templi ſupellectilem, quam polluerat rex Achaz in regno ſuo, poſtquam prævaricatus eſt: & ecce expoſita ſunt omnia coram altare Domini.

20 Conſurgénſque diluculò Ezechias rex, adunavit omnes principes civitatis, & aſcendit in domum Domini:

21 Obtulerúntque ſimul tauros ſeptem, & arietes ſeptem, agnos ſeptem, & hircos ſeptem pro peccato, pro regno, pro ſanctuario, pro Juda, dixítque ſacerdotibus filiis Aaron ut offerrent ſuper altare Domini.

22 Mactaverunt igitur tauros, & ſuſceperunt ſanguinem Sacerdotes, & fuderunt illum ſuper altare, mactaverunt etiam arietes, & illorum ſanguinem ſuper altare fuderunt, immolaverúntque agnos, & fuderunt ſuper altare ſanguinem.

E 23 Applicuerunt hircos pro peccato, coram rege & univerſa multitudine, impoſuerúntque manus ſuas ſuper eos:

24 Et immolaverunt illos Sacerdotes, & aſperſerunt ſanguinem eorum coram altare pro piaculo univerſi Iſraëlis: pro omni quippe Iſraël præceperat rex ut holocauſtum fieret, & pro peccato.

F 25 Conſtituit quoque Levitas in domo Domini, cum cymbalis, & pſalteriis, & citharis, ſecundùm diſpoſitionem David regis, & Gad Videntis, & Nathan prophetæ: ſiquidem Domini præceptum fuit per manum prophetarum ejus.

26 Steterúntque Levitæ tenentes organa David, & Sacerdotes tubas.

27 Et juſſit Ezechias ut offerrent holocauſta ſuper altare: cúmque offerrentur holocauſta, cœperunt laudes canere Domino, & clangere tubis, atque in diverſis organis, quæ David rex Iſraël præparaverat, concrepare.

28 Omni autem turba adorante, cantores, & ij qui tenebant tubas, erant in officio ſuo, donec compleretur holocauſtum.

29 Cúmque finita eſſet oblatio, incurvatus eſt rex, & omnes qui erant cum eo, & adoraverunt.

30 Præcepítque Ezechias & principes Levitis, ut laudarent Dominum ſermonibus David, & G
Aſaph Videntis: qui laudaverunt eum magna lætitia, & incurvato genu adoraverunt.

31 Ezechias autem etiam hæc addidit: Impleſtis manus veſtras Domino, accedite, & offerte victimas, & laudes in domo Domini. Obtulit ergo univerſa multitudo hoſtias, & laudes, & holocauſta, mente devota.

32 Porrò numerus holocauſtorum, quæ obtulit multitudo, hic fuit, Tauros ſeptuaginta, arietes centum, agnos ducentos.

33 Sanctificaverúntque Domino boves ſexcentos, & oves tria millia.

34 Sacerdotes verò pauci erant, nec poterant ſufficere ut pelles holocauſtorum detraherent: unde & Levitæ fratres eorum adjuverunt eos, donec impleretur opus, & ſanctificarentur antiſtites: Levitæ quippe faciliori ritu ſanctificantur, quàm Sacerdotes.

35 Fuerunt ergo holocauſta plurima, adipes pacificorum, & libamina holocauſtorum: & completus eſt cultus domus Domini.

36 Lætatúſque eſt Ezechias, & omnis populus, eò quòd miniſterium Domini eſſet expletum. De repentè quippe hoc fieri placuerat.

CAPUT XXX.

Ezechias miſſis in omnem Iſraël & Iudam nuntiis, populum convocat, & ſua oratione exhortatur ad immolandum Phaſe; quo facto, celebrarunt ſollemnitatem azymorum bis ſeptem diebus cum ingenti lætitia, plurimis oblatis victimis.

1 MIſit quoque Ezechias ad omnem Iſraël & A
Judam: ſcripſítque epiſtolas ad Ephraim & Manaſſen, ut venirent ad domum Domini in Jeruſalem, & facerent Phaſe Domino Deo Iſraël.

2 Inito ergo conſilio regis & principum, & univerſi cœtus Jeruſalem, decreverunt ut facerent Phaſe menſe ſecundo.

3 Non enim potuerant facere in tempore ſuo, quia ſacerdotes, qui poſſent ſufficere, ſanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Jeruſalem.

4 Placuítque ſermo regi, & omni multitudini.

5 Et decreverunt ut mitterent nuntios in univerſum Iſraël, de Berſabee uſque Dan, ut venirent, & facerent Phaſe Domino Deo Iſraël in Jeruſalem: multi enim non fecerãt ſicut lege præſcriptum eſt.

6 Perrexerúntque curſores cum epiſtolis ex regis imperio, & principum ejus, in univerſum Iſraël & Judam, juxta id, quod rex juſſerat, prædicantes: Filij Iſraël revertimini ad Dominum Deum Abraham, & Iſaac, & Iſraël: & revertetur ad reliquias, quæ effugerunt manum regis Aſſyriorum.

7 Nolite fieri ſicut patres veſtri & fratres, qui B
receſſe

receſſerunt à Domino Deo patrum ſuorum, qui tradidit eos in interitum, ut ipſi cernitis.

8 Nolite indurare cervices veſtras ſicut patres veſtri: tradite manus Domino, & venite ad ſanctuarium ejus, quod ſanctificavit in æternum: ſervite Domino Deo patrum veſtrorum, & avertetur à vobis ira furoris ejus.

9 Si enim vos reverſi fueritis ad Dominum: fratres veſtri, & filij habebunt miſericordiam coram dominis ſuis, qui illos duxerunt captivos, & revertentur in terram hanc: pius enim & clemens eſt Dominus Deus veſter, & non avertet faciem ſuam à vobis, ſi reverſi fueritis ad eum.

10 Igitur curſores pergebant velociter de civitate in civitatem, per terram Ephraim & Manaſſe uſque ad Zabulon, illis irridentibus & ſubſannantibus eos.

11 Attamen quidam viri ex Aſer, & Manaſſe, & Zabulon, acquieſcentes conſilio, venerunt Jeruſalem.

12 In Juda verò facta eſt manus Domini ut daret eis cor unum: ut facerent juxta præceptum regis, & principum verbum Domini.

13 Congregatíque ſunt in Jeruſalem populi multi, ut facerent ſollemnitatem azymorum, in menſe ſecundo:

C 14 Et ſurgentes deſtruxerunt altaria quæ erant in Jeruſalem, atque univerſa, in quibus idolis adolebatur incenſum, ſubvertentes, projecerunt in Torrentem cedron.

15 Immolaverunt autem Phaſe quartadecima die menſis ſecundi. Sacerdotes quoque atque Levitæ tandem ſanctificati obtulerunt holocauſta in domo Domini:

16 Steterúntque in ordine ſuo, juxta diſpoſitionem & legem Moyſi hominis Dei: Sacerdotes verò ſuſcipiebant effundendum ſanguinem de manibus Levitarum,

17 Eò quòd multa turba ſanctificata non eſſet: & idcircò immolarent Levitæ Phaſe his, qui non occurrerant ſanctificari Domino.

18 Magna etiam pars populi de Ephraim, & Manaſſe, & Iſſachar, & Zabulon, quæ ſanctificata non fuerat, comedit Phaſe, non juxta quod ſcriptum eſt: & oravit pro eis Ezechias, dicens: Dominus bonus propitiabitur

19 Cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum ſuorum: & non imputabit eis quòd minùs ſanctificati ſunt.

20 Quem exaudivit Dominus, & placatus eſt populo.

21 Fecerúntque filij Iſraël, qui inventi ſunt in Jeruſalem, ſollemnitatem azymorum ſeptem diebus in lætitia magna, laudantes Dominum per ſingulos dies: Levitæ quoque & Sacerdotes, per organa, quæ ſuo officio congruebant.

D 22 Et locutus eſt Ezechias ad cor omnium Levitarum, qui habebant intelligentiam bonam ſuper Domino: & comederunt ſeptem diebus ſollemnitatis, immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominum Deum patrum ſuorum.

23 Placuítque univerſæ multitudini ut celebrarent etiam alios dies ſeptem: quod & fecerunt cum ingenti gaudio.

24 Ezechias enim rex Juda præbuerat multitudini mille tauros, & ſeptem millia ovium: principes verò dederant populo tauros mille, & oves decem millia: ſanctificata eſt ergo ſacerdotum plurima multitudo.

25 Et hilaritate perfuſa omnis turba Juda, tam Sacerdotum & Levitarum, quàm univerſæ frequentiæ, quæ venerat ex Iſraël: proſelytorum quoque de Terra Iſraël, & habitantium in Juda.

26 Factáque eſt grandis celebritas in Jeruſalem, qualis à diebus Salomonis filij David regis Iſraël in ea urbe non fuerat.

27 Surrexerunt autem Sacerdotes atque Levitæ benedicentes populo: & exaudita eſt vox eorum: pervenítque oratio in habitaculum ſanctum cæli.

CAPUT XXXI.

Populus idola lucóſque in Iuda & Ephraim demolitur, Ezechias Sacerdotes & Levitas componit in ordinem miniſterij; populo autem abundantiſſimè offerente, conſtituuntur, factis horreis, qui ſervarent ac diſtribuerent Levitico generi quæ oblata erant.

1 CUmque hæc fuiſſent ritè celebrata, egreſſus A
eſt omnis Iſraël, qui inventus fuerat in urbibus Juda, & fregerunt ſimulacra, ſuccidérúntque lucos, demoliti ſunt excelſa, & altaria deſtruxerunt, non ſolùm de univerſo Juda & Benjamin, ſed & de Ephraim quoque & Manaſſe, donec penitus everterent: reverſique ſunt omnes filij Iſraël in poſſeſſiones & civitates ſuas.

2 Ezechias autem conſtituit turmas Sacerdotales & Leviticas per diviſiones ſuas, unumquemque in officio proprio, tam Sacerdotum videlicet quàm Levitarum, ad holocauſta & pacifica, ut miniſtrarent & confiterentur, canerémtque in portis caſtrorum Domini.

3 Pars autem regis erat, ut de propria ejus ſubſtantia offerretur holocauſtum, manè ſemper & veſperè. Sabbatis quoque & Calendis, & ſollemnitatibus ceteris, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi.

4 Præcepit etiam populo habitantium Jeruſalem, ut darent partes Sacerdotibus, & Levitis ut poſſent vacare legi Domini.

5 Quod cùm percrebruiſſet in auribus multitu- B
dinis, plurimas obtulere primitias filij Iſraël frumenti, vini, & olei, mellis quoque: & omnium, quæ gignit humus, decimas obtulerunt.

6 Sed & filij Iſraël & Juda, qui habitabant in urbibus Juda, obtulerunt decimas boum & ovium, decimáſque ſanctorum, quæ voverant Domino Deo ſuo: atque univerſa portantes, fecerunt acervos plurimos.

7 Menſe tertio cœperunt acervorum jacere fundamenta, & menſe ſeptimo compleverunt eos.

8 Cúmque ingreſſi fuiſſent Ezechias & principes ejus, viderunt acervos, & benedixerunt Domino ac populo Iſraël.

9 Interrogavítque Ezechias Sacerdotes & Levitas, cur ita jacerent acervi.

10 Reſpondit illi Azarias Sacerdos primus de C
ſtirpe Sadoc, dicens: Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & ſaturati ſumus, & remanſerunt plurima, eò quòd benedixerit Dominus populo ſuo: reliquiarum autem copia eſt iſta, quam cernis.

11 Præcepit

Universidad de Deusto
Biblioteca

11 Præcepit igitur Ezechias ut præpararent horrea in domo Domini. Quod cùm fecissent,

12 Intulerunt, tam primitias, quàm decimas, & quæcumque voverant, fideliter. Fuit autem præfectus eorum Chonenias Levita, & Semei frater ejus secundus,

13 Post quem Jahiel, & Azarias, & Nahath, & Asael, & Jerimoth, Jozabad quoque, & Eliel, & Jesmachias, & Mahath, & Banaias, præpositi sub manibus Choneniæ, & Semei fratris ejus, ex imperio Ezechiæ regis & Azariæ pontificis domus Dei ad quos omnia pertinebant.

14 Core verò filius Jemna Levites & Janitor Orientalis portæ, præpositus erat iis quæ sponte offerebantur Domino, primitiisque & consecratis in Sancta sanctorum.

15 Et sub cura ejus Eden, & Benjamin, Jesue, & Semeias, Amarias quoque & Secherias, in civitatibus Sacerdotum, ut fideliter distribuerent fratribus suis partes, minoribus atque majoribus:

C 16 Exceptis maribus ab annis tribus & supra, cunctis qui ingrediebantur templum Domini, & quidquid per singulos dies conducebat in ministerio, atque observationibus juxta divisiones suas,

17 Sacerdotibus per familias, & Levitis à vigesimo anno & supra, per ordines & turmas suas,

18 Universæque multitudini, tam uxoribus, quàm liberis eorum utriusque sexus, fideliter cibi, de his quæ sanctificata fuerant, præbebantur.

19 Sed & filiorum Aaron per agros, & suburbana urbium singularum, dispositi erant viri, qui partes distribuerent universo sexui masculino de Sacerdotibus & Levitis.

20 Fecit ergo Ezechias universa quæ diximus in omni Juda: operatúsque est bonum & rectum & verum, coram Domino Deo suo,

21 In universa cultura ministerij domus Domini, juxta legem & cærimonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo: fecítque & prosperatus est.

Caput XXXII.

Sennacherib Iudam invadente, Ezechias populum hortatur fidere in Domino, à quo ille minis & blasphemiis nititur eum avertere: orantibus autem Ezechia & Isaia, Angelus dissipat exercitum Sennacherib; qui fugiens, à filiis occiditur: porrò Ezechias nimia felicitate elatus, Deum offendit; cui impius filius Manasses succedit.

A 1 POst quæ & hujusmodi veritatem, venit Sennacherib rex Assyriorum, & ingressus Judam, obsedit civitates munitas, volens eas capere.

4. Reg. 18. c. 13. Eccli. 48. c. 20. Isai. 36. a. 1.

2 Quod cum vidisset Ezechias, venisse scilicet Sennacherib, & totum belli impetum verti contra Jerusalem,

3 Inito cum principibus consilio, virísque fortissimis, ut obturarent capita fontium, qui erant extra urbem: & hoc omniũ decernente sententia,

4 Congregavit plurimam multitudinem, & obturaverunt cunctos fontes, & rivum qui fluebat in medio terræ, dicentes: Ne veniant reges Assyriorum, & inveniant aquarum abundantiam.

5 Ædificavit quoque, agens industriè, omnem murum, qui fuerat dissipatus, & extruxit turres desuper, & forinsecùs alterum murum: instauravítque Mello in Civitate David, & fecit universi generis armaturam & clypeos.

6 Constituítque principes bellatorum in exercitu: & convocavit universos in platea portæ civitatis, ac locutus est ad cor eorum dicens: B

7 Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, & universam multitudinem, quæ est cum eo: multò enim plures nobiscum sunt, quàm cum illo.

8 Cum illo enim est brachium carneum: nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnátque pro nobis. Confortatúsque est populus hujuscemodi verbis Ezechiæ regis Juda.

9 Quæ postquam gesta sunt, misit Sennacherib rex Assyriorum servos suos in Jerusalem (ipse enim cum universo exercitu obsidebat Lachis) ad Ezechiam regem Juda, & ad omnem populum qui erat in urbe, dicens:

10 Hæc dicit Sennacherib rex Assyriorum: In C quo habentes fiduciam sedetis obsessi in Jerusalem?

11 Num Ezechias decepit vos, ut tradat morti in fame & siti, affirmans quòd Dominus Deus vester liberet vos de manu regis Assyriorum?

12 Numquid non iste est Ezechias qui destruxit excelsa illius, & altaria, & præcepit Juda & Jerusalem, dicens: Coram altari uno adorabitis, & in ipso comburetis incensum?

13 An ignoratis quæ ego fecerim, & patres mei, cunctis terrarum populis? numquid prævaluerunt dij gentium, omniumque terrarum, liberare regionem suam de manu mea?

14 Quis est de universis diis gentium quas vastaverunt patres mei, qui potuerit eruere populum suum de manu mea, ut possit etiam Deus vester eruere vos de hac manu?

15 Non vos ergo decipiat Ezechias, nec vana D persuasione deludat, neque credatis ei. Si enim nullus potuit Deus cunctarum gentium atque regnorum liberare populum suum de manu mea, & de manu patrum meorum, consequenter nec Deus vester poterit eruere vos de manu mea.

16 Sed & alia multa locuti sunt servi ejus contra Dominũ Deum, & contra Ezechiam servum ejus.

17 Epistolas quoque scripsit plenas blasphemiæ in Dominum Deum Israël, & locutus est adversus eum: Sicut dij gentium ceterarum non potuerunt liberare populum suum de manu mea: sic & Deus Ezechiæ eruere non poterit populum suum de manu ista.

18 Insuper & clamore magno, lingua Judaica, contra populum qui sedebat in muris Jerusalem, personabat, ut terreret eos, & caperet civitatem.

19 Locutúsque est contra Deum Jerusalem, sicut adversum deos populorum terræ, opera manuum hominum.

20 Oraverunt igitur, Ezechias rex, & Isaias filius Amos prophetes, adversum hanc blasphemiam, ac vociferati sunt usque in cælum.

21 * Et misit Dominus angelum, qui percussit * Tob. 1. d. 21. omnem virum robustum, & bellatorem, & principem exercitus regis Assyriorum: reversúsque est cum ignominia in terram suam. Cúmque ingressus esset domum Dei sui, filij qui egressi fuerant de utero ejus, interfecerunt eum gladio.

22 Salvavítque Dominus Ezechiam & habitatores Jerusalem de manu Sennacherib regis Assyriorum,

riorum, & de manu omnium, & præstitit eis quietem per circuitum.

23 Multi etiam deferebant hostias & sacrificia F Domino in Jerusalẽ, & munera Ezechiæ regi Juda: qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus.

*4. Reg. 20. a. 1. Isai. 38. a. 1. 24 * In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, & oravit Dominum: exaudivítque eum, & dedit ei signum.

25 Sed non juxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia elevatum est cor ejus: & facta est contra eum ira, & contra Judam & Jerusalem.

26 Humiliatúsque est posteà, eò quòd exaltatum fuisset cor ejus, tam ipse, quàm habitatores Jerusalem: & idcircò non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ.

G 27 Fuit autem Ezechias dives, & inclytus valdè, & thesauros sibi plurimos congregavit argenti & auri & lapidis pretiosi, aromatum, & armorum universi generis, & vasorum magni pretij.

28 Apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & præsepia omnium jumentorum, caulásq; pecorum,

29 Et urbes ædificavit sibi: habebat quippe greges ovium & armentorum innumerabiles, eò quòd dedisset ei Dominus substantiam multam nimis.

30 Ipse est Ezechias, qui obturavit superiorem fontem aquarum Gihon, & avertit eas subter ad Occidentem Urbis David: in omnibus operibus suis fecit prosperè quæ voluit.

31 Attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus ut tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde ejus.

32 Reliqua autem sermonum Ezechiæ, & misericordiarum ejus, scripta sunt in visione Isaiæ filij Amos prophetæ, & in Libro regum Juda & Israël.

33 Dormivítque Ezechias cum patribus suis, & sepelierunt eum super sepulchra filiorum David: & celebravit ejus exequias universus Juda, & omnes habitatores Jerusalem: regnavítque Manasses filius ejus pro eo.

Caput XXXIII.

Manasses ob suas impietates captivus in Babylonem ducitur: in qua afflictione ad Deum conversus, suo regno restituitur, & idolis abjectis Dei cultum restaurat: cui impius filius Amon succedit: & hoc à suis interfecto, regnat pius ejus filius Iosias.

A 1 DUodecim annorum erat Manasses cùm regnare cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem.

4. Reg. 21. a. 1.

2 Fecit autem malum coram Domino, juxta abominationes gentium, quas subvertit Dominus coram filiis Israël:

3 Et conversus instauravit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater ejus: construxítque aras Baalim, & fecit lucos, & adoravit omnem militiam cæli, & coluit eam.

4 Ædificavit quoque altaria in domo Domini, *2. Reg. 7. b. 10. de qua dixerat Dominus: * In Jerusalem erit nomen meum in æternum.

5 Ædificavit autem ea cuncto exercitui cæli, in duobus atriis domus Domini.

6 Transíréque fecit filios suos per ignem in Vallebenennom: observabat somnia, sectabatur augu-

guria, maleficis artibus inserviebat, habebat secum magos, & incantatores: multáque mala operatus est coram Domino, ut irritaret eum.

7 Sculptile quoque & conflatile signum posuit in domo Dei, * de qua locutus est Deus ad Da- *3. Reg. 8. b. 18. 3 vid, & ad Salomonem filium ejus, dicens: In domo B hac & in Jerusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israël, ponam nomen meum in sempiternum.

8 Et moveri non faciam pedem Israël de terra, quam tradidi patribus eorum: ita dumtaxat si custodierint facere quæ præcepi eis, cunctámque legem & cærimonias, atque judicia per manũ Moysi.

9 Igitur Manasses seduxit Judam, & habitatores Jerusalem, ut facerent malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus à facie filiorum Israël.

10 Locutúsque est Dominus ad eum, & ad populum illius, & attendere noluerunt.

11 Idcircò superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum: ceperúntque Manassen, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem.

12 Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum: & egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum suorum.

13 Deprecatúsque est eum, & obsecravit in- C tentè: & exaudivit orationem ejus, reduxítque eum Jerusalem in regnum suum, & cognovit Manasses quòd Dominus ipse esset Deus.

14 Post hæc ædificavit murum extra Civitatem David, ad Occidentem Gihon in convalle ab introitu portæ piscium per circuitũ usque ad Ophel, & exaltavit illum vehementer: constituítque principes exercitus in cunctis civitatibus Juda munitis:

15 Et abstulit deos alienos, & simulachrum de domo Domini; aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, & in Jerusalem, & projecit omnia extra urbem.

16 Porrò instauravit altare Domini, & immolavit super illud victimas, & pacifica, & laudem: præcepítque Judæ ut serviret Domino Deo Israël.

17 Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo.

18 Reliqua autem gestorum Manasse: & obsecratio ejus ad Deum suum: verba quoque Videntium, qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israël, continentur in sermonibus regum Israël.

19 Oratio quoque ejus & exauditio, & cuncta D peccata atque contemptus, loca etiam in quibus ædificavit excelsa, & fecit lucos & statuas, antequam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Hozai.

20 Dormivit ergo Manasses cum patribus suis, & sepelierunt eum in domo sua: regnavítque pro eo filius ejus Amon.

21 Viginti duorum annorum erat Amon cùm regnare cœpisset, & duobus annis regnavit in Jerusalem.

22 Fecítque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus: & cunctis idolis, quæ Manasses fuerat fabricatus, immolavit atque servivit.

23 Et non est reveritus faciem Domini, sicut reveritus est Manasses pater ejus: & multò majora deliquit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

24 Cúmque conjurassent adversus eum servi sui, interfecerunt eum in domo sua.

25 Porrò reliqua populi multitudo, cæsis iis, qui Amon percusserant, constituit regem Josiam filium ejus pro eo.

CAPUT XXXIV.

Iosias, idolorum cultu sublato, templum instaurat: reperтóque legis libro, conterritus est, & convocato populo lectóque libro, fœdus cum Domino percussit.

A 1 OCto annorum erat Josias cùm regnare cœpisset, & triginta & uno anno regnavit in Jerusalem. 4. Reg. 22.a.1.

2 Fecítque quod erat rectum in conspectu Domini, & ambulavit in viis David patris sui: non declinavit neque ad dextram, neque ad sinistram.

3 Octavo autem anno regni sui, cùm adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui David: & duodecimo anno, postquam regnare cœperat, mundavit Judam & Jerusalem ab excelsis, & lucis, simulacrísque & sculptilibus.

4 Destruxerúntque coram eo aras Baalim: & simulacra, quæ superpósita fuerant, demoliti sunt: lucos etiam, & sculptilia succîdit atque comminuit: & super tumulos eorum, qui eis immolare consueverant, fragmenta dispersit.

B 5 Ossa prætereà sacerdotum combussit in altaribus idolorum, mundavítque Judam & Jerusalem.

6 Sed & in urbibus Manasse, & Ephraim, & Simeon usque Nephthali, cuncta subvertit.

7 Cúmque altaria dissipasset, & lucos, & sculptilia contrivisset in frusta, cunctáque delubra demolitus esset de universa terra Israël, reversus est in Jerusalem.

8 Igitur anno octavodecimo regni sui, mundata jam terra, & templo Domini, misit Saphan filium Eseliæ, & Maasiam principem civitatis, & Joha filium Joachaz à commentariis, ut instaurarent domum Domini Dei sui.

9 Qui venerunt ad Helciam sacerdotem magnum: acceptámque ab eo pecuniam, quæ illata fuerat in domum Domini, & quam congregaverant Levitæ, & janitores de Manasse, & Ephraim, C & universis reliquiis Israël, ab omni quoque Juda, & Benjamin, & habitatoribus Jerusalem,

10 Tradiderunt in manibus eorum qui præerant operariis in domo Domini, ut instaurarent templum, & infirma quæque sarcirent.

11 At illi dederunt eam artificibus, & cæmentariis, ut emerent lapides de lapîcidinis, & ligna ad commissúras ædificij, & ad contignationem domorum, quas destruxerant reges Juda.

12 Qui fideliter cuncta faciebant. Erant autem præpositi operantium, Jahath & Abdias de filiis Merari, Zacharias & Mosollam de filiis Caath, qui urgebant opus: omnes Levitæ scientes organis canere.

13 Super eos verò, qui ad diversos usus onera portabant, erant scribæ, & magistri de Levitis janitores.

D 14 Cúmque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias sacerdos Librum legis Domini per manum Moysi.

15 Et ait ad Saphan scribam: Librum legis inveni in domo Domini: Et tradidit ei.

16 At ille intulit volumen ad regem, & nuntiavit ei dicens: Omnia quæ dedisti in manu servorum tuorum, ecce complentur.

17 Argentum quod repertum est in domo Domini, conflaverunt: datúmque est præfectis artificum, & diversa opera fabricantium.

18 Prætereà tradidit mihi Helcias sacerdos hunc librum. Quem cùm rege præsente recitasset,

19 Audisétque ille verba legis, scidit vestimenta sua:

20 Et præcepit Helciæ, & Ahicam filio Saphan, & Abdon filio Micha, Saphan quoque scribæ, & Asaæ servo regis, dicens:

21 Ite, & orate Dominum pro me, & pro reliquiis Israël & Juda, super universis sermonibus E Libri istius, qui repertus est: magnus enim furor Domini stillavit super nos, eò quòd non custodierint patres nostri verba Domini, ut facerent omnia quæ scripta sunt in isto volumine.

22 Abiit ergo Helcias, & hi qui simul à regem issi fuerant, ad Oldam prophetidem, uxorem Sellum filij Thecuath, filij Hasra custodis vestium: quæ habitabat in Jerusalem in Secunda: & locuti sunt ei verba, quæ suprà narravimus.

23 At illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Dicite viro, qui misit vos ad me.

24 Hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam mala super locum istum, & super habitatores ejus, cunctáque maledicta, quæ scripta sunt in Libro hoc, quem legerunt coram rege Juda.

25 Quia dereliquerunt me, & sacrificaverunt F diis alienis, ut me ad iracundiam provocarent in cunctis operibus manuũ suarum, idcircò stillabit furor meus super locum istum, & non extinguetur.

26 Ad regem autem Juda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini: Hæc dicit Dñs Deus Israël: Quoniam audisti verba voluminis,

27 Atque emollitum est cor tuum, & humiliatus es in conspectu Dei, super his quæ dicta sunt contra locum hunc, & habitatores Jerusalem, reveritúsque faciem meam, scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me: ego quoque exaudivi te, dicit Dominus.

28 Jam enim colligam te ad patres tuos, & inferêris in sepulchrum tuum in pace: nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum, & super habitatores ejus. * Retulerunt itaque regi cuncta quæ dixerat. * 4. Reg. 23.a.1.

29 At ille convocatis universis majoribus natu Juda & Jerusalem,

30 Ascendit in domum Domini, unáque omnes G viri Juda & habitatores Jerusalem, Sacerdotes & Levitæ, & cunctus populus à minimo usque ad maximum. Quibus audientibus in domo Domini, legit rex omnia verba voluminis:

31 Et stans in tribunali suo, percussit fœdus coram Domino, ut ambularet post eum, & custodiret præcepta, & testimonia, & justificationes ejus, in toto corde suo, & in tota anima sua, facerétque quæ scripta sunt in volumine illo, quod legerat.

32 Adjuravit quoque super hoc omnes, qui reperti fuerant in Jerusalem & Benjamin: & fecerunt habitatores Jerusalem juxta pactum Domini Dei patrum suorum.

33 Abstulit

33 Abstulit ergo Josias cunctas abominationes de universis regionibus filiorum Israël: & fecit omnes, qui residui erant in Israël, servire Domino Deo suo. Cunctis diebus ejus non recesserunt à Domino Deo patrum suorum.

CAPUT XXXV.

Immolato Phase maxima cum sollemnitate plurimisque victimis, Iosias festum azymorum septem diebus celebravit; deinde contra regem Ægypti pugnare tentans, gravitérque vulneratus, moritur cum ingenti omnium luctu, & præsertim Jeremiæ.

A 1 FEcit autem Josias in Jerusalem Phase Domino, quod immolatum est quartadecima die 4. Reg. 23.c.21. mensis primi:

2 Et constituit Sacerdotes in officiis suis, hortatúsque est eos ut ministrarent in domo Domini.

3 Levitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israël sanctificabatur Domino, locutus est: Ponite arcam in sanctuario templi, quod ædificavit Salomon filius David rex Israël, nequaquam enim eam ultrà portabitis: nunc autem ministrate Domino Deo vestro, & populo ejus Israël.

4 Et præparate vos per domos & cognationes vestras, in divisionibus singulorum, sicut præcepit David rex Israël, & descripsit Salomon filius ejus.

5 Et ministrate in sanctuario per familias turmásque Leviticas,

6 Et sanctificati immolate Phase: fratres etiam vestros, ut possint juxta verba quæ locutus est Dominus in manu Moysi facere, præparate.

7 Dedit prætereà Josias omni populo, qui ibi fuerat inventus in sollemnitate Phase, agnos & hœdos de gregibus, reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia. hæc de regis universa substantia.

8 Duces quoque ejus, sponte quod voverant, obtulerunt, tam populo, quàm Sacerdotibus & Levitis. Porrò Helcias, & Zacharias, & Jahiel, B principes domus Domini, dederunt sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commixtim duo millia sexcenta, & boves trecentos.

9 Chonenias autem, & Semeias, etiam Nathanaël, fratres ejus, necnon Hasabias, & Jehiel, & Jozabab, principes Levitarum, dederunt ceteris Levitis ad celebrandum Phase quinque millia pecorum, & boves quingentos.

10 Præparatúmque est ministerium, & steterunt sacerdotes in officio suo: Levitæ quoque in turmis, juxta regis imperium.

11 Et immolatum est Phase: aspersérúntque Sacerdotes manu sua sanguinem, & Levitæ detraxerunt pelles holocaustorum:

12 Et separaverunt ea ut darent per domos & familias singulorum, & offerrentur Domino, sicut scriptum est in Libro Moysi: de bobus quoque fecerunt similiter.

13 Et assáverunt Phase super ignem, juxta quod in lege scriptum est: pacificas verò hostias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis, & festinatò distribuerunt universæ plebi:

14 Sibi autem, & Sacerdotibus postea paraverunt: nam in oblatione holocaustorum & adipum usque ad noctem sacerdotes fuerunt occupati: C unde Levitæ sibi & sacerdotibus filiis Aaron paraverunt novissimis.

15 Porrò cantores filij Asaph stabant in ordine suo, juxta præceptum David, & Asaph, & Heman, & Idithun, prophetarum regis: Janitores verò per portas singulas observabant, ita ut nec puncto quidem discederent à ministerio: quam ob rem & fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibos.

16 Omnis igitur cultura Domini ritè completa est in die illa, ut facerent Phase, & offerrent holocausta super altare Domini, juxta præceptum regis Josiæ.

17 Fecerúntque filij Israël, qui reperti fuerant ibi, Phase in tempore illo, & sollemnitatem azymorum septem diebus.

18 Non fuit Phase simile huic in Israël à diebus Samuelis prophetæ: sed nec quisquam de cunctis regibus Israël fecit Phase sicut Josias, Sacerdotibus, & Levitis, & omni Judæ, & Israël qui repertus fuerat, & habitantibus in Jerusalem.

19 Octavodecimo anno regni Josiæ hoc Phase celebratum est.

20 * Postquam instauraverat Josias templum, ascendit Nechao rex Ægypti ad pugnandum in Charcamis juxta Euphraten: & processit in occursum ejus Josias. * 4. Reg. 23.f.29.

21 At ille missis ad eum nuntiis, ait: Quid mihi & tibi est rex Juda? non adversum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinatò ire præcepit: desine adversum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te. D

22 Noluit Josias reverti, sed præparavit contra eum bellum, nec acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei: * verùm perrexit ut dimicaret in campo Mageddo. * Zach. 12.d.11.

23 Ibíque vulneratus à sagittariis, dixit pueris suis: Educite me de prælio, quia oppidò vulneratus sum.

24 Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum, qui sequebatur eum more regio, & asportaverunt eum in Jerusalem, mortuúsque est, & sepultus in mausoleo patrum suorum: & universus Juda & Jerusalem luxerunt eum:

25 Jeremias maximè: cujus omnes cantores atque cantatrices, usque in præsentem diem, lamentationes super Josiam replicant; & quasi lex obtinuit in Israël: Ecce scriptum fertur in lamentationibus.

26 Reliqua autem sermonum Josiæ & misericordiarum ejus, quæ lege præcepta sunt Domini;

27 Opera quoque illius prima & novíssima, scripta sunt in Libro regum Juda & Israël.

CAPUT XXXVI.

Iosiæ succedit ejus filius Ioachaz, quem rex Ægypti transfert in Ægyptum, fratrémque Eliakim, quem Ioakim nominat, substituit: quo in Babylonem ducto, regnat filius Joachin, & hunc rex Assyriorum unà cum vasis templi in Babylonem abducit, patruúmque illius impium Sedeciam substituit: qui Assyrius rebellans, templo ac Ierusalem incensis, transfertur unà cum populo in Babylonem, propter regum & populi peccata, donec per Cyrum regem Persarum redeundi detur facultas.

A 1 TUlit ergo populus terræ Joachaz filium Josiæ, & constituit regem pro patre suo in Jerusalem. 4 Reg. 23.f.30.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 Viginti trium annorum erat Joachaz cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus regnavit in Jerusalem.

3 Amovit autem eum rex Ægypti cùm venisset in Jerusalem, & condemnavit terram centum talentis argenti, & talento auri.

* Mat. 1. b. 11. 4 Constituitque pro eo regem, * Eliakim fratrem ejus, super Judam & Jerusalem: & vertit nomen ejus Joakim: ipsum verò Joachaz tulit secum, & abduxit in Ægyptum.

5 Vigintiquinque annorum erat Joakim cùm regnare cœpisset, & undecim annis regnavit in Jerusalem: fecitque malum coram Domino Deo suo.

6 Contra hunc ascendit Nabuchodonosor rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem.

B 7 Ad quam & vasa Domini transtulit, & posuit ea in templo suo.

8 Reliqua autem verborum Joakim, & abominationum ejus, quas operatus est, & quæ inventa sunt in eo, continentur in Libro regum Juda & Israël. Regnavit autem Joachin filius ejus pro eo.

9 Octo annorum erat Joachin cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus, ac decem diebus regnavit in Jerusalem, fecitque malum in conspectu Domini.

10 Cúmque anni circulus volveretur, misit Nabuchodonosor rex, qui adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini. * Regem verò constituit Sedeciam patruum ejus super Judam & Jerusalem.

* 4. Reg. 24. d. 17. Jer. 37. a. 1.

11 Viginti & unius anni erat Sedecias cùm regnare cœpisset, & undecim annis regnavit in Jerusalem.

C 12 Fecitque malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Jeremiæ prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini.

13 A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adjuraverat eum per Deum: & induravit cervicem suam & cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Israël.

14 Sed & universi principes sacerdotum, & populus, prævaricati sunt iniquè juxta universas abominationes Gentium, & polluerunt domum Domini quam sanctificaverat sibi in Jerusalem.

15 Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens: eò quòd parceret populo & habitaculo suo.

16 At illi subsannabant nuntios Dei, & parvipendebant sermones ejus, illudebántque prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, & esset nulla curatio.

17 Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, & interfecit juvenes eorum gladio in domo sanctuarij sui: non est misertus adolescentis, & virginis, & senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus ejus.

18 Universáque vasa domus Domini, tam majora, quàm minora, & thesauros templi, & regis, & D principum, transtulit in Babylonem.

19 Incenderunt hostes domum Dei, destruxerúntque murum Jerusalem, universas turres combusserunt, & quidquid pretiosum fuerat demoliti sunt.

20 Si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem servivit regi & filiis ejus, donec imperaret rex Persarum,

21 Et compleretur sermo Domini ex ore Jeremiæ, & celebraret terra sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni.

22 * Anno autem primo Cyri regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: qui jussit prædicari in universo regno suo, etiam per scripturam, dicens:

* 1. Esd. 1. a. 1. 6. a. 3. Ier. 25. c. 12. 29. c. 10.

23 Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa: quis ex vobis est in omni populo ejus? sit Dominus Deus suus cum eo, & ascendat.

LIBER PRIMUS
ESDRÆ.

Caput Primum.

Cyrus divinitus inspiratus, redditis vasis templi Salomonis 5400. captivitatem Israëlitis relaxat, concedens templi readificationem.

A 1 IN anno primo Cyri regis Persarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: & traduxit vocem in omni regno suo, etiam per scripturam, dicens:

2. Par. 36. d. 22. Iere. 25. c. 12 29. c. 10.

B 2 Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa.

3 Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Jerusalem, quæ est in Judæa, & ædificet domum Domini Dei Israël, ipse est Deus qui est in Jerusalem.

4 Et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant, adjuvent eum viri de loco suo argento & auro, & substantia, & pecoribus, excepto quod voluntariè offerunt templo Dei, quod est in Jerusalem.

5 Et surrexerunt principes patrum de Juda, & C Benjamin, & Sacerdotes, & Levitæ, & omnis cujus Deus suscitavit spiritum, ut ascenderent ad ædificandum templum Domini, quod erat in Jerusalem.

6 Universíque qui erant in circuitu, adjuverunt

runt manus eorum in vasis argenteis & aureis, in substantia & jumentis, in supellectili, exceptis his quæ sponte obtulerant.

7 Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, & posuerat ea in templo Dei sui.

D 8 Protulit autem ea Cyrus rex Persarum per manum Mithridatis filij Gazabar, & annumeravit ea Sassabasar principi Juda.

9 Et hic est numerus eorum: Phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ, mille, cultri vigintinovem, scyphi aurei triginta,

10 Scyphi argentei secundi quadringenti decem: vasa alia mille.

11 Omnia vasa aurea & argentea, quinque millia quadringenta: universa tulit Sassabasar, cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Jerusalem.

Caput II.

Numerus revertentium duce Zorobabel è captivitate Babylonica in Ierusalem, ac donorum in readificationem templi oblatorum.

A 1 HI sunt autem provinciæ filij, qui ascenderunt de captivitate, quam transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis in Babylonem, & reversi sunt in Jerusalem & Judam, unusquisque in civitatem suam.

2. Esd. 7. b. 6.

2 Qui venerunt cum Zorobabel, Josue, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, Belsan, Mesphar, Reguai, Rehum, Baana. Numerus virorum populi Israël.

3 Filij Pharos, duo millia centum septuagintaduo.
4 Filij Sephatia, trecenti septuagintaduo.
5 Filij Area, septingenti septuagintaquinque.
6 Filij Phahath Moab, filiorum Josue: Joab, duo millia octingenti duodecim.
7 Filij Ælam, mille ducenti quinquaginta quattuor.
8 Filij Zethua, nongenti quadragintaquinque.
9 Filij Zachai, septingenti sexaginta.
10 Filij Bani, sexcenti quadragintaduo.
11 Filij Bebai, sexcenti vigintitres.
12 Filij Azgad, mille ducenti vigintiduo.
13 Filij Adonicam, sexcenti sexagintasex.
14 Filij Beguai, duo millia quinquagintasex.
15 Filij Adin, quadringenti quinquagintaquattuor.
16 Filij Ather, qui erant ex Ezechia, nonagintaocto.
17 Filij Besai, trecenti viginti tres.
B 18 Filij Jora, centum duodecim.
19 Filij Hasum, ducenti vigintitres.
20 Filij Gebbar, nonagintaquinque.
21 Filij Bethlehem, centum vigintitres.
22 Viri Netupha, quinquaginta sex.
23 Viri Anathoth, centum vigintiocto.
24 Filij Azmaveth, quadragintaduo.
25 Filij Cariathiarim, Cephira, & Beroth, septingenti quadragintatres.
26 Filij Rama & Gabaa, sexcenti viginti unus.
27 Viri Machmas, centum vigintiduo.
28 Viri Bethel & Hai, ducenti vigintitres.
29 Filij Nebo, quinquaginta duo.
30 Filij Megbis, centum quinquagintasex.
31 Filij Ælam alterius, mille ducenti quinquagintaquattuor.
32 Filij Harim, trecenti viginti.
33 Filij Lod, Hadid, & Ono, septingenti vigintiquinque.
34 Filij Jericho, trecenti quadragintaquinque.
35 Filij Senaa, tria millia sexcenti triginta.

36 Sacerdotes: Filij Jadaia in domo Josue, nongenti septuagintatres.
37 Filij Emmer, mille quinquagintaduo.
38 Filij Pheshur, mille ducẽti quadragintaseptẽ.
39 Filij Harim, mille decem & septem.

40 Levitæ: Filij Josue & Cedmihel filiorum Odoviæ, septuagintaquattuor.
41 Cantores: Filij Asaph, centum vigintiocto.
42 Filij Janitorum: filij Sellum, filij Ater, filij Telmon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobai: universi centum trigintita novem. C

43 Nathinæi: filij Siha, filij Hasupha, filij Tabbaoth,
44 Filij Ceros, filij Siaa, filij Phadon,
45 Filij Lebana, filij Hagaba, filij Accub,
46 Filij Hagab, filij Semlai, filij Hanan,
47 Filij Gaddel, filij Gaher, filij Raaia,
48 Filij Rasin, filij Necoda, filij Gazam,
49 Filij Aza, filij Phasea, filij Besee,
50 Filij Asena, filij Munim, filij Nephusim,
51 Filij Bacbuc, filij Hacupha, filij Harhur,
52 Filij Besuth, filij Mahida, filij Harsa,
53 Filij Bercos, filij Sisara, filij Thema,
54 Filij Nasia, filij Hatipha,
55 Filij servorum Salomonis, filij Sotai, filij Sopheret, filij Pharuda,
56 Filij Jala, filij Dercon, filij Geddel,
57 Filij Saphatia, filij Hatil, filij Phochereth, qui erant de Asebaim, filij Ami.
58 Omnes Nathinæi, & filij servorum Salomonis, trecenti nonagintaduo.

59 Et hi qui ascenderunt de Thelmala, Thelhalsa, Cherub, & Adon, & Emer: & non potuerunt indicare domum patrum suorum & semen suum, utrùm ex Israël essent.

60 Filij Dalaia, filij Tobia, filij Necoda, sexcenti quinquagintaduo. D

61 Et de filiis Sacerdotum: Filij Hobia, filij Accos, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis, uxorẽ, & vocatus est nomine eorum:
62 Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non invenerunt, & ejecti sunt de sacerdotio.
63 Et dixit Athersatha eis, ut non comederent de Sancto sanctorum, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus.

64 Omnis multitudo quasi unus, quadragintaduo millia trecenti sexaginta:
65 Exceptis servis eorum, & ancillis, qui erant septem millia trecenti trigintaseptem: & in ipsis cantores atque cantatrices ducenti.
66 Equi eorum septingenti trigintasex, muli eorum ducenti quadragintaquinque,
67 Cameli eorum, quadringenti trigintaquinque, asini eorum, sex millia septingenti viginti.
68 Et de principibus patrum, cùm ingrederẽtur templum Dñi, quod est in Jerusalẽ, sponte obtulerunt in domum Dei ad extruendã eam in loco suo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

69 Secundùm vires suas dederunt impensas operis, auri solidos sexaginta millia & mille, argenti mnas quinque millia,& vestes sacerdotales centũ.

70 Habitaverunt ergo Sacerdotes, & Levitæ,& de populo,& cantores,& janitores,& Nathinæi,in urbibus suis,universúsque Israël in civitatibus suis.

Caput III.

Convocato populo in Ierusalem, extruitur altare super quo victimæ offeruntur; celebratur quoque septem diebus festum tabernaculorum: & secundo reversionis anno templum fundatur,populo vociferãte,partim ex gaudio,partim ex fletu

A 1 JAmque venerat mensis septimus, & erant filij Israël in civitatibus suis: congregatus est ergo populus quasi vir unus in Jerusalem.

2 Et surrexit Josue filius Josedec, & fratres ejus sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres ejus, & ædificaverunt altare Dei Israël, ut offerrent in eo holocautomata, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei:

3 Collocaverunt autem altare Dei super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis terrarum,& obtulerunt super illud holocaustum Domino manè & vespere:

4 Fecerúntque sollemnitatem tabernaculorum, sicut scriptum est, & holocaustum diebus singulis per ordinem secundùm præceptum opus diei in die suo.

B 5 Et post hæc holocaustum juge, tam in Calendis quàm in universis sollemnitatibus Domini,quæ erant consecratæ, & in omnibus in quibus ultrò offerebatur munus Domino.

6 A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino: porrò templum Dei nondum fundatum erat.

7 Dederunt autem pecunias latomis & cæmentariis: cibum quoque, & potum, & oleum, Sidoniis Tyriisque, ut deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Joppe, juxta quod præceperat Cyrus rex Persarum eis.

C 8 Anno autem secundo adventus eorum ad templum Dei in Jerusalem,mense secundo,cœperunt Zorobabel filius Salathiel, & Josue filius Josedec, & reliqui de fratribus eorum Sacerdotes, & Levitæ, & omnes qui venerant de captivitate in Jerusalem, & constituerunt Levitas à viginti annis & supra, ut urgerent opus Domini.

9 Stetítque Josue & filij ejus, & fratres ejus: Cedmihel & filij ejus, & filij Juda, quasi vir unus, ut instarent super eos qui faciebant opus in templo Dei: filij Henadad, & filij eorum, & fratres eorum Levitæ.

10 Fundato igitur à cæmentariis templo Domini, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis: & Levitæ filij Asaph in cymbalis, ut laudarent Deum per manus David regis Israël.

D 11 Et concinebant in hymnis & confessione Domino: Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus super Israël. Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eò quòd fundatum esset templum Domini.

12 Plurimi etiam de Sacerdotibus & Levitis, & principes patrum,& seniores,qui viderant templum priùs cùm fundatum esset, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna: & multi vociferantes in lætitia, elevabant vocem.

13 Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi: commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, & vox audiebatur procul.

Caput IV.

Israëlis hostes qui ab Assur missi fuerant ad inhabitandas urbes Samariæ, impediunt templi & urbis instaurationem, quòd non admitterentur ut simul ædificarent, & usque ad secundum Darij annum intermitti procurant.

1 AUdierunt autem hostes Judæ & Benjamin, A
quia filij captivitatis ædificarent templum Domino Deo Israël:

2 Et accedentes ad Zorobabel, & ad principes patrum,dixerunt eis: Ædificemus vobiscum,quia ita ut vos, quærimus Deum vestrum: ecce nos immolavimus victimas à diebus Asor Haddan regis Assur, qui adduxit nos huc.

3 Et dixit ei Zorobabel, & Josue, & reliqui principes patrum Israël: Non est vobis & nobis ut ædificemus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis Cyrus rex Persarum.

4 Factum est igitur, ut populus terræ impediret manus populi Judæ,& turbaret eos in ædificando.

5 Conduxerunt autem adversus eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum, & usque ad regnum Darij regis Persarum.

6 In regno autem Assueri, in principio regni ejus, scripserunt accusationem adversus habitatores Judæ & Jerusalem.

7 Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam Mithridates, & Thabeel, & reliqui qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem regem Persarum: epistola autem accusationis scripta erat Syriacè, & legebatur sermone Syro. B

8 Reum Beelteem, & Samsai scriba, scripserunt epistolam unam de Jerusalem Artaxerxi regi, hujuscemodi:

9 Reum Beelteem, & Samsai scriba, & reliqui consiliatores eorum, Dinæi, & Apharsathachæi, Terphalæi, Apharsæi, Erchuæi, Babylonij, Susanechæi, Dievi & Ælamitæ,

10 Et ceteri de Gentibus, quas transtulit Asenaphar magnus & glorioſus: & habitare eas fecit in civitatibus Samariæ, & in reliquis regionibus trans flumen in pace:

11 (Hoc est exemplar epistolæ, quam miserunt ad eum) Artaxerxi regi, servi tui, viri qui sunt trans Fluvium, salutem dicunt.

12 Notum sit regi, quia Judæi, qui ascenderunt à te ad nos, venerunt in Jerusalem civitatem rebellem & pessimam, quam ædificant, extruentes muros ejus, & parietes componentes.

13 Nunc igitur notum sit regi, quia si civitas C
illa ædificata fuerit,& muri ejus instaurati, tributum, & vectigal, & annuos reditus non dabunt, & usque ad reges hæc noxa perveniet.

14 Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus,& quia læsiones regis videre nefas ducimus, idcircò misimus & nuntiavimus regi,

15 Ut recenseas in libris historiarum patrum tuorum,

tuorum, & invenies scriptum in commentariis: & scies quoniam urbs illa,urbs rebellis est,& nocens regibus & provinciis, & bella concitantur in ea ex diebus antiquis: quam ob rem & civitas ipsa destructa est.

16 Nuntiamus nos regi, quoniam si civitas illa ædificata fuerit,& muri ipsius instaurati, possessionem trans fluvium non habebis.

17 Verbum misit rex ad Reum Beelteem, & Samsai scribam, & ad reliquos qui erant in consilio eorum habitatores Samariæ, & ceteris trans Fluvium, salutem dicens & pacem.

D 18 Accusatio, quam misistis ad nos, manifestè lecta est coram me.

19 Et à me præceptum est: & recensuerunt,invenerúntque quoniam civitas illa à diebus antiquis adversum reges rebellat,& seditiones, & prælia concitantur in ea:

20 Nam & reges fortissimi fuerunt in Jerusalem, qui & dominati sunt omni regioni,quæ trans Fluvium est: tributum quoque & vectigal, & reditus accipiebant.

21 Nunc ergo audite sententiam: Prohibeatis viros illos,ut urbs illa non ædificetur,donec si fortè à me jussum fuerit.

22 Videte ne negligenter hoc impleatis,& paulatim crescat malum contra reges.

23 Itaque exemplum edicti Artaxerxis regis lectum est corã Reum Beelteem, & Samsai scriba,& consiliariis eorum: & abierunt festini in Jerusalem ad Judæos, & prohibuerũt eos in brachio & robore.

24 Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem,& non fiebat usque ad annum secundum regni Darij regis Persarum.

Caput V.

Aggæi & Zachariæ exhortatione templi ædificatio repetitur, frustrà conantibus hoc impedire principibus qui trans Flumen in Samaria constituti erant à rege Assyriorum.

A 1 PRophetaverunt autem Aggæus Propheta & Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos, qui erant in Judæa & Jerusalem, in nomine Dei Israël.

2 Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Josue filius Josedec, & cœperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, & cum eis prophetæ Dei adjuvantes eos.

3 In ipso autem tempore venit ad eos Thathanai, qui erat dux trans Flumen, & Stharbuzanai, & consiliarij eorum:sícque dixerunt eis: Quis dedit vobis consilium ut domum hanc ædificaretis,& muros ejus instauraretis?

4 Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina hominum auctorum ædificationis illius.

5 Oculus autem Dei eorum factus est super senes Judæorum, & non potuerunt inhibere eos. Placuítque ut res ad Darium referretur, & tunc satisfacerent adversus accusationem illam.

6 Exemplar epistolæ,quam misit Thathanai dux B
regionis trans Flumen,& Stharbuzanai, & consiliatores ejus Arphasachæi, qui erant trans Flumen ad Darium regem.

7 Sermo quem miserant ei, sic scriptus erat: Dario regi pax omnis.

8 Notum sit regi, isse nos ad Judæam provinciam, ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito, & ligna ponuntur in parietibus:opúsque illud diligenter extruitur, & crescit in manibus eorum.

9 Interrogavimus ergo senes illos,& ita diximus eis: Quis dedit vobis potestatem ut domum hanc ædificaretis, & muros hos instauraretis?

10 Sed & nomina eorum quæsivimus ab eis,ut C
nuntiaremus tibi: scripsimúsque nomina eorum virorum, qui sunt principes in eis.

11 Hujuscemodi autem sermonem responderunt nobis, dicentes: Nos sumus Servi Dei cæli & terræ, & ædificamus templum, quod erat extructum ante hos annos multos, quódque rex Israël magnus ædificaverat, & extruxerat.

12 Postquam autem ad iracundiam provocaverunt patres nostri Deum cæli,tradidit eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis Chaldæi, domum quoque hanc destruxit,& populum ejus transtulit in Babylonem.

13 Anno autem primo Cyri regis Babylonis,Cyrus rex proposuit edictum ut domus Dei hæc ædificaretur.

14 Nam & vasa templi Dei aurea & argentea, D
quæ Nabuchodonosor tulerat de templo, quod erat in Jerusalem, & asportaverat ea in templum Babylonis, protulit Cyrus rex de templo Babylonis, & data sunt Sassabasar vocabulo,quem & principem constituit,

15 Dixítque ei: Hæc vasa tolle, & vade, & pone ea in templo, quod est in Jerusalem, & domus Dei ædificetur in loco suo.

16 Tunc itaque Sassabasar ille venit & posuit fundamenta templi Dei in Jerusalem,& ex eo tempore usque nunc ædificatur, & necdum completum est.

17 Nunc ergo, si videtur regi bonum,recenseat in bibliotheca regis, quæ est in Babylone, utrúmnam à Cyro rege jussum fuerit ut ædificaretur domus Dei in Jerusalem, & voluntatem regis super hac re mittat ad nos.

Caput VI.

Darius Cyri decretum de templo extruendo in bibliotheca sua inventum jubet compleri, suppeditato sumptu; templum autem sexto Darij anno absolutum, cum ingenti lætitia plurimísque victimis dedicatur, ac Pascha septem diebus celebratur.

1 TUnc Darius rex præcepit: & recensuerunt A
in bibliotheca librorum, qui erant repositi in Babylone,

2 Et inventum est in Ecbatanis, quod est castrum in Medena provincia, volumen unum,talísque scriptus erat in eo commentarius:

3 Anno primo Cyri regis: Cyrus rex decrevit ut domus Dei ædificaretur, quæ est in Jerusalem, in loco ubi immolent hostias, & ut ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta, & latitudinem cubitorum sexaginta,

4 Ordines de lapidibus impolitis tres, & sic ordines de lignis novis: sumptus autem de domo regis dabuntur.

5 Sed & vasa templi Dei aurea & argentea,quæ Nabuchodonosor tulerat de templo Jerusalem, & attulerat ea in Babylonem, reddantur, & referan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur in templum in Jerusalem in locum suum, quæ & posita sunt in templo Dei.

6 Nunc ergo Thathanai dux regionis, quæ est B trans Flumen, Stharbuzanai, & consiliarij vestri Apharsachæi, qui estis trans Flumen, procul recedite ab illis,

7 Et dimitte fieri templum Dei illud à duce Judæorum, & à senioribus eorum, ut domum Dei illam ædificent in loco suo.

8 Sed & à me præceptum est, quid oporteat fieri à presbyteris Judæorum illis, ut ædificetur domus Dei, scilicet ut de arca regis, id est, de tributis, quæ dantur de regione trans Flumen, studiosè sumptus dentur viris illis ne impediatur opus.

9 Quòd si necesse fuerit, & vitulos, & agnos, & hœdos in holocaustum Deo cæli, frumentum, sal, vinum, & oleum, secundùm ritum Sacerdotum, qui sunt in Jerusalem, detur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia.

10 Et offerant oblationes Deo cæli, oréntque pro vita regis, & filiorum ejus.

11 A me ergo positum est decretum: Ut omnis homo qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in C eo, domus autem ejus publicetur.

12 Deus autem, qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna, & populum qui extenderit manum suam ut repugnet, & dissipet domum Dei illam, quæ est in Jerusalem. Ego Darius statui decretum, quod studiosè impleri volo.

13 Igitur Thathanai dux regionis trans Flumen & Stharbuzanai, & consiliarij ejus, secundùm quod præceperat Darius rex, sic diligenter executi sunt.

14 Seniores autem Judæorum ædificabant, & prosperabantur juxta prophetiam Aggæi prophetæ, & Zachariæ filij Addo: & ædificaverunt & constituerunt, jubente Deo Israël, & jubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe, regibus Persarum:

15 Et compleverunt domum Dei istam usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darij regis.

16 Fecerunt autem filij Israël, Sacerdotes & Levitæ, & reliqui filiorum transmigrationis, dedicationem Domus Dei in gaudio.

D 17 Et obtulerunt in dedicationem Domus Dei vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israël duodecim, juxta numerum tribuum Israël.

18 Et statuerunt Sacerdotes in ordinibus suis, & Levitas in vicibus suis, super opera Dei in Jeru- * Num. 3. a. 6. 8. b. 9. salem, * sicut scriptum est in libro Moysi.

19 Fecerunt autem filij Israël transmigrationis, Pascha, quartadecima die mensis primi.

20 Purificati enim fuerant Sacerdotes & Levitæ quasi unus: omnes mundi ad immolandum pascha universis filiis transmigrationis, & fratribus suis Sacerdotibus, & sibi.

21 Et comederunt filij Israël, qui reversi fuerant de transmigratione, & omnes qui se separaverant à coinquinatione Gentium terræ ad eos, ut quærerent Dominum Deum Israël.

22 Et fecerunt sollemnitatem azymorum septem diebus in lætitia, quoniam lætificaverat eos Dominus, & converterat cor regis Assur ad eos, ut adjuvaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israël.

Caput VII.

Esdras scriba, assumptis comitibus, Jerusalem ascendit, cum edicto regis magnisque muneribus, legem Dei docturus, populúmque recturus; & refertur regis edictum.

1 POst hæc autem verba, in regno Artaxerxis A regis Persarum, Esdras filius Saraiæ filij Azariæ, filij Helciæ,

2 Filij Sellum, filij Sadoc, filij Achitob,

3 Filij Amariæ, filij Azariæ, filij Maraioth,

4 Filij Zarahiæ, filij Ozi, filij Bocci,

5 Filij Abisue, filij Phinees, filij Eleazar, filij Aaron sacerdotis ab initio.

6 Ipse Esdras ascendit de Babylone, & ipse scriba velox in lege Moysi, quam Dominus Deus dedit Israël: & dedit ei rex secundùm manum Domini Dei ejus super eum, omnem petitionem ejus.

7 Et ascenderunt de filiis Israël, & de filiis Sacerdotũ, & de filiis Levitarum, & de cantoribus, & de janitoribus, & de Nathinæis, in Jerusalem, anno septimo Artaxerxis regis.

8 Et venerunt in Jerusalem mense quinto, ipse est annus septimus regis.

9 Quia in primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, & in primo die mensis quinti venit in Jerusalem, juxta manum Dei sui bonam super se.

10 Esdras enim paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, & faceret & doceret in Israël præceptum & judicium.

11 Hoc est autem exemplar epistolæ edicti, B quod dedit rex Artaxerxes Esdræ sacerdoti scribæ erudito in sermonibus & præceptis Domini, & ceremoniis ejus in Israël.

12 Artaxerxes rex regum Esdræ sacerdoti, scribæ legis Dei cæli doctissimo, salutem.

13 A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israël, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis, ire in Jerusalem, tecum vadat.

14 A facie enim regis, & septem consiliatorum ejus, missus es, ut visites Judæam & Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua:

15 Et ut feras argentum & aurum, quod rex & consiliatores ejus sponte obtulerunt Deo Israël, cujus in Jerusalem tabernaculum est.

16 Et omne argentum & aurum quodcumque inveneris in universa provincia Babylonis, & populus offerre voluerit, & de Sacerdotibus quæ sponte obtulerint domui Dei sui, quæ est in Jerusalem.

17 Liberè accipe, & studiosè eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & sacrificia & libamina eorum, & offer ea super altare templi Dei C vestri, quod est in Jerusalem.

18 Sed & si quid tibi & fratribus tuis placuerit, de reliquo argento & auro ut faciatis, juxta voluntatem Dei vestri facite.

19 Vasa quoque, quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Jerusalẽ.

20 Sed & cetera, quibus opus fuerit in domum Dei

Dei tui, quantumcumque necesse est ut expendas, dabitur de thesauro, & de fisco regis,

21 Et à me. Ego Artaxerxes, rex statui atque decrevi omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans Flumen, ut quodcumque petierit à vobis Esdras sacerdos, scriba legis Dei cæli absque mora detis,

22 Usque ad argenti talenta centum, & usque ad frumenti coros centum, & usque ad vini batos centum, & usque ad batos olei centum, sal verò absque mensura.

23 Omne, quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli: ne fortè irascatur contra regnum regis, & filiorum ejus.

D 24 Vobis quoque notum facimus de universis Sacerdotibus, & Levitis, & cantoribus, & janitoribus, Nathinæis, & ministris domus Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas, non habeatis potestatem imponendi super eos.

25 Tu autem Esdra secundùm sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue judices & præsides, ut judicent omni populo qui est trans Flumen, his videlicet qui noverunt legem Dei tui, sed & imperitos docete liberè.

26 Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem regis diligenter, judicium erit de eo, sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certè in carcerem.

27 Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificaret domum Domini, quæ est in Jerusalem.

28 Et in me inclinavit misericordiam suam coram rege & consiliatoribus ejus, & universis principibus regis potentibus: & ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me, congregavi de Israël principes qui ascenderent mecum.

Caput VIII.

Recensentur qui de Babylone ascenderunt cum Esdra: qui indicto jejunio pro directione itineris Deum precantes, prosperè perveniunt in Jerusalem, ac vasa quæ secum attulerunt, in templum afferunt cum victimis.

A 1 HI sunt ergo principes familiarum, & genealogia eorum, qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis regis de Babylone.

2 De filiis Phinees, Gersom. De filiis Ithamar, Daniel. De filiis David, Hattus.

3 De filiis Secheniæ, filiis Pharos, Zacharias: & cum eo numerati sunt viri centum quinquaginta.

4 De filiis Phahath Moab, Elioënai filius Zarehe, & cum eo ducenti viri.

5 De filiis Secheniæ, filius Ezechiel, & cum eo trecenti viri.

6 De filiis Adan, Abed filius Jonathan, & cum eo quinquaginta viri.

7 De filiis Alam, Isaias filius Athaliæ, & cum eo septuaginta viri.

8 De filiis Saphatiæ, Zebedia filius Michaël, & cum eo octoginta viri.

B 9 De filiis Joab, Obedia filius Jahiel, & cum eo ducenti decem & octo viri.

10 De filiis Selomith, filius Josphiæ, & cum eo centum sexaginta viri.

11 De filiis Bebai, Zacharias filius Bebai, & cum eo viginti octo viri.

12 De filiis Azgad, Johanan filius Eccetan, & cum eo centum & decem viri.

13 De filiis Adonicam, qui erant novissimi: & hæc nomina eorum: Eliphéleth, & Jehiel, & Samaias, & cum eis sexaginta viri.

14 De filiis Begui, Uthai & Zachur, & cum eis septuaginta viri.

15 Congregavi autem eos ad fluvium, qui decurrit ad Ahava, & mansimus ibi tribus diebus: quæsivíque in populo & in sacerdotibus de filiis Levi, & non inveni ibi.

16 Itaque misi Eliezer, & Ariel, & Semeiam, & Elnathan, & Jarib, & alterum Elnathan, & Nathan, & Zachariam, & Mosollam principes: & Joiarib, & Elnathan sapientes. C

17 Et misi eos ad Eddo, qui est primus in Chasphiæ loco, & posui in ore eorum verba, quæ loquerentur ad Eddo, & fratres ejus Nathinæos, in loco Chasphiæ, ut adducerent nobis ministros domus Dei nostri.

18 Et adduxerunt nobis per manum Dei nostri bonam super nos, virum doctissimum de filiis Moholi filij Levi filij Israël, & Sarabiam & filios ejus & fratres ejus decem & octo,

19 Et Hasabiam, & cum eo Isaiam de filiis Merari, fratrésque ejus & filios ejus viginti:

20 Et de Nathinæis, quos dederat David & principes ad ministeria Levitarum, Nathinæos ducentos viginti: omnes hi suis nominibus vocabantur. D

21 Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis & filiis nostris, universæque substantiæ nostræ.

22 Erubui enim petere à rege auxilium & equites, qui defenderent nos ab inimico in via: quia dixeramus regi: Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate: & imperium ejus & fortitudo ejus, & furor super omnes, qui derelinquunt eum.

23 Jejunavimus autem, & rogavimus Deum nostrum per hoc: & evenit nobis prosperè.

24 Et separavi de principibus Sacerdotum duo- E decim, Sarabiam, & Hasabiam, & cum eis de fratribus eorum decem.

25 Appendíque eis argentum & aurum, & vasa consecrata domus Dei nostri, quæ obtulerat rex & consiliatores ejus, & principes ejus, universúsque Israël eorum, qui inventi fuerant:

26 Et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, & vasa argentea centum, auri centum talenta:

27 Et crateres aureos viginti, qui habebant solidos millenos, & vasa æris fulgentis optimi duo, pulchra, ut aurum.

28 Et dixi eis: Vos sancti Domini, & vasa sancta, & argentum & aurum quod sponte oblatum F est Domino Deo patrum nostrorum:

29 Vigilate & custodite, donec appendatis coram principibus Sacerdotum, & Levitarum, & ducibus familiarum Israël in Jerusalem, in thesaurum domus Domini.

30 Susceperunt autem Sacerdotes & Levitæ pondus argenti, & auri, & vasorum, ut deferrent Jerusalem in domum Dei nostri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

31 Promovimus ergo à flumine Ahava duodecimo die menſis primi ut pergeremus Jeruſalem: & manus Dei noſtri fuit ſuper nos,& liberavit nos de manu inimici & inſidiatoris in via.

G 32 Et venimus Jeruſalem, & manſimus ibi tribus diebus.

33 Die autem quarta appenſum eſt argentum, & aurum, & vaſa in domo Dei noſtri per manum Meremoth filij Uriæ Sacerdotis, & cum eo Eleazar filius Phinees,cúmque eis Jozabed filius Joſue: & Noadaia filius Bennoi Levitæ,

34 Juxta numerum & pondus omnium: deſcriptúmque eſt omne pondus in tempore illo.

35 Sed & qui venerant de captivitate filij tranſmigrationis, obtulerunt holocautomata Deo Iſraël, vitulos duodecim pro omni populo Iſraël, arietes nonaginta ſex, agnos ſeptuaginta ſeptem, hircos pro peccato duodecim:omnia in holocauſtum Domino.

36 Dederunt autem edicta regis ſatrapis, qui erant de conſpectu regis,& ducibus trans Flumen, & elevaverunt populum & domum Dei.

Caput IX.

Audiens Eſdras Iudæos matrimonia contraxiſſe cum gentibus, ſcindit veſtimenta ſua, & populi peccata confitetur, lugétque coram Domino.

A 1 Postquam autem hæc completa ſunt,acceſſerunt ad me principes, dicentes: Non eſt ſeparatus populus Iſraël, Sacerdotes & Levitæ, à populis terrarum, & abominationibus eorum,Chananæi videlicet, & Hethæi, & Pherezæi,& Jebuſæi, & Ammonitarum, & Moabitarum, & Ægyptiorum, & Amorrhæorum:

2 Tulerunt enim de filiabus eorum ſibi & filiis ſuis,& commiſcuerunt ſemen ſanctum cum populis terrarum: manus etiam principum & magiſtratuum fuit in tranſgreſſione hac prima.

3 Cúmque audiſſem ſermonem iſtum,ſcidi pallium meum & tunicam, & evelli capillos capitis mei & barbæ, & ſedi mœrens.

4 Convenerunt autem ad me omnes, qui timebant verbum Dei Iſraël, pro tranſgreſſione eorum qui de captivitate venerant, & ego ſedebam triſtis uſque ad ſacrificium veſpertinum:

B 5 Et in ſacrificio veſpertino ſurrexi de afflictione mea, & ſciſſo pallio & tunica, curvavi genua mea,& expandi manus meas ad Dominum Deum meum,

6 Et dixi: Deus meus confundor & erubeſco levare faciem meam ad te: quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creverunt uſque ad cælum,

7 A diebus patrum noſtrorum: ſed & nos ipſi peccavimus graviter uſque ad diem hanc, & in iniquitatibus noſtris traditi ſumus ipſi,& reges noſtri,& Sacerdotes noſtri, in manum regum terrarum, & in gladium,& in captivitatem, & in rapinam,& in confuſionem vultus, ſicut & die hac.

8 Et nunc quaſi parum & ad momentum facta eſt deprecatio noſtra apud Dominum Deum noſtrum, ut dimitterentur nobis reliquiæ, & daretur C nobis paxillus in loco ſancto ejus, & illuminaret oculos noſtros Deus noſter, & daret nobis vitam modicam in ſervitute noſtra,

9 Quia ſervi ſumus, & in ſervitute noſtra non C dereliquit nos Deus noſter, ſed inclinavit ſuper nos miſericordiam coram rege Perſarum, ut daret nobis vitam, & ſublimaret domum Dei noſtri, & exſtrueret ſolitudines ejus, & daret nobis ſepem in Juda & Jeruſalem.

10 Et nunc quid dicemus Deus noſter poſt hæc? quia dereliquimus mandata tua,

11 Quæ præcepiſti in manu ſervorum tuorum prophetarum, dicens: Terra, ad quam vos ingredimini ut poſſideatis eam,terra immunda eſt,juxta immunditiam populorum,ceterarúmque terrarum, abominationibus eorum qui repleverunt eam ab ore uſque ad os in coinquinatione ſua.

12 Nunc ergo * filias veſtras ne detis filiis eo- * Deut. rum,& filias eorum ne accipiatis filiis veſtris, & 7. a. 3. non quæratis pacem eorum, & proſperitatem eo- D rum, uſque in æternum: ut confortemini, & comedatis quæ bona ſunt terræ,& heredes habeatis filios veſtros uſque in ſæculum.

13 Et poſt omnia quæ venerunt ſuper nos in operibus noſtris peſſimis, & in delicto noſtro magno, quia tu Deus noſter liberaſti nos de iniquitate noſtra,& dediſti nobis ſalutem ſicut eſt hodie,

14 Ut non converteremur, & irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia jungeremus cum populis abominationum iſtarum. Numquid iratus es nobis uſque ad conſummationem ne dimitteres nobis reliquias ad ſalutem?

15 Domine Deus Iſraël juſtus es tu: quoniam derelicti ſumus, qui ſalvaremur ſicut die hac.Ecce coram te ſumus in delicto noſtro. non enim ſtari poteſt coram te ſuper hoc.

Caput X.

Eſdras, convocatis univerſis filiis tranſmigrationis præcepit repudiari uxores alienigenas: quod cum ſe facturos ſpopondiſſent, recenſentur qui huic operi præfint, & qui hujuſmodi matrimonia contraxerant.

1 Sic ergo orante Eſdra,& implorante eo,& flen- A te, & jacente ante templum Dei, collectus eſt ad eum de Iſraël cœtus grandis nimis virorum & & mulierũ & puerorũ,& flevit populus fleru multo.

2 Et reſpondit Sechenias filius Jehiel de filiis Ælam, & dixit Eſdræ: Nos prævaricati ſumus in Deum noſtrum,& duximus uxores alienigenas de populis terræ, & nunc, ſi eſt pœnitentia in Iſraël ſuper hoc,

3 Percutiamus fœdus cum Domino Deo noſtro, ut projiciamus univerſas uxores, & eos qui de his nati ſunt, juxta voluntatem Domini, & eorum qui timent præceptum Domini Dei noſtri: ſecundùm legem fiat.

4 Surge, tuum eſt decernere,nóſque erimus tecum: confortare, & fac.

5 Surrexit ergo Eſdras, & adjuravit principes Sacerdotum & Levitarum,& omnem Iſraël, ut facerent ſecundùm verbum hoc, & juraverunt.

6 Et ſurrexit Eſdras antę domum Dei, & abiit ad cubiculum Johanan filij Eliaſib,& ingreſſus eſt illuc, panem non comedit, & aquam non bibit:lugebat enim tranſgreſſionem eorum, qui venerant de captivitate. B

7 Et miſſa eſt vox in Juda,& in Jeruſalẽ omnibus filiis tranſmigrationis,ut cõgregarentur in Jeruſalẽ.

8 Et

8 Et omnis qui non venerit in tribus diebus juxta conſilium principum & ſeniorum, auferetur univerſa ſubſtantia ejus, & ipſe abjicietur de cœtu tranſmigrationis.

9 Convenerunt igitur omnes viri Juda & Benjamin in Jeruſalem tribus diebus, ipſe eſt menſis nonus,vigeſimo die menſis: & ſedit omnis populus in platea domus Dei, trementes pro peccato,& pluviis.

10 Et ſurrexit Eſdras ſacerdos, & dixit ad eos: Vos tranſgreſſi eſtis,& duxiſtis uxores alienigenas, ut adderetis ſuper delictum Iſraël.

11 Et nunc date confeſſionem Domino Deo patrum veſtrorum, & facite placitum ejus, & ſeparamini à populis terræ, & ab uxoribus alienigenis.

12 Et reſpondit univerſa multitudo,dixítque voce magna: Juxta verbum tuum ad nos, ſic fiat.

13 Verumtamen quia populus multus eſt, & C tempus pluviæ, & non ſuſtinemus ſtare foris, & opus non eſt diei unius vel duorum (vehementer quippe peccavimus in ſermone iſto)

14 Conſtituantur principes in univerſa multitudine: & omnes in civitatibus noſtris qui duxerunt uxores alienigenas,veniant in temporibus ſtatutis, & cum his ſeniores per civitatem & civitatem,& judices ejus,donec avertatur ira Dei noſtri à nobis ſuper peccato hoc.

15 Igitur Jonathan filius Azahel, & Jaaſia filius Thecue, ſteterunt ſuper hoc, & Meſollam & Sebethai Levites adjuverunt eos:

16 Feceruntque ſic filij tranſmigrationis. Et abierunt,Eſdras Sacerdos,& viri principes familiarum, in domos patrum ſuorum, & omnes per nomina ſua, & ſederunt in die primo menſis decimi ut quærerent rem.

17 Et conſummati ſunt omnes viri, qui duxerant uxores alienigenas, uſque ad diem primam menſis primi.

18 Et inventi ſunt de filiis ſacerdotum qui duxerant uxores alienigenas. De filiis Joſue filij Joſedec, & fratres ejus, Maaſia, & Eliezer, & Jarib, & Godolia.

19 Et dederunt manus ſuas ut ejicerent uxores ſuas,& pro delicto ſuo arietem de ovibus offerrent.

20 Et de filiis Emmer, Hanani, & Zebedia.

21 Et de filiis Harim, Maaſia, & Elia,& Semeia, & Jehiel, & Ozias.

22 Et de filiis Pheshur, Elioënai,Maaſia,Iſmaël, Nathanaël, Jozabed, & Elaſa.

23 Et de filiis Levitarum, Jozabed, & Semei,& Celaia, ipſe eſt Calita, Phataia, Juda, & Eliezer.

24 Et de cantoribus, Eliaſib. Et de janitoribus, Sellum, & Telem, & Uri.

25 Et ex Iſraël, de filiis Pharos, Remeia, & Jezia, & Melchia, & Miamin,& Eliezer, & Melchia, & Banea.

26 Et de filiis Ælam, Mathania, Zacharias, & D Jehiel,& Abdi, & Jerimoth, & Elia.

27 Et de filiis Zethua, Elioënai,Eliaſib, Mathania, & Jerimuth, & Zabad, & Aziza.

28 Et de filiis Bebai, Johanan,Hanania,Zabbai, Athalai.

29 Et de filiis Bani, Moſollam, & Melluch, & Adia, Jaſub,& Saal,& Ramoth.

30 Et de filiis Phahath Moab, Edna, & Chalal, Banaias, & Maaſias, Mathanias, Beſeleel, Bennui, & Manaſſe.

31 Et de filiis Herem, Elieżer, Joſue,Melchias, Semeias, Simeon,

32 Benjamin, Maloch, Samarias.

33 Et de filiis Haſom, Mathanai, Mathatha, Zabad, Eliphelet, Jermai, Manaſſe, Semei.

34 De filiis Bani, Maaddi, Amram, & Vel,

35 Baneas, & Badaias, Cheliau,

36 Vania, Marimuth, & Eliaſib,

37 Mathanias, Mathanai, & Jaſi,

38 Et Bani, & Bennui, Semei,

39 Et Salmias, & Nathan, & Adaias,

40 Et Mechnedebai, Siſai, Sarai,

41 Ezrel, & Selemiau, Semeria,

42 Sellum, Amaria, Joſeph.

43 De filiis Nebo, Jehiel, Mathathias, Zabad, Zabina, Jeddu, & Joël, & Banaia.

44 Omnes hi acceperant uxores alienigenas,& fuerunt ex eis mulieres, quæ pepererant filios.

LIBER NEHEMIÆ, QUI ET ESDRÆ SECUNDUS DICITUR.

Caput Primum.

Nehemias Artaxerxis pincerna, audita Iudæorum qui à captivitate reſidui erant afflictione,flet,ac multis diebus jejunat, populi peccata confitens,& miſericordiam à Deo petens.

A 1 Erba Nehemiæ filij Helchiæ. Et factum eſt in menſe Caſleu, anno vigeſimo, & ego eram in Suſis caſtro.

2 Et venit Hanani unus de fratribus meis, ipſe & viri ex Juda: & interrogavi eos de Judæis, qui remanſerant & ſupererant de captivitate, & Jeruſalem.

3 Et dixerunt mihi: Qui remanſerunt, & reliqui ſunt de captivitate ibi in provincia,in afflictione magna ſunt, & in opprobrio: & murus Jeruſalem diſſipatus eſt, & portæ ejus combuſtæ ſunt igni. B

4 Cúm

Universidad de Deusto
Biblioteca
*Dan. 9. A. 4.

4 Cumque audissem verba hujuscemodi, sedi, & flevi, & luxi diebus multis: jejunabam, & orabam ante faciem Dei cæli.

5 Et dixi: * Quæso Domine Deus cæli fortis, magne atque terribilis, qui custodis pactum & misericordiam cum his qui te diligunt, & custodiunt mandata tua.

6 Fiant aures tuæ auscultantes & oculi tui aperti, ut audias orationem servi tui, quam ego oro coram te hodie, nocte & die, pro filiis Israël servis tuis: & confiteor pro peccatis filiorum Israël, quibus peccaverunt tibi: ego & domus patris mei peccavimus,

7 Vanitate seducti sumus, & non custodivimus mandatum tuum, & ceremonias, & judicia, quæ præcepisti Moysi famulo tuo.

8 Memento verbi, quod mandasti Moysi servo tuo, dicens: Cùm transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos:

9 Et si revertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea; etiamsi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi ut habitaret nomen meum ibi.

10 Et ipsi servi tui, & populus tuus: quos redemisti in fortitudine tua magna, & in manu tua valida.

11 Obsecro Domine, sit auris tua attendens ad orationem servi tui, & ad orationem servorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum: & dirige servum tuum hodie, & da ei misericordiam ante virum hunc. ego enim eram pincerna regis.

Caput II.

Nehemias, impetratis à rege litteris, venit Ierosolymam, & ad murorum instaurationem hortatur.

1 Factum est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis regis: & vinum erat ante eum, & levavi vinum, & dedi regi: & eram quasi languidus ante faciem ejus.

2 Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus tristis est, cùm te ægrotum non videam? non est hoc frustrà, sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valdè, ac nimis.

3 Et dixi regi: Rex in æternum vive: quare non mœreat vultus meus, quia civitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, & portæ ejus combustæ sunt igni.

4 Et ait mihi rex: Pro qua re postulas? Et oravi Deum cæli,

5 Et dixi ad regem: Si videtur regi bonum, & si placet servus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Judæam, ad civitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam.

6 Dixitque mihi rex, & regina quæ sedebat juxta eum: Usque ad quod tempus erit iter tuum, & quando revertêris? & placuit ante vultum regis, & misit me: & constitui ei tempus.

7 Et dixi regi: Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans Flumen, ut traducant me, donec veniam in Judæam:

8 Et epistolam ad Asaph custodem saltus regis, ut det mihi ligna, ut tegere possim portas turris domus, & muros civitatis, & domum, quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex juxta manum Dei mei bonam mecum.

9 Et veni ad duces regionis trans Flumen, dedíque eis epistolas regis. Miserat autem rex mecum principes militum, & equites.

10 Et audierunt, Sanaballat Horonites, & Tobias servus Ammanites: & contristati sunt afflictione magna, quòd venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israël.

11 Et veni Jerusalem, & eram ibi tribus diebus,

12 Et surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicavi cuiquam quid Deus dedisset in corde meo ut facerem in Jerusalem, & jumentum non erat mecum, nisi animal, cui sedebam.

13 Et egressus sum per portam vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam stercoris, & considerabam murum Jerusalem dissipatum, & portas ejus consumptas igni.

14 Et transivi ad portam fontis, & ad aquæductum regis, & non erat locus jumento, cui sedebam, ut transiret.

15 Et ascendi per torrentem nocte, & considerabam murum, & reversus veni ad portam vallis, & redij.

16 Magistratus autem nesciebant quò abiissem, aut quid ego facerem: sed & Judæis & sacerdotibus, & optimatibus, & magistratibus, & reliquis qui faciebant opus, usque ad id loci nihil indicaveram.

17 Et dixi eis: Vos nostis afflictionem in qua sumus; quia Jerusalem deserta est, & portæ ejus consumptæ sunt igni: venite, & ædificemus muros Jerusalem, & non simus ultrà opprobrium.

18 Et indicavi eis manum Dei mei, quòd esset bona mecum, & verba regis, quæ locutus esset mihi, & aio: Surgamus, & ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono.

19 Audierunt autem, Sanaballat Horonites, & Tobias servus Ammanites, & Gosem Arabs, & subsannaverunt nos, & despexerunt, dixerúntque: Quæ est hæc res, quam facitis? numquid contra regem vos rebellatis?

20 Et reddidi eis sermonem, dixíque ad eos: Deus cæli ipse nos juvat, & nos servi ejus sumus: surgamus & ædificemus: vobis autem non est pars, & justitia, & memoria in Jerusalem.

Caput III.

Ierusalem in muris, turribus, ac portis, ædificatur à variis qui hic recensentur.

1 Et surrexit Eliasib sacerdos magnus, & fratres ejus sacerdotes, & ædificaverunt portam gregis: ipsi sanctificaverunt eam, & statuerunt valvas ejus, & usque ad turrim centum cubitorum sanctificaverunt eam usque ad turrim Hananeel.

2 Et juxta eum ædificaverunt viri Jericho: & juxta eum ædificavit Zachur filius Amri.

3 Portam autem piscium ædificaverunt filij Asnaa: ipsi texerunt eam, & statuerunt valvas ejus, & seras, & vectes. Et juxta eos ædificavit Marimuth filius Uriæ, filij Accus.

4 Et juxta eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, filij Mesezebel: & juxta eos ædificavit Sadoc filius Baana:

5 Et

5 Et juxta eos ædificaverunt Thecueni: optimates autem eorum non suppossuerunt colla sua in opere Domini sui.

6 Et portam veterem ædificaverunt, Joiada filius Phasea, & Mosollam filius Besodia: ipsi texerunt eam, & statuerunt valvas ejus, & seras, & vectes:

7 Et juxta eos ædificaverunt, Meltias Gabaonites, & Jadon Meronathites, viri de Gabaon & Maspha, pro duce qui erat in regione trans Flumen.

8 Et juxta eum ædificavit Eziel filius Araia aurifex: & juxta eum ædificavit Ananias filius pigmentarij: & dimiserunt Jerusalem usque ad murum plateæ latioris.

9 Et juxta eum ædificavit Raphaia filius Hur, princeps vici Jerusalem.

10 Et juxta eum ædificavit Jedaia filius Haromaph contra domum suam: & juxta eum ædificavit Hattus filius Hasebniæ.

11 Mediam partem vici ædificavit Melchias filius Herem, & Hasub filius Phahath Moab, & turrim furnorum.

12 Et juxta eum ædificavit Sellum filius Alohes princeps mediæ partis vici Jerusalē, ipse & filiæ ejus.

13 Et portam vallis ædificavit Hanun, & habitatores Zanoë: ipsi ædificaverunt eam, & statuerunt valvas ejus, & seras, & vectes, & mille cubitos in muro usque ad portam sterquilinij.

14 Et portam sterquilinij ædificavit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam: ipse ædificavit eam, & statuit valvas ejus, & seras, & vectes.

15 Et portam fontis ædificavit Sellum filius Cholhoza, princeps pagi Maspha: ipse ædificavit eam, & texit, & statuit valvas ejus, & seras, & vectes, & muros piscinæ Siloë in hortum regis, & usque ad gradus, qui descendunt de Civitate David.

16 Post eum ædificavit Nehemias filius Azboc, princeps dimidiæ partis vici Bethsur, usque contra sepulchrum David, & usque ad piscinam, quæ grandi opere constructa est, & usque ad domum fortium.

17 Post eum ædificaverunt Levitæ, Rehum filius Benni: Post eum ædificavit Hasebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo.

18 Post eum ædificaverunt fratres eorum, Bavai filius Enadad, princeps dimidiæ partis Ceilæ.

19 Et ædificavit juxta eum Azer filius Josue, princeps Maspha, mensuram secundam, contra ascensum firmissimi anguli.

20 Post eum in monte ædificavit Baruch filius Zachai mensuram secundam, ab angulo usque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni.

21 Post eum ædificavit Merimuth filius Uriæ filij Haccus, mensuram secundam, à porta domus Eliasib, donec extenderetur domus Eliasib.

22 Et post eum ædificaverunt sacerdotes, viri de campestribus Jordanis.

23 Post eum ædificavit Benjamin & Hasub contra domum suam: & post eum ædificavit Azarias filius Maasiæ filij Ananiæ contra domum suam.

24 Post eum ædificavit Bennui filius Henadad mensuram secundam, à domo Azariæ usque ad flexuram, & usque ad angulum.

25 Phalel filius Ozi contra flexuram & turrim, quæ eminet de domo regis excelsa, id est, in atrio carceris: post eum Phadaia filius Pharos.

26 Nathinæi autem habitabant in Ophel usque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim, quæ prominebat.

27 Post eum ædificaverunt Thecueni mensuram secundam è regione, à turre magna & eminente usque ad murum templi.

28 Sursum autem à porta equorum ædificaverunt sacerdotes, unusquisque contra domum suam.

29 Post eos ædificavit Sadoc filius Emmer contra domum suam. Et post eum ædificavit Semaia filius Secheniæ, custos portæ Orientalis.

30 Post eum ædificavit Hanania filius Selemiæ, & Hanun filius Seleph sextus, mensuram secundam: post eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, contra gazophylacium suum. Post eum ædificavit Melchias filius aurificis usque ad domum Nathinæorum, & scruta vendentium contra portam judicialem, & usque ad cœnaculum anguli.

31 Et inter cœnaculum anguli in porta gregis ædificaverunt aurifices & negotiatores.

Caput IV.

Adversantibus Sanaballat & Tobia cum ceteris gentibus, Judæi altera manu ædificant, altera gladium tenent; & Nehemia contra illorum subsannationes & insidias Deum orante opus perficitur.

1 Factum est autem, cùm audisset Sanaballat quòd ædificaremus murum, iratus est valdè: & motus nimis subsannavit Judæos.

2 Et dixit coram fratribus suis, & frequentia Samaritanorum: Quid Judæi faciunt imbecilles? Num dimittent eos gentes? Num sacrificabunt, & complebunt in una die? Numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt?

3 Sed & Tobias Ammanites proximus ejus, ait: Ædificent: si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum.

4 Audi Deus noster, quia facti sumus despectui converte opprobrium super caput eorum, & da eos in despectionem in terra captivitatis.

5 Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes.

6 Itaque ædificavimus murum, & conjunximus totum usque ad partem dimidiam: & provocatum est cor populi ad operandum.

7 Factum est autem, cùm audissent Sanaballat, & Tobias, & Arabes, & Ammanitæ, & Azotij, quòd obducta esset cicatrix muri Jerusalem, & quòd cœpissent interrupta concludi, irati sunt nimis.

8 Et congregati sunt omnes pariter, ut venirent, & pugnarent contra Jerusalem, & molirentur insidias.

9 Et oravimus Deum nostrum, & posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos.

10 Dixit autem Judas: Debilitata est fortitudo portantis, & humus nimia est, & nos non poterimus ædificare murum.

11 Et dixerunt hostes nostri: Ne sciant, & ignorent, donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & cessare faciamus opus.

12 Factum est autem, venientibus Judæis, qui habitabant juxta eos, & dicentibus nobis per decem vices, ex omnibus locis quibus venerant ad nos,

13 Statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis suis, & lanceis, & arcubus.

14 Et perspexi atque surrexi: & aio ad optimates & magistratus, & ad reliquam partem vulgi: Nolite timere à facie eorum. Domini magni & terribilis mementote, & pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris, & filiabus vestris, & uxoribus vestris, & domibus vestris.

15 Factum est autem, cùm audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis, dissipavit Deus consilium eorum. Et reversi sumus omnes ad muros, unusquisque ad opus suum.

16 Et factum est à die illa, media pars juvenum
D eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, & lanceæ, & scuta, & arcus, & loricæ, & principes post eos in omni domo Juda

17 Ædificantium in muro, & portantium onera, & imponentium: una manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium:

18 Ædificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes. Et ædificabant, & clangebant buccina juxta me.

19 Et dixi ad optimates, & ad magistratus, & ad reliquam partem vulgi: Opus grande est & latum, & nos separati sumus in muro procul alter ab altero:

20 In loco quocumque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos: Deus noster pugnabit pro nobis.

21 Et nos ipsi faciamus opus: & media pars nostrûm teneat lanceas, ab ascensu auroræ donec egrediantur astra.

22 In tempore quoque illo dixi populo: Unusquisque cum puero suo maneat in medio Jerusalem, & sint nobis vices per noctem, & diem, ad operandum.

23 Ego autem & fratres mei, & pueri mei, & custodes, qui erant post me, non deponebamus vestimenta nostra: unusquisque tantùm nudabatur ad baptismum.

Caput V.

In magna fame Nehemias divites avaros increpat, usuráſque prohibet, sua indigentibus sponte elargiens.

A 1 ET factus est clamor populi & uxorum ejus magnus, adversus fratres suos Judæos.

2 Et erant qui dicerent: Filij nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & vivamus.

3 Et erant qui dicerent: Agros nostros, & vineas, & domos nostras opponamus, & accipiamus frumentum in fame.

4 Et alij dicebant: Mutuò sumamus pecunias in tributa regis, demúsque agros nostros & vineas:

5 Et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt: & sicut filij eorum, ita & filij nostri. Ecce nos subjugamus filios nostros & filias nostras in servitutem, & de filiabus nostris sunt famulæ, nec habemus unde possint redimi, & agros nostros, & vineas nostras alij possident.

6 Et iratus sum nimis cùm audissem clamorem eorum secundùm verba hæc:

7 Cogitavítque cor meum mecum: & increpavi optimates & magistratus, & dixi eis: Usurásne singuli à fratribus vestris exigitis? Et congregavi adversum eos concionem magnam, B

8 Et dixi eis: Nos, ut scitis, redemimus fratres nostros Judæos, qui venditi fuerant gentibus, secundùm possibilitatem nostram, & vos igitur venditis fratres vestros, & redimemus eos? Et siluerunt, nec invenerunt quid responderent.

9 Dixíque ad eos: Non est bona res, quam facitis: quare non in timore Dei nostri ambulatis, ne exprobretur nobis à gentibus inimicis nostris?

10 Et ego, & fratres mei, & pueri mei, commodavimus plurimis pecuniam & frumentum: non repetamus in commune istud, æs alienum concedamus, quod debetur nobis.

11 Reddite eis hodie agros suos, & vineas suas, & oliveta sua, & domos suas: quin potiùs & centesimam pecuniæ, frumenti, vini, & olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis. C

12 Et dixerunt: Reddemus, & ab eis nihil quæremus: sícque faciemus ut loqueris. Et vocavi Sacerdotes, & adjuravi eos, ut facerent juxta quod dixeram.

13 Insuper excussi sinum meum, & dixi: Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleverit verbum istud, de domo sua, & de laboribus suis: sic excutiatur, & vacuus fiat. Et dixit universa multitudo: Amen. Et laudaverunt Deum. Fecit ergo populus sicut erat dictum.

14 A die autem illa, qua præceperat rex mihi ut essem dux in terra Juda, ab anno vigesimo usque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis regis, per annos duodecim, ego & fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus.

15 Duces autem primi, qui fuerant ante me, gravaverunt populum, & acceperunt ab eis, in pane D & vino, & pecunia, quotidie siclos quadraginta: sed & ministri eorum depresserunt populum. Ego autem non feci ita propter timorem Dei:

16 Quin potiùs in opere muri ædificavi, & agrum non emi, & omnes pueri mei congregati ad opus erant.

17 Judæi quoque & magistratus, centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos de gentibus quæ in circuitu nostro sunt, in mensa mea erant.

18 Parabatur autem mihi per dies singulos bos unus, arietes sex electi, exceptis volatilibus, & inter dies decem vina diversa, & alia multa tribuebam: insuper & annonas ducatus mei non quæsivi: valdè enim attenuatus erat populus.

19 Memento mei Deus meus in bonum, secundùm omnia quæ feci populo huic.

Caput VI.

Sanaballat cum sociis Iudæis ad fœdus insidiosis litteris invitans, ac sic ædificationem impedire nitens, non terret, nec immutat propositum Nehemiæ: completóque muro, timuerunt omnes finitimæ gentes.

1 FActum est autem, cùm audissent Sanaballat, A & Tobias, & Gossem Arabs, & ceteri inimici nostri, quòd ædificassem ego murum, & non esset in

in ipso residua interruptio (usque ad tempus autem illud valvas non posueram in portis.)

2 Miserunt Sanaballat & Gossem ad me, dicentes: Veni, & percutiamus fœdus pariter in viculis in Campo Ono. Ipsi autem cogitabant ut facerent mihi malum.

3 Misi ergo ad eos nuntios, dicens: Opus grande ego facio, & non possum descendere: ne fortè negligatur, cùm venero & descendero ad vos.

4 Miserunt autem ad me secundùm verbum hoc per quattuor vices: & respondi eis juxta sermonem priorem.

B 5 Et misit ad me Sanaballat juxta verbum prius quinta vice puerum suum, & epistolam habebat in manu sua scriptam hoc modo:

6 In gentibus auditum est, & Gossem dixit, quòd tu & Judæi cogitetis rebellare, & propterea ædifices murum, & levare te velis super eos regem: propter quam causam,

7 Et prophetas posueris, qui prædicent de te in Jerusalem, dicentes: Rex in Judæa est. Auditurus est rex verba hæc: idcircò nunc veni, ut ineamus consilium pariter.

8 Et misi ad eos, dicens: Non est factum secundùm verba hæc, quæ tu loqueris: de corde enim tuo tu componis hæc.

9 Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quòd cessarent manus nostræ ab opere, & quiescemus. Quam ob causam magis confortavi manus meas:

10 Et ingressus sum domum Semaiæ filij Dalaiæ filij Metabeel secretò. Qui ait: Tractemus nobiscum in domo Dei in medio templi, & claudamus portas ædis: quia venturi sunt ut interficiant te, & nocte venturi sunt ad occidendum te. C

11 Et dixi: Num quisquam similis mei fugit? & quis ut ego ingredietur templum, & vivet? non ingrediar.

12 Et intellexi quòd Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, & Tobias, & Sanaballat conduxissent eum.

13 Acceperat enim pretium, ut territus facerem, & peccarem, & haberent malum, quod exprobrarent mihi.

14 Memento mei Domine pro Tobia & Sanaballat, juxta opera eorum talia: sed & Noadiæ prophetæ, & ceterorum prophetarum, qui terrebant me.

15 Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul, quinquaginta duobus diebus. D

16 Factum est ergo cùm audissent omnes inimici nostri, ut timerent universæ gentes, quæ erant in circuitu nostro, & conciderent intra semetipsos, & scirent quòd à Deo factum esset opus hoc.

17 Sed & in diebus illis, multæ optimatum Judæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, & à Tobia veniebant ad eos.

18 Multi enim erant in Judæa habentes juramentum ejus, quia gener erat Secheniæ filij Area, & Johanan filius ejus acceperat filiam Mosollam filij Barachiæ:

19 Sed & laudabant eum coram me, & verba mea nuntiabant ei: & Tobias mittebat epistolas ut terreret me.

Caput VII.

Per Nehemiam constituuntur custodes in Ierusalem: deinde convocato populo recensentur hi qui primum ascenderant Ierusalem, una cum jumentis ipsorum; dantúrque munera ad opus ædificationis.

1 POstquam autem ædificatus est murus, & posui valvas, & recensui janitores, & cantores, & Levitas: A Eccl. 49. d. 15.

2 Præcepi Hanani fratri meo, & Hananiæ principi domus de Jerusalem (ipse enim quasi vir verax & timens Deum plus ceteris videbatur.)

3 Et dixi eis: Non aperiantur portæ Jerusalem usque ad calorem solis. Cúmque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt, & oppilatæ: & posui custodes de habitatoribus Jerusalem, singulos per vices suas, & unumquemque contra domum suam.

4 Civitas autem erat lata nimis & grandis, & populus parvus in medio ejus, & non erant domus ædificatæ.

5 Deus autem dedit in corde meo, & congregavi optimates, & magistratus, & vulgus, ut recenserem eos: & inveni librũ census eorum, qui ascenderant primùm, & inventum est scriptum in eo.

6 *Isti filij provinciæ, qui ascenderunt de captivitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis, & reversi sunt in Jerusalem, & in Judæam unusquisque in civitatem suam. *1. Esdr. 2. a. 1. B

7 Qui venerunt cum Zorobabel, Josue, Nehemias, Azarias, Raamias, Nahamani, Mardochæus, Belsam, Mespharath, Begoai, Nahum, Baana. Numerus virorum populi Israël:

8 Filij Pharos, duo millia centũ septuaginta duo:

9 Filij Saphatia, trecenti septuaginta duo:

10 Filij Area, sexcenti quinquaginta duo:

11 Filij Phahathmoab filiorum Josue & Joab, duo millia octingenti decem & octo:

12 Filij Ælam, mille ducenti quinquaginta quattuor.

13 Filij Zethua, octingenti quadragintaquinque:

14 Filij Zachai, septingenti sexaginta:

15 Filij Bannui, sexcenti quadraginta octo: C

16 Filij Bebai, sexcenti viginti octo:

17 Filij Azgad, duo millia trecenti viginti duo:

18 Filij Adonicam, sexcenti sexaginta septem:

Filij Beguai, duo millia sexaginta septem:

19 Filij Adin, sexcenti quinquaginta quinque:

20 Filij Ater, filij Hezeciæ, nonaginta octo:

21 Filij Hasem, trecenti viginti octo:

22 Filij Besai, trecenti viginti quattuor:

23 Filij Hareph, centum duodecim:

24 Filij Gabaon, nonagintaquinque:

25 Filij Bethlehem & Netupha, centum octoginta octo.

26 Viri Anathoth, centum viginti octo.

27 Viri Bethazmoth, quadraginta duo.

28 Viri Cariathiarim, Cephira, & Beroth, septingenti quadraginta tres.

29 Viri Rama & Geba, sexcenti vigintiunus. D

30 Viri Machmas, centum viginti duo.

31 Viri Bethel & Hai, centum viginti tres.

32 Viri Nebo alterius, quinquagintaduo.

33 Viri Ælam alterius, mille ducenti quinquagintaquattuor.

34 Filij Harem, trecenti viginti.

35 Filij Jericho, trecenti quadraginta quinque.
36 Filij Lod Hadid & Ono, ſeptingenti viginti unus.
37 Filij Senaa, tria millia nongenti triginta.
38 Sacerdotes: Filij Idaia in domo Joſue, nongenti ſeptuagintatres.
39 Filij Emmer, mille quinquaginta duo.
40 Filij Phaſhur mille ducenti quadraginta ſeptẽ.
41 Filij Arem, mille decem & ſeptem.
42 Levitæ:
43 Filij Joſue & Cedmihel filiorum.
44 Oduiæ, ſeptuagintaquattuor. Cantores:
E 45 Filij Aſaph, centum quadragintaocto.
46 Janitores: Filij Sellum, filij Ater, filij Telmon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobai: centum trigintaocto.
47 Nathinæi: filij Soha, filij Haſupha, filij Tebbaoth,
48 Filij Ceros, filij Siaa, filij Phadon, filij Lebana, filij Hagaba, filij Selmai,
49 Filij Anan, filij Geddel, filij Gaher,
50 Filij Raaia, filij Raſin, filij Necoda,
51 Filij Gezen, filij Aza, filij Phaſea,
52 Filij Beſai, filij Munim, filij Nephuſſim,
53 Filij Bacbuc, filij Hacupha, filij Harhur,
54 Filij Beſloth, filij Mahida, filij Harſa,
55 Filij Bercos, filij Siſara, filij Thema,
56 Filij Naſia, filij Hatipha,
57 Filij ſervorum Salomonis, filij Sothai, filij Sophereth, filij Pharida,
58 Filij Jahala, filij Darcon, filij Jeddel,
59 Filij Saphatia, filij Hatil, filij Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim, filio Amon.
60 Omnes Nathinæi, & filij ſervorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.
61 Hi ſunt autem, qui aſcenderunt de Thelmela, Thelharſa, Cherub, Addon, & Emmer: & non potuerunt indicare domum patrum ſuorum, & ſemen ſuum, utrùm ex Iſraël eſſent.
F 62 Filij Dalaia, filij Tobia, filij Necoda, ſexcenti quadraginta duo.
63 Et de Sacerdotibus, filij Habia, filij Accos, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis uxorem: & vocatus eſt nomine eorum.
64 Hi quæſierunt ſcripturam ſuam in cenſu, & non invenerunt: & ejecti ſunt de ſacerdotio.
65 Dixitque Atherſatha eis ut non manducarent de Sanctis ſanctorum, donec ſtaret Sacerdos doctus & eruditus.
66 Omnis multitudo quaſi vir unus, quadragintaduo millia trecenti ſexaginta,
67 Abſque ſervis & ancillis eorum, qui erant ſeptem millia trecenti trigintaſeptem, & inter eos cantores, & cãtatrices, ducẽti quadragintaquinque
68 Equi eorum, ſeptingenti triginta ſex: muli eorum, ducenti quadragintaquinque:
69 Cameli eorum, quadringenti trigintaquinque, aſini, ſex millia ſeptingenti viginti.

Hucuſque refertur quid in commentario ſcriptum fuerit, exin Nehemiæ hiſtoria texitur.

G 70 Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Atherſatha dedit in theſaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas ſacerdotales quingentas triginta.
71 Et de principibus familiarum dederunt in theſaurum operis, auri drachmas viginti millia, & argenti mnas duo millia ducentas.
72 Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia, & argenti mnas duo millia, & tunicas ſacerdotales ſexaginta ſeptem.
73 Habitaverunt autem Sacerdotes, & Levitæ, & janitores, & cantores, & reliquum vulgus, & Nathinæi, & omnis Iſraël, in civitatibus ſuis.

CAPUT VIII.

Eſdras diſtinctè populo verba Legis recitat, facto per Levitas ſilentio, & contriſtatum populum Nehemias conſolatur, allatiſque frondibus celebrant ſeptem diebus feſtum tabernaculorum; legente ſingulis diebus Eſdra in libro Legis.

1 ET venerat menſis ſeptimus: filij autem Iſraël erant in civitatibus ſuis. Congregatúſque eſt A
omnis populus quaſi vir unus, ad plateam quæ eſt ante portam aquarum: & dixerunt Eſdræ ſcribæ ut afferret librum legis Moyſi, quam præceperat Dominus Iſraëli.
2 Attulit ergo Eſdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctiſque qui poterant intelligere, in die prima menſis ſeptimi.
3 Et legit in eo apertè in platea, quæ erat ante portam aquarum, de manè uſque ad mediam diem, in conſpectu virorum & mulierum & ſapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad Librum.
4 Stetit autem Eſdras ſcriba ſuper gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum: & ſteterunt B
juxta eum, Mathathias, & Semeia, & Ania, & Uria, & Helcia, & Maaſia, ad dexteram ejus: & ad ſiniſtram, Phadaia, Miſaël, & Melchia, & Haſum, & Hasbadana, Zacharia, & Moſollam.
5 Et aperuit Eſdras librum coram omni populo: ſuper univerſum quippe populum eminebat: & cùm aperuiſſet eum, ſtetit omnis populus.
6 Et benedixit Eſdras Domino Deo magno: & reſpondit omnis populus: Amen, Amen: elevans manus ſuas, & incurvati ſunt, & adoraverunt Deum proni in terram.
7 Porrò Joſue, & Bani, & Serebia, Jamin, Accub, Septhai, Odia, Maaſia, Celitha, Azarias, Jozabed, Hanan, Phalaia, Levitæ, ſilentium faciebant in populo ad audiendam legem: populus autem ſtabat in gradu ſuo.
8 Et legerunt in Libro legis Dei diſtinctè, & apertè ad intelligendum: & intellexerunt cùm legeretur. C
9 Dixit autem Nehemias (ipſe eſt Atherſatha) & Eſdras ſacerdos & ſcriba, & Levitæ interpretantes univerſo populo: Dies ſanctificatus eſt Domino Deo noſtro, nolite lugere, & nolite flere. Flebat enim omnis populus cùm audiret verba legis.
10 Et dixit eis: Ite, comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his qui non præparaverũt ſibi: quia ſanctus dies Domini eſt, & nolite contriſtari: gaudium etenim Domini eſt fortitudo noſtra.
11 Levitæ autem ſilentium faciebant in omni populo, dicentes: Tacete, quia dies ſanctus eſt, & nolite dolere.
12 Abiit itaque omnis populus, ut comederet & biberet, & mitteret partes, & faceret lætitiam magnam: quia intellexerant verba, quæ docuerat eos.
13 Et in die ſecundo congregati ſunt principes familiarum

familiarum univerſi populi, Sacerdotes & Levitæ, D
ad Eſdram ſcribã, ut interpretaretur eis verba Legis.
14 Et invenerunt ſcriptum in Lege, præcepiſſe Dominum in manu Moyſi, ut habitent filij Iſraël in tabernaculis, in die ſollemni, menſe ſeptimo:
15 Et ut prædicent, & divulgent vocem in univerſis urbibus ſuis, & in Jeruſalem, dicentes: Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi, ut fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt.
16 Et egreſſus eſt populus, & attulerunt. Feceruntque ſibi tabernacula unuſquiſque in domate ſuo, & in atriis ſuis, & in atriis domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim.
17 Fecit ergo univerſa Eccleſia eorum qui redierant de captivitate, tabernacula, & habitaverunt in tabernaculis: non enim fecerant à diebus Joſue filij Nun taliter filij Iſraël uſque ad diem illum. Et fuit lætitia magna nimis.
18 Legit autem in Libro legis Dei per dies ſingulos, à die primo uſque ad diem noviſſimum. & fecerunt ſollemnitatem ſeptem diebus, & in die octavo collectam juxta ritum.

CAPUT IX.

Populus in jejunio & ſaccis pœnitens ſeparat ſe ab alienigenis: Levitæ confitentur Dei beneficia, Iſraëlitarúmque ſcelera, & pro populo orant, ac ita fœdus cum Domino feriunt.

A 1 IN die autem vigeſimoquarto menſis hujus, convenerunt filij Iſraël in jejunio & in ſaccis, & humus ſuper eos.
2 Et ſeparatum eſt ſemen filiorum Iſraël ab omni filio alienigena: & ſteterunt, & confitebantur peccata ſua, & iniquitates patrum ſuorum.
3 Et conſurrexerunt ad ſtandum: & legerunt in volumine legis Domini Dei ſui, quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum ſuum.
4 Surrexerunt autem ſuper gradum Levitarum, Joſue, & Bani, & Cedmihel, Sabania, Bonni, Sarebias, Bani, & Canani: & clamaverunt voce magna ad Dominum Deum ſuum.
5 Et dixerunt Levitæ, Joſue, & Cedmihel, Bonni, Haſebnia, Serebia, Odaia, Sebnia, Phatahia: Surgite, benedicite Domino Deo veſtro ab æterno uſque in æternum: & benedicant nomini gloriæ tuæ excelſo in omni benedictione & laude.
B 6 Tu ipſe Domine, ſolus, tu feciſti cælum, & cælum cælorum, & omnem exercitum eorum: terram, & univerſa quæ in ea ſunt: maria, & omnia quæ in eis ſunt: & tu vivificas omnia hæc, & exercitus cæli te adorat.
7 Tu ipſe, Domine Deus, qui elegiſti Abram,
*Gen. 11. d. 31. & * eduxiſti eum de igne Chaldæorum, & poſuiſti nomen ejus Abraham.
8 Et inveniſti cor ejus fidele coram te: & percuſſiſti cum eo fœdus, ut dares ei Terram Chananæi, Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Jebuſæi, & Gergeſæi, ut dares ſemini ejus: & impleſti verba tua, quoniam juſtus es.
9 Et vidiſti afflictionem patrum noſtrorum in Ægypto: clamorémque eorum audiſti ſuper Mare rubrum.
10 Et dediſti ſigna atque portenta in Pharaone, & in univerſis ſervis ejus, & in omni populo terræ illius: cognoviſti enim quia ſuperbè egerant contra eos: & feciſti tibi nomen, ſicut & in hac die.
11 Et mare diviſiſti ante eos, & tranſierunt per medium maris in ſicco: perſecutores autem eorum projeciſti in profundum, quaſi lapidem in aquas validas.
12 Et in columna nubis ductor eorum fuiſti per C
diem, & in columna ignis per noctem, ut appareret eis via, per quam ingrediebantur.
13 Ad montem quoque Sinai deſcendiſti, & locutus es cum eis de cælo, & dediſti eis judicia recta, & legẽ veritatis, ceremonias, & præcepta bona:
14 Et ſabbatum ſanctificatum tuum oſtendiſti eis, & mandata, & ceremonias, & legem præcepiſti eis, in manu Moyſi ſervi tui.
15 Panem quoque de cælo dediſti eis in fame eorum, & aquam de petra eduxiſti eis ſitientibus, & dixiſti eis ut ingrederentur & poſſiderent terrã, ſuper quam levaſti manum tuam, ut traderes eis.
16 Ipſi verò & patres noſtri ſuperbè egerunt, & induraverunt cervices ſuas, & non audierunt mandata tua.
17 Et noluerunt audire, & non ſunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis. Et induraverunt cervices ſuas, & dederunt caput ut converterentur ad ſervitutem ſuam, quaſi per contentionem. D
Tu autem Deus propitius, clemens & miſericors, longanimis & multæ miſerationis, non dereliquiſti eos,
18 Et quidem cùm feciſſent ſibi vitulum conflatilem, & dixiſſent: iſte eſt Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto: fecerúntque blaſphemias magnas.
19 Tu autem in miſericordiis tuis multis non dimiſiſti eos in deſerto: columna nubis non receſſit ab eis per diem, ut duceret eos in viam, & columna ignis per noctem, ut oſtenderet eis iter per quod ingrederentur.
20 Et ſpiritum tuum bonum dediſti qui doceret eos, & manna tuum non prohibuiſti ab ore eorum, & aquam dediſti eis in ſiti.
21 Quadraginta annis paviſti eos in deſerto, nihílque eis defuit: veſtimenta eorum non inveteraverunt, & pedes eorum non ſunt attriti.
22 Et dediſti eis regna, & populos, & partitus es eis ſortes: & poſſederunt terram Sehon, & terram regis Heſebon, & terram Og regis Baſan.
23 Et multiplicaſti filios eorum ſicut ſtellas cæli, & adduxiſti eos ad terram, de qua dixeras patribus eorum ut ingrederentur & poſſiderent.
24 Et venerunt filij, & poſſederunt terram, & humiliaſti coram eis habitatores terræ Chananæos, & dediſti eos in manu eorum, & reges eorum & populos terræ, ut facerent eis ſicut placebat illis. E
25 Ceperunt itaque urbes munitas, & humum pinguem, & poſſederunt domos plenas cunctis bonis; ciſternas ab aliis fabricatas, vineas, & oliveta, & ligna pomifera multa: & comederunt, & ſaturati ſunt, & impinguati ſunt, & abundaverunt deliciis in bonitate tua magna.
26 Provocaverunt autem te ad iracundiam, & receſſerunt à te, & projecerunt legem tuam poſt terga ſua: & prophetas tuos occiderunt, qui con-

testábantur eos ut reverterentur ad te : fecerúntque blasphemias grandes.

27 Et dedisti eos in manu hostium suorum, & afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, & tu de cælo audisti, & secundùm miserationes tuas multas dedisti eis salvatores, qui salvarent eos de manu hostium suorum.

28 Cúmque requievissent, reversi sunt ut facerent malum in conspectu tuo: & dereliquisti eos in manu inimicorum suorum, & possederunt eos. Conversíque sunt, & clamaverunt ad te: tu autem de cælo exaudisti, & liberasti eos in misericordiis tuis, multis temporibus.

29 Et contestatus es eos ut reverterentur ad Legem tuam. Ipsi verò superbè egerunt, & non audierunt mandata tua, & in judiciis tuis peccaverunt, quæ faciet homo, & vivet in eis: & dederunt humerum recedentem, & cervicem suam induraverunt, nec audierunt.

30 Et protraxisti super eos annos multos, & contestatus es eos in spiritu tuo per manum prophetarum tuorum: & non audierunt, & tradidisti eos in manu populorum terrarum.

31 In misericordiis autem tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem, nec dereliquisti eos: quoniam Deus miserationum, & clemens es tu.

32 Nunc itaque Deus noster magne, fortis, & terribilis, custodiens pactum & misericordiam, ne avertas à facie tua omnem labórem, qui invenit nos, reges nostros, & principes nostros, & sacerdotes nostros, & prophetas nostros, & patres nostros, & omnem populum tuum, à diebus regis Assur usque in diem hanc.

33 Et tu justus es in omnibus, quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti, nos autem impiè egimus.

34 Reges nostri, principes nostri, sacerdotes nostri, & patres nostri, non fecerunt legem tuam, & non attenderunt mandata tua, & testimonia tua quæ testificatus es in eis.

35 Et ipsi in regnis suis, & in bonitate tua multa, quam dederas eis, & in terra latissima & pingui, quam tradideras in conspectu eorum, non servierunt tibi, nec reversi sunt à studiis suis pessimis.

36 Ecce nos ipsi hodie servi sumus: & terra, quam dedisti patribus nostris ut comederent panem ejus, & quæ bona sunt ejus, & nos ipsi servi sumus in ea.

37 Et fruges ejus multiplicantur regibus, quos posuisti super nos propter peccata nostra, & corporibus nostris dominantur, & jumentis nostris secundùm voluntatem suam, & in tribulatione magna sumus.

38 Super omnibus ergo his nos ipsi percutimus fœdus, & scribimus, & signant principes nostri, Levitæ nostri, & Sacerdotes nostri.

Caput X.

Designantur qui fœdus initum signarunt, quo pollicentur se servaturos universa Dei præcepta, maximè de non commiscendo cum alienigenis, de servandis sabbato, anno septimo, oblationibus, primitiis ac decimis.

1 Signatores autem fuerunt, Nehemias, Athersatha filius Hachelai, & Sedecias,
2 Saraias, Azarias, Jeremias,
3 Pheshur, Amarias, Melchias,
4 Hattus, Sebenia, Melluch,
5 Harem, Merimuth, Obdias,
6 Daniel, Genthon, Baruch,
7 Mosollam, Abia, Miamin,
8 Maazia, Belgai, Semeia: hi Sacerdotes.
9 Porrò Levitæ, Josue filius Azaniæ, Bennui de filiis Henadad, Cedmihel,
10 Et fratres eorum, Sebenia, Odaia, Celita, Phalaia, Hanan,
11 Micha, Rohob, Hasebia,
12 Zachur, Serebeia, Sabania,
13 Odaia, Bani, Baninu.
14 Capita populi, Pharos, Phahathmoab, Aelam, Zethu, Bani,
15 Bonni, Azgad, Bebai,
16 Adonia, Begoai, Adin,
17 Ater, Hezecia, Azur,
18 Odaia, Hasum, Besai.
19 Hareph, Anathoth, Nebai,
20 Megphias, Mosollam, Hazir,
21 Mesizabel, Sadoc, Jeddua,
22 Pheltia, Hanan, Anaia,
23 Osee, Hanania, Hasub,
24 Alohes, Phalea, Sobec,
25 Rehum, Hasebna, Maasia,
26 Echaia, Hanan, Anan,
27 Melluch, Haran, Baana:
28 Et reliqui de populo, Sacerdotes, Levitæ, janitores, & cantores, Nathinæi, & omnes qui se separaverunt de populis terrarum ad legem Dei, uxores eorum, filij eorum, & filiæ eorum.
29 Omnes qui poterant sapere spondentes pro fratribus suis, optimates eorum, & qui veniebant ad pollicendum & jurandum ut ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moysi servi Dei, ut facerent & custodirent universa mandata Domini Dei nostri, & judicia ejus & ceremonias ejus.
30 Et ut non daremus filias nostras populo terræ, & filias eorum non acciperemus filiis nostris.
31 Populi quoque terræ, qui important venalia, & omnia ad usum per diem sabbati ut vendant, non accipiemus ab eis in sabbato & in die sanctificato. Et dimittemus annum septimum, & exactionem universæ manus.
32 Et statuemus super nos præcepta, ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri,
33 Ad panes propositionis, & ad sacrificium sempiternum, & in holocaustum sempiternum in sabbatis, in calendis, in sollemnitatibus, & in sanctificatis, & pro peccato: ut exoretur pro Israël, & in omnem usum domus Dei nostri.
34 Sortes ergo misimus super oblationem lignorum, inter Sacerdotes, & Levitas, & populum, ut inferrentur in domum Dei nostri per domos patrũ nostrorum, per tempora, à temporibus anni usque ad annum: ut arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi:
35 Et ut afferremus primogenita terræ nostræ, & primitiva universi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini.
36 Et primitiva filiorum nostrorum, & pecorum nostrorum,

nostrorum, sicut scriptum est in lege, & primitiva boum nostrorum, & ovium nostrarum, ut offerrentur in domo Dei nostri, Sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri:
37 Et primitias ciborum nostrorum, & libaminum nostrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque & olei, afferemus Sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, & decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum.
38 Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, & Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri, ad gazophylacium in domum thesauri.
39 Ad gazophylacium enim deportabunt filij Israël, & filij Levi, primitias frumenti, vini, & olei: & ibi erunt vasa sanctificata, & Sacerdotes, & cantores, & janitores, & ministri, & non dimittemus domum Dei nostri.

Caput XI.

Recensentur incolæ Jerusalem & civitatum Juda post instauration em.

1 Habitaverunt autem principes populi in Jerusalem: reliqua verò plebs misit sortem, ut tollerent unam partem de decem, qui habitaturi essent in Jerusalem civitate sancta, novem verò partes in civitatibus.
2 Benedixit autem populus omnibus viris qui se sponte obtulerant ut habitarent in Jerusalem.
3 Hi sunt itaque principes provinciæ, qui habitaverunt in Jerusalem, & in civitatibus Juda. Habitavit autem unusquisque in possessione sua, in urbibus suis, Israël, Sacerdotes, Levitæ, Nathinæi, & filij servorum Salomonis.
4 Et in Jerusalem habitaverunt de filiis Juda, & de filiis Benjamin: de filiis Juda, Athaias filius Aziam, filij Zachariæ, filij Amariæ, filij Saphatiæ, filij Malaleel: de filiis Phares,
5 Maasia filius Baruch, filius Cholhoza, filius Hazia, filius Adaia, filius Joiarib, filius Zachariæ, filius Silonitis:
6 Omnes hi filij Phares, qui habitaverunt in Jerusalem, quadringenti sexagintaocto viri fortes.
7 Hi sunt autem filij Benjamin: Sellum filius Mosollam, filius Joed, filius Phadaia, filius Colaia, filius Masia, filius Etheel, filius Isaia,
8 Et post eum Gebbai, Sellai, nongenti viginti octo,
9 Et Joël filius Zechri præpositus eorum, & Judas filius Senua super civitatem secundus.
10 Et de sacerdotibus, Idaia filius Joarib, Jachin,
11 Saraia filius Helciæ, filius Mosollam, filius Sadoc, filius Meraioth, filius Achitob princeps domus Dei,
12 Et fratres eorum facientes opera templi: octingenti viginti duo. Et Adaia filius Jeroham, filius Phelelia, filius Amsi, filius Zachariæ, filius Pheshur, filius Melchiæ,
13 Et fratres ejus principes patrum: ducenti quadraginta duo. Et Amassai filius Azreel, filius Ahazi, filius Mosollamoth, filius Emmer,
14 Et fratres eorum potentes nimis: centum viginti octo, & præpositus eorum Zabdiel filius potentium.
15 Et de Levitis Semeia filius Hasub, filius Azaricam, filius Hasabia, filius Boni,
16 Et Sabathai & Jozabed, super omnia opera, quæ erant forinsecus in domo Dei, à principibus Levitarum.
17 Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Asaph, princeps ad laudandum & ad confitendum in oratione, & Becbecia secundus de fratribus ejus, & Abda filius Samua, filius Galal, filius Idithum:
18 Omnes Levitæ in civitate sancta ducenti octoginta quattuor.
19 Et janitores, Accub, Telmon, & fratres eorum, qui custodiebant ostia: centum septuaginta duo.
20 Et reliqui ex Israël Sacerdotes & Levitæ in universis civitatibus Juda, unusquisque in possessione sua.
21 Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel, & Siaha, & Gaspha de Nathinæis.
22 Et episcopus Levitarum in Jerusalem, Azzi filius Bani, filius Hasabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ. De filiis Asaph, cantores in ministerio domus Dei.
23 Præceptum quippe regis super eos erat, & ordo in cantoribus per dies singulos,
24 Et Phathahia filius Mesezebel, de filiis Zara filij Juda in manu regis, juxta omne verbum populi,
25 Et in domibus per omnes regiones eorum. De filiis Juda habitaverunt in Cariatharbe & in filiabus ejus: & in Dibon, & in filiabus ejus: & in Cabseel, & in viculis ejus,
26 Et in Jesue, & in Molada, & in Bethphaleth,
27 Et in Hasersual, & in Bersabee, & in filiabus ejus,
28 Et in Siceleg, & in Mochona, & in filiabus ejus,
29 Et in Remmon, & in Saraa, & in Jerimuth,
30 Zanoa, Odollam, & in villis earum, Lachis & regionibus ejus, & Azeca, & filiabus ejus. Et manserunt in Bersabee usque ad vallem Ennom.
31 Filij autem Benjamin, à Geba, Mechmas, & Hai, & Bethel, & filiabus ejus:
32 Anathoth, Nob, Anania,
33 Asor, Rama, Gethaim,
34 Hadid, Seboim, & Neballat, Lod.
35 Et Ono valle artificum.
36 Et de Levitis portiones Judæ & Benjamin.

Caput XII.

Nomina & officia Sacerdotum ac Levitarum qui cum Zorobabel in Jerusalem ascenderunt, & custodes thesaurorum magna sollemnitate convocatis undique Levitis celebrant dedicationem muri Jerusalem.

1 Hi sunt autem Sacerdotes & Levitæ, qui ascenderunt cum Zorobabel filio Salathiel, & Josue: Saraia, Jeremias, Esdras,
2 Amaria, Melluch, Hattus,
3 Sebenias, Rheum, Merimuth,
4 Addo, Genthon, Abia,
5 Miamin, Madia, Belga,
6 Semeia, & Joiarib, Idaia, Sellum, Amoc, Helcias,
7 Idaia. Isti principes Sacerdotum, & fratres eorum, in diebus Josue.
8 Porrò Levitæ, Jesua, Bennui, Cedmihel, Sarebia, Juda, Mathanias, super hymnos ipsi & fratres eorum,

9 Et Becbecia atque Hanni, & fratres eorum, unusquisque in officio suo.

10 Josue autem genuit Joacim, & Joacim genuit Eliasib, & Eliasib genuit Joiada,

11 Et Joiada genuit Jonathan, & Jonathan genuit Jeddoa.

12 In diebus autem Joacim erant Sacerdotes & principes familiarum: Saraiæ, Maraia: Jeremiæ, Hanania:

13 Esdræ, Mosollam: Amariæ, Johanan:

14 Milicho, Jonathan: Sebeniæ, Joseph:

15 Haram, Edna: Maraioth, Helci:

16 Adaiæ, Zacharia: Genthon, Mosollam:

17 Abiæ, Zechri: Miamin & Moadiæ, Phelti:

18 Belgæ, Sammua: Semaiæ, Jonathan:

19 Joiarib, Mathanai: Jodaiæ, Azzi:

20 Sellai, Celai: Amoc, Heber:

21 Helciæ, Hasebia: Idaiæ, Nathanaël.

B 22 Levitæ in diebus Eliasib, & Joiada, & Johanan, & Jeddoa, scripti principes familiarum, & Sacerdotes in regno Darij Persæ.

23 Filij Levi principes familiarum, scripti in Libro verborum dierum, & usque ad dies Jonathan, filij Eliasib.

24 Et principes Levitarum, Hasebia, Serebia, & Josue filius Cedmihel: & fratres eorum per vices suas, ut laudarent & confiterentur juxta præceptum David viri Dei, & observarent æquè per ordinem.

25 Mathania, & Becbecia, Obedia, Mosollam, Telmon, Accub, custodes portarum & vestibulorum ante portas,

26 Hi in diebus Joacim filij Josue filij Josedec, & in diebus Nehemiæ ducis, & Esdræ sacerdotis scribæque.

27 In dedicatione autem muri Jerusalem, requisierunt Levitas de omnibus locis suis, ut adducerent eos in Jerusalem, & facerent dedicationem & lætitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, psalteriis, & citharis.

28 Congregati sunt autem filij cantorum de campestribus circa Jerusalem, & de villis Nethuphati,

29 Et de domo Galgal, & de regionibus Geba & Azmaveth: quoniam villas ædificaverunt sibi cantores in circuitu Jerusalem.

C 30 Et mundati sunt Sacerdotes & Levitæ, & mundaverunt populum, & portas, & murum.

31 Ascendere autem feci principes Juda super murum, & statui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram super murum ad portam sterquilinij.

32 Et ivit post eos Osaias, & media pars principum Juda,

33 Et Azarias, Esdras, & Mosollam, Judas, & Benjamin, & Semeia, & Jeremias.

34 Et de filiis sacerdotum in tubis, Zacharias filius Jonathan, filius Semeiæ, filius Mathaniæ, filius Michaiæ, filius Zechur, filius Asaph,

35 Et fratres ejus, Semeia, & Azareel, Malalai, Galalai, Maai, Nathanaël, & Judas, & Hanani, in vasis cantici David viri Dei: & Esdras scriba ante eos in porta Fontis.

36 Et contra eos ascenderunt in gradibus Civitatis David, in ascensu muri super domum David, & usque ad portam Aquarum ad Orientem.

37 Et chorus secundus gratias referentium ibat ex adverso, & ego post eum, & media pars populi super murum & super turrim furnorum, & usque ad murum latissimum,

38 Et super portam Ephraim, & super portam antiquam, & super portam piscium & turrim Hananeel, & turrim Emath: & usque ad portam gregis: & steterunt in porta custodiæ,

39 Steterúntque duo chori laudantium in domo Dei, & ego, & dimidia pars magistratuum mecum.

40 Et Sacerdotes, Eliachim, Maasia, Miamin, D Michæa, Elioënai, Zacharia, Hanania in tubis,

41 Et Maasia, & Semeia, & Eleazar, & Azzi, & Johanan, & Melchia, & Ælam, & Ezer. Et clarè cecinerunt cantores, & Jezraia præpositus:

42 Et immolaverunt in die illa victimas magnas, & lætati sunt: Deus enim lætificaverat eos lætitia magna: sed & uxores eorum & liberi gavisi sunt, & audita est lætitia Jerusalem procul.

43 Recensuerunt quoque in die illa viros super gazophylacia thesauri ad libamina, & ad primitias, & ad decimas, ut introferrent per eos principes civitatis in decore gratiarum actionis, Sacerdotes & Levitas: quia lætificatus est Juda in Sacerdotibus & Levitis astantibus.

44 Et custodierunt observationem Dei sui, & observationē expiationis, & cantores, & janitores juxta præceptum David, & Salomonis filij ejus,

45 Quia in diebus David & Asaph ab exordio erant principes constituti cantorum, in carmine laudantium & confitentium Deo.

46 Et omnis Israël, in diebus Zorobabel, & in diebus Nehemiæ, dabant partes cantoribus & janitoribus per dies singulos, & sanctificabant Levitas, & Levitæ sanctificabant filios Aaron.

Caput XIII.

Lecto Deuteronomio ejiciuntur alienigenæ, partes Levitis assignantur, è quo tamen gazophylacio vasa domus Tobiæ projiciuntur, & sabbati violatores puniuntur: increpat Nehemias Iudæos qui uxores duxerant alienigenas.

1 IN die autem illo lectum est in volumine Moysi A audiente populo: & inventum est scriptum in Deut. eo, quòd non debeant introire Ammonites & 23. a. 3. Moabites in Ecclesiam Dei usque in æternum:

2 Eò quòd non occurrerint filiis Israël cum pane & aqua: & conduxerint adversum eos Balaam, ad maledicendum eis: & convertit Deus noster maledictionem in benedictionem.

3 Factum est autem, cùm audissent legem, separaverunt omnem alienigenam ab Israël.

4 Et super hoc erat Eliasib sacerdos, qui fuerat præpositus in gazophylacio domus Dei nostri, & proximus Tobiæ.

5 Fecit ergo sibi gazophylacium grande, & ibi erant ante eum reponentes munera, & thus, & vasa, & decimam frumenti, vini, & olei, partes Levitarum, & cantorum, & janitorum, & primitias sacerdotales.

6 In omnibus autē his non fui in Jerusalem, quia anno trigesimo secundo Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem, & in fine dierum rogavi regem.

7 Et veni in Jerusalem, & intellexi malum, quod

quod fecerat Eliasib Tobiæ, ut faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei.

B 8 Et malum mihi visum est valdè. Et projeci vasa domus Tobiæ foras de gazophylacio:

9 Præcepíque, & emundaverunt gazophylacia: & retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium, & thus.

10 Et cognovi quòd partes Levitarum non fuissent datæ: & fugisset unusquisque in regionem suam de Levitis, & cantoribus, & de his qui ministrabant:

11 Et egi causam adversus magistratus, & dixi: Quare dereliquimus domum Dei? Et congregavi eos, & feci stare in stationibus suis.

12 Et omnis Juda apportabat decimam frumenti, vini, & olei, in horrea.

13 Et constituimus super horrea Selemiam Sacerdotem, & Sadoc scribam, & Phadaiam de Levitis, & juxta eos Hanan filium Zachur, filium Mathaniæ: quoniam fideles comprobati sunt, & ipsis creditæ sunt partes fratrum suorum.

14 Memento mei Deus meus pro hoc, & ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in cæremoniis ejus.

15 In diebus illis vidi in Juda calcantes torcularia in sabbato, portantes acervos, & onerantes super asinos vinum, & uvas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Jerusalem die sabbati. Et contestatus sum, ut in die quà vendere liceret, venderent.

C 16 Et Tyrij habitaverunt in ea, inferentes pisces, & omnia venalia: & vendebant in sabbatis filiis Juda in Jerusalem:

17 Et objurgavi optimates Juda, & dixi eis: Quæ est hæc res mala quam vos facitis, & profanatis diem sabbati?

18 Numquid non hæc fecerunt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super civitatem hanc? Et vos additis iracundiam super Israël violando Sabbatum.

19 Factum est autem, cùm quievissent portæ Jerusalem in die Sabbati, dixi: & clausérunt januas, & præcepi ut non aperirent eas usque post Sabbatum: & de pueris meis constitui super portas ut nullus inferret onus in die Sabbati.

20 Et mansérunt negotiatores, & vendentes universa venalia, foris Jerusalem semel & bis.

21 Et contestatus sum eos, & dixi eis: Quare manetis ex adverso muri? si secundò hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in Sabbato.

22 Dixi quoque Levitis ut mundarentur, & venirent ad custodiendas portas, & sanctificandam diem Sabbati: & pro hoc ergo memento mei Deus meus: & parce mihi secundùm multitudinem miserationum tuarum. D

23 Sed & in diebus illis vidi Judæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas.

24 Et filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & nesciebant loqui Judaicè, & loquebantur juxta linguam populi & populi.

25 Et objurgavi eos, & maledixi. Et cecidi ex eis viros, & declamavi eos, & adjuravi in Deo, ut non darent filias suas filiis eorum, & non acciperent de filiabus eorum filiis suis: & sibimetipsis, dicens:

26 * Numquid non in hujuscemodi re peccavit Salomon rex Israël? & certè in gentibus multis non erat rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum Deus regem super omnem Israël: * & ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. *3 Reg. 3. a. 1. 11. a. 1. *3. Reg. 11. a. 4.

27 Numquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, ut prævaricemur in Deo nostro, & ducamus uxores peregrinas?

28 De filiis autem Joiada filia Eliasib Sacerdotis magni, gener erat Sanaballat Horonites, quem fugavi à me.

29 Recordare Domine Deus meus, adversum eos qui polluunt sacerdotium, júsque Sacerdotale & Leviticum.

30 Igitur mundavi eos ab omnibus alienigenis, & constitui ordines Sacerdotum & Levitarum, unumquemque in ministerio suo:

31 Et in oblatione lignorum in temporibus constitutis, & in primitivis: memento mei Deus meus in bonum. Amen.

LIBER TOBIÆ.

Caput Primum.

Tobias in captivitate constitutus, à lege Dei non recedit, & filium Tobiam ex Anna uxore susceptum Deum timere docet: gratus regi Salmanasar, pergit quocumque vult: confratres captivos consolatur: Gabelo mutuat decem argenti talenta: Sennacherib, quòd mortuos sepeliret, eum persequitur.

A 1 TOBIAS ex tribu & civitate Nephthali (quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, post viam quæ ducit ad Occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet.)

2 * Cùm captus esset in die- *4. Reg. 17. a. 3. 18. b. 9. bus Salmanasar regis Assyriorum, in captivitate tamen positus, viam veritatis non deseruit,

3 Ita ut omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere, impertiret.

4 Cúmque esset junior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere.

5 Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, * quos Jeroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium, * 3. Reg. 12. g. 28.

B 6 Sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiva sua, & decimas suas fideliter offerēs,

7 Ita ut in tertio anno proselytis & advenis ministraret omnem decimationem.

8 Hæc & his similia secundùm legem Dei puerulus observabat.

9 Cùm verò factus esset vir, accepit uxorem Annam de tribu sua, genuítque ex ea filium, nomen suum imponens ei,

10 Quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.

11 Igitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

11 Igitur, cùm per captivitatem deveniſſet cum uxore ſua, & filio in civitatem Niniven cum omni tribu ſua,

12 (Cùm omnes ederent ex cibis Gentilium) iſte cuſtodivit animam ſuam, & numquam contaminatus eſt in eſcis eorum.

C 13 Et quoniam memor fuit Domini in toto corde ſuo, dedit illi Deus gratiam in conſpectu Salmanaſar regis,

14 Et dedit illi poteſtatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluiſſet.

15 Pergebat ergo ad omnes, qui erant in captivitate, & monita ſalutis dabat eis.

16 Cùm autem veniſſet in Rages civitatem Medorum, & ex his, quibus honoratus fuerat à rege, habuiſſet decem talenta argenti.

17 Et cùm in multa turba generis ſui Gabelum
D egentem videret, qui erat ex tribu ejus, ſub chyrographo dedit illi memoratum pondus argenti.

18 Poſt multum verò temporis, mortuo Salmanaſar rege, cùm regnaret Sennacherib filius ejus pro eo, & filios Iſraël exoſos haberet in conſpectu ſuo.

19 Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem ſuam, & conſolabatur eos, dividebátque unicuique, prout poterat, de facultatibus ſuis:

E 20 Eſurientes alebat, nudíſque veſtimenta præbebat, & mortuis atque occiſis ſepulturam ſolicitus exhibebat.

*4.Reg. 19.§.35. Eccli. 48.d.24. 2. Mac. 8.e.19. 21 * Denique cùm reverſus eſſet rex Sennacherib, fugiens à Judæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blaſphemiam ſuam, & iratus multos occideret ex filiis Iſraël, Tobias ſepeliebat corpora eorum.

22 At ubi nuntiatum eſt regi, juſſit eum occidi, & tulit omnem ſubſtantiam ejus.

23 Tobias verò cum filio ſuo & cum uxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum.

*4.Reg. 19.§.37. 2. Par. 32.e.21. Iſai. 37. §.38. 24 * Poſt dies verò quadraginta quinque occiderunt regem filij ipſius,

25 Et reverſus eſt Tobias in domum ſuam, omníſque facultas ejus reſtituta eſt ei.

Caput II.

Tobias mortuorum defatigatus ſepulturâ, hirundinis ſtercore in patientiæ probationem excæcatur, & ab uxore ac amicis ipſum irridentibus afficitur opprobrio.

A 1 POſt hæc verò, cùm eſſet dies feſtus Domini, & factum eſſet prandium bonum in domo Tobiæ,

2 Dixit filio ſuo: Vade, & adduc aliquos de tribu noſtra, timentes Deum, ut epulentur nobiſcum.

3 Cúmque abiiſſet, reverſus nuntiavit ei, unum ex filiis Iſraël jugulatum jacere in platea. Statímque exíliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus:

4 Tollénſque illud portavit ad domum ſuam occultè, ut, dum ſol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum.

5 Cúmque occultaſſet corpus, manducavit panem cum luctu & tremore,

B 6 Memorans illum ſermonem, quem dixit Do-
* Amos 8.e.10. minus * per Amos Prophetam: Dies feſti veſtri converténtur in lamentationem & luctum. 1.Mach. 1.e.41.

7 Cùm verò ſol occubuiſſet, abiit, & ſepelivit eum.

8 Arguebant autem eum omnes proximi ejus, dicentes: Jam hujus rei cauſa interfici juſſus es, & vix effugiſti mortis imperium, & iterùm ſepelis mortuos?

9 * Sed Tobias plus timens Deum, quàm re- * Sup. 1. d. 21.
gem, rapiebat corpora occiſorum, & occultabat in domo ſua, & mediis noctibus ſepeliebat ea.

10 Contigit autem ut quadam die fatigatus à ſepultura, veniens in domum ſuam, jactaſſet ſe juxta parietem, & obdormiſſet,

11 Et ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos ejus, fierétque cæcus.

12 Hanc autem tentationem ideò permiſit Dominus evenire illi, ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus, ſicut & ſancti Job.

13 Nam cùm ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata ejus cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei, C

14 Sed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.

15 Nam ſicut beato Job inſultabant reges, ita iſti parentes & cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes:

16 Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas & ſepulturas faciebas?

17 Tobias verò increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui:

18 Quoniam filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam numquam mutant ab eo.

19 Anna verò uxor ejus ibat ad opus textri- D
num quotidie, & de labore manuum ſuarum victum, quem conſequi poterat, deferebat.

20 Vnde factum eſt, ut hœdum caprarum accipiens detuliſſet domi:

21 Cujus cùm vocem balantis vir ejus audiſſet, dixit: Videte, ne fortè furtivus ſit, reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.

22 * Ad hæc uxor ejus irata reſpondit: Mani- * Iob. 2.
feſtè vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ c.9.
modò apparuerunt.

23 Atque his & aliis hujuſcemodi verbis exprobrabat ei.

Caput III.

Tobiæ mori petentis oratio ad Deum, & Saræ filiæ Raguelis humilis cum triduano jejunio oratio, ad ancillæ improperium propter ſeptem ipſius maritos à dæmonio interemptos: utriuſque autem preces exaudiuntur, Angelo Raphaele ad eos curandos miſſo.

1 TUnc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum A
lacrymis,

2 Dicens: Juſtus es Domine, & omnia judicia tua juſta ſunt, & omnes viæ tuæ, miſericordia, & veritas, & judicium.

3 Et nunc Domine memor eſto mei, & ne vindictam ſumas de peccatis meis, neque reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum.

4 * Quoniam non obedivimus præceptis tuis, * Deut. 28.b.15.
ideò

ideò traditi ſumus in direptionem, & captivitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, in quibus diſperſiſti nos.

5 Et nunc Domine magna judicia tua, quia non egimus ſecundùm præcepta tua, & non ambulavimus ſinceriter coram te.

B 6 Et nunc Domine ſecundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meũ: expedit enim mihi mori magis quàm vivere.

7 Eadem itaque die contigit, ut Sara filia Raguelis in Rages civitate Medorum, & ipſa audiret improperium ab una ex ancillis patris ſui,

8 Quoniam tradita fuerat ſeptem viris, & dæmonium nomine Aſmodæus occiderat eos, mox ut ingreſſi fuiſſent ad eam.

9 Ergo cùm pro culpa ſua increparet puellam, reſpondit ei, dicens: Ampliùs ex te non videamus filium aut filiam ſuper terram, interfectrix virorum tuorum.

10 Numquid & occidere me vis, ſicut jam occidiſti ſeptem viros? Ad hanc vocem perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducavit, neque bibit:

11 Sed in oratione perſiſtens, cum lacrymis deprecabatur Deũ, ut ab iſto improperio liberaret eã.

12 Factum eſt autem die tertia, dum compleret orationem benedicens Dominum,

C 13 Dixit: Benedictum eſt nomen tuum Deus patrum noſtrorum: qui cùm iratus fueris, miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

14 Ad te Domine faciem meam converto, ad te oculos meos dirigo.

15 Peto Domine ut de vinculo improperij hujus abſolvas me, aut certè deſuper terram eripias me.

16 Tu ſcis Domine, quia numquam concupivi virum, & mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia.

17 Numquam cum ludentibus miſcui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui.

18 Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere.

19 Et, aut ego indigna fui illis, aut illi forſitan me non fuerunt digni: quia forſitan viro alij conſervaſti me.

20 Non eſt enim in hominis poteſtate conſilium tuum.

D 21 Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur: ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & ſi in correptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit.

22 Non enim delectaris in perditionibus noſtris: quia poſt tempeſtatem, tranquillum facis: & poſt lacrymationem & fletum, exultationem infundis.

23 Sit nomen tuum Deus Iſraël benedictum in ſæcula.

24 In illo tempore exauditæ ſunt preces amborum in conſpectu gloriæ ſummi Dei:

25 Et miſſus eſt Angelus Domini ſanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore ſunt orationes in conſpectu Domini recitatæ.

Caput IV.

Tobias cùm ſe brevi putaret moriturum, filio piiſſima ſalutis monita inculcat, eleemoſynæ virtutem declarat, & de decem argenti talentis Gabelo mutuò datis indicat.

1 IGitur cùm Tobias putaret orationem ſuam A
exaudiri ut mori potuiſſet, vocavit ad ſe Tobiam filium ſuum,

2 * Dixítque ei: Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo, quaſi fundamentum conſtrue.

3 Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli: * & honorem habebis matri tuæ * Exod. 20.c.12. Eccli. 7. c. 29.
omnibus diebus vitæ ejus:

4 Memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo.

5 Cùm autem & ipſa compleverit tempus vitæ B
ſuæ, ſepelias eam circa me.

6 Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & cave ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Dñi Dei noſtri.

7 * Et ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli * Prov. 3. b. 9. Eccli. 4. a. 1. 14. b. 1 3. Luc. 14.
avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini.

8 * Quo modo potueris, ita eſto, miſericors. c. 13.

9 * Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: * Eccli. 35 b.12.
ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.

10 Præmium enim bonum tibi theſauriſas in die neceſſitatis.

11 * Quoniam eleemoſyna ab omni peccato * Eccli. 29.b.15.
& à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.

12 Fiducia magna erit coram ſummo Deo elee- C
moſyna omnibus facientibus eam.

13 * Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & * 1. Theſſ. 4. a. 3.
præter uxorem tuam numquam patiaris crimen ſcire.

14 Superbiam numquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: * in ipſa enim ini- *Gen. 3. a. 5.
tium ſumpſit omnis perditio.

15 * Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, * Lev. 19. c. 13. Deut. 24 c. 14.
ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat.

16 * Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu * Matt. 7. b. 12. Luc. 6. d. 31.
aliquando alteri facias.

17 * Panem tuum cum eſurientibus & egenis * Luc. 14. c. 13.
comede, & de veſtimentis tuis nudos tege. D

18 Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.

19 Conſilium ſemper à ſapiente perquire.

20 Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.

21 Indico etiam tibi fili mi, dediſſe me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus eſſes, Gabelo, in Rages civitate Medorum, & chirographum ejus apud me habeo:

22 Et ideò perquire quo modo ad eum pervenias, & recipias ab eo ſuprà memoratum pondus argenti, & reſtituas ei chirographum ſuum.

23 Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, ſed * multa bona habebimus, ſi timueri- * Rom. 8. d.17.
mus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè.

Caput V.

Tobia socium ac ducem itineris in Rages Medorum quærenti Raphael Angelus ignotus occurrit, cui pater filium commisit, quibus profectis mater filij deflet absentiam.

A 1 TUnc respondit Tobias patri suo, & dixit: Omnia quæcumque præcepisti mihi faciam pater.

2 Quo modo autem pecuniam hanc requiram, ignoro. ille me nescit, & ego eum ignoro: quod signum dabo ei? sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognovi.

3 Tunc pater suus respondit illi, & dixit: Chirographum quidem illius penes me habeo: quod dum illi ostenderis, statim restituet.

4 Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salva mercede sua: ut, dum adhuc vivo, recipias eam.

B 5 Tunc egressus Tobias, invenit juvenem splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.

6 Et ignorans quòd Angelus Dei esset, salutavit eum, & dixit: Unde te habemus bone juvenis.

7 A[illegible] respondit: Ex filiis Israël. Et Tobias dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regionem Medorum?

8 Cui respondit: Novi: & omnia itinera ejus frequenter ambulavi, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum: qui moratur in Rages civitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis.

9 Cui Tobias ait: Sustine me obsecro, donec hæc ipsa nuntiem patri meo.

10 Tunc ingressus Tobias, indicavit universa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater, rogavit ut introiret ad eum.

11 Ingressus itaque salutavit eum, & dixit: Gaudium tibi sit semper.

12 Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?

13 Cui ait juvenis: Forti animo esto, in proximo est ut à Deo cureris.

C 14 Dixit itaque illi Tobias: Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages civitatem Medorum? & cùm redieris, restituam tibi mercedem tuam.

15 Et dixit ei Angelus: Ego ducam & reducam eum ad te.

16 Cui Tobias respondit: Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?

17 Cui Raphaël Angelus dixit: Genus quæris mercenarij, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat?

18 Sed ne fortè solicitum te reddam, Ego sum Azarias Ananiæ magni filius.

19 Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris quòd volucrim cognoscere genus tuum.

20 Dixit autem illi Angelus: Ego sanum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum.

21 Respondens autem Tobias, ait: Benè ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus ejus comiterur vobiscum.

D 22 Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo & matri suæ, & ambulaverunt ambo simul.

23 * Cúmque profecti essent, cœpit mater ejus flere, & dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis. * *Inf.* 10. a.4.

24 Numquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum.

25 Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc, quòd videbamus filium nostrum.

26 Dixitque ei Tobias: Noli flere, salvus perveniet filius noster, & salvus revertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum.

27 Credo enim quòd Angelus Dei bonus comitetur ei, & benè disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita ut cum gaudio revertatur ad nos.

28 Ad hanc vocem cessavit mater ejus flere, & tacuit.

Caput VI.

Angeli hortatu Tobias invadentem piscem apprehendit & exenterat, cor ejus, fel, & jecur ad medicamenta reservans: & ad Raguelem divertunt, ut jussu Angeli petat in uxorem illius filiam Saram; cujus septem viros occiderat dæmonium, discens ab Angelo quo fine suscipiendum ac servandum sit conjugium.

1 PRofectus est autem Tobias, & canis secutus A est eum, & mansit prima mansione juxta fluvium Tigris.

2 Et exivit ut lavaret pedes suos, & ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum.

3 Quem expavescens Tobias clamavit voce magna, dicens: Domine, invadit me.

4 Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te. Quod cùm feciisset, attraxit cùm in siccum, & palpitare cœpit ante pedes ejus.

5 Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piscem, & cor ejus, & fel, & jecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter.

6 Quod cùm feciisset, assavit carnes ejus, & secum tulerunt in via: cetera salierunt, quæ sufficerent eis, quousque pervenirent in Rages civitatem Medorum.

7 Tunc interrogavit Tobias Angelum, & dixit B ei: Obsecro te Azaria frater ut dicas mihi, quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servare jussisti?

8 Et respondens Angelus, dixit ei: Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive à viro, sive à muliere, ita ut ultrà non accedat ad eos.

9 Et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.

10 Et dixit ei Tobias: Ubi vis ut maneamus?

11 Respondénsque Angelus, ait: Est hîc Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, & hîc habet filiam nomine Saram, sed neque masculum, neque feminam ullam habet aliam præter eam.

12 * Tibi debetur omnis substantia ejus, & * *Num.* 27. *b.*8. 36. *c.*8. oportet eam te accipere conjugem.

13 Pete ergo eam à patre ejus, & dabit tibi eam in uxorem.

14 Tunc respondit Tobias, & dixit: Audio C quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audivi, quia dæmonium occidit illos.

15 Timeo ergo, ne fortè & mihi hæc eveniant: & cùm sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos.

16 Tunc

16 Tunc Angelus Raphaël dixit ei: Audi me, & ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium.

17 Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos.

D 18 Tu autem cùm acceperis eam ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea.

19 Ipsa autem nocte, incenso jecore piscis, fugabitur dæmonium.

20 Secunda verò nocte in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris.

21 Tertia autem nocte, benedictionem consequêris, ut filij ex vobis procreentur incolumes.

22 Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.

Caput VII.

Raguel petitam à Tobia Saram filiam in uxorem tradit consilio Raphaëlis, & scriptis conjugij litteris nuptiæ celebrantur.

A 1 INgressi sunt autem ad Raguelem, & suscepit eos Raguel cum gaudio.

2 Intuénsque Tobiam Raguel, dixit Annæ uxori suæ: Quàm similis est juvenis iste consobrino meo:

3 Et cùm hæc dixisset, ait: Unde estis juvenes fratres nostri? At illi dixerunt: Ex tribu Nephthali sumus, ex captivitate Ninive.

4 Dixítque illis Raguel: Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Novimus.

5 Cúmque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est.

B 6 Et misit se Raguel, & cum lacrymis osculatus est eum, & plorans supra collum ejus,

7 Dixit: Benedictio sit tibi fili mi, quia boni & optimi viri filius es.

8 Et Anna uxor ejus, & Sara ipsorum filia, lacrymatæ sunt.

9 Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari convivium. Cúmque hortaretur eos discumbere ad prandium,

10 Tobias dixit: Hîc ego hodie non manducabo neque bibam, nisi priùs petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam.

C 11 Quo audito verbo Raguel, expavit, sciens quid evenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam: & timere cœpit ne fortè & huic similiter contingeret: & cùm nutaret, & non daret petenti ullum responsum,

12 Dixit ei Angelus: Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur conjux filia tua: propterea alius non potuit habere illam.

13 Tunc dixit Raguel: Non dubito quòd Deus preces & lacrymas meas in cõspectu suo admiserit,

14 Et credo quoniã ideò fecit vos venire ad me, ut * *Num.* 36. *c.*6. ista conjungeretur cognationi suæ * secundùm legem Moysi: & nunc noli dubium gerere quòd tibi eam tradam.

15 Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dextræ D Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob vobiscum sit, & ipse conjungat vos, impleátque benedictionem suam in vobis.

16 Et accepta charta, fecerunt conscriptionem conjugij.

17 Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum.

18 Vocavítq; Raguel ad se Annam uxorẽ suam, & præcepit ei ut præpararet alterum cubiculum.

19 Et introduxit illuc Saram filiam suam, & lacrymata est.

20 Dixítque ei: Forti animo esto filia mea: Dominus cæli det tibi gaudium pro tædio quod perpessa es.

Caput VIII.

Tobias thalamum ingressus, partem jecoris piscis assat; & dæmonio à Raphaële ligato, Tobias & Sara simul orantes noctem transigunt incolumes: quapropter repleto quod paratum erat sepulchro, actisque Deo gratiis à Saræ parentibus, latum apparatur convivium; & pro dote medietas bonorum assignatur, cedente & reliqua medietate post parentum obitum.

1 POstquam verò cœnarunt, introduxerunt ju- A venem ad eam.

2 Recordatus itaque Tobias sermonum Angeli, protulit de cassidili suo partem jecoris, posuítque eam super carbones vivos.

3 Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmoniũ, & religavit illud in deserto superioris Ægypti.

4 Tunc hortatus est virginem Tobias, dixítque ei; Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras: quia his tribus noctibus Deo jungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus conjugio.

5 Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus ita conjungi, sicut gentes quæ ignorant Deum.

6 Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, ut sanitas daretur eis.

7 Dixítque Tobias: Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cæli & terræ, maréque & B fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt.

8 * Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistíque * *Gen.*2. *a.*7. ei adjutorium Hevam.

9 Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.

10 Dixit quoque Sara: Miserere nobis Domine, miserere nobis, & cõseneſcamus ambo pariter sani.

11 Et factum est circa pullorum cantum, accersiri jussit Raguel servos suos, & abierunt cum eo pariter ut foderent sepulchrum.

12 Dicebat enim: ne fortè simili modo evenerit ei, quo & ceteris illis septem viris qui sunt in- C gressi ad eam.

13 Cúmque parassent foſſam, reversus Raguel ad uxorem suam, dixit ei:

14 Mitte unam ex ancillis tuis, & videat si mortuus est, ut sepeliam eum antequam illucescat dies.

15 At illa misit unam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum, reperit eos salvos & incolumes, secum pariter dormientes.

16 Et reversa, nuntiavit bonum nuntium: &

Universidad de Deusto
Biblioteca

benedixerunt Dominum, Raguel videlicet & Anna uxor ejus,

17 Et dixerunt: Benedicimus te Domine Deus Israël, quia nõ contigit quemadmodum putabamus.

18 Feciſti enim nobiſcum miſericordiam tuam, & excluſiſti à nobis inimicum perſequentem nos.

19 Miſertus es autem duobus unicis. Fac eos Domine pleniùs benedicere: te & ſacrificium tibi laudis tuæ & ſuæ ſanitatis offerre, ut cognoſcat
D univerſa gentium, quia tu es Deus ſolus in univerſa terra.

20 Statímque præcepit ſervis ſuis Raguel, ut replerẽt foſſam, quam fecerant, priuſquã eluceſceret.

21 Uxori autem ſuæ dixit ut inſtrueret convivium, & præpararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus neceſſaria.

22 Duas quoque pingues vaccas, & quattuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis ſuis, cunctíſque amicis.

23 Et adjuravit Raguel Tobiam, ut duas hebdomadas moraretur apud ſe.

24 De omnibus autem, quæ poſſidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ: & fecit ſcripturam, ut pars dimidia, quæ ſupererat poſt obitum eorum, Tobiæ dominio deveniret.

CAPUT IX.

Raphaël Tobiæ rogatu ad Gabelum pergit; quem recepta pecunia ad Tobiæ nuptias adducit: ille autem Tobiæ ac Saræ benedicit.

A 1 TUnc vocavit Tobias Angelum ad ſe, quem quidem hominem exiſtimabat, dixítque ei: Azaria frater, peto ut auſcultes verba mea.

2 Si me ipſum tradam tibi ſervum, non ero condignus providentiæ tuæ.

3 Tamen obſecro te, ut aſſumas tibi animalia ſive ſervitia, & vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum: reddáſque ei chirographum ſuum, & recipias ab eo pecuniam, & roges eum venire ad nuptias meas.

B 4 Scis enim ipſe quoniam numerat pater meus dies: & ſi tardavero una die plus, contriſtatur anima ejus.

5 Et certè vides quomodo adjuravit me Raguel, cujus adjuramentum ſpernere non poſſum.

6 Tunc Raphaël aſſumens quattuor ex ſervis Raguelis, & duos camelos, in Rages civitatem Medorum perrexit: & inveniens Gabelum, reddidit ei chirographum ſuum, & recepit ab eo omnem pecuniam.

C 7 Indicavítque ei de Tobia filio Tobiæ, omnia quæ geſta ſunt: fecítque eum ſecum venire ad nuptias.

8 Cúmque ingreſſus eſſet domum Raguelis, invenit Tobiam diſcumbentem: & exiliens, oſculati ſunt ſe invicem: & flevit Gabelus, benedixítque Deum,

9 Et dixit: Benedicat te Deus Iſraël, quia filius es optimi viri, & juſti, & timentis Deum, & eleemoſynas facientis:

10 Et dicatur benedictio ſuper uxorem tuam, & ſuper parentes veſtros:

D 11 Et videatis filios veſtros, & filios filiorum veſtrorum, uſque in tertiam & quartam generationem: & ſit ſemen veſtrum benedictum à Deo Iſraël, qui regnat in ſæcula ſæculorum.

12 Cúmque omnes dixiſſent, Amen; acceſſerunt ad convivium: ſed & cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.

CAPUT X.

Parentes Tobiæ longam ejus moram anxiè queruntur; ille autem ægrè obtinet, ut à Raguele dimittatur, accepta dote & uxore: porrò Raguel illis benè precando, admonet filiam de officio matris familias.

1 CUm verò moras faceret Tobias, cauſa nu- A
ptiarum, ſolicitus erat pater ejus Tobias, dicens: Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus eſt ibi?

2 Putáſne Gabelus mortuus eſt, & nemo reddet illi pecuniam?

3 Cœpit autem contriſtari nimis ipſe, & Anna uxor ejus cum eo: & cœperunt ambo ſimul flere: eò quòd die ſtatuto minimè reverteretur filius eorum ad eos.

4 * Flebat igitur mater ejus irremediabilibus *Sup. 5. d. 23.
lacrymis, atque dicebat: Heu heu me fili mi, ut quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ?

5 Omnia ſimul in te uno habentes, te non de- B
buimus dimittere à nobis.

6 Cui dicebat Tobias: Tace, & noli turbari, ſanus eſt filius noſter: ſatis fidelis eſt vir ille, cum quo miſimus eum.

7 Illa autem nullo modo conſolari poterat, ſed quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, ut procul videret eum, ſi fieri poſſet, venientem.

8 At verò Raguel dicebat ad generum ſuum: C
Mane hîc, & ego mittam nuntium ſalutis de te ad Tobiam patrem tuum.

9 Cui Tobias ait: Ego novi, quia pater meus & mater mea modò dies computant, & cruciatur ſpiritus eorum in ipſis.

10 Cúmque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille eum nulla ratione vellet audire, tradidit ei Saram, & dimidiam partem omnis ſubſtantiæ ſuæ in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in vaccis, & in pecunia multa: & ſalvum atque gaudentem dimiſit eum à ſe,

11 Dicens: Angelus Domini ſanctus ſit in iti- D
nere veſtro, perducátque vos incolumes, & inveniatis omnia rectè circa parentes veſtros, & videant oculi mei filios veſtros priuſquam moriar.

12 Et apprehendentes parentes filiam ſuam, oſculati ſunt eam, & dimiſerunt ire:

13 Monentes eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſe ipſam irreprehenſibilem exhibere.

CAPUT XI.

Relictis in itinere Sara reliquáque familia, Tobias & Raphaël præcedentes, latè à parentibus Tobiæ excipiuntur: quo patris oculos felle jecoris liniente, ille viſum recipit; quapropter actis Deo gratiis, poſt adventum Saræ ac familiæ ſeptem diebus læti epulantur.

1 CUmque reverterentur, pervenerunt ad Cha- A
ran, quæ eſt in medio itinere contra Ninive, undecimo die.

2 Dixítque Angelus: Tobia frater, ſcis quem-
admodum

admodum reliquiſti patrem tuum.

3 Si placet itaque tibi, præcedamus, & lento gradu ſequantur iter noſtrum familiæ, ſimul cum conjuge tua, & cum animalibus.

4 Cúmque hoc placuiſſet ut irent, dixit Raphaël ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piſcis: erit enim neceſſarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, & abierunt.

5 Anna autem ſedebat ſecus viam, quotidie in ſupercilio montis, unde reſpicere poterat de longinquo.

B 6 Et dùm ex eodem loco ſpecularetur adventum ejus, vidit à longè, & illicò agnovit venientem filium ſuum: currénſque nuntiavit viro ſuo, dicens: Ecce venit filius tuus.

7 Dixítque Raphaël ad Tobiam: At ubi introieris domum tuam, ſtatim adora Dominum Deum tuum: & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & oſculare eum.

8 Statímque lini ſuper oculos ejus ex felle iſto piſcis, quod portas tecum. ſcias enim quoniam mox aperientur oculi ejus, & videbit pater tuus lumen cæli, & in aſpectu tuo gaudebit.

C 9 Tunc præcucurrit canis, qui ſimul fuerat in via: & quaſi nuntius adveniens, blandimento ſuæ caudæ gaudebat.

10 Et conſurgens cæcus pater ejus, cœpit offendens pedibus currere: & data manu puero, occurrit obviàm filio ſuo.

11 Et ſuſcipiens oſculatus eſt eum cum uxore ſua, & cœperunt ambo flere præ gaudio.

12 Cúmque adoraſſent Deum, & gratias egiſſent, conſederunt.

13 Tunc ſumens Tobias de felle piſcis, linivit oculos patris ſui.

14 Et ſuſtinuit quaſi dimidiã ferè horam: & cœpit albugo ex oculis ejus, quaſi membrana ovi, egredi.

15 Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, ſtatímque viſum recepit.

16 Et glorificabant Deum, ipſe videlicet, & uxor ejus, & omnes qui ſciebant eum.

17 Dicebátque Tobias: Benedico te Domine
D Deus Iſraël, quia tu caſtigaſti me, & tu ſalvaſti me: & ecce ego video Tobiam filium meum.

18 Ingreſſa eſt etiam poſt ſeptem dies Sara uxor filij ejus, & omnis familia ſana, & pecora, & cameli, & pecunia multa uxoris: ſed & illa pecunia, quam receperat à Gabelo.

19 Et narravit parẽtibus ſuis omnia beneficia Dei, quæ feciſſet circa eum per hominẽ qui eũ duxerat.

20 Venerúntque Achior & Nabath conſobrini Tobiæ, gaudentes ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum oſtẽderat Deus.

21 Et per ſeptem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gaviſi ſunt.

CAPUT XII.

Tobias cum filio de mercede Raphaëlis conſultans, auditíſque quæ ſibi ac filio præſtiterat beneficiis, medietatem offert omnium quæ attulerant: at ille ſe Dei Angelum declarat, & poſt revelata alia myſteria in cælum ſublevatur; quo facto, illi in terram proni ruentes Deum benedicunt.

A 1 TUnc vocavit ad ſe Tobias filium, ſuum dixítque ei: Quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecum?

2 Reſpondens Tobias, dixit patri ſuo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficiis ejus?

3 Me duxit & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, uxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipſum à devoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?

4 Sed peto te pater mi, ut roges eum, ſi fortè B
dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata ſunt, ſibi aſſumere.

5 Et vocantes eum, pater ſcilicet & filius, tulerunt eum in partem: & rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.

6 Tunc dixit eis occultè: Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam.

7 Etenim ſacramentum regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei revelare & confiteri honorificum eſt.

8 Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna magis quàm theſauros auri recondere:

9 Quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam.

10 Qui autem faciunt peccatum, & iniquita- C
tem, hoſtes ſunt animæ ſuæ.

11 Manifeſto ergo vobis veritatem, & non abſcondam à vobis occultum ſermonem.

12 Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diẽ in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

13 Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit ut tentatio probaret te.

14 Et nunc miſit me Dominus ut curarem te, & Saram uxorem filij tui à dæmonio liberarem.

15 Ego enim ſum Raphaël Angelus, unus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.

16 Cúmque hæc audiſſent, turbati ſunt, & tremen tes ceciderunt ſuper terram in faciem ſuam.

17 Dixítq; eis Angelus: Pax vobis, nolite timere.

18 Etenim cùm eſſem vobiſcum, per voluntatem D
Dei eram: ipſum benedicite, & cantate illi.

19 Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere: ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.

20 Tempus eſt ergo ut revertar ad eum, qui me miſit: vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia ejus.

21 Et cùm hæc dixiſſet, ab aſpectu eorum ablatus eſt, & ultrà eum videre non potuerunt.

22 Tunc proſtrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum: & exurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.

CAPUT XIII.

Tobias ſenior benedicit ac confitetur Domino, & univerſos ad idipſum hortatur; prophetat quoque de reſtitutione & magna felicitate futura Ieruſalem.

1 APeriens autem Tobias ſenior os ſuum be- A
nedixit Dominum, & dixit: Magnus es

Universidad de Deusto
Biblioteca

Domine in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum:

2 * Quoniam tu flagellas & salvas: deducis ad inferos, & reducis: & non est qui effugiat manum tuam.

* Deut. 32. f. 39. 1. Reg. 2. 6. 6. Sap. 16. b. 13.

3 Confitemini Domino filij Israël, & in conspectu gentium laudate eum:

4 Quoniam ideò dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia ejus, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum.

5 Ipse castigavit nos propter iniquitates nostras: & ipse salvabit nos propter misericordiam suam.

B 6 Aspicite ergo quæ fecit nobiscum, & cum timore & tremore confitemini illi: regémque sæculorum exaltate in operibus vestris.

7 Ego autem in terra captivitatis meæ confitebor illi: quoniam ostendit majestatem suam in gentem peccatricem.

8 Convertimini itaque peccatores, & facite justitiam coram Deo, credentes quòd faciat vobiscum misericordiam suam.

9 Ego autem, & anima mea in eo lætabimur.

10 Benedicite Dominum omnes electi ejus: agite dies lætitiæ, & confitemini illi.

11 Jerusalem civitas Dei, castigavit te Dominus in operibus manuum tuarum.

C 12 Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum sæculorum, ut reædificet in te tabernaculum suum, & revocet ad te omnes captivos, & gaudeas in omnia sæcula sæculorum.

13 Luce splendida fulgebis: & omnes fines terræ adorabunt te.

*Isa. 60. a. 5. 14 * Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes, adorabunt in te Dominum, & terram tuam in sanctificationem habebunt.

15 Nomen enim magnum invocabunt in te.

16 Maledicti erunt qui contempserint te: & condemnati erunt omnes qui blasphemaverint te: benedictíque erunt qui ædificaverint te.

D 17 Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum.

18 Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent super pace tua.

19 Anima mea benedic Dominum, quoniam liberavit Jerusalem civitatem suam à cunctis tribulationibus ejus, Dominus Deus noster.

20 Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem.

* Apoc. 21 f. 19. 21 * Portæ Jerusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus.

22 Ex lapide candido & mundo omnes plateæ ejus sternentur: & per vicos ejus alleluia cantabitur.

23 Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, & sit regnum ejus in sæcula sæculorum super eam. Amen.

CAPUT XIV.

Tobias senior moriturus completis 102. ætatis suæ annis, filium ac nepotes ad pietatem hortatur, utque sepulis parentibus è Ninive migrent, quam evertendam dicit, & Jerusalem instaurandam: quod filius observans, tandem ad soceros revertitur, ibique completis 99. annis moritur.

1 ET consummati sunt sermones Tobiæ. Et A postquã illuminatus est Tobias, vixit annis quadragintaduobus, & vidit filios nepotum suorum.

2 Completis itaque annis centum duobus, sepultus est honorificè in Ninive.

3 Quinquaginta namque & sex annorum lumen oculorum amisit, sexagenarius verò recepit.

4 Reliquum verò vitæ suæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.

5 In hora autem mortis suæ vocavit ad se Tobiam filium suum, & septem juvenes filios ejus nepotes suos, dixítque eis:

6 Propè erit interitus Ninive: non enim excidit verbum Domini: & * Fratres nostri, qui dis- B *1. Esd. 3. c. 8. persi sunt à terra Israël, revertentur ad eam.

7 Omnis autem deserta terra ejus replebitur, & domus Dei, quæ in ea incensa est, iterùm reædificabitur: ibíque revertentur omnes timentes Deum,

8 Et relinquent gentes idola sua, & venient in Jerusalem, & inhabitabunt in ea,

9 Et gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes regem Israël.

10 Audite ergo filij mei patrem vestrum: Servite Domino in veritate, & inquirite ut faciatis quæ placita sunt illi:

11 Et filiis vestris mandate ut faciant justitias C & eleemosynas, ut sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua.

12 Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hîc: sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa me in uno sepulchro, ex eo dirigite gressus vestros ut exeatis hinc:

13 Video enim quia iniquitas ejus finem dabit ei.

14 Factum est autem post obitum matris suæ, Tobias abscessit ex Ninive cum uxore sua, & filiis, & filiorum filiis, & reversus est ad soceros suos.

15 Invenítque eos incolumes in senectute bona: & curam eorum gessit, & ipse clausit oculos eorum: & omnem hereditatem domus Raguelis ipse percepit: vidítque quintam generationem, filios filiorum suorum.

16 Et completis annis nonagintanovem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum.

17 Omnis autem cognatio ejus, & omnis generatio ejus in bona vita, & in sancta conversatione permansit, ita ut accepti essent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.

LIBER JUDITH.

CAPUT PRIMUM.

Nabuchodonosor victo rege Medorum cunctis regnis imperare cupiens, nuntios ad ea mittit; quibus absque honore remissis, indignatus jurat se id ulturum.

A 1 ARphaxad itaque, rex Medorum, subjugaverat multas gentes imperio suo, & ipse ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis,

2 Ex lapidibus quadratis & sectis: fecit muros ejus in latitudinem cubitorum septuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta, turres verò ejus posuit in altitudinem cubitorum centum.

3 Per quadrum verò earum, latus utrumque vicenorum pedum spatio tendebatur, posuítque portas ejus in altitudinem turrium:

4 Et gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum.

5 Anno igitur duodecimo regni sui: Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive civitate magna, pugnavit contra Arphaxad, & obtinuit eum

6 In campo magno, qui appellatur Ragau, circa C Euphraten, & Tigrin, & Jadason, in campo Erioch regis Elicorum.

7 Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, & cor ejus elevatum est: & misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damasco, & Libano,

8 Et ad gentes quæ sunt in Carmelo, & Cedar, & inhabitantes Galilææ in campo magno Esdrelon,

D 9 Et ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Jordanẽ usque ad Jerusalem, & omnem terrã Jesse, quousq; perveniatur ad terminos Æthiopiæ.

10 Ad hos omnes misit nuntios Nabuchodonosor rex Assyriorum:

11 Qui omnes uno animo contradixerunt, & remiserunt eos vacuos, & sine honore abjecerunt.

12 Tunc indignatus Nabuchodonosor rex adversus omnem terram illam, juravit per thronum & regnum suum, quòd defenderet se de omnibus regionibus his.

CAPUT II.

Holofernes à Nabuchodonosor mittitur, omnia regna & populos vastaturus: describitur potentia exercitus ipsius; multisque locis per ipsum expugnatis, vehemens timor universos invasit.

A 1 ANno tertio decimo Nabuchodonosor regis, vigesima & secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum, ut defenderet se.

2 Vocavítque omnes majores natu, omnésque duces, & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui.

3 Dixítque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio.

4 Quod dictum cùm placuisset omnibus, vocavit Nabuchodonosor rex Holofernem principem militiæ suæ,

5 Et dixit ei: Egredere adversus omne regnum Occidentis, & contra eos præcipuè, qui contemserunt imperium meum.

6 Non parcet oculus tuus ulli regno, omnémque urbem munitam subjugabis mihi. B

7 Tunc Holofernes vocavit duces, & magistratus virtutis Assyriorum: & dinumeravit viros in expeditionem, sicut præcepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum, & equitum sagittatorium duodecim millia.

8 Omnémque expeditionem suam fecit præire in multitudine innumerabilium camelorum, cum his quæ exercitibus sufficerent copiosè, boum quoque armenta gregésq; ovium, quorũ non erat numerus.

9 Frumentum ex omni Syria in transitu suo parari constituit.

10 Aurum verò & argentum, de domo regis assum plit multum nimis.

11 Et profectus est ipse, & omnis exercitus, cum quadrigis, & equitibus, & sagittariis qui cooperuerunt faciem terræ, sicut locustæ. C

12 Cúmque pertransisset fines Assyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui sunt à sinistro Ciliciæ, ascendítque omnia castella eorum, & obtinuit omnem munitionem.

13 Effregit autem civitatem opinatissimam Melothi, prædavítque omnes filios Tharsis, & filios Ismael, qui erant contra faciem deserti, & ad austrum terræ Cellon.

14 Et transivit Euphraten, & venit in Mesopotamiam: & fregit omnes civitates excelsas, quæ D erant ibi, à torrente Mambre usquequò perveniatur ad mare:

15 Et occupavit terminos ejus, à Cilicia usque ad fines Japheth, qui sunt ad austrum.

16 Abduxítque omnes filios Madian, & prædavit omnem locupletationem eorum, omnésque resistentes sibi occidit in ore gladij.

17 Et post hæc descendit in campos Damasci in diebus messis, & succendit omnia sata, omnésque arbores & vineas fecit incidi:

18 Et cecidit timor illius super omnes inhabitantes terram.

CAPUT III.

Holoferni se ultrò dedunt universarum urbium ac provinciarum principes, ex quibus auxiliares sibi assumit, & tamen ipsorum civitates ac deos destruit, quò solus Nabuchodonosor deus habeatur.

1 TUnc miserunt legatos suos, universarum urbium ac provinciarũ reges ac principes, Syriç scilicet Mesopotamiæ, & Syriæ Sobal, & Lybiæ, atque Ciliciæ, qui venientes ad Holofernẽ, dixerunt: A

2 Desinat indignatio tua circa nos: Melius est enim ut viventes serviamus Nabuchodonosor regi magno, & subditi simus tibi, quàm morientes cum interitu nostro ipsi servitutis nostræ dãna patiamur.

3 Omnis civitas nostra, omnísque possessio, omnes montes, & colles, & campi, & armenta boum, B gregésque ovium, & caprarum, equorúmque & camelorum, & universæ facultates nostræ, atque familiæ, in conspectu tuo sunt:

4 Sint omnia nostra sub lege tua.

5 Nos, & filij nostri, servi tui sumus.

6 Veni nobis pacificus dominus, & utere servitio nostro, sicut placuerit tibi.

7 Tunc descendit de montibus cum equitibus in virtute magna, & obtinuit omnem civitatem, & omnem inhabitantem terram.

C 8 De universis autem urbibus assumpsit sibi auxiliarios viros fortes, & electos ad bellum.

9 Tantúsque metus provinciis illis incubuit, ut universarum urbium habitatores principes,& honorati simul cum populis exirēt obviàm venienti,

10 Excipientes eum cum coronis,& lampadibus ducentes choros in tympanis, & tibiis.

11 Nec ista tamen facientes, ferocitatem ejus pectoris mitigare potuerunt:

12 Nam & civitates eorum destruxit, & lucos eorum excidit.

D 13 Præceperat enim illi Nabuchodonosor rex, ut omnes deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subjugari.

14 Pertransiens autem Syriam Sobal, & omnem Apameam, omnémque Mesopotamiam, vènit ad Idumæos in terram Gabaa,

15 Accepitque civitates eorum, & sedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit universum exercitum virtutis suæ.

Caput IV.

Filij Israël vehementer Holofernem metuentes, hortatu Eliachim sacerdotis sese jejuniis ac oratione humiliant & affligunt, auxiliúmque à Domino improrant.

A 1 TUnc audientes hæc filij Israël, qui habitabant in Terra Juda, timuerunt valdè à facie ejus.

2 Tremor & horror invasit sensus eorum, ne hoc faceret Jerusalem & templo Domini, quod fecerat ceteris civitatibus & templis earum.

3 Et miserunt in omnem Samariam per circuitum usque Jericho & præoccupaverunt omnes vertices montium:

4 Et muris circumdederunt vicos suos, & congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ.

B 5 Sacerdos etiam Eliachim, scripsit ad universos qui erant contra Esdrelon, quæ est contra faciem campi magni juxta Dothain, & universos, per quos viæ transitus esse poterat,

6 Ut obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Jerusalem, & illic custodirent ubi angustum iter esse poterat inter montes.

7 Et fecerunt filij Israël, secundùm quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim.

8 Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliaverunt animas suas in jejuniis,& orationibus, ipsi & mulieres eorum.

9 Et induerunt se Sacerdotes ciliciis, & infantes prostraverunt contra faciem templi Domini,& altare Domini operuerunt cilicio:

C 10 Et clamaverunt ad Dominum Deum Israël unanimiter,ne darentur in prædā infantes eorum, & uxores eorum in divisionem, & civitates eorum in exterminium,& sancta eorum in pollutionem, & fierent opprobrium Gentibus.

11 Tunc Eliachim, sacerdos Domini magnus, circuivit omnem Israël, allocutúsque est eos,

12 Dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis, & orationibus in conspectu Domini.

13 * Memores estote Moysi servi Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, & in potentia sua, & in exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando dejecit: * Exod. 17.d.12.

14 Sic erunt universi hostes Israël: si perseveraveritis in hoc opere, quod cœpistis. D

15 Ad hanc igitur exhortationem ejus deprecantes Dominum, permanebant in conspectu Domini,

16 Ita ut etiam hi, qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciis offerrent sacrificia Domino, & erat cinis super capita eorum.

17 Et ex toto corde suo omnes orabant Deum, ut visitaret populum suum Israël.

Caput V.

Rogatus ab Holoferne Achior dux Ammonitarum de genere Israëlitarum, enarrat Dei mirabilia circa populum Israëliticum, monéique ne temerè contra illos pugnet, quibus auditis indignantur ipsi Achior principes Holofernis.

A 1 NUntiatúmque est Holoferni principi militiæ Assyriorum, quòd filij Israël præparassent se ad resistendum, ac montium itinera conclusissent,

2 Et furore nimio exarsit in iracundia magna, vocavitq; omnes principes Moab & duces Ammon,

3 Et dixit eis: Dicite mihi quis sit populus iste, qui montana obsidet: aut quæ,& quales,& quantæ sint civitates eorum: quæ etiam sit virtus eorum, aut quæ sit multitudo eorum: vel quis rex militiæ illorum:

4 Et quare præomnibus,qui habitant in Oriente, isti contempserunt nos, & non exierunt obviàm nobis, ut susciperent nos cum pace?

5 Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon respondens, ait: Si digneris audire domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo, de populo isto qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falsum ex ore meo.

6 Populus iste ex progenie Chaldæorum est:

B 7 * Hic primùm in Mesopotamia habitavit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum,qui erant in Terra Chaldæorum. * Gen. 11.d.31.

8 Deserentes itaque cerimonias patrum suorum,quæ in multitudine deorum erant,

9 Unum Deum cæli coluerunt, * qui & præcepit eis ut exirent inde, & habitarent in Charan. Cúmque operuisset omnem terram fames, * descenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos sic multiplicati sunt, ut dinumerari eorum non posset exercitus. * Gen. 12. a.1. * Gen. 46. a.6.

10 Cúmque gravaret eos rex Ægypti, atque in ædificationibus urbium suarum in luto & latere subjugasset eos, clamaverunt ad Dominum suum, & percussit totam Terram Ægypti plagis variis.

11 * Cúmque ejecissent eos Ægyptij à se, & cessasset plaga ab eis, & iterùm eos vellent capere, & ad suum servitium revocare, * Exod. 12.f.33.

12 * Fugientibus his Deus cæli mare aperuit, ita ut hinc inde aquæ quasi murus solidarētur,& isti pede sicco fundum maris perambulando transirent. * Exod. 14.g.29.

13 In quo loco dum innumerabilis exercitus

Ægyptio

Ægyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, ut non remaneret vel unus,qui factum posteris nuntiaret.

14 Egressi verò mare rubrum,deserta Sina montis occupaverunt, in quibus numquam homo habitare potuit, vel filius hominis requievit.

15 Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cælo consecuti sunt.

C 16 Ubicumque ingressi sunt sine arcu & sagitta, & absque scuto & gladio, Deus eorum pugnavit pro eis, & vicit.

17 Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui.

18 Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.

19 Quotiescumque autem pœnituerunt se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cæli virtutem resistendi.

20 Denique Chananæum regem,& Jebusæum, & Pherezæum, & Hethæum, & Hevæum, & Amorrhæum, & omnes potentes in Hesebon prostraverunt, & terras eorum, & civitates eorum ipsi possederunt:

21 Et usque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona:Deus enim illorum odit iniquitatem.

22 Nam & ante hos annos, cùm recessissent à via, quam dederat illis Deus,ut ambularent in ea, D exterminati sunt præliis à multis nationibus,& plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suā.

23 Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterùm possident Jerusalem,ubi sunt sancta eorum.

24 Nunc ergo mi domine,perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum:ascendamus ad illos,quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi,& subjugati erunt sub jugo potentiæ tuæ.

25 Si verò non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis: quoniam Deus eorum defendet illos: & erimus in opprobrium universæ terræ.

26 Et factum est,cùm cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates Holofernis,& cogitabant interficere eum, dicentes ad alterutrum:

27 Quis est iste,qui filios Israël posse dicat resistere regi Nabuchodonosor,& exercitibus ejus,homines inermes, & sine virtute, & sine peritia artis pugnæ.

28 Ut ergo agnoscat Achior quoniam fallit nos, ascendamus in mōtana:& cùm capti fuerint potentes eorū, tunc cum eisdē gladio transverberabitur:

29 Ut sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor deus terræ est, & præter ipsum alius non est.

Caput VI.

Iratus Holofernes jubet Achior duci in Bethuliam, ut ea devicta simul puniatur; at servi à fundibularijs repulsi: eum arbori alligant: quem solutum filij Israël cognita causa benignè consolantur, Deum humiliter implorantes.

A 1 FActum est autem cùm cessassent loqui,indignatus Holofernes vehementer, dixit ad Achior:

2 Quoniam prophetasti nobis dicens, quòd gens Israël defendatur à Deo suo,ut ostendam tibi quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor:

3 Cùm percusserimus eos omnes,sicut hominem unum, tunc & ipse cum illis Assyriorum gladio interibis,& omnis Israël tecum perditione disperiet:

4 Et probabis quoniam Nabuchodonosor dominus sit universæ terræ: túncque gladius militiæ meæ transiet per latera tua, & confixus cades inter vulneratos Israël, & non respirabis ultrà, donec exterminēris cum illis.

5 Porrò autem si prophetiam tuam veram existimas,non concidat vultus tuus,& pallor,qui faciem tuam obtinet, abscedat à te, si verba mea hæc putas impleri non posse. B

6 Ut autem noveris quia simul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo sociaberis,ut,dum dignas mei gladij pœnas exceperint, ipse simul ultioni subjaceas.

7 Tunc Holofernes præcepit servis suis ut comprehenderent Achior,& perducerent eum in Bethuliam,& traderent eum in manus filiorum Israël.

8 Et accipientes eum servi Holofernis, profecti sunt per campestria: sed cùm appropinquassent ad montana,exierunt contra eos fundibularij.

9 Illi autem divertentes à latere montis ligaverunt Achior ad arborem manibus,& pedibus,& sic vinctum restibus dimiserunt eum, & reversi sunt ad dominum suum.

10 Porrò filij Israël descendentes de Bethulia, C venerunt ad eum: Quem solventes duxerunt ad Bethuliam,atque in medium populi illum statuentes, percunctati sunt quid rerum esset, quòd illum vinctum Assyrij reliquissent.

11 In diebus illis erant illic principes, Ozias filius Micha de tribu Simeon, & Charmi, qui & Gothoniel.

12 In medio itaque seniorum, & in conspectu omnium, Achior dixit omnia quæ locutus ipse fuerat ab Holoferne interrogatus: & qualiter populus Holofernis voluisset propter hoc verbum interficere eum,

13 Et quemadmodum ipse Holofernes iratus jusserit eum Israëlitis hac de causa tradi: ut, dum vicerit filios Israël, tunc & ipsum Achior diversis jubeat interire suppliciis, propter hoc quòd dixisset: Deus cæli defensor eorum est.

14 * Cúmque Achior universa hæc exposuisset, * Sup. 5. omnis populus cecidit in faciem,adorantes Dominum, & communi lamentatione & fletu unanimes preces suas Domino effuderunt, a. 6.

15 Dicentes:Domine Deus cæli & terræ,intuere superbiam eorum, & respice ad nostram humilitatem, & faciem sanctorum tuorum attende, & D ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te: & præsumentes de se,& de sua virtute gloriantes, humilias.

16 Finito itaque fletu,& per totam diem oratione populorum completa, consolati sunt Achior,

17 Dicentes:Deus patrum nostrorum, cujus tu virtutem prædicasti, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem, ut eorum magis tu interitum videas.

18 Cùm verò Dominus Deus noster dederit hanc libertatem servis suis, sit & tecum Deus in

Universidad de Deusto
Biblioteca

medio nostri : ut sicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus conversèris nobiscum.

19 Tunc Ozias, finito consilio, susceptit eum in domum suam, & fecit ei cœnam magnam.

20 Et vocatis omnibus presbyteris, simul expleto jejunio refecerunt.

21 Posteà verò convocatus est omnis populus, & per totam noctem intra ecclesiam oraverunt, petentes auxilium à Deo Israël.

Caput VII.

Holofernes Bethuliam obsidet, ac præciso aquæductu jubet fontes omnes custodiri : quapropter cives siti cruciati civitatem tradere cupiunt; Ozias tamen princeps populi persuadet ut ad quinque dies hoc differatur.

A 1 Holofernes autem altera die præcepit exercitibus suis, ut ascenderent contra Bethuliã.

2 Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia, præter præparationes virorum illorum, quos occupaverat captivitas, & abducti fuerant de provinciis & urbibus universæ juventutis.

3 Omnes paraverunt se pariter ad pugnam contra filios Israël, & venerunt per crepidinẽ montis usque ad apicem, qui respicit super Dothain, à loco qui dicitur Belma, usque ad Chelmon qui est contra Esdrelon.

4 Filij autem Israël ut viderunt multitudinem illorum, prostraverunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, unanimes orantes ut Deus Israël misericordiam suam ostenderet super populum suum.

5 Et assumentes arma sua bellica, sederunt per loca, quæ ad angusti itineris tramitẽ dirigunt inter montosa, & erant custodientes ea tota die & nocte.

B 6 Porrò Holofernes, dum circuit per gyrum, reperit quòd fons, qui influebat, aquæ ductum illorum à parte australi extra civitatem dirigeret : & incidi præcepit aquæ ductum illorum.

7 Erant tamen non longè à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam, ad refocillandum potiùs quàm ad potandum.

8 Sed filij Ammon & Moab accesserunt ad Holofernem, dicentes: Filij Israël, non in lancea nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio constituti.

9 Ut ergo sine congressione pugnæ possis superare eos, pone custodes fontium, ut non hauriant aquam ex eis, & sine gladio interficies eos, vel certè fatigati tradent civitatem suam, quam putant in montibus positam superari non posse.

10 Et placuerunt verba hæc coram Holoferne, & coram satellitibus ejus, & constituit per gyrum centenarios per singulos fontes.

C 11 Cúmque ista custodia per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum, omnibus habitantibus Bethuliam, ita ut non esset intra civitatem unde satiarentur vel una die, quoniã ad mensurã dabatur populis aqua quotidie.

12 Tunc ad Oziam congregati omnes viri, feminæque, juvenes, & parvuli, omnes simul una voce

* *Exod.* 13 Dixerunt : * Judicet Deus inter nos & te, *5. d.21.* quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacificè cum Assyriis, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum.

14 Et ideò non est qui adjuvet, cùm prosternamur ante oculos eorum in siti, & perditione magna.

15 Et nunc congregate universos qui in civitate sunt, ut sponte tradamus nos omnes populo Holofernis.

16 Melius est enim ut captivi benedicamus Dominum, viventes, quàm moriamur, & simus opprobrium omni carni, cùm viderimus uxores nostras, & infantes nostros, mori ante oculos nostros.

17 Contestamur hodie cælum & terram, & Deũ patrum nostrorum, qui ulciscitur nos secundùm peccata nostra, ut jam tradatis civitatem in manu militiæ Holofernis, & sit finis noster brevis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate sitis. D

18 Et cùm hæc dixissent, factus est fletus & ululatus magnus in ecclesia ab omnibus, & per multas horas una voce clamaverunt ad Deum, dicentes:

19 * Peccavimus cum patribus nostris, injustè egimus, iniquitatem fecimus. **Ps.105. a.6.*

20 Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te, populo qui ignorat te,

21 Ut non dicant inter Gentes : Ubi est Deus eorum?

22 Et cùm fatigati his clamoribus, & his fletibus lassati siluissent,

23 Exurgens Ozias infusus lacrymis, dixit : Æquo animo estote fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam.

24 Forsitan enim indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo.

25 Si autem transactis quinque diebus non venerit adjutoriũ, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.

Caput VIII.

Iudith, cujus laus describitur, vacillantes presbiteros & præ angustia deditionem quinto die meditantes objurgat, quòd tempus Domini miserationi præscripserint, eósque hortatur ut patrum exemplo populum ad patientiam animent, ac pro se Deum precentur, nec factum suum scrutentur.

1 Et factum est, cùm audisset hæc verba Judith A vidua, quæ erat filia Merari, filij Idox, filij Joseph, filij Oziæ, filij Elai, filij Jamnor, filij Gedeon, filij Raphaim, filij Achitob, filij Melchiæ, filij Enan, filij Nathaniæ, filij Salathiel, filij Simeon, filij Rubẽ.

2 Et vir ejus fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ:

3 Instabat enim super alligantes manipulos in campo, & venit æstus super caput ejus, & mortuus est in Bethulia civitate sua, & sepultus est illic cum patribus suis.

4 Erat autem Judith relicta ejus vidua jam annis tribus, & mensibus sex.

5 Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretũ cubiculũ, in quo cum puellis suis clausa morabatur.

6 Et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israël.

7 Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas, & familiam copiosam, ac possessiones armentis boum & gregibus ovium plenas.

8 Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.

9 Hæc

9 Hæc itaque cùm audisset, quoniam Ozias promisisset quòd transacto quinto die traderet civitatem, misit ad presbyteros Chabri & Charmi.

B 10 Et venerunt ad illam, & dixit illis: quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adjutorium?

11 Et qui estis vos, qui tentatis Dominum?

12 Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorẽ accendat.

13 Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum, diem constituistis ei.

14 Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus:

15 Non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur.

16 Et ideò humiliemus illi animas nostras, & in spiritu constituti humiliato, servientes illi,

17 Dicamus flentes Domino, ut secundùm voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam : ut sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorum, ita etiam de nostra humilitate gloriemur:

18 Quoniam non fumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, & adoraverunt deos alienos,

19 Pro quo scelere dati sunt in gladium, & in rapinam, & in confusionem inimicis suis : nos autem alterum Deum nescimus præter ipsum.

C 20 Expectemus humiles consolationem ejus, & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, & humiliabit omnes Gentes, quæcumque insurgunt contra nos, & faciet illas sine honore Dominus Deus noster.

21 Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, ut memores sint, quia tentati sunt patres nostri ut probarentur, si verè colerent Deum suum.

* *Gen.* 22 * Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. *22. a.1.*

23 Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.

24 Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt,

* *1.Cor.* 25 * Exterminati sunt ab exterminatore, & à *10.b.9.* serpentibus perierunt.

26 Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur,

D 27 Sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem nostram evenisse credamus.

28 Et dixerunt illi Ozias & presbyteri: Omnia, quæ locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis ulla reprehensio.

29 Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, & timens Deum.

30 Et dixit illis Judith : Sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis:

31 Ita quod facere disposui, probate si ex Deo est, & orate ut firmum faciat Deus consilium meum.

32 Stabitis vos ad portam nocte ista, & ego exeam cum abra mea: & orate, ut sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israël.

33 Vos autem nolo ut scrutemini actum meum, & usque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.

34 Et dixit ad eam Ozias princeps Juda: Vade in pace, & Dominus sit tecum in ultionem inimicorum nostrorum. Et revertentes abierunt.

Caput IX.

Judith sese affligens ac humilians, pro populi liberatione prostrata precatur, utque sibi virtus detur evertendi Holofernem.

1 Quibus abscedentibus, Judith ingressa est A oratorium suum: & induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum : & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum, dicens :

2 Domine Deus patris mei Simeon, * qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, ** Gen. 34.d.26* qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudaverunt femur virginis in confusionem :

3 Et dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captivitatem, & omnem prædam in divisionem servis tuis, qui zelaverunt zelum tuum: subveni quæso te Domine Deus meus mihi viduæ.

4 Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti: & hoc factum est quod ipse voluisti. B

5 Omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, & tua judicia in tua providentia posuisti.

6 * Respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc ** Exod. 14.b.9.* castra Ægyptiorũ videre dignatus es, quando post servos tuos armati currebant, confidẽtes in quadrigis, & in equitatu suo, & in multitudine bellatorum.

7 Sed aspexisti super castra eorum, & tenebræ fatigaverunt eos.

8 Tenuit pedes eorum abyssus, & aquæ operuerunt eos.

9 Sic fiant & isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in contis, & in scutis, & in sagittis suis, & in lanceis gloriantur, C

10 Et nesciunt quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, & Dominus nomen est tibi.

11 Erige brachium tuum sicut ab initio, & allide virtutem illorum in virtute tua: cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta tua, & polluere tabernaculum nominis tui, & dejicere gladio suo cornu altaris tui.

12 Fac Domine, ut gladio proprio ejus superbia amputetur:

13 Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ.

14 Da mihi in animo constantiam, ut contemnam illum; & virtutem, ut evertam illum. D

15 * Erit enim hoc memoriale nominis tui, cùm ** Iud.4. d.21. 5. d.26.* manus feminæ dejecerit eum.

16 Non enim in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.

17 Deus cælorum, creator aquarum, & Dominus totius

Universidad de Deusto
Biblioteca

totius creaturæ,exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem.

18 Memento Domine testamenti tui,& da verbum in ore meo,& in corde meo consilium corrobora,ut domus tua in sanctificatione tua permaneat:

19 Et omnes Gentes agnoscant,quia tu es Deus, & non est alius præter te.

Caput X.

Judith pulcherrima aptissimè ornata Bethuliam cum sua ancilla egreditur, & ab exploratoribus deprehensa ducitur ad Holofernem, qui mox ejus capitur pulchritudine.

A 1 FActum est autem, cùm cessasset clamare ad Dominum, surrexit de loco, in quo jacuerat prostrata ad Dominum.

2 Vocavítque abram suam, & descendens in domum suam, abstulit à se cilicium,& exuit se vestimentis viduitatis suæ,

3 Et lavit corpus suum,& unxit se myro optimo, & discriminavit crinem capitis sui,& imposuit mitram super caput suum,& induit se vestimentis jucunditatis suæ, induítque sandalia pedibus suis, assúmpsitque dextraliola,& lilia, & inaures, & annulos,& omnibus ornamentis suis ornavit se.

4 Cui etiam Dominus contulit splendorem,quoniam omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute pendebat: & ideò Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.

B 5 Imposuit itaque abræ suæ ascoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes,& caseum, & profecta est.

6 Cúmque venissent ad portam civitatis,invenerunt expectantem Oziam & presbyteros civitatis.

7 Qui cùm vidissent eam,stupentes mirati sunt nimis pulchritudinem ejus.

8 Nihil tamen interrogantes eam, dimiserunt transire,dicentes:Deus patrum nostrorum det tibi gratiam, & omne consilium tui cordis sua virtute corroboret, ut glorietur super te Jerusalem, & sit nomen tuum in numero sanctorum & justorum.

9 Et dixerunt hi qui illic erant, omnes una voce: Fiat, fiat.

10 Judith verò orans Dominum transivit per portas ipsa & abra ejus.

11 Factum est autem,cùm descenderet montem circa ortum diei,occurrerunt ei exploratores Assyriorum,& tenuerunt eam dicentes: Unde venis? C aut quò vadis?

12 Quæ respondit: Filia sum Hebræorum, ideò ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnovi, quòd dentur vobis in deprædationem,pro eo quòd contemnentes vos,noluerunt ultrò tradere seipsos, ut invenirent misericordiam in conspectu vestro.

13 Hac de causa cogitavi mecum dicens: Vadam ad faciem principis Holofernis, ut indicem illi secreta illorum,& ostendam illi quo aditu possit obtinere eos,ita ut non cadat vir unus de exercitu ejus.

14 Et cùm audissent viri illi verba ejus,considerabant faciem ejus, & erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem ejus mirabantur nimis.

D 15 Et dixerunt ad eam: Conservasti animam tuam,eò quòd tale reperisti consilium, ut descenderes ad dominum nostrum.

16 Hoc autem scias, quoniam cùm steteris in conspectu ejus, benè tibi faciet, & eris gratissima in corde ejus. Duxerúntque illam ad tabernaculum Holofernis, annuntiantes eam.

17 Cúmque intrasset ante faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holofernes.

18 Dixerúntque ad eum satellites ejus: Quis contemnat populum Hebræorum,qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his meritò pugnare contra eos debeamus?

19 Videns itaque Judith Holofernem sedentem in conopeo, quod erat ex purpura,& auro, & smaragdo,& lapidibus pretiosis intextum:

20 Et cùm in faciem ejus intendisset, adoravit eum, prosternens se super terram. Et elevaverunt eam servi Holofernis, jubente domino suo.

Caput XI.

Judith ab Holoferne super causa fugæ sua interrogata imponit illi, speciosam pollicens victoriam.

A 1 TUnc Holofernes dixit ei: Æquo animo esto, & noli pavere in corde tuo:quoniam ego nunquam nocui viro,qui voluit servire Nabuchodonosor regi.

2 Populus autem tuus,si non contempsisset me, non levassem lanceam meam super eum.

3 Nunc autem dic mihi, qua ex causa recessisti ab illis, & placuit tibi ut venires ad nos?

4 Et dixit illi Judith: Sume verba ancillæ tuæ, quoniam si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum.

5 Vivit enim Nabuchodonosor rex terræ,& vivit virtus ejus,quæ est in te ad correptionem omnium animarum errantium: quoniam non solùm homines serviunt illi per te, sed & bestiæ agri obtemperant illi.

B 6 Nuntiatur enim animi tui industria universis gentibus, & indicatum est omni sæculo, quoniam tu solus bonus & potens es in omni regno ejus, & disciplina tua omnibus provinciis prædicatur.

7 * Nec hoc latet,quod locutus est Achior;nec illud ignoratur,quod ei jusseris evenire. *Sup. 5. a. 5.

8 Constat enim, Deum nostrum sic peccatis offensum,ut mandaverit per prophetas suos ad populum,quòd tradat eum pro peccatis suis.

9 Et quoniam sciunt se offendisse Deum suum filij Israël, tremor tuus super ipsos est.

10 Insuper etiam fames invasit eos, & ab ariditate aquæ jam inter mortuos computantur.

11 Denique hoc ordinant,ut interficiant pecora sua, & bibant sanguinem eorum: C

12 Et sancta Domini Dei sui,quæ præcepit Deus nõ contingi,in frumento,vino,& oleo,hæc cogitaverunt impendere, & volunt consumere quæ nec manibus deberent contingere: ergo quoniam hæc faciunt, certum est quòd in perditionem dabũtur.

13 Quod ego ancilla tua cognoscens,fugi ab illis, & misit me Dominus hæc ipsa nuntiare tibi.

14 Ego enim ancilla tua Deum colo,etiam nunc apud te: & exiet ancilla tua,& orabo Deum,

15 Et dicet mihi quando eis reddat peccatum suum,& veniens nuntiabo tibi,ita ut ego adducam te per mediam Jerusalem, & habebis omnem populum Israël,sicut oves, quibus non est pastor, & D non latrabit vel unus canis contra te:

16 Quoniã hæc mihi dicta sũt per providentiã Dei.

17 Et

17 Et quoniam iratus est illis Deus, hæc ipsa missa sum nuntiare tibi.

18 Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne, & coram pueris ejus, & mirabantur sapientiam ejus,& dicebant alter ad alterum:

19 Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.

20 Et dixit ad illam Holofernes:Benefecit Deus qui misit te ante populum ut des illum tu in manibus nostris:

21 Et quoniam bona est promissio tua, si fecerit mihi hoc Deus tuus, erit & Deus meus, & tu in domo Nabuchodonosor magna eris, & nomen tuum nominabitur in universa terra.

Caput XII.

Judith in locum thesaurorum Holofernis introducta, facultatem obtinet propriis vescendi cibis, noctéque ad orationem egrediendi: quarto autem die in convivium inducta, coram Holoferne comedit & bibit, qui ejus concupiscentia ardens, vehementer inebriatur.

A 1 TUnc jussit eam introire ubi repositi erant thesauri ejus, & jussit illic manere eam, & constituit quid daretur illi de convivio suo.

2 Cui respondit Judith, & dixit: Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat super me offensio: ex his autem, quæ mihi detuli,manducabo.

3 Cui Holofernes ait:Si defecerint tibi ista,quæ tecum detulisti, quid faciemus tibi?

4 Et dixit Judith: Vivit anima tua domine meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua,donec faciat Deus in manu mea hæc quæ cogitavi. Et induxerunt illam servi ejus in tabernaculum, quod præceperat. B

5 Et petiit dum introiret,ut daretur ei copia nocte & ante lucem egrediendi foras ad orationem, & deprecandi Dominum.

6 Et præcepit cubicularijs suis,ut sicut placeret illi,exiret & introiret ad adorandum Deum suum, per triduum:

7 Et exibat noctibus in vallem Bethuliæ,& baptizabat se in fonte aquæ.

8 Et ut ascendebat,orabat Dominũ Deum Israël, ut dirigeret viam ejus ad liberationem populi sui.

9 Et introiens, munda manebat in tabernaculo, usque dum acciperet escam suam in vespere.

10 Et factum est, in quarto die Holofernes fecit cœnam servis suis,& dixit ad Vagao eunuchum C suum: Vade, & suade Hebræam illam, ut sponte consentiat habitare mecum.

11 Fœdum est enim apud Assyrios,si femina irrideat virum, agendo ut immunis ab eo transeat.

12 Tunc introivit Vagao ad Judith,& dixit:Non vereatur bona puella introire ad dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus, ut manducet cum eo, & bibat vinum in jucunditate.

13 Cui Judith respondit:Quæ ego sum, ut contradicam domino meo?

14 Omne quod erit ante oculos ejus bonum & optimum faciam. Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ.

D 15 Et surrexit, & ornavit se vestimento suo, & ingressa stetit ante faciem ejus.

16 Cor autem Holofernis concussum est: erat enim ardens in concupiscentia ejus.

17 Et dixit ad eam Holofernes: Bibe nunc, & accumbe in jucunditate, quoniam invenisti gratiam coram me.

18 Et dixit Judith: Bibam domine, quoniam magnificata est anima mea hodie præ omnibus diebus meis.

19 Et accepit, & manducavit,& bibit coram ipso,ea quæ paraverat illi ancilla ejus.

20 Et jucundus factus est Holofernes ad eam, bibítque vinum multum nimis, quantum numquam biberat in vita sua.

Caput XIII.

Judith facta ad Deum oratione præscidit caput ebrij Holofernis: quod ad concives Bethuliæ efferens, eos ad gratiarum actionem hortatur; ipsa verò ab omnibus benedicitur, & Achior viso Holofernis capite obstupescit.

A 1 UT autem serò factum est, festinaverunt servi illius ad hospitia sua, & conclusit Vagao ostia cubiculi, & abiit.

2 Erant autem omnes fatigati à vino:

3 Erátque Judith sola in cubiculo.

4 Porrò Holofernes jacebat in lecto,nimia ebrietate sopitus.

5 Dixítque Judith puellæ suæ ut staret foris ante cubiculum, & observaret.

6 Stetítque Judith ante lectum, orans cum lacrymis, & labiorum motu in silentio,

7 Dicens: Confirma me Domine Deus Israël, respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut sicut promisisti, Jerusalem civitatem tuam erigas: & hoc, quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam.

8 Et cùm hæc dixisset, accessit ad columnam, quæ erat ad caput lecti ejus, & pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat,exolvit.

9 Cúmque evaginasset illum, apprehendit comam capitis ejus, & ait: Confirma me Domine Deus in hac hora.

10 Et percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus, & abstulit conopeum ejus à columnis, & evolvit corpus ejus truncum.

11 Et post pusillum exivit,& tradidit caput Holofernis ancillæ suæ,& jussit ut mitteret illud in peram suam. B

12 Et exierunt duæ, secundùm consuetudinem suam, quasi ad orationem, & transierunt castra, & gyrantes vallem, venerunt ad portam civitatis.

13 Et dixit Judith à longè custodibus murorum: Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israël.

14 Et factum est,cùm audissent viri vocem ejus, vocaverunt presbyteros civitatis.

15 Et concurrerunt ad eam omnes, à minimo usque ad maximum: quoniam sperabant eam jam non esse venturam.

16 Et accendentes luminaria congyraverunt circa eam universi: illa autem ascendens in eminentiorem locum,jussit fieri silentium.Cúmque omnes tacuissent,

17 Dixit Judith:Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se:

18 Et in me ancilla sua adimplevit misericordiam suam,quam promisit domui Israël: & interfecit

Universidad de Deusto
Biblioteca

terfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte.
19 Et proferens de pera caput Holofernis,ostendit illis, dicens : Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorum, & ecce conopeum illius, in quo recumbebat in ebrietate sua, ubi per manum fœminæ percussit illum Dominus Deus noster.
C 20 Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus,& hinc euntem,& ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari,sed sine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria sua,in evasione mea,& in liberatione vestra.
*Psl.105. n.1.106. n. 1. 21 *Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.
22 Universi autem adorantes Dominum, dixerunt ad eam:Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.
23 Porrò Ozias princeps populi Israël, dixit ad eam : Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram.
24 Benedictus Dominus, qui creavit cælum & terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum :
D 25 Quia hodie nomen tuum ita magnificavit,ut non recedat laus tua de ore hominum,qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ, propter angustias & tribulationem generis tui, sed subvenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri.
26 Et dixit omnis populus : Fiat, fiat.
27 Porrò Achior vocatus venit,& dixit ei Judith: Deus Israël,cui tu testimonium dedisti quòd ulciscatur se de inimicis suis, ipse caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea.
28 Et ut probes quia ita est, ecce caput Holofernis, qui in contemptu superbiæ suæ Deum Israël contempsit, & tibi interitum minabatur, dicens: Cùm captus fuerit populus Israël,gladio perforari præcipiam latera tua.
29 Videns autem Achior caput Holofernis,angustiatus præ pavore,cecidit in faciem suam super terram, & æstuavit anima ejus.
30 Posteà verò quàm resumpto spiritu recreatus est, & procidit ad pedes ejus, & adoravit eam, & dixit:
31 Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Jacob,quoniam in omni gente,quæ audierit nomen tuum,magnificabitur super te Deus Israël.

Caput XIV.

Holofernis capite in muro suspenso, Achiorque circumciso, Judæi in Assyrios irruunt ; qui Holofernem excitantes, mortuúmque invenientes, vehementi timore concutiuntur.

A 1 DIxit autem Judith ad omnem populum:Audite me fratres, suspendite caput hoc super muros nostros:
2 Et erit,cùm exierit Sol, accipiat unusquisque arma sua, & exite cum impetu, non ut descendatis deorsum, sed quasi impetum facientes.
3 Tunc exploratores necesse erit ut fugiant ad principem suum excitandum ad pugnam.
4 Cúmque duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis, & invenerint eum truncum in suo sanguine volutatũ, decidet super eos timor.
5 Cúmque cognoveritis fugere eos,ite post illos securi, quoniam Dominus conteret eos sub pedibus vestris. B
6 Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Israël, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo,& circumcidit carnem præputij sui, & appositus est ad populum Israël, & omnis successio generis ejus usque in hodiernum diem.
7 Mox autem ut ortus est dies,suspenderunt super muros caput Holofernis,accepítque unusquisque vir arma sua, & egressi sunt cum grandi strepitu & ululatu.
8 Quod videntes exploratores,ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt.
9 Porrò hi qui in tabernaculo erant,venientes, & ante ingressum cubiculi perstrepentes,excitandi gratia, inquietudinem arte moliebantur, ut non ab excitantibus,sed à sonãtibus Holofernes evigilaret. C
10 Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrando aperire.
11 Sed cùm venissent ejus duces ac tribuni, & universi majores exercitus regis Assyriorum,dixerunt cubiculariis:
12 Intrate, & excitate illum, quoniam egressi mures de cavernis suis,ausi sunt provocare nos ad prælium.
13 Tunc ingressus Vagao cubiculum ejus, stetit ante cortinam,& plausum fecit manibus suis:suspicabatur enim illum cum Judith dormire.
14 Sed cùm nullum motum jacentis sensu auriũ D caperet,accessit proximans ad cortinam,& elevans eam, vidensque cadaver absque capite Holofernis in suo sanguine tabefactũ jacere super terrã,exclamavit voce magna cũ fletu,& scidit vestimenta sua.
15 Et ingressus tabernaculum Judith,non invenit eam, & exiliit foras ad populum,
16 Et dixit: Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor, ecce enim Holofernes jacet in terra,& caput ejus nõ est in illo.
17 Quod cùm audissent principes virtutis Assyriorum, sciderunt omnes vestimenta sua, & intolerabilis timor & tremor cecidit super eos,& turbati sunt animi eorum valdè.
18 Et factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum.

Caput XV.

Assyrij persequentes Hebræos,omnibus relictis fugiunt ; at illi,spoliis collectis, plurimum ditati sunt : Judith autem à pontifice & populo benedicitur, & quæ Holofernis propria fuerant, ipsi traduntur.

1 CUmque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens & consilium ab eis,& solo tremore & metu agitati,fugæ præsidium sumunt, A
2 Ita ut nullus loqueretur cum proximo suo,sed inclinato capite,relictis omnibus,evadere festinabant Hebræos,quos armatos super se venire audiebant, fugientes per vias camporũ & semitas colliũ.
3 Videntes itaque filij Israël fugientes, secuti sunt illos. Descenderúntque clangentes tubis, & ululantes post ipsos.
4 Et quoniam Assyrij non adunati,in fugam ibant præcipites:filij autem Israël uno agmine persequẽtes, debilitabant omnes,quos invenire potuissent.
5 Misit

5 Misit itaque Ozias nuntios per omnes civitates & regiones Israël.
6 Omnis itaque regio, omnísque urbs, electam juventutem armatam misit post eos, & persecuti sunt eos in ore gladij, quousque pervenirent ad extremitatem finium suorum.
7 Reliqui autem qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, & prædam, quam fugientes Assyrij reliquerant, abstulerunt, & onustati sunt valdè.
C 8 Hi verò, qui victores reversi sunt ad Bethuliam, omnia quæ erant illorum attulerunt secum,ita ut non esset numerus in pecoribus,& jumentis,& universis mobilibus eorum, ut à minimo usque ad maximum omnes divites fierent de prædationibus eorum.
9 Joacim autem summus pontifex,de Jerusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Judith.
10 Quæ cùm exisset ad illum,benedixerunt eam omnes una voce, dicentes: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël : tu honorificentia populi nostri :
11 Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaveris,& post virum tuum,alterum nescieris : ideò & manus Domini confortavit te, & ideò eris benedicta in æternum. D
12 Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.
13 Per dies autem triginta,vix collecta sunt spolia Assyriorum à populo Israël.
14 Porrò autem universa, quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt,dederunt Judith in auro,& argento, & vestibus, & gemmis, & omni supellectili, & tradita sunt omnia illi à populo.
15 Et omnes populi gaudebant,cum mulieribus, & virginibus, & juvenibus, in organis & citharis.

Caput XVI.

Canticum Judith ob victoriam : venit populus Ierusalem holocausta cum gratiarum actionibus oblaturus : tandémque Judith plena dierum moritur; & dies hujus victoriæ perpetuò apud Judæos in numero sanctorum dierum celebratur.

A 1 TUnc cantavit canticum hoc Domino Judith, dicens:
2 Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis,modulamini illi psalmum novum, exaltate & invocate nomen ejus.
A 3 Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.
4 Qui posuit castra sua in medio populi sui, ut eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum.
5 Venit Assur ex montibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis suæ : cujus multitudo obturavit torrentes, & equi eorum cooperuerunt valles.
6 Dixit se incensurum fines meos, & juvenes meos occisurum gladio,infantes meos dare in prædam, & virgines in captivitatem.
7 Dominus autem omnipotens nocuit eum, & tradidit eum in manus fœminæ, & confodit eum.
B 8 Non enim cecidit potens eorum à juvenibus, nec filij Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi, sed Judith filia Merari in specie faciei suæ dissolvit eum.
9 Exuit enim se vestimento viduitatis,& induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israël.
10 Unxit faciem suam unguento, & colligavit cincinnos suos mitra, accepit stolam novam ad decipiendum illum.
11 Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus,pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus, amputavit pugione cervicem ejus,
12 Horruerunt Persæ constantiam ejus,& Medi audaciam ejus.
13 Tunc ululaverunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei,arescentes in siti.
14 Filij puellarum compunxerunt eos, & sicut pueros fugientes occiderunt eos:perierunt in prælio à facie Domini Dei mei.
15 Hymnum cantemus Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro.
16 Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest. C
17 Tibi serviet omnis creatura tua: *quia dixisti, & facta sunt : misisti spiritum tuum, & creata sunt, & non est qui resistat voci tuæ. *Gen. 1. Psl. 32.v. 9.
18 Montes à fundamentis movebuntur cum aquis petræ sicut cera, liquescent ante faciem tuam.
19 Qui autem timent te,magni erunt apud te per omnia.
20 Væ genti insurgenti super genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die judicij visitabit illos.
21 Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum,ut urantur, & sentiant usque in sempiternum.
22 Et factum est post hæc, omnis populus post victoriam venit in Jerusalem adorare Dominum : & mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, & vota, & repromissiones suas.
23 Porrò Judith,universa vasa bellica Holofernis,quæ dedit illi populus,& conopeum, quod ipsa D sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.
24 Erat autem populus jucundus secundùm faciem sanctorum, & per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est cum Judith.
25 Post dies autem illos unusquisque rediit in domum suam, & Judith magna facta est in Bethulia, & præclarior erat universæ terræ Israël.
26 Erat etiam virtuti castitas adjuncta,ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir ejus.
27 Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria.
28 Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque,& dimisit abram suam liberam,& defuncta est ac sepulta cum viro suo in Bethulia.
29 Luxítque illam omnis populus diebus septem.
30 In omni autem spatio vitæ ejus non fuit,qui perturbaret Israël, & post mortem ejus annis multis.
31 Dies autem victoriæ hujus festivitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem.

LIBER ESTHER.

Caput Primum.

Assuero ad potentiæ & gloriæ sue ostentationem splendidum celebrante convivium, regina Vasthi accersita venire recusat, ideoque repudiatur; & sapientum consilio edictum promulgatur, ut uxores maritis deferant honorem.

A 1 IN diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiam, super centum viginti septem provincias:

2 Quando sedit in solio regni sui, Susan civitas regni ejus exordium fuit.

3 Tertio igitur anno imperij sui, fecit grande convivium cunctis principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis provinciarum coram se,

4 Ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus.

5 Cúmque implerentur dies convivij, invitavit omnem populum, qui inventus est in Susan, à maximo usque ad minimum: & jussit septem diebus
B convivium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu consitum erat.

6 Et pendebant ex omni parte tentoria aërij coloris, & carbasini ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei, super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide, dispositi erant: quod mira varietate pictura decorabat.

7 Bibebant autem qui invitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur.

8 Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet.

9 Vasthi quoque regina fecit convivium feminarum, in palatio, ubi rex Assuerus manere consueverat.

C 10 Itaque die septimo, cùm rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit Maümam, & Bazatha, & Harbona, & Bagatha, & Abgatha, & Zethar, & Charchas, septem eunuchis, qui in conspectu ejus ministrabant,

11 Ut introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput ejus diademate, ut ostenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valdè.

12 Quæ renuit, & ad regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit. Unde iratus rex, & nimio furore succensus,

13 Interrogavit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac jura majorum.

14 (Erant autem primi & proximi, Charsena, & Sethar, & Admatha, & Tharsis, & Mares, & Marsana, & Mamuchan, septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, & primi post eum residere soliti erant)

15 Cui sententiæ Vasthi regina subjaceret, quæ Assueri regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, facere noluisset.

16 Respondítque Mamuchan, audiente rege, atque principibus, Non solùm regem læsit regina Vasthi, sed & omnes populos, & principes, qui sunt in cunctis provinciis regis Assueri.

17 Egredietur enim sermo reginæ ad omnes D mulieres, ut contemnant viros suos, & dicant: Rex Assuerus jussit ut regina Vasthi intraret ad eum, & illa noluit.

18 Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Persarum atque Medorum, parvipendent imperia maritorum: unde regis justa est indignatio.

19 Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & scribatur juxta legem Persarum atque Medorum, quam præteriri illicitum est, ut nequaquam ultrà Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius, altera, quæ melior est illa, accipiat.

20 Et hoc in omne (quod latissimum est) provinciarum tuarum divulgetur imperium, & cunctæ uxores tam majorum, quàm minorum, deferant maritis suis honorem.

21 Placuit consilium ejus regi, & principibus: fecítque rex juxta consilium Manuchan,

22 Et misit epistolas ad universas provincias regni sui, ut quæque gens audire & legere poterat, diversis linguis & litteris, esse viros principes ac majores in domibus suis: & hoc per cunctos populos divulgari.

Caput II.

Præ ceteris virginibus Assuero quæsitis Esther neptis occulta Mardochæi Iudæi placens, regina loco Vasthi facta est, celebrato nuptiarum magnifico convivio, ac datis muneribus. Porrò Mardochæus ad ostium palatij manens, eunuchos regi insidiantes prodit; quod factum Mardochæi, annalibus inscribitur.

1 HIs ita gestis, postquam regis Assueri indigna- A tio deferbuerat, recordatus est Vasthi, & quæ fecisset, vel quæ passa esset:

2 Dixerúntque pueri regis, ac ministri ejus: Quærantur regi puellæ virgines ac speciosæ,

3 Et mittantur qui considerent per universas provincias puellas speciosas & virgines: & adducant eas ad civitatem Susan, & tradant eas in domum feminarum sub manu Egei eunuchi, qui est præpositus & custos mulierum regiarum: & accipiant mundum muliebrem, & cetera ad usus necessaria.

4 Et quæcumque inter omnes oculis regis placuerit, ipsa regnet pro Vasthi. Placuit sermo regi: & ita, ut suggesserant, jussit fieri.

5 Erat vir Judæus in Susan civitate, vocabulo Mardochæus: * filius Jair, filij Semei, filij Cis, de stirpe Jemini, *Inf. 11. b. 4.

6 Qui translatus fuerat de Jerusalem eo tempore

* quo Jechoniam regem Juda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat, *4. Reg. 24. d. 15.

7 Qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther: & utrumque parentem amiserat: pulchra nimis, & decora facie. Mortuisque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam.

B 8 Cúmque percrebruisset regis imperium, & juxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Susan, & Egeo traderentur eunucho; Esther quoque inter ceteras puellas ei tradita est, ut servaretur in numero feminarum.

9 Quæ placuit ei, & invenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit eunucho, ut acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes suas, & septem puellas speciosissimas de domo regis, & tam ipsam quàm pedissequas ejus ornaret atque excoleret.

10 Quæ noluit indicare ei populum & patriam suam: Mardochæus enim præceperat ei, ut de hac re omnino reticeret:

11 Qui deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virgines servabantur, curam agens salutis Esther, & scire volens quid ei accideret.

12 Cùm autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, ut intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, mensis duodecimus vertebatur: ita dumtaxat, ut sex mensibus oleo ungerentur myrrhino, & aliis sex quibusdam pigmentis & aromatibus uterentur.

13 Ingredientésque ad regem, quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant, & ut eis placuerat, compositæ de triclinio feminarum ad regis cubiculum transibant.

14 Et quæ intraverat vespere, egrediebatur manè, atque inde in secundas ædes deducebatur, quæ sub manu Susagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præsidebat: nec habebat potestatem ad regem ultrà redeundi, nisi voluisset rex, & eam venire jussisset ex nomine.

15 Evoluto autem tempore per ordinem, instabat dies, quo Esther filia Abihail fratris Mardochæi, quam sibi adoptaverat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæsivit muliebrem cultum, sed quæcumque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur.

16 Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth, septimo anno regni ejus.

17 Et adamavit eam rex plus quàm omnes mulieres, habuítque gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite ejus, fecítque eam regnare in loco Vasthi.

D 18 Et jussit convivium præparari permagnificum cunctis principibus, & servis suis, pro conjunctione & nuptiis Esther. Et dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem.

19 Cúmque secundò quærerentur virgines & cõgregarentur, Mardochæus manebat ad januã regis:

20 Necdum prodiderat Esther patriam, & populum suum, juxta mandatum ejus. Quidquid enim ille præcipiebat, observabat Esther: & ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat quo eam parvulam nutriebat.

21 Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis januam morabatur, irati sunt Bagathan & Thares duo eunuchi regis, qui janitores erant, & in primo palatij limine præsidebant: voluerúntque insurgere in regem, & occidere eum.

22 Quod Mardochæum non latuit, statímque nuntiavit reginæ Esther; & illa regi, ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat.

23 Quæsitum est, & inventum: & appensus est uterque eorum in patibulo. Mandatúmque est historiis, & annalibus traditum coram rege.

Caput III.

Aman à rege sublimatus, indignatur quòd solus Mardochæus Iudæus ipsum non adoret: quapropter omnium Iudæorum interitum ab Assuero impetrat; mittitque ad universas provincias litteras regio annulo signatas, ut tertiodecimo die mensis duodecimi universi ubique Iudæi occidantur.

1 POst hæc rex Assuerus exaltavit Aman filium A
Amadathi, qui erat de stirpe Agag: & posuit solium ejus super omnes principes, quos habebat.

2 Cunctíque servi regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim præceperat eis imperator. solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum.

3 Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatij præsidebant: Cur præter ceteros non observas mandatum regis?

4 Cúmque hoc crebriùs dicerent, & ille nollet audire, nuntiaverunt Aman, scire cupientes utrùm perseveraret in sententia: dixerat enim eis se esse Judæum.

5 Quod cùm audissent Aman, & experimento probassent quòd Mardochæus non flecteret sibi ge- B
nu, nec se adoraret, iratus est valdè,

6 Et pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas: audierat enim quòd esset gentis Judææ. magísque voluit omnem Judæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem.

7 Mense primo (cujus vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam, quæ Hebraicè dicitur phur, coram Aman, quo die & quo mense gens Judæorum deberet interfici: & exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar.

8 Dixítque Aman regi Assuero: Est populus per omnes provincias regni tui dispersus, & à se mutuò separatus, novis utens legibus & ceremoniis, insuper & regis scita contemnens. Et optimè nosti quòd non expediat regno tuo ut insolescat C
per licentiam.

9 Si tibi placet, decerne ut pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.

10 Tulit ergo rex annulum, quo utebatur de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Judæorum,

11 Dixítque ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum sit. de populo age quod tibi placet.

12 Vocatíque sunt scribæ regis mense primo

Niſan, tertiadecima die ejuſdem mẽſis, & ſcriptum eſt, ut juſſerat Aman, ad omnes ſatrapas regis & judices provinciarum, diverſarúmque gentium, ut quæque gens legere poterat,& audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Aſſueri: & litteræ ſignatæ ipſius annulo,

13 Miſſæ ſunt per curſores regis ad univerſas provincias, ut occiderent atque delerent omnes Judæos, à puero uſque ad ſenem, parvulos & mulieres, uno die, hoc eſt, tertiodecimo menſis duodecimi,qui vocatur Adar,& bona eorum diriperent.

14 Summa autem epiſtolarum hæc fuit, ut omnes provinciæ ſcirent,& pararent ſe ad prædictam diem.

15 Feſtinabant curſores, qui miſſi erant, regis imperium explere. Statímque in Suſan pependit edictum, rege & Aman celebrante convivium, & cunctis Judæis, qui in urbe erant, flentibus.

Caput IV.

Luctus Mardochæi ac reliquorum Iudæorum ob paratum ipſis interitum: Eſther autem ut juſſu Mardochæi Iudæorum neci occurrat,& non vocata ad regem ingrediatur, jubet cum jejunio pro ſe triduo orari, idem ipſa faciente.

A 1 QUæ cùm audiſſet Mardochæus,ſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti: & in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, oſtendens amaritudinem animi ſui,

2 Et hoc ejulatu uſque ad fores palatij gradiens. Non enim erat licitum indutum ſacco aulam regis intrare.

3 In omnibus quoque provinciis,oppidis,ac locis,ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, & fletus ſacco & cinere multis pro ſtrato utentibus.

B 4 Ingreſſæ autem ſunt puellæ Eſther & eunuchi, nuntiaverúntque ei.Quod audiens conſternata eſt: & veſtem miſit, ut ablato ſacco induerent eum, quam accipere noluit.

5 Accitóque Athach eunucho, quem rex miniſtrum ei dederat, præcepit ei ut iret ad Mardochæum, & diſceret ab eo cur hoc faceret.

6 Egreſſúſque Athach, ivit ad Mardochæum ſtantem in platea civitatis, ante oſtium palatij:

7 Qui indicavit ei omnia quæ acciderant, quo modo Aman promiſiſſet, ut in theſauros regis pro Judæorum nece inferret argentum.

8 Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Suſan, dedit ei, ut reginæ oſtenderet, & moneret eam, ut intraret ad regem, & deprecaretur eum
C pro populo ſuo.

9 Regreſſus Athach,nuntiavit Eſther omnia,quæ Mardochæus dixerat.

10 Quæ reſpondit ei,& juſſit ut diceret Mardochæo:

11 Omnes ſervi regis,& cunctæ,quæ ſub ditione ejus ſunt,norunt provinciæ, quòd ſive vir, ſive mulier, non vocatus,interius atrium regis intraverit, abſque ulla cunctatione ſtatim interficiatur:niſi fortè rex auream virgam ad eum tetenderit pro ſigno clementiæ, atque ita poſſit vivere. Ego igitur quo modo ad regem intrare potero,quæ triginta jam diebus non ſum vocata ad eum?

12 Quod cùm audiſſet Mardochæus,

13 Rurſum mandavit Eſther, dicens: Ne putes quòd animam tuam tantùm liberes, quia in domo D
regis es præ cunctis Judæis:

14 Si enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Judæi: & tu, & domus patris tui peribitis.Et quis novit,utrùm idcircò ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris?

15 Rurſúmque Eſther hæc Mardochæo verba mandavit:

16 Vade & congrega omnes Judæos, quos in Suſan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus,& tribus noctibus: & ego cum ancillis meis ſimiliter jejunabo, & tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens,non vocata,tradénſque me morti & periculo.

17 Ivit itaque Mardochæus, & fecit omnia quæ ei Eſther præceperat.

Caput V.

Eſther ad regem ingreſſa poſtulat ut cum Aman ad ſuum veniat convivium; in quo ab exhilarato rege de ſua petitione interrogata, rurſum utrumque ad ſequentis diei convivium invitat: interea Aman indignatus ſe à Mardochæo non honorari, crucem illi parat.

1 DIe autem tertio induta eſt Eſther regalibus A
veſtimentis, & ſtetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra baſilicam regis: at ille ſedebat ſuper ſolium ſuum in conſiſtorio palatij contra oſtium domus.

2 Cúmque vidiſſet Eſther reginam ſtantem, placuit oculis ejus, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu.Quæ accedens,oſculata eſt ſummitatem virgæ ejus.

3 Dixítque ad eam rex: Quid vis Eſther regina? quæ eſt petitio tua? etiam ſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.

4 At illa reſpondit: Si regi placet, obſecro ut venias ad me hodie, & Aman tecum, ad convi- B
vium quod paravi.

5 Statímque rex, Vocate, inquit,citò Aman, ut Eſther obediat voluntati. Venerunt itaque rex & Aman ad convivium, quod eis regina paraverat.

6 Dixítque ei rex, poſtquam vinum biberat abundanter: Quid petis ut detur tibi? & pro qua re poſtulas? etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris,impetrabis.

7 Cui reſpondit Eſther: petitio mea, & preces ſunt iſtæ:

8 Si inveni in conſpectu regis gratiam, & ſi regi placet ut det mihi quod poſtulo, & meam impleat petitionem: veniat rex & Aman ad con- C
vivium quod paravi eis, & cras aperiam regi voluntatem meam.

9 Egreſſus eſt itaque illo die Aman lætus & alacer. Cúmque vidiſſet Mardochæum ſedentem antè fores palatij, & non ſolùm non aſſurrexiſſe ſibi, ſed nec motum quidem de loco ſeſſionis ſuæ, indignatus eſt valdè:

10 Et diſſimulata ira reverſus in domũ ſuam,convocavit ad ſe amicos ſuos,& Zares uxorem ſuam:

11 Et expoſuit illis magnitudinem divitiarum ſuarum, filiorúmque turbam, & quanta eum D
gloria ſuper omnes principes & ſervos ſuos rex elevaſſet.

12 Et

12 Et poſt hæc ait:Regina quoque Eſther nullum alium vocavit ad convivium cum rege, præter me: apud quam etiam cras cum rege pranſurus ſum.

13 Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto,quamdiu videro Mardochæum Judæum ſedentem ante fores regias.

14 Reſponderúntque ei,Zares uxor ejus, & ceteri amici:Jube parari excelſam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos,& dic manè regi ut appendatur ſuper eam Mardochæus, & ſic ibis cum rege lætus ad convivium. Placuit ei conſilium, & juſſit excelſam parari crucem.

Caput VI.

Rex in lectis ſibi nocte annalibus Mardochæi fidelitatem in detectis adverſus regem eunuchorum inſidiis reperiens, jubet ipſum ut ſecundum à rege per Aman honorari.

A 1 NOctem illam duxit rex inſomnem,juſſítque ſibi afferri hiſtorias & annales priorum temporum. Quæ cùm illo præſente legerentur,

2 Ventum eſt ad illum locum ubi ſcriptum erat, quo modo nuntiaſſet Mardochæus inſidias Bagathan & Thares eunuchorum regem Aſſuerum jugulare cupientium.

3 Quod cùm audiſſet rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus conſecutus eſt? Dixerunt ei ſervi illius ac miniſtri: Nihil omnino mercedis accepit.

4 Statímque rex,Quis eſt,inquit,in atrio? Aman
B quippe interius atrium domus regiæ intraverat, ut ſuggereret regi, & juberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum.

5 Reſponderunt pueri: Aman ſtat in atrio. Dixítque rex: Ingrediatur.

6 Cúmque eſſet ingreſſus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honorare deſiderat? Cogitans autem in corde ſuo Aman, & reputans quòd nullum alium rex, niſi ſe, vellet honorare,

7 Reſpondit:Homo,quem rex honorare cupit,

8 Debet indui veſtibus regiis, & imponi ſuper equum, qui de ſella regis eſt, & accipere regium
C diadema ſuper caput ſuum,

9 Et primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum ejus,& per plateam civitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare.

10 Dixítque ei rex: Feſtina, & ſumpta ſtola & equo, fac,ut locutus es, Mardochæo Judæo qui ſedet ante fores palatij. Cave ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas.

11 Tulit itaque Aman ſtolam & equum, indutúmque Mardochæum in platea civitatis, & impoſitum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus eſt, quemcumque rex voluerit honorare.

12 Reverſúſque eſt Mardochæus ad januam pa-
D latij, & Aman feſtinavit ire in domum ſuam, lugens & operto capite.

13 Narravítque Zares uxori ſuæ, & amicis omnia quæ evenìſſent ſibi. Cui reſponderunt ſapientes, quos habebat in conſilio, & uxor ejus: Si de ſemine Judæorum eſt Mardochæus,ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere,ſed cades in conſpectu ejus.

14 Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi regis, & citò eum ad convivium,quod regina paraverat, pergere compulerunt.

Caput VII.

Eſther in convivio regem pro ſua & populi ſui vita precatur, & Aman Iudæorum adverſarium accuſat; quem rex in cruce ab illo parata Mardochæo ſuſtendi jubet.

1 INtravit itaque rex & Aman, ut biberent cum A
regina.

2 Dixítque ei rex etiam ſecunda die, poſtquam vino incaluerat. Quæ eſt petitio tua Eſther ut detur tibi? & quid vis fieri? etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.

3 Ad quem illa reſpondit: Si inveni gratiam in oculis tuis ô rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum pro quo obſecro.

4 Traditi enim ſumus ego & populus meus, ut conteramur, jugulemur,& pereamus.Atque utinam B
in ſervos & famulas venderemur: eſſet tolerabile malum,& gemens tacerem:nunc autem hoſtis noſter eſt, cujus crudelitas redundat in regem.

5 Reſpondénſque rex Aſſuerus ait:Quis eſt iſte, & cujus potentiæ, ut hæc audeat facere?

6 Dixítque Eſther? Hoſtis & inimicus noſter peſſimus iſte eſt Aman.Quod ille audiens,illicò obſtupuit,vultum regis ac reginæ ferre non ſuſtinens

7 Rex autem iratus ſurrexit,& de loco convivij intravit in hortum arboribus conſitum.Aman quo- C
que ſurrexit ut rogaret Eſther reginam pro anima ſua,intellexit enim à rege ſibi paratum malum.

8 Qui cùm reverſus eſſet de horto nemoribus conſito,& intraſſet convivij locum, reperit Aman ſuper lectulum corruiſſe, in quo jacebat Eſther, & ait:Etiam reginam vult opprimere, me præſente, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem ejus.

9 Dixítque Harbona,unus de eunuchis,qui ſtabant in miniſterio regis: En lignum,quod paraverat Mardochæo, qui locutus eſt pro rege, ſtat in D
domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo.

10 Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo quod paraverat Mardochæo: & regis ira quievit.

Caput VIII.

Eſther exaltato Mardochæo veteres Aman litteras novis irritans, Iudæis ſecuritatem impetrat, & ut ſe de ſuis inimicis ulciſcantur; unde maxima ubique lætitia exoritur.

1 DIe illo dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ A
domum Aman adverſarij Judæorum,& Mardochæus ingreſſus eſt ante faciem regis. Confeſſa eſt enim ei Eſther quòd eſſet patruus ſuus.

2 Tulítque rex annulum, quem ab Aman recipi juſſerat, & tradidit Mardochæo. Eſther autem conſtituit Mardochæum ſuper domum ſuam.

3 Nec his contenta, procedit ad pedes regis, flevítque, & locuta ad eum oravit, ut malitiam Aman Agagitæ, & machinationes ejus peſſimas, quas excogitaverat contra Judæos, juberet irritas fieri.

4 At ille ex more ſceptrum aureum protendit manu, quo ſignum clementiæ monſtrabatur: illáque conſurgens ſtetit ante eum,

5 Et ait: Si placet regi: & ſi inveni gratiam in

Universidad de Deusto
Biblioteca

oculis ejus, & deprecatio mea non ei videtur esse
B contraria, obsecro, ut novis epistolis, veteres Aman
litteræ, insidiatoris & hostis Judæorum, quibus eos
in cunctis regis provinciis perire præceperat, corrigantur.

6 Quomodo enim potero sustinere necem, &
interfectionem populi mei?

7 Respondítque rex Assuerus Esther reginæ, &
Mardochæo Judæo: Domum Aman concessi Esther,
& ipsum jussi affigi cruci, quia ausus est manum
mittere in Judæos.

8 Scribite ergo Judæis, sicut vobis placet, regis
nomine, signantes litteras annulo meo. Hæc enim
consuetudo erat, ut epistolis, quæ ex regis nomine
mittebantur, & illius annulo signatæ erant, nemo
auderet contradicere.

9 Accitíque scribis & librariis regis (erat au-
tem tempus tertij mensis, qui appellatur Siban) vi-
gesima & tertia die illius, scriptæ sunt epistolæ, ut
C Mardochæus voluerat, ad Judæos, & ad principes,
procuratoresque & Judices, qui centum vigintise-
ptem provinciis ab India usque ad Æthiopiam
præsidebant; provinciæ atque provinciæ, populo
& populo, juxta linguas & litteras suas, & Judæis,
prout legere poterant, & audire.

10 Ipsæque epistolæ, quæ regis nomine mitte-
bantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, & missæ per
veredarios: qui per omnes provincias discurrentes,
veteres litteras novis nuntiis prævenirent.

11 Quibus imperavit rex, ut convenirent Ju-
dæos per singulas civitates, & in unum præcipe-
rent congregari, ut starent pro animabus suis, &
omnes inimicos suos, cum conjugibus ac liberis &
universis domibus, interficerent atque delerent, &
spolia eorum diriperent.

12 Et constituta est per omnes provincias una
ultionis dies, id est, tertiadecima mensis duodeci-
mi Adar.

13 Summáque epistolæ hæc fuit, ut in omnibus
D terris ac populis, qui regis Assueri subjacebant im-
perio, notum fieret, paratos esse Judæos ad capien-
dam vindictam de hostibus suis.

14 Egressíque sunt veredarij celeres nuntia per-
ferentes, & edictum regis pependit in Susan.

15 Mardochæus autem, de palatio & de conspe-
ctu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, hya-
cinthinis videlicet & aëreis, coronam auream por-
tans in capite, & amictus serico pallio atque purpu-
reo. Omnísque civitas exultavit, atque lætata est.

16 Judæis autem nova lux oriri visa est, gau-
dium, honor, & tripudium.

17 Apud omnes populos, urbes, atque provin-
cias, quocumque regis jussa veniebant, mira exul-
tatio, epulæ atque convivia, & festus dies: in tan-
tum ut plures alterius gentis & sectæ, eorum reli-
gioni & ceremoniis jungerentur. Grandis enim
cunctos Judaici nominis terror invaserat.

Caput IX.

Judæi passim hostes suos trucidant; & suspensis decem filiis Aman, diem Phurim, hoc est Sortium, perpetuò sollemnem Mardochæus instituit.

A 1 IGitur duodecimi mensis, quem Adar vocari
antè jam diximus, tertiadecima die, quando
cunctis Judæis interfectio parabatur, & hostes co-
rum inhiabant sanguini, versa vice Judæi superiores
esse cœperunt, & se de adversariis vindicare.

2 Congregatíque sunt per singulas civitates,
oppida, & loca, ut extenderent manum contra ini-
micos & persecutores suos. Nullúsque ausus est re-
sistere, eò quòd omnes populos magnitudinis eo-
rum formido penetrarat.

3 Nam & provinciarum judices, & duces, &
procuratores, omnísque dignitas quæ singulis locis
ac operibus præerat, extollebant Judæos timore
Mardochæi.

4 Quem principem esse palatij, & plurimum
B posse cognoverant: fama quoque nominis ejus cre-
scebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat.

5 Itaque percusserunt Judæi inimicos suos plaga
magna, & occiderunt eos, reddentes eis quod sibi
paraverant facere:

6 In tantum ut etiam in Susan quingentos viros
interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ
hostis Judæorum: quorum ista sunt nomina:

7 Pharsandatha, & Delphon, & Esphatha,

8 Et Phoratha, & Adalia, & Aridatha,

9 Et Phermesta, & Arisai, & Aridai, & Jezatha.

10 Quos cùm occidissent, prædas de substantiis
eorum tangere noluerunt.

11 Statímque numerus eorum, qui occisi erant
in Susan, ad regem relatus est.

12 Qui dixit reginæ: In urbe Susan interfece-
runt Judæi quingentos viros, & alios decem filios
C Aman: quantam putas eos exercere cædem in uni-
versis provinciis? Quid ultrà postulas, & quid vis
ut fieri jubeam?

13 Cui illa respondit: Si regi placet, detur potestas
Judæis, ut sicut fecerũt hodie in Susã, sic & cras fa-
ciant, & decẽ filij Aman in patibulis suspendantur.

14 Præcepítque rex ut ita fieret. Statímque in
Susan pependit edictum, & decem filij Aman sus-
pensi sunt.

15 Congregatis Judæis quartadecima die mensis
Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eo-
rum ab illis direpta substantia est.

16 Sed & per omnes provincias, quæ ditioni re-
gis subjacebant, pro animabus suis steterunt Judæi,
interfectis hostibus ac persecutoribus suis: in tan-
tum ut septuaginta quinque millia occisorum im-
plerentur, & nullus de substantiis eorum quid-
quam contingeret.

17 Dies autem tertiusdecimus mensis Adar, pri-
mus apud omnes interfectionis fuit: & quartadeci-
ma die cædere desierunt. Quem constituerunt
esse sollemnem, ut in eo omni tempore deinceps D
vacarent epulis, gaudio atque conviviis.

18 At hi qui in urbe Susan cædem exercuerant,
tertiodecimo & quartodecimo die ejusdem mensis
in cæde versati sunt: quintodecimo autem die per-
cutere desierunt. Et idcircò eumdem diem consti-
tuerunt sollemnem epularum atque lætitiæ.

19 Hi verò Judæi, qui in oppidis non muratis ac
villis morabantur, quartumdecimum diem mensis
Adar conviviorum & gaudij decreverunt, ita ut
exultent in eo, & mittant sibi mutuò partes epula-
rum & ciborum.

20 Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & lit-
teris comprehensa misit ad Judæos, qui in omnibus
regis

regis provinciis morabantur, tam in vicino positis,
quàm procul,

21 Ut quartamdecimam & quintamdecimam
E diem mensis Adar pro festis susciperent, & rever-
tente semper anno sollemni celebrarent honore:

22 Quia in ipsis diebus se ulti sunt Judæi de ini-
micis suis, & luctus atque tristitia in hilaritatem
gaudiúmque conversa sunt, essentque dies isti epu-
larum atque lætitiæ, & mitterent sibi invicem ciborum
partes, & pauperibus munuscula largirentur.

23 Susceperúntque Judæi in sollemnem ritum
cuncta quæ eo tempore facere cœperant, & quæ
Mardochæus litteris facienda mandaverat.

24 Aman enim, filius Amadathi stirpis Agag,
hostis & adversarius Judæorum, cogitavit contra
eos malum, ut occideret illos, atque deleret: & mi-
sit phur, quod nostra lingua vertitur in sortem.

F 25 Et posteà ingressa est Esther ad regem, ob-
secrans ut conatus ejus, litteris regis irriti fierent:
& malum, quod contra Judæos cogitaverat, re-
verteretur in caput ejus. Denique & ipsum &
filios ejus affixerunt cruci,

26 Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt
phurim, id est, sortium, eò quòd phur, id est, sors,
in urnam missa fuerit. Et cuncta quæ gesta sunt, epi-
stolæ, id est libri hujus, volumine continentur:

27 Quæque sustinuerunt, & quæ deinceps im-
mutata sunt, susceperunt Judæi super se & semen
suum, & super cunctos, qui religioni eorum vo-
luerunt copulari, ut nulli liceat duos hos dies abs-
que sollemnitate transigere: quod scriptura testa-
tur, & certa expetunt tempora, annis sibi jugiter
succedentibus.

G 28 Isti sunt dies, quos nulla umquam delebit
oblivio: & per singulas generationes cunctæ in
toto orbe provinciæ celebrabunt: nec est ulla ci-
vitas, in qua dies phurim, id est, sortium, non ob-
serventur à Judæis, & ab eorum progenie, quæ
his ceremoniis obligata est.

29 Scripserúntque Esther regina filia Abihail
& Mardochæus Judæus, etiam secundam epistо-
lam, ut omni studio dies ista sollemnis sanciretur
in posterum.

30 Et miserunt ad omnes Judæos, qui in cen-
tum vigintiseptem provinciis regis Assueri versa-
bantur, ut haberẽt pacem, & susciperent veritatem.

31 Observantes Dies sortium, & suo tempore
cum gaudio celebrarent: sicut constituerant Mar-
dochæus & Esther, & illi observanda susceperunt
à se, & à semine suo, jejunia & clamores, & Sor-
tium dies,

32 Et omnia, quæ libri hujus, qui vocatur
Esther, historia continentur.

Caput X.

Somnij Mardochæi declaratio, reducto Iudæorum populo in libertatem.

A 1 REx verò Assuerus, omnem terram & cun-
ctas maris insulas fecit tributarias:

2 Cujus fortitudo & imperium, & dignitas atque
sublimitas, qua exaltavit Mardochæum, scripta
sunt in libris Medorum, atque Persarum:

3 Et quomodo Mardochæus Judaici generis se-
cundus à rege Assuero fuerit: & magnus apud Ju-
dæos, & acceptabilis plebi fratrum suorum, quæ-
rens bona populo suo, & loquens ea quæ ad pa-
cem seminis sui pertinerent.

Quæ habentur in Hebræo, plena fide expressi. Hæc au-
tem, quæ sequuntur, scripta reperi in editione vulgata, quæ
Græcorum lingua & litteris continentur: & interim post
finem libri hoc capitulum ferebatur: quod juxta consuetu-
dinem nostram obelo, id est, veru, prænotanimus.

4 Dixítque Mardochæus: A Deo facta sunt ista. B
5 Recordatus sum somnij, quod videram, hæc ea-
dem significantis: nec eorum quidquam irritũ fuit.

6 Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem
solémque conversus est, & in aquas plurimas re-
dundavit: Esther est, quam rex accepit uxorem,
& voluit esse reginam.

7 Duo autem dracones: ego sum, & Aman.

8 Gentes, quæ convenerant, hi sunt, qui cona- C
ti sunt delere nomen Judæorum.

9 Gens autem mea: Israël est, quæ clamavit ad
Dominum, & salvum fecit Dominus populum
suum: liberavítque nos ab omnibus malis, & fecit
signa magna atque portenta inter Gentes:

10 Et duas sortes esse præcepit, unam Populi
Dei, & alteram cunctarum Gentium.

11 Venítque utraque sors in statutum ex illo
jam tempore diem coram Deo universis gentibus:

12 Et recordatus est Dominus populi sui, ac D
misertus est hereditatis suæ.

13 Et observabuntur dies isti in mense Adar;
quartadecima & quintadecima die ejusdem men-
sis, cum omni studio & gaudio in unum cœtum
populi congregati, in cunctas deinceps genera-
tiones populi Israël.

Caput XI.

Somnium Mardochæi.

1 ANno quarto regnantibus Ptolemæo & Cleo- A
patra, attulerunt, Dositheus, qui se Sacer-
dotem & Levitici generis ferebat, & Ptolemæus
filius ejus, hanc epistolam phurim, quam dixerunt
interpretatum esse Lysimachum Ptolemæi filium
in Jerusalem.

Hoc quoque principium erat in editione vulgata, quod
nec in Hebræo, nec apud ullum ferur interpretum.

2 Anno secundo, regnante Artaxerxe maximo, B
prima die mensis Nisan, vidit somniũ Mardochæus
filius Jairi, filij Semei, filij Cis, de tribu Benjamin:

3 Homo Judæus, qui habitabat in urbe Susis, vir
magnus, & inter primos aulæ regiæ.

4 * Erat autem de eo numero captivorum, *4. Reg.
quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis 24. d. 15.
de Jerusalem cum Jeconia rege Juda: Sup. 2.
a. 6.

5 Et hoc ejus somnium fuit: Apparuerunt vo-
ces, & tumultus, & tonitrua, & terræ motus, &
conturbatio super terram:

6 Et ecce duo dracones magni, paratíque con-
tra se in prælium.

7 Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt
nationes, ut pugnarent contra gentem justorum.

8 Fuitq; dies illa tenebrarũ & discriminis, tribula-
tionis & angustiæ, & ingens formido super terram.

9 Conturbatáque est gens justorum timentium
mala sua, & præparata ad mortem:

10 Clamaverúntque ad Deum: & illis vocife-
rantibus, fons parvus crevit in fluvium maximum,
& in aquas plurimas redundavit.

Universidad de Sevilla
Biblioteca

14 Lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & devoraverunt inclytos.

12 Quod cùm vidisset Mardochæus, & surrexisset de strato, cogitabat quid Deus facere vellet, & fixum habebat in animo scire cupiens quid significaret somnium.

CAPUT XII.

Manifestatio insidiarum eunuchorum in regem à Mardochæo, ex secundo capite repetita.

A 1 MOrabatur autem eo tempore in aula regis, cum Bagatha & Thara eunuchis regis, qui janitores erant palatij.

Supr. 2. d. 21. 6. a. 2.

B 2 Cúmque intellexisset cogitationes eorum, & curas diligentiùs pervidisset, didicit quòd conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, & nuntiavit super eo regi.

3 Qui de utroque habita quæstione, confessos jussit duci ad mortem.

C 4 Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis: sed & Mardochæus rei memoriam litteris tradidit.

5 Præcepítque ei rex, ut in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.

6 Aman verò filius Amadathi bugæus, erat gloriosissimus coram rege, & voluit nocere Mardochæo & populo ejus, pro duobus eunuchis regis qui fuerant interfecti.

Hucusque proœmium.

Quæ sequuntur, in eo loco posita erant, ubi scriptum est in volumine.

Et diripuerunt bona, vel substantias eorum.

Quæ in sola vulgata editione reperimus.

Epistolæ autem hoc exemplar fuit.

CAPUT XIII.

Exemplar epistolæ quam misit Aman ad principes provinciarum super cæde Iudæorum, & Mardochæi oratio pro eorum liberatione.

A 1 REx maximus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum vigintiseptem provinciarum principibus & ducibus, qui ejus imperio subjecti sunt, salutem.

2 Cùm plurimis gentibus imperarem, & universum orbem meæ ditioni subjugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia & lenitate gubernare subjectos, ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur.

3 Quærente autem me à consiliariis meis, quomodo posset hoc impleri, unus qui sapientia & fide ceteros præcellebat, & erat post regem secundus, Aman nomine,

B 4 Indicavit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui novis uteretur legibus, & contra omnium Gentium consuetudinem faciens, Regum jussa contemneret, & universarum concordiam nationum sua dissensione violaret.

5 Quod cùm didicissemus, videntes unam gentem rebellem adversus omne hominum genus perversis uti legibus, nostrísque jussionibus contraire, & turbare subjectarum nobis provinciarum pacem atque concordiam,

6 Jussimus, ut quoscumque Aman, qui omnibus provinciis præpositus est, & secundus à rege, & quem paris loco colimus, monstraverit; cum conjugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis: nullúsque eorum misereatur, quartadecima die duodecimi mensis Adar anni præsentis:

7 Ut nefarij homines uno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbaverant. C

Hucusque exemplar epistolæ.

Quæ sequuntur, post eum locum scripta reperi, ubi legitur.

Pergénsque Mardochæus, fecit omnia quæ ei mandaverat Esther.

Nec tamen habentur in Hebraico, & apud nullum penitus feruntur interpretum.

8 Mardochæus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum ejus,

9 Et dixit: Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israël.

10 Tu fecisti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur.

11 Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ.

12 Cuncta nosti, & scis, quia non pro superbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate, fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum, D

13 Libenter enim pro salute Israël etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem,)

14 Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quempiam adorarem excepto Deo meo.

15 Et nunc Domine rex Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, & hereditatem tuam delere.

16 Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto.

17 Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti & funiculo tuo: & converte luctum nostrum in gaudium, ut vivente laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.

18 Omnis quoque Israël pari mente & obsecratione clamavit ad Dominum, eò quòd eis certa mors impenderet.

CAPUT XIV.

Plangit Esther, Deum in spiritu humilitatis obsecrans.

1 ESther quoque regina confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat. A

2 Cúmque deposuisset vestes regias, fletibus & luctui aptà indumenta suscepit, & pro unguentis variis, cinere & stercore implevit caput, & corpus suum humiliavit jejuniis: omniáque loca, in quibus anteà lætari consueverat, crinium laceratione complevit.

3 Et deprecabatur Dominum Deum Israël, dicens: Domine mi, qui rex noster es solus, adjuva me solitariam, & cujus præter te nullus est auxiliator alius.

4 Periculum meum in manibus meis est.

5 * Audivi à patre meo, quòd tu Domine tulisses Israël de cunctis Gentibus, & patres nostros ex omnibus retrò majoribus suis, ut possideres hereditatem sempiternam, fecistíque eis sicut locutus es. * Deut. 4. c. 20. e. 34-32. b. 9.

6 Peccavimus in conspectu tuo, & idcircò tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum:

7 Coluimus enim deos eorum. Justus es Domine:

8 Et nunc non eis sufficit, quòd durissima nos opprimunt

opprimunt servitute, sed robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes,

9 Volunt tua mutare promissa, & delere hereditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui,

10 Ut aperiant ora Gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & prædicent carnalem regem in sempiternum.

11 Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed converte consilium eorum super eos, & eum, qui in nos cœpit sævire, disperde. C

12 Memento Domine, & ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, & da mihi fiduciam Domine rex deorum, & universæ potestatis:

13 Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri, ut & ipse pereat, & ceteri qui ei consentiunt.

14 Nos autem libera manu tua, & adjuva me, nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam,

15 Et nosti quia oderim gloriam iniquorũ, & detester cubile incircumcisorũ, & omnis alienigenæ.

16 Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei, D

17 Et quòd non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit convivium regis, & non biberim vinum libaminum:

18 Et numquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham.

19 Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent, & libera nos de manu iniquorum, & erue me à timore meo.

CAPUT XV.

Mandante Mardochæo, intrat Esther ad regem, vultu illius exterrita.

Hæc quoque addita reperi in editione vulgata.

A 1 ET mandavit ei (haud dubium quin Esther Mardochæus) ut ingrederetur ad regem, & rogaret pro populo suo & pro patria sua.

2 Memorare (inquit) dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu mea, quia Aman secundus à rege locutus est contra nos in mortem:

3 Et tu invoca Dominum, & loquere regi pro nobis, & libera nos de morte.

Necnon & ista quæ subdita sunt.

4 Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, & circumdata est gloria sua.

B 5 Cúmque regio fulgeret habitu, & invocasset omnium rectorem & salvatorem Deum, assumpsit duas famulas,

6 Et super unam quidem innitebatur, quasi præ deliciis & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens:

7 Altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans.

8 Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, & gratis ac nitentibus oculis, tristem cælabat animum, & nimio timore contractum.

9 Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auróque fulgens, & pretiosis lapidibus, erátque terribilis aspectu.

10 Cúmque elevasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, &, in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinavit caput. C

11 Convertítque Deus spiritum regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exilivit de solio, & sustentans eam ulnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur:

12 Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere.

13 Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.

14 Accede igitur, & tange sceptrum. D

15 Cúmque illa reticeret, tulit auream virgam, & posuit super collum ejus, & osculatus est eam, & ait: Cur mihi non loqueris?

16 Quæ respondit: Vidi te domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.

17 Valdè enim mirabilis es domine, & facies tua plena est gratiarum.

18 Cúmque loqueretur, rursus corruit, & pænè exanimata est.

19 Rex autem turbabatur, & omnes ministri ejus consolabantur eam.

CAPUT XVI.

Assueri epistola pro Iudæorum salute cum inimicorum suorum interemptione, ad singulas regni provincias, irritando epistolam missam ab Aman.

Exemplar epistolæ regis Artaxerxis, quam pro Judæis ad totas regni sui provincias misit: quod & ipsum in Hebraico volumine non habetur.

1 REx magnus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum vigintiseptem provinciarum ducibus ac principibus, qui nostræ jussioni obediunt, salutem dicit. A Sup. 11. a. 2.

2 Multi bonitate principum, & honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam:

3 Et non solùm subjectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias.

4 Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, & humanitatis in se jura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam.

5 Et in tantum vesaniæ proruperunt, ut eos, qui credita sibi officia diligenter observant, & ita cuncta agunt ut omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subvertere,

6 Dum aures principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. B

7 Quæ res & ex veteribus probatur historiis, & ex his quæ gerũtur quotidie, quomodo malis quorumdam suggestionibus regum studia depraventur.

8 Unde providendũ est paci omniũ provinciarũ.

9 Nec putare debetis, si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate; sed pro qualitate & necessitate temporum, ut reipublicæ poscit utilitas, ferre sententiam.

10 Et ut manifestiùs, quod dicimus, intelligatis; * Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, * Supr. 3. a. 2.

cedo, alienúsque à Persarum sanguine, & pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus à nobis susceptus est :

11 Et tantam in se expertus humanitatem, ut pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post regem secundus :

12 Qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, ut regno privare nos niteretur & spiritu.

C 13 Nam Mardochæum, cujus fide & beneficiis vivimus, & consortem regni nostri Esther, cum omni gente sua, novis quibusdam atque inauditis machinis expetivit in mortem.

14 Hoc cogitans, ut illis interfectis, insidiaretur nostræ solitudini, & regnum Persarum transferret in Macedonas.

15 Nos autem, à pessimo mortalium Judæos neci destinatos, in nulla penitus culpa reperimus, sed econtrariò justis utentes legibus,

16 Et filios altissimi & maximi, sempérque viventis Dei, cujus beneficio & patribus nostris & nobis regnum est traditum, & usque hodie custoditur.

17 Unde eas litteras, quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas.

18 Pro quo scelere ante portas hujus urbis, id est, Susan, & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio ejus pendet in patibulis : non nobis, sed Deo reddente ei quod meruit.

19 Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, D in cunctis urbibus proponatur, ut liceat Judæis uti legibus suis.

20 Quibus debetis esse adminiculo, ut eos, qui se ad necem eorum paraverant, possint interficere tertiadecima die mensis duodecimi, qui vocatur Adar.

21 Hanc enim diem, Deus omnipotens, mœroris & luctus, eis vertit in gaudium.

22 Unde & vos, inter ceteros festos dies hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitia, ut & in posterum cognoscatur,

23 Omnes, qui fideliter Persis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem : qui autem insidiantur regno eorum, perire pro scelere.

24 Omnis autem provincia & civitas, quæ noluerit sollemnitatis hujus esse particeps, gladio & igne pereat, & sic deleatur, ut non solùm hominibus, sed etiam bestiis invia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus, & inobedientiæ.

LIBER JOB.

Caput Primum.

Iob sanctus & dives, pro filiis vicissim convivia celebrantibus Domino sacrificat, cujus possessiones petenti Satanæ Dominus diripiendas exponit, per quem perdita omni illius substantia, interemptisque filiis, ipse cum signis mœstitiæ patiens, in Dei laudes prorumpit.

A 1  Ir erat in Terra Hus, nomine Job, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo :

2 Natique sunt ei septem filij, & tres filiæ.

3 Et fuit possessio ejus, septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis : erátque vir ille magnus inter omnes Orientales.

4 Et ibant filij ejus, & faciebant convivium per domos, unusquisq; in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas ut comederẽt & biberent cum eis.

5 Cúmque in orbem transissent dies convivij, mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos, consurgénsque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim : Ne fortè peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus.

B 6 Quadam autem die, cùm venissent filij Dei ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam satan.

7 Cui dixit Dominus : Unde venis ? Qui respondens, ait : Circuivi terram, & perambulavi eam.

8 Dixítque Dominus ad eum : Numquid consideràsti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo ?

9 Cui respondens satan, ait : Numquid Job frustrà timet Deum ?

10 Nónne tu vallasti eum, ac domum ejus, universámque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra ?

11 Sed extende paululùm manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.

12 Dixit ergo Dominus ad satan : Ecce, universa quæ habet, in manu tua sunt : tantùm in eum ne extendas manũ tuam. Egressúsq; est satan à facie Dñi. C

13 Cùm autem quadam die filij & filiæ ejus comederent & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti,

14 Nuntius venit ad Job, qui diceret : Boves arabant, & asinæ pascebantur juxta eos,

15 Et irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia, & pueros percussérunt gladio, & evasi ego solus ut nuntiarem tibi.

16 Cúmque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit : Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oves puerósque consumpsit, & effugi ego solus ut nuntiarem tibi.

17 Sed & illo adhuc loquente, venit alius, & dixit : Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percussérunt gladio, & ego fugi solus ut nuntiarem tibi. D

18 Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit, & dixit : Filiis tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti,

19 Repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quattuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus ut nuntiarem tibi.

20 Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adoravit,

21 Et dixit : * Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc : Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. * Eccle. 5. c 14. 1. Tim. 6. b 7.

22 In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

Caput II.

Satanas obtenta à Deo facultate, percutit Iob ulcere pessimo ; cui etiam propria uxor insultat : tres autem ipsius amici eum visitantes, septem diebus compatientes in terra cum eo taciti sedent.

A 1 Factum est autem, cùm quadam die venissent filij Dei, & starent coram Dño, venisset quoque satan inter eos, & staret in conspectu ejus,

2 Ut diceret Dominus ad satan : Unde venis ? Qui respondens ait : Circuivi terram, & perambulavi eam.

3 Et dixit Dominus ad satan : Numquid considerasti servum meum Job : quòd non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam ? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustrà.

B 4 Cui respondens satan, ait : Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua :

5 Alioquin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi.

6 Dixit ergo Dominus ad satan : Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.

7 Egressus igitur satan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus :

8 Qui testa sanié radebat, sedens in sterquilinio.

C 9 Dixit autem illi uxor sua : Adhuc tu permanes in simplicitate tua ? benedic Deo & morere.

10 Qui ait ad illam : Quasi una de stultis mulieribus locuta es. si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus ? In omnibus his non peccavit Job labiis suis. D

11 Igitur audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.

12 Cúmque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, scissísque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cælum.

13 Et sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum : videbant enim dolorem esse vehementem.

Caput III.

Iob maledicit diei nativitatis sua præsentique vitæ, ostendens à quot malis liberatur qui hac luce statim privatus est.

A 1 Post hæc aperuit Job os suum, & maledixit diei suo,

2 Et locutus est.

3 * Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est : Conceptus est homo.

* Ier. 20. d. 14.

4 Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine.

5 Obscurent eum tenebræ, & umbra mortis, occupet eum caligo, & involvatur amaritudine.

6 Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.

7 Sit nox illa solitaria nec laude digna :

8 Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan : B

9 Obtenebrentur stellæ caligine ejus : expectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ :

10 Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis.

11 Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perij ?

12 Quare exceptus genibus ? cur lactatus uberibus ?

13 Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem :

14 Cum regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines : C

15 Aut cum principibus, qui possident aurum, & replent domos suas argento :

16 Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem.

17 Ibi impij cessaverunt à tumultu, & ibi requieverunt fessi robore.

18 Et quondam vincti pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris.

19 Parvus & magnus ibi sunt, & servus liber à domino suo.

20 Quare misero data est lux, & vita his, qui in D amaritudine animæ sunt ?

21 Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum :

22 Gaudéntque vehementer cùm invenerint sepulchrum.

23 Viro cujus abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris ?

24 Antequam comedam suspiro : & tamquam inundantes aquæ, sic rugitus meus :

25 Quia timor, quem timebam, evenit mihi : & quod verebar accidit.

26 Nónne dissimulavi ? nónne silui ? nónne quievi ? & venit super me indignatio.

Caput IV.

Eliphaz arguit Iob impatientiæ : quódque propter peccata sua flagelletur à Deo, qui innocenti adversa non immittit.

1 Respondens autem Eliphaz Themanites, A dixit :

2 Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies, sed conceptum sermonem tenere quis poterit ?

3 Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti :

4 Vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua trementia confortasti :

5 Nunc autem venit super te plaga, & defecisti : tetigit te, & conturbatus es. B

6 Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum ?

7 Recordare obsecro te, quis unquam innocens periit ? aut quando recti deleti sunt ?

8 Quin potiùs vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos,

9 Flante Deo perisse, & spiritu iræ ejus esse consumptos :

10 Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt.

11 Tigris periit, eò quòd non haberet prædam, C & catuli leonis dissipati sunt.

12 Porrò

Universidad de Deusto
Biblioteca

12 Porrò ad me dictum est verbum absconditũ, & quasi furtivè suscepit auris mea venas susurri ejus.
13 In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines:
14 Pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt:
15 Et cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.
16 Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audivi.
D 17 * Numquid homo, Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir.
* Inf. 25.a.4. * Inf. 35.b,35. 2.Pet.2. a.4. Judæ b.6.
18 * Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles: & in angelis suis reperit pravitatem:
19 Quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea?
20 De manè usque ad vesperam succidentur: & quia nullus intelligit, in æternum peribunt.
21 Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis: morientur, & non in sapientia.

Caput V.

Eliphaz rursum arguit Iob iniquitatis, quòd nemo sine culpa sua à Deo puniatur: ideòque hortatur Iob ut ad Deum convertatur, & ita cuncta fore illi prospera pollicetur, ac divinæ providentiæ opera circa creaturas extollit.

A 1 VOca ergo, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere.
2 Verè stultum interfecit iracundia, & parvulum occidit invidia.
3 Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini ejus statim.
4 Longè sient filij ejus à salute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat.
5 Cujus messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes divitias ejus.
6 Nihil in terra sine causa fit, & de humo non oritur dolor.
B 7 Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.
8 Quamobrem ego deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum:
9 Qui facit magna & inscrutabilia & mirabilia absque numero:
10 Qui dat pluviam super faciem terræ, & irrigat aquis universa:
11 Qui ponit humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate:
12 Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant:
C 13 * Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat:
* 1.Cor. 3. d.19.
14 Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie.
15 Porrò salvum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.
16 Et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os suum.
17 Beatus homo, qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes:
18 Quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus ejus sanabunt.
19 In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.
20 In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij.
21 A flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitatem cùm venerit.
D 22 In vastitate & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis.
23 Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.
24 Et scies quòd pacem habeat tabernaculum tuum, & visitans speciem tuam, non peccabis.
25 Scies quoque quoniam multiplex erit semen tuum, & progenies tua quasi herba terræ.
26 Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.
27 Ecce, hoc, ut investigavimus, ita est: quod auditum, mente pertracta.

Caput VI.

Ostendit Iob se longè graviora pati quàm meritus sit, conquerens se ab amicis deseri, graviter arguens, & hos tres qui ad se venerant, ac se quoque patienter audiri petit.

1 REspondens autem Job, dixit:
A 2 Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas, quam patior, in statera.
3 Quasi arena maris hæc gravior appareret: unde & verba mea dolore sunt plena:
4 Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me.
5 Numquid rugiet onager cùm habuerit herbã: aut mugiet bos cùm ante præsepe plenũ steterit?
B 6 Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?
7 Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt.
8 Quis det ut veniat petitio mea: & quod expecto, tribuat mihi Deus?
9 Et qui cœpit, ipse me conterat: solvat manum suam, & succidat me?
10 Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicã sermonibus Sancti.
11 Quæ est enim fortitudo mea ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam?
12 Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.
C 13 Ecce, non est auxilium mihi in me, & necessarij quoque mei recesserunt à me.
14 Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit.
15 Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus.
16 Qui timent pruinam, irruet super eos nix.
17 Tempore, quo fuerint dissipati, peribunt: & ut incaluerit, solventur de loco suo.
18 Involutæ sunt semitæ gressuum eorum: ambulabunt in vacuum, & peribunt.
19 Considerate semitas Thema, itinera Saba, & expectate paulisper.
20 Confusi sunt, quia speravi: venerunt quoque usque ad me, & pudore cooperti sunt.
21 Nunc venistis: & modò videntes plagam meam timetis.
22 Numquid

22 Numquid dixi: Afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi?
23 Vel, Liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me?
D 24 Docete me, & ego tacebo: & siquid fortè ignoravi, instruite me.
25 Quare detraxistis sermonibus veritatis, cùm è vobis nullus sit qui possit arguere me?
26 Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis.
27 Super pupillum irruitis, & subvertere nitimini amicum vestrum.
28 Verumtamen quod cœpistis explete: præbete aurem, & videte an mentiar.
29 Respondete obsecro absque contentione: & loquentes id quod justum est, judicate.
30 Et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.

Caput VII.

Iob humanæ vitæ suásque calamitates varias explicat, nec reditum sibi fore verisimilem ad præsentis vitæ felicitatem: petit quoque à Deo liberari à miseriis, admirans Dei erga miserum hominem providentiam.

A 1 MIlitia est vita hominis super terram: & sicut dies mercenarij, dies ejus.
2 Sicut servus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui:
3 Sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi.
4 Si dormiero, dicam: Quando consurgam? & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus usque ad tenebras.
5 Induta est caro mea putredine & sordibus pulveris, cutis mea aruit, & contracta est.
B 6 Dies mei velociùs transierunt quàm à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe.
7 Memento quia ventus est vita mea, & non revertetur oculus meus ut videat bona.
8 Nec aspiciet me visus hominis: oculi tui in me, & non subsistam.
9 Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet.
10 Nec revertetur ultrà in domum suam, neque cognoscet eum ampliùs loeus ejus.
C 11 Quapropter & ego non paream ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei: confabulabor cum amaritudine animæ meæ.
12 Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?
13 Si dixero: Consolabitur me lectulus meus, & revelabor loquens mecum in strato meo:
14 Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.
15 Quam ob rem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.
D 16 Desperavi, nequaquam ultrà jam vivam: parce mihi, nihil enim sunt dies mei.
17 Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?
18 Visitas eum diluculo, & subitò probas illum:
19 Usquequò non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam salivam meam?
20 Peccavi, quid faciam tibi ô custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis?
21 Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? ecce, nunc in pulvere dormiam: & si manè me quæsieris, non subsistam.

Caput VIII.

Baldad Iob de impio sermone arguit, & eum ut ad Deum meliorémque vitam se convertat hortatur, atque ita fore omnia illi feliciora promittit: explicat etiam quàm sit vana spes hypocritarum, asserens Deum bonis bona, & malis mala tantùm tribuere.

1 REspondens autem Baldad Suhites, dixit:
A 2 Usquequò loqueris talia, & spiritus multiplex sermones oris tui?
3 Numquid Deus supplantat judicium: aut omnipotens subvertit quod justum est:
4 Etiam si filij tui peccaverunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ?
5 Tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus:
6 Si mundus & rectus incesseris, statim evigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ:
B 7 In tantum, ut si priora tua fuerint parva, & novissima tua multiplicentur nimis.
8 Interroga enim generationem pristinam, & diligenter investiga patrum memoriam:
9 (Hesterni quippe sumus, & ignoramus quoniam sicut * umbra dies nostri sunt super terram.)
* Inf.14 a.2. Ps.143. b.4.
10 Et ipsi docebunt te: loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.
11 Numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua?
C 12 Cùm adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit:
13 Sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit:
14 Non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia ejus.
15 Innitetur super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non consurget:
16 Humectus videtur antequam veniat Sol, & in ortu suo germen ejus egredietur.
D 17 Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, & inter lapides commorabitur.
18 Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet: Non novi te.
19 Hæc est enim lætitia viæ ejus, ut rursum de terra alij germinentur.
20 Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis:
21 Donec impleatur risu os tuum, & labia tua jubilo.
22 Qui oderunt te, induentur confusione: & tabernaculum impiorum non subsistet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput IX.

Homo, inquit Iob, comparatus Deo non potest justificari: divinæ potentiæ ac sapientiæ magnitudo ostenditur, ut nemo ei resistere aut respondere valeat: porrò Deus & impium percutit & innocentem: suam quoque innocentiam contra amicos tuetur, commemorans suam afflictionem.

A 1 ET respondens Job, ait:
2 Verè scio quòd ita sit, & quòd non justificetur homo compositus Deo.
3 Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.
4 Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit?
5 Qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subvertit in furore suo.
6 Qui commovet terram de loco suo, & columnæ ejus concutiuntur.
7 Qui præcipit Soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo:
8 Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris.
9 Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora austri.
B 10 Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.
11 Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.
12 Si repentè interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest: Cur ita facis?
13 Deus, cujus iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem.
14 Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo?
15 Qui etiam si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.
C 16 Et cùm invocantem exaudierit me, non credo quòd audierit vocem meam.
17 In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.
18 Non concedit requiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus.
19 Si fortitudo quæritur, robustissimus est: si æquitas judicij, nemo audet pro me testimonium dicere.
20 Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.
21 Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.
22 Unum est quod locutus sum, & innocentem & impium ipse consumit.
23 Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.
24 Terra data est in manus impij, vultum judicum ejus operit. Quòd si non ille est, quis ergo est?
25 Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt, & non viderunt bonum.
26 Pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam.
D 27 Cùm dixero: Nequaquam ita loquar: commuto faciem meam, & dolore torqueor.
28 Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.
29 Si autem & sic impius sum, quare frustrà laboravi?
30 Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ:
31 Tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea.
32 Neque enim viro qui similis mei est, respondebo: nec qui mecum in judicio ex æquo possit audiri.
33 Non est qui utrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus.
34 Auferat à me virgam suam, & pavor ejus non me terreat.
35 Loquar, & non timebo eum: neque enim possum metuens respondere.

Caput X.

Iob suam afflictionem lamentatur, illius causam à Deo inquirens: quam ostendit non fuisse suam malitiam, neque Dei ignorantiam, qui creatum à se hominem exactè novit; rursúmque propter pœnarum exuberantiam plangit se natum.

1 TÆdet animam meam vitæ meæ, dimittam A
adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ.
2 Dicam Deo: Noli me condemnare: indica mihi cur me ita judices.
3 Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adjuves?
4 Numquid oculi carnei tibi sunt? aut sicut videt homo, & tu videbis?
5 Numquid sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora. B
6 Ut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris?
7 Et scias quia nihil impium fecerim, cùm sit nemo qui de manu tua possit eruere.
8 Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu: & sic repentè præcipitas me?
9 Memento quæso quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.
10 Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?
11 Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me:
12 Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & C
visitatio tua custodivit spiritum meum.
13 Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris.
14 Si peccavi, & ad horam pepercisti mihi: cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?
15 Et si impius fuero, væ mihi est: & si justus, non levabo caput, saturatus afflictione & miseria.
16 Et propter superbiam quasi leænam capies me, reversúsque mirabiliter me crucias.
17 Instauras testes tuos contra me, & multiplicas iram tuam adversum me, & pœnæ militant in me.
18 Quare de vulva eduxisti me? qui utinam D
consumptus essem ne oculus me videret.
19 Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum.

20 Numquid

20 Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte ergo me, ut plangam paululùm dolorem meum:
21 Antequam vadam & non revertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine:
22 Terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Caput XI.

Sophar iniquè asserit Iob propter multa ipsius peccata, quæ recenset, fuisse à Deo percussum, ostendens Deum incomprehensibilem respiscenti tamen Iob felicissima quæque pollicetur.

A 1 REspondens autem Sophar Naamathites, dixit:
2 Numquid qui multa loquitur, non & audiet? aut vir verbosus justificabitur?
3 Tibi soli tacebunt homines? & cùm ceteros irriseris, à nullo confutaberis?
4 Dixisti enim: Purus est sermo meus, & mundus sum in conspectu tuo.
B 5 Atque utinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi.
6 Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ, & quòd multiplex esset lex ejus, & intelligeres quòd multò minora exigaris ab eo, quàm meretur iniquitas tua.
7 Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies?
8 Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces?
9 Longior terra mensura ejus, & latior mari.
10 Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei?
C 11 Ipse enim novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nónne considerat?
12 Vir vanus in superbiam erigitur, & tamquam pullum onagri se liberum natum putat.
13 Tu autem firmasti cor tuum, & expandisti ad eum manus tuas.
14 Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo injustitia:
15 Tunc levare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis.
D 16 Miseriæ quoque oblivisceris, & quasi aquarum quæ præterierunt recordaberis.
17 Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam & cùm te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.
18 Et habebis fiduciam, proposita tibi spe, & defossus securus dormies.
* *Levit. 26. a. 6.* 19 *Requiescens, & non erit qui te exterreat: & deprecabuntur faciem tuam plurimi.
* *Levit. 26. c. 16.* 20 *Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & spes illorum abominatio animæ.

Caput XII.

Iob ut amicorum confundat jactantiam, asserit neminem ignorare Dei potentiam ac sapientiam ex creaturarum gubernatione, quarum status pro suo variat arbitrio.

A 1 REspondens autem Job, dixit:
2 Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia.
3 * Et mihi est cor, sicut & vobis, nec inferior vestri sum: quis enim hæc, quæ nostis, ignorat? * *Inf. 21. a. 3.*
4 * Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum & exaudiet eum: deridetur enim justi simplicitas. * *Prov. 14. a. 2.*
5 Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.
6 Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cùm ipse dederit omnia in manus eorum.
7 Nimirum interroga jumenta, & docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi. B
8 Loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris.
9 Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit?
10 In cujus manu anima omnis viventis, & spiritus universæ carnis hominis.
11 *Nónne auris verba dijudicat, & fauces comedentis, saporem? * *Inf. 34. a. 3.*
12 In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.
13 Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam.
14 * Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. C * *Isa. 22. f. 22. Apoc. 3. b. 7.*
15 Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emiserit eas, subvertent terram.
16 Apud ipsum est fortitudo & sapientia: ipse novit & decipientem, & eum qui decipitur.
17 Adducit consiliarios in stultum finem, & judices in stuporem.
18 Balteum regum dissolvit, & præcingit funem renes eorum.
19 Ducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat:
20 Commutans labium veracium, & doctrinam senum auferens. D
21 Effundit despectionem super principes, eos, qui oppressi fuerant, relevans.
22 Qui revelat profunda de tenebris, & producit in lucem umbram mortis.
23 Qui multiplicat gentes & perdit eas, & subversas in integrum restituit.
24 Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos ut frustrà incedant per invium:
25 Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.

Caput XIII.

Iob amicos suos ex ipsorum verbis confutans, à Deo arguendos asserit; suam quoque justitiam ac patientiam contra amicos tuetur, quærens à Deo propter quæ peccata tam graviter affligatur.

1 ECce omnia hæc vidit oculus meus, & audi- A
vit auris mea, & intellexi singula.
2 Secundùm scientiam vestram & ego novi: nec inferior vestri sum.
3 Sed tamen ad omnipotentem loquar, & disputare cum Deo cupio:
4 Priùs vos ostendens fabricatores mendacij, & cultores perversorum dogmatum.
5 Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

6 Audite ergo correptionem meam, & judicium labiorum meorum attendite.
B 7 Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?
8 Numquid faciem ejus accipitis, & pro Deo judicare nitimini?
9 Aut placebit ei quem celare nihil potest? aut decipietur ut homo, vestris fraudulentiis?
10 Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis.
11 Statim ut se commoverit, turbabit vos, & terror ejus irruet super vos.
12 Memoria vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cervices vestræ.
13 Tacete paulisper, ut loquar quodcumque mihi mens suggesserit.
C 14 Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?
15 Etiam si occiderit me, in ipso sperabo: verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam.
16 Et ipse erit salvator meus: non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.
17 Audite sermonem meum, & ænigmata percipite auribus vestris.
18 Si fuero judicatus, scio quòd justus inveniar.
19 Quis est qui judicetur mecum? veniat: quare tacens consumor?
20 Duo tantùm ne facias mihi, & tunc à facie tua non abscondar:
21 Manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat.
22 Voca me, & ego respondebo tibi: aut certè loquar, & tu responde mihi.
D 23 Quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta ostende mihi.
24 Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?
25 Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris:
26 Scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.
27 Posuisti in nervo pedem meum, & observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum consideraſti:
28 Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea.

Caput XIV.

Iob, considerata fragilitate humana, admiratur Dei in hominem providentiam, quòd post hanc vitam expectet aliam, & corporum vaticinatur resurrectionem.

A 1 HOmo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.
*Sup. 8. b. 9. Ps. 143. b. 4. 2 * Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet.
3 Et dignum ducis super hujusce modi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium?
*Ps. 50. a. 4. 4 * Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nónne tu qui solus es?
5 Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.
6 Recede paululùm ab eo ut quiescat, donec B optata veniat, sicut mercenarij dies ejus.
7 Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami ejus pullulant.
8 Si senuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius,
9 Ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quasi cùm primùm plantatum est:
10 Homo verò cùm mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, ubi quæso est?
11 Quomodo si recedant aquæ de mari, & fluvius vacuefactus arescat:
12 Sic homo cùm dormierit, non resurget; donec atteratur cælum, non evigilabit, nec consurget de somno suo. C
13 Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?
14 Putásne mortuus homo rursum vivat? cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.
15 Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram.
16 * Tu quidem gressus meos dinumeraſti, sed *Inf. 31. a. 4. 34. c. 21. parce peccatis meis.
17 Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed cu- Prov. 5. d. 21. rasti iniquitatem meam.
18 Mons cadens defluit, & saxum transfertur D de loco suo.
19 Lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra consumitur: & hominem ergo similiter perdes.
20 Roborasti eum paululùm ut in perpetuum transiret: immutabis faciem ejus, & emittes eum.
21 Sive nobiles fuerint filij ejus, sive ignobiles, non intelliget.
22 Attamen caro ejus dum vivet dolebit, & anima illius super semetipso lugebit.

Caput XV.

Eliphaz Iob arguit jactantiæ, impatientiæ, & blasphemiæ in Deum; apud quem dicit neminem mundum inveniri, describens impiorum ac hypocritarum maledictionem.

A 1 REspondens autem Eliphaz Themanites, dixit:
2 Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens, & implebit ardore stomachum suum?
3 Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi, & loqueris quod tibi non expedit.
4 Quantum in te est, evacuasti timorem, & tulisti preces coram Deo.
5 Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium.
6 Condemnabit te os tuum, & non ego: & labia tua respondebunt tibi.
7 Numquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus?

& Numquid

8 Numquid consilium Dei audisti, & inferior te erit ejus sapientia?
9 Quid nosti quod ignoremus? quid intelligis quod nesciamus?
*Eccli. 18. b. 8. 10 * Et senes & antiqui sunt in nobis, multò vetustiores quàm patres tui.
B 11 Numquid grande est ut consoletur te Deus? sed verba tua prava hoc prohibent.
12 Quid te elevat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos:
13 Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujusmodi sermones?
14 Quid est homo, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere?
*Sup. 4. d. 18. 15 * Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu ejus.
16 Quantò magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?
17 Ostendam tibi, audi me: quod vidi narrabo tibi.
C 18 Sapientes confitentur, & non abscondunt patres suos.
19 Quibus solis data est terra, & non transivit alienus per eos.
20 Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis ejus.
21 Sonitus terroris semper in auribus illius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur.
22 Non credit quòd reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.
23 Cùm se moverit ad quærendum panem, novit quòd paratus sit in manu ejus tenebrarum dies.
24 Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium.
25 Tetendit enim adversus Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est.
26 Cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.
D 27 Operuit faciem ejus crassitudo, & de lateribus ejus aruina dependet.
28 Habitavit in civitatibus desolatis, & in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ.
29 Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam.
30 Non recedet de tenebris: ramos ejus arefaciet flamma, & auferetur spiritu oris sui.
31 Non credet frustrà errore deceptus, quòd aliquo pretio redimendus sit.
32 Antequam dies ejus impleantur, peribit: & manus ejus arescent.
33 Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, & quasi oliva projiciens florem suum.
34 Congregatio enim hypocritæ sterilis, & ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.
*Ps. 7. b. 15. Isa. 59. a. 4. 35 * Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & uterus ejus præparat dolos.

Caput XVI.

Iob amicorum auctoritate commotus, dolorem suum plangit, calamitatis magnitudinem ostendens, seque pati citra iniquitatem, cujus conscium esse Deum asserit.

A 1 REspondens autem Job, dixit:
2 Audivi frequenter talia, consolatores onerosi omnes vos estis.
3 Numquid habebunt finem verba ventosa? aut aliquid tibi molestum est si loquaris?
4 Poteram & ego similia vestri loqui: atque utinam esset anima vestra pro anima mea:
5 Consolarer & ego vos sermonibus, & moverem caput meum super vos.
6 Roborarem vos ore meo: & moverem labia mea, quasi parcens vobis.
7 Sed quid agam? Si locutus fuero, non B quiescet dolor meus: & si tacuero, non recedet à me.
8 Nunc autem oppressit me dolor meus, & in nihilum redacti sunt omnes artus mei.
9 Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, & suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi.
10 Collegit furorem suum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.
11 Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. C
12 Concluſit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.
13 Ego ille quondam opulentus, repentè contritus sum: tenuit cervicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum.
14 Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terra viscera mea.
15 Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.
16 Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam.
17 Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligaverunt.
18 Hæc passus sum absque iniquitate manus D meæ, cùm haberem mundas ad Deum preces.
19 Terra ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus.
20 Ecce enim in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis.
21 Verbosi amici mei: ad Deum stillat oculus meus.
22 Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo, quomodo judicatur filius hominis cum collega suo.
23 Ecce enim breves anni transeunt, & semitam, per quam non revertar, ambulo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput XVII.

Job ex afflictionis suæ magnitudine sibi hic nihil præter mortem restare contendit, & amicos præsentem tantùm remunerationem statuentes insipientiæ arguens, ipse futuram requiem prælolatur.

A 1 SPiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & solum mihi supereſt sepulchrum.
2 Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.
3 Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.
4 Cor eorum longè feciſti à disciplina, propterea non exaltabuntur.
B 5 Prædam pollicetur sociis, & oculi filiorum ejus deficient.
6 Posuit me quasi in proverbium vulgi, & exemplum sum coram eis.
7 Caligavit ab indignatione oculus meus, & membra mea quasi in nihilum redacta sunt.
8 Stupebunt justi super hoc, & innocens contra hypocritam suscitabitur.
C 9 Et tenebit justus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem.
10 Igitur omnes vos convertimini, & venite, & non inveniam in vobis ullum sapientem.
11 Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.
12 Noctem verterunt in diem, & rursum post
D tenebras spero lucem.
13 Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum.
14 Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, & soror mea, vermibus.
15 Ubi est ergo nunc præstolatio mea, & patientiam meam quis considerat?
16 In profundissimum infernum descendent omnia mea: putásne saltem ibi erit requies mihi?

Caput XVIII.

Baldad arguens Iob jactantiæ & impatientiæ, describit impiorum maledictiones, ut suam contra Iob sententiam statuat, nempe ipsum tantùm propter peccata sua puniri.

A 1 REspondens autem Baldad Suhites, dixit:
2 Usque ad quem finem verba jactabitis? intelligite priùs, & sic loquamur.
3 Quare reputati sumus ut jumenta, & sordidimus coram vobis?
4 Qui perdis animam tuam in furore tuo, numquid propter te derelinquetur terra, & transferentur rupes de loco suo?
B 5 Nónne lux impij extinguetur, nec splendebit flamma ignis ejus?
6 Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ super eum est, extinguetur.
7 Arctabuntur gressus virtutis ejus, & præcipitabit eum consilium suum.
8 Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulat.
9 Tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra eum sitis.
10 Abscondita est in terra pedica ejus, & decipula illius super semitam.
11 Undique terrebunt eum formidines, & in- C volvent pedes ejus.
12 Attenuetur fame robur ejus, & inedia invadat costas illius.
13 Devoret pulchritudinem cutis ejus, consumat brachia illius primogenita mors.
14 Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, & calcet super eum, quasi rex, interitus.
15 Habitent in tabernaculo illius socij ejus, qui non est, aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.
16 Deorsum radices ejus siccentur, sursum au- D tem atteratur messis ejus.
17 * Memoria illius pereat de terra, & non ce- * Prov. 2. d. 22.
lebretur nomen ejus in plateis.
18 Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum.
19 Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo, nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus.
20 In die ejus stupebunt novissimi, & primos invadet horror.
21 Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, & iste locus ejus qui ignorat Deum.

Caput XIX.

Iob crudelitatis amicos arguens, se à Deo flagellari dicit immeritò, ostendens afflictionis acerbitatem, & se ab amicis destitutum, ac super futura resurrectione seipsum consolatur.

1 REspondens autem Job, dixit: A
2 Usquequò affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?
3 En, decies confunditis me, & non erubescitis opprimentes me.
4 Nempe, etsi ignoravi, mecum erit ignorantia mea.
5 At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis.
6 Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit.
7 Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet: vociferabor, & non est qui judicet.
8 Semitam meam circumsepsit, & transire non B
possum, & in calle meo tenebras posuit.
9 Spoliavit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.
10 Destruxit me undique, & pereo, & quasi evulsæ arbori abstulit spem meam.
11 Iratus est contra me furor ejus, & sic me habuit quasi hostem suum.
12 Simul venerunt latrones ejus, & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum.
13 Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me.
14 Dereliquerunt me propinqui mei: & qui me noverant, obliti sunt mei.
15 Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ, sicut C
alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum.

16 Servum

16 Servum meum vocavi, & non respondit, ore proprio deprecabar illum.
17 Halitum meum exhorruit uxor mea, & orabam filios uteri mei.
18 Stulti quoque despiciebant me, & cùm abeis recessissem, detrahebant mihi.
19 Abominati sunt me quondam consiliarij mei: & quem maximè diligebam, aversatus est me.
20 Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos.
21 Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.
22 Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?
D 23 Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? quis mihi det ut exarentur in libro.
24 Stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?
25 Scio enim quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum:
26 Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.
27 Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.
28 Quare ergo nunc dicitis: Persequamur eum, & radicem verbi inveniamus contra eum?
29 Fugite ergo à facie gladij, quoniam ultor iniquitatum gladius est: & scitote esse judicium.

Caput XX.

Sophar verbis Iob motus, correptionem ipsius se dicit auditurum; & quæ sit apud Deum pars impij, multis verbis prosequitur.

A 1 REspondens autem Sophar Naamathites, dixit:
2 Idcircò cogitationes meæ variæ succedunt sibi, & mens in diversa rapitur.
3 Doctrinam, quam me arguis, audiam, & spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.
4 Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram.
5 Quòd laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.
6 Si ascenderit usque ad cælum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit:
7 Quasi sterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent: Ubi est?
8 Velut somnium avolans non invenietur, tranB
siet sicut visio nocturna.
9 Oculus, qui eum viderat, non videbit, neque ultrà intuebitur eum locus suus.
10 Filij ejus atterentur egestate, & manus illius reddent ei dolorem suum.
11 Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.
12 Cùm enim dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua.
13 Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo.
14 Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.
15 Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.
16 Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ.
17 (Non videat rivulos fluminis, torrentes mel- C
lis, & butyri.)
18 Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur: juxta multitudinem adinventionum suarum, sic & sustinebit.
19 Quoniam confringens nudavit pauperes: domum rapuit, & non ædificavit eam.
20 * Nec est satiatus venter ejus: & cùm * Eccl. 5. 9.
habuerit quæ concupierat, possidere non poterit.
21 Non remansit de cibo ejus, & propterea nihil permanebit de bonis ejus.
22 Cùm satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum.
23 Utinam impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris sui, & pluat super illum bel- D
lum suum.
24 Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum.
25 Eductus, & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua: vadent & venient super eum horribiles.
26 Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus: devorabit eum ignis, qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo.
27 Revelabunt cæli iniquitatem ejus, & terra consurget adversus eum.
28 Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei.
29 Hæc est pars hominis impij à Deo, & hereditas verborum ejus à Domino.

Caput XXI.

Iob patienter ab amicis audiri postulans, causam inquirit quare impiorum nonnulli in finem usque vitæ prosperentur, alij contrà adversis cædantur; & respondet, impium in diem perditionis à Deo servari, falsam amicorum consolationem per hoc convellens.

1 REspondens autem Job, dixit: A
2 Audite quæso sermones meos, & agite pœnitentiam.
3 Sustinete me, & ego loquar, & pòst mea, si videbitur, verba ridete.
4 Numquid contra hominem disputatio mea est, ut meritò non debeam contristari?
5 Attendite me, & obstupescite, & superponite digitum ori vestro:
6 Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, & concutit carnem meam tremor.
7 * Quare ergo impij vivunt, sublevati sunt, * Jerem. 12. a. 1. Habac. 1. a. 3. d. 13.
confortatique divitiis?
8 Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum.
9 Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non B
est virga Dei super illos.
10 Bos eorum concepit, & non abortivit: vacca peperit, & non est privata fœtu suo.
11 Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

12 Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi.
13 Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.
14 Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.
Mal. 3. d. 14. 15 * Quis est Omnipotens ut serviamus ei? & quid nobis prodest si oraverimus illum?
16 Verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me.
17 Quoties lucerna impiorum extinguetur, & superveniet eis inundatio, & dolores dividet furoris sui?
C 18 Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut favilla quam turbo dispergit.
19 Deus servabit filiis illius dolorem patris: & cùm reddiderit, tunc sciet.
20 Videbunt oculi ejus interfectionem suam, & de furore Omnipotentis bibet:
21 Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se? & si numerus mensium ejus dimidietur?
22 Numquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos judicat?
23 Iste moritur robustus & sanus, dives & felix.
24 Viscera ejus plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur.
25 Alius verò moritur in amaritudine animæ absque ullis opibus.
26 Et tamen simul in pulvere dormient, & vermes operient eos.
D 27 Certè novi cogitationes vestras, & sententias contra me iniquas.
28 Dicitis enim: Ubi est domus principis? & ubi tabernacula impiorum?
29 Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis.
30 Quia in diem perditionis servatur malus, & ad diem furoris ducetur.
31 Quis arguet coram eo viam ejus? & quæ fecit, quis reddet illi?
32 Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.
33 Dulcis fuit glareis Cocyti, & post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles.
34 Quomodo igitur consolamini me frustrà, cùm responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

Caput XXII.

Eliphaz arguit Iob immisericordiæ in pauperum oppressione, & aliorum facinorum; ostendens ipsum de divina providentia non rectè sentire, ac pœnitenti bona promittens.

A 1 Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit:
2 Numquid Deo potest comparari homo, etiam cùm perfectæ fuerit scientiæ?
3 Quid prodest Deo si justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?
4 Numquid timens arguet te, & veniet tecum in judicium,
5 Et non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas?
6 Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa, & nudos spoliasti vestibus.
7 Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem.
8 In fortitudine brachij tui possidebas terram, & B potentissimus obtinebas eam.
9 Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti.
10 Propterea circumdatus es laqueis, & conturbat te formido subita.
11 Et putabas te tenebras non visurum, & impetu aquarum inundantium non oppressum iri?
12 An non cogitas quòd Deus excelsior cælo sit, & super stellarum verticem sublimetur?
13 Et dicis: Quid enim novit Deus? & quasi per caliginem judicat.
14 Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat.
15 Numquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui?
16 Qui sublati sunt ante tempus suum, & fluvius C subvertit fundamentum eorum:
17 Qui dicebant Deo: Recede à nobis: & quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum:
18 Cùm ille implesset domos eorum bonis: quorum sententia procul sit à me.
ps. 106 d. 42. 19 * Videbunt justi & lætabuntur, & innocens subsannabit eos.
20 Nónne succisa est erectio eorum, & reliquias eorum devoravit ignis?
21 Acquiesce igitur ei, & habeto pacem; & per hæc habebis fructus optimos.
22 Suscipe ex ore illius legem, & pone sermones ejus in corde tuo.
23 Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, & longè facies iniquitatem à tabernaculo D tuo.
24 Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos.
25 Eritque Omnipotens contra hostes tuos, & argentum coacervabitur tibi.
26 Tunc super Omnipotentem deliciis affluës, & elevabis ad Deum faciem tuam.
27 Rogabis eum, & exaudiet te, & vota tua reddes.
28 Decernes rem, & veniet tibi, & in viis tuis splendebit lumen.
29 * Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria: *Prov. 29. d. 23.* & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.
30 Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.

Caput XXIII.

Iob divinum judicium humiliter invocans, ostendit se non puniri propter peccata sua, rectèque sentire de providentia Dei incomprehensibilis, omnia pro sua voluntate facientis.

1 Respondens autem Job, ait:
A 2 Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, & manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.
3 Quis mihi tribuat ut cognoscam & inveniam illum, & veniam usque ad solium ejus?
4 Ponam coram eo judicium, & os meum replebo increpationibus.
5 Ut sciam verba quæ mihi respondeat, & intelligam quid loquatur mihi.

6 Nolo

B 6 Nolo multâ fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ molè me premat.
7 Proponat æquitatem contra me, & perveniat ad victoriam judicium meum.
8 Si ad Orientem iero, non apparet: si ad Occidentem, non intelligam eum.
9 Si ad sinistram, quid agam? non apprehendam
C eum: si me vertam ad dexteram, non videbo illum.
10 Ipse verò scit viam meam, & probavit me quasi aurum quod per ignem transit.
11 Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea.
12 A mandatis labiorum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris ejus.
13 Ipse enim solus est, & nemo avertere potest cogitationem ejus: & anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit.
D 14 Cùm expleverit in me voluntatem suam, & & alia multa similia præstò sunt ei.
15 Et idcircò à facie ejus turbatus sum, & considerans eum, timore sollicitor.
16 Deus mollivit cor meum, & omnipotens conturbavit me.
17 Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.

Caput XXIV.

Iob ut rectè se sentire ostendat de divina providentia, dicit Deo nota esse tempora, & hominum varias recenset iniquitates, ab ipso puniendas.

A 1 AB Omnipotente non sunt abscondita tempora: qui autem noverunt eum, ignorant dies illius.
2 Alij terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & paverunt eos.
3 Asinum pupillorum abegerunt, & abstulerunt pro pignore bovem viduæ.
4 Subverterunt pauperum viam, & oppresserunt pariter mansuetos terræ.
5 Alij quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum: vigilantes ad prædam, præparant panem liberis.
B 6 Agrum non suum demetunt: & vineam ejus, quem vi oppresserint, vindemiant.
7 Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes quibus non est operimentum in frigore.
8 Quos imbres montium rigant: & non habentes velamen, amplexantur lapides.
9 Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem spoliaverunt.
10 Nudis & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas.
11 Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.
12 De civitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamavit, & Deus inultum abire non patitur.
C 13 Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.
14 Manè primò consurgit homicida, interficit egenum & pauperem: per noctem verò erit quasi fur.
15 Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non me videbit oculus: & operiet vultum suum.
16 Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignoraverunt lucem.
17 Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: & sic in tenebris quasi in luce ambulant.
18 Levis est super faciem aquæ: maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum.
19 Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium D & usque ad inferos peccatum illius.
20 Obliviscatur ejus misericordia: dulcedo illius vermes: non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.
21 Pavit enim sterilem, quæ non parit, & viduæ benè non fecit.
22 Detraxit fortes in fortitudine sua: & cùm steterit, non credet vitæ suæ.
23 * Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille *Apoc. 2. f. 21.* abutitur eo in superbiam: oculi autem ejus sunt in viis illius.
24 Elevati sunt ad modicum, & non subsistent, & humiliabuntur sicut omnia, & auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur.
25 Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum, & ponere ante Deum verba mea?

Caput XXV.

Baldad ex Dei sublimitate & hominis humilitate, negat hominem Deo comparatum justificari posse.

1 Respondens autem Baldad Suhites, dixit:
A 2 Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.
3 Numquid est numerus militum ejus? & super quem non surget lumen illius?
4 Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?
5 Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus:
6 Quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis.

Caput XXVI.

Iob dicit nullum Deo ab homine auxilium præstari posse, Dei incomprehensibilem potentiam ex ipsius operibus demonstrans.

1 Respondens autem Job, dixit:
A 2 Cujus adjutor es? numquid imbecillis? & sustentas brachium ejus, qui non est fortis?
3 Cui dedisti consilium? forsitan illi, qui non habet sapientiam, & prudentiam tuam ostendisti plurimam.
4 Quem docere voluisti? nónne eum, qui fecit spiramentum? B
5 Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.
6 Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni.
7 Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.
8 Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum. C
9 Qui tenet vultum solij sui, & expandit super illud nebulam suam.

10 Termi

Universidad de Deusto
Biblioteca

D 10 Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux & tenebræ.

11 Columnæ cæli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus.

12 In fortitudine illius repentè maria congregata sunt, & prudentia ejus percussit superbum.

13 Spiritus ejus ornavit cælos: & obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.

14 Ecce, hæc ex parte dicta sunt viarum ejus: & cùm vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

Caput XXVII.

Iob perpetuò constans in sui justificatione, rejecta amicorum calumnia, ostendit quo modo impij ex præsentis vitæ brevi prosperitate in mortem rapiantur à Deo ad supplicia.

A 1 Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, & dixit:

2 Vivit Deus, qui abstulit judicium meum, & Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam.

3 Quia donec supererat halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis,

4 Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.

5 Absit à me ut justos vos esse judicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.

B 6 Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.

7 Sit ut impius, inimicus meus: & adversarius meus quasi iniquus.

8 Quæ est enim spes hypocritæ si avarè rapiat, & non liberet Deus animam ejus?

9 Numquid Deus audiet clamorem ejus cùm venerit super eum angustia?

10 Aut poterit in omnipotente delectari, & invocare Deum omni tempore?

11 Docebo vos per manum Dei quæ Omnipotens habeat, nec abscondam.

12 Ecce, vos omnes nostis, & quid sine causa vana loquimini?

C 13 Hæc est pars hominis impij apud Deum, & hereditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient.

14 Si multiplicati fuerint filij ejus, in gladio erunt, & nepotes ejus non saturabuntur pane.

15 Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt.

16 Si comportaverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparaverit vestimenta:

17 Præparabit quidem, sed justus vestietur illis: & argentum innocens dividet.

18 Ædificavit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum.

*Ps. 48. d. 18. D 19 * Dives cùm dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inveniet.

20 Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas.

21 Tollet eum ventus urens, & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo.

22 Et mittet super eum, & non parcet: de manu ejus fugiens fugiet.

23 Stringet super eum manus suas, & sibilabit super illum, intuens locum ejus.

Caput XXVIII.

Iob sapientiam ostendit auro longè esse præstantiorem, tum origine tum rei dignitate; Deo autem perspecta esse quæque occultissima naturæ, & sapientiam è cælo dari, non auro emi.

1 Habet argentum, venarum suarum principia: A & auro locus est, in quo conflatur.

2 Ferrum de terra tollitur: & lapis solutus calore, in æs vertitur.

3 Tempus posuit tenebris, & universorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, & umbram mortis.

4 Dividit torrens à populo peregrinante, eos, quos oblitus est pes egentis hominis, & invios.

5 Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igni subversa est.

6 Locus sapphiri lapides ejus, & glebæ illius aurum.

7 Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis.

8 Non calcaverunt eam filij institorum, nec B pertranſivit per eam leæna.

9 Ad silicem extendit manum suam, subvertit à radicibus montes.

10 In petris rivos excidit, & omne pretiosum vidit oculus ejus.

11 Profunda quoque fluviorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit.

12 Sapientia verò ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ?

13 Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium.

14 Abyssus dicit: Non est in me: & mare loquitur: Non est mecum.

15 * Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec * Sap. 7. a. 9. appendetur argentum in commutatione ejus. C

16 Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonicho pretiosissimo, vel sapphiro.

17 Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri.

18 Excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione ejus: trahitur autem sapientia de occultis.

19 Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur.

20 Unde ergo sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ?

21 Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cæli latet.

22 Perditio & mors dixerunt: Auribus nostris D audivimus famam ejus.

23 Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius.

24 Ipse enim fines mundi intuetur: & omnia, quæ sub cælo sunt, respicit.

25 Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura.

26 Quan

26 Quando ponebat pluviis legem, & viam procellis sonantibus?

27 Tunc vidit illam, & enarravit, & præparavit, & investigavit.

28 Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipsa est sapientia: & recedere à malo, intelligentia.

Caput XXIX.

Iob pristinæ cupiens restitui felicitati, multis verbis illam enarrat, una cum bonis suis operibus, quò se de contraria amicorum calumnia vindicet.

A 1 Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, & dixit:

2 Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundùm dies quibus Deus custodiebat me?

3 Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris?

4 Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secretò Deus erat in tabernaculo meo?

5 Quando erat Omnipotens mecum: & in circuitu meo pueri mei?

6 Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei?

B 7 Quando procedebam ad portam civitatis, & in platea parabant cathedram mihi?

8 Videbant me juvenes, & absconsebantur: & senes assurgentes stabant.

9 Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.

10 Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat.

11 Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi.

12 Eò quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor.

C 13 Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum.

14 Justitia indutus sum: & vestivi me, sicut vestimento & diademate, judicio meo.

15 Oculus fui cæco, & pes claudo.

16 Pater eram pauperum: & causam quam nesciebam, diligentissimè investigabam.

17 Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.

18 Dicebámque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.

19 Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea.

20 Gloria mea semper innovabitur, & arcus D meus in manu mea instaurabitur.

21 Qui me audiebant, expectabant sententiam & intenti tacebant ad consilium meum.

22 Verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum.

23 Expectabant me sicut pluviam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.

24 Si quando ridebam ad eos, non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram.

25 Si voluissem ire ad eos, sedebam primus: cúmque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.

Caput XXX.

Plangit Iob pristinam illam felicitatem, versam sibi permittente Deo, in summam calamitatem.

1 Nunc autem derident me juniores tempore, A quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei:

2 Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni.

3 Egestate & fame steriles, qui rodebant in solitudine, squallentes calamitate & miseria.

4 Et mandebant herbas, & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum:

5 Qui de convallibus ista rapientes, cùm singula reperissent, ad ea cum clamore currebant.

6 In desertis habitabant torrentium, & in cavernis terræ, vel super glaream.

7 Qui inter hujuscemodi lætabantur, & esse sub B sentibus delicias computabant.

8 Filij stultorum & ignobilium, & in terra penitus non parentes.

9 Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in proverbium.

10 Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conspuere non verentur.

11 Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me, & frænum posuit in os meum.

12 Ad dexteram orientis calamitates meæ illicò surrexerunt: pedes meos subverterunt, & oppressérunt quasi fluctibus semitis suis.

13 Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, & prævaluerunt, & non fuit qui ferret auxilium.

14 Quasi rupto muro, & aperta janua, irruerunt super me, & ad meas miserias devoluti C sunt.

15 Redactus sum in nihilum: abstulisti quasi ventus desiderium meum: & velut nubes pertransiit salus mea.

16 Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis.

17 Nocte os meum perforatur doloribus: & qui me comedunt, non dormiunt.

18 In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, & quasi capitio tunicæ succinxerunt me.

19 Comparatus sum luto, & assimilatus sum favillæ & cineri.

20 Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me.

21 Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adversaris mihi.

22 Elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè.

23 Scio quia morti trades me, ubi constituta est D domus omni viventi.

24 Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam: & si corruerint, ipse salvabis.

25 Flebam quondam super eo qui afflictus erat,

erat, & compatiebatur anima mea pauperi.
26 Expectabam bona, & venerunt mihi mala: præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ.
27 Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, prævenerunt me dies afflictionis.
28 Mœrens incedebam, sine furore; consurgens, in turba clamabam.
29 Frater fui draconum, & socius struthionum.
30 Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate.
31 Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.

CAPUT XXXI.

Iob ut de amicorum calumnia se purget, summum judicem innocentiæ suæ testem invocans; suas enarrat virtutes.

A 1 PEpigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.
2 Quam enim partem haberet in me Deus de super, & hereditatem Omnipotens de excelsis?
3 Numquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus injustitiam?
4 Nónne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?
5 Si ambulavi in vanitate, & festinavit in dolo pes meus:
6 Appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam.
7 Si declinavit gressus meus de via, & si secutum est oculos meos cor meum, & si manibus meis adhæsit macula:
8 Seram, & alius comedat: & progenies mea eradicetur.
9 Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum:
10 Scortum alterius sit uxor mea, & super illam B incurventur alij.
11 Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima.
12 Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.
13 Si contempsi subire judicium cum servo meo, & ancilla mea, cùm disceptarent adversum me.
14 Quid enim faciam cùm surrexerit ad judicandum Deus? & cùm quæsierit, quid respondebo illi?
15 Numquid non in utero fecit me qui & illum operatus est: & formavit me in vulva unus?
16 Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci.
17 Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea:
18 (Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio: & de utero matris meæ egressa est mecum.)
C 19 Si despexi pereuntem, eò quòd non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem:
20 Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est.
21 Si levavi super pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta superiorem:
22 Humerus meus à junctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur.
23 Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.
24 Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea.
25 Si lætatus sum super multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.
26 Si vidi Solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè:
27 Et lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo.
28 Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.
29 Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, & exultavi quòd invenisset eum malum.
30 Non enim dedi ad peccandum guttur meum, D ut expeterem maledicens animam ejus.
31 Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus ut saturemur?
32 Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.
33 Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam.
34 Si expavi ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me: & non magis tacui, nec egressus sum ostium.
35 Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens: & librum scribat ipse qui judicat.
36 Ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi?
37 Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, & quasi principi offeram eum.
38 Si adversum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci ejus deflent.
39 Si fructus ejus comedi absque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi:
40 Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.

Finita sunt verba Job.

CAPUT XXXII.

Iob silentio amicis impositio, arguitur unà cum illis insipientiæ ab Eliu, qui suam jactat sapientiam.

1 OMiserunt autem tres viri isti respondere A Job, eò quòd justus sibi videretur.
2 Et iratus, indignatúsque est Eliu filius Barachel Buzites de cognatione Ram: iratus est autem adversum Job, eò quòd justum se esse diceret coram Deo.
3 Porrò adversum amicos ejus indignatus est, eò quòd non invenissent responsionem rationabilem, sed tantummodò condemnassent Job.
4 Igitur Eliu expectavit Job loquentem: eò quòd seniores essent qui loquebantur.
5 Cùm

B 5 Cùm autem vidisset quòd tres respondere non potuissent, iratus est vehementer.
6 Respondénsque Eliu filius Barachel Buxites, dixit:
Junior sum tempore, vos autem antiquiores, idcircò demisso capite, veritus sum vobis indicare meam sententiam.
7 Sperabam enim quòd ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam.
8 Sed, ut video, Spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.
9 Non sunt longævi sapientes, nec senes intelligunt judicium.
C 10 Ideo dicam: Audite me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam.
11 Expectavi enim sermones vestros, audivi prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus:
12 Et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam: sed, ut video, non est qui possit arguere Job, & respondere ex vobis sermonibus ejus.
13 Ne fortè dicatis: Invenimus sapientiam, Deus projecit eum, non homo.
14 Nihil locutus est mihi, & ego non secundùm sermones vestros respondebo illi.
15 Extimuerunt, nec responderunt ultrà, abstulerúntque à se eloquia.
D 16 Quoniam igitur expectavi, & non sunt locuti: steterunt, nec ultrà responderunt:
17 Respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam.
18 Plenus sum enim sermonibus, & coarctat me spiritus uteri mei.
19 En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.
20 Loquar & respirabo paululùm: aperiam labia mea, & respondebo:
21 Non accipiam personam viri, & Deum homini non æquabo.
22 Nescio enim quàm diu subsistam, & si post modicum tollat me Factor meus.

CAPUT XXXIII.

Eliu ex sermonibus Iob ostendere nititur eum esse justum, docens quomodo Deus homini loquatur ut erudiat & increpet, ac respiscenti propitietur.

A 1 AUdi igitur Job eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta.
2 Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis.
3 Simplici corde meo sermones mei, & sententiam puram labia mea loquentur.
4 Spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis vivificavit me.
5 Si potes, responde mihi, & adversus faciem meam consiste.
6 Ecce, & me sicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus sum.
7 Verumtamen miraculum meum non te ter-

reat, & eloquentia mea non sit tibi gravis.
8 Dixisti ergo in auribus meis, & vocem verborum tuorum audivi:
9 Mundus sum ego, & absque delicto immaculatus, & non est iniquitas in me.
10 Quia querelas in me reperit, ideò arbitratus B est me inimicum sibi.
11 Posuit in nervo pedes meos, custodivit omnes semitas meas.
12 Hoc est ergo, in quo non es justificatus: respondebo tibi, quia major sit Deus homine.
13 Adversus eum contendis, quòd non ad omnia verba responderit tibi:
14 Semel loquitur Deus, & secundò idipsum non repetit.
15 Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo.
16 Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina,
17 Ut avertat hominem ab his quæ facit, & liberet eum de superbia: C
18 Eruens animam ejus à corruptione: & vitam illius, ut non transeat in gladium.
19 Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa ejus marcescere facit.
20 Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus antè desiderabilis.
21 Tabescet caro ejus; & ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.
22 Appropinquavit corruptioni anima ejus, & vita illius mortiferis.
23 Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem:
24 Miserebitur ejus, & dicet: Libera eum ut non descendat in corruptionem: inveni in quo ei propitier.
25 Consumpta est caro ejus à suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ.
26 Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit: & D videbit faciem ejus in jubilo, & reddet homini justitiam suam.
27 Respiciet homines, & dicet: Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi.
28 Liberavit animam suam ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret.
29 Ecce, hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos.
30 Ut revocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viventium.
31 Attende Job, & audi me: & tace, dum ego loquor.
32 Si autem habes quod loquaris, responde mihi, loquere: volo enim, te apparere justum.
33 Quòd si non habes, audi me: tace, & docebo te sapientiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput XXXIV.

Eliu rursum ex verbis Iob accusat eum blasphemiæ aliorumque criminum, æquitatem ostendens divini judicij, ejus quoque potentiæ & notitiæ cuncta subesse.

A 1 PRonuntians itaque Eliu, etiam hæc locutus est:
2 Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me:
*Sup. 12 b. 11. 3 * Auris enim verba probat, & guttur escas gustu dijudicat.
4 Judicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius.
5 Quia dixit Job: Justus sum, & Deus subvertit judicium meum.
6 In judicando enim me, mendacium est: violenta sagitta mea absque ullo peccato.
7 Quis est vir, ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam.
8 Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis?
B 9 Dixit enim: Non placebit vir Deo: etiam si cucurrerit cum eo.
10 Ideò viri cordati audite me, absit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas.
11 Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias singulorum restituet eis.
12 Verè enim Deus non condemnabit frustrà, nec Omnipotens subvertet judicium.
13 Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?
14 Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet.
15 Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem revertetur.
16 Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, & ausculta vocem eloquij mei.
17 Numquid qui non amat judicium, sanari potest? & quomodo tu eum, qui justus est, in tantum condemnas?
18 Qui dicit regi, apostata: qui vocat duces impios.
C *Deut. 10. d. 17. 2. Par. 19. b. 7. Sap. 6. b. 8. Eccl. 35. b. 15. Act. 10. e. 34. Rom. 2. b. 11. Gal. 2. b. 6. Ephes. 6. b. 9. Col. 3. d. 25. 1. Pet. 1. e. 17. 19 * Qui non accipit personas principum: nec cognovit tyrannum, cùm disceptaret contra pauperem: opus enim manuum ejus sunt universi.
20 Subitò morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & pertransibunt, & auferent violentum absque manu.
21 Oculi enim ejus super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat.
22 Non sunt tenebræ, & non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.
23 Neque enim ultrà in hominis potestate est, ut veniat ab Deum in judicium.
24 Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.
25 Novit enim opera eorum: & idcircò inducet noctem, & conterentur.
26 Quasi impios percussit eos in loco videntium.
27 Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt:
28 Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum.
29 Ipso enim concedente pacem, quis est qui D condemnet? ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum & super gentes & super omnes homines?
30 Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.
31 Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo.
32 Si erravi, tu doce me: si iniquitatem locutus sum, ultrà non addam.
33 Numquid à te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? tu enim cœpisti loqui, & non ego: quòd si quid nosti melius loquere.
34 Viri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiat me.
35 Job autem stultè locutus est, & verba illius non sonant disciplinam.
36 Pater mi, probetur Job usque ad finem: ne desinas ab homine iniquitatis.
37 Quia addit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim constringatur: & tunc ad judicium provocet sermonibus suis Deum.

Caput XXXV.

Eliu colligens Iob dixisse Deo non placere quod rectum est, ostendit non Deo sed homini & pietatem prodesse & impietatem obesse.

A 1 IGitur Eliu hæc rursum locutus est:
2 Numquid æqua tibi videtur tua cogitatio, ut diceres: Justior sum Deo?
3 Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum est: vel quid tibi proderit, si ego peccavero?
4 Itaque ego respondebo sermonibus tuis, & amicis tuis tecum.
5 Suscipe cælum & intuere, & contemplare æthera quòd altior te sit.
6 Si peccaveris, quid ei nocebis? & si multiB plicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?
7 Porrò si justè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?
8 Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua: & filium hominis adjuvabit justitia tua.
9 Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: & ejulabunt propter vim brachij tyranC norum.
10 Et non dixit: Ubi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?
11 Qui docet nos super jumenta terræ, & super volucres cæli erudit nos.
12 Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter superbiam malorum.
13 Non ergo frustrà audiet Deus, & Omnipotens causas singulorum intuebitur.
14 Etiam cùm dixeris: Non considerat: judicaD re coram illo, & expecta eum.

15 Nunc

15 Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valdè.
16 Ergo Job frustrà aperit os suum, & absque scientia verba multiplicat.

Caput XXXVI.

Eliu æquitatem divini judicij tuetur, qui percutit ut erudiat, loquitur ut ad se redeant, redeuntes à flagellis liberat: hortatur itaque Iob ad resipiscentiam, promittens cuncta prospera.

A 1 ADdens quoque Eliu, hæc locutus est:
2 Sustine me paululùm, & indicabo tibi: adhuc enim habeo quod pro Deo loquar.
3 Repetam scientiam meam à principio, & operatorem meum probabo justum.
4 Verè enim absque mendacio sermones mei, & perfecta scientia probabitur tibi.
5 Deus potentes non abjicit; cùm & ipse sit potens.
6 Sed non salvat impios, & judicium pauperibus tribuit.
7 Non auferet à justo oculos suos, & reges in solio collocat in perpetuum, & illi eriguntur.
8 Et si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis:
B 9 Indicabit eis opera eorum, & scelera eorum, quia violenti fuerunt.
10 Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat: & loquetur, ut revertantur ab iniquitate:
11 Si audierint & observaverint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.
12 Si autem non audierint, transibunt per gladium, & consumentur in stultitia.
13 Simulatores & callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cùm vincti fuerint.
14 Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos.
15 Eripiet de angustia sua pauperem, & revelabit in tribulatione aurem ejus.
16 Igitur salvabit te de ore angusto latissimè, & non habente fundamentum subter se: requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.
C 17 Causa tua quasi impij judicata est, causam judiciúmque recipies.
18 Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te.
19 Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.
20 Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis.
21 Cave ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpisti sequi post miseriam.
22 Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus.
23 Quis poterit scrutari vias ejus? aut quis potest ei dicere: Operatus es iniquitatem?
24 Memento quòd ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri.
25 Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.

26 Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum ejus inæstimabilis. D
27 Qui aufert stillas pluviæ, & effundit imbres ad instar gurgitum.
28 Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper.
29 Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum,
30 Et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.
31 Per hæc enim judicat populos, & dat escas multis mortalibus.
32 In manibus abscondit lucem, & præcipit ei ut rursus adveniat.
33 Annuntiat de ea amico suo, quòd possessio ejus sit, & ad eam possit ascendere.

Caput XXXVII.

Eliu ex mirabilibus Dei operibus declarat Dei sapientiam, potentiam ac justitiam, & inscrutabile judicium ipsius: quibus vult Iob detraxisse.

1 SUper hoc expavit cor meum, & emotum A est de loco suo.
2 Audite auditionem in terrore vocis ejus, & sonum de ore illius procedentem.
3 Subter omnes cælos ipse considerat, & lumen illius super terminos terræ.
4 Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ; & non investigabitur, cùm audita fuerit vox ejus.
5 Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia.
6 Qui præcipit nivi ut descendat in terram, & hiemis pluviis, & imbri fortitudinis suæ. B
7 Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua.
8 Ingredietur bestia latibulum, & in antro suo morabitur.
9 Ab interioribus egredietur tempestas, & ab Arcturo frigus.
10 Flante Deo concrescit gelu, & rursum latissimæ funduntur aquæ.
11 Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum.
12 Quæ lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum.
13 Sive in una tribu, sive in terra sua, sive in C quocumque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri.
14 Ausculta hæc Job: sta, & considera mirabilia Dei.
15 Numquid scis quando præceperit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus?
16 Numquid nosti semitas nubium magnas & perfectas scientias?
17 Nónne vestimenta tua calida sunt, cùm perflata fuerit terra Austro?
18 Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos qui solidissimi quasi ære fusi sunt.
19 Ostende nobis quid dicamus illi: nos quippe involvimur tenebris.

D 20 Quis narrabit ei quæ loquor? etiam si locutus fuerit homo, devorabitur:
21 At nunc non vident lucem: subitò aër cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas.
22 Ab Aquilone aurum venit, & ad Deum formidolosa laudatio.
23 Dignè eum invenire non possumus: magnus fortitudine, & judicio, & justitia, & enarrari non potest.
24 Ideò timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.

Caput XXXVIII.

Deus arguit Iob, ostendens ex conditis à se operibus non posse illum divinam potentiam ac sapientiam comprehendere.

A 1 Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit:
2 Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?
3 Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & responde mihi.
4 Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam.
5 Quis posuit mensuras ejus: si nosti? vel quis tetendit super eam lineam?
6 Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem ejus.
7 Cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filij Dei?
8 Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens:
9 Cùm ponerem nubem vestimentum ejus, & caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem?
B 10 Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia;
11 Et dixi: Usque huc venies, & non procedes ampliùs, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.
12 Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum?
13 Ettenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea?
14 Restituetur ut lutum signaculum, & stabit sicut vestimentum:
15 Auferetur ab impiis lux sua, & brachium excelsum confringetur.
16 Numquid ingressus es profunda maris, & in novissimis abyssi deambulasti?
17 Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?
18 Numquid consideraſti latitudinem terræ? indica mihi, si nosti, omnia,
19 In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit:
C 20 Ut ducas unumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus ejus.
21 Sciebas tunc quòd nasciturus esses? & numerum dierum tuorum noveras?
22 Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?
23 Quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?
24 Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram?
25 Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui.
26 Ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur.
27 Ut impleret inviam & desolatam, & produceret herbas virentes?
28 Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris?
29 De cujus utero egressa est glacies? & gelu de cælo quis genuit?
30 In similitudinem lapidis aquæ durantur, & superficies abyssi constringitur.
31 Numquid conjungere valebis micantes stellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare.
32 Numquid producis Luciferum in tempore suo, & Vesperum super filios terræ consurgere facis? D
33 Numquid nosti ordinem cæli, & pones rationem ejus in terra?
34 Numquid elevabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?
35 Numquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi: Adsumus?
36 Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?
37 Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?
38 Quando fundebatur pulvis in terra, & glebæ compingebantur?
39 Numquid capies leænæ prædam, & animam catulorum ejus implebis,
40 Quando cubant in antris, & in specubus insidiantur?
41 * Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eò quòd non habeant cibos? *Ps. 164 b. 9.

Caput XXXIX.

Deus ipsi Iob ostendit mirabilia opera sua in ibicibus, onagro, rhinocerote, struthione, equo, & aquila; arguens eum quòd cum ipso contendere voluerit: quibus Iob commotus, agnoscit se temerè locutum.

A 1 Numquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti?
2 Dinumerasti menses conceptus earum, & scisti tempus partus earum?
3 Incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.
4 Separantur filij earum, & pergunt ad pastum: egrediuntur, & non revertuntur ad eas.
5 Quis dimisit onagrum liberum, & vincula ejus quis solvit?
6 Qui dedi in solitudine domum, & tabernacula ejus in terra salsuginis.

7 Contem

7 Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit.
B 8 Circumspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque perquirit.
9 Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?
10 Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confringet glebas vallium post te?
11 Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, & derelinques ei labores tuos?
12 Numquid credes illi quòd sementem reddat tibi, & aream tuam congreget?
13 Penna struthionis similis est pennis herodij, & accipitris.
14 Quando derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea?
15 Obliviscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.
16 Duratur ad filios suos quasi non sint sui, frustrà laboravit nullo timore cogente.
17 Privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.
C 18 Cùm tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equum & ascensorem ejus.
19 Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum?
20 Numquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium ejus terror.
21 Terram ungula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis.
22 Contemnit pavorem, nec cedit gladio.
23 Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus.
24 Fervens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem.
25 Ubi audierit buccinam, dicit: Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus.
26 Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum?
D 27 Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?
28 In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus.
29 Inde contemplatur escam, & de longè oculi ejus prospiciunt.
30 Pulli ejus lambent sanguinem: & ubicumque cadaver fuerit, statim adest.
31 Et adjecit Dominus, & locutus est ad Job:
32 Numquid qui contendit cum Deo, tam facilè conquiescit? utique qui arguit Deum, debet respondere ei.
33 Respondens autem Job Domino, dixit:
34 Qui leviter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum.
35 Unum locutus sum, quod utinam non dixissem; & alterum, quibus ultrà non addam.

Caput XL.

Deus arguens Iob quòd visus sit justitiæ ipsius detraxisse, ostendit ei suam potentiam in Behemoth & Leviathan, silentium ei imponens.

1 Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit: A
2 Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & indica mihi.
3 Numquid irritum facies judicium meum: & condemnabis me, ut tu justificeris?
4 Et si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas?
5 Circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus.
6 Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia.
7 Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo. B
8 Absconde eos in pulvere simul, & facies eorum demerge in foveam:
9 Et ego confitebor quòd salvare te possit dextera tua.
10 Ecce, Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet.
11 Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus.
12 Stringit caudam suam quasi cedrum, nervi testiculorum ejus perplexi sunt.
13 Ossa ejus velut fistulæ æris, cartilago illius quasi laminæ ferreæ.
14 Ipse est principium viarum Dei, qui fecit C eum, applicabit gladium ejus.
15 Huic montes herbas ferunt: omnes bestiæ agri ludent ibi.
16 Sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus.
17 Protegunt umbræ umbram ejus, circumdabunt eum salices torrentis.
18 Ecce, absorbebit fluvium, & non mirabitur: & habet fiduciam quòd influat Jordanis in os ejus.
19 In oculis ejus quasi hamo capiet eum, & in sudibus perforabit nares ejus.
20 An extrahere poteris Leviathan hamo, & fune ligabis linguam ejus?
21 Numquid pones circulum in naribus ejus, aut D armilla perforabis maxillam ejus?
22 Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?
23 Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum servum sempiternum?
24 Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?
25 Concident eum amici, dividentillum negotiatores?
26 Numquid implebis sagenas pelle ejus, & gurgustium piscium capite illius?
27 Pone super eum manum tuam: memento belli, nec ultrà addas loqui.
28 Ecce, spes ejus frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPUT XLI.

Malitia Behemoth arguitur juxta illius membra, duritiam & superbiam.

A 1 NOn quasi crudelis suscitabo eum? quis enim resistere potest vultui meo?
2 Quis antè dedit mihi, ut reddam ei? omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt.
3 Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.
4 Quis revelabit faciem indumenti ejus? & in medium oris ejus quis intrabit?
5 Portas vultus ejus quis aperiet? per gyrum dentium ejus formido.
6 Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus.
B 7 Una uni conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas:
8 Una alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.
9 Sternutatio ejus splendor ignis, & oculi ejus, ut palpebræ diluculi.
10 De ore ejus lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ.
11 De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque ferventis.
12 Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur.
13 In collo ejus morabitur fortitudo, & faciem ejus præcedit egestas.
C 14 Membra carnium ejus cohærentia sibi: mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.
15 Cor ejus indurabitur tamquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.
16 Cùm sublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur.
17 Cùm apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta, neque thorax.
18 Reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, æs.
19 Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ.
20 Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam.
D 21 Sub ipso erunt radij solis, & sternet sibi aurum quasi lutum.
22 Fervescere faciet quasi ollam profundum mare, & ponet quasi cùm unguenta bulliunt.
23 Post eum lucebit semita, æstimabit abyssum quasi senescentem.
24 Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.
25 Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ.

CAPUT XLII.

Agnoscit Iob se insipienter locutum, & à Domino præfertur amicis, ac pro illis orat, duplicia recipiens eorum quæ amiserat, tandémque plenus dierum in pace quievit.

A 1 REspondens autem Job Domino, dixit:
2 Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.
3 Quis est iste, qui celat consilium absque scientia? ideò insipienter locutus sum, & quæ ultra modum excederent scientiam meam.
4 Audi, & ego loquar: interrogabo te, & responde mihi.
5 Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.
6 Idcircò ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.
B 7 Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job.
8 Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam ut non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut servus meus Job.
9 Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Job.
C 10 Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cùm oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia.
11 Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & universæ sorores suæ, & cuncti qui noverant eum priùs, & comederunt cum eo panem in domo ejus: & moverunt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum: & dederunt ei, unusquisque ovem unam, & inaurem auream unam.
D 12 Dominus autem benedixit novissimis Job magis quàm principio ejus. Et facta sunt ei quattuordecim millia ovium, & sex millia camelorum, & mille juga boum, & mille asinæ.
13 Et fuerunt ei septem filij, & tres filiæ.
14 Et vocavit nomen unius Diem, & nomen secundæ Cassiam, & nomen tertiæ Cornustibij.
15 Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra: dedítque eis pater suus hereditatem inter fratres earum.
16 Vixit autem Job post hæc, centum quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum usque ad quartam generationem, & mortuus est senex & plenus dierum.

LIBER

LIBER PSALMORUM.

PSALMUS I.

A 1 BEatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit:
2 * Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.
* *Ios. 1. b. 8.*
3 * Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo:
* *Ier. 17. b. 8.*
Et folium ejus non defluet: & omnia quæcumque faciet prosperabuntur.
4 Non sic impij, non sic: sed tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.
5 Ideò non resurgent impij in judicio: neque peccatores in concilio justorum.
6 Quoniam novit Dominus viam justorum: & iter impiorum peribit.

Psalm. II.

A 1 QUare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania?
Actor. 4. c. 25.
2 Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.
3 Dirumpamus vincula eorum: & projiciamus
B à nobis jugum ipsorum.
4 Qui habitat in cælis irridebit eos: & Dominus subsannabit eos.
5 Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.
6 Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.
* *Act. 13 c. 33. Heb. 1. b. 5. 5. b. 5.*
7 * Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.
8 Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.
* *Apoc. 2. g. 27. 19. c. 15.*
9 * Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.
10 Et nunc reges intelligite: erudimini qui judicatis terram.
11 Servite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.
12 Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.
13 Cùm exarserit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo.

1 Psalmus David, cùm fugeret à facie Absalom filij sui. (*2. Reg. 15. 14.*) III.

2 DOmine quid multiplicati sunt qui tribulant A
me? multi insurgunt adversum me.
3 Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus.
4 Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.
5 Voce mea ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte sancto suo.
6 Ego dormivi, & soporatus sum: & exurrexi, quia Dominus suscepit me.
7 Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, salvum me fac Deus meus.
8 Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti.
9 Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.

1 In finem in carminibus. Psalmus David. IV.

2 CUm invocarem exaudivit me Deus justi- A
tiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.
Miserere mei, & exaudí orationem meam.
3 Filij hominum usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?
4 Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me cùm clamavero ad eum.
5 * Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.
* *Ephes. 4. f. 26.*
6 Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino. multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?
7 Signatum est super nos lumen vultus tui Do- B
mine: dedisti lætitiam in corde meo.
8 A fructu frumenti, vini, & olei sui, multiplicati sunt.
9 In pace in idipsum dormiam, & requiescam;
10 Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.

1 In finem pro ea, quæ hereditatem consequitur, Psalmus David. V.

2 VErba mea auribus percipe Domine, intel- A
lige clamorem meum.
3 Intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus.
4 Quoniam ad te orabo: Domine manè exaudies vocem meam.
5 Manè astabo tibi & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Universidad de Deusto
Biblioteca

6 Neque habitabit juxta te malignus : neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

7 Odisti omnes, qui operantur iniquitatem : perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

B Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus, 8 Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ,

Introibo in domum tuam : adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

C 9 Domine deduc me in justitia tua : propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

10 Quoniam non est in ore eorum veritas : cor eorum vanum est.

* *Inf. 13. a. 3. Rom. 3. b. 13.* 11 * Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, judica illos Deus.

Decidant à cogitationibus suis, secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.

12 Et lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt : & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, 13 Quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

1 In finem in carminibus, Psalmus David, pro octava. V I.

A 2 DOmine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

3 Miserere mei Domine quoniam infirmus sum : sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea.

4 Et anima mea turbata est valdè : sed tu Domine usquequo :

B 5 Convertere Domine, & eripe animam meam : salvum me fac propter misericordiam tuam.

6 Quoniam non est in morte qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi ?

7 Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo.

8 Turbatus est à furore oculus meus : inveteravi inter omnes inimicos meos.

* *Matt. 7. c. 23. 25. d. 41. Luc. 13. f. 27.* 9 * Discedite à me, omnes qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

10 Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

11 Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur & erubescant valdè velociter.

1 Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filij Jemini. (*2. Reg. 16.*) V I I.

A 2 DOmine Deus meus in te speravi : salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

3 Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

4 Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis :

5 Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.

6 Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.

7 Exurge Domine in ira tua : & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti : 8 Et synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere : 9 Dominus judicat populos. B

Judica me Domine secundùm justitiam meam, & secundùm innocentiam meam super me.

10 Consumetur nequitia peccatorum, & diriges justum, * scrutans corda & renes Deus. * *1. Par. 28. b. 9. Jer. 11. d. 20. 17. b. 10. 20. c. 21.*

Justum 11 adjutorium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde.

12 Deus judex justus, fortis, & patiens, numquid irascitur per singulos dies :

13 Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit : arcum suum tetendit, & paravit illum.

14 Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.

15 * Ecce parturiit injustitiam : concepit dolorem, & peperit iniquitatem. * *Job. 15. d. 35. Isa. 59. a. 4.*

16 Lacum aperuit, & effodit eum : & incidit in foveam, quam fecit.

17 Convertetur dolor ejus in caput ejus : & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

18 Confitebor Domino secundùm justitiam ejus : & psallam nomini Domini altissimi.

1 In finem pro torcularibus, Psalmus David. V I I I.

A 2 DOmine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra. A

Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos.

3 Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem.

4 Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum : lunam & stellas, quæ tu fundasti.

5 Quid est homo, quòd memor es ejus ? aut filius hominis, quoniam visitas eum ?

6 * Minuisti eum paulò minùs ab angelis, gloria & honore coronasti eum : 7 Et constituisti eum super opera manuum tuarum. * *Heb 2. b. 7.* B

8 * Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi : * *Genes. 1. d. 28. 1. Cor. 15. d. 26.*

9 Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.

10 Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra !

1 In finem pro occultis filij, Psalmus David. I X.

2 COnfitebor tibi Domine in toto corde meo : narrabo omnia mirabilia tua. A

3 Lætabor

3 Lætabor & exultabo in te : psallam nomini tuo Altissime.

4 In convertendo inimicum meum retrorsum : infirmabuntur, & peribunt à facie tua.

5 Quoniam fecisti judicium meum & causam meam : sedisti super thronum qui judicas justitiam.

6 Increpasti Gentes, & periit impius : nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi.

7 Inimici defecerunt frameæ in finem : & civitates eorum destruxisti.

Periit memoria eorum cum sonitu : 8 Et Dominus in æternum permanet.

B Paravit in judicio thronum suum : 9 Et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia.

10 Et factus est Dominus refugium pauperi : adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

11 Et sperent in te qui noverunt nomen tuum : quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.

12 Psallite Domino, qui habitat in Sion : annuntiate inter Gentes studia ejus :

C 13 Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est : non est oblitus clamorem pauperum.

14 Miserere mei Domine : vide humilitatem meam de inimicis meis.

15 Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

16 Exultabo in salutari tuo : infixæ sunt Gentes in interitu, quem fecerunt.

In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

17 Cognoscetur Dominus judicia faciens in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

18 Convertantur peccatores in infernum, omnes Gentes quæ obliviscuntur Deum.

19 Quoniam non in finem oblivio erit pauperi : patientia pauperum non peribit in finem.

20 Exurge Domine, non confortetur homo : judicentur Gentes in conspectu tuo.

21 Constitue Domine legislatorem super eos : ut sciant gentes quoniam homines sunt.

Psalm. X. secundùm Hebræos.

A 1 Ut quid Domine recessisti, longè despicis in opportunitatibus, in tribulatione ?

2 Dum superbit impius, incenditur pauper : comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.

3 Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ : & iniquus benedicitur.

4 Exacerbavit Dominum peccator, secundùm multitudinem iræ suæ non quæret.

B 5 Non est Deus in conspectu ejus : inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

Auferuntur judicia tua à facie ejus : omnium inimicorum suorum dominabitur.

6 Dixit enim in corde suo : Non movebor à generatione in generationem, sine malo.

7 * Cujus maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo : sub lingua ejus labor & dolor. * *Inf. 13. a. 3. Rom. 3. b. 14.*

8 Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.

9 Oculi ejus in pauperem respiciunt : insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. C

Insidiatur ut rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum.

10 In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, & cadet cùm dominatus fuerit pauperum.

11 Dixit enim in corde suo : Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem.

12 Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua : ne obliviscaris pauperum.

13 Propter quid irritavit impius Deum ? dixit D enim in corde suo : Non requiret.

14 Vides quoniam tu laborem & dolorem consideras : ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper : orphano tu eris adjutor.

15 Contere brachium peccatoris & maligni : quæretur peccatum illius, & non invenietur.

16 Dominus regnabit in æternum, & in sæculum sæculi : peribitis Gentes de terra illius.

17 *Desiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationem cordis eorum audivit auris tua.

18 Judicare pupillo & humili, ut non apponat ultrà magnificare se homo super terram.

1 In finem, Psalmus David. X.

2 IN Domino confido : quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer ? A

3 Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

4 Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt : justus autem quid fecit ?

5 * Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes ejus : B * *Habac. 2. d. 20.*

Oculi ejus in pauperem respiciunt : palpebræ ejus interrogant filios hominum.

6 Dominus interrogat justum & impium : qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

7 Pluet super peccatores laqueos : ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.

8 Quoniam justus Dominus & justitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus.

1 In finem pro octava, Psalmus David. X I.

2 SAlvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus : quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum. A

3 Vana

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde & corde locuti sunt.

4 Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam.

5 Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?

B 6 Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.

Ponam in salutari: fiducialiter agam in eo.

* Prov. 30. a. 5. 7 * Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

8 Tu Domine servabis nos: & custodies nos à generatione hac in æternum.

9 In circuitu impij ambulant: secundùm altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

1 In finem, Psalmus David. XII.

A USquequò Domine oblivisceris me in finem? Usquequò avertis faciem tuam à me?

2 Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?

3 Usquequò exaltabitur inimicus meus super me? 4 Respice, & exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos ne umquam obdormiam in morte: 5 Ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: 6 Ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi: & psallam nomini Domini altissimi.

1 In finem, Psalmus David. XIII.

A DIxit insipiens in corde suo: Non est Deus.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

2 Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

3 Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant venenum, aspidum sub labiis eorum.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum:

B 4 Nónne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis?

5 Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

6 Quoniam Dominus in generatione justa est, consilium inopis confudistis: quoniam Dominus spes ejus est.

7 Quis dabit ex Sion salutare Israël? cùm averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, & lætabitur Israël.

1 Psalmus David. XIV.

A DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

2 Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.

3 Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximos suos.

B 4 Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat:

5 Qui jurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, non movebitur in æternum.

1 Tituli inscriptio ipsi David. XV.

A COnserva me Domine, quoniam speravi in te.

2 Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

3 Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.

4 Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: posteà acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

5 Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.

6 Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara est mihi.

B 7 Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: insuper & usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

* Act. 2. d. 25. 8 * Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commovear.

9 Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe.

* Act. 2. c. 31. 13. c. 35. 10 * Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem,

11 Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.

1 Oratio David. XVI.

A EXaudi Domine justitiam meam: intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.

2 De vultu tuo judicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.

3 Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.

4 Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

B 5 Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non moveantur vestigia mea.

6 Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

7 Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.

8 A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.

C Sub umbra alarum tuarum protege me: 9 A facie impiorum qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt,

10 Adipem suum concluserunt: os eorum locutum est superbiam.

11 Projicientes me nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.

12 Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: & sicut catulus leonis habitans in abditis.

D 13 Exurge Domine, præveni eum, & supplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam 14 ab inimicis manus tuæ.

Domine à paucis de terra divide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filiis: & dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

15 Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo: satiabor cùm apparuerit gloria tua.

1 In finem puero Domini David, qui locutus est Domino verba cantici hujus, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, & de manu Saul, & dixit: (2. Reg. 22.2.) XVII.

A 2 DIligam te Domine fortitudo mea:

3 Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

* Hebr. 2. d. 13. * Deus meus adjutor meus, & sperabo in eum.

Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.

4 Laudans invocabo Dominum: & ab inimicis meis salvus ero.

5 Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

6 Dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis.

7 In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi:

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: & clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus.

8 Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.

9 Ascendit fumus in ira ejus: & ignis à facie ejus exarsit: carbones succensi sunt ab eo.

10 Inclinavit cælos, & descendit: & caligo sub pedibus ejus.

11 Et ascendit super cherubim, & volavit: volavit super pennas ventorum.

B 12 Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebrosa aqua in nubibus aëris.

13 Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando, & carbones ignis.

14 Et intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: grando & carbones ignis.

15 Et misit sagittas suas, & dissipavit eos: fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.

16 Et apparuerunt fontes aquarum, & revelata sunt fundamenta orbis terrarum;

Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

17 Misit de summo, & accepit me: & assumpsit me de aquis multis.

18 Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me.

19 Prævenerunt me in die afflictionis meæ: & factus est Dominus protector meus.

20 Et eduxit me in latitudinem: salvum me fecit, quoniam voluit me.

21 Et retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam: & secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi:

22 Quia custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.

23 Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo: & justitias ejus non repuli à me.

C 24 Et ero immaculatus cum eo: & observabo me ab iniquitate mea.

25 Et retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam: & secundùm puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

26 Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris:

27 Et cum electo electus eris: & cum perverso pervertêris.

28 Quoniam tu populum humilem salvum facies: & oculos superborum humiliabis.

29 Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.

30 Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.

31 Deus meus impolluta via ejus: eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.

32 Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?

33 Deus qui præcinxit me virtute: & posuit immaculatam viam meam.

* 2. Reg. 22. c. 34. 34 * Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, & super excelsa statuens me.

* 2. Reg. 22. c. 35. 35 * Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti ut arcum æreum, brachia mea.

36 Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: & dextera tua suscepit me:

Et disciplina tua correxit me in finem: & disciplina tua ipsa me docebit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

D 37 Dilatasti gressus meos subtus me: & non sunt infirmata vestigia mea.

38 Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non convertar donec deficiant.

39 Confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos.

40 Et præcinxisti me virtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtus me.

41 Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.

42 Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret ad Dominum, nec exaudivit eos.

43 Et comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti: ut lutum platearum delebo eos.

44 Eripies me de contradictionibus populi: constitues me in caput Gentium.

45 Populus, quem non cognovi, servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.

46 Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis.

47 Vivit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ.

48 Deus qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.

49 Et ab insurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me.

* 1. Reg. 22. d. 50. Rom. 15. c. 9. 50 * Propterea confitebor tibi in nationibus Domine: & nomini tuo psalmum dicam.

51 Magnificans salutes regis ejus, & faciens misericordiam christo suo David, & semini ejus usque in sæculum.

1 In finem, Psalmus David. XVIII.

A 2 Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

3 Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.

4 Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

* Rom. 10. a. 18. 5 * In omnem terram exivit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

B * Luc. 24 § 46 6 In sole posuit tabernaculum suum: * & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo:

Exultavit ut gigas ad currendam viam, 7 A summo cælo egressio ejus:

Et occursus ejus usque ad summum ejus: nec est qui se abscondat à calore ejus.

8 Lex Domini immaculata convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

9 Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

10 Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

11 * Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & favum.

C 12 Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.

13 Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: 14 Et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo.

15 Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus, & redemptor meus.

1 In finem, Psalmus David. XIX.

2 Exaudiat te Dominus in die tribulationis: A protegat te nomen Dei Jacob.

3 Mittat tibi auxilium de sancto: & de Sion tueatur te.

4 Memor sit omnis sacrificij tui: & holocaustum tuum pingue fiat.

5 Tribuat tibi secundùm cor tuum: & omne consilium tuum confirmet.

6 Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Dei B nostri magnificabimur.

7 Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus CHRISTUM suum.

Exaudiet illum de cælo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ ejus.

8 Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

9 Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus.

10 Domine salvum fac regem: & exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

1 In finem, Psalmus David. XX.

2 Domine in virtute tua lætabitur rex: & A super salutare tuum exultabit vehementer.

3 Desiderium cordis ejus tribuisti ei: & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum,

4 Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

5 Vitam petiit à te: & tribuisti ei longitudinem B dierum in sæculum, & in sæculum sæculi.

6 Magna est gloria ejus in salutari tuo: gloriam & magnum decorem impones super eum.

7 Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

8 Quoniam rex sperat in Domino: & in misericordia Altissimi non commovebitur.

9 Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

10 Pones eos ut clibanum ignis in tempore C vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.

11 Fructum eorum de terra perdes: & semen eorum à filiis hominum.

12 Quoniam declinaverunt in te mala; cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

13 Quoniam pones eos dorsum: in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

14 Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & psallemus virtutes tuas.

1 In finem pro susceptione matutina. Psalmus David. XXI.

A 2 Matt. 27. c. 46. Marc. 15. d. 34. Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.

3 Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.

4 Tu autem in sancto habitas, Laus Israël.

5 In te speraverunt patres nostri: speraverunt, & liberasti eos.

6 Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt: in te speraverunt, & non sunt confusi.

7 Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.

* Matt. 27. c. 39. Marc. 15. c. 29. * Matt. 27. c. 43. 8 * Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & moverunt caput.

9 * Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.

B 10 Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ.

11 In te projectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu, 12 Ne discesseris à me:

Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adjuvet.

13 Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.

14 Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens & rugiens.

15 Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

16 Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in pulverem mortis deduxisti me.

C 17 Quoniam circumdederunt me canes multi consilium malignantium obsedit me. 18 Foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi verò consideraverunt & inspexerunt me:

* Matt. 27. d. 35 Joan. 19. d. 23. 24. 19 * Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

20 Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice.

21 Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis unicam meam.

22 Salva me ex ore leonis: & à cornibus unicornium humilitatem meam.

* Hebr. 2. c. 12. 23 * Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te.

24 Qui timetis Dominum laudate eum: universum semen Jacob glorificate eum:

25 Timeat eum omne semen Israël: quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis:

Nec avertit faciem suam à me: & cùm clamarem ad eum exaudivit me.

26 Apud te laus mea in ecclesia magna: D vota mea reddam in conspectu timentium eum.

27 Edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi.

28 Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ:

Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium.

29 Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur Gentium.

30 Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ: in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

31 Et anima mea illi vivet: & semen meum serviet ipsi.

32 Annuntiabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt cæli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

1 Psalmus David. XXII.

A Dominus regit me, & nihil mihi deerit: Isa. 40. c. 11. Jerem. 23. a. 4. Ezech. 34. c. 11. fi. 23. 2 In loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: 3 Animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.

4 Nam, & si ambulavero in medio umbræ 1. Pet. 2. d. 25. 5. b. 4. mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum B es.

Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

5 Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est!

6 Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ:

Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

1 Prima sabbati, Psalmus David. XXIII.

A Domini est terra, & plenitudo ejus: orbis Ps. 49. c. 12. terrarum, & universi qui habitant in eo. 1. Cor. 10. f. 26. 2 Quia ipse super maria fundavit eum: & super flumina præparavit eum.

3 Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?

4 Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

5 Hic accipiet benedictionem à Domino: & misericordiam à Deo salutari suo.

6 Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.

7 Attollite portas principes vestra, & elevamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

8 Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio.

9 Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

10 Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

1 In finem, Psalmus David. XXIV.

A AD te Domine levavi animam meam:
2 Deus meus in te confido, non erubescam:

3 Neque irrideant me inimici mei: etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

4 Confundantur omnes iniqua agentes supervacuè.

Vias tuas Domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me.

5 Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus salvator meus, & te sustinui tota die.

6 Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt.

B 7 Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.

Secundùm misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

8 Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

9 Diriget mansuetos in judicio: docebit mites vias suas.

10 Universæ viæ Domini, misericordia & veritas, requirentibus testamentum ejus & testimonia ejus.

C 11 Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.

12 Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.

13 Anima ejus in bonis demorabitur: & semen ejus hereditabit terram.

14 Firmamentum est Dominus timentibus eum: & testamentum ipsius ut manifestetur illis.

15 Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

16 Respice in me, & miserere mei: quia unicus & pauper sum ego.

D 17 Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.

18 Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte universa delicta mea.

19 Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt, & * odio iniquo oderunt me.

* Ioan. 15. d. 25.

20 Custodi animam meam, & erue me: non erubescam quoniam speravi in te.

21 Innocentes & recti adhæserunt mihi: quia sustinui te.

22 Libera Deus Israël, ex omnibus tribulationibus suis.

1 In finem, Psalmus David. XXV.

JUdica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in Domino sperans non infirmabor. A

2 Proba me Domine, & tenta me: ure renes meos & cor meum.

3 Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: & complacui in veritate tua.

4 Non sedi cum consilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo. B

5 Odivi ecclesiam malignantium: & cum impiis non sedebo.

6 Lavabo inter innocentes manus meas: & circumdabo altare tuum Domine:

7 Ut audiam vocem laudis, & enarrem universa mirabilia tua.

8 Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

9 Ne perdas cum impiis Deus animam meam, C & cum viris sanguinum vitam meam:

10 In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

11 Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, & miserere mei.

12 Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te Domine.

1 Psalmus David priusquam liniretur. XXVI.

DOminus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? A

Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

2 Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas:

Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt.

3 Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego B sperabo.

4 Unam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ:

Ut videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus.

5 Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

6 In petra exaltavit me: & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. C

Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo, & psalmum dicam Domino.

7 Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: miserere mei, & exaudi me.

8 Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

9 Ne avertas faciem tuam à me: ne declines in ira à servo tuo.

Adjutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

10 Quoniam

10 Quoniam pater meus, & mater mea, dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.

D 11 Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

12 Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.

13 Credo videre bona Domini in terra viventium.

14 Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Psalmus ipsi David. XXVII.

A 1 AD te Domine clamabo, Deus meus ne sileas à me: ne quando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum.

2 Exaudi Domine vocem deprecationis meæ dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

3 Ne simul trahas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me:

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

4 Da illis secundùm opera eorum, & secundùm nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundùm opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.

B 5 Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus destrues illos, & non ædificabis eos.

6 Benedictus Dominus: quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

7 Dominus adjutor meus, & protector meus: in ipso speravit cor meum, & adjutus sum.

Et refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei.

8 Dominus fortitudo plebis suæ: & protector salvationum Christi sui est.

9 Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ, & rege eos, & extolle illos usque in æternum.

1 Psalmus David, In consummatione tabernaculi. XXVIII.

A AFferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum.

2 Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

B 3 Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas.

4 Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

5 Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani:

6 Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius unicornium.

7 Vox Domini intercidentis flammam ignis:

8 Vox Domini concutientis desertum: & commovebit Dominus desertum Cades.

9 Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condensa: & in templo ejus omnes dicent gloriam. C

10 Dominus diluvium inhabitare facit: & sedebit Dominus rex in æternum.

11 Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

1 Psalmus Cantici, In dedicatione domus David. XXIX.

2 EXaltabo te Domine quoniam suscepisti me: A
nec delectasti inimicos meos super me.

3 Domine Deus meus clamavi ad te, & sanasti me.

4 Domine eduxisti ab inferno animam meam: salvasti me à descendentibus in lacum.

5 Psallite Domino sancti ejus: & confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

6 Quoniam ira in indignatione ejus: & vita in B voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus; & ad matutinum lætitia.

7 Ego autem dixi in abundantia mea: Non movebor in æternum.

8 Domine in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam à me, & factus sum con- C turbatus.

9 Ad te Domine clamabo: & ad Deum meum deprecabor.

10 Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?

11 Audivit Dominus, & misertus est mei: Dominus factus est adjutor meus.

12 Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia:

13 Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

1 In finem, Psalmus David, pro extasi. XXX.

2 IN te Domine speravi, non confundar in æter- A
num: in justitia tua libera me.

3 Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem; & in domum refugij, ut salvum me facias.

4 Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

5 Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

6 * In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

* Luc. 23. f. 46.

Universidad de Deusto
Biblioteca

7 Odisti observantes vanitates, supervacuè.

Ego autem in Domino speravi: 8 Exultabo, & lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.

9 Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.

B 10 Miserere mei Domine quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus:

11 Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea: & ossa mea conturbata sunt.

12 Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium & vicinis meis valdè, & timor notis meis.

C Qui videbant me, foras fugerunt à me:

13 Oblivioni datus sum, tamquam mortuus à corde.

Factus sum tamquam vas perditum: 14 Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.

15 Ego autem in te speravi Domine: dixi: Deus meus es tu: 16 In manibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.

17 Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua: 18 Domine non confundar, quoniam invocavi te.

Erubescant impij, & deducantur in infernum: 19 muta fiant labia dolosa.

Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, & in abusione.

20 Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ

D Domine, quam abscondisti timentibus te.

Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.

21 Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.

22 Benedictus Dominus: quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

23 Ego autem dixi in excessu mentis meæ: Projectus sum à facie oculorum tuorum.

Ideò exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

24 Diligite Dominum omnes sancti ejus: quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.

25 Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.

Ipsi David intellectus. XXXI.

A 1 BEati, quorum remissæ sunt iniquitates: & *Rom. 4. b. 7.* quorum tecta sunt peccata.

2 Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

3 Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.

4 Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

5 Delictum meum cognitum tibi feci: & injustitiam meam non abscondi. B

* Dixi: Confitebor adversum me injustitiam **Isa. 65. d. 24.* meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

6 Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

7 Tu es refugium meum à tribulatione, quæ C circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

8 Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

9 Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

10 Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

11 Lætamini in Domino & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.

Psalmus David. XXXII.

1 EXultate justi in Domino: rectos decet col- A laudatio.

2 Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi.

3 Cantate ei canticum novum: benè psallite ei in vociferatione.

4 Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in fide.

5 Diligit misericordiam & judicium: misericordia Domini plena est terra.

6 Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu B oris ejus omnis virtus eorum.

7 Congregans sicut in utre aquas maris: ponens in thesauris abyssos.

8 Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

9 * Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse man- ** Judith 16. f. 17.* davit, & creata sunt.

10 Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum.

11 Consilium autem Domini in æternum ma- C net: cogitationes cordis ejus in generatione & generationem.

12 Beata gens, cujus est Dominus, Deus ejus; populus, quem elegit in hereditatem sibi.

13 De cælo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum.

14 De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.

15 Qui

15 Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.

16 Non salvatur rex per multam virtutem: & gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.

D 17 Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

18 Ecce oculi Domini super metuentes eum: & in eis, qui sperant super misericordia ejus.

19 Ut eruat à morte animas eorum: & alat eos in fame.

20 Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adjutor & protector noster est.

21 Quia in eo lætabitur cor nostrum: & in nomine sancto ejus speravimus.

22 Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.

1 Davidi, cùm immutavit vultum suum coram Achimelech, & dimisit eum & abiit. (*1. Reg. 21.*) XXXIII.

A 2 BEnedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.

3 In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur.

4 Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen ejus in idipsum.

5 Exquisivi Dominum, & exaudivit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

6 Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur.

B 7 Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum: & de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

8 Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos.

9 Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.

10 Timete Dominum omnes sancti ejus: quoniam non est inopia timentibus eum.

** Luc. 1. f. 53.* 11 * Divites eguerunt & esurierunt: inquiC rentes autem Dominum non minuentur omni bono.

12 Venite Filij, audite me: timorem Domini docebo vos.

** 1. Petr. 3. b. 10.* 13 * Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos?

14 Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum.

15 Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.

** Eccli. 15. d. 20. Hebr. 4. d. 13.* 16 Oculi Domini *super justos: & aures ejus in preces eorum.

17 Vultus autem Domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum.

18 Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

19 Juxtà est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu salvabit.

20 Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.

21 Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.

22 Mors peccatorum pessima: & qui oderunt justum delinquent.

23 Redimet Dominus animas servorum suorum: & non delinquent omnes qui sperant in eo.

1 Ipsi David. XXXIV.

JUdica Domine nocentes me, expugna impu- A gnantes me.

2 Apprehende arma & scutum: & exurge in adjutorium mihi.

3 Effunde framea, & conclude adversus eos, qui persequuntur me: dic animæ meæ: Salus tua ego sum.

4 * Confundantur & revereantur, quærentes ** Infr. 39. d. 15.* animam meam.

Avertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala.

5 Fiant tanquam pulvis ante faciem venti: & angelus Domini coarctans eos.

6 Fiat via illorum tenebræ & lubricum: & an- B gelus Domini persequens eos.

7 Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: supervacuè exprobraverunt animam meam.

8 Veniat illi laqueus, quem ignorat: & captio, quam abscondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipsum.

9 Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur super salutari suo.

10 Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum ejus: egenum & pauperem à diripientibus eum.

11 Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.

12 Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.

13 Ego autem cùm mihi molesti essent; induC bar cilicio.

Humiliabam in jejunio animam meam: & oratio mea in sinu meo convertetur.

14 Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacebam: quasi lugens & contristatus sic humiliabar.

15 Et adversum me lætati sunt, & convenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoravi.

16 Dissipati sunt, nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis.

17 Domine quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus unicam meam.

18 Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.

19 Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi iniquè: * qui oderunt me gratis & annuunt ** Joan. 15. d. 25.* oculis.

20 Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

21 Et dilataverunt super me os suum: dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi nostri.

22 Vidisti Domine, ne sileas: Domine ne discedas à me.

D 23 Exurge & intende judicio meo; Deus meus, & Dominus meus, in causam meam.

24 Judica me secundùm justitiam tuam Domine Deus meus, & non supergaudeant mihi.

25 Non dicant in cordibus suis: Euge, euge, animæ nostræ: nec dicant: Devoravimus eum.

26 Erubescant & revereantur simul, qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione & reverentia qui magna loquuntur super me.

27 Exultent & lætentur qui volunt justitiam meam: & dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

28 Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.

1 In finem, servo Domini ipsi David. XXXV.

A 2 DIxit injustus ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos ejus.

* Sup. 35. n. 3. 3 * Quoniam dolosè egit in conspectu ejus: ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

4 Verba oris ejus iniquitas, & dolus: noluit intelligere ut benè ageret.

5 Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.

6 Domine in cælo misericordia tua: & veritas tua usque ad nubes.

7 Justitia tua sicut montes Dei: judicia tua abyssus multa.

Homines, & jumenta salvabis Domine: 8 Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.

B Filij autem hominum, in tegmine alarum tuarum sperabunt.

9 Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

10 Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.

11 Prætende misericordiam tuam scientibus te, & justitiam tuam his, qui recto sunt corde.

12 Non veniat mihi pes superbiæ: & manus peccatoris non moveat me.

13 Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.

1 Psalmus ipsi David. XXXVI.

A NOli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem.

2 Quoniam tamquam fœnum velociter arescent: & quemadmodum olera herbarum citò decident.

3 Spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & pascèris in divitiis ejus.

4 Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.

5 Revela Domino viam tuam, & spera in eo; & ipse faciet.

6 Et educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tamquam meridiem: 7 Subditus esto Domino, & ora eum.

Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua; in homine faciente injustitias.

8 Desine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari ut maligneris.

9 Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum, ipsi hereditabunt terram.

10 Et adhuc pusillum, & non erit peccator: & B quæres locum ejus, & non invenies.

11 * Mansueti autem hereditabunt terram, & * Matt. 5. n. 4. delectabuntur in multitudine pacis.

12 Observabit peccator justum: & stridebit super eum dentibus suis.

13 Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit quòd veniet dies ejus.

14 Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum suum,

Ut dejiciant pauperem & inopem: ut trucident rectos corde.

15 Gladius eorum intret in corda ipsorum: & arcus eorum confringatur.

16 Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas.

17 Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem justos Dominus.

18 Novit Dominus dies immaculatorum: & hereditas eorum in æternum erit.

19 Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur: 20 Quia peccatores peribunt.

Inimici verò Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati: deficientes, quemadmodum fumus deficient. C

21 Mutuabitur peccator, & non solvet: justus autem miseretur & tribuet.

22 Quia benedicentes ei hereditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.

23 Apud Dominum gressus hominis dirigentur: & viam ejus volet.

24 Cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.

25 Junior fui, etenim senui: & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

26 Tota die miseretur & commodat: & semen illius in benedictione erit.

27 Declina à malo, & fac bonum: & inhabita in sæculum sæculi.

28 Quia Dominus amat judicium, & non derelinquet sanctos suos: in æternum conservabuntur.

Injusti punientur: & semen impiorum peribit.

29 Justi autem hereditabunt terram: & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. D

30 * Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium. * Prov. 31. n. 26.

31 * Lex Dei ejus in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus ejus. * Isai. 51. n. 7.

32 Conside

D 32 Considerat peccator justum: & quærit mortificare eum.

33 Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus: nec damnabit eum cùm judicabitur illi.

34 Expecta Dominum, & custodi viam ejus: & exaltabit te ut hereditate capias terram: cùm perierint peccatores videbis.

35 Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani.

36 Et transivi, & ecce non erat: & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.

37 Custodi innocentiam, & vide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

38 Injusti autem disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt.

39 Salus autem justorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis.

40 Et adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos: & eruet eos à peccatoribus, & salvabit eos: quia speraverunt in eo.

1 Psalmus David in rememorationem de sabbato. XXXVII.

A 2 DOmine ne in furore tuo arguas me, neque
Sup. 6. n. 2. in ira tua corripias me.

3 Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

4 Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

5 Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

6 Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.

7 Miser factus sum & curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

B 8 Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

9 Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

10 Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

11 Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

12 Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt.

Et qui juxta me erant, de longè steterunt:

C 13 Et vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

14 Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

15 Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.

16 Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.

17 Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

18 Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper. D

19 Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

20 Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè.

21 Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

22 Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.

23 Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

1 In finem, ipsi Idithun, Canticum David. XXXVIII.

2 DIxi: Custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea. A

Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversum me.

3 Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis: & dolor meus renovatus est.

4 Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardescet ignis.

5 Locutus sum in lingua mea: Notum fac mihi Domine finem meum,

Et numerum dierum meorum quis est: ut sciam quid desit mihi. B

6 Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea tamquam nihilum ante te.

Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.

7 Verumtamen in imagine pertransit homo: sed & frustrà conturbatur.

Thesaurizat: & ignorat cui congregabit ea.

8 Et nunc quæ est expectatio mea? nónne Dominus? & substantia mea apud te est.

9 Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti me.

10 Obmutui, & non aperui os meum, quoniam C tu fecisti: 11 Amove à me plagas tuas.

12 A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus: verumtamen vanè conturbatur omnis homo.

13 Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.

Ne sileas: quoniam advena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei.

14 Remitte mihi, ut refrigerer priùs quàm abeam, & ampliùs non ero.

1 In finem, Psalmus ipsi David. XXXIX.

2 EXpectans expectavi Dominum, & intendit mihi. A

3 Et exaudivit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et statuit super petram pedes meos: & direxit gressus meos.

4 Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.

Videbunt multi & timebunt: & sperabunt in Domino.

5 Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus: & non respexit in vanitates & insanias falsas.

6 Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.

B *Heb.10. b. 5. 7 * Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum & pro peccato non postulasti: 8 tunc dixi: Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me 9 ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

10 Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo: Domine tu scisti.

11 Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi.

C Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam, à concilio multo.

12 Tu autem Domine ne longè facias miserationes tuas à me: misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me.

13 Quoniam circumdederunt me mala, & quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

*Inf.69 a. 1. 14 Complaceat tibi Domine ut eruas me: * Domine, ad adjuvandum me respice.

*Sup.34 a. 4. 15 * Confundantur & revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.

D Convertantur retrorsum, & revereantur qui volunt mihi mala.

16 Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge.

17 Exultent & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

18 Ego autem mendicus sum, & pauper: Dominus solicitus est mei.

Adjutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaveris.

1 In finem, Psalmus ipsi David. XL.

A 2 BEatus qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

3 Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra; & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

4 Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

5 Ego dixi: Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi. B

6 Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen ejus?

7 Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, & loquebatur 8 in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.

9 Verbum iniquum constituerunt adversum me: Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?

*Act.1. c.16. 10 * Etenim homo pacis meæ, in quo speravi: C qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

11 Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis.

12 In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

13 Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

14 Benedictus Dominus Deus Israël à sæculo, & usque in sæculum: fiat, fiat.

1 In finem, Intellectus filiis Core. XLI.

2 QUemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. A

3 Sitivit anima mea ad Deum * fortem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

*Fontem.

4 Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

5 Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei: B

In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.

6 Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, 7 Et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim à monte modico.

8 Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt. C

9 In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, 10 Dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

11 Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei:

Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? 12 Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

Psalmus David. XLII.

A 1 JUdica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso erue me.

2 Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

3 Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

B 4 Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus: 5 Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

1 In finem, Filiis Core ad intellectum.

XLIII.

A 2 DEus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis,

Opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

3 Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos:

4 Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos:

Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.

5 Tu es ipse rex meus & Deus meus: qui mandas salutes Jacob.

B 6 In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

7 Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non salvabit me.

8 Salvasti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudisti.

9 In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in sæculum.

10 Nunc autem repulisti & confudisti nos: & non egredieris Deus in virtutibus nostris.

11 Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui oderunt nos, diripiebant sibi.

12 Dedisti nos tamquam oves escarum: & in gentibus dispersisti nos.

C 13 Vendidisti populum tuum sine pretio: & non fuit multitudo in commutationibus eorum.

14 Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his, qui sunt in circuitu nostro.

15 Posuisti nos in similitudinem Gentibus; commotionem capitis in populis.

16 Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.

17 A voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & persequentis.

18 Hæc omnia venerunt super nos, nec oblìti sumus te: & iniquè non egimus in testamento tuo.

19 Et non recessit retrò cor nostrum: & declinasti semitas nostras à via tua. D

20 Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis.

21 Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad deum alienum:

22 Nónne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.

*Rom.8. f.36. * Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.

23 Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem.

24 Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ?

25 Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster.

26 Exurge Domine, adjuva nos: & redime nos propter nomen tuum.

1 In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto. XLIV.

2 ERuctavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. A

Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.

3 Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

4 Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.

5 Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna, B

Propter veritatem & mansuetudinem, & justitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

6 Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.

*Heb.1. f.8. 7 * Sedes tua Deus in sæculum sæculi: virga directionis virga regni tui.

8 Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

9 Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, C à domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te

10 filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate.

11 Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.

12 Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus: & adorabunt eum.

13 Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

14 Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis 15 circum amicta varietatibus. D

Adducentur regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi.

16 Afferen

16 Afferentur in lætitia & exultatione : adducentur in templum regis.

17 Pro patribus tuis nati sunt tibi filij : constitues eos principes super omnem terram.

18 Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum & in sæculum sæculi.

1 In finem, Filiis Core pro arcanis, Psalmus XLV.

A 2 DEus noster refugium, & virtus; adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

3 Propterea non timebimus dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.

4 Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

5 Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

B 6 Deus, in medio ejus, non commovebitur: adjuvabit eam Deus manè diluculo.

7 Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

8 Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob.

9 Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: 10 Auferens bella usque ad finem terræ.

C Arcum conteret & confringet arma: & scuta comburet igni.

11 Vacate, & videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

12 Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob.

1 In finem, pro filiis Core Psalmus XLVI.

2 OMnes Gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis.

3 Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.

4 Subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.

5 Elegit nobis hereditatem suam, speciem Jacob, quam dilexit.

*2.Reg. 6.c. 15. 6 * Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.

B 7 Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.

8 Quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.

9 Regnabit Deus super Gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.

10 Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dij fortes terræ, vehementer elevati sunt.

1 Psalmus Cantici filiis Core secunda sabbati. XLVII.

2 MAgnus Dominus, & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. A

3 Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.

4 Deus in domibus ejus cognoscetur, cùm suscipiet eam.

5 Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: convenerunt in unum.

6 Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: 7 Tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis, 8 In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

9 Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri Deus fundavit eam in æternum. B

10 Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.

11 Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua.

12 Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ, propter judicia tua Domine.

13 Circumdate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus ejus.

14 Ponite corda vestra in virtute ejus: & distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

15 Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.

1 In finem, filiis Core Psalmus XLVIII.

2 AUdite hæc omnes Gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem. A

3 Quique terrigenæ, & filij hominum: simul in unum dives & pauper.

4 Os meum loquetur sapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam.

5 * Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam. *Ps.77. a.2. Matt.13 c.35.

6 Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.

7 Qui confidunt in virtute sua: & in multitudine divitiarum suarum gloriantur. B

8 Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam.

9 Et pretium redemptionis animæ suæ: & laborabit in æternum, 10 Et vivet adhuc in finem.

11 Non videbit interitum, cùm viderit sapientes morientes: simul insipiens, & stultus peribunt.

Et relinquent alienis divitias suas: 12 Et sepulchra eorum domus illorum in æternum.

Tabernacula eorum in progenie, & progenie: vocaverunt nomina sua in terris suis.

13 Et homo, cùm in honore esset, non intellexit:

tellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.

14 Hæc via illorum scandalum ipsis: & posteà in ore suo complacebunt.

D 15 Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos.

Et dominabuntur eorum justi in matutino: & auxilium eorum veterascet in inferno à gloria eorum.

16 Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me.

17 Ne timueris cùm dives factus fuerit homo: & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus.

18 Quoniam cùm interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus.

19 Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi cùm benefeceris ei.

20 Introibit usque in progenies patrum suorum: & usque in æternum non videbit lumen.

21 Homo, cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.

1 Psalmus Asaph. XLIX.

A DEus deorum Dominus locutus est: & vocavit terram.

A solis ortu usque ad occasum: 2 Ex Sion species decoris ejus.

3 Deus manifestè veniet: Deus noster & non silebit.

Ignis in conspectu ejus exardescet: & in circuitu ejus tempestas valida.

4 Advocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum.

5 Congregate illi sanctos ejus: qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

B 6 Et annuntiabunt cæli justitiam ejus: quoniam Deus judex est.

7 Audi populus meus, & loquar; Israël, & testificabor tibi: Deus Deus tuus ego sum.

8 Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

9 Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.

10 Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus & boves.

11 Cognovi omnia volatilia cæli; & pulchritudo agri mecum est.

C 12 Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus.

13 Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?

14 Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua.

15 Et invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.

16 Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?

17 Tu verò odisti disciplinam: & projecisti sermones meos retrorsum.

18 Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.

19 Os tuum abundavit malitia: & lingua tua concinnabat dolos. D

20 Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum:

21 Hæc fecisti, & tacui.

Existimasti iniquè quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.

22 Intelligite hæc qui obliviscimini Deum: nequando rapiat, & non sit qui eripiat.

23 Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

1 In finem, Psalmus David, 2 Cùm venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethsabee. (2.*Reg.* 12.) L.

3 MIserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam. A

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam:

4 Ampliùs lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

5 Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

6 Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: * ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris. *Rom.3. a.4.

7 Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea. B

8 Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

9 * Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. *Leu.14 Num.19

10 Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

11 Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

12 Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

13 Ne projicias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. C

14 Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

15 Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te convertentur.

16 Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiam tuam.

17 Domine, labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

18 Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis. D

19 Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

20 Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem.

21 Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1 In finem, Intellectus David,
2 Cùm venit Doëg Idumæus, & nuntiavit Saüli: Venit David in domum Achimelech.
(1. *Reg.* 22. 9.) LI.

A 3 QUid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?
4 Tota die injustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum.
5 Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis quàm loqui æquitatem.
6 Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.
7 Propterea Deus destruet te in finem: evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo; & radicem tuam de terra viventium.
B 8 Videbunt justi, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: 9 Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum.
Sed speravit in multitudine divitiarum suarum: & prævaluit in vanitate sua.
10 Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, & in sæculum sæculi.
11 Confitebor tibi in sæculum quia fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

1 In finem, Pro Maëleth intelligentiæ David. LII.

A *Psal.* 13 *a.* 1. DIxit insipiens in corde suo: Non est Deus.
2 Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.
* *Ps.* 13. *a.* 2. 3 * Deus de cælo prospexit super filios hominum: ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.
* *Rom.* 3. *b.* 12. 4 * Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.
B 5 Nónne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis?
6 Deum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.
Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.
7 Quis dabit ex Sion salutare Israël? cùm converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, & lætabitur Israël.

1 In finem, In carminibus intellectus David,
2 Cùm venissent Ziphæi, & dixissent ad Saul: Nónne David absconditus est apud nos (1. *Reg.* 23. 19. & 26. 1.) LIII.

A 3 DEus in nomine tuo salvum me fac: & in virtute tua judica me.
4 Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.
5 Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.
6 Ecce enim Deus adjuvat me: & Dominus susceptor est animæ meæ. B
7 Averte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.
8 Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum est.
9 Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus.

1 In finem, In carminibus intellectus David. LIV.

2 EXaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: 3 Intende mihi, & exaudi me. A
Contristatus sum in exercitatione mea: & conturbatus sum 4 à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.
Quoniam declinaverunt in me iniquitates: & in ira molesti erant mihi.
5 Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me.
6 Timor & tremor venerunt super me: & contexerunt me tenebræ:
7 Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? B
8 Ecce elongavi fugiens: & mansi in solitudine.
9 Expectabam eum, qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.
10 Præcipita Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.
11 Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas: & labor in medio ejus, 12 & in justitia.
Et non defecit de plateis ejus usura, & dolus.
13 Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. C
Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo.
14 Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus:
15 Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu.
16 Veniat mors super illos: & descendant in infernum viventes:
Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.
17 Ego autem ad Deum clamavi: & Dominus salvabit me.
18 Vespere, & manè, & meridie narrabo & annuntiabo: & exaudiet vocem meam.
19 Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.
20 Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante sæcula. D
Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum: 21 Extendit manum suam in retribuendo.
Contaminaverunt testamentum ejus, 22 Divisi sunt ab ira vultus ejus: & appropinquavit cor illius.

Molliti

Molliti sunt sermones ejus super oleum: & ipsi sunt jacula.
* *Matt.* 6. *c.* 25. *Luc.* 12. *c.* 22. 1. *Petr.* 5. *b.* 7. 23 * Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem justo.
24 Tu verò Deus deduces eos, in puteum interitus.
Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.

In finem,

1 Pro populo, qui à Sanctis longè factus est, David in tituli inscriptionem, cùm tenuerunt eum Allophyli in Geth. (1 *Reg.* 21. 12.)

LV.

A 2 MIserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.
3 Conculcaverunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes adversum me.
4 Ab altitudine diei timebo: ego verò in te sperabo.
5 In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: non timebo quid faciat mihi caro.
6 Tota die verba mea execrabantur: adversum me omnes cogitationes eorum, in malum.
B 7 Inhabitabunt & abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.
Sicut sustinuerunt animam meam, 8 pro nihilo salvos facies illos: in ira populos confringes.
Deus, 9 vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.
Sicut & in promissione tua: 10 tunc convertentur inimici mei retrorsum:
In quacumque die invocavero te: ecce cognovi quoniam Deus meus es.
11 In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.
12 In me sunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.
13 Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.

In finem,

1 Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, cùm fugeret à facie Saul in speluncam. (2. *Reg.* 22. 1. & 24. 4.)

LVI.

A 2 MIserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.
Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.
3 Clamabo ad Deum altissimum: Deum qui benefecit mihi.
4 Misit de cælo, & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.
Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam, 5 & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.
Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.
B 6 Exaltare super cælos Deus: & in omnem terram gloria tua.
7 Laqueum paraverunt pedibus meis: & incurvaverunt animam meam.
Foderunt ante faciem meam foveam: & inciderunt in eam.
8 Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psalmum dicam.
9 Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: exurgam diluculo.
10 Confitebor tibi in populis Domine: & psalmum dicam tibi in gentibus:
11 Quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.
12 Exaltare super cælos Deus; & super omnem terram gloria tua.

In finem,

1 Ne disperdas, David in tituli inscriptionem.

LVII.

2 SI verè utique justitiam loquimini: recta judicate filij hominum. A
3 Etenim in corde iniquitates operamini: in terra injustitias manus vestræ concinnant.
4 Alienati sunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero: locuti sunt falsa.
5 Furor illis secundùm similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas,
6 Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.
7 Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: B molas leonum confringet Dominus.
8 Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens: intendit arcum suum donec infirmentur.
9 Sicut cera, quæ fluit, auferentur: supercecidit ignis, & non viderunt solem.
10 Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum: sicut viventes, sic in ira absorbet eos.
11 Lætabitur justus cùm viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris.
12 Et dicet homo: Si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra.

In finem,

1 Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, & custodivit domum ejus, ut eum interficeret (1. *Reg.* 19. 11.) LVIII.

2 ERipe me de inimicis meis Deus meus: & ab A insurgentibus in me libera me.
3 Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris sanguinum salva me.
4 Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes.
5 Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine: sine iniquitate cucurri, & direxi.
6 Exurge in occursum meum, & vide: & tu B Domine Deus virtutum, Deus Israël,
Intende ad visitandas omnes gentes: non misereris omnibus, qui operantur iniquitatem.
7 Convertentur ad vesperam: & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.
8 Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum: quoniam quis audivit?
9 Et tu Domine deridebis eos: ad nihilum deduces omnes gentes.
10 Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es:
11 Deus meus, misericordia ejus præveniet me.

Universidad de Deusto
Biblioteca

12 Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos ne occidas eos : nequando obliviſcantur populi mei.

Diſperge illos in virtute tua : & depone eos protector meus Domine :

C 13 Delictum oris eorum, ſermonem labiorum ipſorum : & comprehendantur in ſuperbia ſua.

Et de execratione & mendacio annuntiabuntur 14 in conſummatione : in ira conſummationis, & non erunt.

Et ſcient quia Deus dominabitur Jacob, & finium terræ.

15 Convertentur ad veſperam, & famem patientur ut canes : & circuibunt civitatem.

D 16 Ipſi diſpergentur ad manducandum : ſi verò non fuerint ſaturati, & murmurabunt.

17 Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exultabo manè miſericordiam tuam.

Quia factus es ſuſceptor meus, & refugium meum, in die tribulationis meæ.

18 Adjutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es : Deus meus miſericordia mea.

1 In finem,

Pro his qui immutabuntur, in tituli inſcriptionem ipſi David in doctrinam, 2 cùm ſuccendit Meſopotamiam Syriæ, & Sobal, & convertit Joab, & percuſſit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia. (2. *Reg.* 8. 1. & 10. 7. & 1. *Par.* 18. 1.)

LIX.

A 3 DEus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos : iratus es, & miſertus es nobis.

4 Commoviſti terram, & conturbaſti eam : ſana contritiones ejus, quia commota eſt.

B 5 Oſtendiſti populo tuo dura : potaſti nos vino compunctionis.

6 Dediſti metuentibus te ſignificationem : ut fugiant à facie arcus :

Ut liberentur dilecti tui : 7 ſalvum fac dextera tua, & exaudi me.

8 Deus locutus eſt in ſancto ſuo : Lætabor & partibor Sichimam : & convallem tabernaculorum metibor.

9 Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes : & Ephraim fortitudo capitis mei.

Juda rex meus : 10 Moab olla ſpei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum : mihi alienigenæ ſubditi ſunt.

C 11 Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me uſque in Idumæam?

12 Nónne tu Deus, qui repuliſti nos : & non egredieris Deus in virtutibus noſtris?

13 Da nobis auxilium de tribulatione : quia vana ſalus hominis.

14 In Deo faciemus virtutem : & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.

In finem,

1 In hymnis David. LX.

A 2 EXaudi Deus deprecationem meam : intende orationi meæ.

3 A finibus terræ ad te clamavi : dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me.

Deduxiſti me, 4 quia factus es ſpes mea turris fortitudinis à facie inimici.

5 Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſæcula : protegar in velamento alarum tuarum.

6 Quoniam tu Deus meus exaudiſti orationem B meam : dediſti hereditatem timentibus nomen tuum.

7 Dies ſuper dies regis adjicies : annos ejus uſque in diem generationis & generationis.

8 Permanet in æternum in conſpectu Dei : miſericordiam & veritatem ejus quis requiret?

9 Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſæculum ſæculi : ut reddam vota mea de die in diem.

In finem,

1 Pro Idithun, Pſalmus David. LXI.

2 NOnne Deo ſubjecta erit anima mea? ab A ipſo enim ſalutare meum.

3 Nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus : ſuſceptor meus, non movebor ampliùs.

4 Quouſque irruitis in hominem? interficitis univerſi vos : tamquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ?

5 Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in ſiti : ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.

6 Verumtamen Deo ſubjecta eſto anima mea : quoniam ab ipſo patientia mea.

7 Quia ipſe Deus meus, & ſalvator meus : ad- B jutor meus non emigrabo.

8 In Deo ſalutare meum, & gloria mea : Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt.

9 Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra : Deus adjutor noſter in æternum.

10 Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris : ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.

11 Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere : divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.

12 Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi, quia poteſtas Dei eſt, 13 & tibi Domine miſericordia : * quia tu reddes unicuique juxta opera ſua. *Matt. 16. d. 27. Rom. 2. a. 6. 1. Cor. 3. b. 8. Gal. 6. b. 5.

Pſalmus David :

1 Cùm eſſet in deſerto Idumææ.

(1. *Reg.* 22. 5.) LXII.

2 DEus Deus meus ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea? A

3 In terra deſerta & invia, & inaquoſa : ſic in ſancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

4 Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas : labia mea laudabunt te.

5 Sic benedicam te in vita mea : & in nomine tuo levabo manus meas.

6 Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea : & labiis exultationis laudabit os meum.

7 Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te : 8 quia fuiſti adjutor B meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, 9 adhæſit anima mea poſt te : me ſuſcepit dextera tua.

10 Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ : 11 tradentur

dentur in manus gladij, partes vulpium erunt.

12 Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo : quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

In finem,

1 Pſalmus David. LXIII.

A 2 EXaudi Deus orationem meam cùm deprecor : à timore inimici eripe animam meam.

3 Protexiſti me à conventu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem.

4 Quia exacuerunt ut gladium linguas ſuas : intenderunt arcum rem amaram, 5 ut ſagittent in occultis immaculatum.

6 Subitò ſagittabunt eum, & non timebunt : firmaverunt ſibi ſermonem nequam.

Narraverunt ut abſconderent laqueos : dixerunt : Quis videbit eos?

B 7 Scrutati ſunt iniquitates : defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.

Accedet homo ad cor altum : 8 & exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum : 9 & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati ſunt omnes qui videbant eos : 10 & timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei : & facta ejus intellexerunt.

11 Lætabitur juſtus in Domino, & ſperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

In finem, Pſalmus David,

1 Canticum Jeremiæ, & Ezechielis populo tranſmigrationis, cùm inciperent exire.

LXIV.

A 2 TE decet hymnus Deus in Sion : & tibi reddetur votum in Jeruſalem.

3 Exaudi orationem meam : ad te omnis caro veniet.

4 Verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos : & impietatibus noſtris tu propitiaberis.

5 Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti : inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt B templum tuum, 6 mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.

7 Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia : 8 qui conturbas profundum maris ſonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, 9 & timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis : exitus matutini & veſpere delectabis.

C 10 Viſitaſti terram & inebriaſti eam : multiplicaſti locupletare eam.

Flumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum : quoniam ita eſt præparatio ejus.

11 Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus : in ſtillicidiis ejus lætabitur germinans.

12 Benedices coronæ anni benignitatis tuæ : & campi tui replebuntur ubertate.

13 Pingueſcent ſpecioſa deſerti : & exultatione colles accingentur.

14 Induti ſunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento : clamabunt, etenim hymnum dicent.

1 In finem, Canticum Pſalmi reſurrectionis. LXV.

A JUbilate Deo omnis terra, 2 pſalmum dicite nomini ejus : date gloriam laudi ejus.

3 Dicite Deo quàm terribilia ſunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

4 Omnis terra adoret te, & pſallat tibi : pſalmum dicat nomini tuo.

5 Venite, & videte opera Dei : terribilis in conſiliis ſuper filios hominum.

6 Qui convertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede : ibi lætabimur in ipſo.

7 Qui dominatur in virtute ſua in æternum, B oculi ejus ſuper gentes reſpiciunt : qui exaſperant non exaltentur in ſemetipſis.

8 Benedicite Gentes Deum noſtrum : & auditam facite vocem laudis ejus.

9 Qui poſuit animam meam ad vitam : & non dedit in commotionem pedes meos.

10 Quoniam probaſti nos Deus : igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.

11 Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro : 12 impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.

Tranſivimus per ignem & aquam : & eduxiſti nos in refrigerium.

13 Introibo in domum tuam in holocauſtis : reddam tibi vota mea, 14 quæ diſtinxerunt labia mea.

Et locutum eſt os meum, in tribulatione mea.

15 Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum : offeram tibi boves cum hircis.

16 Venite, audite, & narrabo, omnes qui time- C tis Deum, quanta fecit animæ meæ.

17 Ad ipſum ore meo clamavi, & exaltavi ſub lingua mea.

18 Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

19 Propterea exaudivit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.

20 Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.

In finem,

1 In hymnis, Pſalmus Cantici David.

LXVI.

2 DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis : A illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

3 Ut cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum.

4 Confiteantur tibi populi Deus : confiteantur tibi populi omnes.

5 Lætentur & exultent gentes : quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

6 Confiteantur tibi populi Deus : confiteantur tibi populi omnes : 7 terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter, 8 benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In finem,
1 Psalmus Cantici ipsi David.

LXVII.

A 2 EXurgat Deus, & dissipentur inimici ejus: & fugiant qui oderunt eum, à facie ejus.
3 Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.
4 Et justi opulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.
5 Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.
Exultate in conspectu ejus: turbabuntur à facie ejus, 6 patris orphanorum, & judicis viduarum.
Deus in loco sancto suo: 7 Deus qui inhabitare facit unius moris in domo:
Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.
8 Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto:
9 Terra mota est, etenim cæli distillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israël.
B 10 Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ: & infirmata est, tu verò perfecisti eam.
11 Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.
12 Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa.
13 Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus dividere spolia.
14 Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.
15 Dum discernit cælestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: 16 Mons Dei, mons pinguis.
Mons coagulatus, mons pinguis: 17 ut quid suspicamini montes coagulatos?
Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.
18 Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto.
C 19 Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus:
Ephes. 4. b. 8. Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.
20 Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.
21 Deus noster, Deus salvos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.
22 Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.
23 Dixit Dominus: Ex Basan convertam, convertam in profundum maris:
24 Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.
25 Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, regis mei qui est in sancto.
26 Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.
27 In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israël.
28 Ibi Benjamin adolescentulus, in mentis ex- D cessu.
Principes Juda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.
29 Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
30 A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera.
31 Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento.
Dissipa gentes, quæ bella volunt: 32 venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.
33 Regna terræ, cantate Deo: psallite Domino: psallite Deo, 34 qui ascendit super cælum cæli, ad Orientem.
Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, 35 date gloriam Deo super Israël, magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.
36 Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.
1 In finem, pro iis qui commutabuntur, David. LXVIII.
2 SAlvum me fac Deus: quoniam intraverunt A aquæ usque ad animam meam.
3 Infixus sum in limo profundi: & non est substantia.
Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit me.
4 Laboravi clamãs, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.
5 Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.
Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injustè: quæ non rapui, tunc exolvebam.
6 Deus tu scis insipientiam meam: & delicta mea à te non sunt abscondita.
7 Non erubescant in me qui expectant te Domine, Domine virtutum.
Non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israël.
8 Quoniam propter te sustinui opprobrium: B operuit confusio faciem meam.
9 Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.
10 *Quoniam zelus domus tuæ comedit me: *& opprobria exprobrantiũ tibi, ceciderunt super me. *Ioan. 2. c. 17. *Rom. 15. a. 3.*
11 Et operui in jejunio animam meam: & factum est in opprobrium mihi.
12 Et posui vestimentum meum cilicium: & factus sum illis in parabolam.
13 Adversum me loquebantur qui sedebant in porta: & in me psallebant qui bibebant vinum.
14 Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.
In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.
15 Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab iis qui oderunt me, & de profundis aquarum.
16 Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum.

17 Exaudi

17 Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me.
18 Et ne avertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.
C 19 Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.
20 Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam meam.
21 In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: improperium expectavit cor meum & miseriam.
Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni.
Matt. 27. f. 48. 22 *Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potaverunt me aceto.
Rom. 11. b. 9. 23 *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.
24 Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurva.
25 Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.
Act. 1. d. 20. 26 *Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.
27 Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.
D 28 Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in justitiam tuam.
29 Deleantur de Libro viventium: & cum justis non scribantur.
30 Ego sum pauper & dolens: salus tua Deus susceptit me.
31 Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude:
32 Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem & ungulas.
33 Videant pauperes & lætentur: quærite Deum, & vivet anima vestra:
34 Quoniam exaudivit pauperes Dominus: & vinctos suos non despexit.
35 Laudent illum cæli & terra, mare, & omnia reptilia in eis,
36 Quoniam Deus salvam faciet Sion: & ædificabuntur civitates Juda.
Et inhabitabunt ibi, & hereditate acquirent eam.
37 Et semen servorum ejus possidebit eam; & qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.
In finem, Psalmus David,
1 In rememorationem, quòd salvum fecerit eum Dominus. LXIX.
A 2 DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.
3 Confundantur, & revereantur, qui quærunt animam meam:
4 Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala:
Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.
5 Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.
6 Ego verò egenus, & pauper sum: Deus adjuva me.
Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.
Psalmus David,
1 Filiorum Jonadab, & priorum captivorum. LXX.
IN te Domine speravi, non confundar in æter- A num: 2 in justitia tua libera me, & eripe me.
Inclina ad me aurem tuam, & salva me.
3 Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum: ut salvum me facias:
Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.
4 Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui:
5 Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine spes mea à juventute mea.
6 In te confirmatus sum ex utero: de ventre B matris meæ tu es protector meus.
In te cantatio mea semper: 7 tamquam prodigium factus sum multis: & tu adjutor fortis.
8 Replcatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam; tota die magnitudinem tuam.
9 Ne projicias me in tempore senectutis: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.
10 Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum,
11 Dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum: quia non est qui eripiat.
12 Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum respice.
13 Confundantur, & deficiant detrahentes ani- C mæ meæ: operiantur confusione & pudore qui quærunt mala mihi.
14 Ego autem semper sperabo: & adjiciam super omnem laudem tuam.
15 Os meum annuntiabit justitiam tuam; tota die salutare tuum.
Quoniam non cognovi litteraturam, 16 introibo in potentias Domini: Domine memorabor justitiæ tuæ solius.
17 Deus docuisti me à juventute mea: & usque nunc pronuntiabo mirabilia tua:
18 Et usque in senectam & senium: Deus ne derelinquas me,
Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est;
Potentiam tuam, 19 & justitiam tuam Deus us- D que in altissima, quæ fecisti magnalia: Deus quis similis tibi?
20 Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas: & conversus vivificasti me: & de abyssis terræ iterùm reduxisti me:
21 Multiplicasti magnificentiam tuam: & conversus consolatus es me.
22 Nam & ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam: Deus psallam tibi in cithara, sanctus Israël.
23 Exultabunt labia mea cùm cantavero tibi, & anima mea, quam redemisti.
24 Sed & lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam: cùm confusi & reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalmus,
1 In Salomonem. LXXI.

A 2 Deus judicium tuum regi da: & justitiam tuam filio regis:
Judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio.
3 Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam.
4 Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.
5 Et permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione & generationem.
B 6 Descendet sicut pluvia in vellus: & sicut stillicidia stillantia super terram.
7 Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna.
8 Et dominabitur à mari usque ad mare; & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.
9 Coram illo procident Æthiopes: & inimici ejus terram lingent.
10 Reges Tharsis & insulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent:
C 11 Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes servient ei:
12 Quia liberabit pauperem à potente; & pauperem, cui non erat adjutor.
13 Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum salvas faciet.
14 Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.
15 Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei.
D 16 Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus: & florebunt de civitate sicut fœnum terræ.
17 Sit nomen ejus benedictum in sæcula: ante Solem permanet nomen ejus.
Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.
18 Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus:
19 Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum: & replebitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.
20 Defecerunt laudes David filij Jesse.
1 Psalmus Asaph. LXXII.

A Quàm bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde?
2 Mei autem pænè moti sunt pedes: pænè effusi sunt gressus mei.
3 Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.
4 Quia non est respectus morti eorum; & firmamentum in plaga eorum.
5 In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur:
B 6 Ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua.
7 Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.
8 Cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.
9 Posuerunt in cælum os suum: & lingua eorum transivit in terra.
10 Ideò convertetur populus meus hîc: & dies pleni invenientur in eis.
11 Et dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?
12 Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.
13 Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas:
14 Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.
15 Si dicebam: Narrabo sic: ecce nationem C filiorum tuorum reprobavi.
16 Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me:
17 Donec intrem in Sanctuarium Dei: & intelligam in novissimis eorum.
18 Verumtamen propter dolos posuisti eis: dejecisti eos dum allevarentur.
19 Quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt; perierunt propter iniquitatem suam.
20 Velut somnium surgentium Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.
21 Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt:
22 Et ego ad nihilum redactus sum, & nescivi.
23 Ut jumentum factus sum apud te: & ego semper tecum.
24 Tenuisti manum dexteram meam: & in volũ- D tate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.
25 Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram?
26 Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.
27 Quia ecce, qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.
28 Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam:
Ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.
1 Intellectus Asaph. LXXIII.

A Ut quid Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?
2 Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.
Redemisti virgam hereditatis tuæ: mons Sion, in quo habitasti in eo.
3 Leva manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto?
4 Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio sollemnitatis tuæ.
Posuerunt signa sua, signa:
5 Et non cognoverunt sicut in exitu super summum.
Quasi in silva lignorum securibus 6 Exciderunt januas ejus in idipsum: in securi & ascia dejecerunt eam.
7 * Incenderunt igni Sanctuarium tuum: in *4. Reg. terra polluerunt tabernaculum nominis tui. 25. b. 9.
8 Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: B Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.
9 Signa nostra non vidimus, jam non est propheta: & nos non cognoscet amplius.
10 Usquequò Deus improperabit inimicus: irritat adversarius nomen tuum in finem?

11 Ut quid avertis manum tuam, & dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem?
*Luc. 1. 68. 12 * Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.
C 13 Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis.
14 Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum.
15 Tu dirupisti fontes, & torrentes: tu siccasti fluvios Ethan.
16 Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram & solem.
17 Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem & ver tu plasmasti ea.
18 Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino: & populus insipiens incitavit nomen tuum.
19 Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.
D 20 Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.
21 Ne avertatur humilis factus confusus: pauper & inops laudabunt nomen tuum.
22 Exurge Deus, judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum eorum quæ ab insipiente sunt tota die.
23 Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.
1 In finem, Ne corrumpas, Psalmus
Cantici Asaph. LXXIV.

A 2 Confitebimur tibi Deus: confitebimur, & invocabimus nomen tuum.
Narrabimus mirabilia tua: 3 Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.
4 Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas ejus.
5 Dixi iniquis: Nolite iniquè agere: & delinquentibus: Nolite exaltare cornu.
6 Nolite extollere in altum cornu vestrum: no-
B lite loqui adversus Deum iniquitatem.
7 Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus:
8 Quoniam Deus judex est.
Hunc humiliat, & hunc exaltat: 9 Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.
Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.
10 Ego autem annuntiabo in sæculum: cantabo Deo Jacob.
11 Et omnia cornua peccatorum confringam: & exaltabuntur cornua justi.
1 In finem, in Laudibus, Psalmus
Asaph,
Canticum ad Assyrios. LXXV.

A 2 Notus in Judæa Deus: in Israël magnum nomen ejus:
3 Et factus est in pace locus ejus: & habitatio ejus in Sion.
4 Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.
5 Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis:
6 Turbati sunt omnes insipientes corde. B
Dormierunt somnum suum: & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.
7 Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt qui ascenderunt equos.
8 Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.
9 De cælo auditum fecisti judicium: terra tre- C muit & quievit.
10 Cùm exurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.
11 Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.
12 Vovete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera.
Terribili 13 & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.
1 In finem, pro Idithun, Psalmus
Asaph. LXXVI.

2 Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea A ad Deum, & intendit mihi.
3 In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum: & non sum deceptus.
Renuit consolari anima mea, 4 Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum: & defecit spiritus meus.
5 Anticipaverunt vigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum locutus.
6 Cogitavi dies antiquos: & annos æternos in mente habui.
7 Et meditatus sum nocte cum corde meo, & B exercitabar, & scopebam spiritum meum.
8 Numquid in æternum projiciet Deus: aut non apponet ut complacitior sit adhuc?
9 Aut in finem misericordiam suam abscindet, à generatione in generationem?
10 Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?
11 Et dixi nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi.
12 Memor fui operum Domini: quia memor C ero ab initio mirabilium tuorum.
13 Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinventionibus tuis exercebor.
14 Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? 15 Tu es Deus qui facis mirabilia.
Notam fecisti in populis virtutem tuam: 16 Redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob, & Joseph.
17 Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ: D & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.
18 Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.
Etenim sagittæ tuæ transeunt: 19 Vox tonitrui tui in rota.
Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est & contremuit terra.
20 In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur.
21 * Deduxisti sicut oves populum tuum, in *Exod. manu Moysi & Aaron. 14. g. 29.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1 Intellectus Asaph. LXXVII.

A Attendite, populе meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.
2 Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.
3 Quanta audivimus & cognovimus ea: & patres nostri narraverunt nobis.
4 Non sunt occultata à filiis eorum, in generatione altera:
Narrantes laudes Domini, & virtutes ejus, & mirabilia ejus quæ fecit.
5 Et suscitavit testimonium in Jacob: & legem posuit in Israël.
Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis:
6 Ut cognoscat generatio altera.
Filij qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filiis suis.
7 Ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei: & mandata ejus exquirant.
8 Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava & exasperans;
Generatio, quæ non direxit cor suum: & non
B est creditus cum Deo spiritus ejus.
9 Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conversi sunt in die belli.
10 Non custodierunt testamentum Dei: & in lege ejus noluerunt ambulare.
11 Et obliti sunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus quæ ostendit eis.
12 Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos.
* Exod. 14. c. 22. 13 * Interrupit mare, & perduxit eos: & statuit aquas quasi in utre.
14 Et deduxit eos in nube diei: & tota nocte in illuminatione ignis.
* Exod. 17. b. 6. Ps. 104. d. 41. 15 * Interrupit petram in eremo: & adaquavit eos velut in abyssо multa.
16 Et eduxit aquam de petra: & deduxit tamquam flumina aquas.
17 Et apposuerunt adhuc peccare ei: in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.
18 Et tentaverunt Deum in cordibus suis: ut peterent escas animabus suis.
C 19 Et malè locuti sunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?
20 Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.
Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?
* Nu. 11. a. 1. 21 * Ideò audivit Dominus, & distulit: & ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israël:
22 Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus.
23 Et mandavit nubibus desuper, & januas cæli aperuit.
* Exod. 16. b. 4. Num. 11. b. 7. * Ioan. 6. d. 31. 1. Cor. 10. a. 3. * Nu. 11. g. 31. 24 * Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis.
25 * Panem angelorum manducavit homo: cibaria misit eis in abundantia.
26 * Transtulit Austrum de cælo: & induxit in virtute sua Africum.
27 Et pluit super eos sicut pulverem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata.
28 Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.
29 Et manducaverunt & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: 30 non sunt fraudati à desiderio suo.
* Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: 31 D * Nu. 11. g. 33. & ira Dei ascendit super eos.
Et occidit pingues eorum, & electos Israël impedivit.
32 In omnibus his peccaverunt adhuc: & non crediderunt in mirabilibus ejus.
33 Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum, cum festinatione.
34 Cùm occideret eos, quærebant eum: & revertebantur, & diluculò veniebant ad eum.
35 Et rememorati sunt quia Deus adjutor est eorum; & Deus excelsus redemptor eorum est.
36 Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei:
37 Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento ejus.
38 Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum: & non disperdet eos.
Et abundavit ut averteret iram suam: & non accendit omnem iram suam:
39 Et recordatus est quia caro sunt spiritus vadens, & non rediens.
40 Quoties exacerbaverunt eum in deserto: in iram concitaverunt eum in inaquoso?
41 Et conversi sunt, & tentaverunt Deum: & sanctum Israël exacerbaverunt.
42 Non sunt recordati manus ejus, die qua redemit eos de manu tribulantis,
43 Sicut posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos. E
* Exod. 7. d. 20. * Exod. 8. f. 24. * Exod. 8. b. 6. * Exod. 10. c. 15. * Exod. 9. f. 25. 44 * Et convertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent.
45 * Misit in eos cœnomyiam, & comedit eos, & ranam, & disperdidit eos.
46 * Et dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ.
47 * Et occidit in grandine vineas eorum & moros eorum in pruina.
48 Et tradidit grandini jumenta eorum, & possessionem eorum igni.
49 Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per angelos malos.
50 Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit à F morte animabus eorum: & jumenta eorum in morte conclusit.
* Exod. 12. c. 29. 51 * Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.
52 Et abstulit sicut oves populum suum: & perduxit eos tamquam gregem in deserto.
53 Et deduxit eos in spe, & non timuerunt, & * Exod. 14. f. 27. * inimicos eorum operuit mare,
54 Et induxit eos in montem sanctificationis suæ; montem, quem acquisivit dextera ejus.
Et ejecit à facie eorum Gentes: & * sorte divi- * Ios. 13. b. 7. sit eis terram in funiculo distributionis.
55 Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israël. 56 Et tentaverunt, & exacerbaverunt Deum

Deum excelsum: & testimonia ejus non custodierunt.
57 Et averterunt se, & non servaverunt pactum: quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.
58 In iram concitaverunt eum in collibus suis: & in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.
G 59 Audivit Deus, & sprevit: & ad nihilum redegit valdè Israël.
* 1. Reg. 4. a. 4. Ierem. 7. b. 12. 60 * Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.
61 Et tradidit in captivitatem virtutem eorum: & pulchritudinem eorum in manus inimici.
62 Et concluſit in gladio populum suum: & hereditatem suam sprevit.
63 Juvenes eorum comedit ignis: & virgines eorum non sunt lamentatæ.
64 Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: & viduæ eorum non plorabantur.
65 Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino.
66 Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.
67 Et repulit tabernaculum Joseph: & tribum Ephraim non elegit:
68 Sed elegit tribum Juda, montem Sion quem dilexit.
69 Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula.
70 Et elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum.
71 Pascere Jacob servum suum, & Israël hereditatem suam.
72 Et pavit eos in innocentia cordis sui: & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

1 Psalmus Asaph. LXXVIII.

A Deus venerunt Gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.
2 Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cæli; carnes sanctorum tuorum, bestiis terræ.
3 Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jerusalem: & non erat qui sepeliret.
B 4 Facti sumus opprobrium vicinis nostris; subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.
5 Usquequò Domine irascêris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?
* Ierem. 10. d. 25. 6 * Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt; & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt:
7 Quia comederunt Jacob: & locum ejus desolaverunt.
* Isa. 64. c. 9. 8 * Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipent nos misericordiæ tuæ: C quia pauperes facti sumus nimis.
9 Adjuva nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum:
10 Ne fortè dicant in Gentibus: Ubi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris?
Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est: 11. introëat in conspectu tuo gemitus com- D peditorum.
Secundùm magnitudinem brachij tui, posside filios mortificatorum.
12 Et redde vicinis nostris septuplum, in sinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.
13 Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum.
In generationem & generationem annuntiabimus laudem tuam.
1 In finem, pro iis qui commutabuntur, testimonium Asaph, Psalmus.

LXXIX.

2 Qui regis Israël, intende: qui deducis velut A ovem Joseph.
Qui sedes super cherubim, manifestare 3 coram Ephraim, Benjamin, & Manasse.
Excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos.
4 Deus converte nos: & ostende faciem tuam, & salvi erimus.
5 Domine Deus virtutum, quousque irascêris super orationem servi tui?
6 Cibabis nos pane lacrymarum: & potum da- B bis nobis in lacrymis in mensura?
7 Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: & inimici nostri subsannaverunt nos.
8 Deus virtutum converte nos: & ostende faciem tuam: & salvi erimus.
9 Vineam de Ægypto transtulisti: ejecisti Gentes, & plantasti eam.
10 Dux itineris fuisti in conspectu ejus: plan- C tasti radices ejus, & implevit terram.
11 Operuit montes umbra ejus: & arbusta ejus cedros Dei.
12 Extendit palmites suos usque ad mare: & usque ad flumen propagines ejus.
13 Ut quid destruxisti maceriam ejus: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?
14 Exterminavit eam aper de silva: & singularis ferus depastus est eam.
15 Deus virtutum convertere: respice de cælo, & vide, & visita vineam istam.
16 Et perfice eam, quam plantavit dextera tua: D & super filium hominis, quem confirmasti tibi.
17 Incensa igni, & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.
18 Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ; & super filium hominis, quem confirmasti tibi.
19 Et non discedimus à te, vivificabis nos: & nomen tuum invocabimus.
20 Domine Deus virtutum converte nos: & ostende faciem tuam, & salvi erimus.
In finem,
1 Pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph.

LXXX.

2 Exultate Deo adjutori nostro: jubilate Deo A Jacob.
3 Sumite psalmum, & date tympanum; psalterium jucundum cum cithara.
4 Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die sollemnitatis vestræ.

5 Quia

5 Quia præceptum in Iſraël eſt: & judicium Deo Jacob.

*Gen.41. 6 * Teſtimonium in Joſeph poſuit illud, cùm exiret de Terra Ægypti: linguam, quam non noverat, audivit.

B 7 Divertit ab oneribus dorſum ejus: manus ejus in cophino ſervierunt.

*Exod. 17.v.3. 8 In tribulatione invocaſti me, & liberavi te: exaudivi te in abſcondito tempeſtatis: * probavi te apud aquam contradictionis.

9 Audi populus meus, & conteſtabor te: Iſraël ſi audieris me, 10 non * erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum.

*Exod. 20.a.3. C 11 Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud.

12 Et non audivit populus meus vocem meam: & Iſraël non intendit mihi.

*Act. 14.c.15. 13 * Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.

*Baruc. 3.v.13. 14 * Si populus meus audiſſet me: Iſraël ſi in viis meis ambulaſſet:

D 15 Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem: & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.

16 Inimici Domini mentiti ſunt ei: & erit tempus eorum in ſæcula.

17 Et cibavit eos ex adipe frumenti: & de petra, melle ſaturavit eos.

1 Pſalmus Aſaph. LXXXI.

A DEus ſtetit in ſynagoga deorum: in medio autem deos dijudicat.

2 Uſquequò judicatis iniquitatem: & facies peccatorum ſumitis?

3 Judicate egeno, & pupillo: humilem, & pauperem juſtificate.

*Prov. 24.d.11. 4 * Eripite pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate.

B 5 Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.

*Joan. 10.f.34. 6 * Ego dixi: Dij eſtis, & filij Excelſi omnes.

7 Vos autem ſicut homines moriemini: & ſicut unus de principibus cadetis.

8 Surge Deus, judica terram: quoniam tu hereditabis in omnibus Gentibus.

1 Canticum Pſalmi Aſaph.

LXXXII.

A 2 DEus, quis ſimilis erit tibi? ne taceas, neque compeſcaris Deus:

3 Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt: & qui oderunt te, extulerunt caput.

4 Super populum tuum malignaverunt conſilium: & cogitaverunt adverſus ſanctos tuos.

5 Dixerunt: Venite, & diſperdamus eos de gente: & non memoretur nomen Iſraël ultrà.

B 6 Quoniam cogitaverunt unanimiter, ſimul adverſum te teſtamentum diſpoſuerunt, 7 tabernacula Idumæorum & Iſmahelitæ:

Moab, & Agareni, 8 Gebal, & Ammon, & Amalec: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

*Judic. 7.f.22. 9 Etenim Aſſur venit cum illis: facti ſunt in adjutorium filiis Lot.

*Judic. 4.c.15. 10 Fac illis ſicut * Madian, * & Siſaræ, ſicut *Judic. 4.d.24. * Jabin in torrente Ciſſon.

11 Diſperierunt in Endor: facti ſunt ut ſtercus terræ.

12 * Pone principes eorum ſicut Oreb, & Zeb, C & * Zebee, & Salmana;

*Judic. 7.8.25. *Judic. 8.v.21. Omnes principes eorum, 13 qui dixerunt: Hereditate poſſideamus Sanctuarium Dei.

14 Deus meus pone illos ut rotam: & ſicut ſtipulam ante faciem venti:

15 Sicut ignis, qui comburit ſilvam: & ſicut flamma comburens montes:

16 Ita perſequêris illos in tempeſtate tua: & in ira tua turbabis eos.

17 Imple facies eorum ignominia: & quærent D nomen tuum, Domine.

18 Erubeſcant, & conturbentur in ſæculum ſæculi: & confundantur, & pereant.

19 Et cognoſcant quia nomen tibi Dominus: tu ſolus Altiſſimus in omni terra.

In finem,

1 Pro torcularibus filiis Core, Pſalmus.

LXXXIII.

2 QUàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: 3 concupiſcit, & deficit anima mea A in atria Domini.

Cor meum, & caro mea, exultaverunt in Deum vivum.

4 Etenim paſſer invenit ſibi domum, & turtur B nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum: rex meus, & Deus meus.

5 Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

6 Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, 7 in valle lacrymarum in loco, quem poſuit.

8 Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt C de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

9 Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

10 Protector noſter aſpice Deus: & reſpice in faciem Chriſti tui:

11 Quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper D millia.

Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

12 Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam, & gloriam dabit Dominus.

13 Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui ſperat in te.

1 In finem, filiis Core, Pſalmus.

LXXXIV.

2 BEnedixiſti Domine terram tuam: avertiſti A captivitatem Jacob.

3 Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.

4 Mitigaſti omnem iram tuam: avertiſti ab ira indignationis tuæ.

5 Converte nos Deus ſalutaris noſter: & averte iram tuam à nobis.

6 Numquid in æternum iraſcêris nobis? aut B extendes iram tuam à generatione in generationem?

7 Deus

7 Deus tu converſus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

8 Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis.

C 9 Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam;

Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertuntur ad cor.

10 Verumtamen prope timentes eum ſalutare ipſius: ut inhabitet gloria in terra noſtra.

11 Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi: juſtitia & pax oſculatæ ſunt.

12 Veritas de terra orta eſt: & juſtitia de cælo proſpexit.

D 13 Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.

14 Juſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.

Oratio ipſi David. LXXXV.

A 1 INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper ſum ego.

2 Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum: ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te.

3 Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: 4 lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

*Joel. 2. c. 13. 5 * Quoniam tu Domine ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.

B 6 Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

7 In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudiſti me.

8 Non eſt ſimilis tui in diis Domine: & non eſt ſecundùm opera tua.

9 Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

C 10 Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus.

11 Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.

12 Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum:

13 Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.

D 14 Deus, iniqui inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.

15 Et tu Domine Deus miſerator & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, & verax,

16 Reſpice in me, & miſerere mei, da imperium tuum puero tuo: & ſalvum fac filium ancillæ tuæ.

17 Fac mecum ſignum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me.

1 Filiis Core, Pſalmus Cantici.

LXXXVI.

A FUndamenta ejus in montibus ſanctis: 2 diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob.

3 Glorioſa dicta ſunt de te, civitatis Dei.

4 Memor ero Rahab & Babylonis ſcientium me. B

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.

5 Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus eſt in ea: & ipſe fundavit eam Altiſſimus?

6 Dominus narrabit in ſcriptis populorum, & principum; horum, qui fuerunt in ea.

7 Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.

Canticum Pſalmi.

1 Filijs Core, in finem, pro Maheleth ad reſpondendum, intellectus Eman Ezrahitæ. LXXXVII.

2 DOmine Deus ſalutis meæ, in die clamavi, & A nocte coram te.

3 Intret in conſpectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam:

4 Quia repleta eſt malis anima mea: & vita mea inferno appropinquavit.

5 Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum: factus ſum ſicut homo ſine adjutorio, 6 inter mortuos liber,

Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor ampliùs: & ipſi de manu tua repulſi ſunt. B

7 Poſuerunt me in lacu inferiori: in tenebroſis, & in umbra mortis.

8 Super me confirmatus eſt furor tuus: & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.

9 Longè feciſti notos meos à me: poſuerunt me abominationem ſibi.

Traditus ſum, & non egrediebar: 10 oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas. C

11 Numquid mortuis facies mirabilia: aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?

12 Numquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatē tuam in perditione?

13 Numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & juſtitia tua in terra oblivionis?

14 Et ego ad te Domine clamavi: & manè oratio mea præveniet te.

15 Ut quid Domine repellis orationem meam: avertis faciem tuam à me?

16 Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute D mea: exaltatus autem, humiliatus ſum & conturbatus.

27 In me tranſierunt iræ tuæ: & terrores tui conturbaverunt me.

18 Circumdederunt me ſicut aqua tota die: circumdederunt me ſimul.

19 Elongaſti à me amicum, & proximum, & notos meos à miſeria.

1 Intellectus Ethan Ezrahitæ.

LXXXVIII.

2 MIſericordias Domini in æternum cantabo. A In generationem & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

3 Quoniam dixiſti: In æternum miſericordia ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis.

4 Diſpoſui teſtamentum electis meis, * juravi David ſervo meo: 5 uſque in æternum præparabo ſemen tuum. *2.Reg. 7.b.12.

Et

Et ædificabo in generationem & ɡgenerationem sedem tuam.

6 Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

B 7 Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei?

8 Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum: magnus & terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.

9 Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine,& veritas tua in circuitu tuo.

10 Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

11 Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

*Gen.1. 6.1. 12 * Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ
C & plenitudinem ejus tu fundasti: 13 aquilonem & mare tu creasti.

Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: 14 tuum brachium cum potentia.

Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua: 15 justitia & judicium præparatio sedis tuæ.

Misericordia & veritas præcedent faciem tuam: 16 Beatus populus, qui scit jubilationem.

Domine in lumine vultus tui ambulabunt, 17 & in nomine tuo exultabunt tota die: & in justitia tua exaltabuntur.

18 Quoniam gloria virtutis eorum tu es: & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

19 Quia Domini est assumptio nostra, & sancti Israël regis nostri.

20 Tunc locutus es in visione sanctis tuis, & dixisti: Posui adjutorium in potente: & exaltavi electum de plebe mea.

*1.Reg. 16.a.1. c.12. Act.13. d.22. 21 * Inveni David servum meum: oleo sancto
D meo unxi eum.

22 Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum.

23 Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

24 Et concidam à facie ipsius inimicos ejus: & odientes eum in fugam convertam.

25 Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

26 Et ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus.

27 Ipse invocabit me: Pater meus es tu: Deus meus, & susceptor salutis meæ:

28 Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ.

29 In æternum servabo illi misericordiam meam: & testamentum meum fidele ipsi.

E 30 Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cæli.

31 Si autem dereliquerint filij ejus legem meam: & in judiciis meis non ambulaverint:

32 Si justitias meas profanaverint: & mandata mea non custodierint:

33 Visitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum.

34 Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neque nocebo in veritate mea:

35 Neque profanabo testamentum meum: & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.

36 Semel juravi in sancto meo, si David mentiar: 37 semen ejus in æternum manebit.

38 Et*thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, *2.Reg. 7.c.16.
& sicut Luna perfecta in æternum: & testis in F
cælo fidelis.

39 Tu verò repulisti & despexisti: distulisti Christum tuum.

40 Evertisti testamentum servi tui:profanasti in terra Sanctuarium ejus.

41 Destruxisti omnes sepes ejus: posuisti firmamentum ejus formidinem.

42 Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis.

43 Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos ejus.

44 Avertisti adjutorium gladij ejus: & non es G
auxiliatus ei in bello.

45 Destruxisti eum ab emundatione: & sedem ejus in terram collisisti.

46 Minorasti dies temporis ejus: perfudisti eum confusione.

47 Usquequò Domine avertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua?

48 Memorare quæ mea substantia: numquid enim vanè constituisti omnes filios hominum.

49 Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?

50, Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, *2.Reg.
* sicut jurasti David in veritate tua. 7.b.11.

51 Memor esto Domine opprobrij servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.

52 Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

53 Benedictus Dominus in æternum: fiat,fiat.

1 Oratio Moysi hominis Dei.

LXXXIX.

DOmine, refugium factus es nobis, à genera- A
tione in generationem.

2 Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à sæculo & usque in sæculum tu es Deus.

3 Ne avertas hominem in humilitatem; & dixisti: Convertimini filij hominum.

4 Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præteriit.

Et custodia in nocte, 5 quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

6 Manè sicut herba transeat, manè floreat, & B
transeat: vesperè decidat, induret,& arescat.

7 Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus.

8 Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.

9 Quoniam omnes dies nostri defecerunt: & in ira tua defecimus.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur: 10 * C
dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta *Eccli. 18.a.8.
anni.

Si autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum, labor & dolor.

Quoniam supervenit mansuetudo, & corripiemur.

11 Quis

11 Quis novit potestatem iræ tuæ,& præ timore tuo iram tuam 12 dinumerare?

Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia.

13 Convertere Domine usquequò? & deprecabilis esto super servos tuos.

D 14 Repleti sumus manè misericordia tua: & exultavimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris.

15 Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; annis, quibus vidimus mala.

16 Respice in servos tuos, & in opera tua: & dirige filios eorum.

17 Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos: & opus manuum nostrarum dirige.

Laus Cantici David. XC.

A 1 QUi habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.

2 Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus sperabo in eum.

3 Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.

4 Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis ejus sperabis.

B 5 Scuto circundabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno,

6 A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.

7 Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

8 Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

C 9 Quoniam tu es Domine spes mea: Altissimum posuisti refugium tuum.

10 Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

* Matt. 4.a.6. Luc.4. b.10. 11 * Quoniam angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

12 In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

D 13 Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

14 Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

15 Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

16 Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

1 Psalmus Cantici,
In die sabbati. XCI.

A 2 BOnum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime;

3 Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem;

4 In decachordo, psalterio; cum cantico, in cithara.

5 Quia delectasti me Domine in factura tua:
B & in operibus manuum tuarum exultabo.

6 Quàm magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

7 Vir insipiens non cognoscet: & stultus non intelliget hæc.

8 Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum: & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem:

Ut intereant in sæculum sæculi: 9 tu autem Altissimus in æternum Domine.

10 Quoniam ecce inimici tui Domine,quoniam ecce inimici tui peribunt: & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.

11 Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum: C
& senectus mea in misericordia uberi:

12 Et despexit oculus meus inimicos meos: & in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

13 Justus, ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.

14 Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.

15 Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi: & benè patientes erunt, 16 ut annuntient:

Quoniam rectus Dominus Deus noster: & non est iniquitas in eo.

Laus Cantici ipsi David in die ante sabbatum, quando fundata est terra.

XCII.

1 DOminus regnavit, decorem indutus est: A
indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.

2 Parata sedes tua ex tunc: à sæculo tu es.

3 Elevaverunt flumina Domine: elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos, 4 à vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.

5 Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.

Psalmus ipsi David,
Quarta sabbati.

XCIII.

1 DEus ultionum Dominus: Deus ultionum A
liberè egit.

2 Exaltare qui judicas terram: redde retributionem superbis.

3 Usquequò peccatores Domine, usquequò peccatores gloriabuntur.

4 Effabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes, qui operantur injustitiam?

5 Populum tuum Domine humiliaverunt: & hereditatem tuam vexaverunt.

6 Viduam & advenam interfecerunt: & pupillos occiderunt.

7 Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec in- B
telliget Deus Jacob.

8 Intelligite insipientes in populo: & stulti aliquando sapite.

9 Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?

10 Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam?

11 Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.

12 Beatus homo, quem tu erudieris Domine,
& de lege tua docueris eum :

C 13 Ut mitiges ei à diebus malis : donec fodiatur peccatori fovea.

14 Quia non repellet Dominus plebem suam:
& hereditatem suam non derelinquet.

15 Quoadusque justitia convertatur in judicium:& qui juxta illã omnes qui recto sunt corde.

16 Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

17 Nisi quia Dominus adjuvit me : paulominùs habitasset in inferno anima mea.

D 18 Si dicebam : Motus est pes meus : misericordia tua Domine adjuvabat me.

19 Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

20 Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis : qui fingis laborem in præcepto ?

21 Captabunt in animam justi : & sanguinem innocentem condemnabunt.

22 Et factus est mihi Dominus in refugium,
& Deus meus in adjutorium spei meæ.

23 Et reddet illis iniquitatem ipsorum : & in malitia eorum disperdet eos : disperdet illos Dominus Deus noster.

Laus Cantici ipsi David. XCIV.

A 1 VEnite, exultemus Domino : jubilemus Deo salutari nostro.

2 Præoccupemus faciem ejus in confessione :
& in psalmis jubilemus ei.

3 Quoniam Deus magnus Dominus : & Rex magnus super omnes deos.

4 Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ :
& altitudines montium ipsius sunt.

5 Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud:
& siccam manus ejus formaverunt.

6 Venite adoremus, & procidamus : & ploremus ante Dominum, qui fecit nos.

B 7 Quia ipse est Dominus Deus noster : & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus.

*Hebr.3. b.7.4. b.7. 8 * Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra ;

9 Sicut in irritatione secundùm diem tentationis in deserto : ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, & viderunt opera mea.

*Num. 14.34. 10 * Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi : Semper hi errant corde.

11 Et isti non cognoverunt vias meas :* ut juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam.

*Hebr.4. a.3.

Canticum ipsi David,

1 Quando domus ædificabatur post captivitatem. (1. *Par.* 15.) XCV.

A CAntate Domino canticum novum : cantate Domino omnis terra.

2 Cantate Domino,& benedicite nomini ejus:
annuntiate de die in diem salutare ejus.

3 Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.

4 Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis : terribilis est super omnes deos.

5 Quoniam omnes dij Gentium dæmonia:Dominus autem cælos fecit.

6 Confessio & pulchritudo in conspectu ejus : B
sanctimonia & magnificẽtia in sãctificatione ejus.

7 Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem : 8 afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias,& introite in atria ejus : 9 adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur à facie ejus universa terra : 10 C
dicite in Gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ qui non commovebitur : judicabit populos in æquitate.

11 Lætentur cæli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus : 12 gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum 13 à facie Domini, quia venit : quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.

Huic David,

1 Quando terra ejus restituta est. XCVI.

DOminus regnavit,exultet terra? lætentur insulæ multæ. A

2 Nubes, & caligo in circuitu ejus : justitia, & judicium correctio sedis ejus.

3 Ignis ante ipsum præcedet,& inflammabit in circuitu inimicos ejus.

4 Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : vidit, & commota est terra.

5 Montes, sicut cera fluxerunt à facie Domini;
à facie Domini omnis terra.

6 Annuntiaverunt cæli justitiam ejus : & viderunt omnes populi gloriam ejus.

7 * Confundantur omnes, qui adorant sculptilia : & qui gloriantur in simulachris suis. B

*Exod. 20.a.4. Levv.26. a.1. Deut.5. a 8.

* Adorate eum omnes angeli ejus: 8 audivit, & lætata est Sion.

*Heb.1. b.6.

Et exultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua Domine.

9 Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : nimis exaltatus es super omnes deos.

* Amos 5.d.15. Rom. 12. b.9. 10 * Qui diligitis Dominum, odite malum : custodit Dominus animas sanctorum suorum,de manu peccatoris liberabit eos.

11 Lux orta est justo, & rectis corde lætitia.

12 Lætamini justi in Domino : & confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

1 Psalmus ipsi David. XCVII.

CAntate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. A

Salvavit sibi dextera ejus,& brachiũ sanctũ ejus.

2 Notum fecit Dominus salutare suum:in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

3 Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israël.

* Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. *Isa.52. c.10. Luc. 3. b.6.

4 Jubilate Deo omnis terra : cantate, & exultate, & psallite.

5 Psallite Domino in cithara, in cithara & voce psalmi : 6 in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Jubilate

Jubilate in conspectu regis Domini : 7 moveatur mare, & plenitudo ejus ; orbis terrarum,& qui habitant in eo.

8 Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt 9 à conspectu Domini : quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, & populos in æquitate.

1 Psalmus ipsi David. XCVIII.

A DOminus regnavit, irascantur populi ; qui sedet super cherubim, moveatur terra.

2 Dominus in Sion magnus : & excelsus super omnes populos.

3 Confiteantur nomini tuo magno : quoniam terribile, & sanctum est : 4 & honor regis judicium diligit.

Tu parasti directiones : & judicium & justitiam in Jacob tu fecisti.

5 Exaltate Dominum Deum nostrum,& adorate scabellum pedum ejus : quoniam sanctum est.

B 6 Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus : & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus :

Invocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos:
7 in columna nubis loquebatur ad eos.

Custodiebant testimonia ejus, & præceptum quod dedit illis.

8 Domine Deus noster tu exaudiebas eos:Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum.

9 Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto ejus : quoniam sanctus Dominus Deus noster.

1 Psalmus in confessione. XCIX.

A 2 JUbilate Deo omnis terra : servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus, in exultatione.

3 Scitote quoniam Dominus ipse est Deus:ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Populus ejus, & oves pascuæ ejus : 4 introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis : confitemini illi.

B Laudate nomen ejus: 5 quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus, & usque in generationem & generationem veritas ejus.

1 Psalmus ipsi David. C.

A MIsericordiam, & judicium cantabo tibi Domine :

Psallam, 2 & intelligam in via immaculata, quando venies ad me.

Perambulabam in innocentia cordis mei,in medio domus meæ.

3 Non proponebam ante oculos meos rem injustam : facientes prævaricationes odivi.

Non adhæsit mihi 4 cor pravum : declinantem à me malignum non cognoscebam.

B 5 Detrahentem secretò proximo suo,hunc persequebar.

Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam.

6 Oculi mei ad fideles terræ ut sedeant mecum:
ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

7 Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam : qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

8 In matutino interficiebam omnes peccatores terræ : ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

1 Oratio pauperis,
Cùm anxius fuerit, & in conspectu
Domini effuderit precem
suam. CI.

2 DOmine exaudi orationem meam : & clamor A
meus ad te veniat.

3 Non avertas faciem tuam à me : in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me :

4 Quia defecerunt sicut fumus dies mei : &
ossa mea sicut cremium aruerunt.

5 Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum:
quia oblitus sum comedere panem meum.

6 A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.

7 Similis factus sum pellicano solitudinis:factus sum sicut nycticorax in domicilio.

8 Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius B
in tecto.

9 Tota die exprobrabant mihi inimici mei : &
qui laudabant me,adversum me jurabant.

10 Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.

11 A facie iræ & indignationis tuæ : quia elevans allisisti me.

12 Dies mei sicut umbra declinaverunt : & ego sicut fœnum arui.

13 Tu autem Domine in æternum permanes :
& memoriale tuum in generationem & generationem.

14 Tu exurgens misereberis Sion : quia tempus C
miserendi ejus, quia venit tempus.

15 Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus:
& terræ ejus miserebuntur.

16 Et timebunt Gentes nomen tuum Domine,
& omnes reges terræ gloriam tuam.

17 Quia ædificavit Dominus Sion : & videbitur in gloria sua.

18 Respexit in orationem humilium : & non sprevit precem eorum.

19 Scribantur hæc in generatione altera : &
populus, qui creabitur,laudabit Dominum :

20 Quia prospexit de excelso sancto suo : Dominus de cælo in terram aspexit :

21 Ut audiret gemitus compeditorum : ut solveret filios interemptorum :

22 Ut annuntient in Sion nomen Domini : & D
laudem ejus in Jerusalem.

23 In conveniendo populos in unum, & reges ut serviant Domino.

24 Respondit ei in via virtutis suæ : Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

25 Ne revoces me in dimidio dierum meorum:
in generationem & generationem anni tui.

26 Initio tu Domine terram fundasti : & opera manuum tuarum sunt cæli.

27 Ipsi peribunt, tu autem permanes : & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur:

28 tu autem idem ipse es,& anni tui non deficient.
29 Filij servorum tuorum habitabunt : & semen eorum in sæculum dirigetur.

1 Ipsi David. CII.

A BEnedic anima mea Domino : & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.
2 Benedic anima mea Domino : & noli oblivisci omnes retributiones ejus.
3 Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas.
4 Qui redimit de interitu vitam tuam : qui coronat te in misericordia & miserationibus.
5 Qui replet in bonis desiderium tuum : renovabitur ut aquilæ juventus tua.
B 6 Faciens misericordias Dominus, & judicium omnibus injuriam patientibus.
7 Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israël voluntates suas.
*Exod. 34.a.6. Num.14. c.18. 8 * Miserator, & misericors Dominus : longanimis, & multùm misericors.
9 Non in perpetuum irascetur : neque in æternum comminabitur.
10 Non secundùm peccata nostra fecit nobis : neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.
11 Quoniam secundùm altitudinem cæli à terra, corroboravit misericordiam suã super timentes se.
C 12 Quantum distat Ortus ab Occidente : longè fecit à nobis iniquitates nostras.
13 Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : 14 quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.
Recordatus est quoniam pulvis sumus : 15 homo, sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit.
16 Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet : & non cognoscet amplius locum suum.
17 Misericordia autem Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum.
D Et justitia illius in filios filiorum, 18 his qui servant testamentum ejus:
Et memores sunt mandatorum ipsius,ad faciendum ea.
19 Dominus in cælo paravit sedem suam : & regnum ipsius omnibus dominabitur.
20 Benedicite Domino omnes angeli ejus : potentes virtute, facientes verbum illius,ad audiendam vocem sermonum ejus.
21 Benedicite Domino omnes virtutes ejus : ministri ejus,qui facitis voluntatem ejus.
22 Benedicite Domino omnia opera ejus : in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

1 Ipsi David. CIII.

A BEnedic anima mea Domino : Domine Deus meus magnificatus es vehementer.
Confessionem, & decorem induisti : 2 amictus lumine sicut vestimento :
Extendens cælum sicut pellem : 3 qui tegis aquis superiora ejus.
Qui ponis nubem ascensum tuum : qui ambulas super pennas ventorum.
*Heb.1. c.7. 4 * Qui facis angelos tuos, spiritus ; & ministros tuos, ignem urentem.
5 Qui fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in sæculum sæculi.
6 Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus : super montes stabunt aquæ.
7 Ab increpatione tua fugient : à voce tonitrui tui formidabunt.
8 Ascendunt montes,& descendunt campi, in locum quem fundasti eis.
9 Terminum posuisti, quem non transgredientur : neque convertentur operire terram. B
10 Qui emittis fontes in convallibus : inter medium montium pertransibunt aquæ.
11 Potabunt omnes bestiæ agri : expectabunt onagri in siti sua.
12 Super ea volucres cæli habitabunt : de medio petrarum dabunt voces.
13 Rigans montes de superioribus suis : de fructu operum tuorum satiabitur terra :
14 Producens fœnum jumentis, & herbam servituti hominum :
Ut educas panem de terra : 15 & vinum lætificet cor hominis :
Ut exhilaret faciem in oleo : & panis cor hominis confirmet.
16 Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantavit : 17 illic passeres nidificabunt.
Herodij domus dux est eorum : 18 montis excelsi cervis : petra refugium herinaciis.
19 Fecit lunam in tempora : sol cognovit occasum suum. C
20 Posuisti tenebras, & facta est nox : in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.
21 Catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo escam sibi.
22 Ortus est sol : & congregati sunt : & in cubilibus suis collocabuntur.
23 Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperum.
24 Quàm magnificata sunt opera tua Domine : omnia in sapientia fecisti : impleta est terra possessione tua.
25 Hoc mare magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.
Animalia pusilla cum magnis : 26 illic naves pertransibunt.
Draco iste, quem formasti ad illudendum ei : 27 D
omnia à te expectant ut des illis escam in tempore.
28 Dante te illis, colligent : aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.
29 Avertente autem te faciem, turbabuntur:auferes spiritum eorum, & deficient,& in pulverem suum revertentur.
30 Emittes spiritum tuum, & creabuntur : & renovabis faciem terræ.
31 Sit gloria Domini in sæculum : lætabitur Dominus in operibus suis :
32 Qui respicit terram,& facit eam tremere:qui tangit montes,& fumigant.
33 * Cantabo Domino in vita mea : psallam Deo meo quamdiu sum. *Inf. 145.a.2.
34 Jucundum sit ei eloquium meum : ego verò delectabor in Domino.
35 Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita ut non sint : benedic anima mea Domino.

Alleluia.

Alleluia. (1. *Par.* 16.8.)

CIV.

A 1 COnfitemini Domino, & invocate nomen ejus : annuntiate inter Gentes opera ejus.
1.Par. 16.a.8. Isa.12. b.4. 2 Cantate ei, & psallite ei : narrate omnia mirabilia ejus.
3 Laudamini in nomine sancto ejus : lætetur cor quærentium Dominum.
4 Quærite Dominum, & confirmamini : quærite faciem ejus semper.
5 Mementote mirabilium ejus, quæ fecit : prodigia ejus, & judicia oris ejus.
6 Semen Abraham, servi ejus : filij Jacob electi ejus.
7 Ipse Dominus Deus noster : in universa terra judicia ejus.
8 Memor fuit in sæculum testamenti sui ; verbi, quod mandavit in mille generationes.
*Gen. 22.c.16. 9 * Quod disposuit ad Abraham : & juramenti sui ad Isaac :
10 Et statuit illud Jacob in præceptum : & Israël in testamentum æternum :
11 Dicens : Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ.
12 Cùm essent numero brevi, pauciissimi & incolæ ejus :
B 13 Et pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum :
14 Non reliquit hominem nocere eis : & corripuit pro eis reges.
*2.Reg. 1.c.14. 1.Par. 16.c.22. 15 * Nolite tangere Christos meos : & in prophetis meis nolite malignari.
16 Et vocavit famem super terram : & omne firmamentum panis contrivit.
*Gen. 37.g.36. 17 Misit ante eos * virum : in servum venumdatus est Joseph.
*Gen. 39.d.20. 18 * Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus, 19 donec veniret verbum ejus.
Eloquium Domini inflammavit eum :
*Gen. 41.b.14. 20 * Misit rex,& solvit eum ; princeps populorum, & dimisit eum.
21 Constituit eum dominum domus suæ : & principem omnis possessionis suæ.
22 Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum:
C & senes ejus prudentiam doceret.
*Gen. 46.a.6. 23 * Et intravit Israël in Ægyptum : & Jacob accola fuit in Terra Cham.
*Exod. 1. a.7. Act.7.c. 17. 24 * Et auxit populum suum vehementer : & firmavit eum super inimicos ejus.
25 Convertit cor eorum ut odirent populum ejus : & dolum facerent in servos ejus.
*Exod. 3.c.10. 4.g.29. 26 * Misit Moysen servum suum ; Aaron,quem elegit ipsum.
*Exod. 7.b.10. 27 * Posuit in eis verba signorum suorum, & prodigiorum in Terra Cham.
*Exod. 10.f.21. 28 * Misit tenebras, & obscuravit : & non exacerbavit sermones suos.
*Exod. 7.d.20. 29 * Convertit aquas eorum in sanguinem : & occidit pisces eorum.
*Exod. 8.b.6. 30 * Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.
*Exod. 8.d.16. f.24. 31 * Dixit, & venit cœnomyia : & cinifes in omnibus finibus eorum.
32 Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum.
33 Et percussit vineas eorum, & ficulneas eorum : & contrivit lignum finium eorum.
*Exod. 10.d.12. 34 * Dixit, & venit locusta, & bruchus, cujus non erat numerus : D
35 Et comedit omne fœnum in terra eorum : & comedit omnem fructum terræ eorum.
*Exod. 12.e.29. 36 * Et percussit omne primogenitum in terra eorum : primitias omnis laboris eorum.
*Exod. 12.e.35. 37 * Et eduxit eos cum argento & auro : & non erat in tribubus eorum infirmus.
38 Lætata est Ægyptus in profectione eorum : quia incubuit timor eorum super eos.
*Exod. 13.d.21. Psal.77. b.14. 1.Cor. 10.a.1. 39 * Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem ut luceret eis per noctem.
*Exod. 16.c.13. 40 * Petierunt, & venit coturnix : & pane cæli saturavit eos.
*Num. 20.b.11. *Gen. 17.a.7. 41 * Dirupit petram, & fluxerunt aquæ : abierunt in sicco flumina ;
42 * Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.
43 Et eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia.
44 Et dedit illis regiones Gentium : & labores populorum possederunt :
45 Ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant.

Alleluia. (*Judith* 13 21.)

CV.

A 1 COnfitemini Domino quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.
Judith 13.c.21. *Eccli. 43.d.35. 2 * Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus ?
3 Beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.
4 Memento nostri Domine in beneplacito populi tui : visita nos in salutari tuo :
5 Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ : ut lauderis cum hereditate tua.
*Judith 7.d.19. 6 * Peccavimus cum patribus nostris : injustè egimus, iniquitatem fecimus.
B 7 Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua : non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.
Et irritaverunt ascendentes in mare,Mare rubrũ.
8 Et salvavit eos propter nomen suum : ut notam faceret potentiam suam.
*Exod. 14.c.21. 9 * Et increpuit Mare rubrum, & exiccatum est : & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.
10 Et salvavit eos de manu odientium : & redemit eos de manu inimici.
*Exod. 14.f.27. 11 * Et operuit aqua tribulantes eos : unus ex eis non remansit.
12 Et crediderunt verbis ejus : & laudaverunt laudem ejus.
13 Citò fecerunt, obliti sunt operum ejus, & non sustinuerunt consilium ejus.
*Exod. 17.a.2. 14 * Et concupierunt concupiscentiam in deserto : & tentaverunt Deum in inaquoso.
C *Num. 11.g.31. 15 * Et dedit eis petitionem ipsorum : & misit saturitatem in animàs eorum.
16 Et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

* Num. 16.c.32.
17 * Aperta est terra, & deglutivit Dathan: & operuit super congregationem Abiron.
18 Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores.
* Exod. 32.a.4.
19 * Et fecerunt vitulum in Horeb: & adoraverunt sculptile.
20 Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.
21 Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, 22 mirabilia in Terra Cham: terribilia in mari rubro.
* Exod. 32.c.10.
23 * Et dixit ut disperderet eos: si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus:
D Ut averteret iram ejus ne disperderet eos: 24 & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem:
Non crediderunt verbo ejus, 25 & murmuraverunt in tabernaculis suis: non exaudierunt vocem Domini.
* Num. 14.c.32.
26 * Et elevavit manum suam super eos: ut prosterneret eos in deserto:
27 Et ut dejiceret semen eorum in Nationibus: & dispergeret eos in regionibus.
28 Et initiati sunt Beelphegor: & comederunt sacrificia mortuorum.
29 Et irritaverunt eum in adinventionibus
E suis: & multiplicata est in eis ruina.
* Num. 25.b.7.
30 * Et stetit Phinees, & placavit: & cessavit quassatio.
31 Et reputatum est ei in justitiam, in generationem & generationem usque in sempiternum.
* Num. 20.b.10.
32 * Et irritaverunt eum ad Aquas contradictionis: & vexatus est Moyses propter eos: 33 quia exacerbaverunt spiritum ejus.
Et distinxit in labiis suis: 34 non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.
35 Et commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum: 36 & servierunt sculptilibus eorum: & factum est illis in scandalum.
37 Et immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis.
F 38 Et effuderunt sanguinem innocentem: sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.
Et infecta est terra in sanguinibus, 39 & contaminata est in operibus eorum: & fornicati sunt in adinventionibus suis.
40 Et iratus est furore Dominus in populum suum: & abominatus est hereditatem suam.
41 Et tradidit eos in manus gentium: & dominati sunt eorum qui oderunt eos.
42 Et tribulaverunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum: 43 sæpè liberavit eos.
Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo: & humiliati sunt in iniquitatibus suis.
44 Et vidit cùm tribularentur: & audivit orationem eorum.
* Deut. 30.a.1.
45 * Et memor fuit testamenti sui: & pœnituit
G eum secundùm multitudinem misericordiæ suæ.
46 Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos.
47 Salvos nos fac Domine Deus noster: & congrega nos de Nationibus
Ut confiteamur nomini sancto tuo: & gloriemur in laude tua.
48 Benedictus Dominus Deus Israël à sæculo & usque in sæculum: & dicet omnis populus: Fiat, fiat.

Alleluia. (*Judith.* 13. 21.) CVI.

1 COnfitemini Domino quoniam bonus: quo- A
niam in sæculum misericordia ejus.
2 Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici: & de regionibus congregavit eos,
3 A solis ortu, & occasu; ab aquilone, & mari.
4 Erraverunt in solitudine in inaquoso: viam civitatis habitaculi non invenerunt.
5 Esurientes, & sitientes: anima eorum in ipsis defecit.
6 Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur: & de necessitatibus eorum eripuit eos.
7 Et deduxit eos in viam rectam: ut irent in civitatem habitationis.
8 Confiteamur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum,
9 Quia satiavit animam inanem: & animam esurientem satiavit bonis.
10 Sedentes in tenebris, & umbra mortis: vinctos in mendicitate, & ferro.
11 Quia exacerbaverunt eloquia Dei: & consilium Altissimi irritaverunt.
12 Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.
13 Et clamaverunt ad Dominum cùm tribula- B
rentur: & de necessitatibus eorum liberavit eos.
14 Et eduxit eos de tenebris, & umbra mortis: & vincula eorum disrupit.
15 Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.
16 Quia contrivit portas æreas: & vectes ferreos confregit.
17 Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter injustitias enim suas humiliati sunt.
18 Omnem escam abominata est anima eorum: & appropinquaverunt usque ad portas mortis.
19 Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur: & de necessitatibus eorum liberavit eos.
20 Misit verbum suum, & sanavit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.
21 Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & C
mirabilia ejus filiis hominum:
22 Et sacrificent sacrificium laudis: & annuntient opera ejus in exultatione.
23 Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.
24 Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo,
25 Dixit, & stetit spiritus procellæ: & exaltati sunt fluctus ejus.
26 Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.
27 Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum devorata est.
28 Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos.
29 Et statuit procellam ejus in auram: & siluerunt fluctus ejus.

30 Et

30 Et lætati sunt quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum.
31 Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.
32 Et exaltent eum in ecclesia plebis: & in cathedra seniorum laudent eum.
33 Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim;
D 34 Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.
35 Posuit desertum in stagna aquarum: & terram sine aqua in exitus aquarum.
36 Et collocavit illic esurientes: & constituerunt civitatem habitationis.
37 Et seminaverunt agros, & plantaverunt vineas: & fecerunt fructum nativitatis.
38 Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis: & jumenta eorum non minoravit.
39 Et pauci facti sunt: & vexati sunt à tribulatione malorum, & dolore.
40 Effusa est contemptio super principes: & errare fecit eos in invio, & non in via.
41 Et adjuvit pauperem de inopia: & posuit sicut oves familias.
*Ioa. 22. c.19.
42 * Videbunt recti, & lætabuntur: & omnis iniquitas oppilabit os suum.
43 Quis sapiens & custodiet hæc? & intelliget misericordias Domini?

1 Canticum Psalmi ipsi David.
(*Sup.* 56. 8.) CVII.

A 2 PAratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psallam in gloria mea.
3 Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.
4 Confitebor tibi in populis Domine: & psallam tibi in nationibus.
5 Quia magna est super cælos misericordia tua: & usque ad nubes veritas tua.
6 Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua: 7 ut liberentur dilecti tui.
Salvum fac dextera tua, & exaudi me:
B 8 Deus locutus est in sancto suo.
Exultabo, & dividam Sichimam, & convallem tabernaculorum dimetiar.
9 Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim susceptio capitis mei.
Juda rex meus: 10 Moab lebes spei meæ.
In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti sunt.
11 Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?
12 Nónne tu Deus, qui repulisti nos, & non exibis Deus in virtutibus nostris?
13 Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.
14 In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

1 In finem, Psalmus David.
CVIII.

A 2 DEus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.
3 Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me: & expugnaverunt me gratis.
4 Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam:
5 Et posuerunt adversum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.
6 Constitue super eum peccatorem: & diabolus stet à dextris ejus.
7 Cùm judicatur, exeat condemnatus: & oratio ejus fiat in peccatum.
8 Fiant dies ejus pauci: & episcopatum ejus accipiat alter.
9 Fiant filij ejus orphani: & uxor ejus vidua.
10 Nutantes transferantur filij ejus, & mendi- B
cent: & ejiciantur de habitationibus suis.
11 Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus: & diripiant alieni labores ejus.
12 Non sit illi adjutor: nec sit qui misereatur pupillis ejus.
13 Fiant nati ejus in interitum: in generatione una deleatur nomen ejus.
14 In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini: & peccatum matris ejus non deleatur.
15 Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum: 16 pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam.
17 Et persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.
18 Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & C
noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.
Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus.
19 Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur; & sicut zona, qua semper præcingitur.
20 Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum: & qui loquuntur mala adversus animam meam.
21 Et tu Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum: quia suavis est misericordia tua.
Libera me, 22 quia egenus & pauper ego sum: & cor meum conturbatum est intra me.
23 Sicut umbra cùm declinat, ablatus sum: & excussus sum sicut locustæ.
24 Genua mea infirmata sunt à jejunio: & caro mea immutata est propter oleum.
25 Et ego factus sum opprobrium illis: vide- D
runt me, & moverunt capita sua.
26 Adjuva me Domine Deus meus: salvum me fac secundùm misericordiam tuam.
27 Et sciant quia manus tua hæc: & tu Domine fecisti eam.
28 Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur; servus autem tuus lætabitur.
29 Induantur qui detrahunt mihi, pudore: & operiantur sicut diploide confusione sua.
30 Confitebor Domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.
31 Quia astitit à dextris pauperis, ut salvam faceret à persequentibus animam meam.

1 Psalmus David. CIX.

DIxit Dominus Domino meo: Sede à dextris A
meis: *Matth. 22.d.44.

Universidad de Talca
Biblioteca

* 1.Cor. 15.d.25. Hebr. 1. d.13.10. e.13.

* Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

2 Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

3 Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

B 4 Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.

* Joan. 12.c.34. Hebr. 5. b.6.7. c.17.

5 Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges.

6 Judicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum.

7 De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

Alleluia. CX.

A 1 CONfitebor tibi Domine in toto corde meo; in consilio justorum, & congregatione.

2 Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates ejus.

3 Confessio & magnificentia opus ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

4 Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus: 5 escam dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui: 6 virtutem operum suorum annuntiabit populo suo:

B 7 Ut det illis hereditatem gentium: opera manuum ejus, veritas & judicium.

8 Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate & æquitate.

9 Redemptionem misit populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.

* Prov.1. a.7.9. c.10. Eccli.1. c.16.

Sanctum & terribile nomen ejus: 10 *initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Alleluia, Reversionis Aggæi, & Zachariæ. CXI.

A 1 BEatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

2 Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

3 Gloria, & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

4 Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, & miserator, & justus.

B 5 Jucundus homo qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in judicio: 6 quia in æternum non commovebitur.

7 In memoria æterna erit justus: ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino, 8 confirmatum est cor ejus: non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

9 Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltabitur in gloria.

10 Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desideriũ peccatorum peribit.

Alleluia. CXII.

A 1 LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

2 Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usque in sæculum.

3 * A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini. *Malac. 1.c.11.

4 Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria ejus.

5 Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, 6 & humilia respicit in cælo & in terra?

7 Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem. B

8 Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

9 Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

Alleluia. CXIII.

1 IN exitu Israël de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro. A Exod. 13.a.3.

2 Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israël potestas ejus.

3 Mare vidit, & fugit: Jordanis conversus est retrorsum.

4 Montes exultaverunt ut arietes: & colles sicut agni ovium.

5 Quid est tibi mare quòd fugisti: & tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?

6 Montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ovium.

7 A facie Dñi mota est terra, à facie Dei Jacob.

8 Qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

1 NON NOBIS DOMINE, NON NOBIS: sed B nomini tuo da gloriam.

2 Super misericordia tua, & veritate tua: nequando dicant Gentes: Ubi est Deus eorum?

3 Deus autem noster in cælo: omnia quæcumque voluit, fecit.

4 * Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. *Inf. 34. c.15.

5 * Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. *Sap.15. c.15.

6 Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.

7 Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

8 Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

9 Domus Israël speravit in Domino: adjutor C eorum & protector eorum est.

10 Domus Aaron speravit in Domino: adjutor eorum & protector eorum est.

11 Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adjutor eorum & protector eorum est.

12 Dominus memor fuit nostri: & benedixit nobis.

Benedixit domui Israël: benedixit domui Aaron.

13 Benedixit omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.

14 Adjiciat Dominus super vos, super vos, & super filios vestros.

15 Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum & D terram.

16 Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum.

17 * Non

* Baruch. 2.d.17.

17 * Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes, qui descendunt in infernum.

18 Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc & usque in sæculum.

Alleluia. CXIV.

A 1 DIlexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

2 Quia inclinavit aurem suam mihi: & in diebus meis invocabo.

3 Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem & dolorem inveni: 4 & nomen Domini invocavi.

B O Domine libera animam meam: 5 misericors Dominus, & justus, & Deus noster miseretur.

6 Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum, & liberavit me.

7 Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.

8 Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.

9 Placebo Domino in regione vivorum.

Alleluia. CXV.

A 10 CRedidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis. 2.Cor.4. c.13. *Rom.3. a.4.

11 Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mendax.

12 Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?

13 Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

14 Vota mea Domino reddam coram omni po-

B pulo ejus: 15 pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

16 O Domine quia ego servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea: 17 tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.

18 Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: 19 in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

A Alleluia. CXVI.

Rom.15. c.11. 1 LAudate Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes populi.

*Joan. 12.c.34. 2 Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: * & veritas Domini manet in æternum.

Alleluia. CXVII.

A 1 CONfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

2 Dicat nunc Israël quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

3 Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia ejus.

4 Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia ejus.

5 De tribulatione invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Dominus.

B 6 Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.

*Heb.13. a.6. 7 * Dominus mihi adjutor: & ego despiciam inimicos meos.

8 Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.

9 Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

10 Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

11 Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

12 Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

13 Impulsus eversus sum ut caderem: & Dominus suscepit me.

14 * Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem. *Exod. 15.a.2.

15 Vox exultationis & salutis, in tabernaculis justorum.

16 Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutẽ.

17 Non moriar, sed vivam: & narrabo opera Dñi.

18 Castigans castigavit me Dominus: & morti non tradidit me.

19 Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: 20 hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.

21 Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

22 * Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. *Isa 28. d.16. Matt.21. d.42. Luc.20. c.17. Act.4. b.11. Rom.9. a.33. 1.Pet.2. b.7.

23 A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.

24 Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.

25 O Domine salvum me fac, ô Domine bene prosperare: 26 benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini: 27 Deus Dominus: & illuxit nobis.

Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.

28 Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te:

Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

29 Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Alleluia. CXVIII.

ALEPH.

1 BEati immaculati in via: qui ambulant in le- A ge Domini.

2 Beati, qui scrutantur testimonia ejus: in toto corde exquirunt eum.

3 Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.

4 Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

5 Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas.

6 Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.

7 Confitebor tibi in directione cordis, in eo quòd didici judicia justitiæ tuæ.

8 Justificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.

BETH.

9 In quo corrigit adolescentior viam suam? in B custodiendo sermones tuos.

10 In

Universidad de Deusto
Biblioteca

10 In toto corde meo exquisivi te : ne repellas me à mandatis tuis.

11 In corde meo abscondi eloquia tua : ut non peccem tibi.

12 Benedictus es Domine : doce me justificationes tuas.

13 In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.

14 In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.

15 In mandatis tuis exercebor : & considerabo vias tuas.

16 In justificationibus tuis meditabor: non oblivisear sermones tuos.

GIMEL.

C 17 Retribue servo tuo, vivifica me : & custodiam sermones tuos.

18 Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.

19 Incola ego sum in terra : non abscondas à me mandata tua.

20 Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, in omni tempore.

21 Increpasti superbos : maledicti qui declinant à mandatis tuis.

22 Aufer à me opprobrium, & contemptum : quia testimonia tua exquisivi.

23 Etenim sederunt principes, & adversum me loquebantur : servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

24 Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum justificationes tuæ.

DALETH.

D 25 Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundùm verbum tuum.

26 Vias meas enuntiavi, & exaudisti me : doce me justificationes tuas.

27 Viam justificationum tuarum instrue me : & exercebor in mirabilibus tuis.

28 Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis.

29 Viam iniquitatis amove à me : & de lege tua miserere mei.

30 Viam veritatis elegi : judicia tua non sum oblitus.

31 Adhæsi testimoniis tuis Domine : noli me confundere.

32 Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.

HE.

E 33 Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum : & exquiram eam semper.

34 Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam : & custodiam illam in toto corde meo.

35 Deduc me in semitam mandatorum tuorum : quia ipsam volui.

36 Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam.

37 Averte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me.

38 Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

39 Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum : quia judicia tua jucunda.

40 Ecce concupivi mandata tua : in æquitate tua vivifica me.

VAU.

41 Et veniat super me misericordia tua Domine : salutare tuum secundùm eloquium tuum. F

42 Et respondebo exprobrantibus mihi verbum : quia speravi in sermonibus tuis.

43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque : quia in judiciis tuis supersperavi.

44 Et custodiam legem tuam semper, in sæculum & in sæculum sæculi.

45 Et ambulabam in latitudine : quia mandata tua exquisivi.

46 Et loquebar ni testimoniis tuis in conspectu regum : & non confundebar.

47 Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

48 Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi : & exercebar in justificationibus tuis.

ZAIN.

49 Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi G spem dedisti.

50 Hæc me consolata est in humilitate mea : quia eloquium tuum vivificavit me.

51 Superbi iniquè agebant usquequaque : à lege autem tua non declinavi.

52 Memor fui judiciorum tuorum à sæculo Domine : & consolatus sum.

53 Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

54 Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

55 Memor fui nocte nominis tui Domine : & custodivi legem tuam.

56 Hæc facta est mihi : quia justificationes tuas exquisivi.

HETH.

57 Portio mea Domine, dixi, custodire legem H tuam.

58 Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo : miserere mei secundùm eloquium tuum.

59 Cogitavi vias meas : & converti pedes meos in testimonia tua.

60 Paratus sum, & non sum turbatus : ut custodiam mandata tua.

61 Funes peccatorum circumplexi sunt me : & legem tuam non sum oblitus.

62 Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.

63 Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

64 Misericordia tua Domine plena est terra : justificationes tuas doce me.

TETH.

65 Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine, se- I cundùm verbum tuum.

66 Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me : quia mandatis tuis credidi.

67 Priusquam humiliarer ego deliqui : propterea eloquium tuum custodivi.

68 Bonus es tu : & in bonitate tua doce me justificationes tuas.

69 Multiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

70 Coagulatum est sicut lac cor eorum : ego verò legem tuam meditatus sum.

71 Bonum mihi quia humiliasti me : ut discam justificationes tuas.

72 Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti.

JOD.

K 73 Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me : da mihi intellectum, & discam mandata tua.

74 Qui timent te videbunt me, & lætabuntur : quia in verba tua supersperavi.

75 Cognovi Domine quia æquitas judicia tua : & in veritate tua humiliasti me.

76 Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundùm eloquium tuum servo tuo.

77 Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam : quia lex tua meditatio mea est.

78 Confundantur superbi, quia injustè iniquitatem fecerunt in me : ego autem exercebor in mandatis tuis.

79 Convertantur mihi timentes te, & qui noverunt testimonia tua.

80 Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.

CAPH.

L 81 Defecit in salutare tuum anima mea : & in verbum tuum supersperavi.

82 Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis me ?

83 Quia factus sum sicut uter in pruina : justificationes tuas non sum oblitus.

84 Quot sunt dies servi tui : quando facies de persequentibus me judicium ?

85 Narraverunt mihi iniqui fabulationes : sed non ut lex tua.

86 Omnia mandata tua veritas : iniquè persecuti sunt me, adjuva me.

87 Paulominùs consummaverunt me in terra : ego autem non dereliqui mandata tua.

88 Secundùm misericordiam tuam vivifica me : & custodiam testimonia oris tui.

LAMED.

M 89 In æternum Domine, verbum tuum permanet in cælo.

90 In generationem & generationem veritas tua : fundasti terram, & permanet.

91 Ordinatione tua perseverat dies : quoniam omnia serviunt tibi.

92 Nisi quòd lex tua meditatio mea est : tunc fortè periissem in humilitate mea.

93 In æternum non oblivisear justificationes tuas : quia in ipsis vivificasti me.

94 Tuus sum ego, salvum me fac : quoniam justificationes tuas exquisivi.

95 Me expectaverunt peccatores ut perderent me : testimonia tua intellexi.

96 Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.

MEM.

N 97 Quomodo dilexi legem tuam Domine ? tota die meditatio mea est.

98 Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo : quia in æternum mihi est.

99 Super omnes docentes me intellexi : quia testimonia tua meditatio mea est.

100 Super senes intellexi : quia mandata tua quæsivi.

101 Ab omni via mala prohibui pedes meos : ut custodiam verba tua.

102 A judiciis tuis non declinavi : quia tu legem posuisti mihi.

103 Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo !

104 A mandatis tuis intellexi : propterea odivi omnem viam iniquitatis.

NUN.

105 Lucerna pedibus meis verbum tuum, & O lumen semitis meis.

106 Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.

107 Humiliatus sum usquequaque Domine : vivifica me secundùm verbum tuum.

108 Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine : & judicia tua doce me.

109 Anima mea in manibus meis semper : & legem tuam non sum oblitus.

110 Posuerunt peccatores laqueum mihi : & de mandatis tuis non erravi.

111 Hereditate acquisivi testimonia tua in æternum : quia exultatio cordis mei sunt.

112 Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.

SAMECH.

113 Iniquos odio habui : & legem tuam dilexi. P

114 Adjutor, & susceptor meus es tu : & in verbum tuum supersperavi.

115 Declinate à me maligni : & scrutabor mandata Dei mei.

116 Suscipe me secundùm eloquium tuum, & vivam : & non confundas me ab expectatione mea.

117 Adjuva me, & salvus ero : & meditabor in justificationibus tuis semper.

118 Sprevisti omnes discedentes à judiciis tuis : quia injusta cogitatio eorum.

119 Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : ideò dilexi testimonia tua.

120 Confige timore tuo carnes meas : à judiciis enim tuis timui.

AIN.

121 Feci judicium & justitiam : non tradas me Q calumniantibus me.

122 Suscipe servum tuum in bonum : non calumnientur me superbi.

123 Oculi mei defecerunt in salutare tuum : & in eloquium justitiæ tuæ.

124 Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam : & justificationes tuas doce me.

125 Servus tuus sum ego : da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

126 Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam.

127 Ideò dilexi mandata tua, super aurum & topazion.

128 Propterea ad omnia mandata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui.

PHE.

129 Mirabilia testimonia tua : ideò scrutata est R ea anima mea.

130 Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat parvulis.

131 Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.

132 Aspice in me, & miserere mei, secundùm judicium diligentium nomen tuum.

133 Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum: & non dominetur mei omnis injustitia.

134 Redime me à calumniis hominum: ut custodiam mandata tua.

135 Faciem tuam illumina super servum tuum: & doce me justificationes tuas.

136 Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

SADE.

S 137 Justus es Domine: & rectum judicium tuum.

138 Mandasti justitiam testimonia tua: & veritatem tuam nimis.

139 Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.

140 Ignitum eloquium tuum vehementer: & servus tuus dilexit illud.

141 Adolescentulus sum ego, & contemptus: justificationes tuas non sum oblitus.

142 Justitia tua, justitia in æternum: & lex tua veritas.

143 Tribulatio & angustia invenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

144 Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & vivam.

COPH.

T 145 Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine: justificationes tuas requiram.

146 Clamavi ad te, salvum me fac: ut custodiam mandata tua.

147 Præveni in maturitate, & clamavi: quia in verba tua superperavi.

148 Prævenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.

149 Vocem meam audi secundùm misericordiam tuam Domine: & secundùm judicium tuum vivifica me.

150 Appropinquaverunt persequentes me iniquitati: à lege autem tua longè facti sunt.

151 Propè es tu Domine: & omnes viæ tuæ veritas.

152 Initio cognovi de testimoniis tuis: quia in æternum fundasti ea.

RES.

V 153 Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non sum oblitus.

154 Judica judicium meum, & redime me: propter eloquium tuum vivifica me.

155 Longè à peccatoribus salus: quia justificationes tuas non exquisierunt.

156 Misericordiæ tuæ multæ Domine: secundùm judicium tuum vivifica me.

157 Multi qui persequuntur me, & tribulant me: à testimoniis tuis non declinavi.

158 Vidi prævaricantes, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.

159 Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in misericordia tua vivifica me.

160 Principium verborum tuorum, veritas: in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

SIN.

161 Principes persecuti sunt me gratis: & à X verbis tuis formidavit cor meum.

162 Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa.

163 Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.

164 Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.

165 Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum.

166 Expectabam salutare tuum Domine: & mandata tua dilexi.

167 Custodivit anima mea testimonia tua: & dilexit ea vehementer.

168 Servavi mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

TAU.

169 Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine: juxta eloquium tuum da mihi intellectum. Y

170 Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundùm eloquium tuum eripe me.

171 Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me justificationes tuas.

172 Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas.

173 Fiat manus tua ut salvet me: quoniam mandata tua elegi.

174 Concupivi salutare tuum Domine: & lex tua meditatio mea est.

175 Vivet anima mea, & laudabit te: & judicia tua adjuvabunt me.

176 Erravi, sicut ovis quæ periit: quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Canticum graduum. CXIX.

1 AD Dominum cùm tribularer clamavi: & A exaudivit me.

2 Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.

3 Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

4 Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.

5 Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus B est: habitavi cum habitantibus Cedar: 6 multum incola fuit anima mea.

7 Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.

Canticum graduum. CXX.

1 LEvavi oculos meos in montes, unde veniet A auxilium mihi.

2 Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram. 2 Par. 20. c. 17.

3 Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

4 Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël.

5 Dominus custodit te, Dominus protectio tua, B super manum dexteram tuam.

6 Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.

7 Dominus

7 Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

8 Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc, & usque in sæculum.

1 Canticum graduum. CXXI.

A LÆtatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

2 Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis Jerusalem.

3 Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.

4 Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israël ad confitendum nomini Domini.

5 Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.

B 6 Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem: & abundantia diligentibus te.

7 Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

8 Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te:

9 Propter domum Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi.

1 Canticum graduum. CXXII.

A AD te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.

2 Ecce sicut oculi servorum, in manibus dominorum suorum,

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

3 Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione.

4 Quia multùm repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

1 Canticum graduum. CXXIII.

A NIsi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël: 2 nisi quia Dominus erat in nobis,

Cùm exurgerent homines in nos, 3 fortè vivos deglutissent nos:

Cùm irasceretur furor eorum in nos, 4 forsitan aqua absorbuisset nos.

5 Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

B 6 Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

7 Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

8 Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.

1 Canticum graduum. CXXIV.

A QUi confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat 2 in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in sæculum.

3 Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

4 Benefac Domine bonis, & rectis corde.

5 Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israël.

1 Canticum graduum. CXXV.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion: A facti sumus sicut consolati:

2 Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

3 Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

4 Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.

5 Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

6 Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

1 Canticum graduum Salomonis.

CXXVI.

NIsi Dominus ædificaverit domum, in vanum A laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.

2 Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cùm dederit dilectis suis somnum: 3 ecce hereditas Domini, filij; merces, fructus ventris.

4 Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij excussorum.

5 Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta.

1 Canticum graduum. CXXVII.

BEati omnes, qui timent Dominum, qui ambu- A lant in viis ejus.

2 Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit.

3 Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus B domus tuæ.

Filij tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.

4 Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

5 Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

6 Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israël.

1 Canticum graduum. CXXVIII.

SÆpè expugnaverunt me à juventute mea, di- A cat nunc Israël.

2 Sæpè expugnaverunt me à juventute mea: etenim non potuerunt mihi.

3 Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam:

4 Dominus justus concidit cervices peccatorum: 5 confundantur & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

6 Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusB quam evellatur, exaruit:

7 De quo non implevit manum suam qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit:

8 Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini.

1 Canticum graduum. CXXIX.

A DE profundis clamavi ad te Domine: 2 Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

3 Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

4 Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinuit te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: 5 ſperavit anima mea in Domino.

6 A cuſtodia matutina uſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino.

7 Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

8 Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus ejus.

1 Canticum graduum David. CXXX.

A DOmine non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.

2 Si non humiliter ſentiebam: ſed exaltavi animam meam:

Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.

3 Speret Iſraël in Domino, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

1 Canticum graduum. CXXXI.

A MEmento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.

2 Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.

*2.Reg. 7.a.2. 3 * Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei:

4 Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.

5 Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.

6 Ecce audivimus eam in Ephrata: invenimus eam in campis ſilvæ.

B 7 Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus.

*2.Par. 6.g.41. 8 * Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.

9 Sacerdotes tui induantur juſtitiam: & ſancti tui exultent.

C 10 Propter David ſervum tuum, non avertas faciem Chriſti tui.

11 Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam: * de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

*2.Reg. 7.b.12. Luc.1. f.55. Actor. 2. c.30. 12 Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos.

Et filij eorum uſque in ſæculum, ſedebunt ſuper ſedem tuam.

D 13 Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi.

14 Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hîc habitabo quoniam elegi eam.

15 Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus ſaturabo panibus.

16 Sacerdotes ejus induam ſalutari: & ſancti ejus exultatione exultabunt.

17 * Illuc producam cornu David, paravi lucernam Chriſto meo. *Mal. 3.a.1. Luc.1. g.69.

18 Inimicos ejus induam confuſione: ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

1 Canticum graduum David. CXXXII.

ECce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum: A

2 Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.

Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus: 3 ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam uſque in ſæculum.

1 Canticum graduum. CXXXIII.

ECce nunc benedicite Dominum, omnes ſervi Domini:

Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.

2 In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.

3 Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.

1 Alleluia. CXXXIV.

A LAudate nomen Domini, laudate ſervi Dominum.

2 Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.

3 Laudate Dominum, quia bonus Dominus, pſallite nomini ejus, quoniam ſuave.

4 Quoniam Jacob elegit ſibi Dominus, Iſraël in poſſeſſionem ſibi.

5 Quia ego cognovi quòd magnus eſt Dominus, & Deus noſter præ omnibus diis.

6 Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in B cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.

*Jerem. 10.b.13. 7 * Educens nubes ab extremo terræ: fulgura in pluviam fecit.

*Exod. 12.c.29. Qui producit ventos de theſauris ſuis: 8 * qui percuſſit primogenita Ægypti ab homine uſque ad pecus.

9 Et miſit ſigna & prodigia in medio tui Ægypte; in Pharaonem, & in omnes ſervos ejus.

*Joſ.12. a.1.c.7. 10 * Qui percuſſit gentes multas: & occidit reges fortes.

*Num. 21.c.24. g.35. 11 * Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan.

C 12 Et dedit terram eorum hereditatem, hereditatem Iſraël populo ſuo.

13 Domine nomen tuum in æternum: Domine memoriale tuum in generationem & generationẽ.

14 Quia judicabit Dominus populum ſuum: & in ſervis ſuis deprecabitur.

*Sup. 113.b.4. 15 * Simulachra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.

*Sap.15. c.15. 16 * Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

17 Aures habent, & non audient: neque enim D eſt ſpiritus in ore ipſorum.

18 Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

19 Domus Iſraël benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino.

20 Domus

20 Domus Levi benedicite Domino: qui timetis Dominum, benedicite Domino.

21 Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jeruſalem.

1 Alleluia. CXXXV.

CONfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternum miſericordia ejus.

2 Confitemini Deo deorum: quoniam in æternum miſericordia ejus.

3 Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum miſericordia ejus.

4 Qui facit mirabilia magna ſolus: quoniam in æternum miſericordia ejus.

*Gen.1. a.1. 5 * Qui fecit cælos in intellectu: quoniam in æternum miſericordia ejus.

6 Qui firmavit terram ſuper aquas: quoniam in æternum miſericordia ejus.

7 Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum miſericordia ejus.

B 8 Solem in poteſtatem diei: quoniam in æternum miſericordia ejus.

9 Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis: quoniam in æternum miſericordia ejus.

*Exod. 12.c.29. 10 * Qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum: quoniam in æternum miſericordia ejus.

*Exod. 13.c.17. 11 * Qui eduxit Iſraël de medio eorum: quoniam in æternum miſericordia ejus.

12 In manu potenti, & brachio excelſo: quoniam in æternum miſericordia ejus.

13 Qui diviſit Mare rubrum in diviſiones: quoniam in æternum miſericordia ejus.

14 Et eduxit Iſraël per medium ejus: quoniam in æternum miſericordia ejus.

C 15 * Et excuſſit Pharaonem, & virtutem ejus in Mari rubro: quoniam in æternum miſericordia ejus. *Exod. 14.g.28.

16 Qui traduxit populum ſuum per deſertum: quoniam in æternum miſericordia ejus.

17 Qui percuſſit reges magnos: quoniam in æternum miſericordia ejus.

*Num. 21.c.24. 18 * Et occidit reges fortes: quoniam in æternum miſericordia ejus.

19 Sehon regem Amorrhæorum: quoniam in æternum miſericordia ejus.

*Num. 21.g.33. 20 * Et Og regem Baſan: quoniam in æternum miſericordia ejus.

*Joſ.13. b.7. 21 * Et dedit terram eorum hereditatem: quoniam in æternum miſericordia ejus.

D 22 Hereditatem Iſraël ſervo ſuo: quoniam in æternum miſericordia ejus.

23 Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri: quoniam in æternum miſericordia ejus.

24 Et redemit nos ab inimicis noſtris: quoniam in æternum miſericordia ejus.

25 Qui dat eſcam omni carni: quoniam in æternum miſericordia ejus.

26 Confitemini Deo cæli: quoniam in æternum miſericordia ejus.

Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum miſericordia ejus.

Pſalmus David, Jeremiæ.

CXXXVI.

A 1 SUper flumina Babylonis, illic ſedimus & flevimus: cùm recordaremur Sion:

2 In ſalicibus in medio ejus, ſuſpendimus organa noſtra.

3 Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum:

Et qui adduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

4 Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

5 Si oblitus fuero tui Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea.

6 Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non B meminero tui:

Si non propoſuero Jeruſalem, in principio lætitiæ meæ. 7 Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Jeruſalem.

Qui dicunt: Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.

8 Filia Babylonis miſera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

9 Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.

1 Ipſi David. CXXXVII.

CONfitebor tibi Domine in toto corde meo: A quoniam audiſti verba oris mei.

In conſpectu angelorum pſallam tibi: 2 adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Super miſericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificaſti ſuper omne, nomen ſanctum tuum.

3 In quacumque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.

4 Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui:

5 Et cantent in viis Domini: quoniam magna B eſt gloria Domini.

6 Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit: & alta à longè cognoſcit.

7 Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: & ſuper iram inimicorũ meorum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit dextera tua.

8 Dominus retribuet pro me: Domine miſericordia tua in ſæculum: opera manuum tuarum ne deſpicias.

1 In finem, Pſalmus David.

CXXXVIII.

DOmine probaſti me, & cognoviſti me: 2 tu A cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.

3 Intellexiſti cogitationes meas de longè: ſemitam meam, & funiculum meum inveſtigaſti.

4 Et omnes vias meas prævidiſti: quia non eſt ſermo in lingua mea.

5 Ecce Domine tu cognoviſti omnia, noviſſima & antiqua: tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.

6 Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam.

7 Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam?

8 * Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. B *Amos 9.a.2.

9 Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris:

16 Et enim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

11 Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis.

12 Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.

C 13 Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris meæ.

14 Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.

15 Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ.

16 Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

17 Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

18 Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc sum tecum.

D 19 Si occideris Deus peccatores: viri sanguinum declinate à me:

20 Quia dicitis in cogitatione: Accipient in vanitate civitates tuas.

21 Nónne qui oderunt te Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam?

22 Perfecto odio oderam illos: & inimici facti sunt mihi.

23 Proba me Deus, & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas.

24 Et vide, si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna.

1 In finem, Psalmus David. CXXXIX.

A 2 ERipe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.

3 Qui cogitaverunt iniquitates in corde: tota die constituebant prælia.

*Sup. 5. c. 11. Rom. 3. b. 13. 4 * Acuerunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labiis eorum.

5 Custodi me Domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: 6 absconderunt superbi laqueum mihi:

Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi.

7 Dixi Domino: Deus meus es tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ.

B 8 Domine, Domine virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli:

9 Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

10 Caput circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos.

11 Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos: in miseriis non subsistent.

12 Vir linguosus non dirigetur in terra: virum injustum mala capient in interitu.

13 Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum.

14 Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo.

Psalmus David. CXL.

1 DOmine clamavi ad te, exaudi me: intende A
voci meæ, cùm clamavero ad te.

2 Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

3 Pone Domine custodiam ori meo: & ostium circumstantiæ labiis meis.

4 Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum.

5 Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. B

Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: 6 absorpti sunt juncti petræ judices eorum.

Audient verba mea quoniam potuerunt: 7 sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: 8 quia ad te Domine, Domine oculi mei: in te speravi, non auferas animam meam.

9 Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi: & à scandalis operantium iniquitatem.

10 Cadent in retiaculo ejus peccatores: singulariter sum ego donec transeam.

1 Intellectus David,
Cùm esset in spelunca, oratio.
(1. *Reg.* 24.) CXLI.

2 VOce mea ad Dominum clamavi: voce mea A
ad Dominum deprecatus sum: *Sup. 76. a. 2.

3 Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

4 In deficiendo ex me spiritum meum, & tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.

5 Considerabam ad dexteram, & videbam: & B
non erat qui cognosceret me.

Periit fuga à me, & non est qui requirat animam meam.

6 Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

7 Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis.

Libera me à persequentibus me: quia confortati sunt super me.

8 Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.

Psalmus David,
1 Quando persequebatur eum absalom filius ejus. (2. *Reg.* 17.) CXLII.

DOmine exaudi orationem meam: auribus A
percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia.

2 Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

3 Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: 4 & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

5 Memor

5 Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

B 6 Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi:

7 Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

C 8 Auditam fac mihi manè misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

9 Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: 10 doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: 11 propter nomen tuum Domine vivificabis me, in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: 12 & in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

1 Psalmus David,
Adversus Goliath. CXLIII.

A BEnedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

2 Misericordia mea, & refugium meum: susceptor meus, & liberator meus:

Protector meus, & in ipso speravi: qui subdit populum meum sub me.

B 3 Domine quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

*Iob 8. b. 9. 14. a. 2. 4 Homo vanitati similis factus est: * dies ejus sicut umbra prætereunt.

5 Domine inclina cælos tuos, & descende: tange montes, & fumigabunt.

6 Fulgura coruscationem, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.

7 Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis; de manu filiorum alienorum.

C 8 Quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.

9 Deus canticum novum cantabo tibi: in psalterio, decachordo psallam tibi.

10 Qui das salutem regibus: qui redemisti David servum tuum de gladio maligno: 11 eripe me.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis:

12 Quorum filij, sicut novellæ plantationes in juventute sua.

Filiæ eorum compositæ: circumornatæ ut similitudo templi.

D 13 Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.

Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: 14 boves eorum crassæ.

Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. 15 Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

1 Laudatio ipsi David. CXLIV.

EXaltabo te Deus meus rex: & benedicam A
nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

2 Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

3 Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non est finis.

4 Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt.

5 Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt.

6 Et virtutem terribilium tuorum dicent: & B
magnitudinem tuam narrabunt.

7 Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt: & justitia tua exultabunt.

8 Miserator & misericors Dominus: patiens, & multùm misericors.

9 Suavis Dominus universis: & miserationes ejus super omnia opera ejus.

10 Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & sancti tui benedicant tibi.

11 Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur:

12 Ut notam faciant filiis hominum potentiam C
tuam: & gloriam magnificentiæ regni tui.

13 Regnum tuum regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.

14 Allevat Dominus omnes, qui corruunt: & erigit omnes elisos.

15 Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno.

16 Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.

17 Justus Dominus in omnibus viis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.

18 Propè est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.

19 Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & salvos faciet eos.

20 Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores disperdet.

21 Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum, & in sæculum sæculi.

1 Alleluia, Aggæi, & Zachariæ.
CXLV.

2 LAuda anima mea Dominum, * laudabo A
Dominum in vita mea: psallam Deo meo * *Sup.* 145. a. 2. quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus; 3 in filiis hominum, in quibus non est salus.

4 Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam: in illa die peribũt omnes cogitationes eorũ.

5 Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius: 6 * qui fecit cælum * *Act.* 14. c. 14. *Apoc.* 14. & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. b. 7.

7 Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus: dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos: 8 Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos.
9 Dominus custodit advenas, pupillum & viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet.
10 Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion in generationem & generationem.

Alleluia. CXLVI.

A 1 LAudate Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro sit jucunda, decoráque laudatio.
2 Ædificans Jerusalem Dominus: dispersiones Israëlis congregabit.
3 Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.
4 Qui numerat multitudinem stellarum: & omnibus eis nomina vocat.
5 Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus: & sapientiæ ejus non est numerus.
6 Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores usque ad terram.
B 7 Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.
8 Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam.
Qui producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum.
9 Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.
10 Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.
11 Beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis, qui sperant super misericordia ejus.

Alleluia. CXLVII.

A 12 LAuda Jerusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.
13 Quoniam confortavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.
14 Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.
15 Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo ejus.
B 16 Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.
17 Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?
18 Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.
19 Qui annuntiat verbum suum Jacob: justitias & judicia sua Israël.
20 Non fecit taliter omni nationi: & judicia sua non manifestavit eis. Alleluia.

Alleluia. CXLVIII.

A 1 LAudate Dominum de cælis: laudate eum in excelsis,
2 Laudate eum omnes angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.
3 Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ, & lumen.
4 *Laudate eum cæli cælorum: & aquæ omnes, quæ super cælos sunt, 5 laudent nomen Domini. *Dan. 3.v.59. 60.
Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.
6 Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: B
præceptum posuit, & non præteribit.
7 Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyssi.
8 Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus.
9 Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.
10 Bestiæ, & universa pecora: serpentes, & volucres pennatæ:
11 Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes judices terræ.
12 Juvenes, & virgines: senes cum junioribus laudent nomen Domini: 13 quia exaltatum est nomen ejus solius.
14 Confessio ejus super cælum & terram: & exaltavit cornu populi sui.
Hymnus omnibus sanctis ejus: filiis Israël, populo appropinquanti sibi. Alleluia.

Alleluia. CXLIX.

1 CAntate Domino canticum novum: laus ejus A
in ecclesia sanctorum.
2 Lætetur Israël in eo, qui fecit eum: & filij Sion exultent in rege suo.
3 Laudent nomen ejus in choro: in tympano & psalterio psallant ei:
4 Quia beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltabit mansuetos in salutem.
5 Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.
6 Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladij B
ancipites in manibus eorum:
7 Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.
8 Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.
9 Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis ejus. Alleluia.

Alleluia. CL.

1 LAudate Dominum in sanctis ejus: laudate A
eum in firmamento virtutis ejus.
2 Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis ejus.
3 Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in B
psalterio, & cithara.
4 Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis, & organo.
5 Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: 6 omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.

LIBER

LIBER PROVERBIORUM, QUEM HEBRÆI MISLE APPELLANT.

Caput Primum.

Parabolarum utilitas: auditus sapientiæ commendatur, filius admonetur ne peccatorum sequatur blanditias: sapientia ad sui amplexum invitat, & contemptoribus minatur exitium.

A 1 PArabolæ Salomonis, filij David, regis Israël.
2 Ad sciendam sapientiam, & disciplinam:
3 Ad intelligenda verba prudentiæ, & suscipiendam eruditionem doctrinæ, justitiam, & judicium, & æquitatem:
4 Ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia, & intellectus.
5 Audiens sapiens, sapientior erit: & intelligens, gubernacula possidebit.
6 Animadvertet parabolam, & interpretationem, verba sapientum, & ænigmata eorum.
*Ps.110. b.10. Eccli. 1. c.16. 7 * Timor domini, principium sapientiæ. Sapientiam, atque doctrinam stulti despiciunt.
8 Audi fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ:
9 Ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.
10 Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.
11 Si dixerint: Veni nobiscũ, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontẽ frustrà:
B 12 Deglutiamus eum sicut infernus viventem, & integrum quasi descendentem in lacum.
13 Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis.
14 Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrûm.
15 Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum.
*Isai. 59. b.7. 16 * Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem.
17 Frustrà autem jacitur rete ante oculos pennatorum.
18 Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas.
19 Sic semitæ omnis avari, animas possidentium rapiunt.
20 Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam:
C 21 In capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens:
22 Usquequò parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt scientiam?
23 Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea.
24 * Quia vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. * Isai. 65.b.12. 66.b.4. Jerem.7. c.13.
25 Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.
26 Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit.
27 Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quandovenerit super vos tribulatio, & angustia:
D 28 Tunc invocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non invenient me:
29 Eò quòd exosam habuerint disciplinam, & & timorem Domini non susceperint,
30 Nec acquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ.
31 Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.
32 Aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.
33 Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato.

Caput II.

Sapientiæ acquisitio quanta bona conferat, & quanta mala avertat, cum qua Dei dona veniunt, & sine qua ubique erratur.

1 FIli mi, si susceperis sermones meos, & man- A
data mea absconderis penes te,
2 Ut audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.
3 Si enim sapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ:
4 Si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam:
5 Tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies:
6 Quia Dominus dat sapientiam: & ex ore ejus prudentia, & scientia.
7 Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter,
8 Servans semitas justitiæ, & vias sanctorum B
custodiens.
9 Tunc intelliges justitiam, & judicium, & æquitatem, & omnem semitam bonam.
10 Si intraverit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit:
11 Consilium custodiet te, & prudentia servabit te,
12 Ut eruaris à via mala, & ab homine, qui per- C
versa loquitur:
13 Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas:
14 Qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis:

Universidad de Deusto
Biblioteca

15 Quorum viæ perversæ sunt, & infames gressus eorum.
16 Ut eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos;
17 Et relinquit ducem pubertatis suæ,
D 18 Et pacti Dei sui oblita est. inclinata est enim ad mortem domus ejus, & ad inferos semitæ ipsius.
19 Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.
20 Ut ambules in via bona: & calles justorum custodias.
21 Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, & simplices permanebunt in ea.
* Iob.18. d. 17. 22 * Impij verò de terra perdentur: & qui iniquè agunt, auferentur ex ea.

Caput III.

Sapientia vitam prolongat: misericordia & veritas non deserenda: fiducia in Deum: timor Dei: honorandus Deus: correctio Dei cum lætitia ferenda: sapientiæ laus: sapientiam sequentibus omnia prospera: amico statim dandum, nec ei malefaciendum: non contendendum: iniqui non imitandi: impiorum perditio, & piorum benedictio.

A 1 Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat.
2 Longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.
3 Misericordia & veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui:
4 Et invenies gratiam, & disciplinam bonam, coram Deo & hominibus.
5 Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.
6 In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.
* Rom. 12.d.16. 7 * Ne sis sapiens apud temetipsum: time
B Deum, & recede à malo:
8 Sanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum.
* Tob. 4. b.7. Luc. 14. c. 13. 9 * Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei:
10 Et implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.
* Ecli. 22.b.5. Apoc. 3. d. 19. 11 * Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias cùm ab eo corriperis:
12 Quem enim diligit Dominus corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.
13 Beatus homo, qui invenit sapientiam, & qui affluit prudentia.
14 Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, & auri primi & purissimi fructus ejus:
15 Pretiosior est cunctis opibus: & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.
16 Longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra illius divitiæ, & gloria.
17 Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ.
C 18 Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus:
19 Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cælos prudentia.
20 Sapientia illius eruperunt abyssi, & nubes rore concrescunt.
21 Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis: Custodi legem atque consilium:
22 Et erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis.
23 Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget:
24 Si dormieris, non timebis: quiescesque, & suavis erit somnus tuus.
25 Ne paveas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum.
26 Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris.
27 Noli prohibere benefacere eum, qui potest: D si vales, & ipse benefac.
28 Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere: cras dabo tibi: cùm statim possis dare.
29 Ne moliaris amico tuo malum, cùm ille in te habeat fiduciam.
30 Ne contendas adversus hominem frustrà, cùm ipse tibi nihil mali fecerit.
31 * Ne æmuleris hominem injustum, nec * Psal. 36.a.1. imiteris vias ejus:
32 Quia abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio ejus.
33 Egestas à Domino in domo impij: habitacula autem justorum benedicentur.
34 Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam.
35 Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exaltatio, ignominia.

Caput. IV.

Sapiens suo exemplo hortatur quærere sapientiam, cujus explicat utilitates: via impiorum declinanda, & justorum amplectenda: de custodia cordis, oris, & gressuum.

1 Audite filij disciplinam patris, & attendite A ut sciatis prudentiam.
2 Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis.
3 Nam & ego filius fui patris mei, tenellus, & unigenitus coram matre mea:
4 Et docebat me, atque dicebat: Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & vives.
5 Posside sapientiam, posside prudentiam: ne obliviscaris, neque declines à verbis oris mei.
6 Ne dimittas eam, & custodiet te: dilige eam, & conservabit te.
7 Principium sapientiæ posside sapientiam, & B in omni possessione tua acquire prudentiam:
8 Arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus.
9 Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.
10 Audi fili mi, & suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ.
11 Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis:
12 Quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.
13 Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est vita tua.
14 Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi C placeat malorum via.
15 Fuge ab ea, nec transeas per illam: declina, & defere eam.
16 Non enim dormiunt nisi malefecerint: & rapitur somnus ab eis nisi supplantaverint.
17 Comedunt

17 Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.
18 Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectam diem.
19 Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant.
20 Fili mi, ausculta sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam.
21 Ne recedant ab oculis tuis, custodi ea in medio cordis tui:
22 Vita enim sunt invenientibus ea, & universæ carni sanitas.
23 Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit:
D 24 Remove à te os pravum, & detrahentia labia sint procul à te.
25 Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.
26 Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur.
27 Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram: averte pedem tuum à malo. vias enim, quæ à dextris sunt, novit Dominus: perversæ verò sunt quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.

Caput. V.

Vitare jubet meretricem: & ne labores & anni perdantur: propria uxor diligatur, & fugiatur aliena.

A 1 Fili mi, attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam,
2 Ut custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conservent. Ne attendas fallaciæ mulieris.
3 Favus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus:
B 4 Novissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.
5 Pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant.
6 Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus, & investigabiles.
7 Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas à verbis oris mei.
8 Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus ejus.
9 Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.
10 Ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena,
C 11 Et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas:
12 Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum,
13 Nec audivi vocem docentium me, & magistris non inclinavi aurem meam?
14 Pænè fui in omni malo, in medio Ecclesiæ & synagogæ.
15 Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui:
16 Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.
17 Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.
18 Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ:
D 19 Cerva charissima, & gratissimus hinnulus. ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter.
20 Quare seduceris fili mi ab aliena, & foveris in sinu alterius?
21 * Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus ejus considerat. * Iob 14. c.16 31. & 34. c. 21.
22 Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.
23 Ipse morietur, quia non habuit disciplinam & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

Caput VI.

Sponsori ut fidem datam liberet laborandum: pigrum formicæ exemplo excitat ad laborem: apostatam describit: sex quæ Dominus odit: exhortatur ad legis custodiam, itaque mulieris pulchritudinem non concupiscas, sed consortium vitet adulteræ.

1 Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defi- A xisti apud extraneum manum tuam,
2 Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus.
3 Fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera: quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum:
4 Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.
5 Eruere quasi damula de manu, & quasi avis de manu aucupis.
6 Vade ad formicam ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam:
7 Quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem,
8 Parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.
9 Usquequò piger dormies? quando consurges è somno tuo?
10 * Paululum dormies, paululum dormitabis, * Infr. 24. d. 33. paululum conseres manus, ut dormias:
11 Et veniet tibi quasi viator, egestas, & pau- B peries quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.
12 Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso,
13 Annuit oculis, terit pede, digito loquitur,
14 Pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat.
15 Huic extemplò veniet perditio sua, & subitò conteretur, nec habebit ultrà medicinam.
16 Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus:
17 Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem,
18 Cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, C
19 Proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.
20 Conserva fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.
21 Liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo.
22 Cùm ambulaveris, gradiantur tecum: cùm dormieris, custodiant te, & evigilans loquere cum eis.
23 Quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ:

24 Ut

Universidad de Deusto
Biblioteca

24 Ut custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ.

25 Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius:

26 Pretium enim scorti vix est unius panis: mulier autem viri pretiosam animam capit.

D 27 Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?

28 Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?

29 Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cùm tetigerit eam.

30 Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim ut esurientem impleat animam.

31 Deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet.

32 Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam:

33 Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur:

34 Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ,

35 Nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.

Caput VII.

Hortatur adolescentem ad sapientia amplexum, & mandatorum custodiam: atque sororum blanditias, quas latè describit, evitet.

A 1 Fili mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi. Fili

2 Serva mandata mea, & vives: & legem meam quasi pupillam oculi tui:

3 Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui:

4 Dic sapientiæ, soror mea es: & prudentiam voca amicam tuam,

5 Ut custodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit.

6 De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi,

7 Et video parvulos, considero vecordem juvenē,

B 8 Qui transit per plateam juxta angulum, & prope viam domus illius, graditur

9 In obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris, & caligine.

10 Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas: garrula & vaga,

11 Quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis,

12 Nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.

13 Apprehensúmque deosculatur juvenem, & procaci vultu blanditur, dicens:

14 Victimas pro salute vovi, hodie reddidi vota mea.

C 15 Idcircò egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi.

16 Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto.

17 Aspersi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo.

18 Veni, inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies.

19 Non est enim vir in domo sua, abiit via longissima.

20 Sacculum pecuniæ secum tulit: in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam.

21 Irretivit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum.

22 Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans quòd ad vincula stultus trahatur, D

23 Donec transfigat sagitta jecur ejus: velut si avis festinet ad laqueum; & nescit quòd de periculo animæ illius agitur.

24 Nunc ergo fili mi, audi me, & attende verbis oris mei.

25 Ne abstrahatur in viis illius mens tua: neque decipiaris semitis ejus.

26 Multos enim vulneratos dejecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea.

27 Viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis.

Caput VIII.

Sapientia ad sui amplexum invitat, se quoque multis modis commēdat, quòdque sit Deo coeterna, cum ipso cuncta componens: quam quærentes, beati; spernentes verò, miseri tandem evadent.

A 1 Numquid non sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam?

2 In summis excelsisque verticibus supra viam, in mediis semitis stans,

3 Juxta portas civitatis in ipsis foribus, loquitur, dicens:

4 O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum.

5 Intelligite parvuli astutiam, & insipientes animadvertite.

6 Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum: & aperientur labia mea, ut recta prædicent.

7 Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium.

8 Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum.

9 Recti sunt intelligentibus, & æqui inventibus scientiam.

B 10 Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis, quàm aurum eligite.

11 Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis: & omne desiderabile ei non potest comparari.

12 Ego sapientia habito in consilio, & eruditis interfum cogitationibus.

13 Timor Domini odit malum: arrogantiam & superbiam: & viam pravā, & os bilingue detestor.

14 Meum est consilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo.

15 Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt:

16 Per me principes imperant & potentes decernunt justitiam.

17 Ego diligentes me diligo: & qui manè vigilant ad me, invenient me.

18 Mecum sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ, & justitia.

C 19 Melior est enim fructus meus auro, & lapide pretioso, & genimina mea argento electo.

20 In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicij,

21 Ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.

22 Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.

23 Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.

24 Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant:

25 Necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar:

26 Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ.

D 27 Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyssos:

28 Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum.

29 Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ.

30 Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore;

31 Ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.

32 Nunc ergo filij audite me: Beati, qui custodiunt vias meas.

33 Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abjicere eam.

34 Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostij mei.

35 Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino:

36 Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.

Caput IX.

Sapientia domo sibi ædificata omnes ad se allicit, vitam prorogat, & à muliere stulta ac vaga liberat: porrò eruditionem & correptionem non suscipiet impius ac derisor, sed justus & sapiens.

A 1 Sapientia ædificavit sibi domum, excīdit columnas septem.

2 Immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.

3 Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis:

4 Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est:

B 5 Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.

6 Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ.

7 Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit: & qui arguit impium, sibi maculam generat.

8 Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, & diliget te.

C 9 Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. Doce justum, & festinabit accipere.

Pſ.110. b.10. Sup.1. a.7. Eccli.1. c.16. 10 * Principium sapientiæ, timor Domini: & scientia sanctorum, prudentia.

11 Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ.

12 Si sapiens fueris, tibimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum.

13 Mulier stulta & clamosa, plenáque illecebris, & nihil omnino sciens,

14 Sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco, D

15 Ut vocaret transeuntes per viam, & pergentes itinere suo:

16 Qui est parvulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est:

17 Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.

18 Et ignoravit quòd ibi sint gigantes, & in profundis inferni convivæ ejus.

PARABOLÆ SALOMONIS.

Caput X.

Alternat sermonem de filio sapiente & stulto, justo & impio, operante & otioso, simplici & pravo: de charitate & odio: de bono lingue, ejúsque malo.

A 1 Filius sapiens lætificat patrem: filius verò stultus mœstitia est matris suæ.

2 * Nil proderunt thesauri impietatis: justitia verò liberabit à morte. **Inf.11. a.4.*

3 Non affliget Dominus fame animam justi, & insidias impiorum subvertet.

4 Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat.

Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aves volantes.

5 Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis.

6 Benedictio Domini super caput justi: os autem impiorum operit iniquitas.

7 Memoria justi cum laudibus: & nomen impiorum putrescet. B

8 Sapiens corde præcepta suscipit: stultus cæditur labiis.

9 Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui autem depravat vias suas, manifestus erit.

10 * Qui annuit oculo, dabit dolorem: & stultus labiis verberabitur. **Eccli. 27.c.25.*

11 Vena vitæ, os justi: & os impiorum operit iniquitatem.

12 Odium suscitat rixas: * & universa delicta operit charitas. **1.Cor. 13.b.4. 1. Pet.4. b.8.*

13 In labiis sapientis invenitur sapientia: & virga in dorso ejus qui indiget corde.

14 Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est.

15 Substantia divitis, urbs fortitudinis ejus: pavor pauperum, egestas eorum. C

16 Opus justi ad vitam: fructus autem impij ad peccatum.

17 Via vitæ, custodienti disciplinam: qui autem increpationes relinquit, errat.

18 Absconduntodium labia mendacia: qui profert contumeliam, insipiens est.

19 In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua prudentissimus est.

20 Argentum electum, lingua justi: cor autem impiorum pro nihilo.

21 Labia justi erudiunt plurimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.

22 Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio.

23 Quasi per risum stultus operatur scelus: sapientia autem est viro prudentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

24 Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum justis dabitur.

25 Quasi tempestas transiens non erit impius: justus autem quasi fundamentum sempiternum.

26 Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum.

27 Timor Domini apponet dies: & anni impiorum breviabuntur.

28 Expectatio justorum lætitia: spes autem impiorum peribit.

29 Fortitudo simplicis via Domini: & pavor his, qui operantur malum.

30 Justus in æternum non commovebitur: impij autem non habitabunt super terram.

31 Os justi parturiet sapientiam: lingua pravorum peribit.

32 Labia justi considerant placita: & os impiorum perversa.

Caput XI.

Æquitatis & justitiæ ceterarúmque virtutum commoda, & vitiorum ac vanarum divitiarum incommoda.

A 1 STatera dolosa, abominatio est apud Dominum: & pondus æquum, voluntas ejus.

2 Ubi fuerit superbia, ibit erit & contumelia: ubi autem est humilitas, ibi & sapientia.

3 Simplicitas justorum diriget eos: & supplantatio perversorum vastabit illos.

*Sup. 10. 2. 2. 4 * Non proderunt divitiæ in die ultionis: justitia autem liberabit à morte.

5 Justitia simplicis diriget viam ejus: & in impietate sua corruet impius.

6 Justitia rectorum liberabit eos: & in insidiis suis capientur iniqui.

7 Mortuo homine impio, nulla erit ultrà spes: & expectatio solicitorum peribit.

B 8 Justus de angustia liberatus est: & tradetur impius pro eo.

9 Simulator ore decipit amicum suum: justi autem liberabuntur scientia.

10 In bonis justorum exultabit civitas: & in perditione impiorum erit laudatio.

11 Benedictione justorum exaltabitur civitas: & ore impiorum subvertetur.

12 Qui despicit amicum suum, indigens corde est: vir autem prudens tacebit.

13 Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.

14 Ubi non est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia.

15 Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo: qui autem cavet laqueos, securus erit.

16 Mulier gratiosa inveniet gloriam: & robusti habebunt divitias.

C 17 Benefacit animæ suæ vir misericors: qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit.

18 Impius facit opus instabile: seminanti autem justitiam merces fidelis.

19 Clementia præparat vitam: & sectatio malorum mortem.

20 Abominabile Domino cor pravum: & voluntas ejus in iis, qui simpliciter ambulant.

21 Manus in manu non erit innocens malus: semen autem justorum salvabitur.

22 Circulus aureus in naribus suis: mulier pulchra & fatua.

23 Desiderium justorum omne bonum est: præstolatio impiorum furor.

24 Alij dividunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.

25 Anima, quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.

26 Qui abscondit frumenta, maledicetur in po- D
pulis: benedictio autem super caput vendentium.

27 Benè consurgit diluculo qui quærit bona: qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis.

28 Qui confidit in divitiis suis, corruet: justi autem quasi virens folium germinabunt.

29 Qui conturbat domum suam, possidebit ventos: & qui stultus est, serviet sapienti.

30 Fructus justi lignum vitæ: & qui suscipit animas, sapiens est.

31 Si justus in terra recipit: quantò magis impius & peccator? *1. Pet. 4. d. 18.*

Caput XII.

Vicissim loquitur de diligente disciplinam & eam odiente; de impio & justo, operante & otioso, stulto & sapiente, & de bonis ac malis linguæ.

1 QUi diligit disciplinam, diligit scientiam: qui A
autem odit increpationes, insipiens est.

2 Qui bonus est, hauriet gratiam à Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, impiè agit.

3 Non roborabitur homo ex impietate: & radix justorum non commovebitur.

4 Mulier diligens, corona est viro suo: & putredo in ossibus ejus, quæ confusione res dignas gerit.

5 Cogitationes justorum judicia: & consilia impiorum fraudulenta.

6 Verba impiorum insidiantur sanguini: os justorum liberabit eos.

7 Verte impios, & non erunt: domus autem ju- B
storum permanebit.

8 Doctrina sua noscetur vir: qui autem vanus & excors est, patebit contemptui.

9 * Melior est pauper & sufficiens sibi, quàm *Eccli. 10. d. 30.*
glorioſus & indigens pane.

10 Novit justus jumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia.

11 * Qui operatur terram suam, satiabitur pani- *Eccli. 20. d. 30.*
bus: qui autem sectatur otium, stultissimus est.

Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam.

12 Desiderium impij munimentum est pessimorum: radix autem justorum proficiet.

13 Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem justus de angustia.

14 De fructu oris sui unusquisque replebitur bo- C
nis, & juxta opera manuum suarum retribuetur ei.

15 Via stulti recta in oculis ejus: qui autem sapiens est, audit consilia.

16 Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat injuriam, callidus est.

17 Qui quod novit loquitur, index justitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus.

18 Est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientiæ: lingua autem sapientium sanitas est.

19 Labium

19 Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacij.

20 Dolus in corde cogitantium mala: qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.

21 Non contristabit justum quidquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo.

D 22 Abominatio est Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei.

23 Homo versutus celat scientiam: & cor insipientium provocat stultitiam.

24 Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis serviet.

25 Mœror in corde viri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur.

26 Qui negligit damnum propter amicum, justus est: iter autem impiorum decipiet eos.

27 Non inveniet fraudulentus lucrum: & substantia hominis erit auri pretium.

28 In semita justitiæ, vita: iter autem devium ducit ad mortem.

Caput XIII.

De filio sapiente: de oris custodia, & inconsiderato ad loquendum: de paupere divite, & divite paupere, lucerna impiorum, substantia festinata & dilatione spei: omnia cum consilio agenda, & cum sapientibus gradiendum: de parcente virgæ, & insaturabili ventre impij.

A 1 FIlius sapiens, doctrina patris: qui autem illusor est, non audit cùm arguitur.

2 De fructu oris sui homo satiabitur bonis: anima autem prævaricatorum iniqua.

3 Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

4 Vult & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.

5 Verbum mendax justus detestabitur: impius autem confundit, & confundetur.

6 Justitia custodit innocentis viam: impietas autem peccatorem supplantat.

B 7 Est quasi dives, cùm nihil habeat: & est quasi pauper, cùm in multis divitiis sit.

8 Redemptio animæ viri, divitiæ suæ: qui autem pauper est, increpationem non sustinet.

9 Lux justorum lætificat: lucerna autem impiorum extinguetur.

10 Inter superbos semper jurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.

11 Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.

12 Spes, quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ desiderium veniens.

C 13 Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat: qui autem timet præceptum, in pace versabitur.

Animæ dolosæ errant in peccatis: justi autem misericordes sunt, & miserantur.

14 Lex sapientis fons vitæ, ut declinet à ruina mortis.

15 Doctrina bona dabit gratiam: in itinere contemptorum vorago.

16 Astutus omnia agit cum consilio: qui autem fatuus est, aperit stultitiam.

17 Nuntius impij cadet in malum: legatus autem fidelis sanitas.

18 Egestas, & ignominia ei qui deserit disciplinam: qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. D

19 Desiderium si compleatur, delectat animam: detestantur stulti eos, qui fugiunt mala.

20 Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.

21 Peccatores persequitur malum: & justis retribuentur bona.

22 Bonus relinquit heredes filios, & nepotes: & custoditur justo substantia peccatoris.

23 Multi cibi in novalibus patrum: & aliis congregantur absque judicio.

24 Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.

25 Justus comedit, & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis.

Caput XIV.

Sapientiæ & stultitiæ variæ conditiones: prudentia quivis status debitè regulatur, qua quis ad misericordiam movetur, & affectiones moderatur: vitia autem perdunt homines.

1 SApiens mulier ædificat domum suam: insi- A
piens extructam quoque manibus destruet. *1. Ioh. 12. d. 4.*

2 Ambulans recto itinere, & timens Deum, * despicitur ab eo, qui infami graditur via.

3 In ore stulti virga superbiæ: labia autem sapientium custodiunt eos.

4 Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est: ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.

5 Testis fidelis non mentitur: profert autem mendacium dolosus testis.

6 Quærit derisor sapientiam, & non invenit: doctrina prudentium facilis.

7 Vade contra virum stultum, & nescit labia prudentiæ.

8 Sapientia callidi est intelligere viam suam: & imprudentia stultorum errans.

9 Stultus illudet peccatum, & inter justos morabitur gratia.

10 Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, B
in gaudio ejus non miscebitur extraneus.

11 Domus impiorum delebitur: tabernacula verò justorum germinabunt.

12 Est via, quæ videtur homini justa: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.

13 Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.

14 Viis suis replebitur stultus, & super eum erit vir bonus.

15 Innocens credit omni verbo: astutus considerat gressus suos.

Filio doloso nihil erit boni: servo autem sapienti prosperi erunt actus, & dirigetur via ejus.

16 Sapiens timet, & declinat à malo: stultus transilit, & confidit.

17 Impatiens operabitur stultitiam: & vir ver- C
sutus odiosus est.

18 Possidebunt parvuli stultitiam, & expectabunt astuti scientiam.

19 Jacebunt mali ante bonos: & impij ante portas justorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

20 Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici verò divitum multi.

21 Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit.

Qui credit in Domino, misericordiam diligit.

22 Errant qui operantur malum: misericordia & veritas præparant bona.

23 In omni opere erit abundantia: ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.

24 Corona sapientium, divitiæ eorum: fatuitas stultorum, imprudentia.

25 Liberat animas testis fidelis: & profert mendacia versipellis.

26 In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit spes.

D 27 Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis.

28 In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia principis.

29 Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.

30 Vita carnium, sanitas cordis: putredo ossium, invidia.

Isa. 17. a. 5. 31 * Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus: honorat autem eum, qui miseretur pauperis.

32 In malitia sua expelletur impius: sperat autem justus in morte sua.

33 In corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quosque erudiet.

34 Justitia elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum.

35 Acceptus est regi minister intelligens: iracundiam ejus inutilis sustinebit.

CAPUT XV.

Responsio mollis: lingua sapientis, & immoderata: fortitudo domus justi: victima impiorum ingrata: omnia Deo nota: cor gaudens: dies pauperis mali: secura mens: vocari ad olera: vir iracundus & rixosus: laus patientis: iter pigrorum: domus superborum: fide & misericordia purgantur peccata: de abjiciente disciplinam: laus timoris Domini & humilitatis.

A 1 REsponsio mollis frangit iram: fermo durus suscitat furorem.

Inf. 25. c. 15. 2 Lingua sapientium ornat scientiam: os fatuorum ebullit stultitiam.

3 In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.

4 Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum.

5 Stultus irridet disciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes, astutior fiet.

In abundanti justitia virtus maxima est: cogitationes autem impiorum eradicabuntur.

6 Domus justi plurima fortitudo: & in fructibus impij conturbatio.

B 7 Labia sapientium disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit.

**Inf. 21. d. 27. Eccli. 34. c. 21.* 8 * Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota justorum placabilia.

9 Abominatio est Domino via impij: qui sequitur justitiam, diligitur ab eo.

10 Doctrina mala deserenti viam vitæ: qui increpationes odit, morietur.

11 Infernus, & perditio coram Domino: quantò magis corda filiorum hominum?

12 Non amat pestilens eum, qui se corripit: nec ad sapientes graditur.

13 * Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi dejicitur spiritus. **Inf. 17. d. 22.*

14 Cor sapientis quærit doctrinam: & os stultorum pascitur imperitia.

15 Omnes dies pauperis, mali: secura mens quasi juge convivium.

16 Melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni & insatiabiles.

C 17 Melius est vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum saginatum cum odio.

18 Vir iracundus provocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas.

19 Iter pigrorum quasi sepes spinarum: via justorum absque offendiculo.

20 Filius sapiens lætificat patrem: & stultus homo despicit matrem suam.

21 Stultitia gaudium stulto: & vir prudens dirigit gressus suos.

22 Dissipantur cogitationes ubi non est consilium: ubi verò sunt plures consiliarij, confirmãtur.

23 Lætatur homo in sententia oris sui: & sermo opportunus est optimus.

24 Semita vitæ super eruditum, ut declinet de inferno novissimo.

25 Domum superborum demolietur Dominus: D & firmos faciet terminos viduæ.

26 Abominatio Domini cogitationes malæ: & purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo.

27 Conturbat domum suam qui sectatur avaritiam: qui autem odit munera, vivet.

* Per misericordiam & fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat omnis à malo. **Inf. 16. a. 6.*

28 Mens justi meditatur obedientiam: os impiorum redundat malis.

29 Longè est Dominus ab impiis: & orationes justorum exaudiet.

30 Lux oculorum lætificat animam: fama bona impinguat ossa.

31 Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientium commorabitur.

32 Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.

33 Timor Domini, disciplina sapientiæ: & gloriam præcedit humilitas.

CAPUT XVI.

Homo animam præparat, Deus spirituum ponderator, linguam viásque hominum dirigit, omnia propter seipsum operans, cui abominatio est omnis arrogans: misericordia redimuntur peccata: pondus & statera à Dei judicia: indignatio & clementia regis: laus sapientiæ, prudentiæ, eruditi, ac dulcis in verbo, & patientis: vituperatur insipiens & perversus: sortes à Domino temperantur.

1 HOminis est animam præparare: & Domini A gubernare linguam.

2 * Omnes viæ hominis patent oculis ejus: spirituum ponderator est Dominus. **Inf. 21. a. 2.*

3 Revela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.

4 Universa propter semetipsum operatus est Dominus;

Dominus; impium quoque ad diem malum.

5 Abominatio Domini est omnis arrogans: etiã si manus ad manum fuerit, non est innocens.

Initium viæ bonæ, facere justitiam: accepta est autem apud Deum magis, quàm immolare hostias.

**Sup. 15. d. 27.* 6 * Misericordia & veritate redimitur iniquitas: & in timore Domini declinatur à malo.

7 Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.

B 8 Melius est parum cum justitia, quàm multi fructus cum iniquitate.

9 Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus ejus.

10 Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os ejus.

11 Pondus & statera judicia Domini sunt: & opera ejus omnes lapides sæculi.

12 Abominabiles regi qui agunt impiè: quoniam justitia firmatur solium.

13 Voluntas regum labia justa: qui recta loquitur, diligetur.

14 Indignatio regis, nuntij mortis: & vir sapiens placabit eam.

15 In hilaritate vultus regis, vita: & clementia ejus quasi imber serotinus.

C 16 Posside sapientiam, quia auro melior est: & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.

17 Semita justorum declinat mala: custos animæ suæ servat viam suam.

18 Contritionem præcedit superbia: & ante ruinam exaltatur spiritus.

19 Melius est humiliari cum mitibus, quàm dividere spolia cum superbis.

20 Eruditus in verbo reperiet bona: & qui sperat in Domino, beatus est.

21 Qui sapiens est corde, appellabitur prudens: & qui dulcis eloquio, majora percipiet.

22 Fons vitæ eruditio possidentis: doctrina stultorum fatuitas.

23 Cor sapientis erudiet os ejus: & labiis ejus addet gratiam.

24 Favus mellis, composita verba: dulcedo animæ, sanitas ossium.

D 25 Est via quæ videtur homini recta: & novissima ejus ducunt ad mortem.

26 Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum

27 Vir impius fodit malum, & in labiis ejus ignis ardescit.

28 Homo perversus suscitat lites: & verbosus separat principes.

29 Vir iniquus lactat amicum suum: & ducit eum per viam non bonam.

30 Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficit malum.

31 Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur.

32 Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.

33 Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.

CAPUT XVII.

Buccella sicca cum gaudio: servus sapiens: Dominus corda probat: despiciens pauperem: gaudens de alterius ruina: corona senum: celans delictum: fatuus in stultitia confidens: stulto inutiles divitiæ: altam faciens domum suam: omni tempore diligit amicus: animus gaudens, & spiritus tristis: stultus tacens.

1 MElior est buccella sicca cum gaudio, quàm A domus plena victimis cum jurgio.

2 * Servus sapiens dominabitur filiis stultis, & inter fratres hereditatem dividet. **Eccli. 10. d. 28.*

3 Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus.

4 Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labiis mendacibus.

5 * Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus: & qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. **Sup. 14. d. 31.*

6 Corona senum filij filiorum: & gloria filiorum patres eorum.

7 Non decent stultum verba composita; nec principem labium mentiens.

8 Gemma gratissima, expectatio præstolantis: B quocumque se vertit, prudenter intelligit.

9 Qui celat delictum, quærit amicitias: qui altero sermone repetit, separat fœderatos.

10 Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum.

11 Semper jurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum.

12 Expedit magis ursæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti in stultitia sua.

13 * Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. ** Rom. 12. d. 17. 1. Thes. 5. c. 15. 1. Pet. 3. b. 9.*

14 Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum: & antequam patiatur contumeliam, judicium deserit.

15 * Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. ** Isa. 5. c. 23.* C

16 Quid prodest stulto habere divitias, cùm sapientiam emere non possit?

Qui altam facit domum suam, quærit ruinam: & qui evitat discere, incidet in mala.

17 Omni tempore diligit qui amicus est: & frater in angustiis comprobatur.

18 Stultus homo plaudet manibus, cùm sponderit pro amico suo.

19 Qui meditatur discordias, diligit rixas: & qui exaltat ostium, quærit ruinam.

20 Qui perversi cordis est, non inveniet bonum: & qui vertit linguam, incidet in malum. D

21 Natus est stultus in ignominiam suam: sed nec pater in fatuo lætabitur.

22 * Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exiccat ossa. ** Sup. 15. b. 13.*

23 Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicij.

24 * In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ. ** Eccle. 2. c. 14. 8. v. 1.*

25 Ira patris, filius stultus: & dolor matris quæ genuit eum.

26 Non est bonum damnum inferre justo: nec percutere principem, qui recta judicat.

27 * Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est: & pretiosi spiritus vir eruditus. ** Iacob. 3. c. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

28 Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur : & si compresserit labia sua, intelligens.

Caput XVIII.

De recessu ab amico : de incorrigibili : non deviandum à veritate : os stulti : justus se accusans : frater juvans fratrem : fructus oris : mulier bona & mala : locutio divitis & pauperis : vir amicabilis.

A 1 OCcasiones quærit qui vult recedere ab amico : omni tempore erit exprobrabilis.

2 Non recipit stultus verba prudentiæ : nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus.

3 Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit : sed sequitur eum ignominia & opprobrium.

4 Aqua profunda verba ex ore viri : & torrens redundans fons sapientiæ.

5 Accipere personam impij non est bonum, ut declines à veritate judicij.

B 6 Labia stulti miscent se rixis : & os ejus jurgia provocat.

7 Os stulti contritio ejus : & labia ipsius, ruina animæ ejus.

8 Verba bilinguis, quasi simplicia : & ipsa perveniunt usque ad interiora ventris.

Pigrum dejicit timor : animæ autem effeminatorum esurient.

9 Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.

10 Turris fortissima, nomen Domini : ad ipsum currit justus, & exaltabitur.

11 Substantia divitis urbs roboris ejus, & quasi murus validus circumdans eum.

12 Antequam conteratur, exaltatur cor hominis : & antequam glorificetur, humiliatur.

C 13 * Qui priùs respondet quàm audiat, stultum
Eccli. 11.8. se esse demonstrat, & confusione dignum.

14 Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam : spiritum verò ad iracscendum facilem quis poterit sustinere ?

15 Cor prudens possidebit scientiam : & auris sapientium quærit doctrinam.

16 Donum hominis dilatat viam ejus, & ante principes spatium ei facit.

17 Justus, prior est accusator sui : venit amicus ejus, & investigabit eum.

18 Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat.

19 Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma : & judicia quasi vectes urbium.

D 20 De fructu oris viri replebitur venter ejus : & genimina labiorum ipsius saturabunt eum.

21 Mors, & vita in manu linguæ : qui diligunt eam, comedent fructus ejus.

22 Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum : & hauriet jucunditatem à Domino.

Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum : qui autem tenet adulteram, stultus est & impius.

23 Cum obsecrationibus loquetur pauper : & dives effabitur rigidè.

24 Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit, quàm frater.

Caput XIX.

Pauper ambulans in simplicitate : divitiæ addunt amicos : verba sectans : falsus testis : non decent stultum delicia : doctrina per patientiam probatur : ira & hilaritas regis : mulier litigiosa : uxor prudens datur à Deo : pigritia : præcepti custodia : misericordia in pauperem : eruditio filij : acceptio consilij : vir mendax : timor Domini : pigritia : pestilens : inobediens parentibus : testis iniquus : derisores.

1 MElior est pauper, qui ambulat in simplici- A
tate sua, quàm dives torquens labia sua, & insipiens.

2 Ubi non est scientia animæ, non est bonum : & qui festinus est pedibus, offendet.

3 Stultitia hominis supplantat gressus ejus : & contra Deum fervet animo suo.

4 Divitiæ addunt amicos plurimos : à paupere autem & hi, quos habuit, separantur.

5 * Testis falsus non erit impunitus : & qui *Dan. 13.5.61.*
mendacia loquitur, non effugiet.

6 Multi colunt personam potentis, & amici sunt B
dona tribuentis.

7 Fratres hominis pauperis oderunt eum : insuper & amici procul recesserunt ab eo.

Qui tantùm verba sectatur, nihil habebit : 8 qui autem possessor est mentis, diligit animam suam, & custos prudentiæ inveniet bona.

9 Falsus testis non erit impunitus : & qui loquitur mendacia, peribit.

10 Non decent stultum deliciæ, nec servum dominari principibus.

11 Doctrina viri per patientiam noscitur : & gloria ejus est iniqua prætergredi.

12 Sicut fremitus leonis, ita & regis ira : & sicut ros super herbam, ita & hilaritas ejus.

13 Dolor patris, filius stultus : & tecta jugiter perstillantia, litigiosa mulier.

14 Domus, & divitiæ dantur à parentibus : à Domino autem propriè uxor prudens.

15 Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta C
esuriet.

16 Qui custodit mandatum, custodit animam suam : qui autem negligit viam suam, mortificabitur.

17 Fœneratur Domino qui miseretur pauperis : & vicissitudinem suam reddet ei.

18 Erudi filium tuum, ne desperes : ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam.

19 Qui impatiens est, sustinebit damnum : & cùm rapuerit, aliud apponet.

20 Audi consilium, & suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis.

21 Multæ cogitationes in corde viri : voluntas D
autem Domini permanebit.

22 Homo indigens misericors est : & melior est pauper, quàm vir mendax.

23 Timor Domini ad vitam : & in plenitudine commorabitur, absque visitatione pessima.

24 * Abscondit piger manum suam sub ascel- *Inf. 26. c. 15.*
la, nec ad os suum applicat eam.

25 * Pestilente flagellato stultus sapientior erit : *Inf. 21. b. 11.*
si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam.

26 Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est & infelix.

27 Non

27 Non cesses fili audire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ.

28 Testis iniquus deridet judicium : & os impiorum devorat iniquitatem.

29 Parata sunt derisoribus judicia : & mallei percutientes stultorum corporibus.

Caput XX.

Luxuriosa res vinum : de peccante in regem, & relinquendis contentionibus : piger propter frigus non laborans : rex in solio : nemo potest dicere mundum se habere cor : pondus & pondus : somnus non diligendus : Malum est, dicit emptor : panis mendacij : revelans mysteria : non reddendum malum pro malo : devorare sanctos : festinata hereditas : misericordia, veritas & clementia roborant thronum regis.

A 1 LUxuriosa res, vinum, & tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur, non erit sapiens.

2 Sicut rugitus leonis, ita & terror regis : qui provocat eum, peccat in animam suam.

3 Honor est homini, qui separat se à contentionibus : omnes autem stulti miscentur contumeliis.

4 Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.

5 Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri : sed homo sapiens exhauriet illud.

6 Multi homines misericordes vocantur : virum autem fidelem quis inveniet ?

7 Justus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet.

B 8 Rex, qui sedet in solio judicij, dissipat omne malum intuitu suo.

3. Reg. 8. c. 46. 2. Par. 6. f. 36. Eccles. 7. c. 21. 1. Ioan. 1. d. 8. 9 * Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum à peccato ?

Sup. 11. a. 1. Inf. d. 23. 10 * Pondus & pondus, mensura & mensura : utrumque abominabile est apud Deum.

11 Ex studiis suis intelligitur puer, si munda & recta sint opera ejus.

12 Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit utrumque.

13 Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat : aperi oculos tuos, & saturare panibus.

C 14 Malum est, malum est, dicit omnis emptor : & cùm recesserit, tunc gloriabitur.

15 Est aurum, & multitudo gemmarum : & vas pretiosum labia scientiæ.

Inf. 27. a. 13. 16 * Tolle vestimentum ejus, qui fidejussor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo.

17 Suavis est homini panis mendacij : & postea implebitur os ejus calculo.

18 Cogitationes consiliis roborantur : & gubernaculis tractanda sunt bella.

19 Ei, qui revelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.

Exod. 21. c. 17. Lev. 20. b. 9. Matt. 15. a. 4. 20 * Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.

21 Hereditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.

D 22 * Ne dicas : Reddam malum : expecta Dominum, & liberabit te.

Rom. 12. d. 17. 1. Thess. 5. c. 15. 1. Pet. 3. b. 9. 23 Abominatio est apud Dominum pondus & pondus : statera dolosa non est bona.

24 A Domino diriguntur gressus viri : quis autem hominum intelligere potest viam suam ?

25 Ruina est homini devorare sanctos, & post vota retractare.

26 Dissipat impios rex sapiens, & incurvat super eos fornicem.

27 Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris.

28 Misericordia & veritas custodiunt regem, & & roboratur clementia thronus ejus.

29 Exultatio juvenum, fortitudo eorum : & dignitas senum, canities.

30 Livor vulneris absterget mala : & plagæ in secretioribus ventris.

Caput XXI.

Cor regis in manu Domini, cui misericordia, & judicium magis placent quam victima : iniquè thesaurizans : melius est sedere in angulo domatis quàm, &c. obturans aurem pauperis, &c. diligens epulas : pro justo dabitur impius : qui custodit os suum : desideria occidunt pigrum : non est sapientia contra Dominum : equus paratur ad bellum, &c.

1 SIcut divisiones aquarum, ita cor regis in ma- A
nu Domini : quocumque voluerit, inclinabit illud.

2 * Omnis via viri recta sibi videtur : appendit *Sup. 16. a. 2.*
autem corda Dominus.

3 Facere misericordiam & judicium, magis placet Domino, quàm victimæ.

4 Exaltatio oculorum est dilatatio cordis : lucerna impiorum peccatum.

5 Cogitationes robusti semper in abundantia : omnis autem piger semper in egestate est.

6 Qui congregat thesauros lingua mendacij, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.

7 Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium.

8 Perversa via viri, aliena est : qui autem mundus est, rectum opus ejus.

9 * Melius est sedere in angulo domatis, quàm B
cum muliere litigiosa, & in domo communi. *Inf. 25. d. 24.*

10 Anima impij desiderat malum, non miserebitur proximo suo.

11 Mulctato pestilente sapientior erit parvulus : & si sectetur sapientem, sumet scientiam.

12 Excogitat justus de domo impij, ut detrahat impios à malo.

13 Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.

14 Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.

15 Gaudium justo est facere judicium, & pavor C
operantibus iniquitatem.

16 Vir, qui erraverit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur.

17 Qui diligit epulas, in egestate erit : qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.

18 Pro justo datur impius : & pro rectis iniquus.

19 * Melius est habitare in terra deserta, quàm *Eccli. 25. c. 23.*
cum muliere rixosa & iracunda.

20 Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo justi : & imprudens homo dissipabit illud.

21 Qui sequitur justitiam & misericordiam, inveniet vitam, justitiam, & gloriam.

22 Civitatem fortium ascendit sapiens, & destruxit robur fiduciæ ejus.

23 Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

24 Superbus & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam.
25 Desideria occidunt pigrum : noluerunt enim quidquam manus ejus operari :
26 Tota die concupiscit & desiderat : qui autem justus est, tribuet, & non cessabit.
27 * Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere. * Sup. 15. b. 8. Eccli. 34. a. 21.
28 Testis mendax peribit : vir obediens loquetur victoriam.
29 Vir impius procaciter obfirmat vultum suum : qui autem rectus est, corrigit viam suam.
30 Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.
31 Equus paratur ad diem belli : Dominus autem salutem tribuit.

Caput XXII.

Laus boni nominis : callidus videns malum : adolescens juxta viam suam : seminans iniquitatem : derisorem ejice : diligens cordis munditiam : dicit piger, Leo, &c. os alienæ : stultitia in corde pueri : calumnians pauperem : audienda est sapientia : vitandi sponsores : termini antiqui servandi : velox in opere suo, &c.

A Eccle. 7. a. 2. 1 MElius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ : super argentũ & aurum gratia bona.
2 Dives & pauper obviaverunt sibi : utriusque operator est Dominus.
3 Callidus vidit malum, & abscondit se : innocens pertransiit, & afflictus est damno.
4 Finis modestiæ timor Domini, divitiæ & gloria & vita.
5 Arma & gladij in via perversi : custos autem animæ suæ longè recedit ab eis.
6 Proverbium est : Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.
7 Dives pauperibus imperat : & qui accipit mutuum, servus est fœnerantis.
8 Qui seminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ suæ consummabitur.
* Eccli. 31. c. 8. B 9 * Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur : de panibus enim suis dedit pauperi.
Victoriam & honorem acquiret qui dat munera : animam autem aufert accipientium.
10 Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium, cessabúntque causæ & contumeliæ.
11 Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum regem.
12 Oculi Domini custodiunt scientiam : & supplantantur verba iniqui.
13 Dicit piger : Leo est foris, in medio plateárum occidendus sum.
14 Fovea profunda os alienæ : cui iratus est Dominus, incidet in eam.
C 15 Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.
16 Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit.
17 Inclina aurem tuam, & audi verba sapientium : appone autem cor ad doctrinam meam.
18 Quæ pulchra erit tibi, cùm servaveris eam in ventre tuo, & redundabit in labiis tuis :
19 Ut sit in Domino fiducia tua, unde & ostendi eam tibi hodie.
20 Ecce descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus & scientia :
21 Ut ostenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis, respondere ex his illis qui miserunt te.
22 Non facias violentiam pauperi, quia pau- D per est : neque conteras egenum in porta :
23 Quia judicabit Dominus causam ejus, & configet eos, qui confixerunt animam ejus.
24 Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso :
25 Ne fortè discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ.
26 Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis :
27 Si enim non habes unde restituas, quid causæ est ut tollat operimentum de cubili tuo ?
28 Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.
29 Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.

Caput XXIII.

Quomodo sit edendum cum principe : non appetenda divitia, nec cibi invidorum : non opprimendi pupilli : castigandus puer : quærenda sapientia : fugiendi peccatores & gulæ dediti : honorandi parentes : fugienda meretrix & ebrietas.

1 QUando sederis ut comedas cum principe, A diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam :
2 Et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam,
3 Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacij.
4 Noli laborare ut diteris : sed prudentiæ tuæ pone modum.
5 Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere : quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum.
6 Ne comedas cum homine invido, & ne desideres cibos ejus :
7 Quoniam in similitudinem arioli & conjectoris, æstimat quod ignorat.
Comede & bibe, dicet tibi : & mens ejus non est tecum.
8 Cibos, quos comederas, evomes : & perdes pulchros sermones tuos.
9 In auribus insipientium ne loquaris : quia despicient doctrinam eloquij tui.
10 Ne attingas parvulorum terminos : & agrum B pupillorum ne introëas.
11 Propinquus enim illorum fortis est : & ipse judicabit contra te causam illorum.
12 Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba scientiæ.
13 * Noli subtrahere à puero disciplinam : si * Sup. 13. d. 24. Eccli. 30. a. 1. enim percusseris eum virga, non morietur.
14 Tu virga percuties eum : & animam ejus de inferno liberabis.
15 Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum :
16 Et exultabunt renes mei, cùm locuta fuerint rectum labia tua.
17 * Non æmuletur cor tuum peccatores : sed * Inf. 24. a. 1. in timore Domini esto tota die :
18 Quia habebis spem in novissimo, & præstolatio tua non auferetur.

19 Audi

19 Audi fili mi, & esto sapiens : & dirige in via animum tuum.
C 20 Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.
21 Quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.
22 Audi patrem tuum, qui genuit te : & ne contemnas cùm senuerit mater tua.
23 Veritatem eme, & noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam.
24 Exultat gaudio pater justi : qui sapientem genuit, lætabitur in eo.
25 Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet quæ genuit te.
26 Præbe fili mi cor tuum mihi : & oculi tui vias meas custodiant.
27 Fovea enim profunda est meretrix : & puteus angustus, aliena.
28 Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet.
D 29 Cui væ ? cujus patri væ ? cui rixæ ? cui foveæ ? cui sine causa vulnera ? cui suffusio oculorum ?
30 Nónne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis ?
31 Ne intuearis vinum quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blandè,
32 Sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.
33 Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perversa.
34 Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator, amisso clavo :
35 Et dices : Verberaverunt me, sed non dolui : traxerunt me, & ego non sensi : quando evigilabo, & rursus vina reperiam ?

Caput XXIV.

Æmulatio malorum : sapientia & eruditio : cogitatio stulti : eruendi oppressi : doctrina ut melle utendum : non insidiandum justo : casus inimici : detractores : justè judicandum : nullus verbis lædendus, nec malum malo reddendum : ager pigri : dormitanti pigro venit egestas.

A Sup. 23. b. 17. 1 NE æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis :
2 Quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.
3 Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur.
4 In doctrina replebuntur cellaria, universa substantia pretiosa & pulcherrima.
5 Vir sapiens, fortis est : & vir doctus, robustus & validus.
6 Quia cum dispositione initur bellum : & erit salus ubi multa consilia sunt.
7 Excelsa stulto sapientia, in porta non aperiet os suum.
8 Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur.
9 Cogitatio stulti peccatum est : & abominatio hominum detractor.
10 Si desperaveris lassus in die angustiæ : imminuetur fortitudo tua.
* Ps. 81. a. 4. 11 * Erue eos, qui ducuntur ad mortem : & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.
B 12 Si dixeris : Vires non suppetunt : qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddétque homini juxta opera sua.
13 Comede, fili mi, mel, quia bonum est, & favum dulcissimum gutturi tuo.
14 Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ : quam cùm inveneris, habebis in novissimis spem, & spes tua non peribit.
15 Ne insidieris, & quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus.
16 Septies enim cadet justus, & resurget : impij autem corruent in malum.
17 Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum :
C 18 Ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.
19 Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios :
20 Quoniam non habent futurorum spem mali, & lucerna impiorum extinguetur.
21 Time Dominum, fili mi, & regem : & cum detractoribus non commiscearis :
22 Quoniam repentè consurget perditio eorum : & ruinam utriusque quis novit ?
23 Hæc quoque sapientibus : * Cognoscere * Lev. 19. c. 15. Deut. 1. personam in judicio non est bonum. c. 17. 16. d. 19. Eccli. 42. a. 1.
24 Qui dicunt impio : Justus es : maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus.
25 Qui arguunt eum, laudabuntur : & super ipsos veniet benedictio.
26 Labia deosculabitur, qui recta verba respondet.
27 Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum : ut posteà ædifices domum tuam.
28 Ne sis testis frustrà contra proximum tuum : nec lactes quemquam labiis tuis.
29 * Ne dicas : Quomodo fecit mihi, sic fa- * Sup. 20. d. 22. ciam ei : reddam unicuique secundùm opus suum.
30 Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti :
31 Et ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat.
32 Quod cùm vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam.
33 Parum, inquam, dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, ut quiescas :
34 Et veniet tibi quasi cursor egestas, & mendicitas quasi vir armatus.

Caput XXV.

Gloria Dei & regum : cor regis : rubigo quæ & impietas est : ne te exaltes : ne detrahas : secreta tua serva : mala aurea, & inauris aurea : frigus in messe : nubes sine pluvia : lingua mollis : mel inventum : sagitta acuta : dens putridus : acetum : tinea : benefac inimico : angulus domatis : aqua frigida : fons turbatus : multum mellis comestum : urbs absque muro :

1 HÆ quoque parabolæ Salomonis, quas tran- A stulerunt viri Ezechiæ regis Juda.
2 Gloria Dei est celare verbum, & gloria regum investigare sermonem.
3 Cælum sursum, & terra deorsum, & cor regum inscrutabile.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4 Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.

5 Auferatur impietatem de vultu regis, & firmabitur justitia thronus ejus.

6 Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris.

7 Melius est enim ut dicatur tibi: Adscende huc; quàm ut humilieris coram principe.

B 8 Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in judicio citò: ne postea emendare non possis, cùm dehonestaveris amicum tuum.

9 Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reveles:

10 Ne fortè insultet tibi cùm audierit, & exprobrare non cesset.

Gratia & amicitia liberant: quas tibi serva, ne exprobrabilis fias.

11 Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.

12 Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.

13 Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit.

14 Nubes, & ventus, & pluviæ non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens.

C * Sup. 15.a.1. 15 Patientia lenietur princeps,* & lingua mollis confringet duritiam.

16 Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus evomas illud.

17 Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te.

18 Jaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.

19 Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ,

20 Et amittit pallium in die frigoris.

Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.

Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi.

* Rom. 12.d.20. D 21 * Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere:

22 Prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi.

23 Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.

* Sup. 21.b.9. 24 * Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi.

25 Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua.

26 Fons turbatus pede, & vena corrupta, justus cadens coram impio.

* Eccli. 3.c.22. 27 Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: * sic qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.

28 Sicut urbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

Caput XXVI.

Gloria in stulto: avis volans: flagellum equo: respondere stulto: nuntius stultus: parabola stulti: honor insipientis: imponens stulto silentium: canis ad vomitum: sapiens proprio judicio: commiscens rixæ: nocens amico: susurro: iracundus: labia tumentia: inimicus operiens odium: fodiens foveam: lingua fallax.

1 QUomodo nix in æstate, & pluviæ in messe: sic indecens est stulto gloria. A

2 Sicut avis ad alia transvolans: & passer quò libet vadens: sic maledictum frustrà prolatum in quempiam superveniet.

3 Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium.

4 Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.

5 Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.

6 Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum.

7 Quomodo pulchras frustrà habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola. B

8 Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurij: ita qui tribuit insipienti honorem.

9 Quomodo si spina nascatur in manu temulenti: sic parabola in ore stultorum.

10 Judicium determinat causas, & qui imponit stulto silentium, iras mitigat.

11 * Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. * 2. Pet. 2.d.22.

12 Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens.

13 Dicit piger: Leo est in via, & leæna in itineribus:

14 Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.

15 * Abscondit piger manum sub ascella sua, & laborat si ad os suum eam converterit. * Sup. 19.d.24.

16 Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias. C

17 Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius.

18 Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem:

19 Ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo: & cùm fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci.

20 Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis: & susurrone subtracto, jurgia conquiescent.

21 Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, * sic homo iracundus suscitat rixas.

22 Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perveniunt ad intima ventris. *Sup. 15. c.18.

23 Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata. D

24 Labiis suis intelligitur inimicus, cùm in corde tractaverit dolos.

25 Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.

26 Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio.

27 Qui fodit foveam, incidet in eam: & qui volvit lapidem, revertetur ad eum.

28 Lingua fallax non amat veritatem: & os lubricum operatur ruinas.

Caput

Caput XXVII.

Non gloriandum in crastinum: ne te ipsum laudaveris: ira stulti quàm sit gravis: manifesta correptio: vulnera diligentis: anima saturata: vicinus juxtà: spondens pro extraneo: litigiosa mulier: infernus insatiabilis: probatur homo ore laudantis: stultus contusus: vultum pecoris agnosce: lac caprarum in cibum.

A 1 NE glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies.

2 Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.

* Eccli. 22.b.18. 3 * Grave est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti utroque gravior.

4 Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis poterit?

5 Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus.

6 Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.

* Iob.6. b. 7. 7 * Anima saturata calcabit favum: & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.

B 8 Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum.

9 Unguento & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici consiliis anima dulcoratur.

10 Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris: & domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ.

Melior est vicinus juxtà, quàm frater procul.

11 Stude sapientiæ fili mi, & lætifica cor meum: ut possis exprobranti respondere sermonem.

12 Astutus videns malum, absconditus est: parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia.

C * Sup. 20.c.16. 13 * Tolle vestimentum ejus, qui spopondit pro extraneo: & pro alienis, aufer ei pignus.

14 Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit.

* Sup. 19.b.13. 15 * Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur:

16 Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat, & oleum dexteræ suæ vocabit.

17 Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.

18 Qui servat ficum, comedet fructus ejus: & qui custos est domini sui, glorificabitur.

19 Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.

20 Infernus & perditio numquam implentur: similiter & * oculi hominum insatiabiles. * Eccli. 14.b.9.

21 * Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis. * Sup. 17.a.3.

D Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam.

22 Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.

23 Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuósque greges considera.

24 Non enim habebis jugiter potestatem: sed corona tribuetur in generationem & generationem.

25 Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta sunt fœna de montibus.

26 * Agni ad vestimentum tuum: & hœdi, ad agri pretium. * 1.Tim. 6.b.8.

27 Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.

Caput XXVIII.

De fuga impij & securitate justi: propter peccata terræ multi principes ejus: pauper pauperem calumnians: pauper supplex, & dives pravus: nolens audire legem: exultatio justorum: abscondens scelera sua: beatus semper pavidus: princeps impius ut leo: dux indigens prudentia: terram suam operans: à patre subtrahens.

1 FUgit impius, nemine persequente: justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit. A

2 Propter peccata terræ multi principes ejus: & propter hominis sapientiam, & horum scientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit.

3 Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames.

4 Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui custodiunt, succenduntur contra eum.

5 Viri mali non cogitant judicium: qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia.

6 * Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quàm dives in pravis itineribus. * Sup. 19.a.1.

7 Qui custodit legem, filius sapiens est: qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum. B

8 Qui coacervat divitias usuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas.

9 Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.

10 Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet: & simplices possidebunt bona ejus.

11 Sapiens sibi videtur vir dives: pauper autem prudens scrutabitur eum.

12 In exultatione justorum multa gloria est: regnantibus impiis ruinæ hominum.

13 Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.

14 Beatus homo, qui semper est pavidus: qui verò mentis est duræ, corruet in malum.

15 Leo rugiens, & ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.

16 Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam: qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus. C

17 Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet.

18 Qui ambulat simpliciter, salvus erit: qui perversis graditur viis, concidet semel.

19 * Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate. * Sup. 12.b.11. Eccli.20. d.30.

20 Vir fidelis multùm laudabitur: * qui autem festinat ditari, non erit innocens. *Sup.13. b.11.20. c.21.

21 Qui cognoscit in judicio faciem, non benefacit: iste & pro buccella panis deserit veritatem.

22 Vir, qui festinat ditari, & aliis invidet, ignorat quòd egestas superveniet ei. D

23 Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit.

24 Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre:

Universidad de Buenos Aires
Biblioteca

tre: & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.

25 Qui se jactat, & dilatat, jurgia concitat: qui verò sperat in Domino, sanabitur.

26 Qui confidit in corde suo, stultus est: qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur.

27 Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.

28 Cùm surrexerint impij, abscondentur homines: cùm illi perierint, multiplicabuntur justi.

Caput XXIX.

Non audiens corripientem: multiplicatio justorum: amor sapientiæ: rex justus: blandus amicus: pestilentes: contendere cum stulto: viri sanguinum: totum prosequens spiritum: verba mendacij: pauper & creditor: rex justus: correctio: multiplicatio impiorum: erudi filium: prophetia: velox ad loquendum: delicatè servum nutriens: iracundus: superbus: cum fure participans: timens hominem: justi abominantur impium, & è diverso.

A 1 VIro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus: & cum sanitas non sequetur.

2 In multiplicatione justorum lætabitur vulgus: cùm impij sumpserint principatum, gemet populus.

3 Vir, qui amat sapientiam, lætificat patrem suum: * qui autem nutrit scorta, perdet substantiam. * Luc. 15.c.13.

4 Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam.

5 Homo, qui blandis fictísque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus.

6 Peccantem virum iniquum involvet laqueus: & justus laudabit atque gaudebit.

B 7 Novit justus causam pauperum: impius ignorat scientiam.

8 Homines pestilentes dissipant civitatem: sapientes verò avertunt furorem.

9 Vir sapiens, si cum stulto contenderit, sive iratscatur, sive rideat, non inveniet requiem.

10 Viri sanguinum oderunt simplicem: justi autem quærunt animam ejus.

11 Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt, & reservat in posterum.

12 Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.

13 Pauper & creditor obviaverunt sibi: utriusque illuminator est Dominus.

14 Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.

C 15 Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.

16 In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera: & justi ruinas eorum videbunt.

17 Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.

18 Cùm prophetia defecerit, dissipabitur populus: qui verò custodit legem, beatus est.

19 Servus verbis non potest erudiri: quia quod dicis intelligit, & respondere contemnit.

20 Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quàm illius correptio.

21 Qui delicatè à pueritia nutrit servum suum, posteà sentiet eum contumacem.

D 22 Vir iracundus provocat rixas: & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.

23 * Superbum sequitur humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria. * Iob. 22.d.29.

24 Qui cum fure participat, odit animam suam: adjurantem audit, & non indicat.

25 Qui timet hominem, citò corruet: qui sperat in Domino, sublevabitur.

26 Multi requirunt faciem principis: & judicium à Domino egreditur singulorum.

27 Abominantur justi virum impium: & abominantur impij eos, qui in recta sunt via.

Verbum custodiens filius, extra perditionem erit.

Caput XXX.

Homo Deo vicinus judicat se insipientem, & opera Dei incomprehensibilia: sermo Dei ignitus, cui nihil addendum: deprecatur vanitatem, verba mendacij, mendicitatem & divitias: non accusandus servus apud dominum suum: aliquot generationes execrabiles: duæ sanguisugæ: tria insaturabilia: oculus patrem subsannans: tria difficilia: per tria movetur terra: quattuor minima terræ: tria bene gradientia: vehementer emungens.

1 VErba Congregantis filij Vomentis. A
Visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus, ait.

2 Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum.

3 Non didici sapientiam, & non novi scientiam sanctorum.

4 Quis ascendit in cælum atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen est ejus, & quod nomen filij ejus, si nosti?

5 * Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se: * Ps. 11. b. 7.

6 * Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarísque mendax. * Deut. 4.a.2. 12.d.32.

7 Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam B moriar.

8 Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me.

9 Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria:

9 Ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei.

10 Ne accuses servum ad dominum suum, ne fortè maledicat tibi, & corruas.

11 Generatio, quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit.

12 Generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis.

13 Generatio, cujus excelsi sunt oculi, & palpebræ ejus in alta surrectæ.

14 Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.

15 Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: Affer, C Affer.

Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod numquam dicit: Sufficit.

16 Infernus, & os vulvæ, & terra, quæ non satiatur aqua: ignis verò numquam dicit: Sufficit.

17 Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de

de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.

18 Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro:

19 Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia.

20 Talis est & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum.

21 Per tria movetur terra, & quartum non potest sustinere:

22 Per servum cùm regnaverit: per stultum cùm saturatus fuerit cibo:

23 Per odiosam mulierem cùm in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam cùm fuerit heres dominæ suæ: D

24 Quattuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus:

25 Formicæ, populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi:

26 Lepusculus, plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum:

27 Regem locusta non habet, & egreditur universa per turmas suas:

28 Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.

29 Tria sunt, quæ benè gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter:

30 Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum:

31 Gallus succinctus lumbos: & aries: nec est rex, qui resistat ei.

32 Est qui stultus apparuit postquam elevatus est in sublime: si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum.

33 Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit sanguinem: & qui provocat iras, producit discordias.

Caput XXXI.

Exhortatur ne mulieribus dederis substantiam tuam, nec regibus vinum, sed mœrentibus: aperi os tuum muto: vindica inopem: laus & raritas mulieris fortis: pulchritudo fallax gratia.

A 1 VErba Lamuelis regis. Visio, qua erudivit eum mater sua.

2 Quid dilecte mi, quid dilecte uteri mei, quid dilecte votorum meorum?

3 Ne dederis mulieribus substantiam tuam, & divitias tuas ad delendos reges.

4 Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas.

5 Et ne fortè bibant, & obliviscantur judicio- rum, & mutent causam filiorum pauperis.

6 Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo.

7 Bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.

8 Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum qui pertranseunt:

9 Aperi os tuum, decerne quod justum est, & judica inopem & pauperem.

10 Mulierem fortem quis inveniet? procul, & B de ultimis finibus pretium ejus.

11 Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit.

12 Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ.

13 Quæsivit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum.

14 Facta est quasi navis institoris, de longè portans panens suum.

15 Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.

16 Consideravit agrum, & emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam.

17 Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum.

18 Gustavit & vidit quia bona est negotiatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna ejus.

19 Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus C apprehenderunt fusum.

20 Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.

21 Non timebit domui suæ à frigoribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus.

22 Stragulatam vestem fecit sibi: byssus & purpura indumentum ejus.

23 Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.

24 Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.

25 Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo.

26 Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus.

27 Consideravit semitas domus suæ, & panem D otiosa non comedit.

28 Surrexerunt filij ejus, & beatissimam prædicaverunt; vir ejus, & laudavit eam.

29 Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.

30 Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.

31 Date ei de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis opera ejus.

ECCLESIASTES,
QUI AB HEBRÆIS
COHELETH
APPELLATUR.

Caput Primum.

Omnia vana, & nihil sub sole novum : cunctarum quoque rerum difficilem esse inquisitionem, eámque vanam, & spiritus afflictionem.

A 1 VERBA Ecclesiastæ, filij David, regis Jerusalem.

2 Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes : vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

3 Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole ?

B 4 Generatio præterit, & generatio advenit : terra autem in æternum stat.

5 Oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur : ibique renascens,

6 Gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem : lustrans universa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur.

7 Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat : ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur ut iterùm fluant.

8 Cunctæ res difficiles : non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.

C 9 Quid est quod fuit ? ipsum quod futurum est : quid est quod factum est ? ipsum quod faciendũ est.

10 Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere : Ecce hoc recens est : jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.

11 Non est priorum memoria : sed nec eorum quidem, quæ posteà futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo.

12 Ego Ecclesiastes fui rex Israël in Jerusalem,

13 Et proposui in animo meo quærere & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.

D 14 Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus.

15 Perversi difficilè corriguntur, & stultorum infinitus est numerus.

16 Locutus sum in corde meo, dicens : Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem : & mens mea contemplata est multa sapienter, & didici.

17 Dedique cor meum ut scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque & stultitiam : & agnovi quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus :

18 Eò quòd in multa sapientia, multa sit indignatio : & qui addit scientiam, addit & laborem.

Caput II.

In affluentia deliciarum, divitiarum, ædificiorum, & in horum labore est vanitas & afflictio spiritus : dicit etiam quantæ sit vanitatis congregare futuro heredi, qui qualis futurus sit ignoratur.

1 DIxi ego in corde meo : Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas. A

2 Risum reputavi errorem : & gaudio dixi : Quid frustrà deciperis ?

3 Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitarémque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum : quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ.

4 Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas.

5 Feci hortos, & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus,

6 Et extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium,

7 Possedi servos & ancillas, multámque familiam habui, armenta quoque, & magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem : B

8 Coacervavi mihi argentum, & aurum, & substantias regum, ac provinciarum : feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos & urceos in ministerio ad vina fundenda :

9 Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem : sapientia quoque perseveravit mecum.

10 Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis : nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaveram : & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo.

11 Cúmque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustrà sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.

12 Transivi ad contemplandam sapientiam erroresque & stultitiam (quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem Factorem suum ?) C

13 Et vidi quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.

14 * Sapientis oculi in capite ejus : stultus in tenebris ambulat : & didici quòd unus utriusque esset interitus. * *Prov. 17. d. 24. Inf. 8. a. 1.*

15 Et dixi in corde meo : Si unus & stulti & meus

meus occasus erit, quid mihi prodest quòd majorem sapientiæ dedi operam ? Locutúsque cum mẽte mea, animadverti quòd hoc quoq; esset vanitas.

16 Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum, & futura tempora oblivione cuncta pariter operient : moritur doctus similiter ut indoctus.

D 17 Et ideircò tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus,

18 Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboravi habiturus heredem post me,

19 Quem ignoro, utrùm sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi & solicitus fui, & est quidquã tam vanũ ?

20 Unde cessavi, renuntiavítque cor meum ultrà laborare sub sole.

21 Nam cùm alius laboret in sapientia, & doctrina, & solicitudine, homini otioso quæsita dimittit : & hoc ergo, vanitas, & magnum malum.

22 Quid enim proderit homini de universo labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est ?

23 Cuncti dies ejus doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit : & hoc nónne vanitas est ?

24 Nónne melius est comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis ? & hoc de manu Dei est.

25 Quis ita devorabit, & deliciis affluet ut ego ?

26 Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & lætitiam : peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, ut addat, & congreget, & tradat ei qui placuit Deo : sed & hoc vanitas est, & cassa solicitudo mentis.

Caput III.

Quòd omnia suo proveniant tempore & transeant, quódque in nullis hîc fluxit sit mentis quies : unus quoque sit hominis ac jumentorum interitus.

A 1 OMnia tempus habent, & suis spatiis transeunt universa sub cælo.

2 Tempus nascendi, & tempus moriendi.
Tempus plantandi, & tempus evellendi quod plantatum est.

3 Tempus occidendi, & tempus sanandi.
Tempus destruendi, & tempus ædificandi.

4 Tempus flendi, & tempus ridendi.
Tempus plangendi, & tempus saltandi.

5 Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi.
Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.

B 6 Tempus acquirendi, & tempus perdendi.
Tempus custodiendi, & tempus abjiciendi.

7 Tempus scindendi, & tempus consuendi.
Tempus tacendi, & tempus loquendi.

8 Tempus dilectionis, & tempus odij.
Tempus belli, & tempus pacis.

9 Quid habet amplius homo de labore suo ?

10 Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea.

11 Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.

12 Et cognovi quòd non esset melius nisi lætari, & facere benè in vita sua.

13 Omnis enim homo, qui comedit & bibit, & C
videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.

14 Didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum : non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur.

15 Quod factum est, ipsum permanet : quæ futura sunt, jam fuerũt : & Deus instaurat quod abiit.

16 Vidi sub sole in loco judicij impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem.

17 Et dixi in corde meo : Justum & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.

18 Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis.

19 Idcircò unus interitus est hominis & jumen- D
torum, & æqua utriusque conditio : sicut moritur homo, sic & illa moriuntur : similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius : cuncta subjacent vanitati,

20 Et omnia pergunt ad unum locum : de terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur.

21 Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorũ descendat deorsũ ?

22 Et deprehendi nihil esse melius quàm lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eũ adducet, ut post se futura cognoscat ?

Caput IV.

Vanitatem hujus vitæ arguit sapiens ex innocentum oppressione, & quòd industria humana sit invidiæ obnoxia : item quod stultus securè in otio agit, alio qui heredem non habet thesaurizante : explicat commoda societatis, regum regnorúmque vanitatem, & obedientiam præfert stultorum victimis.

1 VErti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub A
sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem : nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos.

2 Et laudavi magis mortuos, quàm viventes :

3 Et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.

4 Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animadverti patere invidiæ proximi : & in hoc ergo vanitas, & cura superflua est.

5 Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens :

6 Melior est pugillus cum requie, quàm plena B
utraque manus cum labore, & afflictione animi.

7 Considerans reperi & aliam vanitatem sub sole.

8 Unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis : nec recogitat, dicens : Cui laboro, & fraudo animam meam bonis ? in hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.

9 Melius est ergo duos esse simul, quàm unum : habent enim emolumentum societatis suæ :

10 Si unus ceciderit, ab altero fulcietur, væ soli : C
quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se.

11 Et si dormierint duo, fovebuntur mutuò : unus quomodo calefiet ?

12 Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt

resistunt ei : funiculus triplex difficilè rumpitur.
13 Melior est puer pauper & sapiens,rege sene & stulto,qui nescit prævidere in posterum.
14 Quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum : & alius natus in regno, inopia consumatur.
D 15 Vidi cunctos viventes,qui ambulant sub sole cum adolescente secundo , qui consurget pro eo.
16 Infinitus numerus est populi omniũ,qui fuerunt ante eum:& qui posteà futuri sunt, non lætabũtur in eo,sed & hoc vanitas & afflictio spiritus.
17 Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei,& appropinqua ut audias. * Multò enim melior est obedientia , quàm stultorum victimæ , qui nesciunt quid faciunt mali.
*1.Reg. 15.c.22. Osee 6. c.6.

Caput V.

Nil temerè de Deo & ejus providentia loquendum : vota reddenda:non mirandum de egenorum oppressione,cùm iniqui judicem habeant:item quàm sit misera conditio avari numquam impleti & divitis coacervantis divitias,in proprium nonnumquam malum.

A 1 NE temerè quid loquaris , neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu super terram : idcircò sint pauci sermones tui.
2 Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus invenietur stultitia.
3 Si quid vovisti Deo, ne morêris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio. sed quodcumque voveris redde :
B 4 Multòque melius est non vovere , quàm post votum promissa non reddere.
5 Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam : neque dicas coram angelo : Non est providentia : ne fortè iratus Deus contra sermones tuos , dissipet cuncta opera manuum tuarum.
6 Ubi multa sunt somnia , plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri:tu verò Deum time :
7 Si videris calumnias egenorum,& violenta judicia, & subverti justitiam in provincia,non mireris super hoc negotio:quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij,
8 Et insuper universæ terræ rex imperat servièti.
C 9 Avarus non implebitur pecunia : & qui amat divitias,fructum non capiet ex eis,& hoc ergo vanitas.
10 Ubi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori,nisi quòd cernit divitias oculis suis ?
11 Dulcis est somnus operanti, sive parum,sive multum comedat : saturitas autem divitis non sinit eum dormire.
*Job. 20. c.20. 12 * Est & alia infirmitas pessima,quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui.
13 Pereunt enim in afflictione pessima : generavit filium, qui in summa egestate erit.
*Job.1. d.21. 1.Tim.6. b.7. 14*Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur , & nihil auferet secũ de labore suo.
D 15 Miserabilis prorsus infirmitas : quo modo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei quòd laboravit in ventum ?
16 Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris & in curis multis, & in ærumna atque tristitia.
17 Hoc itaque visum est mihi bonum,ut comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole , numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus:& hæc est pars illius.
18 Et omni homini,cui dedit Deus divitias,atque substantiam , potestatémque ei tribuit ut comedat ex eis , & fruatur parte sua , & lætetur de labore suo : hoc est donum Dei.
19 Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eò quòd Deus occupet deliciis cor ejus.

Caput VI.

Misera est avari vanitas, qui ne in necessariis quidem audet partis uti.

A 1 EST & aliud malum , quod vidi sub sole , & quidem frequens apud homines :
2 Vir cui dedit Deus divitias, & substantiam,& honorem , & nihil deest animæ suæ , ex omnibus quæ desiderat : nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo,sed homo extraneus vorabit illud. hoc vanitas, & miseria magna est.
B 3 Si genuerit quispiam centum liberos,& vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit,& anima illius non utatur bonis substantiæ suæ , sepulturáque careat : de hoc ego pronuntio quòd melior illo sit abortivus.
4 Frustrà enim venit,& pergit ad tenebras , & oblivione delebitur nomen ejus.
C 5 Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni & mali :
6 Etiam si duobus millibus annis vixerit , & non fuerit perfruitus bonis : nónne ad unum locum properant omnia ?
7 Omnis labor hominis in ore ejus : sed anima ejus non implebitur.
8 Quid habet amplius sapiens à stulto ? & quid pauper,nisi ut pergat illic , ubi est vita ?
D 9 Melius est videre quod cupias , quàm desiderare quod nescias. sed & hoc vanitas est, & præsumptio spiritus.
10 Qui futurus est , jam vocatum est nomen ejus : & scitur quòd homo sit,& non possit contra fortiorem se in judicio contendere.
11 Verba sunt plurima , multáque in disputando habentia vanitatem.

Caput VII.

Vanum est altiora se quærere, & inter multa quæ quibus magis sint eligenda , sic & sapientia utilior est cum divitiis : dies malus præcavendus : ne plus quàm oportet sapiens aut justus sis: quàm sit mulieris consortium amarum & periculosum : quódque homo sit à Deo creatus rectus.

A 1 QUid necesse est homini majora se quærere, cùm ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ , & tempore quod velut umbra præterit ? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit ?
*Prov. 22.v.1. 2 * Melius est nomen bonum, quàm unguenta pretiosa ; & dies mortis die nativitatis.
3 Melius est ire ad domum luctus,quàm ad domum convivij:in illa enim finis cunctorum admonetur hominum,& vivẽs cogitat quid futurum sit.
4 Melior est ira risu : quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis.
5 Cor sapientium ubi tristitia est, & cor stultorum ubi lætitia.
6 Melius est à sapiente corripi,quàm stultorum adulatione decipi.

7 Quia

7 Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla , sic risus stulti : sed & hoc vanitas.
8 Calumnia conturbat sapientem,& perdet robur cordis illius.
9 Melior est finis orationis , quàm principium. Melior est patiens arrogante.
10 Ne sis velox ad irascendum : quia ira in sinu stulti requiescit.
B 11 Ne dicas : Quid putas causæ est quòd priora tempora meliora fuere quàm nunc sunt ? stulta enim est hujuscemodi interrogatio.
12 Utilior est sapientia cum divitiis , & magis prodest videntibus solem.
13 Sicut enim protegit sapientia , sic protegit pecunia. hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo.
14 Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.
15 In die bona fruere bonis,& malum diem præcave. sicut enim hanc , sic & illam fecit Deus, ut nõ inveniat homo contra eum justas querimonias.
16 Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ : Justus perit in justitia sua , & impius multo vivit tempore in malitia sua.
17 Noli esse justus multùm : neque plus sapias quàm necesse est , ne obstupescas.
C 18 Ne impiè agas multùm : & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.
19 Bonum est te sustentare justum, sed & ab illo ne subtrahas manum tuam : quia qui timet Deum , nihil negligit.
20 Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis.
*3. Reg. 8.c.46. 2.Par.6. f.36. Prov.20. b.9. 1.Ioan.1. d.8. 21 * Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum , & non peccet.
22 Sed & cunctis sermonibus , qui dicuntur , ne accommodes cor tuum:ne fortè audias servum tuum maledicentem tibi.
23 Scit enim conscientia tua,quia & tu crebrò maledixisti aliis.
24 Cuncta tentavi in sapientia. Dixi : Sapiens efficiar : & ipsa longiùs recessit à me.
25 Multò magis quàm erat : & alta profunditas , quis inveniet eam ?
D 26 Lustravi universa animo meo , ut scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam , & rationem : & ut cognoscerem impietatem stulti,& errorem imprudentium.
27 Et inveni amariorem morte mulierem , quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius.qui placet Deo,effugiet illam: qui autem peccator est,capietur ab illa.
28 Ecce hoc inveni , dixit Ecclesiastes , unum & alterum , ut invenirem rationem ,
29 Quam adhuc quærit anima mea , & non inveni. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.
30 Solummodò hoc inveni, quòd fecerit Deus hominem rectum , & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.Quis talis ut sapiens est:& quis cognovit solutionem verbi ?

Caput VIII.

In vultu lucet sapientia : à Dei mandatis non recedendum : homo novit tantùm præsentia, neque mortem potest evadere : impij ob Dei indulgentiam liberiùs peccant : vanissimum videtur quod justis & impiis similia hic eveniunt : & operum Dei ratio non est investiganda.

A 1 SApientia hominis lucet in vultu ejus, & potentissimus faciem illius commutabit.
Supr. 2. c. 14.
2 Ego os regis observo,& præcepta juramẽti Dei.
3 Ne festines recedere à facie ejus, neque permaneas in opere malo : quia omne , quod voluerit , faciet :
4 Et sermo illius potestate plenus est : nec dicere ei quisquam potest : Quare ita facis ?
5 Qui custodit præceptum , non experietur quidquam mali. Tempus & responsionem cor sapientis intelligit.
6 Omni negotio tempus est , & opportunitas , & multa hominis afflictio :
7 Quia ignorat præterita , & futura nullo scire potest nuntio.
B 8 Non est in hominis potestate prohibere spiritum , nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello , neque salvabit impietas impium.
9 Omnia hæc contemplatus sum , & dedi cor meum in cunctis operibus , quæ fiunt sub sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum.
10 Vidi impios sepultos : qui etiam cùm adhuc viverent,in loco sancto erant,& laudabantur in civitate quasi justorum operũ,sed & hoc vanitas est.
C 11 Etenim quia non profertur citò contra malos sententia , absque timore ullo filij hominum perpetrant mala.
12 Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum , & per patientiam sustentatur, ego cognovi quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus.
13 Non sit bonum impio,nec prolongentur dies ejus, sed quasi umbra transeant qui non timent faciem Domini.
D 14 Est & alia vanitas , quæ fit super terram.sunt justi, quibus mala proveniunt,quasi opera egerint impiorum:& sunt impij : qui ita securi sunt,quasi justorum facta habeant. sed & hoc vanissimum judico.
15 Laudavi igitur lætitiam , quòd non esset homini bonum sub sole, nisi quòd comederet, & biberet , atque gauderet : & hoc solum secum auferret de labore suo , in diebus vitæ suæ quos dedit ei Deus sub sole.
16 Et apposui cor meum ut scirem sapientiam, & intelligerem distentionem quæ versatur in terra : est homo,qui diebus & noctibus somnum non capit oculis.
17 Et intellexi,quòd omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem , eorum quæ fiunt sub sole : & quantò plus laboraverit ad quærendum , tantò minùs inveniat : etiam si dixerit sapiens se nosse , non poterit reperire.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput IX.

Nemo scit an Dei odio vel amore sit dignus: quòd eadem cunctis hic eveniunt: & cum post hanc brevem & incertam vitam non restet tempus operandi, monet nunc operibus instanter incumbendum: & licet sapientia præstet fortitudini, in paupere tamen non æstimatur.

A 1 OMnia hæc tractavi in corde meo, ut curiosè intelligerem: sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrùm amore an odio dignus sit:

2 Sed omnia in futurum servantur incerta, eò quòd universa æquè eveniant justo & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. sicut bonus, sic & peccator: ut perjurus, ita & ille qui verum dejerat.

B 3 Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt. unde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur.

4 Nemo est qui semper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam: melior est canis vivus leone mortuo.

5 Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita est memoria eorum.

6 Amor quoque, & odium, & invidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, & in opere quod sub sole geritur.

C 7 Vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua.

8 Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.

9 Perfruere vita cum uxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ: hæc est enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras sub sole.

10 Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erũt apud inferos, quò tu properas.

11 Verti me ad aliud, & vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam; sed tempus, casúmque in omnibus.

12 Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò supervenerit.

13 Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, & probavi maximam:

D 14 Civitas parva, & pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, & vallavit eam, extruxítque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio.

15 Inventúsque est in ea vir pauper & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.

16 Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine: quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba ejus non sunt audita?

17 Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quàm clamor principis inter stultos.

18 Melior est sapientia, quàm arma bellica: & qui in uno peccaverit, multa bona perdet.

Caput X.

Sapientis à stulto differentia: tentationibus potentis spiritus resistendum: de stulto ac servo elevatis, & divite ac principe humiliatis: occultus detractor serpenti comparatur: de rege puero, & principibus manè comedentibus: neque regi, neque diviti detrahendum.

1 MUscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Pretiosior est sapientia & gloria, A
parva & ad tempus stultitia.

2 Cor sapientis in dextera ejus, & cor stulti in sinistra illius.

3 Sed & in via stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.

4 Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima.

5 Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis:

6 Positum stultum in dignitate sublimi, & divites sedere deorsum.

7 Vidi servos in equis, & principes ambulantes super terram quasi servos.

8 * Qui fodit foveam, incidet in eam: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. * Prov. 26. d. 27. Eccli. 27. d. 29.

9 Qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. B

10 Si retusum fuerit ferrum, & hoc non ut priùs, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & C
post industriam sequetur sapientia.

11 Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.

12 Verba oris sapientis gratia: & labia insipientis præcipitabunt eum:

13 Initium verborum ejus stultitia, & novissimum oris illius error pessimus.

14 Stultus verba multiplicat. Ignorat homo, quid ante se fuerit: & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?

15 Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.

16 Væ tibi terra, cujus rex puer est, & cujus principes manè comedunt.

17 Beata terra, cujus rex nobilis est, & cujus D
principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.

18 In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.

19 In risum faciunt panem, & vinum ut epulentur viventes: & pecuniæ obediunt omnia.

20 In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia & aves cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annuntiabit sententiam.

Caput XI.

Monet nostra aliis impartiri, & semper benè esse operandum: quod hominis judicium post obitum sit immutabile; futuri quoque judicij memoriam retinendam, in quo de omnibus judicandi sumus: iram & malitiam à corde auferendam.

1 MItte panem tuum super transeuntes aquas: A
quia post tempora multa invenies illum.

2 Da partem septem, necnon & octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram.

3 Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

4 Qui

4 Qui observat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, numquam metet.

B 5 Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.

6 Manè semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud; & si utrumque simul, melius erit.

7 Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.

C 8 Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum: qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.

D 9 Lætare ergo juvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium.

10 Aufer iram à corde tuo, & amove malitiam à carne tua. Adolescẽtia enim & voluptas vana sunt.

Caput XII.

Deum præ oculis habeto in juventute, priusquam succedat molesta senectus, tandémque novissima mors: cumque omnia sint vanitas, Dei præcepta observa; nam de omnibus est reddenda ratio.

A 1 MEmento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent:

2 Antequam tenebrescat sol, & lumen, & luna, & stellæ, & revertantur nubes post pluviam:

B 3 Quando commovebuntur custodes domus, & nutabunt viri fortissimi, & otiosæ erunt molentes in minuto numero, & tenebrescent videntes per foramina:

4 Et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris, & obsurdescent omnes filiæ carminis.

5 Excelsa quoque timebunt, & formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes.

6 Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam,

7 Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, C
& spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

8 Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas.

9 Cúmque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarravit quæ fecerat: & investigans composuit parabolas multas.

10 Quæsivit verba utilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.

11 Verba sapientium sicut stimuli, & quasi cla- D
vi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore uno.

12 His amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequénsque meditatio, carnis afflictio est.

13 Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo:

14 Et cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.

CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS, QUOD HEBRAICE DICITUR SIR HASIRIM.

Caput Primum.

Hoc canticum totum est mysticum, plenissimum incomprehensibilis amoris Christi erga sponsam suam, ac vicissim sponsæ erga Christum sponsum.

A 1 OSculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino,

2 Fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideò adolescentulæ dilexerunt te.

3 Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te.

B 4 Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

5 Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decoloravit me sol: filij matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.

6 Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

7 Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum.

8 Equitatui meo in curribus Pharaonis assimi- C
lavi te amica mea.

9 Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia.

10 Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

Universidad de Deusto
Biblioteca

11 Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

D 12 Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

13 Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

14 Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.

15 Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus:

16 Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

Caput II.

A 1 Ego flos campi, & lilium convallium.

2 Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

3 Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.

4 Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.

5 Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.

6 Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

B 7 Adjuro vos filiæ Jerusalem, per capreas cervósque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.

8 Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles:

9 Similis est dilectus meus capreæ, hinnulóque cervorum. en ipse stat post parietem nostrum: respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

C 10 En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, colúba mea, formosa mea, & veni.

11 Jam enim hiems transiit, imber abiit, & recessit.

12 Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra:

13 Ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, & veni:

D 14 Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

15 Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.

16 Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.

17 Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. Revertere: similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque cervorum super montes Bether.

Caput III.

A 1 In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni.

2 Surgam, & circuibo civitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni.

B 3 Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis?

4 Paululum cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

5 Adjuro vos filiæ Jerusalem, per capreas cervósque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. C

6 Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarij?

7 En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël:

8 Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.

9 Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani:

10 Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem: D

11 Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

Caput IV.

1 Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. A

2 Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.

3 Sicut vitta coccinea, labia tua: & eloquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet. B

4 Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

5 Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis,

6 Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

7 Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

8 Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. C

9 Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.

10 Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

11 Favus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

12 Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

13 Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, D

14 Nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis unguentis.

15 Fons hortorum: puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

16 Surge

16 Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.

Caput V.

A 1 Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cũ melle meo, bibi vinũ meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

B 2 Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.

3 Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

4 Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.

5 Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

6 Pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est: quæsivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi.

C 7 Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem: percusserunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

8 Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.

9 Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos?

10 Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.

11 Caput ejus aurum optimum: Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.

12 Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentes juxta fluenta plenissima.

13 Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis. Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.

D 14 Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris.

15 Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species ejus ut libani, electus ut cedri.

16 Guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis: talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.

17 Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinavit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

Caput VI.

A 1 Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.

2 Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

3 Pulchra es amica mea, suavis, & decora sicut Jerusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata.

B 4 Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

5 Dentes tui sicut grex ovium, quæ adscenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.

6 Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis.

7 Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.

8 Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicaverunt; reginæ & concubinæ, & laudaverunt eam. C

9 Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

10 Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica. D

11 Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.

12 Revertere, revertere Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.

Caput VII.

1 Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Junctúræ femorum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis. A

2 Umbilicus tuus crater tornatilis: numquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.

3 Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ. B

4 Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

5 Caput tuum ut carmelus: & comæ capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus.

6 Quàm pulchra es, & quàm decora charissima, in deliciis!

7 Statura tua assimilata est palmæ, & ubera tua botris.

8 Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus: & erunt ubera tua sicut botri vineæ: & odor oris tui sicut malorum. C

9 Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum. D

10 Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus.

11 Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

12 Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea.

13 Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma: nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi.

Caput VIII.

1 Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat? A

2 Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

4 Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

B 5 Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.

6 Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.

C 7 Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.

8 Soror noſtra parva, & ubera non habet: quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?

9 Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis.

10 Ego murus: & ubera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens. D

11 Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam cuſtodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

12 Vinea mea coram me eſt. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus ejus.

13 Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuam.

14 Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnulóque cervorum ſuper montes aromatum.

LIBER SAPIENTIÆ.

Caput Primum.

Judices ſint juſti: Dominus invenitur ſi ſimplici corde & fide quæratur; fugit autem à peccatoribus & vanis cogitationibus: cúmque omnia repleat, nihil eum latere poteſt: murmuratio, detractio, & mendacium deteſtanda: omnia fecit Deus ad vitam, non mortem intendens, quam ſibi peccatores accerſierunt.

A

* 3.Reg. 3.b.9. Iſai. 56.a.1. * 2.Par. 15.a.2.

1 DILIGITE * juſtitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum:

2 * Quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

3 Perverſæ enim cogitationes ſeparant à Deo: probata autem virtus corripit inſipientes.

B 4 Quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.

5 Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperveniente iniquitate.

* Gal. 5.d.22. * Ier.17.b.10.

6 * Benignus eſt enim ſpiritus ſapientiæ, & non liberabit maledicum à labiis ſuis: * quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, & linguæ ejus auditor.

* Iſa. 6.b.3.

7 * Quoniam ſpiritus Domini replevit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.

8 Propter hoc qui loquitur iniqua, non poteſt latere, nec præteriet illum corripiens judicium.

9 In cogitationibus enim impij interrogatio erit: ſermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius.

C 10 Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abſcondetur.

11 Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur, occidit animam.

12 Nolite zelare mortem in errore vitæ veſtræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum.

13 * Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. * Ezech. 18.g.32. 33.c.11.

D 14 Creavit enim, ut eſſent omnia: & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non eſt in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra.

15 Juſtitia enim perpetua eſt, & immortalis.

16 Impij autem manibus & verbis accerſierunt illam, & æſtimantes illam amicam, defluxerunt, & ſponſiones poſuerunt ad illam: quoniam digni ſunt qui ſint ex parte illius.

Caput II.

Omnis impiorum vitæ futuræ ſpem non habentium ſcopus eſt frui hujus vitæ voluptatibus, idcóque juſtum qui diverſum reſpicit finem ferre nequeunt, ſed ad mortem uſque perſequuntur: ſicut & diaboli invidia homo à Deo creatus immortalis, factus eſt mortalis.

A 1 DIxerunt enim cogitantes apud ſe non rectè: * Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis: * Iob. 7.a.1. 14.a.1.

2 Quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus: quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris: & ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum:

3 Qua extincta, cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tamquam mollis aer, & tranſibit vita noſtra tamquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſolvetur, quæ fugata eſt à radiis ſolis, & à calore illius aggravata:

4 Et nomen noſtrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum noſtrorum.

5 * Umbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reverſio finis noſtri: quoniam conſignata eſt, & nemo revertitur. * 1. Par. 29.d.15.

6 * Venite

* Iſai. 22.d.13. 56.d.12. 1. Cor. 15.d.32.

6 * Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter.

7 Vino pretioſo & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis.

8 Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra.

9 Nemo noſtrûm exors ſit luxuriæ noſtræ: ubique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.

10 Opprimamus pauperem juſtum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis.

11 Sit autem fortitudo noſtra lex juſtitiæ: quod enim infirmum eſt, inutile invenitur.

C 12 Circumveniamus ergo juſtum: quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.

* Matth. 27.e.42. * Ioan. 7.a.7.

13 * Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat.

14 * Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum.

15 Gravis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ ejus.

16 Tamquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris tamquam ab immunditiis, & præfert noviſſima juſtorum, & gloriatur patrem ſe habere Deum.

D 17 Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt noviſſima illius.

* Pſalm. 21.a.9.

18 * Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum.

19 Contumelia & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius.

* Ier. 11.d.19.

20 * Morte turpiſſima condemnemus eum: erit enim ei reſpectus ex ſermonibus illius.

21 Hæc cogitaverunt, & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum.

22 Et neſcierunt ſacramenta Dei, neque mercedem ſperaverunt juſtitiæ, nec judicaverunt honorem animarum ſanctarum.

* 1. Gen. 1.d.27. 2.a.7. 5.a.1. Eccli. 17.a.1. * Gen. 3.a.1.

23 * Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum.

24 * Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum:

25 Imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius.

Caput III.

De felicitate juſtorum, qui in hac vita ab impiis contempti, tentationibus à Deo probati fuerunt: & de infelicitate impiorum: item de caſtitatis & bonorum operum mercede, ac infelicitate filiorum adulterorum.

A Deut. 33.a.3. Inf. 5.a.4.

1 JUſtorum autem animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.

2 Viſi ſunt oculis inſipientium mori: & æſtimata eſt afflictio exitus illorum;

3 Et quod à nobis eſt iter, exterminium: illi autem ſunt in pace.

4 Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt.

5 In paucis vexati, in multis benè diſponentur: quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.

6 Tamquam aurum in fornace probavit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum.

7 * Fulgebunt juſti & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. * Matth. 13.f.43.

8 * Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. * 1. Cor. 6.a.2. B

9 Qui confidunt in illo, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquieſcent illi: quoniam donum & pax eſt electis ejus.

10 Impij autem ſecundùm quæ cogitaverunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt juſtum, & à Domino receſſerunt.

11 Sapientiam enim, & diſciplinam qui abjicit, infelix eſt: & vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, & inutilia opera eorum. C

12 Mulieres eorum inſenſatæ ſunt, & nequiſſimi filij eorum.

13 Maledicta creatura eorum, quoniam felix eſt ſterilis: & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum:

14 * Et ſpado, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſima: dabitur enim illi fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima. * Iſa. 56.b.3. D

15 Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, & quæ non concidat radix ſapientiæ.

16 Filij autem adulterorum in inconſummatione erunt, & ab iniquo thoro ſemẽ exterminabitur.

17 Et ſi quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit noviſſima ſenectus illorum.

18 Et ſi celeriùs defuncti fuerint, non habebunt ſpem, nec in die agnitionis allocutionem.

19 Nationis enim iniquæ diræ ſunt conſummationes.

Caput IV.

Caſta generatio in multis ab adulterina diſſidet: de refrigerio juſti morte præoccupati: quæ ſit ſenectus venerabilis, & quòd juſti ſæpius in mundo tolluntur à Deo ne ab impiis ſeducantur, & quantum finis utrorumque diſtet.

1 O Quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate: immortalis eſt enim memoria illius: quoniã & apud Deum nota eſt, & apud homines. A

2 Cùm præſens eſt, imitantur illam: & deſiderant eam cùm ſe eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens.

3 Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & ſpuria vitulamina non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt.

4 * Et ſi in ramis in tempore germinaverint, infirmiter poſita, à vento commovebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. * Ierem. 17.a.6. Matth. 7.d.27.

5 Confringentur enim rami inconſummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. B

6 Ex iniquis enim ſomnis filij qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ adverſus parentes in interrogatione ſua.

7 Juſtus

7 Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

8 Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis,

9 Et ætas senectutis vita immaculata.

10 * Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est. * Heb. 11.a.5.

11 Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.

12 Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.

13 Consummatus in brevi explevit tempora multa:

14 Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum: populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia.

15 Quoniam gratia Dei, & misericordia est in sanctos ejus, & respectus in electos illius.

16 Condemnat autem justus mortuus vivos impios, & juventus celeriùs consummata, longam vitam injusti.

17 Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus.

18 Videbunt & contemnent eum: illos autem Dominus irridebit.

19 Et erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commovebit illos à fundamentis, & usque ad supremum desolabuntur: & erunt gementes, & memoria illorum peribit.

20 Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.

Caput V.

Impij in judicio admirantes gloriam justorum quos hic contempserant, deflent suam miseriam, quódque tota eorum felicitas fuerit momentanea: justorum autem erit perpetua: porrò Deus, tum per creaturas, tum per se armatur ad puniendos impios.

A 1 Tunc stabunt justi in magna constantia, adversus eos qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum.

2 Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis,

3 Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij.

4 * Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: * Sup. 3. a. 2.

5 Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.

6 Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.

7 Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.

8 Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?

9 * Transierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuntius percurrens, * 1. Par. 29.d.15. Sup.2 b. 5.

10 * Et tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cujus, cùm præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: * Prov. 30.f. 19.

11 Aut tamquam avis, quæ transvolat in aëre, B cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantùm sonitus alarum verberans levem ventum, & scindens per vim itineris aërem: commotis alis transvolavit, & post hoc nullum signum invenitur itineris illius:

12 Aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aër continuò in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius:

13 Sic & nos nati continuò desivimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus.

14 Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt:

15 * Quoniam spes impij tamquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tamquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tamquam fumus, qui à vento diffusus est: & tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. * Psal.1. a. 4. Prov.10. d.28.11. a.7. C

16 Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum.

17 Ideò accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos.

18 * Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. * Psal. 17.d.40. Eph.6.c. 13.

19 Induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galea judicium certum.

20 Sumet scutum inexpugnabile æquitatem:

21 Acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. D

22 Ibunt directè emissiones fulgurum, & tamquam à benè curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient.

23 Et à petrosa ira plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter.

24 Contra illos stabit spiritus virtutis, & tamquam turbo venti dividet illos: & ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas evertet sedes potentium.

Caput VI.

Reges & judices ad sapientiam & justitiam sectandam exhortantur: ostendens quam grave maneat injustis rectoribus supplicium, item quam sit obvia sapientia quærentibus eam: quódque ejus acquisitio sit utilis, cujus capax non est invidus.

A 1 Melior est sapientia quàm vires: & vir prudens quàm fortis. Eccl. 9. d. 18.

2 Audite ergo reges, & intelligite, discite judices finium terræ.

3 Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum:

4 * Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: * Rom. 13.a.1.

5 Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicastis nec custodistis legem justitiæ,

tiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis.

6 Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. B

7 Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.

8 * Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. * Deut. 10.d.17. 2. Par. 19.b.7. Eccli.35. b. 15. Act.10. e. 34. Rom.2. b. 11. Gal. 2.b. 6. Eph. 6.b. 9.Col. 3. d.25.1. Pet.1.c. 6. 17. C

9 Fortioribus autem fortior instat cruciatio.

10 Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis.

11 Qui enim custodierint justa justè, justificabuntur: & qui didicerint ista, invenient quid respondeant.

12 Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam.

13 Clara est, & quæ numquam marcescit sapientia, & facilè videtur ab his qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam.

14 Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.

15 Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet.

16 Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus: & qui vigilaverit propter illam, citò securus erit.

17 Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, & in viis ostendit se illis hilariter, & in omni providentia occurrit illis.

18 Initium enim illius, verissima est disciplinæ concupiscentia.

19 Cura ergo disciplinæ, dilectio est: & dilectio, custodia legum illius est: custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est:

20 Incorruptio autem facit esse proximum Deo.

D 21 Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.

22 Si ergo delectamini sedibus & sceptris, ô reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.

23 Diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis.

24 Quid est autem sapientia, & quemadmodum facta sit referam: & non abscondam à vobis sacramenta Dei, sed ab initio nativitatis investigabo, & ponam in lucem scientiam illius, & non præteribo veritatem:

25 Neque cum invidia tabescente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ:

26 Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum: & rex sapiens stabilimentum populi est.

27 Ergo accipite disciplinam per sermones meos, & proderit vobis.

Caput VII.

Cùm unus sit omnibus introitus ad vitam, & similis exitus: præ omnibus eligenda est sapientia: adferens secum cuncta bona, habens secum spiritum intelligentiæ multiplicem; & quæ hic mirum in modum extollitur, quámque abunde auctor fuerat assecutus.

A 1 Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, * Iob.10. b. 10.

2 Decem mensium tempore * coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni conveniente.

3 Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans.

4 In involumentis nutritus sum, & curis magnis.

5 Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium.

6 * Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. * Iob.1. d. 21. 1.Tim.6. b. 7.

7 Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus: & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ:

8 Et præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius.

9 * Nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. * Iob. 28.c.15. Prov. 8. b. 11.

10 Super salutem & speciem dilexi illam, & B proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius.

11 * Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, * 3.Reg. 3.c.13. Matth. 6.d.33.

12 Et lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam quoniam horum omnium mater est.

13 Quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo.

14 Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati.

15 Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere digna horum quæ mihi dantur: quoniam ipse sapientiæ dux est, & sapientium emendator:

16 In manu enim illius, & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientia, & disciplina.

17 Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram: ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum,

18 Initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & C commutationes temporum,

19 Anni cursus, & stellarum dispositiones,

20 Naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum,

21 Et quæcumque sunt absconsa & improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.

22 Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil verat, benefaciens,

23 Humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis.

24 Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam.

25 Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio D quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera:

ra: & ideò nihil inquinatum in eam incurrit.
* Heb. 1. a. 3. 26 *Candor est enim lucis æternæ,& speculum sine macula Dei majestatis,& imago bonitatis illius.
27 Et cùm sit una, omnia potest: & in se permanens omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert:amicos Dei & prophetas constituit.
28 Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat.
29 Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior.
30 Illi enim succedit nox,sapientiam autem non vincit malitia.

Caput VIII.

Cùm sapientiam comitentur omnia desiderabilia, summè ambienda est, & à Deo petenda, à quo solo datur continentia.

A 1 Attingit ergo à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.
2 Hanc amavi, & exquisivi à juventute mea,& quæsivi sponsam mihi eam assumere,& amator factus sum formæ illius.
3 Generositatem illius glorificat,contubernium habens Dei: sed & omnium Dominus dilexit illam.
4 Doctrix enim est disciplinæ Dei, & electrix operum illius.
5 Et si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia?
6 Si autem sensus operatur: quis horum, quæ sunt, magis quàm illa est artifex.
B 7 Et si justitiam quis diligit: labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim,& prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.
8 Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, & de futuris æstimat: scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum: signa & monstra scit antequam fiant,& eventus temporum & sæculorum.
9 Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei.
C 10 Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores juvenis:
11 Et acutus inveniar in judicio, & in conspectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me:
12 Tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent.
13 Præterea habebo per hanc,immortalitatem: & memoriam æternam his,qui post me futuri sunt, relinquam.
14 Disponam populos: & nationes mihi erunt subditæ.
15 Timebunt me audientes reges horrendi: in multitudine videbor bonus, & in bello fortis.
D 16 Intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.
17 Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo: quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ,
18 Et in amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuum illius honestas sine defectione, & in certamine loquelæ illius sapientia, & præclaritas in communicatione sermonum ipsius:circuibam quærens, ut mihi illam assumerem.
19 Puer autem eram ingeniosus,& sortitus sum animam bonam.
20 Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.
21 Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum: adij Dominum, & deprecatus sum illum,& dixi ex totis præcordiis meis:

Caput IX.

Oratio sapientis cum agnitione propriæ imbecillitatis, ad impetrandam à Domino sapientiam: quæ cum omnibus necessaria sit, potissimùm tamen rectoribus populorum; incerta est enim humana sapientia.

1 Deus patrum meorum,& Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, A 1.Reg. 3. b. 9.
2 Et sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ à te facta est,
3 Ut disponat orbem terrarum in æquitate & justitia, & in directione cordis judicium judicet:
4 Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis:
5 * Quoniam servus tuus sum ego,& filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum judicij & legum. * Ps. 115. b. 16.
6 Nam & si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. B
7 * Tu elegisti me regem populo tuo, & judicem filiorum tuorum, & filiarum: * 1.Par. 28. a. 4. 5.
8 Et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio: 2. Par. 1. c. 9.
9 * Et tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & affuit tunc cùm orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. * Prov. 8. c. 22. d. 27. Ioan. 1. a. 1.
10 Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te: C
11 Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia.
12 Et erunt accepta opera mea,& disponam populum tuum justè,& ero dignus sedium patris mei.
13 * Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? * Isa. 40. c. 13. Rom. 11. d. 34. 1.Cor. 2. d. 16.
14 Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.
15 Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. D
16 Et difficilè æstimamus quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt quis investigabit?

17 Sensum

17 Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis:
18 Et sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines?
19 Nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi Domine à principio.

Caput X.

Commendatur sapientia quòd servaverit & à malis liberaverit Adam, Noë, Abraham, Lot, Iacob, Ioseph, Moysen, per quem filios Israël de Ægypto duxit per Mare rubrum, demersis in eo Ægyptiis.

A 1 Hæc illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, Gen. 1. d. 27.
2 * Et eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia. * Gen. 2. a. 7.
3 * Ab hac ut recessit injustus in ira sua, per iram homicidij fraterni deperiit. * Gen. 4. b. 8.
4 * Propter quem, cùm aqua deleret terram, sanavit iterùm sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans. * Gen. 7. d. 21.
5 * Hæc & in consensu nequitiæ cùm se nationes contulissent, scivit justum, & conservavit sine querela Deo, & in filij misericordia fortem custodivit. * Gen. 11. a. 2.
6 * Hæc justum à pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in pentapolim: * Gen. 19. d. 17. e. 22.
B 7 Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.
8 Sapientiam enim prætereuntes, non tantùm in hoc lapsi sunt ut ignorarent bona, sed & insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam,ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuissent.
9 Sapientia autem hos, qui se observant, à doloribus liberavit.
10 * Hæc profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei,& dedit illi scientiam sanctorum: honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius. * Gen. 28. a. 5. b. 10.
11 In fraude circumvenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum.
C 12 Custodivit illum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi ut vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia.
13 * Hæc venditum justum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum: descendítque cum illo in foveam, * Gen. 37. f. 28.
14 * Et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam adversus eos,qui eum deprimebant? & mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, & dedit illi claritatem æternam. * Gen. 41. c. 40. Act. 7. b. 9.
15 * Hæc populum justum, & semen sine querela,liberavit à nationibus, quæ illum deprimebãt. * Exod. 1. b. 11.
16 Intravit in animam servi Dei, & stetit contra reges horrendos in portentis & signis.
D 17 Et reddidit justis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem:
18 * Transtulit illos per Mare rubrum: & transvexit illos per aquam nimiam. * Exod. 14. c. 22. Ps. 77. b. 13.
19 Inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. *Ideò justi tulerunt spolia impiorum, * Exod. 12. c. 35.
20 * Et decantaverunt Domine nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter: * Exod. 15. a. 1.
21 Quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.

Caput XI.

Sapientia filios Israël per desertum deduxit, devictis inimicis, datisque à petra aquis: punitis autem multiplici flagello idololatris Ægyptiis: cùm tamen Deus omnium quærens salutem, longanimiter toleret peccatores, ut respiscant, quos universos solo suo nutu continuò perdere posset.

1 Direxit opera eorum in manibus prophetæ sancti. A Exod. 16. a. 1.
2 Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur: & in locis desertis fixerunt casas.
3 * Steterunt contra hostes, & de inimicis se vindicaverunt. * Exod. 17. d. 13. * Num. 20. b. 11.
4 * Sitierunt, & invocaverunt te, & data est illis aqua de petra altissima, & requies sitis de lapide duro.
5 Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum, à defectione potus sui, & in eis, cùm abundarent filij Israël, lætati sunt;
6 Per hæc, cùm illis deessent, benè cum illis actum est.
7 Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti injustis.
8 Qui cùm minuerentur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperatè,
9 Ostendens per sitim,quæ tunc fuit,quemadmodum tuos exaltares,& adversarios illorum necares.
10 Cùm enim tentati sunt,& quidem cum misericordia disciplinam accipientes,scierunt quemadmodũ cum ira judicati impij tormenta paterentur. B
11 Hos quidem tamquam pater monens probasti: illos autem tamquam durus rex interrogans condemnasti.
12 Absentes enim & præsentes similiter torquebantur.
13 Duplex enim illos acceperat tædium, & gemitus cum memoria præteritorum.
14 Cùm enim audirent per sua tormenta benè secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus.
15 Quem enim in expositione prava projectum deriserunt, in finem eventus mirati sunt, non similiter justis sitientes.
16 Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, * quòd quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias supervacuas immisisti illis multitudinem mutorũ animalium in vindictã: C * Inf. 12. d. 24.
17 Ut scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.
18 Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa,* immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones, * Lev. 26. d. 22. Inf. 16. a. 1. Ier. 8. c. 17.
19 Aut novi generis ira plenas ignotas bestias,

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes:

D 20 Quarum non solùm læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere.

21 Sed & sine his uno spiritu poterant occidi persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.

22 Multum enim valere, tibi soli supererat semper: & virtuti brachij tui quis resistet?

23 Quoniam tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.

24 Sed misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.

25 Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.

26 Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conservaretur?

27 Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.

Caput XII.

Ostendit quanta clementia & longanimitate Deus corripuerit peccatores terræ sanctæ incolas, non subitò eos delens, cùm non illos tantùm, sed & omnes nationes, nulli illata injuria, tamquam solus omnium Dominus perdere posset: hac videlicet erga inimicos clementia electos suos de se suâque bonitate bene sperare faciens, eosque à peccatis revocans.

A 1 QUàm bonus & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus,

2 Ideóque eos, qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones & alloqueris: ut relicta malitia, credant in te Domine.

* *Deut. 9. a. 12. d. 29. 18. c. 12.* 3 * Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti,

4 Quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, & sacrificia injusta,

5 Et filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum, & devoratores sanguinis à medio sacramento tuo,

6 Et auctores parentes animarum inauxiliatarũ, perdere voluisti per manus parentum nostrorum,

7 Ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior est terra.

8 Sed & his tamquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent.

B 9 Non quia impotens eras in bello subjicere impios justis, aut bestiis sævis, aut verbo duro simul exterminare:

* *Exod. 23. f. 30. Deut. 7. d. 22.* 10 * Sed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuũ.

11 Semen enim erat maledictum ab initio: nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum.

12 Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? aut quis stabit contra judicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?

* *1. Pet. 5. b. 7.* 13 Non enim est alius Deus quàm tu, * cui cura est de omnibus, ut ostendas quoniam non injustè judicas judicium.

14 Neque rex neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti.

15 Cùm ergo sis justus, justè omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute.

16 Virtus enim tua justitiæ initium est: & ob C hoc quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.

17 Virtutem enim ostendis tu, qui non credideris esse in virtute consummatus, & horum, qui te nesciunt, audaciam traducis.

18 Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos: subest enim tibi, cùm volueris, posse.

19 Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse & humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ.

20 Si enim inimicos servorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quę possent mutari à malitia;

21 Cum quanta diligentia judicasti filios tuos, quorum parentibus juramenta & conventiones dedisti bonarum promissionum?

22 Cùm ergo das nobis disciplinam, inimicos D nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus judicantes: & cùm de nobis judicatur, speremus misericordiam tuam.

23 Unde & illis, qui in vita sua insensatè & injustè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dedisti summa tormenta.

24 * Etenim in erroris via diutiùs erraverunt, * *Sup. 11. c. 16. Rom. 1. c. 23.* deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt supervacua, infantium insensatorum more viventes.

25 Propter hoc tanquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti.

26 Qui autem ludibriis & increpationibus non sunt correcti, dignum Dei judicium experti sunt.

27 In quibus enim patientes indignabantur, per hæc quos putabant deos, in ipsis cùm exterminarentur videntes, illum, quem olim negabant se nosse, verum Deum agnoverunt: propter quod & finis condemnationis eorum venit super illos.

Caput XIII.

Vani quidam sunt qui ex creaturis Deum non agnoscentes, ipsas potius creaturas pro diis coluerunt: at illi longè stultiores qui opus artificis Deum dicunt, ab insensato idolo futura interrogantes.

1 VAni autem sunt omnes homines, in quibus A non subest scientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex:

* *Rom. 1. c. 18.*

2 * Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërẽ, * *Deut. 4. c. 19. 17. a. 3.* aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, rectores orbis terrarum deos putaverũt.

3 Quorum si specie delectati, deos putaverunt: sciant quantò his dominator eorum speciosior est. speciei enim generator hæc omnia constituit.

4 Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis:

à magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.

B 6 Sed tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, & volentes invenire.

* *Rom. 1. c. 21.* 7 * Etenim cùm in operibus illius conversentur, inquirunt: & persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur.

8 Iterùm autem nec his debet ignosci.

9 Si enim tantùm potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum: quomodo hujus Dominum non faciliùs invenerunt?

10 Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inventionem, & similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ.

* *Isa. 44. b. 12. Ier. 10. a. 3.* C 11 * Aut si quis artifex faber de silva lignum rectum secuerit: & hujus doctè eradat omnem corticem, & arte sua usus, diligenter fabricet vas utile in conversationem vitæ,

12 Reliquiis autem ejus operis, ad præparationem escæ abutatur:

13 Et reliquum horum, quod ad nullos usus facit, lignum curvum, & vorticibus plenum, sculpat diligenter per vacuitatem suam, & per scientiam suæ artis figuret illud, & assimilet illud imagini hominis,

14 Aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo est, perliniens:

D 15 Et faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro,

16 Ne fortè cadat, prospiciens illi, sciens quoniam non potest adjuvare se: imago enim est, & opus est illi adjutorium.

17 Et de substantia sua, & de filiis suis, & de nuptiis votum faciens, inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est:

18 Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum, & in adjutorium inutilem invocat:

19 Et pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest: & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.

Caput XIV.

Utilis inventio navis, quæ etiam tempore diluvij semen humanum servatum est: idolum autem maledictum est cum suo fabricatore, & quod fuerit idolorum idololatriæque exordium ac progressus, item quæ mala ex idololatria procedant.

A 1 ITerùm alius navigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante se, fragilius lignum invocat.

2 Illud enim cupiditas acquirendi excogitavit, & artifex sapientia fabricavit sua.

* *Exod. 14. c. 22.* 3 Tua autem, Pater, providentia gubernat: * quoniam dedisti & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam,

4 Ostendens quoniam potens es ex omnibus salvare, etiam si sine arte aliquis adeat mare.

5 Sed ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera; propter hoc etiam & exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt:

* *Gen. 6. a. 4. 7. b. 7.* 6 * Sed & ab initio cùm perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen nativitatis, quæ manu tua erat gubernata.

7 Benedictum est enim lignum, per quod fit justitia.

* *Ps. 113. Baruc. 6. a. 3.* 8 * Per manus autem quod fit idolum, maledictum est & ipsum, & qui fecit illud: quia ille quidem operatus est: illud autem cùm esset fragile, deus cognominatus est.

9 Similiter autem odio sunt Deo impius & impietas ejus.

10 Etenim quod factum est, cum illo, qui fecit, tormenta patietur.

11 Propter hoc & in idolis nationum non erit B respectus: quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.

12 Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum: & adinventio illorum corruptio vitæ est.

13 Neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum.

14 Supervacuitas enim hominum advenit in orbem terrarum, & ideò brevis illorum finis est inventus.

15 Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia.

16 Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.

17 Et hos quos in palàm homines honorare non poterant, propter hoc quòd longè essent, è longinquo figura eorum allata, evidentẽ imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt, ut illũ, qui aberat, tamquam præsentem colerent sua solicitudine.

18 Provexit autem ad horum culturam & hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia.

19 Ille enim volens placere illi, qui se assumpsit, elaboravit arte sua, ut similitudinem in melius figuraret.

20 Multitudo autem hominum abducta per spe- C ciem operis, eum, qui ante tempus tamquam homo honoratus fuerat, nunc deum æstimaverunt.

21 Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.

22 Et non sufficerat errasse eos circa Dei scientiam, sed & in magno viventes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.

* *Deut. 18. b. 10. Ier. 7. b. 6.* 23 * Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes,

24 Neque vitam, neque nuptias mundas jam custodiunt, sed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contristat:

25 Et omnia commista sunt, sanguis, homicidiũ, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turba-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tio & perjurium, tumultus bonorum,
26 Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ.
27 Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, & initium & finis.
28 Aut enim dum lætantur, insaniunt: aut certè vaticinantur falsa, aut vivunt injustè, aut pejerant citò.
29 Dum enim confidunt in idolis, quæ sine anima sunt, malè jurantes noceri se non sperant.
30 Utraque ergo illis evenient dignè, quoniam malè sensérunt de Deo, attendentes idolis, & juraverunt injustè, in dolo contemnentes justitiam.
31 Non enim juratorum virtus, sed peccantium pœna perambulat semper in justorum prævaricationem.

Caput XV.

Vox fidelium suavitatem & misericordiam Dei commendantium, cujus gratia ab idololatria sunt servati: mirè quoque subsannati idolorum artifices ac cultores.

A 1 TU autem Deus noster, suavis & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia.
2 Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam: & si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati.
3 Nosse enim te, consummata justitia est: & scire justitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis.
4 Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores,
5 Cujus aspectus insensato dat concupiscentiã, & diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima.
6 Malorum amatores, digni sunt qui spem habeant in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt.
* *Rom. 9.v. 21.* B 7 * Sed & figulus mollem terram premens, laboriosè fingit ad usus nostros unumquodque vas, & de eodem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, & similiter quæ his sunt contraria: horum autem vasorum quis sit usus, judex est figulus.
8 Et cùm labore vano deum fingit de eodem luto, ille qui paulò antè de terra factus fuerat, & post pusillum reducit se unde acceptus est, repetitus animæ debitum quam habebat.
9 Sed cura est illi, non quia laboraturus est, nec quoniam brevis illi vita est, sed concertatur aurificibus & argentariis: sed & ærarios imitatur, & gloriam prçfert, quoniam res supervacuas fingit.
C 10 Cinis est enim cor ejus, & terra supervacua spes illius, & luto vilior vita ejus:
11 Quoniam ignoravit qui se finxit, & qui inspiravit illi animam quæ operatur, & qui insufflavit ei spiritum vitalem.
12 Sed & æstimaverunt lusum esse vitam nostram, & conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecumque etiam ex malo acquirere.
13 Hic enim scit se super omnes delinquere, qui ex terræ materia fragilia vasa, & sculptilia fingit.
14 Omnes enim insipientes, & infelices supra modum animæ superbi, sunt inimici populi tui, & imperantes illi:
15 Quoniam omnia idola nationum deos æstimaverunt, * quibus neque oculorum usus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed & pedes eorum pigri ad ambulandum. * *Ps. 113. b. 5. 134. c. 16.*
16 Homo enim fecit illos: & qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit Deum fingere. D
17 Cùm enim sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse his quos colit, quia ipse quidem vixit, cùm esset mortalis, illi autem numquam.
18 Sed & animalia miserrima colunt: insensata enim comparata his, illis sunt deteriora.
19 Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest conspicere. Effugerunt autem Dei laudem, & benedictionem ejus.

Caput XVI.

Ægyptiis ob idololatriam digna passis, Hebræi escam à Deo acceperunt: castigati tamen aliquantum morsu serpentum, erecto serpente æneo sanati sunt à Deo: impij verò morte consumpti per locustas, muscas, ignémque grandini mistum: cùm illi accepto manna, satiati sint & confortati.

1 PRopter hæc, & per his similia passi sunt dignè tormenta, & per multitudinem bestiarum exterminati sunt. A
2 Pro quibus tormentis benè dispositi populum tuum, * quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui, novum saporem, escam parans eis ortygometram: * *Num. 11. g. 31.*
3 Ut illi quidem concupiscentes escam propter ea, quæ illis ostensa & missa sunt, etiam à necessaria concupiscentia averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, novam gustaverunt escam.
4 Oportebat enim illis sine excusatione quidem supervenire interitum exercentibus tyrannidem: his autem tantùm ostendere quemadmodum inimici eorum exterminabantur.
5 * Etenim cùm illis supervenit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabantur. * *Num. 21. b. 6.*
6 Sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ.
7 Qui enim conversus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur sed per te omnium salvatorem: B
8 In hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo.
9 * Illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus, & non est inventa sanitas animæ illorum: quia digni erant ab hujusmodi exterminari. * *Exod. 10. b. 4. 8. f. 24. Apoc. 9. b. 7.*
10 Filios autem tuos, nec draconum venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua adveniens sanabat illos.
11 In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, & velociter salvabantur, ne in altam incidentes oblivionem, non possent tuo uti adjutorio.
12 Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.

13 * Tu

* *Deut. 32. f. 39. 1. Reg. 2. b. 6. Tob. 13. a. 2.* C 13 * Tu es enim, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis:
14 Homo autem occidit quidem per malitiam, & cùm exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam quæ recepta est:
* *Exod. 9. c. 23.* 15 Sed tuam manum effugere impossibile est.
16 * Negantes enim te nosse impij, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt: novis aquis, & grandinibus, & pluviis persecutionem passi, & per ignem consumpti.
17 Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat: vindex est enim orbis justorum.
18 Quodam enim tempore, mansuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia: sed ut ipsi videntes scirent, quoniam Dei judicio patiuntur persecutionem.
19 Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis, exardescebat undique, ut iniquæ terræ nationem exterminaret.
* *Exod. 16. d. 14. Num. 11. b. 7. Ps. 77. c. 25. Ioa. 1. 6. d. 31.* 20 * Pro quibus angelorum esca nutrivisti populum tuum: & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.
21 Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.
* *Exod. 9. c. 24.* D 22 * Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non rabescebant: ut scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine & pluvia coruscans.
23 Hic autem iterùm ut nutrirentur justi, etiam suæ virtutis oblitus est.
24 Creatura enim tibi Factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos: & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.
25 Propter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat, ad voluntatem eorum, qui à te desiderabant:
* *Deut. 8. a. 3. Matt. 4. a. 4.* 26 Ut scirent filij tui, quos dilexisti Domine, * quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, cõservat.
27 Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactũ tabescebat:
28 Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.
29 Ingrati enim spes tamquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tamquam aqua supervacua.

Caput XVII.

Ægyptij triduanas passi sunt invincibiles tenebras, cum incredibili timore & horrore: reliqua orbis parte illustrata lumine.

A 1 MAgna sunt enim judicia tua Domine, & inenarrabilia verba tua: propter hoc indisciplinatæ animæ erraverunt.
* *Exod. 10. f. 23.* 2 * Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ: vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt.
3 Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati.
4 Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant.
5 Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.
6 Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus: & timore perculsi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur: B
* *Exod. 7. d. 22. 8. b. 7.* 7 Et * magicæ artis appositi erant derisus, & sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia.
8 Illi enim qui promittebant timores & perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant.
9 Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat: transitu animalium & serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant: & aërem, quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre.
10 Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia. C
11 Nihil enim est timor nisi proditio cogitationis auxiliorum.
12 Et dum ab intus minor est expectatio, majorem computat inscientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat.
13 Illi autem qui impotentem verè noctem, & ab infimis, & ab altissimis inferis supervenientem, eumdem somnum dormientes,
14 Aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: subitaneus enim illis & insperatus timor supervenerat.
15 Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur in carcere sine ferro reclusus.
16 Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri D laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necèssitatem.
17 Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentis nimiùm,
18 Aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus Echo; deficientes faciebant illos præ timore.
19 Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur.
20 Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris.

Caput XVIII.

Hebræi luce gaudent, & ducatum columnæ ignis accipiunt: occidumtur omnia Ægypti primogenita ab Angelo: Hebræi in seditione Core iram Dei provocant: sed in medio incendij liberantur, offerente Aaron incensum, & pro multitudine deprecante.

A 1 SAnctis autem tuis maxima erat lux, & horum quidem vocem audiebant, sed figu- *Exod. 10. f. 23. a. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ram non videbant. Et quia non & ipsi eadem passi erant, magnificabant te.

2 Et qui antè læsi erant, quia non lædebantur, gratias agebant: & ut esset differentia,donum petebant.

* Exod. 14.f. 24. Ps. 77.b. 14. 104. d. 39. 3 * Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & solem sine læsura boni hospitij præstitisti.

4 Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos,per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari.

* Exod. 1.c. 16. * Exod. 2.a.3. * Exod. 14.f. 27. B 5 * Cùm cogitarent justorum occidere infantes: & * uno exposito filio,& liberato,in traductionem illorum, multitudinem filiorum abstuliisti, & * pariter illos perdidisti in aqua valida.

6 Illa enim nox antè cognita est à patribus nostris, ut verè scientes quibus juramentis crediderunt, animæquiores essent.

7 Suscepta est autem à populo tuo sanitas quidem justorum, injustorum autem exterminatio.

8 Sicut enim læsisti adversarios: sic & nos provocans magnificasti.

9 Absconsè enim sacrificabant justi pueri bonorum, & justitiæ legem in concordia disposuerunt:similiter & bona & mala recepturos justos, patrum jam decantantes laudes.

10 Resonabat autem inconveniens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.

* Exod. 12.c. 29. 11 * Simili autem pœna servus cum domino afflictus est, & popularis homo regi similia passus.

12 Similiter ergo omnes, vno nomine mortis, mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant: quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est.

13 De omnibus enim non credentes propter veneficia,tunc verò primùm cùm fuit exterminium primogenitorum,spoponderunt populum Deiesse.

C 14 Cùm enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet,

15 Omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminij terram prosilivit,

16 Gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans replevit omnia morte, & usque ad cælum attingebat stans in terra.

17 Tunc continuò visus somniorum malorũ turbaverunt illos,& timores supervenerunt insperati.

18 Et alius alibi projectus semivivus, propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis.

19 Visiones enim, quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant, ne inscij, quare mala patiebantur, perirent.

20 Tetigit autem tunc & justos tentatio mortis, & commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua.

* Num. 16.f. 46. D 21 * Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.

22 Vicit autem turbas, non in virtute corporis, nec armaturæ potentia, sed verbo illum,qui se vexabat, subjecit, juramenta parentum, & testamentum commemorans.

23 Cùm enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit,& amputavit impetum, & divisit illam quæ ad vivos ducebat viam.

24 * In veste enim podêris, quam habebat, totus erat orbis terrarum: & parentum magnalia in quattuor ordinibus lapidum erant sculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat. * Exod. 28.b.6.

25 His autem cessit qui exterminabat, & hæc extimuit. erat enim sola tentatio iræ sufficiens.

Caput XIX.

Hebræos persequentes Ægyptij, mari absorpti sunt, muscis & ranis antèa vexati; Hebræis verò concupitas carnes accipientibus, impij inhospitales percutiuntur cæcitate: elementa Deo serviunt in afflictione malorum, & obsequio bonorum.

1 IMpiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit. Præsciebat enim & futura illorum: A

2 Quoniam cùm ipsi permisissent ut se educerent, & cum magna solicitudine præmisissent illos,consequebantur illos pœnitentia acti.

3 * Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem insciențiæ: & quos rogantes projecerant,hos tamquam fugitivos persequebantur: * Exod. 14.b. 5.

4 Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas: & horum, quæ acciderant, commemorationem amittebant, ut quæ deerant tormentis, repleret punitio:

5 Et populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autem novam mortem invenirent.

6 Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis præceptis, ut B pueri tui custodirentur illæsi.

7 Nam nubes castra eorum obumbrabat, & ex aqua quæ antè erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio:

8 Per quem omnis natio transivit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monstra.

9 Tamquam enim equi depaverunt escam, & tamquam agni exultaverunt, magnificantes te Domine, qui liberasti illos.

10 Memores enim erant adhuc eorum, quæ in incolatu illorum facta fuerant,quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas,& pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum.

11 * Novissimè autem viderunt novam creaturam avium, cùm adducti concupiscentia postulaverunt escas epulationis. * Exod. 16.c. 13. Num.11. g. 31. Sup. 16. a. 2.

12 In allocutione enim desiderij, ascendit illis de mari ortygometra: & vexationes peccatoribus C supervenerunt,non sine illis,quę antè facta erant, argumentis per vim fulminum: justè enim patiebantur secundùm suas nequitias.

13 Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt: alij quidem ignotos non recipiebant advenas, alij autem bonos hospites in servitutem redigebant.

14 Et non solùm hæc, sed & alius quidam respectus illorum erat: quoniam inviti recipiebant extraneos.

15 Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eisdem usi erant justitiis,sævissimis afflixerunt doloribus.

* Gen. 19.c.11. D 16 Percussi sunt autem cæcitate: sicut * illi in foribus justi, cùm subitaneis cooperti essent tenebris, unusquisque transitum ostij sui quærebat.

17 In se enim elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt: unde æstimari ex ipso visu certò potest.

18 Agrestia enim in aquatica convertebantur: & quæcumque erant natantia, in terram transibant.

19 Ignis in aqua valebat supra suam virtutem,& aqua extinguentis naturæ obliviscebatur.

20 Flammæ econtrariò, corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium, nec dissolvebant illam, quæ facilè dissolvebatur sicut glacies,bonam escam.In omnibus enim magnificasti populum tuum Domine, & honorasti,& non despexisti, in omni tempore, & in omni loco assistens eis.

IN ECCLESIASTICUM JESU FILIJ SIRACH PROLOGUS.

MUltorum nobis, & magnorum, per legem & prophetas, aliósque qui secuti sunt illos, sapientia demonstrata est: in quibus oportet laudare Israël doctrinæ & sapientiæ causa: quia non solùm ipsos loquentes necesse est esse peritos, sed etiam extraneos posse & dicentes & scribentes doctissimos fieri. Avus meus Jesus, postquam se ampliùs dedit ad diligentiam lectionis legis, & prophetarum, & aliorum librorum, qui nobis à parentibus nostris traditi sunt, voluit & ipse scribere aliquid horum, quæ ad doctrinam & sapientiam pertinent; ut desiderantes discere, & illorum periti facti, magis magisque attendant animo, & confirmentur ad legitimam vitam. Hortor itaque venire vos cum benevolentia, & attentiori studio lectionem facere, & veniam habere in illis, in quibus videmur, sequentes imaginem sapientiæ, deficere in verborum compositione. Nam deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam.Non autem solùm hæc, sed & ipsa lex, & prophetæ, ceteráque aliorum librorum, non parvam habent differentiam, quando inter se dicuntur. Nam in octavo & trigesimo anno temporibus Ptolemæi Evergetis regis, postquam perveni in Ægyptum, & cùm multum temporis ibi fuissem, inveni ibi libros relictos, non parvæ neque contemnendæ doctrinæ. Itaque bonum & necessarium putavi & ipse aliquam addere diligentiam & laborem interpretandi librum istum: & multa vigilia attuli doctrinam in spatio temporis, ad illa quæ ad finem ducunt, librum istum dare, & illis qui volunt animum intendere, & discere quemadmodum oporteat instituere mores, qui secundùm legem Domini proposuerint vitam agere.

ECCLESIASTICUS.

Caput Primum.

Sapientia incomprehensibilis & in creaturis relucens,ab æterno originem à solo Deo omnipotente trahit, quam dat diligentibus ac timentibus ipsum: nam timor Domini, qui hic multipliciter commendatur, non solùm sapientiam,sed & reliquas secum affert virtutes: simplici autem corde ad Deum accedendum est.

A

3. Reg. 3.b 9 4. d. 29. 1 OMnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante ævum.

2 Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies sæculi quis dinumeravit? Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est?

3 Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit?

4 Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab ævo.

5 Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna.

6 Radix sapientiæ cui revelata est, & astutias illius quis agnovit?

7 Disciplina sapientiæ cui revelata est, & manifestata? & multiplicationem ingressus illius quis intellexit?

8 Unus est altissimus Creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis, sedens super thronum illius, & dominans Deus.

9 Ipse creavit illam in Spiritu sancto, & B

Universidad de Belgrano Biblioteca

vidit, & dinumeravit, & mensus est.
16 Et effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundùm datum suum, & præbuit illam diligentibus se.
11 Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis.
12 Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum,
13 Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.
14 Dilectio Dei honorabilis sapientia.
15 Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, & in agnitione magnalium suorum.
Psal.110. d.10. Prov 1. a.7.9.c. 10. 16 * Initium sapientiæ, timor Domini, & cum fidelibus in vulva concreatus est, cum electis feminis graditur, & cum justis & fidelibus agnoscitur.
C 17 Timor Domini, scientiæ religiositas.
18 Religiositas custodiet & justificabit cor, jucunditatem atque gaudium dabit.
19 Timenti Dominum benè erit, & in diebus consummationis illius benedicetur.
20 Plenitudo sapientiæ est timere Deum, & plenitudo à fructibus illius.
21 Omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à thesauris illius.
22 Corona sapientiæ, timor Domini, replens pacem, & salutis fructum:
23 Et vidit, & dinumeravit eam: utraque autem sunt dona Dei.
24 Scientiam, & intellectum prudentiæ sapientia compartietur: & gloriam tenentium se, exaltat.
25 Radix sapientiæ est timere Dominum: & rami illius longævi.
26 In thesauris sapientiæ intellectus, & scientiæ religiositas: execratio autem peccatoribus sapientia.
27 Timor Domini expellit peccatum:
28 Nam qui sine timore est, non poterit justificari: iracundia enim animositatis illius, subversio illius est.
29 Usque in tempus sustinebit patiens, & posteà redditio jucunditatis.
D 30 Bonus sensus usque in tempus abscondet verba illius, & labia multorum enarrabunt sensum illius.
31 In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ,
32 Execratio autem peccatori, cultura Dei.
33 Fili concupiscens sapientiam, conserva justitiam, & Deus præbebit illam tibi.
34 Sapientia enim & disciplina timor Domini: & quod beneplacitum est illi,
35 Fides, & mansuetudo, & adimplebit thesauros illius.
36 Ne sis incredibilis timori Domini: & ne accesseris ad illum duplici corde.
37 Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis.
38 Attende in illis, ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem, & revelet Deus absconsa tua, & in medio synagogæ elidat te:
39 Quoniam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo & fallacia.

Caput II.

Deo servituros stet in justitia, Dei timore & patientia; timentes verò Deum credant, fidántque in illum, & maximos hinc fructus accipient: væ autem incredulis & impatientibus: effectus quoque divini timoris explicantur.

1 Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. A *Matt. 4. a.1. 2.Tim.3. c.12.*
2 Deprime cor tuum, & sustine: inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus: & ne festines in tempore obductionis.
3 Sustine sustentationes Dei: conjungere Deo, & sustine, ut crescat in novissimo vita tua.
4 Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe:
5 * Quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. *Sap. 3. a.6*
6 Crede Deo, & recuperabit te: & dirige viam tuam, & spera in illum. B
Serva timorem illius, & in illo veterasce.
7 Metuentes Dominum sustinete misericordiam ejus: & non deflectatis ab illo ne cadatis.
8 Qui timetis Dominum, credite illi: & non evacuabitur merces vestra.
9 Qui timetis Dominum, sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia.
10 Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.
11 Respicite filij nationes hominum: & scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est.
12 * Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? aut quis invocavit eum, & despexit illum? *Ps.30. a.1.*
13 Quoniam pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate. C
14 Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori * terram ingredienti duabus viis. *Reg. 18.d.21.*
15 Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo: & ideò non protegentur ab eo.
16 Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas.
17 Et quid facient, cùm inspicere cœperit Dominus?
18 Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius & * qui diligunt illum, conservabunt viam illius. *Ioan. 14.c.23.*
19 Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. D
20 Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabũt animas suas.
21 Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt usque ad inspectionem illius,
22 dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.
23 Secundùm enim magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est.

Caput

Caput III.

Honor parentum multiplicem Dei meretur benedictionem, & inhonoratio maledictionem: modestia animi laudatur contra curiositatem: & cor durum, nequam & superbum vituperatur, laudato sapiente & eleemosynam tribuente.

A 1 Filij sapientiæ, ecclesia justorum: & natio illorum, obedientia & dilectio.
2 Judicium patris audite filij, & sic facite ut salvi sitis.
3 Deus enim honoravit patrem in filiis, & judicium matris exquirens, firmavit in filios.
4 Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur.
5 Et sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam.
6 Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur.
B 7 Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem.
8 Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.
*Exod. 20.c.12. Deut.5. b.16. Matt.15. a.4. Mar.7. b.10. Eph.6. a.2. *Gen. 27.d.27. 49.a.2.* 9 * In opere & sermone, & omni patientia honora patrem tuum,
10 Ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat.
11 * Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.
12 Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria, ejus confusio.
13 Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore.
14 Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius:
15 Et si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua: eleemosyna enim patris non erit in oblivione.
16 Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum,
17 Et in justitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui: & sicut in sereno glacies, solventur peccata tua.
18 Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.
C 19 Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.
Phil. 2. a.3. 20 * Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam:
21 Quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.
Prov. 25.d.27. 22 * Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.
23 Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.
24 In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus ejus non eris curiosus.
25 Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.
26 Multos quoque supplantavit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum.
27 Cor durum habebit malè in novissimo: & qui amat periculum, in illo peribit.
28 Cor ingrediens duas vias, non habebit suc- D cessus, & pravus corde in illis scandalizabitur.
29 Cor nequam gravabitur in doloribus, & peccator adjiciet ad peccandum.
30 Synagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur.
31 Cor sapientis intelligitur in sapientia, & auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.
32 Sapiens cor & intelligibile abstinebit se à peccatis, & in operibus justitiæ successus habebit.
33 * Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis: *Dan.4. c.24.*
34 Et Deus prospector est ejus qui reddit gratiam: meminit ejus in posterum, & in tempore casus sui inveniet firmamentum.

Caput IV.

Ad opera misericordiæ & sapientiam multipliciter hortatur, hujus ostendens utilitates: confusio bona & mala: non occultanda sapientia, nec veritati contradicendum: pro justitia certandum: verbo tuo opus respondeat: sis humanus erga subditos, & non avarus.

1 Fili eleemosynam pauperis ne defraudes, & A oculos tuos ne transvertas à paupere. *Tob.4. b.7.*
2 Animam esurientem ne despexeris: & non exasperes pauperem in inopia sua.
3 Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti.
4 Rogationem contribulati ne abjicias: & non avertas faciem tuam ab egeno.
5 Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram: & non relinquas quærentibus tibi retrò maledicere:
6 Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum, qui fecit illum.
7 Congregationi pauperum affabilem te facito, & presbytero humilia animam tuam, & magnato humilia caput tuum.
8 Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & B redde debitum tuum, & responde illi pacifica in mansuetudine.
9 Libera eum, qui injuriam patitur de manu superbi: & non acidè feras in anima tua.
10 In judicando esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum:
11 Et eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis quàm mater.
12 Sapientia filiis suis vitam inspirat, & suscipit inquirentes se, & præibit in via justitiæ.
13 Et qui illam diligit, diligit vitam: & qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus.
14 Qui tenuerint illam, vitam hereditabunt: & quò introibit, benedicet Deus.
15 Qui serviunt ei, obsequentes erunt sancto, & eos, qui diligunt illam, diligit Deus.
16 Qui audit illam, judicabit Gentes: & qui intuetur illam, permanebit confidens.
17 Si crediderit ei, hereditabit illam, & erunt in confirmatione creaturæ illius.
18 Quoniam in tentatione ambulat cum eo, & C in primis eligit eum.

19 Timorem

19 Timorem & metum, & probationem inducet super illum: & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, & credat animæ illius.

20 Et firmabit illum, & iter adducet directum ad illum, & lætificabit illum,

21 Et denudabit absconsa sua illi, & thesaurizabit super illum scientiã & intellectum justitiæ.

22 Si autem oberraverit, derelinquet eum, & tradet eum in manus inimici sui.

23 Fili conserva tempus, & devita à malo.

24 Pro anima tua ne confundaris dicere verum.

25 Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.

26 Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium.

27 Ne revereris proximum tuum in casu suo:

D 28 Nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore suo.

29 In lingua enim sapientia dignoscitur: & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati, & firmamentum in operibus justitiæ.

30 Non contradicas verbo veritatis ullo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.

31 Non confundaris confiteri peccata tua, & ne subjicias te omni homini pro peccato.

32 Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvij.

33 Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

34 Noli citatus esse in lingua tua; & inutilis, & remissus in operibus tuis.

35 Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi.

36 Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.

Caput V.

Non permanendum in peccato ob confidentiam divitiarum, juventutis, fortitudinis aut misericordiæ Domini: ne sis vagus, sed firmus & mansuetus in via Domini, & cordatus in verbis: ne sis susurro aut bilinguis.

A 1 Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris: Est mihi sufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis.

2 Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui:

3 Et ne dixeris, Quomodo potui? aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit.

B 4 Ne dixeris: Peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.

5 De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.

6 Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.

*Prov. 10. 16. 7 * Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.

8 Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.

9 Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.

10 * Noli anxius esse in divitiis injustis, non enim proderunt tibi in die obductionis & vindictæ. C *Prov. 11. a. 4. d. 28.

11 Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam, sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua.

12 Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui & scientia, & prosequatur te verbum pacis & justitiæ.

13 Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas: & cum sapientia proferas responsum verum.

14 Si est tibi intellectus, responde proximo: sin D autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris.

15 Honor & gloria in sermone sensati, lingua verò imprudentis subversio est ipsius.

16 Non appelleris susurro, & lingua tua ne capiaris, & confundaris.

17 Super furem enim est confusio & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.

18 Justifica pusillum, & magnum similiter.

Caput VI.

Proximi dilectionem repellunt, improperium, invidia, ac ferocitas: quam juvant dulcedo in verbis & pacifica conversatio: multiplices sunt amici, sed verus amicus non potest satis æstimari: quantum diligenda & conservanda sit sapientia: quærenda est prudentium societas, & servanda Dei præcepta.

1 Noli fieri pro amico inimicus proximo: improperium enim & contumeliam malus hereditabit, & omnis peccator invidus & bilinguis. A

2 * Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus: ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam, *Rom. 12. d. 16. Phil. 2. a. 3.

3 Et folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.

4 Anima enim nequam disperdet qui se habet; & in gaudium inimicis dat illum, & deducet in sortem impiorum.

5 Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua eucharis in bono homine abundat.

6 Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi unus de mille.

7 Si possides amicum, in tentatione posside eum, & ne facilè credas ei.

8 Est enim amicus secundùm tempus suum, & B non permanebit in die tribulationis.

9 Et est amicus qui convertitur ad inimicitiam: & est amicus qui odium & rixam & convitia denudabit.

10 Est autem amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.

11 Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, & in domesticis tuis fiducialiter aget:

12 Si humiliaverit se contra te, & à facie tua absconderit se, unanimem habebis amicitiam bonam.

13 Ab inimicis tuis separare, & ab amicis tuis attende.

14 Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum.

15 Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna

digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.

16 Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, invenient illum.

17 Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam: Quoniam secundùm illum erit amicus illius.

18 Fili à juventute tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam.

19 Quasi is qui arat, & seminat, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius.

C 20 In opere enim ipsius exiguũ laborabis, & citò edes de generationibus illius.

21 Quàm aspera est nimiùm sapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa excors.

22 Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur projicere illam.

23 Sapientia enim doctrinæ secundùm nomen est ejus, & non est multis manifesta: quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei.

24 Audi fili, & accipe consilium intellectus, & ne abjicias consilium meum.

25 Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum:

26 Subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis ejus.

27 In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conserva vias ejus.

28 Investiga illam, & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam:

29 In novissimis enim invenies requiem in ea, & convertetur tibi in oblectationem.

D 30 Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ:

31 Decor enim vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutaris.

32 Stolam gloriæ indues eam, & coronam gratulationis superpones tibi.

33 Fili, si attenderis mihi, disces: & si accommodaveris animum tuum, sapiens eris.

34 Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam: & si dilexeris audire, sapiens eris.

*Inf. 8. b. 9. 35 * In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, & proverbia laudis non effugiant à te.

36 Et si videris sensatum, evigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.

*Psal. 1. a. 2. 37 * Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè assiduus esto: & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.

Caput VII.

Abstinendum à malis: vetantur ambitio, præsumptio, pusillanimitas, mendacium, verbositas coram presbyteris, & præsumptio in oblationibus: laus agricultura, bona mulieris & servi frugi: parentes filios erudiant, & filias elocent: filij honorent parentes: Deus ac sacerdotes ipsius honorandi: ad opera misericordiæ hortatur, & ad memoriam novissimorum.

A 1 Noli facere mala, & non te apprehendent.
2 Discede ab iniquo, & deficiẽt mala abs te.

3 Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ, & non metes ea in septuplum.

4 Noli quærere à domino ducatum, neque à rege cathedram honoris.

5 * Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est: & penes regem noli velle videre sapiens. *Job 9. a. 2. c. 20 Psal. 142. a. 2. Eccl. 7. b. 17. Luc. 18. c. 11.

6 Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.

7 Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum.

8 * Neque alliges duplicia peccata, nec enim in uno eris immunis. *Inf. 12. b. 7.

9 Noli esse pusillanimis in animo tuo:

10 Exorare, & facere eleemosynam ne despicias.

11 Ne dicas: In multitudine munerum meorum respiciet Deus, & offerente me Deo altissimo, munera mea suscipiet. B

12 Non irrideas hominem in amaritudine animæ: * est enim qui humiliat & exaltat, circumspector Deus. *1. Reg. 2. b. 7.

13 Noli arare mendacium adversus fratrem tuum: neque in amicum similiter facias.

14 Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona.

15 Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, & non iteres verbum in oratione tua.

16 Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo.

17 Non te reputes in multitudine indisciplinatorum.

18 Memento iræ, quoniam non tardabit.

19 Humilia valdè spiritum tuum: quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermis.

20 Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem, neque fratrem charissimum auro spreveris.

21 Noli discedere à muliere sensata & bona, C quam fortitus es in timore Domini: gratia enim verecundiæ illius super aurum.

22 * Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. *Levit. 19. c. 13.

23 Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.

24 Pecora tibi sunt? attende illis: & si sunt utilia, perseverent apud te.

25 Filij tibi sunt? erudi illos, & curva illos à pueritia illorum.

26 Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.

27 Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam.

28 Mulier si est tibi secundùm animam tuam, non projicias illam: & odibili non credas te. In toto corde tuo.

29 * Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris *Tob. 4. a. 3.

30 Memento quoniam nisi per illos natus non D fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi.

31 In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica.

32 In

Universidad de Deusto
Biblioteca

32 In omni virtute tua dilige eum qui te fecit: & ministros ejus ne derelinquas.

* Deut. 22.c. 18. 33 * Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes, & propurga te cum brachiis.

* Levit. 2.a.3. Num. 18.c. 15. 34 Da illis partem, * sicut mandatum est tibi, primitiarum & purgationis: & de negligentia tua purga te cum paucis.

35 Datum brachiorum tuorum & sacrificium sanctificationis offeres Domino, & initia sanctorum:

36 Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio & benedictio tua.

37 Gratia dati in conspectu omnis viventis, & mortuo non prohibeas gratiam.

* Rom. 12. c. 15. * Matt. 25.c.36. 38 * Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula.

39 * Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.

40 In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.

Caput VIII.

Non contendendum cum potente, locuplete, linguato, indocto: non despiciendus pœnitens, nec senex: de mortuo inimico ne gaudeas: audiendi seniores, arguendi peccatores & contumelioſi: fœnerari: spondere: contra judicem: cum audace: cum iracundo: cum fatuis: cum extraneo.

A 1 NOn litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius.

* Matt. 25. c. 25. 2 * Non contendas cum viro locuplete, ne fortè contra te constituat litem tibi.

* Ins. 31. a. 6. 3 * Multos enim perdidit aurum & argentum, & usque ad cor regum extendit & convertit.

4 Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna.

5 Non communices homini indocto, ne malè de progenie tua loquatur.

6 Ne despicias hominem avertentem se à pec- * 2. Cor. 2.b. 6. Gal. 6. a. 1. cato, * neque improperes ei. memento quoniam omnes in correptione sumus.

* Lev. 19.f. 32. 7 * Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt.

8 Noli de mortuo inimico tuo gaudere: sciens quoniam omnes morimur, & in gaudium nolumus venire.

B * Sup. 6. d. 35. 9 * Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in proverbiis eorum conversare.

10 Ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus, & servire magnatis sine querela.

11 Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis:

12 Quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.

13 Non incendas carbones peccatorum arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum.

14 Ne contra faciem stes contumelioſi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo.

* Inf. 29.c.4. C 15 * Noli fœnerari homini fortiori te: quòd si fœneraveris, quasi perditum habe.

16 Non spondeas super virtutem tuam: quòd si spoponderis, quasi restituens cogita.

17 Non judices contra judicem: quoniam secundùm quod justum est judicat.

* Gen. 4. b. 8. 18 * Cum audace non eas in via, ne fortè gravet mala sua in te: ipse enim secundùm voluntatem suam vadit, & simul cum stultitia illius peries.

* Prov. 22.d.24. 19 * Cum iracundo non facies rixam, & cum audace non eas in desertum: quoniam quasi nihil D est ante illum sanguis, & ubi non est adjutorium, elidet te.

20 Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere nisi quæ eis placent.

21 Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet.

22 Non omni homini cor tuum manifestes: ne fortè inferat tibi gratiam falsam, & convitietur tibi.

Caput IX.

Quàm sit prudenter cum mulieribus agendum, & quàm sit societas & affectus earum viris periculosa: amicus antiquus servandus: peccatoris gloria non zelanda: absis ab homine potestatem occidendi habente: cum sapientibus tractandum, & Deus præ oculis habendus.

1 NOn zeles mulierem sinus tui, ne ostendat A super te malitiam doctrinæ nequam.

2 Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris:

3 Ne respicias mulierem multivolam: ne fortè incidas in laqueos illius.

4 Cum saltatrice ne assiduus sis: nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.

5 * Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius. * Gen. 6. a. 2.

6 * Ne des fornicariis animam tuam in ullo: ne perdas te, & hereditatem tuam. * Prov. 5.a.2.

7 Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius.

8 * Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. * Gen. 34.a.2. 2. Reg. 11.a.4. 13.a.1. Matth. 5.d.28.

9 Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.

10 Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi B stercus in via conculcabitur.

11 Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt. colloquium enim illius quasi ignis exardescit.

12 Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum:

13 Et non alterceris cum illa in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.

14 Ne derelinquas amicum antiquum: novus C enim non erit similis illi.

15 Vinum novum, amicus novus: veterascet, & cum suavitate bibes illud.

16 * Non zeles gloriam & opes peccatoris: * Judic. 9.a.4. 2. Reg. non enim scis quæ futura sit illius subversio. 15.b.10.

17 Non placeat tibi injuria injustorum, sciens quoniam usque ad inferos non placebit impius.

18 Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem mortis.

19 Et si accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne fortè auferat vitam tuam.

20 Communionem mortis scito: quoniam in D medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma ambulabis.

21 Secundùm virtutem tuam cave te à proximo tuo, & cum sapientibus & prudentibus tracta.

22 Viri

22 Viri justi sint tibi convivæ, & in timore Dei sit tibi gloriatio,

23 Et in sensu sit tibi cogitatus Dei, & omnis enarratio tua in præceptis Altissimi.

24 In manu artificum opera laudabuntur, & princeps populi in sapientia sermonis sui, in sensu verò Seniorum verbum.

25 Terribilis est in civitate sua homo linguosus: & temerarius in verbo suo odibilis erit.

Caput X.

Sapiens judex, utilis; insipiens, pernicioſus: rectorem subditi imitantur: omnia in manu Dei: in uria obliviſcendum: detestatio superbiæ, injustitiæ, contumeliæ, avaritiæ: homo brevis vitæ post mortem vermis: discessus à Deo causa est superbiæ: gentes ob superbiam à Deo perditæ: laus timoris Dei: non despiciendus pauper justus, nec dives peccator honorandus: anima in mansuetudine servanda.

A 1 JUdex sapiens judicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit.

* Prov. 29.b.12. 2 * Secundùm judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea.

* 3. Reg. 12.c.33. 3 * Rex insipiens perdet populum suum: & civitates inhabitabuntur per sensum potentium.

4 In manu Dei potestas terræ: & utilem rectorem suscitabit in tempus super illam.

5 In manu Dei prosperitas hominis, & super faciem scribæ imponet honorem suum.

* Levi. 19.c.13. 6 Omnis injuriæ proximi ne memineris, * & nihil agas in operibus injuriæ.

7 Odibilis coram Deo est & hominibus superbia: & execrabilis omnis iniquitas gentium.

* Dan. 4.c.14. 8 * Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.

9 Avaro autem nihil est scelestius. Quid superbit terra & cinis?

B 10 Nihil est iniquius quàm amare pecuniam. hic enim & animam suam venalem habet: quoniam in vita sua projecit intima sua.

11 Omnis potentatus brevis vita. Languor prolixior gravat medicum.

12 Brevem languorem præcidit medicus: sic & rex hodie est & cras morietur.

13 Cùm enim morietur homo, hereditabit serpentes, & bestias, & vermes.

14 Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo:

15 Quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus. quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem.

C 16 Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, & destruxit eos usque in finem.

17 Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.

18 Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantavit humiles ex ipsis gentibus.

19 Terras gentium evertit Dominus, & perdidit eas usque ad fundamentum.

20 Arefecit ex ipsis, & disperdidit eos, & cessare fecit memoriam eorum à terra.

21 Memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu.

22 Non est creata hominibus superbia; neque iracundia nationi mulierum.

23 Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.

24 In medio fratrum rector illorum in honore: & qui timent Dominum, erunt in oculis illius.

25 Gloria divitum, honoratorum, & pauperum, timor Dei est:

26 Noli despicere hominem justum pauperem, & noli magnificare virum peccatorem divitem.

27 Magnus, & judex, & potens est in honore: D & non est major illo, qui timet Deum.

* Prov. 17.a.2. * 2. Reg. 12.c.13. 28 * Servo sensato liberi servient: * & vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus, & insciis non honorabitur.

29 Noli extollere te in faciendo opere tuo, & noli cunctari in tempore angustiæ.

* Prov. 12.b.9. 30 * Melior est qui operatur, & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur, & eget pane.

31 Fili in mansuetudine serva animam tuam, & da illi honorem secundùm meritum suum.

32 Peccantem in animam suam quis justificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam suam?

33 Pauper gloriatur per disciplinam & timorem suum: & est homo qui honorificatur propter substantiam suam.

34 Qui autem gloriatur in paupertate, quantò magis in substantia? & qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur.

Caput XI.

Sapientia humiliati: ex specie nemo judicandus: de vestitu & honore non gloriandum: de re interrogandum ante judicium: non cumulanda temporalia, nec in illis fidendum aut gloriandum: bona & mala à Deo: & bonorum & malorum memor sis, in domum non quivis inducendus, & ab insidiis doloſi cavendum.

1 SApientia humiliati exaltabit caput illius, & A in medio magnatorum confedere illum faciet.

Gen. 41. c. 40. Dan. 6. a 3. Ioan. 7. c. 18. 2 Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo.

3 Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius.

* Act. 11.c.21. 22. 4 * In vestitu ne glorieris umquam, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera Altissimi solius, & gloriosa, & absconsa, & invisa opera illius.

5 Multi tyranni sederunt in throno, & insuspicabilis portavit diadema.

* 1. Reg. 15.f. 28. Esth. 6. b 7. 6 * Multi potentes oppressi sunt valide, & gloriosi traditi sunt in manus alterorum.

7 Priusquam interroges, ne vituperes quemquam: & cùm interrogaveris, corripe justè.

* Prov. 18 b. 13. 8 * Priusquam audias, ne respondeas verbum: & in medio sermonum ne adjicias loqui.

9 De ea re, quæ te non molestat, ne certeris: B & in judicio peccantium ne consistas.

* 1. Tim. 6. b. 9. 10 Fili ne in multis sint actus tui: & * si dives fueris, non eris immunis à delicto. si enim secutus fueris, non apprehendes: & non effugies, si præcurreris.

* Eccle. 4.b. 8. 11 * Est homo laborans, & festinans, & dolens impius, & tantò magis non abundabit.

12 Est homo marcidus egens recuperatione,

Universidad de Deusto
Biblioteca

plus deficiens virtute, & abundans paupertate:
* Tob. 42. c. 10. 13 * Et oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltavit caput ejus: & mirati sunt in illo multi, & honoraverunt Deum.
* Iob. 2. c. 10. 14 * Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.
15 Sapientia & disciplina, & scientia legis apud Deum. Dilectio, & viæ bonorum apud ipsum.
16 Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt: qui autem exultant in malis, consenescunt in malo.
17 Datio Dei permanet justis, & profectus illius successus habebit in æternum.
18 Est qui locupletatur parcè agendo, & hæc est pars mercedis illius
* Luc. 12. c. 19. 19 In eo quod dicit: * Inveni requiem mihi, & C nunc manducabo de bonis meis solus:
20 Et nescit quòd tempus præteriet, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & morietur.
21 Sta in testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterasce.
22 Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo, & mane in loco tuo.
23 Facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem.
24 Benedictio Dei in mercedem justi festinat, & in hora veloci processus illius fructificat.
25 Ne dicas: Quid est mihi opus, & quæ erunt mihi ex hoc bona?
26 Ne dicas: Sufficiens mihi sum: & quid ex hoc pessimabor?
* Inf. 18. c. 25. 27 * In die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorum ne immemor sis bonorum:
28 Quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundùm vias suas.
D 29 Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ, & in fine hominis denudatio operum illius:
30 Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir.
31 Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi.
32 Sicut enim eructant præcordia fœtentium, & sicut perdix inducitur in caveam, & ut caprea in laqueum: sic & cor superborum, & sicut prospector videns casum proximi sui:
33 Bona enim in mala convertens insidiatur, & in electis imponet maculam.
34 A scintilla una augetur ignis, & ab uno doloso augetur sanguis: homo verò peccator sanguini insidiatur.
35 Attende tibi à pestifero, fabricat enim mala: ne fortè inducat super te subsannationem in perpetuum.
36 Admitte ad te alienigenam, & subvertet te in turbine, & abalienabit te à tuis propriis.

Caput XII.

Benefaciendum justo, impy verò & peccatores non suscipiendi: difficile est amicos ab inimicis dignoscere, nec inimicis unquam fidendum, quantumvis amicitiam simulent.

A 1 SI benefeceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa.
2 Benefac justo, & invenies retributionem magnam: & si non ab ipso, certè à Domino.
3 Non est enim ei benè qui assiduus est in malis, & eleemosynas non danti: quoniam & Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus.
4 * Da misericordi, & ne suscipias peccatorem: & impiis & peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in diem vindictæ. * Gal. 6. c. 10.
5 Da bono, & non receperis peccatorem.
6 Benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit:
7 Nã duplicia mala invenies in omnibus bonis, B quęcumque feceris illi: quoniam & Altissimus odio habet peccatores, & impiis reddet vindictam.
8 Non agnoscetur in bonis amicus, & non abscondetur in malis inimicus.
9 In bonis viri, inimici illius in tristitia: & in malitia illius, amicus agnitus est.
10 Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius:
11 Et si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, & custodi te ab illo.
12 Non statuas illum penes te, nec sedeat ad C dexteram tuam, ne fortè conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam: & in novissimo agnoscas verba mea, & in sermonibus meis stimuleris.
13 Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus, qui appropiant bestiis? & sic qui comitatur cum viro iniquo, & obvolutus est in peccatis ejus.
14 Una hora tecum permanebit: si autem declinaveris, non supportabit.
15 * In labiis suis indulcat inimicus: & in corde suo insidiatur ut subvertat te in foveam. * Ier. 41. b. 6.
16 In oculis suis lacrymatur inimicus: & si invenerit tempus, non satiabitur sanguine: D
17 Et si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem.
18 In oculis suis lacrymatur inimicus, & quasi adjuvans suffodiet plantas tuas.
19 Caput suum movebit, & plaudet manu, & multa susurrans commutabit vultum suum.

Caput XIII.

Periculosa sunt consortia cum superbo, divite, & potentiore: dilige Deum ac proximum: non convenit diviti cum paupere, & hoc despecto ille honoratur.

1 QUi tetigerit picem, inquinabitur ab ea: * A & qui communicaverit superbo, induet superbiam. * Sup. 7. a. 2.
2 Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius fueris.
3 Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur.
4 Dives injustè egit, & fremet: pauper autem læsus tacebit.
5 Si largitus fueris, assumet te: & si non habueris, derelinquet te.
6 Si habes, convivet tecum, & evacuabit te, & ipse non dolebit super te.
7 Si necessarius illi fueris, supplantabit te, & subridens spem dabit, narrans tibi bona, & dicet: Quid opus est tibi?

8 Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis, & ter: & in novissimo deridebit te: & posteà videns derelinquet te, & caput suum movebit ad te.
9 Humiliare Deo, & expecta manus ejus.
10 Attende ne seductus in stultitiam humilieris.
11 Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.
B 12 Advocatus à potentiore discede: ex hoc enim magis te advocabit.
13 Ne improbus sis, ne impingaris: & ne longè sis ab eo, ne eas in oblivionem.
14 Ne retineas ex æquo loqui cum illo: nec credas multis verbis illius. ex multa enim loquela tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis.
15 Immitis animus illius conservabit verba tua: & non parcet de malitia, & de vinculis.
16 Cave tibi, & attende diligenter auditui tuo: quoniam cum subversione tua ambulas.
17 Audiens verò illa quasi in somnis vide, & vigilabis.
C 18 Omni vita tua dilige Deum, & invoca illum in salute tua.
19 Omne animal diligit simile sibi: sic & omnis homo proximum sibi.
20 Omnis caro ad similem sibi conjungetur, & omnis homo simili sui sociabitur.
21 Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo.
* 2. Cor. 6. c. 14. 22 * Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars diviti ad pauperem?
23 Venatio leonis, onager in eremo: sic & pascua divitum sunt pauperes.
24 Et sicut abominatio est superbo humilitas: sic & execratio divitis pauper.
D 25 Dives commotus confirmatur ab amicis suis: humilis autem cùm ceciderit, expelletur & à notis.
26 Diviti decepto multi recuperatores: locutus est superba, & justificaverunt illum.
27 Humilis deceptus est, insuper & arguitur: locutus est sensatè, & non est datus ei locus.
28 Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad nubes perducent.
29 Pauper locutus est, & dicunt: Quis est hic? & si offenderit, subvertent illum.
30 Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia: & nequissima paupertas in ore impij.
31 Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala.
32 Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficilè invenies, & cum labore.

Caput XIV.

Beatus qui non est verbo lapsus: avaro & livido perniciosa divitiæ, & de utriusque miseriis: de substantia benefaciendum ante mortem quæ non tardat: de hominis fragilitate, beatus sapientiæ & justitiæ studiosus.

A 1 BEatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore
Inf. 19. c. 17. suo, & non est stimulatus in tristitia delicti.
2 Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit à spe sua.

3 Viro cupido & tenaci sine ratione est substantia, & homini livido ad quid aurum?
4 Qui acervat ex animo suo injustè, aliis congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur.
5 Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? & non jucundabitur in bonis suis.
6 Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, & hæc redditio est malitiæ illius:
7 Et si benè fecerit, ignoranter, & non volens facit: & in novissimo manifestat malitiam suam.
8 Nequam est oculus lividi: & avertens faciem B suam, & despiciens animam suam.
9 Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: nõ satiabitur donec consumat arefaciens animã suam.
10 Oculus malus ad mala: & non satiabitur pane, sed indigens & in tristitia erit super mensam suam.
11 Fili si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer.
12 Memor esto quoniam mors non tardat, & testamentũ inferorum quia demonstratum est tibi: testamentum enim hujus mundi, morte morietur.
13 * Ante mortem benefac amico tuo, & secun- * Tob. 4. b. 7. Sup. 4. a. 1. Luc. 16. b. 9.
dùm vires tuas exporrigens da pauperi.
14 Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.
15 Nónne aliis relinques dolores & labores tuos in divisione sortis?
16 Da, & accipe, & justifica animam tuam.
17 Ante obitum tuum operare justitiam: quo- C niam non est apud inferos invenire cibum.
18 * Omnis caro sicut fœnum veterascet, & * Isa. 40. b. 6. Iac. 1. b. 10. 1. Per. 1. d. 24.
sicut folium fructificans in arbore viridi.
19 Alia generantur, & alia dejiciuntur: sic generatio carnis & sanguinis, alia finitur, & alia nascitur.
20 Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo.
21 Et omne opus electum justificabitur: & qui operatur illud, honorabitur in illo.
22 * Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & * Psal. 1. a. 2.
qui in justitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.
23 Qui excogitat vias illius in corde suo, & in D absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi investigator, & in viis illius consistens:
24 Qui respicit per fenestras illius, & in januis illius audiens:
25 Qui requiescit juxta domum illius, & in parietibus illius figens palum statuet casulam suam ad manus illius, & requiescent in casula illius bona per ævum:
26 Statuet filios suos sub tegmine illius, & sub ramis ejus morabitur.
27 Protegetur sub tegmine illius à fervore, & in gloria ejus requiescet.

Caput XV.

Beatus qui in timore Dei aptat se ad sapientiam, quam stulti & mendaces non assequentur: peccata Deo non sunt adscribenda, sed homini qui ab illo conditus est libero arbitrio, propositis præceptis quæ servare poterat: Dei oculis omnia nuda sunt.

1 QUi timet Deum, faciet bona: & qui A continens est justitiæ, apprehendet illam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 Et obviabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet illum.
3 Cibabit illum pane vitæ & intellectus, * & aqua sapientiæ salutaris potabit illum: & firmabitur in illo, & non flectetur:
4 Et continebit illum, & non confundetur: & exaltabit illum apud proximos suos,
5 Et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, & adimplebit illum spiritu sapientiæ & intellectus, & stola gloriæ vestiet illum.
6 Iucunditatem & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hereditabit illum.
7 Homines stulti non apprehendent illam, & homines sensati obviabunt illi, homines stulti non videbunt eam: longè enim abest à superbia & dolo.
8 Viri mendaces non erunt illius memores: & viri veraces invenientur in illa, & successum habebunt usque ad inspectionem Dei.
9 Non est speciosa laus in ore peccatoris:
10 Quoniam à Deo profecta est sapientia. sapientiæ enim Dei astabit laus, & in ore fideli abundabit, & dominator dabit eam illi.
11 Non dixeris: Per Deum abest: quæ enim odit ne feceris.
12 Non dicas: Ille me implanavit: non enim necessarij sunt ei homines impij.
13 Omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum.
14 Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.
15 Adjecit mandata & præcepta sua.
16 * Si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere.
17 Appositit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.
18 * Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi:
19 Quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione.
20 * Oculi Domini ad timentes eum, & ipse * agnoscit omnem operam hominis.
21 Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi.
22 Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium.

Caput XVI.

Non exultandum in filiis impiis: de ira Dei in malos & misericordia in bonos: magna sunt operum misericordiæ merita: Dei cognitioni ac judicio nemo se potest subtrahere, cujus opera sunt ab homine inscrutabilia.

1 NE jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis.
2 Non credas vitæ illorum, & ne respexeris in labores eorum.
3 Melior est enim unus timens Deum, quàm mille filij impij.
4 Et utile est mori sine filiis, quàm relinquere filios impios.
5 Ab uno sensato inhabitabitur patria, tribus impiorum deseretur.
6 Multa talia vidit oculus meus, & fortiora horum audivit auris mea.
7 * In synagoga peccantium exardebit ignis, & in gente incredibili exardescet ira.
8 * Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti:
9 Et non pepercit peregrinationi Lot, & execratus est eos præ superbia verbi illorum.
10 Non misertus est illis, gentem totam perdens, & extollentem se in peccatis suis.
11 * Et sicut sexcenta millia peditum, qui congregati sunt in duritia cordis sui: & si unus fuisset cervicatus, mirum, si fuisset immunis.
12 Misericordia enim & ira est cum illo. Potens exoratio, & effundens iram:
13 Secundùm misericordiam suam, sic correptio illius hominem secundùm opera sua judicat.
14 Non effugiet in rapina peccator, & non retardabit sufferentia misericordiam facientis.
15 Omnis misericordia faciet locum * unicuique secundùm meritum operum suorum, & secundùm intellectum peregrinationis ipsius.
16 Non dicas: A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur?
17 In populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura?
18 Ecce cælum, & cæli cælorum, abyssus, & universa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur,
19 Montes simul, & colles, & fundamenta terræ: cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur.
20 Et in omnibus his insensatum est cor: & omne cor intelligitur ab illo:
21 Et vias illius quis intelligit, & procellam, quam nec oculus videbit hominis?
22 Nam plurima illius opera sunt in absconsis: sed opera justitiæ ejus quis enuntiabit? aut quis substinebit? Longè enim est testamentū à quibusdā, & interrogatio omnium in consummatione est.
23 Qui minoratur corde, cogitat inania: & vir imprudens & errans, cogitat stulta.
24 Audi me fili, & disce disciplinam sensus, & in verbis meis attende in corde tuo,
25 Et dicam in æquitate disciplinam, & scrutabor enarrare sapientiam, & in verbis meis attende in corde tuo, & dico in æquitate spiritus virtutes, quas posuit Deus in opera sua ab initio, & in veritate enuntio scientiam ejus.
26 In judicio Dei opera ejus ab initio, & ab institutione ipsorum distinxit partes illorum, & initia eorum in gentibus suis.
27 Ornavit in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec laboraverunt, & non destiterunt ab operibus suis.
28 Unusquisque proximum sibi non angustiabit usque in æternum.
29 Non sis incredibilis verbo illius.
30 Post hæc Deus in terram respexit, & implevit illam bonis suis.
31 Anima omnis vitalis denuntiavit ante faciem ipsius, & in ipsam iterùm reversio illorum.

Caput

Caput XVII.

Creatio primorum parentum, donáque ipsis collata ac præcepta proposita, distinctio generis humani in varias nationes, quibus rectores præposuit, illosque & ipsorum opera universa perpetuo intuetur: virtus eleemosynæ: exhortatur peccatores ad pœnitentiam dum sani sunt, proposita Dei misericordia.

1 DEus creavit de terra hominem, & secundùm * imaginem suam fecit illum.
2 Et iterùm convertit illum in ipsam, & secundùm se vestivit illum virtute.
3 Numerum dierum & tempus dedit illi, & dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram.
4 Posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum & volatilium.
5 * Creavit ex ipso adjutorium simile sibi: consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi: & disciplina intellectus replevit illos.
6 Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala & bona ostendit illis.
7 Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum,
8 Ut nomen sanctificationis collaudent; & gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus.
9 Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hereditavit illos.
10 Testamentum æternum constituit cum illis, & justitiam & judicia sua ostendit illis.
11 Et magnalia honoris ejus vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum, & dixit illis: Attendite ab omni iniquo.
12 Et mandavit illis unicuique de proximo suo.
13 Viæ illorum coram ipso sunt semper, non sunt absconsæ ab oculis ipsius.
14 * In unamquamque gentem præposuit rectorem:
15 Et pars Dei, Israël facta est manifesta.
16 Et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei: & oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum.
17 Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum, & omnes iniquitates eorum in conspectu Dei.
18 * Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit:
19 * Et posteà resurget, & retribuet illis retributionem, unicuique in caput ipsorum, & convertet in interiores partes terræ.
20 Pœnitentibus autem dedit viam justitiæ, & confirmavit deficientes sustinere, & destinavit illis sortem veritatis.
21 Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua:
22 Precare ante faciem Domini, & minue offendicula.
23 Revertere ad Dominum, & avertere ab injustitia tua, & nimis odito execrationem:
24 Et cognosce justitias & judicia Dei, & sta in sorte propositionis, & orationis altissimi Dei.
25 In partes vade seculi sancti, * cum vivis & dantibus confessionem Deo.
26 Nō demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, perit confessio.
27 Confiteberis vivens, vivus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius.
28 Quàm magna misericordia Domini, & propitiatio illius, convertentibus ad se!
29 Nec enim omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, & in vanitate malitiæ placuerunt.
30 Quid lucidius sole: & hic deficiet. Aut quid nequius quàm quod excogitavit caro & sanguis? & hoc arguetur.
31 Virtutem altitudinis cæli ipse conspicit: & omnes homines terra & cinis.

Caput XVIII.

Dei magnalia homini inscrutabilia: hominis miseria, & Dei erga illum miseratio: proximo miserendum: quomodo infirmus se habere debeat: quomodo sit orandum: considerandum Dei judicium, & à propriis concupiscentiis discedendum.

1 QUi vivit in æternum, creavit omnia simul, Deus solus justificabitur, & manet invictus rex in æternum.
2 Quis sufficit enarrare opera illius?
3 Quis enim investigabit magnalia ejus?
4 Virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? aut quis adjiciet enarrare misericordiā ejus?
5 Non est minuere, neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei.
6 Cùm consummaverit homo, tunc incipiet: & cùm quieverit, aporiabitur.
7 Quid est homo, & quæ est gratia illius? & quid est bonum, aut quid nequam illius?
8 * Numerus dierum hominum ut multum centum anni: quasi gutta aquæ maris deputati sunt: & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi.
9 Propter hoc patiens est Deus in illis, & effundit super eos misericordiam suam.
10 Vidit præsumptionem cordis eorum quoniam mala est, & cognovit subversionem illorum quoniam nequam est.
11 Ideò adimplevit propitiationem suam in illis, & ostendit eis viam æquitatis.
12 Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem.
13 Qui misericordiam habet, docet, & erudit quasi pastor gregem suum.
14 Misereatur excipientis doctrinam miserationis, & qui festinat in judiciis ejus.
15 Fili in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali.
16 Nónne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius quàm datum.
17 Nónne ecce verbum super datum bonum? sed utraque cum homine justificato.
18 Stultus acriter improperabit: & datus indisciplinati rabescere facit oculos.
19 Ante judicium para justitiam tibi, & antequam loquaris disce.
20 Ante languorem adhibe medicinam, * & ante judicium interroga teipsum, & in conspectu Dei invenies propitiationem.
21 Ante languorem humilia te, & in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam.
22 * Non impediaris orare semper, & ne verearis

1. Thess. 3. c. 17. rearis usque ad mortem justificari : quoniam merces Dei manet in æternum.

23 Ante orationem præpara animam tuam : & noli esse quasi homo qui tentat Deum.

* Sap. 7. b. 18. 24 * Memento iræ in die consummationis, & tempus retributionis in conversatione faciei.

* Sup. 11. c. 27. 25 * Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die divitiarum.

D 26 A manè usque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.

27 Homo sapiens in omnibus metuet, & in diebus delictorum attendet ab inertia.

28 Omnis astutus agnoscit sapientiam, & invenienti eam dabit confessionem.

29 Sensati in verbis & ipsi sapienter egerunt: & intellexerunt veritatem & justitiam, & impluerunt proverbia & judicia.

* Rom. 12. 13. d. 13. 14. 30 * Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere.

31 Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.

32 Ne oblecteris in turbis nec in modicis : assidua enim est commissio illorum.

33 Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, & est tibi nihil in sæculo : eris enim invidus vitæ tuæ.

Caput XIX.

De vino, luxuria, loquacitate, citò credente, gaudente super iniquitate, odiente correptionem, exultante in malitia, discretione in verbis servanda, correptione, ficta humilitate, & laude tacentis.

A 1 OPerarius ebriosus non locupletabitur : & qui spernit modica, paulatim decidet.

* Gen. 19. g. 33. 5. Reg. 11. a. 1. 2 * Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos :

3 Et qui se jungit fornicariis, erit nequam : putredo & vermes hereditabunt illum, & extolletur in exemplum majus, & tolletur de numero anima ejus.

* Ios. 9. c. 15. 22. c. 11. 4 * Qui credit citò, levis corde est, & minorabitur : & qui delinquit in animam suam, insuper habebitur.

5 Qui gaudet iniquitate, denotabitur : & qui odit correptionem, minuetur vita : & qui odit loquacitatem, extinguit malitiam.

B 6 Qui peccat in animam suam, pœnitebit : & qui jucundatur in malitia, denotabitur.

7 Ne iteres verbum nequam & durum, & non minoraberis.

8 Amico & inimico noli narrare sensum tuum : & si est tibi delictum, noli denudare.

9 Audiet enim te, & custodiet te, & quasi defendens peccatum odiet te, & sic aderit tibi semper.

10 Audisti verbum adversus proximum tuum ? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.

11 A facie verbi parturit fatuus, tamquam gemitus partus infantis.

12 Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.

* Levi. 19. c. 17. Matth. 18. b. 15. 13 * Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat : Non feci : aut si fecerit, ne iterùm addat facere.

Luc. 17. a. 3. 14 Corripe proximum, ne fortè non dixerit : & si dixerit, ne fortè iteret.

15 Corripe amicum : sæpè enim fit commissio.

C 16 Et non omni verbo credas. est qui labitur lingua, sed non ex animo.

* Iac. 3. c. 8. 17 * Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua ? Corripe proximum antequam commineris.

18 Et da locum timori Altissimi : quia omnis sapientia timor Dei, & in illa timere Deum, & in omni sapientia dispositio legis.

19 Et non est sapientia nequitiæ disciplina : & non est cogitatus peccatorum prudentia.

20 Est nequitia, & in ipsa execratio : & est insipiens qui minuitur sapientia.

21 Melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi.

22 Est solertia certa, & ipsa iniqua.

23 Et est qui emittit verbum certum enarrans D veritatem. Est qui nequiter humiliat se, & interiora ejus plena sunt dolo :

24 Et est qui se nimiùm submittit à multa humilitate : & est qui inclinat faciem suam, & fingit se non videre quod ignoratum est :

25 Et si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet.

26 Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.

27 Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.

28 Est correptio mendax in ira contumelioſi : & est judicium, quod non probatur esse bonum : & est tacens, & ipse est prudens.

Caput XX.

De correptione, & correpti pœnitentia : de tacente, & loquace : de dono sapientis, & fatui : de falsa promissione & mendacio : de sapiente qui placet magnatis : de donis non accipiendis, & sapientia abscondita.

A 1 QUàm bonum est arguere, quàm irasci, & confitentem in oratione non prohibere !

2 Concupiscentia spadonis devirginabit juvenculam :

3 Sic qui facit per vim judicium iniquum.

4 Quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiam : sic enim effugies voluntarium peccatum.

5 Est tacens, qui invenitur sapiens : & est odibilis, qui procax est ad loquendum.

6 Est tacens non habens sensum loquelæ : & est tacens sciens tempus aptum.

7 Homo sapiens tacebit usque ad tempus : lascivus autem & imprudens non servabunt tempus.

8 Qui multis utitur verbis, lædet animam B suam : & qui potestatem sibi sumit injustè, odietur.

9 Est processio in malis viro indisciplinato, & est inventio in detrimentum.

10 Est datum, quod non est utile : & est datum, cujus retributio duplex.

11 Est propter gloriam minoratio : & est qui ab humilitate levabit caput.

12 Est

12 Est qui multa redimat modico pretio, & restituens ea in septuplum.

13 Sapiens in verbis seipsum amabilem facit : gratiæ autem fatuorum effundentur.

14 Datus insipientis non erit utilis tibi : oculi enim illius septemplices sunt.

15 Exigua dabit, & multa improperabit : & apertio oris illius inflammatio est.

16 Hodie fœneratur quis, & cras expetit : odibilis est homo hujusmodi.

17 Fatuo non erit amicus, & non erit gratia bonis illius.

C 18 Qui enim edunt panem illius, falsæ linguæ sunt. Quoties, & quanti irridebunt eum ?

19 Neque enim quod habendum erat, directo sensu distribuit : similiter & quod non erat habendum.

20 Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pavimento cadens : sic casus malorum festinanter veniet.

21 Homo acharis quasi fabula vana, in ore indisciplinatorum assidua erit.

22 Ex ore fatui reprobabitur parabola : non enim dicit illam in tempore suo.

23 Est qui vetatur peccare præ inopia, & in requie sua stimulabitur.

24 Est qui perdet animam suam præ confusione, & ab imprudenti persona perdet eam : personæ autem acceptione perdet se.

25 Est qui præ confusione promittit amico, & lucratus est eum inimicum gratis.

26 Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assiduè erit.

D 27 Potior fur quàm assiduitas viri mendacis : perditionem autem ambo hereditabunt.

28 Mores hominum mendacium sine honore : & confusio illorum cum ipsis sine intermissione.

29 Sapiens in verbis producet seipsum, & homo prudens placebit magnatis.

30 Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum : & qui operatur justitiam, ipse exaltabitur : qui verò placet magnatis, effugiet iniquitatem.

* Exod. 23. b. 8. Deut. 16. d. 19. 31 * Xenia & dona excæcant oculos judicum, & quasi mutus in ore avertit correptiones eorum.

* Ios. 41. c. 17. 32 * Sapientia absconsa & thesaurus invisus ; quæ utilitas in utrisque ?

33 Melior est qui celat insipientiam suam, quàm homo qui abscondit sapientiam suam.

Caput XXI.

Docet fugiendum peccatum : primùm in genere, deinde in specie productis variis peccatis.

A 1 FIli peccasti ? non adjicias iterùm : sed & de pristinis deprecare ut tibi dimittantur.

2 Quasi à facie colubri fuge peccata : & si accesseris ad illa, suscipient te.

3 Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum.

4 Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.

5 Objurgatio & injuriæ annullabunt substantiam : & domus quæ nimis locuples est, annullabitur superbia, sic substantia superbi eradicabitur.

6 Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet, & judicium festinatò adveniet illi.

7 Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris : & qui timet Deum, convertetur ad cor suum.

8 Notus à longè potens lingua audaci : & sensatus scit labi se ab ipso.

9 Qui ædificat domum suam impendiis alienis, B quasi qui colligit lapides suos in hieme.

* Sup. 16. a. 7. 10 * Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis.

11 Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.

12 Qui custodit justitiam, continebit sensum ejus.

13 Consummatio timoris Dei, sapientia & sensus.

14 Non erudietur, qui non est sapiens in bono.

15 Est autem sapientia, quæ abundat in malo : & non est sensus ubi est amaritudo.

16 Scientia sapientis tamquam inundatio abundabit, & concilium illius sicut fons vitæ permanet.

17 Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.

18 Verbum sapiens quodcumque audierit scius, C laudabit, & ad se adjiciet : audivit luxuriosus, & displicebit illi, & projiciet illud post dorsum suum.

19 Narratio fatui quasi sarcina in via : nam in labiis sensati invenietur gratia.

20 Os prudentis quæritur in Ecclesia, & verba illius cogitabunt in cordibus suis.

21 Tamquam domus exterminata, sic fatuo sapientia : & scientia insensati inenarrabilia verba.

22 Compedes in pedibus, stulto doctrina, & quasi vincula manuum super manum dextram.

23 Fatuus in risu exaltat vocem suam : vir autem D sapiens vix tacitè ridebit.

24 Ornamentum aureum prudenti doctrina, & quasi brachiale in brachio dextro.

25 Pes fatui facilis in domum proximi : & homo peritus confundetur à persona potentis.

26 Stultus à fenestra respiciet in domum : vir autem eruditus foris stabit.

27 Stultitia hominis auscultare per ostium : & prudens gravabitur contumelia.

28 Labia imprudentium stulta narrabunt : verba autem prudentium statera ponderabuntur.

29 In ore fatuorum cor illorum : & in corde sapientium os illorum.

30 Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam.

31 Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur : & qui cum eo manserit, odiosus erit : tacitus & sensatus honorabitur.

Caput XXII.

De lapidatione pigri, filio indisciplinato, filiáque fatua, musicâ in luctu, docente fatuum, mortuo plorando : cum stulto non loquendum : de corde stulti ac timidi : de servanda fide cum amico, & oris custodia.

A 1 IN lapide luteo lapidatus est piger, & omnes loquentur super aspernationem illius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 De stercore boum lapidatus est piger : & omnis, qui tetigerit eum, excutiet manus.

3 Confusio patris est de filio indisciplinato : filia autem in deminoratione fiet.

4 Filia prudens hereditas viro suo.nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris.

5 Patrem & virum confundit audax, & ab impiis non minorabitur : ab utrisque autem inhonorabitur.

6 Musica in luctu importuna narratio : flagella & doctrina in omni tempore sapientia.

7 Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam.

8 Qui narrat verbum non audienti,quasi qui excitat dormientem de gravi somno.

9 Cum dormiente loquitur qui enarrat stulto sapientiam : & in fine narrationis dicit : Quis est hic?

Inf. 38.b.16. 10 * Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus : & supra fatuum plora, deficit enim sensus.

11 Modicum plora supra mortuum,quoniam requievit.

12 Nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui.

** Gen. 50.b.10.* B 13 * Luctus mortui septem dies ; fatui autem & impij, omnes dies vitæ illorum.

14 Cum stulto ne multum loquaris, & cum insensato ne abieris.

15 Serva te ab illo, ut non molestiam habeas, & non coinquinaberis peccato illius.

16 Deflecte ab illo, & invenies requiem,& non accediaberis in stultitia illius.

17 Super plumbum quid gravabitur ? & quod illi aliud nomen quàm fatuus ?

** Prov. 27.a.3.* 18 * Arenam, & salem, & massam ferri facilius est ferre, quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium.

19 Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificij non dissolvetur : sic & cor confirmatum in cogitatione consilij.

20 Cogitatus sensati in omni tempore,metu non depravabitur.

C 21 Sicut pali in excelsis,& cæmenta sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt :

22 Sic & cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet.

23 Sicut cor trepidum in cogitatione fatui, omni tempore non metuet, sic & qui in præceptis Dei permanet semper.

24 Pungens oculum deducit lacrymas : & qui pungit cor, profert sensum.

25 Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa : sic & qui convitiatur amico, dissolvit amicitiam.

26 Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes, est enim regressus. Ad amicum

27 Si aperueris os triste, non timeas : est enim concordatio ; excepto convitio, & improperio, & superbia, & mysterij revelatione, & plaga dolosa : in his omnibus effugiet amicus.

28 Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut & in bonis illius læteris.

D 29 In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut & in hereditate illius coheres sis.

30 Ante ignem camini vapor, & fumus ignis inaltatur : sic & ante sanguinem maledicta,& contumeliæ, & minæ.

31 Amicum salutare non confundar, à facie illius non me abscondam : & si mala mihi evenerint per illum, sustinebo.

32 Omnis qui audiet, cavebit se ab eo.

33 * Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me ? ** Psalm. 140.a.3.*

Caput XXIII.

Oratio adversus superbiam, gulam & luxuriam : consuetudo jurandi vitanda, & indisciplinatus sermo adferens improperium : duo genera in peccato abundantiæ, & tertium adducens iram : confutatio hominis ad peccandum se hortantis : de peccatis in adulterio concurrentibus, & laude timoris Domini.

1 DOmine pater, & dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum : nec sinas me cadere in illis. A

2 Quis superponet in cogitatu meo flagella, & in corde meo doctrinam sapientiæ, ut ignorationibus eorum non parcant mihi, & non appareant delicta eorum,

3 Et ne adinrescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea,& peccata mea abundent, & incidam in conspectu adversariorum meorum, & gaudeat super me inimicus meus ?

4 Domine pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum.

5 Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne desiderium averte à me.

6 Aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, & animæ irreverenti & infrunitæ ne tradas me.

7 Doctrinam oris audite filij : & qui custodierit illam,non periet labiis,nec scandalizabitur in operibus nequissimis.

8 In vanitate sua apprehenditur peccator,& superbus & maledicus scandalizabitur in illis.

9 * Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. ** Exod. 20.b.7. Matth. 5.c.33.*

10 Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis : quoniam non eris immunis ab eis. B

11 Sicut enim servus interrogatus assiduè, à livore non minuitur:sic omnis jurans,& nominans, in toto à peccato non purgabitur.

12 Vir multum jurans implebitur iniquitate,& non discedet à domo illius plaga.

13 Et si frustraverit, delictum illius super ipsum erit : & si dissimulaverit, delinquit dupliciter :

14 Et si in vacuum juraverit, non justificabitur: replebitur enim retributione domus illius.

15 Est & alia loquela contraria morti, non inveniatur in hereditate Jacob.

16 Etenim à misericordibus omnia hæc auferentur, & in delictis non volutabuntur.

17 Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati.

18 Memento patris & matris tuæ,in medio enim magnatorum consistis :

19 Ne fortè obliviscatur te Deus in conspectu illorum, & assiduitate tua infatuatus, improperium patiaris, & maluisses non nasci, & diem nativitatis tuæ maledicas.

20 * Homo

** 1.Reg. 16.b.7.* C 20 * Homò assuetus in verbis improperij, in omnibus diebus suis non erudietur.

21 Duo genera abundant in peccatis,& tertium adducit iram, & perditionem.

22 Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat :

23 Et homo nequam in ore carnis suæ,non desinet donec incendat ignem.

24 Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens usque ad finem.

25 Omnis homo qui transgreditur lectum suum, ** Isa. 29.c.15.* contemnens in animam suam, & dicens : * Quis me videt ?

26 Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me,& nemo circumspicit me : quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus.

27 Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei hujusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum :

28 Et non cognovit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem,circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi,& hominum corda intuentes in absconditas partes.

D 29 Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita : sic & post perfectum respicit omnia.

30 Hic in plateis civitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur : & ubi non speravit,apprehendetur.

31 Et erit dedecus omnibus, eò quòd non intellexerit timorem Domini.

** Levit. 20.b.10. Deut. 22.c.22.* 32 * Sic & mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hereditatem ex alieno matrimonio :

33 Primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit : secundò in virum suum deliquit : tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi.

34 Hæc in Ecclesiam adducetur, & in filios ejus respicietur.

35 Non tradent filij ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum.

36 Derelinquet in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur.

37 Et agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est quàm timor Dei : & nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini.

38 Gloria magna est sequi Dominum : longitudo enim dierum assumetur ab eo.

Caput XXIV.

Sapientia multiplices suas laudes & originem describit ; & mirè ad sui amplexum invitat, omnia suæ doctrinæ splendore illustrans.

A 1 SApientia laudabit animam suam, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur,

2 Et in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, in conspectu virtutis illius gloriabitur,

3 Et in medio populi sui exaltabitur, & in plenitudine sancta admirabitur,

4 Et in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur, dicens :

5 Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam :

6 Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram :

7 Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis.

8 Gyrum cæli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi,

9 Et in omni terra steti : & in omni populo,

10 Et in omni gente primatum habui :

11 Et omnium excellentium & humilium corda virtute calcavi : & in his omnibus requiem quæsivi : & in hereditate Domini morabor.

12 Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium : & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo,

13 Et dixit mihi : In Jacob inhabita, & in Israël hereditare, & in electis meis mitte radices.

14 * Ab initio, & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non definam,& in habitatione sancta coram ipso ministravi. ** Prov. 8.c.22.* B

15 Et sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea.

16 Et radicavi in populo honorificato,& in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea.

17 Quasi cedrus exaltata sum in Libano,& quasi cypressus in monte Sion :

18 Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Jericho :

19 Quasi oliva speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis.

20 Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris :

21 Et quasi storax & galbanus,& ungula,& gutta, & quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, & quasi balsamum non mistum odor meus.

22 Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ. C

23 Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris : & flores mei fructus honoris & honestatis.

24 Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.

25 In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.

26 Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini :

27 Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum :

28 Memoria mea in generationes sæculorum.

29 * Qui edunt me,adhuc esurient : & qui bibunt me, adhuc sitient. ** Joan. 6.d.35.*

30 Qui audit me,non confundetur : & qui operantur in me, non peccabunt.

31 Qui elucidant me,vitam æternam habebunt.

32 Hæc omnia liber vitæ, & testamentum Altissimi, & agnitio veritatis.

33 Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, & hereditatem domui Jacob & Israël promissiones.

34 Posuit David puero suo excitare regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum.

35 * Qui

35 * Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus novorum.
* Gen. 2. b. 11.

36 Qui adimplet quasi Euphrates sensum: * qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis.
* Jos. 3. d. 15.

37 Qui mittit disciplinam sicut lucem, & assistens quasi Gehon in die vindemiæ.

38 Qui perficit primus scire ipsam, & infirmior non investigabit eam.

D 39 A mari enim abundavit cogitatio ejus, & consilium illius ab abysso magna.

40 Ego sapientia effudi flumina.

41 Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvij Dioryx, & sicut aquæductus exivi de paradiso.

42 Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.

43 Et ecce factus est mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquavit ad mare:

44 Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam usque ad longinquum.

45 Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.

46 Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus sapientiam, & non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum.

* Inf. 33. c. 18. 47 * Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem.

Caput XXV.

Tria quæ Domino placent, & tria quæ odit: novem insuspicabilia: laus timoris Dei: mulieris nequam mira detestatio: à muliere initium peccati & mortis: mulieris dominium non ferendum.

A 1 IN tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus:

2 Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes.

3 Tres species odivit anima mea, & aggravor valdè animæ illorum:

4 Pauperem superbum: divitem mendacem: senem fatuum & insensatum.

5 Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies?

6 Quàm speciosum canitiei judicium, & presbyteris cognoscere consilium!

7 Quàm speciosa veteranis sapientia, & gloriosis intellectus, & consilium!

8 Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.

B 9 Novem insuspicabilia cordis magnificavi, & decimum dicam in lingua hominibus:

10 Homo, qui jucundatur in filiis, vivens & videns subversionem inimicorum suorum.

* Isa. 26. n. 1. * Sup. 14. n. 1. 19. c. 16. Isa. 3. n. 2. 11 * Beatus qui habitat cum muliere sensata, * & qui lingua sua non est lapsus, & qui non servivit indignis se.

12 Beatus, qui invenit amicum verum, & qui enarrat justitiam auri audienti:

13 Quàm magnus, qui invenit sapientiam, & scientiam! sed non est super timentem Dominum.

14 Timor Dei super omnia se superposuit:

15 Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illum, cui assimilabitur?

16 Timor Dei initium dilectionis ejus: fidei autem initium agglutinandum est ei.

17 Omnis plaga, tristitia cordis est: & omnis malitia, nequitia mulieris.

18 Et omnem plagam, & non plagam videbit C cordis:

19 Et omnem nequitiam, & non nequitiam mulieris:

20 Et omnem obductum, & non obductum odientium:

21 Et omnem vindictam, & non vindictam inimicorum.

22 Non est caput nequius super caput colubri:

23 Et non est ira super iram mulieris. * Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. * Prov. 21. v. 19.

24 Nequitia mulieris immutat faciem ejus: & obcæcat vultum suum tamquam ursus: & quasi saccum ostendit. In medio proximorum ejus

25 Ingemuit vir ejus, & audiens suspiravit modicum.

26 Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam.

27 Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto.

28 * Ne respicias in mulieris speciem, & non concupiscas mulierem in specie. * Inf. 42. n. 6. D

29 Mulieris ira, & irreverentia, & confusio magna.

30 Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo.

31 Cor humile, & facies tristis, & plaga cordis, mulier nequam.

32 Manus debiles, & genua dissoluta, mulier quæ non beatificat virum suum.

33 * A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. * Gen. 3. n. 6.

34 Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum; nec mulieri nequam veniam prodeundi.

35 Si non ambulaverit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum.

36 A carnibus tuis abscinde illam, ne semper te abutatur.

Caput XXVI.

Proponit vicissim laudes bonæ mulieris, & vituperia malæ ac zelotypæ: filia custodienda: tria timenda: duo contristantia, & duo periculosa.

1 MUlieris bonæ beatus vir: numerus enim A annorum illius duplex.

2 Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit.

3 Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis:

4 Divitis autem & pauperis cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilaris.

5 A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit:

6 Delaturam civitatis, & collectionem populi,

7 Calumniam mendacem, super mortem omnia gravia:

8 Dolor cordis & luctus, mulier zelotypa.

9 In

9 In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans.

B 10 Sicut boum jugum, quod movetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.

11 Mulier ebriosa ira magna: & contumelia, & turpitudo illius non tegetur.

12 Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscetur.

*Inf. 42. c. 11. 13 * In filia non avertente se, firma custodiam: ne inventa occasione utatur se.

14 Ab omni irreverentia oculorum ejus cave, & ne mireris si te neglexerit.

15 Sicut viator sitiens, ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum sedebit, & contra omnem sagittam aperiet pharetram donec deficiat.

C 16 Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit.

17 Disciplina illius, datum Dei est.

18 Mulier sensata & tacita, non est immutatio eruditæ animæ.

19 Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata.

20 Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.

21 Sicut Sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonç species in ornamentum domus ejus.

22 Lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem.

D 23 Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris.

24 Fundamenta æterna supra petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ.

25 In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi advenit:

26 Vir bellator deficiens per inopiam: & vir sensatus contemptus:

27 Et qui transgreditur à justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad romphæam.

28 Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt, difficilè exuitur negotians à negligentia: & non justificabitur caupo à peccatis labiorum.

Caput XXVII.

Ob inopiam & amorem divitiarum multi delinquunt: timor Domini constanter servandus: tentatio probat eum qui tentatur: sequenda justitia: inconstantia stulti, & modestia in verbis servanda: secreta amici non revelanda: de annuente oculo & insidioso.

A 1 PRopter inopiam multi deliquerunt: & qui quærit locupletari, avertit oculum suum.

2 Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatum.

3 Conteretur cum delinquente delictum.

4 Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.

5 Sicut in percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius.

6 Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.

7 Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis.

8 Ante sermonem non laudes virum: hæc enim tentatio est hominum.

9 Si sequaris justitiam, apprehendes illam; & indues quasi podèrem honoris, & inhabitabis cum ea, & proteget te in sempiternum, & in die agnitionis invenies firmamentum.

10 Volatilia ad sibi similia conveniunt: & veritas ad eos, qui operantur illam, revertetur. B

11 Leo venationi insidiatur semper; sic peccata operantibus iniquitates.

12 Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur.

13 In medio insensatorum serva verbum tempori: in medio autem cogitantium assiduus esto.

14 Narratio peccantium odiosa, & risus illorum in deliciis peccati.

15 Loquela multum jurans, horripilationem capiti statuet: & irreverentia ipsius obturatio aurium.

16 Effusio sanguinis in rixa superborum: & maledictio illorum auditus gravis.

17 Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & C non inveniet amicum ad animum suum.

18 Dilige proximum, & conjungere fide cum illo.

19 Quòd si denudaveris absconsa illius, non persequèris post eum.

20 Sicut enim homo, qui perdit amicum suum, sic & qui perdit amicitiam proximi sui.

21 Et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic dereliquisti proximum tuum, & non eum capies.

22 Non illum sequaris, quoniam longè abest: effugit enim quasi caprea de laqueo: quoniam vulnerata est anima ejus.

23 Ultrà eum non poteris colligare. Et maledicti est concordatio:

24 Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.

25 Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abjiciet:

26 In conspectu oculorum tuorum condulcabit D os suum, & super sermones tuos admirabitur: novissimè autem pervertet os suum, & in verbis tuis dabit scandalum.

27 Multa odivi, & non coæquavi ei, & Dominus odiet illum.

28 Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet: & plaga dolosa, dolosi dividet vulnera.

29 Et qui foveam fodit, incidet in eam: & qui statuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo.

30 Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, & non agnoscet unde adveniat illi.

31 Illusio, & improperium superborum, & vindicta sicut leo insidiabitur illi.

32 Laqueo peribunt qui oblectantur casu justorum: dolor autem consumet illos antequam moriantur.

33 Ira & furor, utraque execrabilia sunt, & vir peccator continens erit illorum.

Caput

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPUT XXVIII.

Non quærenda vindicta, sed offensa remittenda: ab ira ac lite cessandum: mala lingua & pericula ipsius, & de tertia lingua: aures sepiendæ adversus linguam nequam, orique frænum imponendum.

A

Deu. 32. e. 35. Mat. 6. b. 14. Mar. 11. c. 25. Rom. 12. d. 19.

1 QUi vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit.

2 Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata solventur.

3 Homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam,

4 In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?

5 Ipse cùm caro sit, reservat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius?

6 Memento novissimorum, & desine inimicari:

7 Tabitudo enim & mors imminent in mandatis ejus.

8 Memorare timorem Dei, & non irascaris proximo.

9 Memorare testamentum Altissimi, & despice ignorantiam proximi.

10 Abstine te à lite, & minues peccata:

B 11 Homo enim iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.

12 Secundùm enim ligna silvæ sic ignis exardescit: & secundùm virtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secundùm substantiam suam exaltabit iram suam.

13 Certamen festinatum incendit ignem, & lis festinans effundit sanguinem: & lingua testificans adducit mortem.

14 Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit: & si exspueris super illam, extinguetur: utraque ex ore proficiscuntur.

15 Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.

16 Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem.

C 17 Civitates muratas divitum destruxit, & domos magnatorum effodit.

18 Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissolvit.

19 Lingua tertia mulieres viratas ejecit, & privavit illas laboribus suis.

20 Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat.

21 Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa.

22 Multi ceciderunt in ore gladij: sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.

23 Beatus qui tectus est à lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, & qui non attraxit jugum illius, & in vinculis ejus non est ligatus:

24 Jugum enim illius, jugum ferreum est: & vinculum illius vinculum æreum est.

25 Mors illus, mors nequissima: & utilis potiùs infernus quàm illa.

D 26 Perseverantia illius non permanebit: sed obtinebit vias injustorum: & in flamma sua non comburet justos.

27 Qui relinquunt Deum, incident in illam, & exardebit in illis, & non extinguetur, & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos.

28 Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras.

29 Aurum tuum & argentum tuum consla, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos:

30 Et attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.

CAPUT XXIX.

Per mutuum subveniendum proximo, fidésque mutuanti servanda: & quamquam multi fidem fallant, non tamen ob id cessandum ab eleemosyna, cujus laudes describit: fidejussori gratia habenda est, fidésque servanda: in quibus consistat initium vitæ hominis differit, & de vagis & ingratis hospitibus.

1 QUi facit misericordiam, fœneratur proximo suo: & qui prævalet manu, mandata servat. A

2 Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, & iterùm redde proximo in tempore suo.

3 Confirma verbum, & fideliter age cum illo: & in omni tempore invenies quod tibi necessarium est.

4 Multi quasi inventionem æstimaverunt fœnus, & præstiterunt molestiam his qui se adjuverunt.

5 Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam:

6 Et in tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tædij & murmurationum, & tempus causabitur:

7 Si autem potuerit reddere, adversabitur, solidi vix reddet dimidium, & computabit illud quasi inventionem:

8 Sin autem, fraudabit illum pecunia sua, & possidebit illum inimicum gratis: B

9 Et convitia, & maledicta reddet illi, & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam.

10 Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.

11 Verumtamen super humilem animo fortior esto, & pro eleemosyna non trahas illum.

12 Propter mandatum assume pauperem: & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum.

13 Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum: & non abscondas illam sub lapide in perditionem.

14 Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum.

15 * Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. * Tob. 4. b. 11. Sup. 17. c. 18.

16 Super scutum potentis, & super lanceam, adversus inimicum tuum pugnabit.

17 Vir bonus fidem facit pro proximo suo; & qui perdiderit confusionem, derelinquet sibi.

18 Gratiam fidejussoris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam.

19 Repromissorem fugit peccator & immundus.

20 Bona repromissoris sibi ascribit peccator: & ingratus sensu derelinquet liberantem se. C

21 Vir repromittit de proximo suo: & cùm perdiderit reverentiam, derelinquetur ab eo.

22 Repromissio nequissima multos perdidit dirigentes, & commovit illos quasi fluctus maris.

23 Viros

25 Viros potentes gyrans migrare fecit, & vagati sunt in gentibus alienis.

26 Peccator transgrediens mandatum Domini, incidet in promissionem nequam: & qui conatur multa agere, incidit in judicium.

27 Recupera proximum secundùm virtutem tuam, & attende tibi ne incidas.

* Inf. 39. c. 31. 28 * Initium vitæ hominis, aqua & panis, & D vestimentum & domus protegens turpitudinem.

29 Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quàm epulæ splendidæ in peregrè sine domicilio.

30 Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies.

31 Vita nequam hospitandi de domo in domum: & ubi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os.

32 Hospitabitur, & pascet, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet.

33 Transi hospes, & orna mensam: & quæ in manu habes, ciba ceteros.

34 Exi à facie honoris amicorum meorum: necessitudine domus meæ hospitio mihi factus est frater.

35 Gravia hæc homini habenti sensum: Correptio domus, & improperium fœneratoris.

CAPUT XXX.

Filij in disciplina educandi, & quàm sit perniciosum illis indulgere: corporis sanitas præstat divitiis: & quàm sit noxia & fugienda homini tristitia, cordis verò jucunditas quàm sit utilis.

A

Prov. 13. d. 24. 23. b. 13.

1 QUi diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, & non palpet proximorum ostia.

2 Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur.

* Deut. 6. b. 7. 3 * Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo.

4 Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.

5 In vita sua vidit, & lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis.

6 Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.

B 7 Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, & super omnem vocem turbabuntur viscera ejus.

8 Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadet præceps.

9 Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contristabit te.

10 Non corrideas illi, ne doleas, & in novissimo obstupescent dentes tui.

11 Non des illi potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus illius.

* Sup. 7. c. 25. 12 * Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.

13 Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.

14 Melior est pauper sanus, & fortis viribus, quàm dives imbecillis & flagellatus malitia.

C 15 Salus animæ in sanctitate justitiæ, melior est omni auro & argento; & corpus validum, quàm census immensus.

16 Non est census super censum salutis corporis: non est oblectamentum super cordis gaudium.

17 Melior est mors quàm vita amara; & requies æterna quàm languor perseverans.

18 Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro.

19 * Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabit: * Dan. 14. b. 6.

20 Sic qui effugatur à Domino, portans mercedes iniquitatis:

21 Videns oculis, & ingemiscens, sicut spado complectens virginem, & suspirans. D

22 * Tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo. * Prov. 12. d. 25. 15. b. 13. 17. d. 22.

23 Jucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis: & exultatio viri est longævitas.

24 Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine: congrega cor tuum in sanctitate ejus, & tristitiam longè repelle à te.

25 * Multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa. * 2. Cor. 7. c. 10.

26 Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus.

27 Splendidum cor, & bonum in epulis est: epulæ enim illius diligenter fiunt.

CAPUT XXXI.

Vigilia honestatis: cogitatus præscientiæ: labor divitis & pauperis: diligens aurum: multi casus in auro: laus divitis, sine macula: modestia in mensa servanda: laus sobrietatis, & vituperatio gulæ: laus usus modici vini, & vituperatio immodici.

1 VIgilia honestatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet somnum. A

2 Cogitatus præscientiæ avertit sensum, & infirmitas gravis sobriam facit animam.

3 Laboravit dives in congregatione substantiæ, & in requie sua replebitur bonis suis.

4 Laboravit pauper in diminutione victus, & in fine inops fit.

5 Qui aurum diligit, non justificabitur: & qui insequitur consumptionem, replebitur ex ea.

6 * Multi dati sunt in auri casus, & facta est in specie ipsius perditio illorum. * Sup. 8. a. 3.

7 Lignum offensionis est aurum sacrificantium: væ illis qui sectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo.

8 Beatus dives, qui inventus est sine macula: & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris.

9 Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

10 Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit:

11 Ideò stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. B

12 Supra mensam magnam sedisti? non aperias super illam faucem tuam prior.

13 Non dicas sic: Multa sunt, quæ super illam sunt:

14 Memento quoniam malus est oculus nequã.

15 Nequius oculo quid creatum est? ideò ab omni

omni facie sua lacrymabitur, cùm viderit,

16 Ne extendas manum tuam prior,& invidia contaminatus erubescas.

17 Ne comprimaris in convivio:

18 Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso:

19 Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur:ne,cùm manducas multum,odio habearis.

20 Cessa prior causa disciplinæ: & noli nimius esse, ne fortè offendas.

C 21 Et si in medio multorum sedisti,prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere.

22 Quàm sufficiens est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem.

23 Vigilia,cholera, & tortura viro infrunito:

24 Somnus sanitatis in homine parco dormiet usque manè,& anima illius cum ipso delectabitur.

25 Et si coactus fueris in edendo multum,surge è medio,evome: & refrigerabit te,& non adduces corpori tuo infirmitatem.

26 Audi me fili,& ne spernas me:& in novissimo invenies verba mea.

27 In omnibus operibus tuis esto velox,& omnis infirmitas non occurret tibi.

28 Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & testimonium veritatis illius fidele.

29 Nequissimo in pane murmurabit civitas, & testimonium nequitiæ illius verum est.

* *Iudith 13. a.4.* 30 Diligentes in vino noli provocare: * multos enim exterminavit vinum.

D 31 Ignis probat ferrum durum: sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum.

32 Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate: si bibas illud moderatè, eris sobrius.

33 Quæ vita est ei, qui minuitur vino?

34 Quid defraudat vitam? Mors.

* *Ps.103. b.15.* 35 * Vinum in jucunditatem creatum est, & non in ebrietatem,ab initio.

36 Exultatio animæ & cordis,vinum moderatè potatum.

37 Sanitas est animæ & corporis sobrius potus.

* *Prov. 31.a.4.* 38 * Vinum multum potatum, irritationem,& iram, & ruinas multas facit.

39 Amaritudo animæ vinum multum potatum.

40 Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera.

41 In convivio vini non arguas proximum: & non despicias eum in jucunditate illius:

42 Verba improperij non dicas illi: & non premas illum in repetendo.

Caput XXXII.

Officium boni rectoris: major natu loquatur: tacendum ubi non est qui audiat: jucunditas musicæ in convivio: adolescenti tacendum: laus taciturnitatis: discutienda propria domus:laus timoris Domini: peccator vitat correptionem: absque consilio nihil agendum.

A 1 REctorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis.

2 Curam illorum habe,& sic conside, & omni cura tua explicita recumbe:

3 Ut lætèris propter illos,& ornamentum gratiæ accipias coronam,& dignationem consequaris corrogationis.

4 Loquere major natu: decet enim te

5 Primum verbum diligenti scientia, & non impedias musicam.

6 Ubi auditus non est,non effundas sermonem, & importunè noli extolli in sapientia tua.

7 Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in convivio vini.

8 Sicut in fabricatione auri signum est smagradi, sic numerus musicorum in jucundo & moderato vino. B

9 Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia.

10 Adolescens loquere in tua causa vix.

11 Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.

12 In multis esto quasi insçius, & audi tacens simul & quærens.

13 In medio magnatorum non præsumas:& ubi sunt senes, non multum loquaris.

14 Ante grandinem præibit coruscatio: & ante verecundiam præibit gratia, & pro reverentia accedet tibi bona gratia.

15 Et hora surgendi non te trices: præcurre autem prior in domum tuam,& illic avocare,& illic lude, C

16 Et age conceptiones tuas, & non in delictis & verbo superbo.

17 Et super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis suis.

18 Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus: & qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem.

19 Qui quærit legem,replebitur ab ea: & qui insidiosè agit, scandalizabitur in ea.

20 Qui timent Dominum,invenient judicium justum, & justitias quasi lumen accendent.

21 Peccator homo vitabit correptionem, & secundùm voluntatem suam inveniet comparationem. D

22 Vir consilij non disperdet intelligentiam, alienus & superbus non pertimescet timorem:

23 Etiam postquam fecit cum eo sine consilio, & suis insectationibus arguetur.

24 Fili sine consilio nihil facias,& post factum non pœnitebis.

25 In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides: nec credas te viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum,

26 Et à filiis tuis cave, & à domesticis tuis attende.

27 In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ: hoc est enim conservatio mandatorum.

28 Qui credit Deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non minorabitur.

Caput XXXIII.

Laudantur timens Dominum & sapiens:inconstantia præcordiorum fatui:amicus substantior: dies & tempora à Deo sunt, qui & reliqua omnia creavit ac disponit,in cujus manus est homo ut lutum in manu figuli: malum contra bonum: possessio non in vita sed in morte distribuenda aliis: & quomodo servi sint tractandi.

A 1 TImenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit & liberabit à malis.

2 Sapiens

2 Sapiens non odit mandata & justitias, & non illidetur quasi in procella navis.

3 Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis.

4 Qui interrogationem manifestat,parabit verbum, & sic deprecatus exaudietur, & conservabit disciplinam, & tunc respondebit.

* *Sup. 21.b.17.* 5 * Præcordia fatui quasi rota carri: & quasi axis versatilis cogitatus illius.

6 Equus emissarius, sic & amicus subsannator, sub omni suprasedente hinnit.

7 Quare dies diem superat,& iterùm lux lucem, & annus annum à sole?

8 A Domini scientia separati sunt, facto sole, & præceptum custodiente.

B 9 Et immutavit tempora, & dies festos ipsorum, & in illis dies festos celebraverunt ad horam.

10 Ex ipsis exaltavit & magnificavit Deus,& ex ipsis posuit in numerum dierum. Et omnes homines de solo, * & ex terra, unde creatus est Adam. * *Gen. 2.a.7.*

11 In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos, & immutavit vias eorum.

12 Ex ipsis benedixit, & exaltavit: & ex ipsis sanctificavit, & ad se applicavit: & ex ipsis maledixit, & humiliavit,& convertit illos à separatione ipsorum.

* *Rom. 9.e.21.* 13 * Quasi lutum figuli in manu ipsius,plasmare illud & disponere.

14 Omnes viæ ejus secundùm dispositionem ejus: sic homo in manu illius,qui se fecit, & reddet illi secundùm judicium suum.

15 Contra malum bonum est,& contra mortem vita: sic& contra virum justum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi: Duo & duo,& unum contra unum.

16 Et ego novissimus evigilavi,& quasi qui colligit acinos post vindemiatores.

17 In benedictione Dei & ipse speravi: & quasi C qui vindemiat, replevi torcular.

* *Sup. 24.d.47.* 18 * Respicite quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam.

19 Audite me magnates,& omnes populi, & rectores Ecclesiæ auribus percipite.

20 Filio & mulieri,fratri & amico,non des potestatem super te in vita tua:& non dederis alij possessionem tuam: ne fortè pœniteat te, & deprecaris pro illis.

21 Dum adhuc superes & aspiras, non immutabit te omnis caro.

22 Melius est enim ut filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum.

23 In omnibus operibus tuis præcellens esto.

24 Ne dederis maculam in gloria tua. In die consummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui distribue hereditatem tuam.

25 Cibaria, & virga,& onus asino: panis,& disciplina, & opus servo.

D 26 Operatur in disciplina, & quærit requiescere: laxa manus illi, & quærit libertatem.

27 Jugum & lorum curvant collum durum, & servum inclinant operationes assiduæ.

28 Servo malevolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet:

29 Multam enim malitiam docuit otiositas.

30 In opera constitue eum: sic enim concedet illum. Quòd si non obaudierit, curva illum compedibus,& non amplifices super omnem carnem: verùm sine judicio nihil facias grave.

31 * Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua:quasi fratrem sic eum tracta: quoniam in sanguine animæ comparasti illum. * *Sup. 7.c.23.*

32 Si læseris eum injustè, in fugam convertetur:

33 Et si extollens discesserit, quem quæras, & in qua via quæras illum, nescis.

Caput XXXIV.

Vanitas somniorum, divinationum, auguriy, mendaciorum: laus expertorum: beatitudo timentium Deum: oblationes iniquorum: fraudans pauperem: unus ædificans, & alter destruens: faciens pœnitentiam, & non abstinens à peccatis.

1 VAna spes, & mendacium viro insensato: & somnia extollunt imprudentes. A

2 Quasi qui apprehendit umbram,& persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia.

3 Hoc secundùm hoc visio somniorum: ante faciem hominis similitudo hominis.

4 Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur?

5 Divinatio erroris, & auguria mendacia, & somnia malefacientium, vanitas est.

6 Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur. nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio,ne dederis in illis cor tuum:

7 Multos enim errare fecerunt somnia,& exciderunt sperantes in illis.

8 Sine mendacio consummabitur verbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur.

9 Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus,cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum. B

10 Qui non est expertus,pauca recognoscit:qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam.

11 Qui tentatus non est, qualia scit? qui implanatus est, abundabit nequitia.

12 Multa vidi errando, & plurimas verborum consuetudines.

13 Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causa, & liberatus sum gratia Dei.

14 Spiritus timentium Deum quæritur,& in respectu illius benedicetur.

15 Spes enim illorum in salvantem illos,& oculi Dei in diligentes se.

16 Qui timet Dominum nihil trepidabit, & C non pavebit: quoniam ipse est spes ejus.

17 Timentis Dominum beata est anima ejus.

18 Ad quem respicit, & quis est fortitudo ejus?

19 * Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani, * *Ps.33. c.16.*

20 Deprecatio offensionis, & adjutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos,dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.

21 * Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, & non sunt beneplacitæ subsannationes injustorũ. * *Prov. 21.d.27.*

22 Dominus solus sustinentibus se in via veritatis & justitiæ.

Universidad de Deusto Biblioteca

* Prov. 15. b. 8.

23 * Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum : nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.

D 24 Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.

25 Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.

26 Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.

* Deut. 24. c. 14. Sup. 7. c. 22.

27 Qui effundit sanguinem, * & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.

28 Unus ædificans, & unus destruens : quid prodest illis nisi labor ?

29 Unus orans, & unus maledicens : cujus vocem exaudiet Deus ?

30 Qui baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eum, quid proficit lavatio illius ?

* 2. Pet. 2. 21.

31 * Sic homo qui jejunat in peccatis suis, & iterùm eadem faciens, quid proficit humiliando se ? orationem illius quis exaudiet ?

Caput XXXV.

Virum & acceptum Deo sacrificium : non appareas coram eo vacuus : primitiæ & oblationes hilari animo tribuendæ : sacrificium injustum : pauperem lasum, pupillum & viduam lacrymantem exaudit Dominus : orationes justorum, & potissimùm se humiliantium audit Deus, liberans ab affligentibus, & cuique reddens juxta opera sua.

A 1 QUi conservat legem, multiplicat oblationem.

* 1. Reg. 15. c. 22.

2 Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate.

3 Et propitiationem litare sacrificij super injustitias, & deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia.

4 Retribuet gratiam, qui offert similaginem : & qui facit misericordiam, offert sacrificium.

* Ier. 7. a. 3. 26. d. 13.

5 * Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate : & deprecatio pro peccatis recedere ab injustitia.

* Exod. 23. c. 15. 34. c. 20. Deut. 16. d. 16.

6 * Non apparebis ante conspectum Domini vacuus.

7 Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt.

8 Oblatio justi impinguat altare, & odor suavitatis est in conspectu Altissimi.

B 9 Sacrificium justi acceptum est, & memoriam ejus non oblivisceur Dominus.

10 Bono animo gloriam redde Deo : & non minuas primitias manuum tuarum.

* 2. Cor. 9. b. 7.

11 * In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.

* Tob. 4. b. 9.

12 * Da Altissimo secundùm datum ejus, & in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum :

13 Quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.

* Levit. 22. c. 21. Deut. 15. d. 21.

14 * Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa.

* Deut. 10. d. 17. 2. Par. 19. b. 7.

15 Et noli inspicere sacrificium injustum, quoniam Dominus judex est, & * non est apud illum gloria personæ.

C 16 Non accipiet Dominus personam in pauperem, & deprecationem læsi exaudiet.

Iob. 34. b. 19. Sap. 6. b. 8. Act. 10. c. 34. Rom. 2. b. 11. Gal. 2. b. 6. Col. 3. d. 25. 1. Pet. 1. c. 17.

17 Non despiciet preces pupilli ; nec viduam, si effundat loquelam gemitus.

18 Nónne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas ?

19 A maxilla enim ascendunt usque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.

20 Qui adorat Deum in oblectatione, suscipietur, & deprecatio illius usque ad nubes propinquabit.

21 Oratio humiliantis se, nubes penetrabit : & donec propinquet non consolabitur : & non discedet donec Altissimus aspiciat.

22 Et Dominus non elongabit, sed judicabit D justos, & faciet judicium : & Fortissimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorsum ipsorum :

23 Et Gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superborum, & sceptra iniquorum contribulet :

24 Donec reddat hominibus secundùm actus suos, & secundùm opera Adæ, & secundùm præsumptionem illius :

25 Donec judicet judicium plebis suæ, & oblectabit justos misericordia sua.

26 Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.

Caput XXXVI.

Super Israël & civitatem Ierusalem invocat Dei misericordiam ; super gentes verò alienas Dei timorem eiúsque manum, ut ipsius potentia glorificetur, ipséque solus Deus agnoscatur : cor insensatum & cor pravum : species mulieris faciem viri exhilarat : bona mulieris possessio.

1 MIserere nostri Deus omnium, & respice A nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum :

2 Et immitte timorem tuum super Gentes, quæ non exquisierunt te, ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua.

3 Alleva manum tuam super Gentes alienas, ut videant potentiam tuam.

4 Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis,

5 Ut cognoscant te, sicut & nos cognovimus quoniam non est Deus præter te Domine.

6 Innova signa, & immuta mirabilia.

7 Glorifica manum, & brachium dextrum.

8 Excita furorem, & effunde iram.

9 Tolle adversarium, & afflige inimicum.

10 Festina tempus, & memento finis, ut enarrent mirabilia tua.

11 In ira flammæ devoretur qui salvatur : & qui B pessimant plebem tuam, inveniant perditionem.

12 Contere caput principum inimicorum, dicentium : Non est alius præter nos.

13 Congrega omnes tribus Jacob : ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua : & hereditabis eos, sicut ab initio.

14 Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum ; & Israël, * quem coæquasti primogenito tuo.

* Exod 4. c. 22.

15 Miserere civitati sanctificationis tuæ Jerusalem, civitati requiei tuæ.

16 Reple

16 Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, & C gloria tua populum tuum.

17 Da testimonium his, qui ab initio creaturæ tuæ sunt, & suscita prædicationes, quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores.

18 Da mercedem sustinentibus te : ut prophetæ tui fideles inveniantur : & exaudi orationes servorum tuorum.

* Num. 6. v. 24.

19 * Secundùm benedictionem Aaron de populo tuo, & dirige nos in viam justitiæ, & sciant omnes qui habitant terram, quia tu es Deus conspector sæculorum.

20 Omnem escam manducabit venter, & est cibus cibo melior.

21 Fauces contingunt cibum feræ, & cor sensatum verba mendacia.

22 Cor pravum dabit tristitiam, & homo peritus resistet illi.

23 Omnem masculum excipiet mulier : & est filia melior filia.

D 24 Species mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.

25 Si est lingua curationis, est & mitigationis & misericordiæ : non est vir illius secundùm filios hominum.

26 Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem : adjutorium secundùm illum est, & columna ut requies.

27 Ubi non est sepes, diripietur possessio : & ubi non est mulier, ingemiscit egens.

28 Quis credit ei, qui non habet nidum, & deflectens ubicumque obscuraverit, quasi succinctus latro exiliens de civitate in civitatem ?

Caput XXXVII.

Detestatio filii amici ; veri amici ne obliviscaris : discretio in captandis consiliis, & cum quibus consulas, & quibus te & consilium tuum occultes : laus sententiæ viri sancti : verbum nequam : quattuor ex corde oriuntur : laus viri periti & sapientis : qui sophisticè loquitur, odibilis est : tenta animam tuam ; & si sit nequam, non des illi potestatem : pernicies crapula.

A 1 OMnis amicus dicet : Et ego amicitiam copulavi : sed est amicus solo nomine amicus. Nónne tristitia inest usque ad mortem ?

2 Sodalis autem & amicus ad inimicitiam convertentur.

3 O præsumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia, & dolositate illius ?

4 Sodalis amico conjucundatur in oblectationibus, & in tempore tribulationis adversarius erit.

5 Sodalis amico condolet causa ventris, & contra hostem accipiet scutum.

6 Non obliviscaris amici tui in animo tuo, & non immemor sis illius in opibus tuis.

7 Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur, & à zelantibus te absconde consilium.

8 Omnis consiliarius prodit consilium, sed est consiliarius in semetipso.

B 9 A consiliario serva animam tuam. priùs scito quæ sit illius necessitas : & ipse enim animo suo cogitabit :

10 Ne fortè mittat sudem in terram, & dicat tibi :

11 Bona est via tua ; & stet è contrario videre quid tibi eveniat.

12 Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia, & cum muliere de ea quæ æmulatur : cum timido de bello, cum negotiatore de trajectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis,

13 Cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario de omni opere,

14 Cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa operatione : non attendas his in omni consilio.

15 Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei,

16 Cujus anima est secundùm animam tuam : & C qui, cùm titubaveris in tenebris, condolebit tibi.

17 Cor boni consilij statue tecum : non est enim tibi aliud pluris illo.

18 Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.

19 Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.

20 Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.

21 Verbum nequam immutabit cor : ex quo partes quattuor oriuntur, bonum & malum, vita & mors : & dominatrix illorum est assidua lingua. Est vir astutus multorum eruditor, & animæ suæ inutilis est.

22 Vir peritus multos erudivit, & animæ suæ suavis est.

23 Qui sophisticè loquitur, odibilis est : in omni re defraudabitur.

24 Non est illi data à Domino gratia : omni enim sapientia defraudatus est.

25 Est sapiens, animæ suæ sapiens : & fructus D sensus illius laudabilis.

26 Vir sapiens plebem suam erudit, & fructus sensus illius fideles sunt.

27 Vir sapiens implebitur benedictionibus, & videntes illum laudabunt.

28 Vita viri in numero dierum : dies autem Israël innumerabiles sunt.

29 Sapiens in populo hereditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum.

30 Fili in vita tua tenta animam tuam : & si fuerit nequam, non des illi potestatem :

31 Non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet.

32 Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam :

33 In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram.

34 Propter crapulam multi obierunt : qui autem abstinens est, adjiciet vitam.

Caput XXXVIII.

Honora medicum : à Deo data est homini medicina : quomodo ægrotus se habebit erga Deum & medicum : mortuus plorandus, temperandum autem à tristitia quæ mortuo non prodest & tibi obest : sed memineris te etiam moriturum : quisque artifex considerat ea in quibus operatur : & hi necessarij quidem sunt in communitate, sed in ea non præeminent dignitate vel sapientia.

1 HOnora medicum propter necessitatem : etenim illum creavit Altissimus. A

4 A Deo est enim omnis medela, & à rege accipiet donationem.

3 Disciplina medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum collaudabitur.

4 Altissimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.

* Exod. 15.d.25. 5 * Nónne à ligno indulcata est aqua amara? 6 Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis.

7 In his curans mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis, & non consummabuntur opera ejus.

8 Pax enim Dei super faciem terræ.

* Isa. 38. n. 3. 9 * Fili in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.

10 Averte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.

11 Da suavitatem & memoriam similaginis, & impingua oblationem, & da locum medico:

B 12 Etenim illum Dominus creavit: & non discedat à te, quia opera ejus sunt necessaria.

13 Est enim tempus quando in manus illorum incurras:

14 Ipsi verò Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum, & sanitatem, propter conversationem illorum.

15 Qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum, incidet in manus medici.

16 Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundùm judicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius.

17 Propter delaturam autem amare fer luctum illius uno die, & consolare propter tristitiam,

18 Et fac luctum secundùm meritum ejus uno die, vel duobus propter detractionem.

* Prov. 15.b.13. 17.d.22. 19 * A tristitia enim festinat mors, & cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit cervicem.

20 In abductione permanet tristitia: & substantia inopis secundùm cor ejus.

21 Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam à te: & memento novissimorum,

22 Noli oblivisci: neque enim est conversio, & huic nihil proderis, & te ipsum pessimabis.

23 Memor esto judicij mei: sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.

* 2. Reg 12.c.21. C 24 * In requie mortui requiescere fac memoriam ejus, & consolare illum in exitu spiritus sui.

25 Sapientia scribæ in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu, sapientiam percipiet: qua sapientia replebitur.

26 Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitat, & conversatur in operibus eorum, & enarratio ejus in filiis taurorum.

27 Cor suum dabit ad versandos sulcos, & vigilia ejus in sagina vaccarum.

28 Sic omnis faber & architectus, qui noctem tamquam diem transigit, qui sculpit signacula sculptilia, & assiduitas ejus variat picturam: cor suum dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus.

29 Sic faber ferrarius sedens juxta incudem, & considerans opus ferri: Vapor ignis uret carnes ejus, & in calore fornacis concertatur:

30 Vox mallei innovat aurem ejus, & contra similitudinem vasis oculus ejus:

31 Cor suum dabit in consummationem operum, & vigilia sua ornabit in perfectionem. D

32 Sic figulus sedens ad opus suum, convertens pedibus suis rotam, qui in solicitudine positus est semper propter opus suum, & in numero est omnis operatio ejus.

33 In brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos curvabit virtutem suam.

34 Cor suum dabit ut consummet linitionem, & vigilia sua mundabit fornacem.

35 Omnes hi in manibus suis speraverunt, & unusquisque in arte sua sapiens est.

36 Sine his omnibus non ædificatur civitas.

37 Et non inhabitabunt, nec inambulabunt, & in ecclesiam non transilient.

38 Super sellam judicis non sedebunt, & testamentum judicij non intelligent, neque palàm facient disciplinam & judicium, & in parabolis non invenientur:

39 Sed creaturam ævi confirmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam suam, & conquirentes in lege Altissimi.

CAPUT XXXIX.

Studium sapientis, ipsiusque præclara opera & nominis perpetuitas: Deus benedicendus in operibus suis, cui nihil occultum est: benedictio Dei in bonos, & ira in malos: bonis omnia in bonum cedunt, malis in malum: ad quos puniendos & cetera sunt creata.

1 SApientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit. A

2 Narrationem virorum nominatorum conservabit, & in versutias parabolarum simul introibit.

3 Occulta proverbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conversabitur.

4 In medio magnatorum ministrabit, & in conspectu præsidis apparebit.

5 In terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim & mala in hominibus tentabit.

6 Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur.

7 Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur.

8 Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum:

9 Et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino:

10 Et ipse diriget consilium ejus, & disciplinam, B & in absconditis suis consiliabitur.

11 Ipse palàm faciet disciplinam doctrinæ suæ, & in lege testamenti Domini gloriabitur.

12 Collaudabunt multi sapientiam ejus, & usque in sæculum non delebitur.

13 Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem.

14 Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enuntiabit ecclesia.

15 Si permanserit, nomen derelinquet plus quàm mille: & si requieverit, proderit illi.

16 Adhuc

16 Adhuc consiliabor, ut enarrem: ut furore enim repletus sum.

17 In voce dicit: Obaudite me divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.

18 Quasi Libanus odorem suavitatis habete.

19 Florete flores quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis.

20 Date nomini ejus magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum, & citharis, & sic dicetis in confessione:

* Gen.1. d.31. Marc.7. d.37. 21 * Opera Domini universa bona valdè.

* Gen.8. n.3. 22 * In verbo ejus stetit aqua sicut congeries: & in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum:

23 Quoniam in præcepto ipsius placor sit, & C non est minoratio in salute ipsius.

24 Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus.

25 A sæculo usque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus.

26 Non est dicere: Quid est hoc, aut quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur.

27 Benedictio illius quasi fluvius inundavit.

* Gen.7. d.21. 28 * Quomodo cataclysmus aridam inebriavit; sic ira ipsius gentes, quæ non exquisierunt eum, hereditabit.

* Exod. 14.c.21. 29 * Quomodo convertit aquas in siccitatem, & siccata est terra: & viæ illius viis illorum directæ sunt: sic peccatoribus offensiones in ira ejus.

30 Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona & mala.

* Sup.29. d.28. 31 * Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus uvæ, & oleum, & vestimentum.

D 32 Hæc omnia sanctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala convertentur.

33 Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua:

34 In tempore consummationis effundent virtutem: & furorem ejus, qui fecit illos, placabunt.

35 Ignis, grando, fames, & mors omnia hæc ad vindictam creata sunt;

36 Bestiarum dentes, & scorpij, & serpentes, & rhomphæa vindicans in exterminium impios.

37 In mandatis ejus epulabuntur, & super terram in necessitatem præparabuntur, & in temporibus suis non præterient verbum.

38 Propterea ab initio confirmatus sum, & consiliatus sum, & cogitavi, & scripta dimisi.

* Gen.1. d.31. Mar.6. 7.d.37. 39 * Omnia opera Domini bona, & omne opus hora sua subministrabit.

40 Non est dicere: Hoc illo nequius est: omnia enim in tempore suo comprobabuntur.

41 Et nunc in omni corde & ore collaudate, & benedicite nomen Domini.

CAPUT XL.

Occupationi magnæ, jugo gravi, ac variis miseriis homo obnoxius: omnia caduca: iniqui cum suis divitiis citò delendi: laus vitæ sibi sufficientis: varios binarios commendat, quibus tamen alia antefert: laus timoris Domini: fac ne indigeas, nec in alienam mensam respicias, à quo vir disciplinatus & eruditus se servat.

A 1 OCcupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium.

2 Cogitationes eorum, & timores cordis, adinventio expectationis, & dies finitionis:

3 A residente super sedem gloriosam, usque ad humiliatum in terra & cinere:

4 Ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam, usque ad eum qui operitur lino crudo: furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perseverans, & contentio,

5 Et in tempore refectionis in cubili somnus noctis immutat scientiam ejus.

6 Modicum tamquam nihil in requie, & ab eo in somnis, quasi in die respectus.

7 Conturbatus est in visu cordis sui, tamquam B qui evaserit in die belli. In tempore salutis suæ exurrexit, & admirans ad nullum timorem:

8 Cum omni carne, ab homine usque ad pecus, & super peccatores septuplum.

* Sup. 39.d.35. 36. 9 * Ad hæc mors, sanguis, contentio, & rhomphæa, oppressiones, fames, & contritio, & flagella:

* Gen.7. b.10. 10 Super iniquos creata sunt hæc omnia, * & propter illos factus est cataclysmus.

* Inf.41. b.13. * Eccle. 1.b.7. 11 * Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur, * & omnes aquæ in mare revertentur.

12 Omne munus, & iniquitas delebitur, & fides in sæculum stabit.

13 Substantiæ injustorum sicut fluvius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt.

14 In aperiendo manus suas lætabitur: sic prævaricatores in consummatione tabescent.

15 Nepotes impiorum non multiplicabunt ra- C mos, & radices immundæ super cacumen petræ sonant.

16 Super omnem aquam viriditas, & ad oram fluminis ante omne fœnum evelletur.

17 Gratia sicut paradisus in benedictionibus, & misericordia in sæculum permanet.

18 Vita sibi sufficientis operarij condulcabitur, & in ea invenies thesaurum.

19 Filij, & ædificatio civitatis confirmabit nomen, & super hæc mulier immaculata computabitur.

20 Vinum & musica lætificant cor: & super utraque dilectio sapientiæ.

21 Tibiæ & psalterium suavem faciunt melodiam, & super utraque lingua suavis.

22 Gratiam & speciem desiderabit oculus tuus, & super hæc virides sationes.

23 Amicus & sodalis in tempore convenientes, D & super utrosque mulier cum viro.

24 Fratres in adjutorium in tempore tribulationis, & super eos misericordia liberabit.

25 Aurum & argentum est constitutio pedum: & super utrumque consilium beneplacitum.

26 Facultates & virtutes exaltant cor, & super hæc timor Domini.

27 Non est in timore Domini minoratio, & non est in eo inquirere adjutorium.

28 Timor Domini sicut paradisus benedictionis, & super omnem gloriam operuerunt illum.

29 Fili in tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius est enim mori, quàm indigere.

30 Vir

30 Vir respiciens in mensam alienam, non est
vita ejus in cogitatione victus. alit enim animam
suam cibis alienis.
31 Vir autem disciplinatus & eruditus custo-
diet se.
32 In ore imprudentis condulcabitur inopia,
& in ventre ejus ignis ardebit.

Caput XLI.

Memoria mortis cui est amara, & cui non: mortem non metuas, sed prateritorum & futurorum memento, contentus divina dispositione circa te: maledictio manens impios: cura boni nominis: sapientia & thesaurus absconditi inutiles: qualiter sit de peccatis erubescendum: ne faciem avertas à proximo, nec respicias mulierem alterius, neque improperes post datum.

A 1 O Mors quàm amara est memoria tua, homi-
ni pacem habenti in substantiis suis;
2 Viro quieto, & cujus viæ directæ sunt in om-
nibus, & adhuc valenti accipere cibum!
3 O mors, bonum est judicium tuum homini
indigenti, & qui minoratur viribus,
4 Defecto ætate, & cui de omnibus cura est, &
incredibili, qui perdit patientiam!
5 Noli metuere judicium mortis. Memento quæ
ante te fuerunt, & quæ superventura sunt tibi, hoc
judicium à Domino omni carni.
6 Et quid superveniet tibi in beneplacito Al-
tissimi? sive decem, sive centum, sive mille anni.
B 7 Non est enim in inferno accusatio vitæ.
8 Filij abominationum fiunt filij peccatorum, &
qui conversantur secus domos impiorum.
9 Filiorum peccatorum periet hereditas, & cum
semine illorum assiduitas opprobrij.
10 De patre impio queruntur filij, quoniam
propter illum sunt in opprobrio.
11 Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem
Domini Altissimi.
12 Et si nati fueritis, in maledictione nascemi-
ni: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars
vestra.
*Sup. 40.b.11. 13 * Omnia, quæ de terra sunt, in terram con-
vertentur; sic impij à maledicto in perditionem.
14 Luctus hominum in corpore ipsorum, no-
men autem impiorum delebitur.
C 15 Curam habe de bono nomine: hoc enim
magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pre-
tiosi & magni.
16 Bonæ vitæ numerus dierum: bonum au-
tem nomen permanebit in ævum.
*Sup. 20.d.32. 17 Disciplinam in pace conservate filij. * Sa-
pientia enim abscondita, & thesaurus invisus, quæ
utilitas in utrisque?
18 Melior est homo qui abscondit stultitiam
suam, quàm homo qui abscondit sapientiam suam.
19 Verumtamen reveremini in his, quæ proce-
dunt de ore meo.
20 Non est enim bonum omnem reverentiam
observare: & non omnia omnibus benè placent
in fide.
21 Erubescite à patre & à matre de fornicatio-
ne: & à præsidente & à potente de mendacio:
22 A principe & à judice de delicto: à syna-
goga & plebe de iniquitate:
D 23 A socio & amico de injustitia: & de loco in
quo habitas,
24 De furto, de veritate Dei, & testamento: de
discubitu in panibus, & ab obfuscatione dati &
accepti:
25 A salutantibus de silentio: à respectu mulie-
ris fornicariæ: & ab aversione vultus cognati.
26 Ne avertas faciem à proximo tuo, & ab au-
ferendo partem & non restituendo.
27 * Ne respicias mulierem alieni viri, & ne *Matt. 5.d.28.
scruteris ancillam ejus, neque stteteris ad lectum
ejus.
28 Ab amicis de sermonibus improperij: &
cùm dederis, ne improperes.

Caput XLII.

Secretum non revelandum: à respectu personarum & aliis plerisque vitiis hic enumeratis abstinendum: datum & acceptum scribendum: de solicita custodia filia; & super luxuriosam firmanda custodia: commorari mulieri periculosum: melior est autem iniquitas viri quàm mulier benè faciens: opera Domini, qui omnia videt etiam occulta cordium, sunt perfecta & desiderabilia.

1 NOn duplices sermonem auditus de revela- A
tione sermonis absconditi, & eris verè si-
ne confusione, & invenies gratiam in conspectu
omnium hominum: ne pro his omnibus confun-
daris, * & ne accipias personam ut delinquas. *Lev. 19.c.15. Deut. 1. c.17.16. d.19. Prov. 24.c.23. Iac. 2.a. 1.
2 De lege Altissimi, & testamento, & de judicio
justificare impium,
3 De verbo sociorum & viatorum, & de datio-
ne hereditatis amicorum,
4 De æqualitate stateræ & ponderum, de ac-
quisitione multorum & paucorum,
5 De corruptione emptionis & negotiatorum,
& de multa disciplina filiorum, & servo pessimo
latus sanguinare.
6 Super mulierem nequam bonum est signum.
7 Ubi manus multæ sunt, claude; & quodcum-
que trades, numera, & appende: datum verò, &
acceptum omne describe.
8 De disciplina insensati & fatui, & de senio- B
ribus, qui judicantur ab adolescentibus: & eris
eruditus in omnibus, & probabilis in conspectu
omnium vivorum.
9 Filia patris abscondita est vigilia, & solicitu-
do ejus aufert somnum, ne fortè in adolescentia
sua adulta efficiatur, & cum viro commorata odi-
bilis fiat.
10 Nequando polluatur in virginitate sua, & in
paternis suis gravida inveniatur: ne fortè cum vi-
ro commorata transgrediatur, aut certè sterilis ef-
ficiatur.
11 Super filiam luxuriosam confirma custo- C
diam: ne quando faciat te in opprobrium venire
inimicis, à detractione in civitate, & objectione
plebis, & confundat te in multitudine populi.
12 Omni homini noli intendere in specie: & in
medio mulierum noli commorari:
13 De vestimentis enim procedit tinea, & à mu-
liere iniquitas viri
14 Melior est enim iniquitas viri, quàm mulier
benefaciens, & mulier confundens in oppro-
brium.
15 Memor ero igitur operum Domini, & quæ vi-
di annuntiabo. In sermonibus Domini opera ejus.
16 Sol illuminans per omnia respexit, & glo-
ria Domini plenum est opus ejus.

17 Nónne

17 Nónne Dominus fecit sanctos enarrare om-
nia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus om-
nipotens stabiliri in gloria sua?
18 Abyssum, & cor hominum investigavit: &
in astutia eorum excogitavit.
D 19 Cognovit enim Dominus omnem scientiam,
& inspexit in signum ævi, annuntians quæ præ-
terierunt, & quæ superventura sunt, revelans ve-
stigia occultorum.
20 Non præterit illum omnis cogitatus, & non
abscondit se ab eo ullus sermo.
21 Magnalia sapientiæ suæ decoravit: qui est an-
te sæculum & usque in sæculum, neque adje-
ctum est,
22 Neque minuitur, & non eget alicujus con-
silio.
23 Quàm desiderabilia omnia opera ejus, &
tamquam scintilla, quæ est considerare!
24 Omnia hæc vivunt, & manent in sæculum,
& in omni necessitate omnia obaudiunt ei.
25 Omnia duplicia, unum contra unum, & non
fecit quidquam deesse.
26 Uniuscujusque confirmavit bona. Et quis sa-
tiabitur videns gloriam ejus?

Caput XLIII.

Eminentia Creatoris relucet in calorum ornatu & pulchritudine: nempe in cælo, luna, stellis, iride, nive, grandine, nubibus, tonitru, gelu ab aquilone, pruina, & mari, in quo sunt plurima genera belluarum: denique nemo ad Deum laudandum sufficit.

A 1 A Ltitudinis firmamentum pulchritudo ejus
est, species cæli in visione gloriæ.
2 Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admi-
rabile opus Excelsi.
3 In meridiano exurit terram, & in conspectu
ardoris ejus quis poterit sustinere? Fornacem cu-
stodiens in operibus ardoris:
4 Tripliciter sol exurens montes, radios igneos
exufflans, & refulgens radiis suis obcæcat oculos.
5 Magnus Dominus qui fecit illum, & in sermo-
nibus ejus festinavit iter.
6 Et luna in omnibus in tempore suo, ostensio
temporis, & signum ævi.
7 A luna signum diei festi, luminare quod mi-
nuitur in consummatione.
8 Mensis secundùm nomen ejus est, crescens mi-
rabiliter in consummatione.
9 Vas castrorum in excelsis, in firmamento cæli
resplendens gloriosè.
10 Species cæli gloria stellarum, mundum illu-
minans in excelsis Dominus.
B 11 In verbis sancti stabunt ad judicium, & non
deficient in vigiliis suis.
*Gen. 9. b. 13. 12 Vide arcum, & benedic eum * qui fecit il-
lum: valdè speciosus est in splendore suo.
13 Gyravit cælum in circuitu gloriæ suæ, ma-
nus Excelsi aperuerunt illum.
14 Imperio suo acceleravit nivem, & accelerat
coruscationes emittere judicij sui.
15 Propterea aperti sunt thesauri, & evolave-
runt nebulæ sicut aves.
16 In magnitudine sua posuit nubes, & confra-
cti sunt lapides grandinis.
17 In conspectu ejus commovebuntur montes,
& in voluntate ejus aspirabit Notus.
18 Vox tonitrui ejus verberabit terram, tempe-
stas aquilonis & congregatio spiritus:
19 Et sicut avis deponens ad sedendum, aspergit
nivem, & sicut locusta demergens descensus ejus.
20 Pulchritudinem candoris ejus admirabitur C
oculus, & super imbrem ejus expavescet cor.
21 Gelu sicut salem effundet super terram: &
dum gelaverit, fiet tamquam cacumina tribuli.
22 Frigidus ventus aquilo flavit, & gelavit cry-
stallus ab aqua, super omnem congregationem
aquarum requiescet, & sicut lorica induet se aquis.
23 Et devorabit montes, & exuret desertum, &
extinguet viride, sicut igne.
24 Medicina omnium in festinatione nebulæ:
& ros obvians ab ardore venienti humilem effi-
ciet eum.
25 In sermone ejus siluit ventus, & cogitatio-
ne sua placavit abyssum, & plantavit in illa Domi-
nus insulas.
26 Qui navigant mare, enarrent pericula ejus:
& audientes auribus nostris admirabimur.
27 Illic præclara opera, & mirabilia; varia be-
stiarum genera, & omnium pecorum, & creatu-
ra belluarum.
28 Propter ipsum confirmatus est itineris finis, D
& in sermone ejus composita sunt omnia.
29 Multa dicemus, & deficiemus in verbis: con-
summatio autem sermonum, ipse est in omnibus.
30 Gloriantes ad quid valebimus? ipse enim
omnipotens super omnia opera sua.
31 Terribilis Dominus, & magnus vehementer,
& mirabilis potentia ipsius.
32 Glorificantes Dominum quantumcumque
potueritis, supervalebit enim adhuc, & admira-
bilis magnificentia ejus.
33 Benedicentes Dominum, exaltate illum
quantum potestis: major enim est omni laude.
34 Exaltantes eum replemini virtute, ne labore-
tis: non enim comprehendetis.
35 Quis videbit eum, & enarrabit? & * quis *Ps. 105.a.2.
magnificabit eum sicut est ab initio?
36 Multa abscondita sunt majora his: pauca
enim vidimus operum ejus.
37 Omnia autem Dominus fecit, & piè agen-
tibus dedit sapientiam.

Caput XLIV.

Laus priorum patrum ac seminis eorum: primùm in genere, deinde nominatim laudantur Enoch, Noe, Abraham cui facta sunt promissiones, Isaac, & Iacob.

1 LAudemus viros glorioso: & parentes no- A
stros in generatione sua.
2 Multam gloriam fecit Dominus magnificen-
tia sua à sæculo.
3 Dominantes in potestatibus suis, homines
magni virtute, & prudentia sua præditi, nuntian-
tes in prophetis dignitatem prophetarum,
4 Et imperantes in præsenti populo, & virtute
prudentiæ populis sanctissima verba.
5 In peritia sua requirentes modos musicos, &
narrantes carmina scripturarum.
6 Homines divites in virtute, pulchritudinis
studium habentes: pacificantes in domibus suis.

Universidad de Belgrano
Biblioteca

7 Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt,& in diebus suis habentur in laudibus.

8 Qui de illis nati sunt,reliquerunt nomen narrandi laudes eorum:

B 9 Et sunt quorum non est memoria : perierunt quasi qui non fuerint : & nati sunt, quasi non nati, & filij ipsorum cum ipsis.

10 Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt:

11 Cum semine eorum permanent bona,

12 Hereditas sancta nepotes eorum,& in testamentis stetit semen eorum:

13 Et filij eorum propter illos usque in æternum manent: semen eorum & gloria eorum non derelinquetur.

14 Corpora ipsorum in pace sepulta sunt,& nomen eorum vivit in generationem & generationē.

15 Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet ecclesia.

C 16 * Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.

17 * Noë inventus est perfectus, justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.

18 Ideò dimissum est reliquum terræ, cùm factum est diluvium.

19 * Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluvio omnis caro.

20 * Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inventus similis illi in gloria,qui conservavit legem Excelsi, & fuit in testamento cum illo.

D 21 * In carne ejus stare fecit testamentum, & * in tentatione inventus est fidelis.

22 Ideò jurejurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum,

23 Et ut stellas exaltare semen ejus,& hereditare illos à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos terræ.

24 Et in Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem ejus.

25 Benedictionem omnium Gentium dedit illi Dominus, & testamentum confirmavit super caput Jacob.

26 Agnovit eum in benedictionibus suis, & dedit illi hereditatem, & divisit illi partem in tribubus duodecim.

27 Et conservavit illi homines misericordiæ,invenientes gratiam in oculis omnis carnis.

Caput XLV.

De laudibus Moysi, Aaron, & Phinees: de congregatione Core interempta.

A 1 Dilectus Deo & hominibus Moyses: cujus memoria in benedictione est.

2 Similem illum fecit in gloria sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit.

3 * Glorificavit illum in conspectu regum, & jussit illi coram populo suo,& ostendit illi gloriam suam.

4 * In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne.

5 Audivit enim eum, & vocem ipsius, & induxit illum in nubem.

6 Et dedit illi coràm præcepta, & legem vitæ & disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, & judicia sua Israël.

7 Excelsum fecit Aaron fratrem ejus,& similem sibi de tribu Levi:

8 Statuit ei testamentum æternum, & dedit illi sacerdotium gentis:& beatificavit illum in gloria,

9 Et circumcinxit eum zona gloriæ, & induit eum stolam gloriæ,& coronavit eum in vasis virtutis:

10 Circumpedes, & femoralia, & humerale po- B
suit ei, & cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro,

11 * Dare sonitum in incessu suo,auditum face- * Exod. 28.f. 35.
re sonitum in templo, in memoriam filiis gentis suæ.

12 Stolam sanctam, auro, & hyacintho, & purpura, opus textile, viri sapientis, judicio & veritate præditi:

13 Torto cocco opus artificis, gemmis pretiosis figuratis in ligatura auri,& opere lapidarij sculptis, in memoriam secundùm numerum tribuum Israël.

14 Corona aurea super mitram ejus expressa signo sanctitatis, & gloria honoris: opus virtutis & desideria oculorum ornata.

15 Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem.

16 Non est indutus illa alienigena aliquis, sed C
tantùm filij ipsius soli, & nepotes ejus per omne tempus.

17 Sacrificia ipsius consumpta sunt igne quotidie.

18 * Complevit Moyses manus ejus,& unxit illum oleo sancto. * Levit. 8.12.

19 Factum est illi in testamentum æternum, & semini ejus sicut dies cæli,fungi sacerdotio,& habere laudem, & glorificare populum suum in nomine ejus.

20 Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum, & bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo:

21 Et dedit illi in præceptis suis potestatem,in testamentis judiciorum, docere Jacob testimonia, & in lege sua lucem dare Israël.

22 * Quia contra illum steterunt alieni,& propter invidiam circumdederunt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan & Abiron,& congregatio Core in iracundia. * Num. 16.a.1.3.

23 Vidit Dominus Deus, & non placuit illi,& consumpti sunt in impetu iracundiæ.

24 Fecit illis monstra, & consumpsit illos in flamma ignis.

25 Et addidit Aaron gloriam,& dedit illi hereditatem, & primitias frugum terræ divisit illi.

26 Panem ipsis in primis paravit in satietatem: D
nam & sacrificia Domini edent, quæ dedit illi & semini ejus.

27 Ceterùm in terra gentes non hereditabit, & pars non est illi in gente: ipse est enim pars ejus, & hereditas.

28 * Phinees filius Eleazari tertius in gloria est, imitando eum in timore Domini: * Num. 25. b. 7. 1. Mach. 2.c.26. f. 54.

29 Et stare in reverentia gentis: in bonitate &

& alacritate animæ suæ placuit Deo pro Israël.

30 Ideò statuit illi testamentum pacis, principem sanctorum & gentis suæ, ut sit illi & semini ejus sacerdotij dignitas in æternum.

31 Et testamentum David regi filio Jessæ de tribu Juda, hereditas ipsi & semini ejus, ut daret sapientiam in cor nostrum judicare gentem suam in justitia, ne abolerentur bona ipsorum, & gloriam ipsorum in gentem eorum æternam fecit.

Caput XLVI.

Laudes Iosue, Caleb, & Samuelis.

A 1 Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundùm nomen suum,

2 Maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hereditatem Israël.

3 Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, & jactando contra civitates rhomphæas?

4 Quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse Dominus perduxit. * Ios. 10. c. 14.

5 * An non in iracundia ejus impeditus est sol, & una dies facta est quasi duo?

6 Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valdè fortis.

7 Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios,

B 8 Ut cognoscant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non est facile. Et secutus est à tergo potentis:

* Num. 14. a. 6. 9 * Et in diebus Moysi misericordiam fecit ipse, & Caleb filius Jephone, stare contra hostem, & prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ.

10 Et ipsi duo constituti,à periculo liberati sunt à numero sexcentorum millium peditum, inducere illos in hereditatem, in terram quæ manat lac & mel.

11 Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, & usque in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum, & semen ipsius obtinuit hereditatem:

12 Ut viderent omnes filij Israël,quia bonum est
C obsequi sancto Deo.

13 Et judices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor:qui non aversi sunt à Domino,

14 Ut sit memoria illorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo,

15 Et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria.

16 Dilectus à Domino Deo suo Samuel propheta Domini, renovavit imperium, & unxit principes in gente sua.

17 In lege Domini congregationem judicavit, & vidit Deus Jacob, & in fide sua probatus est propheta.

18 Et cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis:

D 19 Et invocavit Dominum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes undique, in oblatione agni inviolati.

20 Et intonuit de cælo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam,

21 Et contrivit principes Tyriorum, & omnes duces Philisthiim:

22 Et ante tempus finis vitæ suæ & seculi, testimonium præbuit in conspectu Domini,& Christi; pecunias & usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusavit illum homo.

23 Et post hoc dormivit, & notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis.

Caput XLVII.

Laudes Nathan, Davidis, & Salomonis.

A 1 Post hæc surrexit Nathan propheta in diebus David. 2. Reg. 12.a.1.

2 Et quasi adeps separatus à carne, sic David à filiis Israël.

3 * Cum leonibus lusit quasi cum agnis: & in * 1 Reg. 17.c.34.
ursis similiter fecit sicut in agnis ovium, in juventute sua.

4 * Numquid non occidit gigantem,& abstulit * 1. Reg. 17.g.49.
opprobrium de gente?

5 In tollendo manum,saxo fundæ dejecit exultationem Goliæ:

6 Nam invocavit Dominum omnipotentem,& dedit in dextera ejus tollere hominem fortem in bello,& exaltare cornu gentis suæ.

7 * Sic in decem millibus glorificavit eum, & * 1. Reg. 18.b.7.
laudavit eum in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ:

8 Contrivit enim inimicos undique, & extirpavit Philisthiim contrarios usque in hodiernum diem:contrivit cornu ipsorum usque in æternum.

9 In omni opere dedit confessionem Sancto, & B
Excelso in verbo gloriæ.

10 De omni corde suo laudavit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum: & dedit illi contra inimicos potentiam:

11 Et stare fecit cantores contra altare,& in sono eorum dulces fecit modos.

12 Et dedit in celebrationibus decus,& ornavit tempora usque ad consummationem vitæ, ut laudarent nomen sanctum Domini, & amplificarent manè Dei sanctitatem.

13 * Dominus purgavit peccata ipsius, & exal- * 2. Reg. 12.c.13.
tavit in æternum cornu ejus:& dedit illi testamentum regni, & sedem gloriæ in Israël.

14 Post ipsum surrexit filius sensatus: & propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum,

15 * Salomon imperavit in diebus pacis,cui sub- * 3. Reg. 3.a.1.
jecit Deus omnes hostes, ut conderet domum in nomine suo, & pararet sanctitatem in sempiternum:quemadmodum eruditus es in juventute tua,

16 * Et impletus es,quasi flumen sapientia,& ter- * 3. Reg. 4.d.31.
ram retexit anima tua. C

17 Et replesti in comparationibus ænigmata: ad insulas longè divulgatum est nomen tuum, & dilectus es in pace tua.

18 In cantilenis, & proverbiis, & comparationibus, & interpretationibus, miratæ sunt terræ,

19 Et in nomine Domini Dei, cui est cognomen, Deus Israël.

Universidad de Deusto
Biblioteca

* 3. Reg. 10. d. 27.

20 * Collegisti quasi auricalcum aurum, & ut plumbum complesti argentum,

21 Et inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo,

22 Dedisti maculam in gloria tua, & profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, & incitari stultitiam tuam,

* 3. Reg. 12. f. 16.

23 Ut faceres imperium bipartitum, * & ex Ephraim imperare imperium durum.

D

24 Deus autem non derelinquet misericordiam suam, & non corrumpet nec delebit opera sua, neque perdet à stirpe nepotes electi sui: & semen ejus, qui diligit Dominum, non corrumpet.

25 Dedit autem reliquum Jacob, & David de ipsa stirpe.

26 Et finem habuit Salomon cum patribus suis.

27 Et dereliquit post se de semine suo, gentis stultitiam, & imminutum à prudentia, Roboam, qui avertit gentem consilio suo:

* 3 Reg. 12. g. 28.

29 * Et Jeroboam filium Nabat, qui peccare fecit Israël, & dedit viam peccandi Ephraim, & plurima redundaverunt peccata ipsorum.

30 Valdè averterunt illos à terra sua.

31 Et quæsivit omnes nequitias, usque dum perveniret ad illos defensio, & ab omnibus peccatis liberavit eos.

Caput XLVIII.

Laudes Eliæ, Elisæi, Ezechiæ, & Isaiæ, quorum oratione Deus liberavit Israël ab exercitu Sennacherib.

A

3 Reg. 17. a. 1.

1 ET surrexit Elias propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.

2 Qui induxit in illos famem, & irritantes illum invidia sua pauci facti sunt. non enim poterant sustinere præcepta Domini.

* 3 Reg. 17. a. 1. 4. Reg. 1. c. 10. 12.

3 * Verbo Domini continuit cælum, & dejecit de cælo ignem ter.

4 Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi?

* 3. Reg. 17. d. 22.

5 * Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei.

6 Qui dejecisti reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo.

7 Qui audis in Sina judicium, & in Horeb judicia defensionis.

8 Qui ungis reges ad pœnitentiam, & prophetas facis successores post te.

* 4. Reg. 2. b. 11.

9 * Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum.

B

10 Qui scriptus es in judiciis temporum lenire

* Malac. 4. b. 6.

iracundiam Domini: * conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Jacob.

11 Beati sunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt.

12 Nam nos vita vivimus tantùm, post mortem autem non erit tale nomen nostrum.

* 4. Reg. 2. b. 11.

13 * Elias quidem in turbine tectus est, & in Eliseo completus est spiritus ejus: in diebus suis non pertimuit principem, & potentia nemo vicit illum.

* 4. Reg. 13. d. 21.

14 Nec superavit illum verbum aliquod, * & mortuum prophetavit corpus ejus.

15 In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.

16 In omnibus istis non pœnituit populus, & non recesserunt à peccatis suis, usque dum ejecti sunt de terra sua, & dispersi sunt in omnem terram:

C

17 Et relicta est gens perpauca, & princeps in domo David.

18 Quidam ipsorum fecerunt quod placeret Deo: alij autem multa commiserunt peccata.

19 Ezechias munivit civitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificavit ad aquam puteum.

20 * In diebus ipsius ascendit Sennacherib, & misit Rabsacen, & sustulit manum suam contra illos, & extulit manum suam in Sion, & superbus factus est potentia sua.

* 4. Reg. 18. c. 13.

21 Tunc mota sunt corda, & manus ipsorum: & doluerunt quasi parturientes mulieres.

22 Et invocaverunt Dominum misericordem, D & expandentes manus suas, extulerunt ad cælum: & sanctus Dominus Deus audivit citò vocem ipsorum.

23 Non est commemoratus peccatorum illorum, neque dedit illos inimicis suis, sed purgavit eos in manu Isaiæ sancti prophetæ.

24 * Dejecit castra Assyriorum, & contrivit illos Angelus Domini.

* 4. Reg. 19. g. 35. Tob. 1. d. 21. Isai. 37. g. 36. 1. Mach. 7. f. 41. 2. Mach. 8. c. 19.

25 Nam fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter ivit in via David patris sui, quam mandavit illi Isaias propheta magnus, & fidelis in conspectu Dei.

26 * In diebus ipsius retrò rediit Sol, & addidit regi vitam.

* 4. Reg. 20. b. 11. Isai. 38. b. 8.

27 Spiritu magno vidit ultima, & consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum

28 Ostendit futura, & abscondita antequam evenirent.

Caput XLIX.

De Iosia, & quòd omnes reges Iuda, præter David, Ezechiam, & Iosiam, fuerunt peccatores: de Ieremia, Ezechiele, & Zorobabel, Iesu filio Iosedec, Nehemia, Enoch, Ioseph, Seth, & Sem.

1 MEmoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarij.

A

4 Reg. 22. a. 1.

2 In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini.

3 Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis.

4 Et gubernavit ad Dominum cor ipsius, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem.

5 Præter David, & Ezechiam, & Josiam, omnes peccatum commiserunt:

6 Nam reliquerunt legem Altissimi reges Juda, & contempserunt timorem Dei.

7 Dederunt enim regnum suum aliis, & gloriam suam alienigenæ genti.

B

8 * Incenderunt electam sanctitatis civitatem, * 4 Reg. & desertas fecerunt vias ipsius in manu Jeremiæ. 25. b. 9.

9 Nam malè tractaverunt illum, qui à ventre matris consecratus est Propheta, evertere, & eruere, & perdere, & iterùm ædificare, & renovare.

10 * Ezechiel qui vidit conspectum gloriæ, * Ezech. quam ostendit illi in curru Cherubim. 1. b. 4.

11 Nam commemoratus est inimicorum in imbre, benefacere illis qui ostenderunt rectas vias.

11 Et duodecim prophetarum ossa pullulent de loco

loco suo: nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt se in fide virtutis.

* 1. Esd. 3. a. 2. Agg. 1. a. 1. d. 14. 2. a. 3. 5. d. 22. 24. * Zach. 3 a. 1.

13 * Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipse quasi signum in dextera manu;

14 * Sic & Jesum filium Josedech? qui in diebus suis ædificaverunt domum, & exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.

D

15 Et Nehemias in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras.

16 Nemo natus est in terra qualis Henoch: nam & ipse receptus est à terra.

* Gen. 41. c. 40. 42. a. 3. 45. b. 5. 50. d. 20.

17 * Neque ut Joseph, qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi:

* Gen. 4. d. 25. * Gen. 5. d. 31.

18 Et ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.

19 * Seth & * Sem apud homines gloriam adepti sunt; & super omnem animam in origine Adam.

Caput L.

Simonis pontificis filij Oniæ præconia narrantur celeberrima: duæ gentes odio habitæ, & tertia stulta: de Iesu filio Sirach hujus libri auctore.

A

1. Mac. 12. b. 7. 2. Mach. 3. a. 4.

1 SImon Oniæ filius, Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum.

2 Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio & excelsi parietes templi.

3 In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum.

4 Qui curavit gentem suam, & liberavit eam à perditione.

5 Qui prævaluit amplificare civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione gentis: & ingressum domus & atrij amplificavit.

6 Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet.

7 Et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.

8 Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis.

9 Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne.

B

10 Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.

11 Quasi oliva pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, & vestiri eum in cõsummationem virtutis.

12 In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum.

13 In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, & ipse stans juxta aram. Et circa illum corona fratrum: quasi plantatio cedri in monte Libano,

14 Sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, & omnes filij Aaron in gloria sua.

15 Oblatio autem Domini in manibus ipsorum, coram omni synagoga Israël: & consummatione fungens in ara, amplificare oblationem excelsi regis.

16 Porrexit manum suam in libatione, & libavit de sanguine uvæ.

17 Effudit in fundamento altaris odorem divinum excelso principi.

18 Tunc exclamaverunt filij Aaron, in tubis productilibus sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo.

C

19 Tunc omnis populus simul properaverunt, & ceciderunt in faciem super terram, adorare Dominum Deum suum, & dare preces omnipotenti Deo excelso.

20 Et amplificaverunt psallentes in vocibus suis, & in magna domo auctus est sonus suavitatis plenus.

21 Et rogavit populus Dominum excelsum in prece, usquedum perfectus est honor Domini, & munus suum perfecerunt.

22 Tunc descendens, manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Israël dare gloriam Deo à labiis suis, & in nomine ipsius gloriari:

23 Et iteravit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei.

24 Et nunc orate Deum omnium, qui magna D fecit in omni terra, qui auxit dies nostros à ventre matris nostræ, & fecit nobiscum secundùm suam misericordiam:

25 Det nobis jucunditatem cordis, & fieri pacẽ in diebus nostris in Israël per dies sempiternos;

26 Credere Israël nobiscum esse Dei misericordiam, ut liberet nos in diebus suis.

27 Duas gentes odit anima mea: tertia autem non est gens, quam oderim:

28 Qui sedent in monte Seir, & Philisthiim, & stultus populus qui habitat in Sichimis.

29 Doctrinam sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo.

30 Beatus, qui in istis versatur bonis: qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper.

31 Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit: quia lux Dei vestigium ejus est.

Caput LI.

Dei laus, exaltatio & gratiarum actio.

A

1 ORatio Iesu filij Sirach: Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum salvatorem meum.

2 Confitebor nomini tuo: quoniam adjutor & protector factus es mihi,

3 Et liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labiis operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adjutor.

4 Et liberasti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus, præparatis ad escam,

5 De manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum quæ circumdederunt me:

6 A pressura flammæ quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus:

7 De altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, à rege iniquo, & à lingua injusta:

8 Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum,

9 Et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.

B 10 Circumdederunt me undique, & non erat qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat.

11 Memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, & operationis tuæ, quæ à sæculo sunt:

12 Quoniam eruis sustinentes te Domine, & liberas eos de manibus gentium.

13 Exaltasti super terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecatus sum.

14 Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborum sine adjutorio.

15 Laudabo nomen tuum assiduè, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea.

16 Et liberasti me de perditione, & eripuisti me de tempore iniquo.

17 Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini.

C 18 Cùm adhuc junior essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam palàm in oratione mea.

19 Ante templum postulabam pro illa, & usque in novissimis inquiram eam. Et efloruit tanquam præcox uva,

20 Lætatum est cor meum in ea. Ambulavit pes meus iter rectum, à juventute mea investigabam eam.

21 Inclinavi modicè aurem meam, & excepi illam.

22 Multam inveni in meipso sapientiam, & multùm profeci in ea.

23 Danti mihi sapientiam, dabo gloriam.

24 Consiliatus sum enim ut facerem illam: zelatus sum bonum, & non confundar.

25 Colluctata est anima mea in illa, & in faciendo eam confirmatus sum.

26 Manus meas extendi in altum, & insipientiam ejus luxi.

27 Animam meam direxi ad illam, & in agnitione inveni eam.

28 Possedi cum ipsa cor ab initio: propter hoc non derelinquar.

29 Venter meus conturbatus est quærendo illam: propterea bonam possidebo possessionem. D

30 Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam: & in ipsa laudabo eum.

31 Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ.

32 Quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehementer.

33 Aperui os meum, & locutus sum: Comparate vobis sine argento,

34 Et collum vestrum subjicite jugo, & suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim invenire eam.

35 Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem.

36 Assumite disciplinam in multo numero argenti, & copiosum aurum possidete in ea.

37 Lætetur anima vestra in misericordia ejus, & non confundemini in laude ipsius.

38 Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

BIBLIA SACRA VERSICULIS DISTINCTA

PARS SECUNDA.

Universidad de Deusto
Biblioteca



PROPHETIA ISAIÆ.

Caput Primum.

Tempus quo prophetavit Isaias super Iudam & Ierusalem, quæ ob suam ingratitudinem aliáque scelera, omni pœnarum genere à Deo percussa, non est ad eum reversa: quamobrem dicit miserrimam imminere ipsi desolationem: victimæ & sollemnitates ipsius reiiciuntur: & quid facere debeat ut in gratiam à Deo recipiatur. rursum ob defectionem à pristina virtute in varia peccata, gravem vindictam, & futuram tandem ipsius liberationem & in feliciorem statum restitutionem vaticinatur.

A 1 VISIO Isaiæ filij Amos, quam vidit super Iudam & Ierusalem in diebus Ozię, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ, regum Iuda.

2 Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me.

3 Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.

B 4 Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum.

5 Super quo percutiã vos ultrà addentes prevaricationẽ? omne caput languidũ, & omne cor mœrens.

6 A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.

Inf. 5. b. 6. 7 * Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni: regionem vestram coram vobis alieni devorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili.

C 8 Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut civitas quæ vastatur.

*Rom. 9. §. 29. *Gen. 19. c. 24.* 9 * Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, * quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.

10 Audite verbum Dñi principes Sodomorũ, percipite auribus legẽ Dei nostri populus Gomorrhę.

Ier. 6. c. 20. Amos 5. §. 22. 11 * Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum. holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum, nolui.

12 Cùm veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis?

13 Ne offeratis ultrà sacrificium frustrà: incensũ D abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbatum, & festivitates alias non ferã, iniqui sunt cœtus vestri:

14 Calendas vestras, & sollemnitates vestras, odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.

15 Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: *manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.

16 * Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversè, *Inf. 59. c. 3. *1. Pet. 3. 6. 11.* E

17 Discite benefacere: quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.

18 Et venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

19 Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.

20 Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis: gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est.

21 Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicij? justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.

22 Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua.

23 Principes tui infideles, socij furum: omnes di- F ligunt munera, sequuntur retributiones. * Pupillo *Ier. 5. §. 28.* non judicãt: & causa viduæ non ingreditur ad illos.

24 Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israël: Heu, consolabor super hostibus meis, G & vindicabor de inimicis meis.

25 Et convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.

26 Et restituam judices tuos ut fuerunt prius, G & consiliarios tuos sicut antiquitus: post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis.

27 Sion in judicio redimetur, & reducent eam in justitia:

28 Et conteret scelestos, & peccatores simul: & qui dereliquerunt Dominum, consumentur.

29 Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificaverũt: & erubescetis super hortis, quos elegeratis,

30 Cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus absque aqua.

31 Et erit fortitudo vestra, ut favilla stuppæ, &

opus vestrum quasi scintilla: & succendetur utrumque simul, & non erit qui extinguat.

CAPUT II.

Ad montem domus Domini fluent omnes gentes, & de Sion exibit lex, nec ultrà bello molestabitur: domus verò Iacob ob idololatriam, avaritiam & reliqua scelera abjicietur: superbi humiliabuntur, & solus Dominus exaltabitur.

A 1 VErbum, quod vidit Isaias, filius Amos, super Juda & Jerusalem.

*Mich. 4. a. 1. 2 *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.

3 Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.

B 4 Et judicabit Gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium.

5 Domus Jacob venite, & ambulemus in lumine Domini.

6 Projecisti enim populum tuum, domum Jacob: quia repleti sunt ut olim, & augures habuerunt ut Philisthiim, & pueris alienis adhæserunt.

7 Repleta est terra argento & auro: & non est finis thesaurorum ejus:

8 Et repleta est terra ejus equis: & innumerabiles quadrigæ ejus. Et repleta est terra ejus idolis: opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum.

9 Et incurvavit se homo, & humiliatus est vir: ne ergo dimittas eis.

C 10 Ingredere in petrã, & abscondere in fossã humo à facie timoris Domini, & à gloria majestatis ejus.

11 Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus solus in die illa.

12 Quia dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem: & humiliabitur.

13 Et super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan.

14 Et super omnes montes excelsos, & super omnes colles elevatos.

15 Et super omnem turrim excelsam, & super omnem murum munitum,

D 16 Et super omnes naves Tharsis, & super omne quod visu pulchrum est.

17 Et incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus solus in die illa:

18 Et idola penitus conterentur:

*Osee 10. c. 8. Luc. 23. c. 30. Apoc. 6. d. 16. 19 *Et introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ, à facie formidinis Domini, & à gloria majestatis ejus, cùm surrexerit percutere terram.

20 In die illa projiciet homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret, talpas & vespertiliones.

21 Et ingredietur scissuras petrarum, & in cavernas saxorum, à facie formidinis Domini, & à gloria majestatis ejus, cùm surrexerit percutere terram.

22 Quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse.

CAPUT III.

Futura Iudæorum ob sua peccata gravis afflictio ac desertio, & puerorum atque effeminatorum dominium: peccata superiorum arguit: item superbiam & curiosam lasciviam filiarum Sion in ignominiam vertendam praedicit.

1 ECce enim dominator Dominus exercituum A auferet à Jerusalem, & à Juda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ;

2 Fortem, & virum bellatorem, judicem, & prophetam, & ariolum, & senem;

3 Principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici.

4 Et dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis.

5 Et irruet populus, vir ad virum, & unusquisque ad proximum suum: tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.

6 Apprehendet enim vir fratrem suum domesti- B cum patris sui: Vestimentum tibi est, princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua.

7 Respondebit in die illa, dicens: Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi.

8 Ruit enim Jerusalem, & Judas concidit: quia lingua eorum & adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.

9 Agnitio vultus eorum respondit eis: & peccatũ suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt: væ animæ eorũ: quoniã reddita sunt eis mala.

10 Dicite justo quoniam benè, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.

11 Væ impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei.

12 Populum meum exactores sui spoliaverunt, & C mulieres dominatæ sunt eis. Populo meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.

13 Stat ad judicandum Dominus, & stat ad judicandos populos.

14 Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, & principibus ejus: vos enim depasti estis vineam, & rapina pauperis in domo vestra.

15 Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dñs Deus exercituum?

16 Et dixit Dominus: Pro eo quòd elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant:

17 Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, D & Dominus crinem earum nudabit.

18 In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas,

19 Et torques, & monilia, & armillas, & mitras,

20 Et discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures,

21 Et annulos, & gemmas in fronte pendentes,

22 Et mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus,

23 Et specula, & sindones, & vittas, & theristra.

24 Et erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.

25 Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio.

26 Et mœrebunt atque lugebunt portæ ejus, & desolata in terra sedebit.

CAPUT

CAPUT IV.

Septem mulieres unum maritum appetent: germen Domini exaltabitur: & reliquæ Israël ablutis earum sordibus salvæ erunt, magnâque securitate & felicitate afficientur.

A 1 ET apprehendent septem mulieres virum unum in die illa dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodò invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.

2 In die illa, erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui salvati fuerint de Israël.

3 Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem.

4 Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicij, & spiritu ardoris.

5 Et creabit Dominus super omnem locum Montis Sion, & ubi invocatus est, nubem per diem, & fumum & splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio.

6 Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine, & à pluvia.

CAPUT V.

Sub figura vineæ sterilis in direptionem traditæ prophetat judicium & desertionem Iudæorum, ipsorumque peccata describuntur: avaritiã in coadunandis possessionibus: ebrietas & contemptus scientiæ Dei: inferni dilatatio: humiliatio superborum, & exaltatio Dei: felicitas quoque justorum & va diversis peccatorum generibus denuntiatur: & signum in nationibus elevandum contra Iudæos.

A 1 CAntabo dilecto meo canticum patruelis
Ier. 2. c. 21. Mat. 21. d. 33. meæ vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.

2 Et sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in ea: & expectavit ut faceret uvas, & fecit labruscas.

3 Nunc ergo habitatores Jerusalem, & viri Juda, judicate inter me & vineam meam.

4 Quid est quod debui ultrà facere vineæ
B meæ, & non feci ei? an quòd expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?

5 Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem.

6 Et ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur: & ascendent vepres & spinæ: & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.

7 Vinea enim Domini exercituum, domus Israël est: & vir Juda, germen ejus delectabile: & expectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas; & justitiam, & ecce clamor.

8 Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?

C 9 In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum: Nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes & pulchræ, absque habitatore.

10 Decem enim jugera vinearum facient lagunculam unam, & triginta modij sementis facient modios tres.

11 Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.

12 Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.

13 Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus siti exaruit.

14 Propterea dilatavit infernus animam D suam, & aperuit os suum absque ullo termino: & descendent fortes ejus, & populus ejus, & sublimes gloriosique ejus, ad eum.

15 Et incurvabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimium deprimentur.

16 Et exaltabitur Dominus exercituum in judicio, & Deus sanctus sanctificabitur in justitia.

17 Et pascentur agni juxta ordinem suum, & deserta in ubertatem versa advenæ comedent.

18 Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.

19 Qui dicitis: Festinet, & citò veniat opus E ejus, ut videamus: & appropiet, & veniat consilium sancti Israël, & sciemus illud.

20 Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

21 * Væ qui sapientes estis in oculis vestris, *Prov. 3. a. 7. Rom. 12. d. 16.* & coram vobismetipsis prudentes.

22 Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.

23 Qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.

24 Propter hoc, sicut devorat stipulam lin- F gua ignis, & calor flammæ exurit; sic radix eorum quasi favilla erit, & germen eorum ut pulvis ascendet. Abjecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israël blasphemaverunt.

25 Ideò iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum: & conturbati sunt montes, & facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum. In his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

26 Et elevabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ: & ecce festinus velocitor veniet.

27 Non est deficiens, neque laborans in eo: G non dormitabit, neque dormiet, neque solvetur cingulum renum ejus, nec rumpetur corrigia calceamenti ejus.

28 Sagittæ ejus acutæ, & omnes arcus ejus extenti. Ungulæ equorum ejus ut silex, & rotæ ejus quasi impetus tempestatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

29 Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum: & frendet, & tenebit prædam: & amplexabitur, & non erit cui eruat.

30 Et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris: aspiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine ejus.

Caput VI.

Isaias visa Domini majestate condemnat se quòd tacuerit, sed mundatis labiis suis offert se ad prædicandum: prædicitur excæcandus populus usque ad desolationem civitatum Judæ, & ejus quæ derelicta erat futura consolatio.

A 1 In anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: & ea quæ sub ipso erant, replebant templum.

2 Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.

B 3 Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.

* Apoc. 4. c. 8.

4 Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo.

5 Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis meis.

C 6 Et volauit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari.

7 Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.

8 Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.

* Matt. 13. b. 14. Marc. 4. b. 12. Luc. 8. b. 10

9 Et dixi: Vade, & dices populo huic: * Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere.

D Joan. 12. f. 40. Act. 28. f. 26. Rom. 11. b. 8.

10 Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava: & oculos ejus claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat: & convertatur, & sanem eum.

11 Et dixit: Usquequò Domine? Et dixit: Donec desolentur civitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquetur deserta.

12 Et lõgè faciet Dominus homines, & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terrę.

13 Et adhuc in ea decimatio, & convertetur, & erit in ostensionem sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ expandit ramos suos: semen sanctum erit id, quod steterit in ea.

Caput VII.

Obsessa à Syris & ab Israël Ierusalem, Isaias prophetat illos non prævalituros, datque impio Achaz signum liberationis virginem pariturum filium cujus nomen Emmanuël: prædicitque desertionem Israël & gravissimam Judæ afflictionem ac solitudinem.

A 4. Reg. 16. a. 5. 1 Et factum est in diebus Achaz filij Joathan, filij Oziæ regis Juda, ascendit Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israël, in Jerusalem, ad præliandum contra eam: & non potuerunt debellare eam.

2 Et nuntiaverunt domui David, dicentes: Requievit Syria super Ephraim, & commotum est cor ejus, & cor populi ejus, sicut moventur ligna silvarum à facie venti.

3 Et dixit Dominus ad Isaiam: Egredere in occursum Achaz tu, & qui derelictus est Jasub filius tuus, ad extremum aquæ ductus piscinæ superioris in via Agri fullonis.

4 Et dices ad eum: Vide ut sileas: noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriæ, & filij Romeliæ:

B 5 Eò quòd consilium inierit contra te Syria in malum Ephraim, & filius Romeliæ dicentes:

6 Ascendamus ad Judam, & suscitemus eum, & avellamus eum ad nos, & ponamus regem in medio ejus filium Tabeel.

7 Hæc dicit Dominus Deus: Non stabit, & non erit istud:

8 Sed caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rasin: & adhuc sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus:

9 Et caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Romeliæ. Si non credideritis, non permanebitis.

10 Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens:

11 Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.

12 Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum.

13 Et dixit: Audite ergo domus Dauid: Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?

C * Matt. 1. d. 23. Luc. 1. c. 31. 14 Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. * Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuël.

15 Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.

16 Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris à facie duorum regum suorũ.

17 Adducet Dominus super te, & super populum tuum, & super domum patris tui dies qui non venerunt à diebus separationis Ephraim à Juda cum rege Assyriorum.

18 Et erit in die illa: Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ est in terra Assur,

19 Et venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cavernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in universis foraminibus.

20 In die illa radet Dominus in novacula conducta, in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput & pilos pedum, & barbam universam.

D 21 Et erit in die illa: Nutriet homo vaccam boum, & duas oves,

22 Et præ ubertate lactis comedet butyrum: butyrum enim & mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terræ.

23 Et

23 Et erit in die illa: Omnis locus ubi fuerint mille vites, mille argenteis, in spinas & in vepres erunt.

24 Cum sagittis & arcu ingredientur illuc: vepres enim & spinæ erunt in universa terra.

25 Et omnes montes, qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum & veprium, & erit in pascua bovis, & in conculcationem pecoris.

Caput VIII.

Jubetur Isaias in libro scribere nomen pueri nascituri: prædicit regna Israël & Syriæ destruenda, Judæque afflictionem & futuram à Deo liberationem, licet multi ex Juda casuri sint: jubet ligari testimonium & legem signari, subjiciens quæ imminent mala recedentibus à lege.

A 1 Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe, citò prædare.

2 Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ:

3 Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere: Festina prædari.

4 Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram rege Assyriorum.

5 Et adjecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens:

B 6 Pro eo quòd abjecit populus iste aquas Siloë, quæ vadunt cum silentio, & assumpsit magis Rasin, & filium Romeliæ:

7 Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam ejus: & ascendet super omnes rivos ejus, & fluet super universas ripas ejus,

8 Et ibi per Judam, inundans, & transiens usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terræ tuæ, ô Emmanuël.

9 Congregamini populi, & vincimini, & audite universæ procul terræ: confortamini, & vincimini, accingite vos & vincimini:

10 Inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet: quia nobiscum Deus.

C 11 Hæc enim ait Dominus ad me: sicut in manu forti erudivit me, ne irem in via populi hujus, dicens:

12 Non dicatis, conjuratio: omnia enim quæ loquitur populus iste, conjuratio est: & timorem ejus ne timeatis: neque paveatis.

13 Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, & ipse terror vester.

* Luc. 2. c. 14. Rom. 9. g. 33. 1. Pet. 2. b. 7. 14 Et erit vobis in sanctificationem. * In lapidem autem offensionis, & in petram scandali, duabus domibus Israël; in laqueum & in ruinam habitantibus Jerusalem.

15 Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.

16 Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.

Pars II.

D 17 Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Jacob, & præstolabor eum.

18 Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israël à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.

19 Et cùm dixerint ad vos: Quærite à pythonibus, & à divinis, qui stridٍent in incantationibus suis: Numquid non populus à Deo suo requiret, pro vivis à mortuis?

20 Ad legem magis, & ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.

21 Et transibit per eam, corruet, & esuriet: & cùm esurierit, irascetur, & maledicet regi suo, & Deo suo, & suspicier sursum.

22 Et ad terram intuebitur, & ecce tribulatio & tenebræ, dissolutio & angustia, & caligo persequens, & non poterit avolare de angustia sua.

Caput IX.

Vaticinium de Christi nativitate, ipsiusque imperio multiplicando: de liberatione Judæ à regibus Israel & Syriæ: quorum regnorum, & præsertim regni Israel ad Deum redire nolentis, gravissimas cades intestinaque dissidia prædicit.

A Matt. 4. b. 15. 1 Primo tempore alleviata est Terra Zabulon, & Terra Nephthali: & novissimò aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ Gentium.

2 Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

3 Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.

4 Jugum enim oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superasti, * sicut in die Madian. * Jud. 7. f. 22.

5 Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine, erit in combustionem, & cibus ignis.

B 6 Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.

7 Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum ejus sedebit: ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitia, amodò & usque in sempiternum: zelus Domini exercituum faciet hoc.

8 Verbum misit Dominus in Jacob, & cecidit in Israël.

9 Et sciet omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam, in superbia & magnitudine cordis dicentes:

10 Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus.

11 Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum, & inimicos ejus in tumultum vertet:

Universidad de Deusto
Biblioteca

C 12 Syriam ab Oriente, & Philisthijm ab Occidente: & devorabunt Israël toto ore. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta:

13 Et populus non est reversus ad percutientem se, & Dominum exercituum non inquisierunt.

14 Et disperdet Dominus ab Israël caput & caudam, incurvantem & refrænantem, die vna.

15 Longævus & honorabilis, ipse est caput: & propheta docens mendacium, ipse est cauda.

16 Et erunt, qui beatificant populum istum, seducentes: & qui beatificantur, præcipitati.

17 Propter hoc super adolescentulis ejus non lætabitur Dominus: & pupillorum ejus, & viduarum non miserebitur: quia omnis hypocrita est & nequam, & universum os locutum est

D stultitiam. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

18 Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem & spinam vorabit: & succendetur in densitate saltus, & convolvetur superbia fumi.

19 In ira Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis: vir fratri suo non parcet.

20 Et declinabit ad dexteram, & esuriet: & comedet ad sinistram, & non saturabitur: unusquisque carnem brachij sui vorabit; Manasses Ephraim, & Ephraim Manassen, simul ipsi contra Iudam.

21 In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

Caput X.

Væ condentibus leges iniquas in oppressionem pauperum & viduarum: regem Assur virgam furoris Domini prædicit ob suam superbiam & cordis arrogantiam humiliandum: consolatur Israël ne timeat ab Assur, reliquias ipsius ad Deum convertendas prædicens.

A 1 VÆ qui condunt leges iniquas: & scribentes, injustiam scripserunt:

2 Vt opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei: ut essent viduæ præda eorũ, & pupillos diriperent.

3 Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis? ad cuius confugietis auxilium? & vbi derelinquetis gloriam vestram,

4 Ne incurvemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

5 Væ Assur, virga furoris mei & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.

B 6 Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum.

7 Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor ejus, & ad internecionem gentium non paucarum.

8 Dicet enim:

9 Numquid non principes mei simul reges sunt? numquid non vt Charcamis, sic Calano; & vt Arphad, sic Emath? numquid non ut Damascus, sic Samaria?

10 Quomodo invenit manus mea regna idoli, sic & simulachra eorum de Jerusalem, & de C
Samaria.

11 Numquid non sicut feci Samariæ & idolis ejus, sic faciam Jerusalem & simulachris ejus?

12 Et erit, cùm impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, & in Jerusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis* Assur, *4. Reg. 19.g.35. Inf.37. g.36.
& super gloriam altitudinis oculorum ejus.

13 Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi: & abstuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes.

14 Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum: & sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi: & non fuit qui moveret pennam, & aperiret os, & ganniret. D

15 Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? quomodo si elevetur virga contra elevantem se, & exaltetur baculus, qui utique lignum est.

16 Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem: & subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis.

17 Et erit lumen Israël in igne, & Sanctus ejus in flamma: & succendetur, & devorabitur spina ejus, & vepres in die una.

18 Et gloria saltus ejus, & carmeli ejus, ab E
anima usque ad carnem consumetur, & erit terrore profugus.

19 Et reliquiæ ligni saltus ejus præ paucitate numerabuntur, & puer scribet eos.

20 Et erit in die illa: non adjiciet residuum Israël, & hi qui fugerint de domo Iacob, inniti super eo qui percutit eos; sed innitetur super Dominum sanctum Israël in veritate.

21 Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Iacob ad Deum fortem.

22* Si enim fuerit populus tuus Israël quasi *Inf.11. c.11. Rom.9. f.27.
arena maris, reliquiæ convertentur ex eo: consummatio abbreviata inundabit justitiam.

23 Consummationem enim & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in me- F
dio omnis terræ.

24 Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituum: Noli timere populus meus habitator Sion ab Assur: in virga percutiet te, & baculum suum levabit super te in via Ægypti.

25 Adhuc enim paululum modicúmque, & consummabitur indignatio & furor meus super scelus eorum.

26* Et suscitabit super eum Dominus exer- *Inf. 37. c.36. *Iud.7. g.25.
cituum flagellum, * juxta plagam Madian in petra Oreb, & virgam suam super mare, & levabit eam in via Ægypti.

27 Et erit in die illa: Auferetur onus ejus de humero tuo, & iugum ejus de collo tuo, & G
computrescet jugum à facie olei.

28 Veniet

28 Veniet in Aiath, transibit in Magron: apud Machmas commendabit vasa sua.

29 Transierunt cursim, Gaba sedes nostra: obstupuit Rama, Gabaath Saulis fugit.

30 Hinni voce tua filia Gallim, attende Laisa, paupercula Anathoth.

31 Migravit Medemena: habitatores Gabim confortamini.

32 Adhuc dies est, vt in Nobe stetur: agitabit manum suam super montem filiæ Sion, collem Ierusalem.

33 Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, & excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur.

34 Et subvertentur condensa saltus ferro: & Libanus cum excelsis cadet.

Caput XI.

Vaticinium de Christi nativitate, judicio, exaltatione, conversione populorum & gentium ad Christum, & gloria sepulchri ipsius: item de conversione reliquiarum Israël ad Deum, ac fide Gentium.

A 1 ET egredietur virga de radice Jesse, & flos *Act.13. d.23.
de radice ejus ascendet.

2 Et requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis.

3 Et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundùm auditum aurium arguet:

4 Sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet *2. Thes. 2.b.8.
terram virga oris sui, * & spiritu labiorum suorum interficiet impium.

5 Et erit justitia cingulum lumborum eius: & fides cinctorium renum eius.

*Inf. 65. d.25.
6 * Habitabit lupus cum agno: & pardus B
cum hœdo accubabit: vitulus & leo & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.

7 Vitulus & ursus pascentur; simul requiescent catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas.

8 Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis: & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.

9 Non nocebunt, & non occident in universo monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.

*Rom. 15.c.12.
10 * In die illa, radix Jesse, qui stat in si- C
gnum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum ejus gloriosum.

11 Et erit in die illa: Adjiciet Dominus secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyriis, & ab Ægypto, & à Phetros, & ab Æthiopia, & ab Ælam, & à Sennaar, & ab Emath, & ab insulis maris.

12 Et levabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Juda colliget à quattuor plagis terræ.

D 13 Et auferetur zelus Ephraim, & hostes Juda peribunt: Ephraim non æmulabitur Judam, & Judas non pugnabit contra Ephraim.

14 Et volabunt in humeros Philisthijm per mare, simul prædabuntur filios Orientis. Idumæa & Moab præceptum manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt.

15 Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti, & levabit manum suam super flumen, in fortitudine spiritus sui: & percutiet eum in septem riuis, ita ut transeant per eum calceati.

16 Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis: sicut fuit Israëli in die illa, qua ascendit de Terra Ægypti.

Caput XII.

Canticum laudis & gratiarum actionis pro liberatione & beneficiis Christi salvatoris.

1 ET dices in die illa: Confitebor tibi Do- A
mine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, & consolatus es me.

2 Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo: * quia fortitudo mea, *Exod. 15. a.2. Psal.117. c.14.
& laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

3 Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris:

4 Et dicetis in die illa: Confitemini Domino, & invocate nomen ejus: notas facite in B
populis adinventiones ejus: mementote quoniam excelsum est nomen ejus.

5 Cantate Domino quoniam magnificè fecit: annuntiate hoc in universa terra.

6 Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israël.

Caput XIII.

Ingens ac truculenta Babyloniorum vastatio à Medis.

1 ONus Babylonis, quod vidit Isaias filius A
Amos.

2 Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum & ingrediantur portas duces.

3 Ego mandavi sanctificatis meis, & vocavi fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.

4 Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium: vox sonitus regum, gentium congregatarum: Dominus exercituum præcepit militiæ belli.

5 Venientibus de terra procul, à summitate cœli: Dominus, & vasa furoris ejus, vt dispersat omnem terram.

6 Vlulate, quia propè est dies Domini: quasi vastitas à Domino veniet.

7 Propter hoc, omnes manus dissolventur, & omne cor hominis contabescet,

8 Et conteretur. Torsiones & dolores tene- B
bunt: quasi parturiens, dolebunt: unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum.

9 Ecce dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ furorísque, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea.

10* Quoniam stellæ cœli, & splendor earum, *Ezech. 32.b.7. Ioel.2.b. 10.3.c. 15. Mat. 24. c.29.
non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo.

11 Et visitabo super orbis mala, & contra

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mat. 13. c. 24. Luc. 21 c. 25.

impios iniquitatem eorum, & quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.

C 12 Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo.

13 Super hoc cælum turbabo: & movebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris ejus.

14 Et erit quasi damula fugiens, & quasi ovis: & non erit qui congreget: unusquisque ad populum suum convertetur, & singuli ad terram suam fugient.

15 Omnis, qui inventus fuerit, occidetur: & omnis, qui supervenerit, cadet in gladio.

*Ps. 136. b. 9. 16 * Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum, & uxores eorum violabuntur.

17 Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint:

D 18 Sed sagittis parvulos interficient, & lactantibus uteris non miserebuntur, & super filios non parcet oculus eorum.

19 Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldæorum, * sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham:

*Gen. 19. c. 24. 20 Non habitabitur usque in finem, & non fundabitur usque ad generationem & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi.

21 Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi:

22 Et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & sirenes in delubris voluptatis.

CAPUT XIV.

Vaticinium de Judæorum consolatione & à Babylonica captivitate liberatione, Babyloniorumque contritione: quorum ingens superbia, amplitudo dominij & crudelitas explicantur, una cum punitione Philisthinorum, ac ceterorum qui ob calamitatem Judæorum lætati sunt.

A 1 PRopè est ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Jacob, & eliget adhuc de Israël, & requiescere eos faciet super humum suam: adjungetur advena ad eos, & adhærebit domui Jacob.

2 Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum suum: & possidebit eos domus Israël super terram Domini in servos & ancillas: & erunt capientes eos qui se ceperant, & subjicient exactores suos.

3 Et erit in die illa: cùm requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à concussione tua, & à servitute dura, qua antè seruisti:

4 Sumes parabolam istam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo cessavit exactor, quievit tributum?

5 Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium,

B 6 Cædentem populos in indignatione, plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter.

7 Conquievit & siluit omnis terra, gavisa est & exultavit:

8 Abietes quoque lætatæ sunt super te, & cedri Libani: ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos.

9 Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum.

10 Universi respondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es.

11 Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: subter te sternetur tinea, C & operimentum tuum erunt vermes.

12 Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes?

13 Qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendā, super astra Dei exaltabo soliū meum, sedebo in monte testamēti, in lateribus Aquilonis.

14 Adscendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.

15 Veruntamen ad infernum detrahêris in profundum laci:

16 Qui te viderint, ad te inclinabuntur, téque prospicient: Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna, D

17 Qui posuit orbem desertum, & urbes ejus destruxit, vinctis ejus non aperuit carcerem?

18 Omnes reges gentium universi dormierunt in gloria, vir in domo sua.

19 Tu autem projectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis pollutus, & obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadaver putridum.

20 Non habebis consortium, neque cum eis E in sepultura: tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti: non vocabitur in æternum semen pessimorum.

21 Præparate filios ejus occisioni in iniquitate patrū suorum: non consurgent, nec hereditabunt terrā, neq; implebunt faciem orbis civitatū.

22 Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum: & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniē, dicit Dominus.

23 Et ponam eam in possessionem ericj, & in F paludes aquarum, & scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum.

24 Juravit Dominus exercituū, dicens: Si non, ut putavi, ita erit: & quomodo mente tractavi,

25 Sic eveniet: Ut conteram Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum: & auferetur ab eis jugum ejus, & onus illius ab humero eorum tolletur.

26 Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram, & hæc est manus extenta super universas gentes.

27 Dominus enim exercituum decrevit: & quis poterit infirmare? & manus ejus extenta: & quis avertet eam?

28 In anno, quo mortuus est rex Achaz, factum est onus istud:

29 Ne læteris Philisthæa omnis tu, quoniam G comminuta est virga percussoris tui: de radice enim colubri egredietur regulus, & semen ejus absorbens volucrem.

30 Et

30 Et pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent: & interire faciam in fame radicē tuam, & reliquias tuas interficiam.

31 Ulula porta, clama civitas: prostrata est Philisthæa omnis: ab Aquilone enim fumus veniet, & non est qui effugiet agmen ejus.

32 Et quid respondebitur nuntijs gentis? Quia Dominus fundavit Sion, & in ipso sperabunt pauperes populi ejus.

CAPUT XV.

Moabitarum ruina prædicitur, & compassio prophetæ erga Moab.

A 1 ONus Moab. Quia nocte vastata est Ar Moab, conticuit: quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit.

2 Ascendit domus, & Dibon ad excelsa in planctum super Nabo, & super Medaba, Moab ululavit: * in cunctis capitibus ejus calvitium, & omnis barba radetur.

*Jerem. 48. f. 37. Ezec. 7. c. 18.

B 3 In triviis ejus accincti sunt sacco: super tecta ejus, & in plateis ejus omnis ululatus descendit in fletum.

4 Clamabit Hesebon, & Eleale, usque Jasa audita est vox eorum. super hoc expediti Moab ululabunt, anima ejus ululabit sibi.

C 5 Cor meum ad Moab clamabit, vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem: per ascensum enim Luith flens ascendet, & in via Oronaim clamorem contritionis levabunt.

6 Aquæ enim Nemrim desertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interijt.

D 7 Secundùm magnitudinem operis, & visitatio eorum: ad torrentem salicum ducent eos.

8 Quoniam circuivit clamor terminum Moab: usque ad Gallim ululatus ejus, & usque ad Puteum Elim clamor ejus.

9 Quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine: ponam enim super Dibon additamenta; his qui fugerint de Moab leonem, & reliquiis terræ.

CAPUT XVI.

Orat emitti agnum, nempe Christum, de Petra deserti: Moab ob arrogantiam & perfidiam humiliabitur, paucis ex eo relictis.

A 1 EMitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deserti ad mortem filiæ Sion.

2 Et erit: Sicut avis fugiens, & pulli de nido avolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.

3 Ini consilium, coge concilium: pone quasi noctem umbram tuam in meridie: absconde fugientes, & vagos ne prodas.

4 Habitabunt apud te profugi mei: Moab esto latibulum eorum à facie vastatoris: finitus est enim pulvis, consummatus est miser: defecit qui conculcabat terram.

B 5 Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans & quærens judicium, & velociter reddens quod justum est.

*Jerem. 48. d. 29. 6 * Audivimus superbiam Moab, superbus est valdè: superbia ejus & arrogantia ejus, & indignatio ejus, plusquam fortitudo ejus.

7 Idcircò ululabit Moab ad Moab, universus ululabit: his, qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas.

8 Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, & C vineam Sabama Domini Gentium exciderunt: flagella ejus usque ad Jazer pervenerunt: erraverunt in deserto, propagines ejus relictæ sunt, transierunt mare.

9 Super hoc plorabo in fletu Jazer vineam Sabama: inebriabo te lacryma mea Hesebon, & Eleale: quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irruit.

10 Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit neque jubilabit. vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueverat: vocem calcantium abstuli.

11 Super hoc venter meus ad Moab quasi ci- D thara sonabit, & viscera mea ad murū cocti lateris.

12 Et erit: cùm apparuerit quod laboravit Moab super excelsis suis, ingredietur ad sancta sua ut obsecret, & non valebit.

13 Hoc verbum, quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc:

14 Et nunc locutus est Dominus, dicens: In tribus annis, quasi anni mercenarij, auferetur gloria Moab super omni populo multo, & relinquetur parvus & modicus, nequaquam multus.

CAPUT XVII.

Vastatis Damascenis auxiliaribus populi Israël, similiter & Israël vastabitur, quia oblitus est Dei salvatoris sui, ad quem calamitate pressus revertetur: & væ persecutoribus populi Domini denuntiatur.

1 ONus Damasci. Ecce Damascus desinet esse A civitas, & erit sicut acervus lapidū in ruina.

2 Derelictæ civitates Aroër gregibus erunt, & requiescent ibi, & non erit qui exterreat.

3 Et cessabit adjutorium ab Ephraim, & regnum à Damasco: & reliquiæ Syriæ sicut gloria filiorum Israël erunt: dicit Dominus exercituum.

4 Et erit in die illa: attenuabitur gloria Jacob, & pinguedo carnis ejus marcescet.

5 Et erit sicut congregans in messe quod resti- B terit, & brachium ejus spicas leget: & erit sicut quærens spicas in valle Raphaim.

6 Et relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quattuor aut quinq; in cacuminibus ejus fructus ejus: dicit Dominus Deus Israël.

7 In die illa inclinabitur homo ad Factorem suum, & oculi ejus ad sanctum Israël respicient:

8 Et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus: & quæ operati sunt digiti ejus non respiciet, lucos & delubra.

9 In die illa, erunt civitates fortitudinis ejus C derelictæ sicut aratra, & segetes quæ derelictæ sunt à facie filiorum Israël, & eris deserta.

10 Quia oblita es Dei salvatoris tui, & fortis adjutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationē fidelem, & germen alienū seminabis.

11 In die plantationis tuæ labrusca, & manè semen tuum florebit: ablata est messis in die hereditatis, & dolebit graviter.

12 Væ multitudini populorum multorum, ut D multitudo maris sonantis: & tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum.

13 Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium, & increpabit eum, & fugiet procul; & rapietur

Universidad de Deusto
Biblioteca

rapietur ſicut pulvis montium à facie venti,& ſicut turbo coram tempeſtate.

14 In tempore veſpere, & ecce turbatio: in matutino, & non ſubſiſtet, hæc eſt pars eorum qui vaſtaverunt nos, & ſors diripientium nos.

Caput XVIII.

Adverſus Ægyptios qui Iudæos pellexerant ad confidendum in ipſis: additur conſolatio populi Iudaici de reditu ad Ieruſalem.

A 1 VÆ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ,

2 Qui mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas. Ite angeli veloces ad gentem convulſam,& dilaceratam; ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius; ad gentẽ expectantem & cõculcatam,cujus diripuerunt flumina terram ejus.

B 3 Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cum elevatum fuerit ſignum in montibus, videbitis, & clangorem tubæ audietis:

4 Quia hæc dicit Dominus ad me: Quieſcam, & conſiderabo in loco meo, ſicut meridiana lux clara eſt, & ſicut nubes roris in die meſſis.

C 5 Ante meſſem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit,& præcidentur ramuſculi ejus falcibus: & quæ derelicta fuerint, abſcindentur, & excurientur.

6 Et relinquentur ſimul avibus montium,& beſtiis terræ:& æſtate perpetua erunt ſuper eũ volucres,& omnes beſtiæ terræ ſuper illum hiemabũt.

D 7 In tempore illo, deferetur munus Domino exercituum à populo divulſo & dilacerato: à populo terribili,poſt quem non fuit alius;à gente expectante,expectante & conculcata, cujus diripuerunt flumina terram ejus; ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion.

Caput XIX.

Deſcribit plenius Ægyptiorum punitionem; & quòd ad Deum converſi, miſſo ipſis ſalvatore conſolabuntur.

A 1 ONus Ægypti. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulachra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus.

2 Et concurrere faciam Ægyptios adverſus Ægyptios: & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, civitas adverſus civitatem, regnum adverſus regnum.

3. Et dirumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus ejus,& conſilium ejus præcipitabo: & interrogabunt ſimulachra ſua, & divinos ſuos, & pythones, & ariolos.

4 Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum.

5 Et areſcet aqua de mari, & fluvius deſolabitur, atque ſiccabitur.

B 6 Et deficient flumina: attenuabuntur, & ſiccabũtur rivi aggerũ.Calamus & juncus marceſcet:

7 Nudabitur alveus rivi à fonte ſuo, & omnis ſementis irrigua ſiccabitur, areſcet, & non erit.

8 Et mœrebunt piſcatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete ſuper faciem aquarum emarceſcent.

9 Confundentur qui operabantur linum, pectentes & texentes ſubtilia.

10 Et erunt irrigua ejus flaccentia: omnes qui faciebant lacunas ad capiendos piſces.

11 Stulti principes Taneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis, dederunt conſilium inſipiens. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius ſapientium ego, filius regum antiquorum?

12 Ubi nunc ſunt ſapientes tui? annuntient tibi, & indicent quid cogitaverit Dominus exercituum ſuper Ægyptum.

13 Stulti facti ſunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus.

14 Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum C
vertiginis: & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens.

15 Et non erit Ægypto opus,quod faciat caput & caudam, incurvantem & refrænantem.

16 In die illa erit Ægyptus quaſi mulieres, & ſtupebunt,& timebunt à facie cõmotionis manus Domini exercituum,quã ipſe movebit ſuper eam.

17 Et erit Terra Juda Ægypto in pavorẽ: omnis qui illius fuerit recordatus,pavebit à facie conſilij Domini exercituũ,quod ipſe cogitavit ſuper eam.

18 In die illa erunt quinque civitates in Terra Ægypti,loquẽtes lingua Chanaan,& jurantes per Dominũ exercituum: Civitas ſolis vocabitur una.

19 In die illa erit altare Domini in medio Terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminũ ejus.

20 Erit in ſignum, & in teſtimonium Domino D
exercituum in Terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis ſalvatorem & propugnatorem, qui liberet eos.

21 Et cognoſcetur Dominus ab Ægypto,& cognoſcent Ægyptij Dominum in die illa,& colent eum in hoſtiis & in muneribus:& vota vovebunt Domino, & ſolvent.

22 Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, & ſanabit eam, & revertentur ad Dominum, & placabitur eis, & ſanabit eos.

23 In die illa erit via de Ægypto in Aſſyrios,& intrabit Aſſyrius Ægyptum, & Ægyptius in Aſſyrios, & ſervient Ægyptij Aſſur.

24 In die illa erit Iſraël tertius Ægyptio & Aſſyrio: benedictio in medio terræ,

25 Cui benedixit Dominus exercituum,dicens: Benedictus populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Aſſyrio: hereditas autẽ mea Iſraël.

Caput XX.

Ex hoc quòd Iſai. ſubetur nudus & diſcalceatus incedere, prædicitur Ægyptiorum & Æthiopum captivitas ab Aſſyriis, Iudæis de illorum afflictione ſtupentibus.

A 1 IN anno, quo ingreſſus eſt Tharthan in Azotum, cùm miſiſſet eum Sargon rex Aſſyriorum,& pugnaſſet contra Azotum,& cepiſſet eam:

2 In tempore illo locutus eſt Dominus in manu Iſaiæ filij Amos, dicens: Vade,& ſolve ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit ſic,vadens nudus, & diſcalceatus.

3 Et dixit Dominus: Sicut ambulavit ſervus meus Iſaias nudus,& diſcalceatus,trium annorum ſignum & portentum erit ſuper Ægyptum,& ſuper Æthiopiam:

4 Sic minabit rex Aſſyriorum captivitatem Ægypti,& tranſmigrationem Æthiopiæ,juvenum & B
ſenum,

ſenum, nudam & diſcalceatam, diſcoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.

5 Et timebunt, & confundentur ab Æthiopia ſpe ſua, & ab Ægypto gloria ſua.

6 Et dicet habitator inſulæ hujus in die illa: Ecce hæc erat ſpes noſtra, ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos à facie regis Aſſyriorum: & quo modo effugere poterimus nos?

Caput XXI.

Ruina Babylonis per Medos & Perſas: onus Idumææ & Arabiæ.

A 1 ONus deſerti maris. Sicut turbines ab Aphrico veniunt, de deſerto venit, de terra horribili.

2 Viſio dura nuntiata eſt mihi: qui incredulus eſt, infideliter agit: & qui depopulator eſt, vaſtat. Aſcende Ælam, obſide Mede: omnem gemitum ejus ceſſare feci.

3 Propterea repleti ſunt lumbi mei dolore,angustia poſſedit me ſicut angustia parturientis: corrui cùm audirem, conturbatus ſum cùm viderem.

B 4 Emarcuit cor meũ,tenebræ ſtupefecerunt me: Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculũ.

5 Pone menſã,contemplare in ſpecula comedentes & bibentes,ſurgite principes,arripite clypeum.

6 Hæc enim dixit mihi Dominus: Vade,& pone ſpeculatorem: & quodcumque viderit,annuntiet.

7 Et vidit currum duorum equitum, aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli: & contemplatus eſt diligenter multo intuitu.

8 Et clamavit leo: Super ſpeculam Domini ego ſum, ſtans jugiter per diem: & * ſuper cuſtodiam meam ego ſum, ſtans totis noctibus. *Hab.2. a.1.

9 Ecce iſte venit aſcenſor vir bigæ equitum, & C
reſpondit, & dixit: * Cecidit, cecidit Babylon,& omnia ſculptilia deorum ejus contrita ſunt in terram. *Ier.51. a.8. Apoc.14. b.8.

10 Tritura mea,& filij areæ meæ, quæ audivi à Domino exercituum Deo Iſraël,annuntiavi vobis.

11 Onus Duma ad me clamat ex Seir: Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte?

12 Dixit cuſtos: Venit manè & nox: ſi quæritis, quærite: convertimini, venite.

13 Onus in Arabia. In ſaltu ad veſperam dormietis, in ſemitis Dedanim.

14 Occurrentes ſitienti ferte aquam, qui habitatis terrã Auſtri,cum panibus occurrite fugienti.

D 15 A facie enim gladiorum fugerunt, à facie gladij imminentis, à facie arcus extenti, à facie gravis prælij:

16 Quoniam hæc dicit Dominus ad me: Adhuc in uno anno, quaſi in anno mercenarij, & auferetur omnis gloria Cedar.

17 Et reliquiæ numeri ſagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur: Dominus enim Deus Iſraël locutus eſt.

Caput XXII.

Sermo Domini contra Ieruſalem, cujus deflet propheta vaſtitatem: & quòd neglecto Deo, fruſtrà ſe muniat ad reſiſtendum Aſſyriis: carpuntur quòd cùm plangere deberent, gula indulgeant: & rejecto Sobna templi præpoſito ſubſtituitur Eliacim, cui magna datur poteſtas.

A 1 ONus vallis viſionis. Quidnam quoque tibi eſt, quia aſcendiſti & tu omnis in tecta?

2 Clamoris plena, urbs frequens, civitas exultans: interfecti tui, non interfecti gladio,nec mortui in bello.

3 Cuncti principes tui fugerunt ſimul,duréque ligati ſunt: omnes qui inventi ſunt, vincti ſunt pariter, procul fugerunt.

4 Propterea dixi: Recedite à me, amarè flebo: nolite incumbere ut conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei.

5 Dies enim interfectionis,& conculcationis,& fletuum, Domino Deo exercituum in valle viſionis,ſcrutans murum,& magnificus ſuper montem.

6 Et Ælam ſumpſit pharetram, currum hominis equitis, & parietem nudavit clypeus.

7 Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum, & equites ponent ſedes ſuas in porta. B

8 Et revelabitur operimentum Judæ, & videbis in die illa armamentarium domus ſaltus.

9 Et ſciſſuras civitatis David videbitis,quia multiplicatæ ſunt: & congregaſtis aquas piſcinæ C
inferioris,

10 Et domos Ieruſalem numeraſtis, & deſtruxiſtis domos ad muniendum murum.

11 Et lacum feciſtis inter duos muros ad aquam piſcinę veteris:& non ſuſpexiſtis ad eum,qui fecerat eam, & operatorem ejus de longè non vidiſtis.

12 Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad calvitium,& ad cingulum ſacci:

13 Et ecce gaudiũ & lætitia,occidere vitulos & D
jugulare arietes, comedere carnes,& bibere vinũ: * Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur. *Sap.2. b.6. Inf.56. d.12. 1.Cor. 15.d.32.

14 Et revelata eſt in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini,dicit Dominus Deus exercituum.

15 Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Vade,ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpoſitum templi, & dices ad eum:

16 Quid tu hîc: aut quaſi quis hîc: quia exci- E
diſti tibi hîc ſepulchrum,excidiſti in excelſo memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi.

17 Ecce Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus, & quaſi amictum ſic ſublevabit te.

18 Coronans coronabit te tribulatione, quaſi pilam mittet te in terram latam, & ſpatioſam: ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus domini tui.

19 Et expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te.

20 Et erit in die illa: Vocabo ſervum meum F
Eliacim filium Helciæ,

21 Et induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu ejus: & erit quaſi pater habitantibus Jeruſalem,& domui Juda.

22 * Et dabo clavem domus David ſuper humerum ejus: & * aperiet,& non erit qui claudat: & claudet,& non erit qui aperiat. * Apoc. 3.b.7. * Ieb.12. c.14.

23 Et figam illum paxillum in loco fideli,& erit in ſolium gloriæ domui patris ejus.

24 Et ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domus patris ejus, vaſorum diverſa genera, omne vas parvulum, à vaſis craterarum uſque ad omne vas muſicorum.

25 In die illa dicit Dominus exercituum: Auferetur

Universidad de Navarra Biblioteca

feretur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli : & frangetur, & cadet : & peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est.

Caput XXIII.

Tyri vastitas ad annos septuaginta prædicitur propter ejus superbiam, & posteà restituetur.

A 1 ONus Tyri. Ululate naves maris : quia vastata est domus, unde venire consueverant : de Terra Cethim revelatum est eis.

2 Tacete qui habitatis in insula : negotiatores Sidonis transfretantes mare, repleverunt te.

3 In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus : & facta est negotiatio gentium.

4 Erubesce Sidon: ait enim mare, fortitudo maris, dicens: Non parturivi, & non peperi, & non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines.

5 Cùm auditum fuerit in Ægypto, dolebunt cùm audierint de Tyro;

6 Transite maria, ululate qui habitatis in insula:

B 7 Numquid non vestra hæc est, quæ gloriabatur à diebus pristinis in antiquitate sua? ducent eam pedes sui longè ad peregrinandum.

8 Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ?

9 Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ.

10 Transi terram tuam quasi flumen filia maris, non est cingulum ultrà tibi.

C 11 Manum suam extendit super mare, conturbavit regna : Dominus mandavit adversus Chanaan, ut contereret fortes ejus,

12 Et dixit: Non adjicies ultrà ut glorieris, calúniam sustinens virgo filia Sidonis: in Cethim consurgens trãsfreta, ibi quoque non erit requies tibi.

13 Ecce terra Chaldæorum talis populus non fuit, Assur fundavit eam; in captivitatem traduxerunt robustos ejus, suffoderunt domos ejus, posuerunt eam in ruinam.

14 Ululate naves maris, quia devastata est fortitudo vestra.

15 Et erit in die illa : In oblivione eris ô Tyre septuaginta annis, sicut dies regis unius : post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis.

D 16 Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita : benè cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.

17 Et erit post septuaginta annos : Visitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad mercedes suas : & rursum fornicabitur cum universis regnis terræ super faciem terræ.

18 Et erunt negotiationes ejus, & mercedes ejus sanctificatæ Domino : non condentur, neque reponentur : quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, & vestiantur usque ad vetustatem.

Caput XXIV.

Mala quæ Dominus propter peccata universo orbi facturus est, adjecta interim reliquiarum consolatione : & quam terribilis erit dies divini judicij.

A 1 ECce Dominus dissipabit terram, & nudabit eam, & affliget faciem ejus, & dispergет habitatores ejus.

2 *Et erit sicut populus, sic sacerdos : & sicut servus, sic dominus ejus : sicut ancilla, sic domina ejus : sicut emens, sic ille qui vendit : sicut fœnerator, sic is qui mutuum accipit : sicut qui repetit, sic qui debet. *Oseæ 4.b.9.

3 Dissipatione dissipabitur terra, & direptione prædabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc.

4 Luxit, & defluxit terra, & infirmata est : defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ.

5 Et terra infecta est ab habitatoribus suis : quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.

6 Propter hoc maledictio vorabit terram, & B peccabunt habitatores ejus : ideóque insanient cultores ejus, & relinquentur homines pauci.

7 Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde.

8 Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.

9 Cum cantico non bibent vinum : amara erit potio bibentibus illam.

10 Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte.

11 Clamor erit super vino in plateis: deserta est omnis lætitia : translatum est gaudium terræ.

12 Relicta est in urbe solitudo, & calamitas opprimet portas.

13 Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum : quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea; & racemi, cùm fuerit finita vindemia.

14 Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt: C cùm glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari.

15 Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum : in insulis maris nomen Domini Dei Israël.

16 A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi. Et dixi : Secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi : prævaricantes prævaricati sunt, & prævaricatione transgressorum prævaricati sunt.

17 Formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terræ.

18 Et erit: *Qui fugerit à voce formidinis, cadet in foveam : & qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo : quia cataractæ de excelsis apertæ sunt, & concutientur fundamenta terræ. *Ier. 48. & 44.

19 Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, D

20 Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, & auferetur quasi tabernaculum unius noctis : & gravabit eam iniquitas sua, & corruet, & non adjiciet ut resurgat.

21 Et erit : In die illa visitabit Dominus super militiam cæli in excelso; & super reges terræ, qui sunt super terram.

22 Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere : & post multos dies visitabuntur.

23 Et erubescet luna, & confundetur sol, cùm regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, & in Jerusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

Caput

Caput XXV.

Propheta Deo gratias agit de operibus suis mirabilibus, & beneficiis populo ipsius in monte Sion præstandis.

A 1 DOmine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo : quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen.

2 Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum : ut non sit civitas, & in sempiternum non ædificetur.

3 Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te.

4 Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua : spes à turbine, umbraculum ab æstu. spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem.

B 5 Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis : & quasi calore sub nube torrente, propaginem fortium marcescere facies.

6 Et faciet Dñs exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguiũ medullatorũ, vindemiæ defæcatæ.

C 7 Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes.

*Apoc. 7. d. 17. 21. 4. b 8 Præcipitabit mortem in sempiternum, * & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra : quia Dominus locutus est.

9 Et dicet in die illa : Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, & salvabit nos: iste Dñs, sustinuimus eũ, exultabimus, & lætabimur in salutari ejus.

D 10 Quia requiescet manus Domini in monte isto : & triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro.

11 Et extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum : & humiliabit gloriam ejus cum allisione manuum ejus.

12 Et munimenta sublimium murorum tuorum concident, & humiliabuntur, & detrahentur in terram usque ad pulverem.

Caput XXVI.

Canticum gratiarum actionis ob exaltationem justorum & humiliationem impiorum, & de resurrectione mortuorum.

A 1 IN die illa cantabitur canticum istud in terra Juda :

Vrbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus & antemurale.

2 Aperite portas, & ingrediatur gens justa, custodiens veritatem.

3 Vetus error abijt : servabis pacem; pacem, quia in te speravimus.

4 Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.

5 Quia incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit.

Humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem.

6 Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.

B 7 Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.

8 Et in semita judiciorum tuorum Domine sustinuimus te : nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ.

9 Anima mea desideravit te in nocte : sed & spiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te.

Cùm feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis.

10 Misereamur impio, & non discet justitiam : in terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.

11 Domine exaltetur manus tua, & non videant : videant, & confundantur zelantes populi: & ignis hostes tuos devoret.

12 Domine dabis pacem nobis : omnia enim C opera nostra operatus es nobis.

13 Domine Deus noster, possederunt nos domini absq; te, tãtùm in te recordemur nominis tui.

14 Morientes non vivant, gigantes non resurgant : propterea visitasti & contrivisti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum.

15 Indulsisti genti Domine, indulsisti genti : numquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terræ.

16 Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.

17 Sicut quæ concipit, cùm appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis : sic facti sumus à facie tua Domine.

18 Concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum, salutes non fecimus in terra, ideò non ceciderunt habitatores terræ. D

19 Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate qui habitatis in pulvere : quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.

20 Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, absconde modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.

21 * Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum : & revelabit terra sanguinem suum, & non operiet ultrà interfectos suos. *Mich. 1.c.3.

Caput XXVII.

Punitio Leviathan, paterna Domini correctio in filios Israël : civitas munita desolabitur : filij Israël reversi ab Assyriis & Ægypto adorabunt Dominum in Jerusalem.

A 1 IN die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti, super Leviathan serpentem vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est.

2 In die illa vinea meri cantabit ei.

3 Ego Dominus, qui servo eam, repentè propinabo ei : ne fortè visitetur contra eam, nocte & die servo eam.

4 Indignatio non est mihi : quis dabit me spinam & veprem in prælio : gradiar super eam, succendam eam pariter? B

5 An potiùs tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi?

6 Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit & germinabit Israël, & implebunt faciẽ orbis semine.

7 Numquid juxta plagam percutiẽtis se percussit eũ? aut sicut occidit interfectos ejus, sic occisus est?

8 In mensura contra mensuram, cùm abjecta fuerit, judicabis eam : meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus.

9 Idcircò super hoc dimittetur iniquitas domui
C Iacob: & iste omnis fructus ut auferatur peccatum
ejus, cùm posuerit omnes lapides altaris sicut la-
pides cineris allisos, non stabunt luci & delubra.
10 Civitas enim munita desolata erit, speciosa re-
linquetur, & dimittetur quasi desertũ: ibi pascetur
vitulus, & ibi accubabit, & cõsumet sũmitates ejus.
D 11 In siccitate messes illius conterentur, mulie-
res venientes, & docentes eam: non est enim po-
pulus sapiens, propterea non miserebitur ejus, qui
fecit eum; & qui formavit eum, non parcet ei.
12 Et erit: In die illa percutiet Dominus ab
alveo fluminis usque ad torrentem Ægypti, & vos
congregabimini unus & unus filij Israël.
13 Et erit: In die illa clangetur in tuba magna,
& venient qui perditi fuerant de Terra Assyrio-
rum, & qui ejecti erant in Terra Ægypti, & ado-
rabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem.

Caput XXVIII.

Superbis & ebriis Israëlitis comminatur Dominus eò quòd sacerdotes vacent ebrietati, & principes irrideant verba & comminationes prophetarum, ponentes mendacium spem suam: de lapide angulari in fundamentis Sion ponendo: de pœna illusorum, & consolatione paucorum bonorum.

A 1 VÆ coronæ superbiæ ebriis Ephraim, & flo-
ri decidenti, gloriæ exultationis ejus, qui
erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes à vino.
2 Ecce validus & fortis Dominus, sicut impe-
tus grandinis; turbo confringens, sicut impetus
aquarum multarum inundantium, & emissarum
super terram spatiosam.
3 Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebrio-
rum Ephraim.
B 4 Et erit flos decidens gloriæ exultationis ejus,
qui est super verticem vallis pinguium, quasi tẽ-
poraneũ ante maturitatẽ autũni: quod cùm aspexerit
videns statim ut manu tenuerit, devorabit illud.
5 In die illa erit Dominus exercituum corona
gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui:
6 Et spiritus judicij sedenti super judicium, &
fortitudo revertentibus de bello ad portam.
7 Verùm hi quoque præ vino nescierunt, &
præ ebrietate erraverunt: sacerdos & propheta
nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, er-
raverunt in ebrietate, nescierunt videntem, igno-
raverunt judicium.
8 Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sor-
diúmque, ita ut non esset ultrà locus.
C 9 Quẽ docebit scientiã? & quem intelligere fa-
ciet auditũ? ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.
10 Quia manda remanda, manda remanda, ex-
pecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi,
modicum ibi.
*1.Cor. 14. d.21. 11 * In loquela enim labij, & lingua altera lo-
quetur ad populum istum.
12 Cui dixit: Hæc est requies mea, reficite lassũ,
& hoc est meum refrigerium: & noluerunt audire.
13 Et erit eis verbum Dñi: Manda remanda, mã-
da remãda, expecta reexpecta, expecta reexpecta,
modicum ibi, modicum ibi: ut vadãt, & cadant re-
trorsum, & conterãtur, & illaqueẽtur, & capiãtur.
D 14 Propter hoc audite verbum Domini viri il-
lusores, qui dominamini super populum meum,
qui est in Jerusalem.
15 Dixistis enim: Percussimus fœdus cum mor-
te, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum
inundans cùm transierit, non veniet super nos:
quia posuimus mendacium spem nostram, & A
mendacio protecti sumus.
16 Idcircò hæc dicit Dominus Deus: * Ecce *Ps.117. c.22. Mat.21. d.42. Act.4.b. 11. Rom.9. §.33. 1.Pet.2. b.6.
ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem
probatum: angularem, pretiosum, in fundamento
fundatum. qui crediderit, non festinet.
17 Et ponam in pondere judicium, & justitiam
in mensura: & subvertet grando spem mendacij:
& protectionem aquæ inundabunt.
18 Et delebitur fœdus vestrũ cum morte, & pa- E
ctum vestrum cum inferno non stabit: flagellum
inundãs cùm transierit, eritis ei in conculcationẽ.
19 Quandocumque pertransierit, tollet vos:
quoniam manè diluculo pertransibit in die & in
nocte, & tantummodò sola vexatio intellectum
dabit auditui.
20 Coangustatum est enim stratum, ita ut alter
decidat: & palliũ breve utrũq; operire non potest.
21 *Sicut enim in monte divisionum stabit Do- *2.Reg. 5.d.20. 1.Par. 14.c.11.
minus: * sicut in valle, quæ est in Gabaon, irasce-
tur: ut faciat opus suum, alienum opus ejus: ut *Ios.10. b.10.
operetur opus suum: peregrinũ est opus ejus ab eo. F
22 Et nunc nolite illudere, ne fortè constrin-
gantur vincula vestra. consummationem enim &
abbreviationem audivi à Domino Deo exerci-
tuum super universam terram.
23 Auribus percipite, & audite vocem meam,
attendite, & audite eloquium meum.
24 Numquid tota die arabit arans ut serat, pros-
cindet & sarriet humum suam?
25 Nónne cùm adæquaverit faciem ejus, seret
gith, & cyminum sparget, & ponet triticum per
ordinem, & hordeum & milium, & viciam in fini-
bus suis?
26 Et erudiet illum in judicio: Deus suus do-
cebit illum.
27 Non enim in serris triturabitur gith, nec ro- G
ta plaustri super cyminum circuibit: sed in virga
excutietur gith, & cyminum in baculo.
28 Panis autem cõminuetur: verùm non in per-
petuum triturans triturabit illum, neque vexabit
eum rota plaustri, nec ungulis suis cõminuet eum.
29 Et hoc à Domino Deo exercituum exivit, ut
mirabile faceret cõsilium, & magnificaret justitiã.

Caput XXIX.

Obsidio & afflictio Ierusalem, contritio gentium illam obsidentium: de libro signato, ac cæcitate Iudæorum: væ profundis corde denuntiatur: reliquias Iacob prædicit illuminandas, & ad Deum convertendas.

A 1 VÆ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit
David: additus est annus ad annum: sol-
lemnitates evolutæ sunt.
2 Et circumvallabo Ariel, & erit tristis & mœ-
rens, & erit mihi quasi Ariel.
3 Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo,
& jaciam contra te aggerem, & munimenta po-
nam in obsidionem tuam.
4 Humiliaberis, de terra loquêris, & de humo au-
dietur eloquium tuum: & erit quasi pythonis de
terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussi-
tabit.

5 Et

B 5 Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventil-
antium te: & sicut favilla pertransiens multitu-
do eorum, qui contra te prævaluerunt:
6 Eritque repentè confestim. A Domino exer-
cituum visitabitur in tonitruo, & commotione
terræ, & voce magna turbinis & tempestatis, &
flammæ ignis devorantis.
7 Et erit sicut somnium visionis nocturnæ mul-
titudo omnium Gentium, quæ dimicaverunt
contra Ariel, & omnes qui militaverunt, & obse-
derunt, & prævaluerunt adversus eam.
C 8 Et sicut somniat esuriens, & comedit, cùm
autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus:
& sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam
fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima
ejus vacua est: sic erit multitudo omnium Gen-
tium, quæ dimicaverunt contra montem Sion.
9 Obstupescite, & admiramini, fluctuate, & va-
cillate: inebriamini, & non à vino: movemini, &
non ab ebrietate.
D 10 Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum
soporis, claudet oculos vestros prophetas & prin-
cipes vestros, qui vident visiones, operiet.
11 Et erit vobis visio omnium sicut verba libri
signati, quem cùm dederint scienti litteras, dicent:
Lege istum: & respondebit: Non possum, signa-
tus est enim.
12 Et dabitur liber nescienti litteras, dicetúr-
que ei: Lege: & respondebit: Nescio litteras.
*Matt. 15. b.8. Mar. 7. a.6. 13 Et dixit Dominus: *Eò quòd appropinquat
populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me,
cor autem ejus longè est à me, & timuerunt me
mandato hominum & doctrinis:
E 14 Ideò ecce ego addam ut admirationem fa-
ciam populo huic miraculo grandi & stupendo:
*1.Cor. 1.c.19. Abd.c.8. * peribit enim sapientia à sapientibus ejus, & in-
tellectus prudentium ejus abscondetur.
15 Væ qui profũdi estis corde, ut à Domino abs-
condatis consilium: quorum sunt in tenebris ope-
*Eccli. 23.c.26. ra, & dicunt: * Quis videt nos, & quis novit nos?
16 Perversa est hæc vestra cogitatio: quasi si
lutum contra figulum cogitet, & dicat opus fa-
ctori suo: Non fecisti me: & figmentum dicat
fictori suo: Non intelligis.
F 17 Nónne adhuc in modico & in brevi con-
vertetur Libanus in charmel, & charmel in sal-
tum reputabitur?
18 Et audient in die illa surdi verba libri, &
de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt.
19 Et addent mites in Domino lætitiam, &
pauperes homines in sancto Israël exultabunt:
20 Quoniam defecit qui prævalebat, consum-
matus est illusor, & succisi sunt omnes qui vigi-
labant super iniquitatem:
G 21 Qui peccare faciebant homines in verbo, &
arguentem in porta supplantabant, & declinave-
runt frustrà à justo.
22 Propter hoc, hæc dicit Dominus ad domum
Jacob, qui redemit Abraham: Non modò con-
fundetur Jacob, nec modò vultus ejus erubescet:
23 Sed cùm viderit filios suos, opera manuum
mearum, in medio sui sanctificantes nomen
meum, & sanctificabunt sanctum Jacob, & Deum
Israël prædicabunt,

Pars II.

24 Et scient errantes spiritu intellectum, &
mussitatores discent legem.

Caput XXX.

Comminatio adversus Iudæos, qui Domino inconsulto prementibus Assyriis ad Ægyptios confugiebant: ipsis quoque prophetarum admonitiones audire nolentibus, sed vana præsidia quærentibus, gravem denuntiat afflictionem: & quem sit Deus futurus benignus ad ipsum revertentibus: & de magna reverentium felicitate, ac judicio impiorum.

1 VÆ filij desertores, dicit Dominus, ut face- A
retis consilium, & non ex me: & ordiremi-
ni telam, & non per spiritum meum, ut adderetis
peccatum super peccatum:
2 Quia ambulatis ut descendatis in Ægyptum,
& os meum non interrogastis, sperantes auxilium
in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in
umbra Ægypti.
3 Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusio-
nem, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.
4 Erant enim in Tani principes tui, & nuntij
tui usque ad Hanes pervenerunt.
5 Omnes confusi sunt super populo, qui eis pro-
desse non potuit: non fuerũt in auxilium & in ali-
quã utilitatẽ, sed in confusionẽ & in opprobrium.
6 Onus jumentorum Austri. In terra tribulatio- B
nis & angustię leœna, & leo ex eis, vipera & regulus
volans, portantes super humeros jumentorum di-
vitias suas, & super gibbum camelorum thesauros
suos, ad populum qui eis prodesse non poterit.
7 Ægyptus enim frustrà & vanè auxiliabitur: ideò
clamavi super hoc: Superbia tantùm est, quiesce.
8 Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum,
& in libro diligenter exara illud, & erit in die no-
vissimo in testimonium usque in æternum.
9 Populus enim ad iracundiam provocans est, &
filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei.
10 Qui dicunt videntibus: Nolite videre; & as-
piciẽtibus: Nolite aspicere nobis ea, quę recta sunt:
loquimini nobis placentia, videte nobis errores.
11 Auferte à me viam, declinate à me semi- C
tam, cesset à facie nostra sanctus Israël.
12 Propterea hæc dicit sanctus Israël: Pro eo
quòd reprobastis verbum hoc, & speraſtis in ca-
lumnia & in tumultu, & innixi estis super eo:
13 Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut in-
terruptio cadens, & requisita in muro excelso, quo-
niã subitò, dum non speratur, veniet contritio ejus.
14 Et comminuetur sicut conteritur lagena fi-
guli contritione pervalida: & non invenietur de
fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de
incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.
15 Quia hæc dicit Dominus Deus sanctus
Israël: Si revertamini & quiescatis, salvi eritis: in
silentio & in spe erit fortitudo vestra. Et noluistis:
16 Et dixistis: Nequaquam, sed ad equos fu- D
giemus: ideò fugietis. Et super veloces ascende-
mus: ideò velociores erunt, qui persequentur vos.
17 Mille homines à facie terroris unius: & à fa-
cie terroris quinque fugietis, donec relinquamini
quasi malus navis in vertice montis, & quasi si-
gnum super collem.
18 Propterea expectat Dominus ut misereatur
vestri: & ideò exaltabitur parcẽs vobis: quia Deus
judicij Dominus: beati omnes qui expectant eum.
19 Populus enim Sion habitabit in Jerusalem:

Universidad de Deusto
Biblioteca

plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui: ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.

E 20 Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam brevem: & non faciet avolare à te ultrà doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.

21 Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.

22 Et contaminabis laminas sculptiliũ argenti tui, & vestimentũ conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immunditiã mẽstruatę. Egredere, dices ei:

23 Et dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra: & panis frugum terræ erit uberrimus, & pinguis. pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiosè:

24 Et tauri tui, & pulli asinorum, qui operantur terram, commistum migma comedent sicut in area ventilatum est.

F 25 Et erunt super omnem montem excelsum, & super omnem collem elevatum, rivi currentium aquarum, in die interfectionis multorum cùm ceciderint turres.

26 Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit.

27 Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravis ad portandum: labia ejus repleta sunt indignatione, & lingua ejus quasi ignis devorans.

28 Spiritus ejus velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, & frenum erroris, quod erat in maxillis populorũ.

G 29 Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ sollẽnitatis, & lætitia cordis sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montẽ Domini ad fortẽ Israël.

30 Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis devorantis: allidet in turbine, & in lapide grandinis.

31 A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus.

32 Et erit transitus virgę fundatus, quã requiescere faciet Dominus super eum in tympanis & citharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos.

33 Præparata est enim ab heri Topheth, à rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta ejus, ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

Caput XXXI.

Iudæos qui fiducia in Deum relicta, ad Ægyptios & humana confugiunt præsidia, prædicit consumendos una cum suis auxiliarijs, revertentes verò ad Dominum, virtute divina liberandos.

A 1 VÆ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt; & super equitibus, quia prævalidi nimis: & non sunt cõfisi super sanctũ Israël, & Dominum non requisierũt.

B 2 Ipse autem sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit: & consurget contra domũ pessimorum & contra auxilium operãtium iniquitatẽ.

3 Ægyptus, homo, & non Deus: & equi eorum, caro, & non spiritus: & Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & cadet cui præstatur auxilium, simúlque omnes consumentur.

4 Quia hæc dicit Dominus ad me: Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suã, & cùm occurrerit ei multitudo pastorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pavebit: sic descendet Dominus exercituum ut prælietur super mõtem Sion, & super collem ejus. C

5 Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Jerusalem, protegens & liberans, transiens & salvans.

6 Convertimini sicut in profundum recesseratis filij Israël.

7 In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui, & D idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum.

8 Et cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non à facie gladij: & juvenes ejus vectigales erunt:

9 Et fortitudo ejus à terrore transibit, & pavebunt fugientes principes ejus: dixit Dominus; cujus ignis est in Sion, & caminus ejus in Jerusalẽ.

Caput XXXII.

De rege ac principibus in justitia regnaturis, & de populi subditi felicitate: stulto autem principi & opulentis mulieribus futura prædicitur calamitas: pacis quoque pulchritudo ac requies opulenta promittitur populo Dei.

A 1 ECce in justitia regnabit rex, & principes in judicio præerunt.

2 Et erit vir sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate, sicut rivi aquarum in siti, & umbra petræ prominentis in terra deserta.

3 Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auscultabunt.

4 Et cor stultorum intelliget scientiam, & lingua balborum velociter loquetur & planè.

5 Non vocabitur ultrà is, qui insipiens est, princeps: neque fraudulentus appellabitur major:

6 Stultus enim fatua loquetur, & cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat. B

7 Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendaci, cùm loqueretur pauper judicium.

8 Princeps verò ea, quæ digna sunt principe, cogitabit, & ipse super duces stabit.

9 Mulieres opulentę surgite, & audite vocẽ meã: filiæ confidẽtes percipite auribus eloquiũ meum.

10 Post dies enim & annum, vos conturbabimini confidentes: consummata est enim vindemia, collectio ultrà non veniet. C

11 Obstupescite opulẽtę, cõturbamini cõfidẽtes: exuite vos, & cõfũdimini, accingite lũbos vestros.

12 Super ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili.

13 Super humum populi mei spinæ & vepres ascendent: quantò magis super omnes domos gaudij civitatis exultantis?

14 Domus enim dimissa est, multitudo urbis relicta est, tenebrę & palpatio factę sunt super spelũcas usq; in ęternũ. Gaudium onagrorũ pascua gregũ,

15 Donec effũdatur super nos spiritus de excelso: D

& erit

& erit desertum in charmel, & charmel in saltum reputabitur.

16 Et habitabit in solitudine judicium, & justitia in charmel sedebit.

17 Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum.

18 Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.

19 Grando autem in descensione saltus, & humilitate humiliabitur civitas.

20 Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis & asini.

Caput XXXIII.

Permixtim de dejectione Sennacherib loquitur, & Iudæorum liberatione, ac divinæ potentiæ exaltatione: invehitur contra hypocritas: & quales esse debeant qui cum Domino habituri sunt in excelsis: Jerusalem verò habitatio erit opulenta, in qua magnificabitur Dominus, rex & legislator noster.

A 1 VÆ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis? & qui spernis, nónne & ipse spernêris? cùm consummaveris deprædationem, deprædaberis: cùm fatigatus desieris contemnere, contẽnêris.

2 Domine miserere nostri: te enim expectavimus: esto brachium nostrum in manè, & salus nostra in tempore tribulationis.

3 A voce angeli fugerunt populi, & ab exaltatione tua dispersæ sunt gentes.

4 Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, velut cùm fossæ plenæ fuerint de eo.

5 Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso: implevit Sion judicio & justitia.

6 Et erit fides in temporibus tuis: divitiæ salutis sapientia & scientia: timor Domini ipse est thesaurus ejus.

B 7 Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amarè flebunt.

8 Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum, projecit civitates, non reputavit homines.

9 Luxit, & elanguit terra: confusus est Libanus, & obsorduit, & factus est Saron sicut desertum: & concussa est Basan, & Carmelus.

10 Nunc consurgam, dicit Dominus: nunc exaltabor, nunc sublevabor.

11 Concipietis ardorem, parietis stipulam: spiritus vester ut ignis vorabit vos.

12 Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur.

13 Audite qui longè estis, quæ fecerim, & cognoscite vicini fortitudinem meam.

14 Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas. quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?

C 15 * Qui ambulat in justitiis, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum. *Psl. 14. 2.

16 Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus: panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt.

17 Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longè.

18 Cor tuum meditabitur timorẽ: *ubi est litteratus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum? *1. Cor. 1. 20.

19 Populum impudentem non videbis, populum alti sermonis: ita ut non possis intelligere disertitudinẽ linguæ ejus, in quo nulla est sapientia.

20 Respice Sion civitatem sollemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam trãsferri poterit: nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur: D

21 Quia solummodò ibi magnificus est Dominus noster: locus fluviorum rivi latissimi & patentes: non transibit per eum navis remigum, neque trieris magna transgredietur eum.

22 Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse salvabit nos.

23 Laxati sunt funiculi tui, & non prævalebunt: sic erit malus tuus ut dilatare signum non queas. Tunc dividentur spolia prædarum multarum: claudi diripient rapinam.

24 Nec dicet vicinus: Elangui: populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.

Caput XXXIV.

Acerba Dei ultio super omnes gentes: Idumææ quoque contritio & perpetua vastitas prædicitur.

A 1 ACcedite Gentes, & audite, & populi attendite: audiat terra, & plenitudo ejus; orbis, & omne germen ejus.

2 Quia indignatio Domini super omnes Gentes, & furor super universam militiam eorum: interfecit eos, & dedit eos in occisionem.

3 Interfecti eorum projicientur, & de cadaveribus eorum ascendet fœtor: tabescent montes à sanguine eorum.

4 Et tabescet omnis militia cælorum, & complicabuntur sicut liber cæli: & omnis militia eorũ defluet, sicut defluit folium de vinea & de ficu.

5 Quoniam inebriatus est in cælo gladius meus: ecce super Idumæam descendet, & super populum interfectionis meæ, ad judicium.

6 Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorũ, & hircorũ, de sanguine medullatorũ arietum: victima enim Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom. B

7 Et descendent unicornes cum eis, & tauri cum potentibus: inebriabitur terra eorum sanguine, & humus eorum adipe pinguium:

8 Quia dies ultionis Domini, annus retributionum judicij Sion.

9 Et convertẽtur torrẽtes ejus in picẽ, & humus ejus in sulphur: & erit terra ejus in picẽ ardentem.

10 Nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus: à generatione in generationem desolabitur, in sæcula sæculorum non erit transiens per eam. C

11 Et possidebunt illam onocrotalus & ericius: ibis & corvus habitabunt in ea: & extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem.

12 Nobiles ejus non erunt ibi: regem potiùs invocabunt, & omnes principes ejus erunt in nihilũ.

13 Et orientur in domibus ejus spinæ, & urticæ,

& paluſtres in munitionibus ejus: & erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum.

14 Et occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, & invenit ſibi requiem.

15 Ibi habuit foveam ericius, & enutrivit catulos, & circumfodit, & fovit in umbra ejus: illuc congregati ſunt milui, alter ad alterum.

16 Requirite diligenter in libro Domini, & legite: unum ex eis non defuit, alter alterum non quæſivit: quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, & ſpiritus ejus ipſe congregavit ea.

17 Et ipſe miſit eis ſortem, & manus ejus diviſit eam illis in menſuram: uſque in æternum poſſidebunt eam, in generationem & generationem habitabunt in ea.

Caput XXXV.

De futura conſolatione, lætitia, ſecuritate, & felicitate perpetua eorum qui in Chriſtum ſunt credituri.

A 1 Lætabitur deſerta & invia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium.

2 Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data eſt ei: decor Carmeli, & Saron, ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.

B 3 Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate.

4 Dicite puſillanimis: Confortamini, & nolite timere: ecce Deus veſter ultionem adducet retributionis: Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos.

5 Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt.

C 6 Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum: quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine.

7 Et quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & junci.

8 Et erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur: non tranſibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita ut ſtulti non errent per eam.

D 9 Non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per eam, nec invenietur ibi: & ambulabunt qui liberati fuerint.

10 Et redempti à Domino convertentur, & venient in Sion cum laude & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

Caput XXXVI.

Sennacherib captis civitatibus Iudæ munitis, mittit Rabſacen ad capiendam Ieruſalem, qui variis in Ezechiam jactatis convitijs & blaſphemijs in Deum, Ieroſolymitas ad deditionem exhortatur.

A 1 Et factum eſt in quarto decimo anno regis Ezechiæ, aſcēdit Sennacherib rex Aſſyriorū
4. Reg. 18. c. 13. 2. Par. 32. c. 1. Eccli. 48. c. 29. ſuper omnes civitates Juda munitas, & cepit eas.

2 Et miſit rex Aſſyriorum Rabſacen de Lachis in Jeruſalem, ad regem Ezechiam in manu gravi, & ſtetit in aquæductu piſcinæ ſuperioris in via Agri fullonis.

3 Et egreſſus eſt ad eum Eliacim filius Helciæ, qui erat ſuper domum, & Sobna ſcriba, & Joahe filius Aſaph à commentarijs.

4 Et dixit ad eos Rabſaces: Dicite Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Aſſyriorum: Quæ eſt iſta fiducia, qua confidis?

5 Aut quo conſilio vel fortitudine rebellare diſponis? ſuper quem habes fiduciam, quia receſſiſti à me?

6 Ecce confidis ſuper baculum arundineū confractum iſtum, ſuper Ægyptum: cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manū ejus, & perforabit eam: ſic Pharao rex Ægypti omnibus, qui cōfidūt in eo. B

7 Quòd ſi reſponderis mihi: In Domino Deo noſtro confidimus: nónne ipſe eſt, cujus abſtulit Ezechias excelſa & altaria, & dixit Judæ & Ieruſalem: Coram altari iſto adorabitis?

8 Et nunc trade te Domino meo regi Aſſyriorum, & dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere adſcenſores eorum.

9 Et quomodo ſuſtinebis faciem judicis unius loci ex ſervis domini mei minoribus? Quòd ſi confidis in Ægypto, in quadrigis, & in equitibus:

10 Et nunc numquid ſine Domino aſcendi ad terram iſtam, ut diſperderem eam? Dominus dixit ad me: Aſcende ſuper terram iſtam, & diſperde eam. C

11 Et dixit Eliacim, & Sobna, & Joahe ad Rabſacen: Loquere ad ſervos tuos Syra lingua: intelligimus enim: ne loquaris ad nos Judaïcè in auribus populi, qui eſt ſuper murum.

12 Et dixit ad eos Rabſaces: Numquid ad dominum tuum & ad te miſit me Dominus meus, ut loquerer omnia verba iſta; & non potiùs ad viros, qui ſedent in muro, ut comedant ſtercora ſua, & bibant urinam pedum ſuorum vobiſcum?

13 Et ſtetit Rabſaces, & clamavit voce magna Judaïcè, & dixit: Audite verba regis magni, regis Aſſyriorum.

14 Hæc dicit rex: Non ſeducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos.

15 Et non vobis tribuat fiduciā Ezechias ſuper Domino, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur civitas iſta in manu regis Aſſyriorum.

16 Nolite audire Ezechiam: hæc enim dicit rex Aſſyriorum: Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, & comedite unuſquiſque vineam ſuam, & unuſquiſque ficum ſuam: & bibite unuſquiſque aquam ciſternæ ſuæ, D

17 Donec veniam, & tollam vos ad terram, quæ eſt ut terra veſtra, terram frumenti & vini, terram panum & vinearum.

18 Nec conturbet vos Ezechias, dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt dij gentium unuſquiſque terram ſuam de manu regis Aſſyriorum?

19 Ubi eſt deus Emath, & Arphad? ubi eſt deus Sepharuaim? numquid liberaverunt Samariam de manu mea?

20 Quis eſt ex omnibus dijs terrarum iſtarum, qui eruerit terram ſuam de manu mea, ut eruat Dominus Ieruſalem de manu mea?

21 Et ſiluerunt, & non reſponderunt ei verbum. Mandaverat enim rex, dicens: ne reſpondeatis ei.

22 Et ingreſſus eſt Eliacim filius Helciæ, qui erat ſuper domum, & Sobna ſcriba, & Joahe filius Aſaph à commentarijs, ad Ezechiam ſciſſis veſtibus, & nuntiaverunt ei verba Rabſacis.

Caput

Caput XXXVII.

Conſternatus Ezechias propter blaſphemias tum Rabſacis tum Sennacherib, mittit ad Iſaiam ut Dominum deprecetur qui ipſum confortans divinum promittit auxilium: & caſo per Angelum exercitu Sennacherib, etiam ipſe à filijs ſuis interimitur.

A 1 Et factum eſt, cùm audiſſet rex Ezechias, ſcidit veſtimenta ſua, & obvolutus eſt ſacco, & intravit in domum Domini.
4. Reg. 19. a. 1.

2 Et miſit Eliacim, qui erat ſuper domum, & Sobnam ſcribam, & ſeniores de ſacerdotibus, opertos ſaccis, ad Iſaiam filium Amos prophetam,

3 Et dixerunt ad eum: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & correptionis, & blaſphemiæ, dies hæc: quia venerunt filij uſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.

4 Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabſacis, quem miſit rex Aſſyriorum dominus ſuus ad blaſphemandum Deum viventem, & exprobrandum ſermonibus, quos audivit Dominus Deus tuus: leva ergo orationem pro reliquijs, quæ repertæ ſunt. B

5 Et venerunt ſervi regis Ezechiæ ad Iſaiam.

6 Et dixit ad eos Iſaias: Hæc dicetis domino veſtro: Hæc dicit Dominus: Ne timeas à facie verborum, quæ audiſti, quibus blaſphemaverunt pueri regis aſſyriorum me.

7 Ecce ego dabo ei ſpiritum, & audiet nuntium, & revertetur ad terram ſuam, & corruere eum faciam gladio in terra ſua.

8 Reverſus eſt autem Rabſaces, & invenit regem Aſſyriorum præliantem adverſus Lobnam. Audierat enim quia profectus eſſet de Lachis,

9 Et audivit de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes: Egreſſus eſt ut pugnet contra te. Quod cùm audiſſet, miſit nuntios ad Ezechiam, dicens:

10 Hæc dicetis Ezechiæ regi Judæ, loquentes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens: Non dabitur Jeruſalem in manu regis Aſſyriorum. C

11 Ecce tu audiſti omnia, quæ fecerunt reges Aſſyriorum omnibus terris, quas ſubverterunt, & tu poteris liberari?

12 Numquid eruerunt eos dij Gentium, quos ſubverterunt patres mei, Gozam, & Haram, & Reſeph, & filios Eden, qui erant in Thalaſſar?

13 Ubi eſt rex Emath, & rex Arphad, & rex urbis Sepharuaim, Ana, & Ava?

14 Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, & legit eos, & aſcendit in domum Domini, & expandit eos Ezechias coram Domino.

15 Et oravit Ezechias ad Dominum, dicens:

16 Domine exercituum Deus Iſraël, qui ſedes ſuper cherubim: tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ, tu feciſti cælum & terram.

D 17 Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Sennacherib, quæ miſit ad blaſphemandum Deum viventem.

18 Verè enim Domine deſertas fecerunt reges Aſſyriorum terras, & regiones earum.

19 Et dederunt deos earum igni: non enim erant dij, ſed opera manuum hominum, lignum & lapis: & comminuerunt eos.

20 Et nunc Domine Deus noſter ſalva nos de manu ejus: & cognoſcant omnia regna terræ, quia tu es Dominus ſolus.

21 Et miſit Iſaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Pro quibus rogaſti me de Sennacherib rege Aſſyriorum:

22 Hoc eſt verbum, quod locutus eſt Dominus ſuper eum: Deſpexit te, & ſubſannavit te virgo filia Sion: poſt te caput movit filia Jeruſalem. A

23 Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti, & ſuper quem exaltaſti vocem, & levaſti altitudinem oculorum tuorum? Ad ſanctum Iſraël.

24 In manu ſervorum tuorum exprobraſti Domino: & dixiſti: In multitudine quadrigarum mearum ego aſcendi altitudinem montium, juga Libani: & ſuccidam excelſa cedrorum ejus, & electas abietes illius, & introibo altitudinem ſummitatis ejus, ſaltum Carmeli ejus. E

25 Ego fodi, & bibi aquam, & exiccavi veſtigio pedis mei omnes rivos aggerum.

26 Numquid non audiſti, quæ olim fecerim ei? ex diebus antiquis ego plaſmavi illud: & nunc adduxi: & factum eſt in eradicationem collium compugnantium, & civitatum munitarum.

27 Habitatores earum breviata manu contremuerunt, & confuſi ſunt: facti ſunt ſicut fœnum agri, & gramen paſcuæ, & herba tectorum, quæ exaruit antequam matureſceret.

28 Habitationem tuam, & egreſſum tuum, & introitum tuum cognovi, & inſaniam tuam contra me. F

29 Cùm fureres adverſum me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti.

30 Tibi autem hoc erit ſignum: Comede hoc anno quæ ſponte naſcuntur, & in anno ſecundo pomis veſcere: in anno autem tertio ſeminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum.

31 Et mittet id, quod ſalvatum fuerit de domo Juda, & quod reliquum eſt, radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum:

32 Quia de Jeruſalem exibunt reliquiæ, & ſalvatio de monte Sion: zelus Domini exercituum faciat iſtud.

33 Propterea hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum: Non intrabit civitatem hanc, & non jaciet ibi ſagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu ejus aggerem. G

34 In via qua venit, per eam revertetur, & civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus:

35 Et protegam civitatem iſtam, ut ſalvē eam propter me, & propter David ſervum meum.

36 * Egreſſus eſt autem Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Et ſurrexerunt manè, & ecce omnes, cadavera mortuorum.
*4. Reg. 19. f. 35. Tob. 1. d. 21. Eccli. 48. d. 24. 1. Mach. 7. f. 41. 2. Mach. 8. c. 19.

37 Et egreſſus eſt, & abijt, & reverſus eſt Sennacherib rex Aſſyriorum, & habitavit in Ninive.

38 Et factum eſt, cùm adoraret in templo Neſroch deum ſuum, Adramelech & Saraſar filij ejus percuſſerunt eum gladio: fugerúntque in Terram Ararat, & regnavit Aſarhaddon filius ejus pro eo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput XXXVIII.

Ezechias à morte sibi per Isaiam comminata liberatus, signo in horologio Achaz accepto, & promissa de manu Assyriorum liberatione, additisque ei ad vitam quindecim annis, canticum hoc gratiarum actionis Deo cecinit.

A 1 IN diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad
4.Reg. 20.a.1. 2.Par. 32.f.24. mortem: & introivit ad eum Isaias filius Amos propheta, & dixit ei: Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.

2 Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum,

3 Et dixit: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno.

4 Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens:

5 Vade, & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, & vidi lacrimas tuas: ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos:

6 Et de manu regis Assyriorum eruam te, & civitatem istam & protegam eam.

B 7 Hoc autem tibi erit signum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est:

*Eccli. 48.d.26. 8 * Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis. Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat.

9 Scriptura Ezechiæ regis Juda, cùm ægrotasset, & convaluisset de infirmitate sua.

10 Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.

Quæsivi residuum annorum meorum.

11 Dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viventium.

Non aspiciam hominem ultrà, & habitatorem quietis.

C 12 Generatio mea ablata est, & convoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est velut à texente, vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me: de manè usque ad vesperam finies me.

13 Sperabam usque ad manè, quasi leo sic contrivit omnia ossa mea:

De manè usque ad vesperam finies me.

14 Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.

Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.

Domine vim patior, responde pro me.

15 Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

D 16 Domine si sic vivitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificabis me.

17 Ecce in pace amaritudo mea amarissima:

Tu autem eruisti animâ meam ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

18 Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

19 Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filijs notam faciet veritatem tuam.

20 Domine salvum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

21 Et jussit Isaias ut tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur.

22 Et dixit Ezechias: Quod erit signum quia ascendam in domum Domini?

Caput XXXIX.

Ezechias cùm missis à rege Babylonis nuntijs suos ostendisset thesauros, ab Isaia de futura eorum in Babylonem ablatione præmonetur.

A 1 IN tempore illo misit Merodach Baladan, filius
4.Reg. 20.c.12. Baladan rex Babylonis, libros & munera ad Ezechiam: audierat enim quòd ægrotasset & convaluisset.

2 Lætatus est autem super eis Ezechias, & ostendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & unguenti optimi, & omnes apothecas supellectilis suæ, & universa quæ inventa sunt in thesauris ejus. Non fuit verbum B quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua.

3 Introivit autem Isaias propheta ad Ezechiam regem, & dixit ei: Quid dixerunt viri isti, & unde venerunt ad te? Et dixit Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone.

4 Et dixit: Quid viderunt in domo tua? Et C dixit Ezechias: Omnia quæ in domo mea sunt, viderunt: non fuit res, quam non ostenderim eis in thesauris meis.

5 Et dixit Isaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini exercituum.

6 Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem: non re- D linquetur quidquam, dicit Dominus.

7 Et de filijs tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.

8 Et dixit Ezechias ad Isaiam: Bonum verbum Domini quod locutus est. Et dixit: Fiat tantùm pax & veritas in diebus meis.

Caput XL.

Consolatio & salus Ierusalem per Christum futura: Ioannis Baptistæ prædicatio: fragilitas hominis, & perpetuitas verbi divini: Christi in carnem adventus, ipsiusque gloria, potestas & retributio palàm annuntianda: contra idololatras Deum sculptilibus assimilantes, incomparabilem Dei potentiam ac sapientiam commendat: quòdque sperantes in Domino mutent fortitudinem.

1 COnsolamini, consolamini popule meus, dicit A Deus vester.

2 Loquimini ad cor Jerusalem, & advocate eam: quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius: susceptt de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.

3 * Vox clamãtis in deserto: Parate viam Domi- *Matt. 3.a.3. Mar.1. a.3. Luc.3. b.4. Joan.1. c.23. ni, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.

4 Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas.

5 Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. B

6 Vox

6 Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? * Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri.

*Eccli. 14.c.18. Jac.1. b.10. 1.Pet.1. d.24.

7 Exiccatum est fœnũ, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Verè fœnũ est populus:

8 Exiccatum est fœnum, & cecidit flos: Verbum autem Domini nostri manet in æternum.

9 Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda: Ecce Deus vester:

10 Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, C & brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo.

*Ezech. 34.f.23. 37.g.24. Joan.10. c.11. 11 * Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.

12 Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera?

*Sap.9. c.13. Rom.11. d.34. 1.Cor.2. d.16. 13 * Quis adjuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, & ostendit illi?

14 Cum quo inijt consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam justitiæ, & erudivit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi?

D 15 Ecce Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus.

16 Et Libanus non sufficiet ad succendendum, & animalia ejus non sufficient ad holocaustum.

17 Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.

*Act.17. f.29. 18 * Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?

19 Numquid sculptile conflavit faber? aut au- E rifex auro figuravit illud, & laminis argenteis argentarius?

20 Forte lignum & imputribile elegit: artifex sapiens quærit quomodo statuat simulachrum, quod non moveatur.

21 Numquid non scitis? numquid non audistis? numquid non annuntiatum est vobis ab initio? numquid non intellexistis fundamenta terræ?

22 Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores ejus sunt quasi locustæ: qui extendit velut nihilum cœlos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum.

23 Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, judices terræ velut inane fecit:

F 24 Et quidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum: repentè flavit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos.

25 Et cui assimilastis me, & adæquastis, dicit sanctus?

26 Levate in excelsum oculos vestros, & videte quis creavit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat: præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutisque ejus, neque unum reliquum fuit.

G 27 Quare dicis Jacob, & loqueris Israël: Absondita est via mea à Domino, & à Deo meo judicium meum transivit?

28 Numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus.

29 Qui dat lasso virtutem: & his, qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat.

30 Deficient pueri, & laborabunt, & juvenes in infirmitate cadent.

31 Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinẽ, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.

Caput XLI.

Disceptat Dominus cum idololatris de potentia & varijs magnisque beneficijs populo Judaico exhibitis: quibus suam comprobat potentiam & benignitatem erga homines: ostendens simul & idolorum impotentiam, & idololatrarum vanitatem.

1 TAceant ad me insulæ, & Gentes mutent A fortitudinem: accedant, & tunc loquantur, simul ad judicium propinquemus.

2 Quis suscitavit ab Oriente justum, vocavit eum ut sequeretur se? dabit in conspectu ejus Gentes, & reges obtinebit: dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus.

3 Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus ejus non apparebit.

4 Quis hæc operatus est, & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, * primus *Infr.44. a.6.48. b.12. Apoc.1. b.8.d.17. 22.c.13. & novissimus ego sum.

5 Viderunt insulæ, & timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, appropinquaverunt, & accesserunt.

6 Unusquisque proximo suo auxiliabitur, & fratri suo dicet: Confortare. B

7 Confortavit faber ærarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens: Glutino bonum est: & confortavit eum clavis, ut non moveretur.

8 Et tu Israël serve meus, Jacob quem elegi, semen Abraham amici mei:

9 In quo apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis ejus vocavi te, & dixi tibi: Servus meus es tu, elegi te, & non abjeci te.

10 Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, & auxiliatus sum tibi, & susceptt te dextera justi mei. C

11 Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant adversum te: erunt quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi.

12 Quæres eos, & non invenies, viros rebelles tuos: erunt quasi non sint: & veluti consumptio, homines bellantes adversum te.

13 Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicénsque tibi: Ne timeas, ego adjuvi te.

14 Noli timere vermis Jacob, qui mortui estis ex Israël: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus: D & redemptor tuus sanctus Israël.

15 Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia: triturabis montes, & comminues: & colles quasi pulverem pones.

16 Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo dispergt eos: & tu exultabis in Domino, in sancto Israël lætaberis.

17 Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam

Universidad de Deusto Biblioteca

E exaudiam eos, Deus Iſraël non derelinquam eos.

18 Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum.

19 Dabo in ſolitudinem cedrum, & ſpinam, & myrtum, & lignum olivæ: ponam in deſerto abietum, ulmum, & buxum ſimul:

20 Ut videant, & ſciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, & ſanctus Iſraël creavit illud.

21 Propè facite judicium veſtrum, dicit Dominus: afferte, ſi quid fortè habetis, dixit rex Jacob.

F 22 Accedant, & nuntient nobis quæcumque ventura ſunt: priora quæ fuerunt nuntiate: & ponemus cor noſtrum, & ſciemus noviſſima eorum, & quæ ventura ſunt indicate nobis.

23 Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij eſtis vos. benè quoque aut malè, ſi poteſtis, facite: & loquamur, & videamus ſimul.

24 Ecce, vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo quod non eſt: abominatio eſt qui elegit vos.

25 Suſcitavi ab Aquilone, & veniet ab Ortu ſolis: vocabit nomen meum, & adducet magiſtratus quaſi lutum, & velut plaſtes conculcans humum.

G 26 Quis annuntiavit ab exordio ut ſciamus, & à principio ut dicamus: Juſtus es? non eſt neque annuntians, neque prædicens, neque audiens ſermones veſtros.

27 Primus ad Sion dicet: Ecce adſunt, & Jeruſalem evangeliſtam dabo.

28 Et vidi, & non erat neque ex iſtis quiſquam qui iniret conſilium, & interrogatus reſponderet verbum.

29 Ecce omnes injuſti, & vana opera eorum: ventus & inane ſimulachra eorum.

Caput XLII.

Pater ſibi complacet in filio Chriſto, cujus virtutes & opera quæ facturus eſt, propheta explicat, exhortans univerſas gentes ad laudem & gratiarum actionem: addit quoque, malos, idololatras & ingratos graviter à Domino puniendos, plurimùm conquerens de ingratitudine ſervorum Dei.

A 1 Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi ſpiritum meum ſuper eum, judicium Gentibus proferet. *Matt. 12.b.18.*

2 Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox ejus foris.

3 Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium.

4 Non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium: & legem ejus inſulæ expectabunt.

5 Hæc dicit Dominus Deus, creans cœlos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam.

B 6 Ego Dominus vocavi te in juſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſervavi te. * Et dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium: ** Infr. 49.b.6.*

7 Ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris.

8 * Ego Dominus, hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus. ** Infr. 48.b.11.*

9 Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: nova quoque ego annuntio: antequam oriantur, audita vobis faciam.

10 Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ: qui deſcenditis in mare, & plenitudo ejus; inſulæ & habitatores earum.

11 Sublevetur deſertum, & civitates ejus: in domibus habitabit Cedar: laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt.

12 Ponent Domino gloriam, & laudem ejus in inſulis nuntiabunt.

13 Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum: vociferabitur, & clamabit: ſuper inimicos ſuos confortabitur.

14 Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar: diſſipabo, & abſorbebo ſimul.

C 15 Deſertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum exiccabo: & ponam flumina in inſulas, & ſtagna arefaciam.

16 Et ducam cæcos in viam, quam neſciunt; & in ſemitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta: hæc verba feci eis, & non dereliqui eos.

17 Converſi ſunt retrorſum, confundantur confuſione qui confidunt in ſculptili, qui dicunt conflatili: Vos dij noſtri.

18 Surdi audite, & cæci intuemini ad videndũ.

19 Quis cæcus, niſi ſervus meus? & ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi? quis cæcus, niſi qui venumdatus eſt? & quis cæcus, niſi ſervus Domini?

20 Qui vides multa, nónne cuſtodies? qui apertas habes aures, nónne audies?

21 Et Dominus voluit ut ſanctificaret eum, & magnificaret legem, & extolleret.

D 22 Ipſe autem populus direptus, & vaſtatus: laqueus juvenum omnes, & in domibus carcerum abſconditi ſunt: facti ſunt in rapinam, nec eſt qui eruat; in direptionem, nec eſt qui dicat: Redde.

23 Quis eſt in vobis qui audiat hoc, attendat & auſcultet futura?

24 Quis dedit in direptionem Jacob, & Iſraël vaſtantibus? nónne Dominus ipſe, cui peccavimus? Et noluerunt in vijs ejus ambulare, & non audierunt legem ejus.

25 Et effudit ſuper eum indignationem furoris ſui, & forte bellum, & combuſſit eum in circuitu, & non cognovit: & ſuccendit eũ, & non intellexit.

Caput XLIII.

Populum credentem ſecurum facit, ejus ex univerſo orbe multiplicationem futuram promittens, cum enarratione præteritorum ac futurorum Dei erga populum ſuum beneficiorum, quibus ſe ſolum verum Deum eſſe comprobat: addita gravi expoſtulatione adverſus Judæorum ingratitudinem.

A 1 Et nunc hæc dicit Dominus creans te Jacob, & formans te Iſraël: Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu.

2 Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te:

3 Quia ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſraël ſalvator

ſalvator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam & Saba pro te.

4 Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & glorioſus: ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua.

5 Noli timere, quia ego tecum ſum: ab Oriente adducã ſemen tuũ, & ab Occidẽte congregabo te.

6 Dicam Aquiloni: Da; & Auſtro: Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.

7 Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, & feci eum.

8 Educ foras populum cæcum, & oculos habentem; ſurdum, & aures ei ſunt.

B 9 Omnes gentes congregatæ ſunt ſimul, & collectæ ſunt tribus: quis in vobis annuntiet iſtud, & quæ prima ſunt, audire nos faciet? dent teſtes eorum, juſtificentur, & audiant, & dicant. Verè.

10 Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ſervus meus, quem elegi: ut ſciatis, & credatis mihi, & intelligatis quia ego ipſe ſum. Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit.

11 * Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me ſalvator. ** Oſe. 13. b. 4.*

12 Ego annuntiavi, & ſalvavi: auditum feci, & non fuit in vobis alienus: vos teſtes mei, dicit Dominus, & ego Deus.

13 Et ab initio ego ipſe, & non eſt qui de manu mea eruat: operabor, & quis avertet illud?

14 Hæc dicit Dominus redemptor veſter, ſanctus Iſraël: Propter vos miſi in Babylonem, & detraxi vectes univerſos, & Chaldæos in navibus ſuis gloriantes.

15 Ego Dominus ſanctus veſter, creans Iſraël rex veſter.

16 Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam,

C & in aquis torrentibus ſemitam.

17 Qui eduxit quadrigam & equum, agmen & robuſtum: ſimul obdormierunt, nec reſurgent: contriti ſunt quaſi linum, & extincti ſunt.

18 Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini.

19 * Ecce ego facio nova, & nunc orientur, utique cognoſcetis ea: ponam in deſerto viam, & in invio flumina. ** 2. Cor. 5. d. 17. Apoc. 21. b. 5.*

20 Glorificabit me beſtia agri, dracones & ſtruthiones: quia dedi in deſerto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo.

21 Populum iſtum formavi mihi, laudem meam narrabit.

22 Non me invocaſti Jacob: nec laboraſti in me Iſraël.

23 Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me: non te ſervire feci

D in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure.

24 Non emiſti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriaſti me. Veruntamen ſervire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.

25 Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.

26 Reduc me in memoriam, & judicemur ſimul: narra ſi quid habes ut juſtificeris.

27 Pater tuus primus peccavit, & interpretes tui prævaricati ſunt in me.

28 Et contaminavi principes ſanctos, dedi ad internecionem Jacob, & Iſraël in blaſphemiam.

Caput XLIV.

Deus conſolatur populum ſuum, effuſurus ſuper eum ſpiritum ſuum, & aquas ſuper ſitientem: ipſe primus & noviſſimus ac ſolus Deus, omnium creator ac moderator: idolorum quoque, artificum eorum ac idololatrarum magna vanitas, imò ſtupor apertè convincitur: proinde ab idolis ad Deum, in cujus manu ſunt omnia, populus revocatur.

1 Et nunc audi Jacob ſerve meus, & Iſraël quem elegi: A *Jer. 30. b. 10. 46. g. 27.*

2 Hæc dicit Dominus faciens & formans te, ab utero auxiliator tuus: noli timere ſerve meus Jacob, & rectiſſime, quem elegi.

3 Effundam enim aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam: effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam.

4 Et germinabunt inter herbas, quaſi ſalices juxta præterfluentes aquas.

5 Iſte dicet: Domini ego ſum: & ille vocabit in nomine Jacob: & hic ſcribet manu ſua: Domino: & in nomine Iſraël aſſimilabitur:

6 * Hæc dicit Dominus rex Iſraël, & redemptor ejus Dominus exercituum: Ego primus, & ego noviſſimus, & abſque me non eſt Deus. ** Sup. 41. b. 4. Inf. 48. b. 12. Apoc. 1. 6. 8. d. 17. 22. c. 13.*

7 Quis ſimilis mei? vocet, & annuntiet: & ordinẽ exponat mihi, ex quo conſtitui populum antiquũ: ventura & quæ futura ſunt annuntient eis.

8 Nolite timere, neque conturbemini: ex tunc audire te feci, & annuntiavi: vos eſtis teſtes mei. numquid eſt Deus abſque me, & formator quem ego non noverim?

9 Plaſtæ idoli omnes nihil ſunt, & amantiſſima eorum non proderunt eis. ipſi ſunt teſtes eorum, quia non vident, neq; intelligunt, ut confundantur. B

10 Quis formavit Deum, & ſculptile conflavit ad nihil vtile?

11 Ecce omnes participes ejus confundentur: fabri enim ſunt ex hominibus: convenient omnes, ſtabunt & pavebunt, & confundentur ſimul.

12 * Faber ferrarius lima operatus eſt in prunis, & in malleis formavit illud, & operatus eſt in brachio fortitudinis ſuæ: eſuriet & deficiet, non bibet aquam, & laſſeſcet. ** Sap. 13. c. 11.*

13 Artifex lignarius extendit normam, formavit illud in runcina: fecit illud in angularibus, & in circino tornavit illud: & fecit imaginem viri quaſi ſpecioſum hominem habitantem in domo.

14 Succidit cedros, tulit ilicem, & quercum, quæ ſteterat inter ligna ſaltus: plantavit pinum, quam pluvia nutrivit.

15 Et facta eſt hominibus in focum: ſumpſit ex eis, & calefactus eſt: & ſuccendit, & coxit panes: C de reliquo autem operatus eſt deum, & adoravit: fecit ſculptile, & curvatus eſt ante illud.

16 Medium ejus combuſſit igni, & de medio ejus carnes comedit: coxit pulmentum, & ſaturatus eſt, & calefactus eſt, & dixit: Vah, calefactus ſum, vidi focum.

17 Reliquum autem ejus deum fecit & ſculptile ſibi: curvatur ante illud, & adorat illud, & obſecrat, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu.

18 Neſcie

Universidad de Deusto
Biblioteca

18 Nescierunt, neque intellexerunt: obliti enim sunt ne videant oculi eorum: & ne intelligant corde suo.

19 Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt, ut dicant: Medietatem ejus combussi igni, & coxi super carbones ejus panes: coxi carnes & comedi, & de reliquo ejus idolum faciam? ante truncum ligni procidã?

D 20 Pars ejus cinis est: cor insipiens adoravit illud, & non liberabit animam suam, neque dicet: Fortè mendacium est in dextera mea.

21 Memento horum Jacob, & Israël, quoniam servus meus es tu. formavi te, servus meus es tu Israël, ne obliviscaris mei.

22 Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te.

23 Laudate cæli, quoniam misericordiam fecit Dominus: jubilate extrema terræ, resonate montes laudationem, saltus & omne lignum ejus: quoniam redemit Dominus Jacob, & Israël gloriabitur.

24 Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex utero: Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.

25 Irrita faciens signa divinorum, & ariolos in furorem vertens. Convertens sapientes retrorsum: & scientiam eorum stultam faciens.

26 Suscitans verbum servi sui, & consilium nuntiorum suorum complens. Qui dico Jerusalem: Habitaberis; & civitatibus Juda: Ædificabimini, & deserta ejus suscitabo.

27 Qui dico profundo: Desolare, & flumina tua arefaciam.

28 Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem: Ædificaberis; & templo: Fundaberis.

Caput XLV.

Prophetia de Cyro & victoriis ipsi à Deo concedendis, cum increpatione quòd Deum in his non agnoscat, cùm ipse solus sit Deus, omnium Dominus, cui nemo potest contradicere: prædicitur Christi nativitas: & loquitur propheta permixtim de Judæorum per Cyrum liberatione, ac salute per Christum futura: quòdque solus Dominus sit Deus, justus & salvans, promissáque complens.

A 1 Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus Gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur.

2 Ego ante te ibo: & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.

3 Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum: ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israël.

4 Propter servum meum Jacob, & Israël electum meum, & vocavi te nomine tuo: assimilavi te, & non cognovisti me.

5 Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus: accinxi te, & non cognovisti me:

6 Ut sciant hi, qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quoniam absque me non est. Ego Dominus, & non est alter,

7 Formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.

B 8 Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet salvatorem: & justitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum.

9 Væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ: * numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis, & opus tuum absque manibus est? *Jer. 18. a.6. Rom. 9. c.20.

10 Væ qui dicit patri: Quid generas? & mulieri: Quid parturis?

11 Hæc dicit Dominus sanctus Israël, plastes ejus: Ventura interrogate me, super filios meos, & super opus manuum mearum mandate mihi.

12 Ego feci terram, & hominem super eam creavi ego: manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandavi.

C 13 Ego suscitavi eum ad justitiam, & omnes vias ejus dirigam: ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum.

14 Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: Post te ambulabunt, vincti manicis pergent: & te adorabunt, téque deprecabuntur: tantum in te est Deus, & non est absque te Deus.

15 Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël salvator.

16 Confusi sunt, & erubuerunt omnes: simul abierunt in confusionem fabricatores errorum.

17 Israël salvatus est in Domino salute æterna: non confundemini, & non erubescetis usque in sæculum sæculi.

18 Quia hæc dicit Dominus creans cælos, ipse Deus formans terram, & faciens eam, ipse plastes ejus: non in vanum creavit eam: ut habitaretur, formavit eam. ego Dominus, & non est alius.

19 Non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso: non dixi semini Jacob: Frustrà quærite me. ego Dominus loquens justitiam, annuntians recta.

20 Congregamini, & venite, & accedite simul qui salvati estis ex Gentibus: nescierunt qui levant lignum sculpturæ suæ, & rogant Deum non salvantem.

D 21 Annuntiate, & venite, & consiliamini simul: quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc prædixit illud? numquid non ego Dominus, & non est ultrà Deus absque me? Deus justus, & salvans non est præter me.

22 Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non est alius.

23 In memetipso juravi: egredietur de ore meo justitiæ verbum, & non revertetur:

24 * Quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua. * Rom. 14.c.11. Phil.2. b.10.

25 Ergo in Domino, dicet, meæ sunt justitiæ & imperium: ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei.

26 In Domino justificabitur, & laudabitur omne semen Israël.

Caput

Caput XLVI.

Ostenditur idolorum vanitas, & destructio ipsorum prædicitur: Judæi cum reliquis Israël ad Deum revocantur, offensa Dei magna benignitate ad ipsos, addita gravi increpatione ob ipsorum ingratitudinem & idololatriam, hortatúrque ut ad ipsum qui solus omnia novit & potest, revertantur, salutẽ ipsis per filiũ promittens.

A 1 Confractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulachra eorum bestiis & jumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem.

2 Contabuerunt, & contrita sunt simul: non potuerunt salvare portantem, & anima eorum in captivitatem ibit.

B 3 Audite me domus Jacob, & omne residuum domus Israël, qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulva.

4 Usque ad senectam ego ipse, & usque ad cànos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo, & salvabo.

5 Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem?

6 Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis: conducentes aurificem, ut faciat deum; & procidunt, & adorant.

C 7 * Portant illum in humeris gestantes, & ponentes in loco suo: & stabit, ac de loco suo non movebitur. sed & cùm clamaverint ad eum, non audiet: de tribulatione non salvabit eos. *Bar. 6. c. 25.

8 Mementote istud, & confundamini: redite prævaricatores ad cor.

9 Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, & non est ultrà Deus, nec est similis mei:

D 10 Annuntians ab exordio novissimum, & ab initio quæ necdum facta sunt, dicens: Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet:

11 Vocans ab Oriente avem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ. & locutus sum, & adducam illud: creavi, & faciam illud.

12 Audite me duro corde, qui lõgè estis à justitia.

13 Propè feci justitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, & in Israël gloriam meam.

Caput XLVII.

Babylonis humiliatio ac contritio prædicitur propter ipsius superbiam, arrogantiam, & crudelitatem in Judæos suos captivos: & quia in maleficis, auguribus, atque incantatoribus spem posuit.

A 1 Descende, sede in pulvere virgo filia Babylon, sede in terra: non est solium filiæ Chaldæorũ, quia ultrà non vocaberis mollis & tenera.

2 Tolle molam, & mole farinam: denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina.

*Nah. 3. b. 5. 3 * Revelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum: ultionem capiam, & non resistet mihi homo.

4 Redemptor noster, Dominus exercituum nomen illius, sanctus Israël.

5 Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum: quia non vocaberis ultrà domina regnorum.

B 6 Iratus sum super populum meum, contaminavi hereditatem meam, & dedi eos in manu tua: non posuisti eis misericordias: super senem aggravasti jugum tuum valdè.

7 Et dixisti: In sempiternum ero domina: non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui.

8 Et nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: * Ego sum, & non est præter me amplius: non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. C *Apoc. 18.c.7.

9 * Venient tibi duo hæc subitò in die una, sterilitas & viduitas. universa venerũt super te, propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem. *Inf. 51. f.19.

10 Et fiduciam habuisti in malitia tua, & dixisti: Non est qui videat me. sapientia tua & scientia tua hæc decepit te. Et dixisti in corde tuo: Ego sum, & præter me non est altera.

11 Veniet super te malum, & nescies ortũ ejus: & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare: veniet super te repentè miseria, quã nescies. D

12 Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si fortè quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior.

13 Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent, & salvent te augures cæli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi.

14 Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos: non liberabunt animam suam de manu flammæ: non sunt prunæ, quibus calefiant; nec focus, ut sedeant ad eum.

15 Sic facta sunt tibi in quibuscumque laboraveras: negotiatores tui ab adolescentia tua, unusquisque in via sua erraverũt: non est qui salvet te.

Caput XLVIII.

Increpat Dominus hypocrisim, ingratitudinem ac duritiam Judæorum; se, & non idola, annuntiasse futura & illa complevisse ostendens: propter nomen suum tamen parcet ipsis; & ita benignè eos ad se revocat, probans, se solum verum Deum, omnium conscium, sulque populi redemptorem ac gubernatorem: conquerens quoque de mandatorum suorum prævaricatione, quibus observatis felices fuissent.

A 1 Audite hæc domus Jacob, qui vocamini nomine Israël, & de aquis Juda existis, qui juratis in nomine Domini, & Dei Israël recordamini non in veritate, neque in justitia.

2 De civitate enim sancta vocati sunt, & super Deum Israël constabiliti sunt: Dominus exercituum nomen ejus.

3 Priora ex tunc annuntiavi, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea: repentè operatus sum, & venerunt.

4 Scivi enim quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea.

5 Prædixi tibi ex tunc: antequã venirent indicavi tibi, ne fortè diceres: Idola mea fecerunt hæc, & sculptilia mea & conflatilia mandauerunt ista.

6 Quæ audisti, vide omnia: vos autem num annuntiastis? Audita feci tibi nova ex tunc, & conservata sunt quæ nescis: B

7 Nunc creata sunt, & non ex tunc: & ante diem, & non audisti ea, ne fortè dicas: Ecce ego cognovi ea.

8 Neque audisti, neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris tua: scio enim quia prævaricans prævaricaberis, & transgressorem ex utero vocavi te.

9 Propter nomen meum longè faciam furorem meum: & laude mea infrænabo te, ne intereas.
10 Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.
11 Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer; * & gloriam meam alteri non dabo.
*Sup.42. b.8.
12 Audi me Jacob, & Israël quem ego voco: *Sup.41. a.4. & 44. a.6. ego ipse, ego primus, & ego novissimus.
13 Manus quoque mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cælos: ego vocabo eos, & stabunt simul.
Apoc.1. b.8.d.17. 22.c.13.
14 Congregamini omnes vos, & audite: quis de eis annuntiavit hæc? Dominus dilexit eum, faciet voluntatem suam in Babylone, & brachium suum in Chaldæis.
C
15 Ego ego locutus sum, & vocavi eum: adduxi eum, & directa est via ejus.
16 Accedite ad me, & audite hoc: non à principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus ejus.
17 Hæc dicit Dominus redemptor tuus sanctus Israël: Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas.
D
18 Utinã attẽdisses mãdata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris.
19 Et fuisset quasi arena semen tuum, & stirps uteri tui ut lapilli ejus: non interisset, & non fuisset attritum nomen ejus à facie mea.
*Jer. 51. a.6.
20 * Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis, in voce exultationis annuntiate: auditum facite hoc, & efferte illud usque ad extrema terræ. Dicite: Redemit Dominus servum suum Jacob.
21 Non sitierunt in deserto, cùm educeret eos: * aquam de petra produxit eis, & scidit petram, & fluxerunt aquæ.
*Exod. 17.b 6. Num. 20.b.11.
22 * Non est pax impiis, dicit Dominus.
*Inf. 57. d.21.

Caput XLIX.

Constituitur Christus dux Gentium ac Iudæorum salvandorum, datúrque in fœdus populi ex omni orbis parte vocandi: & ostensa magna felicitate credentium in Christum, hortatur eos ad gratiarum actionem: benignè etiam consolatur Sion quæ se à Deo desertam conquerebatur, promittens eam toto orbe fore gloriosam, omnibus ad ipsam confluentibus, ejúsque contritis inimicis.

A
1 Audite insulæ, & attendite populi de longè: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.
*Inf. 51. f.16.
2 * Et posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittã electam: in pharetra sua abscondit me.
3 Et dixit mihi: Servus meus es tu Israël, quia in te gloriabor.
4 Et ego dixi: In vacuum laboravi, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi: ergo judicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo.
5 Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, & Israël non congregabitur: & glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea.
B
6 Et dixit: Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israël convertendas. * Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.
*Sup.42. b 6. Act.13. f.47.
7 Hæc dicit Dominus redemptor Israël, sanctus ejus ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum: Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israël qui elegit te.
8 Hæc dicit Dominus: * In tempore placito C exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui: & servavi te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hereditates dissipatas: *2.Cor. 6.d.2.
9 Ut diceres his, qui vincti sunt: Exite; & his, qui in tenebris: Revelamini. Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum.
10 * Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. *Apoc. 7. d.16.
11 Et ponam omnes montes meos in viam, & semitæ meæ exaltabuntur.
12 Ecce isti de longè venient, & ecce illi ab D Aquilone & mari, & isti de terra australi.
13 Laudate cæli, & exulta terra, jubilate montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur.
14 Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei.
15 Numquid obliviscí potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.
16 Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.
17 Venerunt structores tui: destruentes te & dissipantes, à te exibunt.
18 * Leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: vivo ego, E dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa. *Inf.60. a.4.
19 Quia deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ, nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur qui absorbebant te.
20 Adhuc dicent in auribus tuis filiis sterilitatis tuæ: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem.
21 Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiva: & istos quis enutrivit? ego destituta & sola: & isti ubi erant? F
22 Hæc dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt.
23 Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terrã demisso adorabunt te, & pulverẽ pedum tuorum lingent. Et scies quia ego Dñs, G super quo non confundentur qui expectant eum.
24 Numquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robusto, salvum esse poterit?
25 Quia hæc dicit Dominus: Equidem, & captivitas à forti tolletur: & quod ablatum fuerit à robusto, salvabitur. Eos verò, qui judicaverunt te, ego judicabo, & filios tuos ego salvabo.
26 Et cibabo hostes tuos carnibus suis: & quasi musto, sanguine suo inebriabuntur: & sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Jacob.

Caput

Caput L.

Non ex Dei impotentia, sed propter suas iniquitates manet Synagoga repudiata, Christum nolens recipere, qui nihil prætermisit quod agendum fuerat ut ab ea reciperetur; imò illius amore seipsum in ignominiosas tradens afflictiones: ideóque Synagogam doloribus interituram denuntiat.

A
1 Hæc dicit Dominus: Quis est hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.
2 Quia veni, & non erat vir: vocavi, & non erat qui audiret.* numquid abbreviata & parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? aut *Inf. 59. a.1.
B non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum: computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti.
3 Induam cælos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum.
4 Dominus dedit mihi linguã eruditam, ut sciã sustentare eum, qui lassus est verbo: erigit manè, manè erigit mihi aurem, ut audiã quasi magistrũ.
5 Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abij.
C
6 * Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. *Matt. 26.g.67.
7 Dominus Deus auxiliator meus, ideò non sum confusus: ideò posui faciem meam ut petram durissimam, & scio quoniam non confundar.
8 * Juxtà est qui justificat me, quis contradicet *Rom.8. f.33.
mihi? stemus simul, quis est adversarius meus? accedat ad me.
9 Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos.
D
10 Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? qui ambulavit in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.
11 Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.

Caput LI.

Exhortatur Sion exemplo Abrahæ, cui Deus promissa complevit, ut & ipsa certò fidat se promissam à Deo consolationem accepturam de consolatione, salute & magna felicitate Sion, hoc est Ecclesiæ, per Christum futura, & de lege Evangelica latè dissert. ac de humiliatione hostium Ecclesiæ.

A
1 Audite me qui sequimini quod justum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram unde excisi estis, & ad cavernam laci, de qua præcisi estis.
2 Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos: quia unum vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicavi eum.
3 Consolabitur ergo Dominus Sion, & conso-
B labitur omnes ruinas ejus: & ponet desertum ejus quasi delicias, & solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.
4 Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite: quia lex à me exiet, & judicium meum in lucem populorum requiescet.
5 Propè est justus meus, egressus est salvator meus, & brachia mea populos judicabunt: me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebũt.
6 Levate in cælum oculos vestros, & videte sub terra deorsum: quia cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores ejus sicut hæc interibunt: * Salus autem mea in C sempiternum erit, & justitia mea non deficiet. *Ps.36. d.39.
7 Audite me qui scitis justum populus meus * lex *Ps.36. d.31.
mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis.
8 Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic devorabit eos tinea: Salus autem mea in sempiternum erit, & justitia mea in generationes generationum.
9 Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem?
10 * Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi D vehementis: qui posuisti profundum maris viam, *Exod. 14.c.21.
ut transirent liberati?
11 Et nunc qui redempti sunt à Domino, revertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus.
12 Ego, ego ipse consolabor vos: quis tu ut timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet?
13 Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cælos, & fundavit terram: & formidasti jugiter tota die à facie furoris ejus qui te tribulabat, & paraverat ad perdendũ: ubi nunc est furor tribulãtis? E
14 Citò veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet usque ad internecionem, nec deficiet panis ejus.
15 Ego autem sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumescunt fluctus ejus: Dominus exercituum nomen meum.
16 * Posui verba mea in ore tuo, & in umbra F manus meæ protexi te, ut plantes cælos, & fundes *Sup.49. a.2.
terram: & dicas ad Sion: Populus meus es tu.
17 Elevare, elevare, cõsurge Jerusalẽ, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus: usque ad fundũ calicis soporis bibisti, & potasti usque ad fæces.
18 Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis, quos genuit: & non est qui apprehendat manum ejus ex omnibus filiis, quos enutrivit.
19 * Duo sunt quæ occurrerunt tibi; quis con- *Sup.47. c.9.
tristabitur super te? vastitas, & contritio, & fames, & gladius: quis consolabitur te?
20 Filij tui projecti sunt, dormierunt in capite G omnium viarum, sicut orix illaqueatus: pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui.
21 Idcircò audi hoc paupercula, & ebria nõ à vino.
22 Hæc dicit dominator tuus Dominus, & Deus tuus, qui pugnabit pro populo suo: Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ, non adjicies ut bibas illum ultrà.
23 Et ponam illum in manu eorum, qui te humiliaverunt, & dixerunt animæ tuæ: Incurvare, ut transeamus: & posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPUT LII.

Excitat Sion, hoc est, Christi Ecclesiam ad consolationem ob gratuitam sui redemptionem: meminit descensus Israël in Ægyptum, & liberationis ab Assur: prædicatores autem Evangelicæ pacis commendat, excitans omnes ad laudem propter Christum paratum omnibus salvatorem: & de ipsius exaltatione ac humiliatione, & fide Gentium in ipsum.

A 1 CONsurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Jerusalem, civitas sancti: quia non adjiciet ultrà ut pertranseat per te incircumcisus & immundus.

2 Excutere de pulvere, consurge; sede Jerusalem: solve vincula colli tui captiva filia Sion.

3 Quia hæc dicit Dominus: Gratis venumdati estis: & sine argento redimemini.

B 4 Quia hæc dicit Dñs Deus: * In Ægyptũ descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi: & Assur absq; ulla causa calumniatus est eum.

5 Et numquid mihi est hic, dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis? Dominatores ejus iniquè agunt, dicit Dominus, * & jugiter tota die nomen meum blasphematur.

6 Propter hoc sciet populus meus nomen meũ in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.

7 * Quàm pulchri super montes pedes annuntiãtis & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutẽ, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus!

C 8 Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt cum converterit Dominus Sion.

9 Gaudete, & laudate simul deserta Jerusalem: quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem.

10 Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium Gentium * & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

11 Recedite, recedite, exite inde, * pollutum nolite tangere: exite de medio ejus, mundamini qui fertis vasa Domini.

D 12 Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis: præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Israël.

13 Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valdè.

14 Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros adspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum.

15 Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: * quia quibus non est narratum de eo, videbunt; & qui non audierunt, contemplati sunt.

*Gen. 46.a.6.

*Ezech. 36.d.20. Rom. 2. d.24.

*Nah. 1. d.15. Rom.10. c.15.

*Psal. 97. a.3. *2.Cor. 6.d.17.

*Rom. 15.a.21.

CAPUT LIII.

Non omnes Evangelij prædicationem suscipiunt: prophetia de Christi nativitate, & ignominiosa passione ac morte ipsius propter peccata nostra: contemptui habitus est qui salutem nobis peperit: de mansuetudine & voluntaria ipsius oblatione: de gloria & exaltatione ejus, credentiúmque multitudine.

A 1 QUis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est?

2 Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum:

3 * Despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum.

4 * Verè languores nostros ipse tulit, & dolores B nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum.

5 * Ipse autẽ vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrę super eum, & livore ejus sanati sumus.

6 Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.

7 Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit C os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, * & non aperiet os suum.

8 De angustia, & de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum.

9 Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua: * eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

10 Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate, si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.

11 Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit & D saturabitur: in sciẽtia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorũ ipse portabit.

12 Ideò dispertiã ei plurimos, & fortiũ dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortẽ animã suam, * & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit * & pro transgressoribus rogavit.

*Matt. 8. b.17.

*2.Cor. 15.a.3.

*Matt. 26.f.63. Act. 8. f.32.

* 1.Petri 2.d.22. 1.Ioan. 3.a.5.

*Marc. 15.c.28. Luc. 22. d. 37. * Luc. 23.e.34.

CAPUT LIV.

Ecclesiam invitat ad lætitiam quòd ex Gentibus futura sit numerosior quàm erat Synagoga, & per orbem propaganda, perpetua Dei protectione sit in securitate victura, veteris oblita calamitatis: quódque ex pretiosis ædificabitur lapidibus, in justitia fundata: omnésque in ea docti erunt à Deo multitudine pacis fruituri.

A 1 LAuda sterilis quæ non paris: decanta laudem, & hinni quæ non pariebas: quoniam multi filij desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum, dicit Dominus.

2 Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longuos fac funiculos tuos, & clavos tuos consolida.

3 Ad dexteram enim & ad lævam penetrabis: B & semen tuum Gentes hereditabit, & civitates desertas inhabitabit.

4 Noli timere, quia non confundêris, neque erubesces: non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis ampliùs.

5 Quia dominabitur tui qui fecit te, * Dominus C exercituum nomen ejus: & redemptor tuus sanctus Israël, Deus omnis terræ vocabitur.

6 Quia ut mulierem derelictam & mœrentem spiritu vocavit te Dominus, & uxorem ab adolescentia abjectam, dixit Deus tuus.

7 Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.

8 In momento indignationis abscondi faciem meã parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit redemptor tuus Dominus.

*Luc. 1. d.32.

9 * Sicut

*Gen. 9. b.11. 9 *Sicut in diebus Noë istud mihi est, qui juravi ne inducerem aquas Noë ultrà supra terram: sic juravi ut non irascar tibi, & non increpem te.

E 10 Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur: dixit miserator tuus Dominus.

11 Paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris,

F 12 Et ponam jaspidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles:

*Ioan. 6. c.45. 13 *Universos filios tuos doctos à Domino; & multitudinem pacis filijs tuis.

14 Et in justitia fundaberis: recede procul à calumnia, quia non timebis; & à pavore, quia non appropinquabit tibi.

15 Ecce accola veniet, qui non erat mecum, advena quondam tuus adjungetur tibi.

G 16 Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creavi interfectorem ad disperdendum.

17 Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigetur: & omnem linguam resistentem tibi in judicio, judicabis. Hæc est hereditas servorum Domini, & justitia eorũ apud me, dicit Dominus.

CAPUT LV.

Omnes ad fidem vocans, promittit donorum spiritualium abundantiam: revocantur à peccatis impij, cum Dominus misericors sit & verax in promissis: de profectu prædicationis Evangelij & felicitate credentium.

A 1 OMnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac.

Eccli. 51. d. 33. Apoc. 22.d.17.

2 Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.

B 3 Inclinate aurem vestram, & venite ad me: audite, & vivet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, * misericordias David fideles.

*Act. 13. c.34. 4 Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus.

5 Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis: & Gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israël, quia glorificavit te.

6 Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est.

7 Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum.

C 8 Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus.

9 Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.

10 Et quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc ultrà non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti:

11 Sic erit verbum meum, quod egredietur de D ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.

12 Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini: montes & colles cantabunt coram vobis laudẽ, & omnia ligna regionis plaudent manu.

13 Pro saliunca ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus: & erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.

CAPUT LVI.

Omnes cujusvis gentis aut conditionis hortatur Dominus ad servanda sua præcepta: consolatio eunuchorum justorum: domus Dei, domus est orationis: gravis increpatio & comminatio adversus pastores Jerusalem quos cacos & canes mutos ac impudentes appellat.

A 1 HÆc dicit Dominus: Custodite judicium, & facite justitiam: quia juxtà est salus mea ut veniat, & justitia mea ut reveletur.

Sap. 1. a. 1.

2 Beatus vir, qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet istud: custodiẽs sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malũ.

3 Et non dicat filius advenæ, qui adhæret Do- B mino, dicens: Separatione dividet me Dominus à populo suo: Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum.

4 Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum:

5 Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.

6 Et filios advenæ, qui adhærent Domino; ut colant eum, & diligant nomen ejus, ut sint ei in C servos: omnem custodientem sabbatum ne polluat illud, & tenentem fœdus meum:

7 Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum, & victimæ eorum, placebunt mihi super altari meo: * quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.

*Jer. 7. b.11. Matt. 21. b.13. Mar. 11. c.17. Luc. 19. g.46.

8 Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israël: Adhuc congregabo ad eũ congregatos ejus.

9 Omnes bestiæ agri venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus.

10 Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt D universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.

11 Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignoraverunt intelligentiã: omnes in viam suam declinaverunt, * unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum.

*Jer. 6. c. 13. & d. 10.

12 Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & multò ampliùs.

CAPUT LVII.

Justorum interitus, & futura ipsorum requies non intelligitur ab impijs, cum quibus Deus hic expostulat super idolola via alij, que ipsorum sceleribus, denuntians eos humiliandos: conversis autem pax & consolatio promittitur; cum impij cor sit tanquam mare fervens cui non est pax.

A 1 JUstus perit, & nõ est qui recogitet in corde suo: & viri misericordię colligũtur, quia non est qui intelligat: à facie enim malitiæ collectus est justus.

2 Veniat

2 Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua.

3 Vos autem accedite huc filij auguratricis; semen adulteri, & fornicariæ.

4 Super quem lusistis? super quem dilatastis os, & ejecistis linguam? numquid non vos filij scelesti, semen mendax?

5 Qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus, subter eminentes petras?

6 In partibus torrentis pars tua, hæc est sors tua: & ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium. numquid super his non indignabor?

B 7 Super montẽ excelsum & sublimem posuisti cubile tuũ, & illuc ascendisti ut immolares hostias.

8 Et post ostium, & retro postem posuisti memoriale tuum: quia juxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum: dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus: dilexisti stratũ eorum manu aperta.

9 Et ornasti te regi unguento, & multiplicasti pigmenta tua. Misisti legatos tuos procul, & humiliata es usque ad inferos.

10 In multitudine viæ tuæ laborasti: non dixisti: Quiescam: vitam manus tuæ invenisti, propterea non rogasti.

C 11 Pro quo sollicita timuisti, quia mentita es, & mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo? quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es.

12 Ego annuntiabo justitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi.

13 Cùm clamaveris, liberent te congregati tui, & omnes eos auferet ventus: tollet aura: Qui autem fiduciam habet mei, hereditabit terram, & possidebit montem sanctum meum.

Infr. 62. d. 10. 14 Et dicam Viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offẽdicula de via populi mei.

15 Quia hæc dicit Excelsus, & sublimis habitans æternitatem: & sanctum nomen ejus in excelso & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu: ut vivificet spiritum humilium, & vivificet cor contritorum.

D 16 Non enim in sempiternum litigabo, neque usque ad finem irascar: quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam.

17 Propter iniquitatem avaritię ejus iratus sum, & percussi eum: abscondi à te faciem meam, & indignatus sum: & abijt vagus in via cordis sui.

18 Vias ejus vidi, & sanavi eum, & reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus ejus.

19 Creavi fructum labiorum pacẽ, pacem ei, qui longè est, & qui propè, dixit Dñs, & sanavi eum.

20 Impij autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum.

*Supr. 48. d. 22. 21 * Non est pax impijs, dicit Dominus Deus.

Caput LVIII.

Reprehendit Iudæorum hypocrisim: ostendens eorum jejunium non esse Deo acceptabile: & quæ debeant illud comitari, quibus adhibitis multa præstantur hominibus beneficia: quomodo debeat sabbatum celebrari, abnegata propria voluntate, & quod sit præmium ita celebrantium.

A 1 Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.

2 Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gens, quæ justitiam fecerit, & judicium Dei sui non dereliquerit: rogant me judicia justitiæ: appropinquare Deo volunt.

3 Quare jejunavimus, & non aspexisti: humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die jejunij vestri, invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.

4 Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diẽ, ut audiatur in excelso clamor vester. B

5 * Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? numquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? *Zach. 7. b. 5.

6 Nónne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe.

C 7 * Frange esurienti panem tuum, & egenos vagósque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. *Ezech. 18. b. 7. d. 16. Matth. 25. c. 35.

8 Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te.

9 Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum. si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest.

10 Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.

11 Et requiem tibi dabit Dominus semper, & D implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.

12 *Et ædificabuntur in te deserta sæculorum: fundamenta generationis & generationis suscitabis: & vocaberis ædificator sepium avertens semitas in quietem. *Infr. 61. b. 4.

13 Si averteris à sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaveris sabbatum delicatũ, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaveris eum dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonẽ:

14 Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Jacob patris tui. os enim Domini locutum est.

Caput LIX.

Potens ac benignus est Deus ad salvandum Iudæos; sed iniquitates eorum, quas propheta persequitur, impediunt ne exaudiantur ac salventur: propter quas & confitentur se juste à Deo desertos, & excæcatos, affligi variis malis: de furore Domini in malos, & benignitate erga pœnitentes.

1 Ecce non est abbreviata manus Domini ut A salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus ut non exaudiat: *Num. 11. c. 23. Supr. 50. d. 2.

2 Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis ne exaudiret.

3* Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur. *Supr. 1. d. 15.

4 Non est qui invocet justitiam, neque est qui judicet verè: sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates: * conceperunt laborem, & peperunt iniquitatem. *Job. 15. d. 35.

5 Ova aspidum ruperunt, & telas aranearum texuerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur: & quod confotum est, erumpet in regulum.

B 6 Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.

*Prov. 1. b. 16. Rom. 3. b. 15. 7 * Pedes eorum ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inutiles: vastitas & contritio in viis eorum.

8 Viam pacis nescierunt, & non est judicium in gressibus eorum. semitæ eorum incurvatæ sunt eis: omnis qui calcat in eis, ignorat pacem.

9 Propter hoc elongatum est judicium à nobis, & non apprehendet nos justitia: expectavimus lucem, & ecce tenebræ; splendorem, & in tenebris ambulavimus.

10 Palpavimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectavimus: impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.

C 11 Rugiemus quasi ursi omnes, & quasi columbæ meditantes gememus. expectavimus judicium, & non est; salutem, & elongata est à nobis.

12 Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, & peccata nostra responderunt nobis. quia scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognovimus,

13 Peccare & mentiri contra Dominum: & aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri, ut loqueremur calumniam & transgressionem concepimus, & locuti sumus de corde verba mendacij.

14 Et conversum est retrorsum judicium, & justitia longè stetit: quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.

15 Et facta est veritas in oblivionẽ: & qui recessit à malo, prædæ patuit: & vidit Dominus, & malũ apparuit in oculis ejus, quia non est judicium.

D 16 Et vidit quia non est vir: & aporiatus est, quia non est qui occurrat: & salvavit sibi brachium suum, & justitia ejus ipsa confirmavit eum.

*Eph. 6. c. 17. 1. Thess. 5. b. 8. 17 * Indutus est justitia ut loricа, & galea salutis in capite ejus: indutus est vestimentis ultionis, & opertus est quasi pallio zeli.

18 Sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis & vicissitudinem inimicis suis: insulis vicem reddet.

19 Et timebunt qui ab Occidente, nomen Domini; & qui ab ortu solis, gloriam ejus: cùm venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit:

*Rom. 11. d. 26. 20 * Et venerit Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus.

21 Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodò & usque in sempiternum.

Caput LX.

Ecclesia ad exultationem excitatur, quòd in ea Domini gloria reluceat, ad quam accessuræ sunt plurimæ nationes, & quæ ad eam non venerint peribunt: in qua pax, justitia & laus Dei inveniantur, ablata iniquitate: eritque Dominus ei in lucem sempiternam & gloriam.

1 Surge, illuminare Jerusalem: quia venit lumen A tuum, & gloria Domini super te orta est.

2 Quia ecce tenebræ operient terram & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur.

3 Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.

4 * Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. *Supr. 49. c. 18.

5 Tunc videbis, & affluës, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.

6 Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurũ & & thus deferẽtes, & laudem Domino annuntiãtes.

7 Omne pecus Cedar cõgregabitur tibi, arietes B Nabajoth ministrabũt tibi: offerẽtur super placabili altari meo, & domũ majestatis meę glorificabo.

8 Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?

9 Me enim insulæ expectant, & naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longè; argentum eorum, & aurum eorum cum eis: nomini Domini Dei tui, & sancto Israël, quia glorificavit te.

10 Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi: in indignatione enim mea percussi te: & in reconciliatione mea misertus sum tui.

11 *Et aperientur portæ tuæ jugiter: die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo Gentium, & reges earum adducantur. *Apoc. 21. g. 25.

12 Gens enim & regnum, quod non servierit tibi, peribit: & Gentes solitudine vastabuntur.

13 Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus, C & pinus simul, ad ornandum locum sanctificationis meæ; & locum pedum meorum glorificabo.

14 Et venient ad te curvi filij eorum qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te Civitatem Domini, Sion sancti Israël.

15 Pro eo quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum gaudium in generationem & generationem: &

16 suges lac Gentium, & mamilla regum lactaberis: & scies quia ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Iacob.

17 Pro ære afferam aurum, & pro ferro affe- D ram argentum; & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum: & ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos justitiam.

18 Non audietur ultrà iniquitas in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio.

19 * Non erit tibi ampliùs sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. *Apoc. 21. g. 23. 22. a. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

20 Non occidet ultrà sol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui.

21 Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hereditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.

22 Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam: ego Dominus in tempore ejus subitò faciam istud.

Caput LXI.

Christi salvatoris officium, & humani generis reparationem pulchrè explicat; prædicatione quoque ministrorum Christi gentes ad fidem convertendas: additur de consolatione credentium & gloria ministrorum: Ecclesia letabunda suam felicitatem mirè sibi gratulatur.

A *Luc.4. c.18.* 1 SPiritus Domini super me: eò quòd unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem:

2 Ut prædicarem annum placabilem Domino, **Mat.5. a.5.* & diem ultionis Deo nostro: * ut consolarer omnes lugentes:

3 Ut ponerem lugentibus Sion; & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: & vocabuntur in ea fortes justitiæ, plãtatio Domini ad glorificandũ.

**Sup.58. c.12.* 4 * Et ædificabunt deserta à sæculo, & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt civitates desertas, dissipatas in generationem & generationem.

5 Et stabunt alieni, & pascent pecora vestra: & filij peregrinorũ, agricolę & vinitores vestri erunt.

6 Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis: Fortitudinem Gentiũ comedetis, & in gloria earum superbietis.

C 7 Pro confusione vestra duplici & rubore, laudabunt partem suam: propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis.

8 Quia ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto: & dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis.

9 Et scient in Gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.

D 10 Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis: & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.

11 Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat: sic Dominus Deus germinabit justitiam & laudem coram universis Gentibus.

Caput LXII.

Propheta non cessat propter impios Christum annuntiare, prophetans de Christi adventu & conversione Gentium: de felicitate, gloria & exaltatione Ecclesiæ ex Dei gratuito beneplacito erga ipsam: de prædicatoribus Ecclesiæ, & Evangelio per orbem divulgando.

A 1 PRopter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescã, donec egrediatur ut splẽdor justus ejus, & salvator ejus ut lampas accendatur.

2 Et videbunt Gentes justum tuum, & cuncti reges inclytum tuum: & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.

3 Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.

4 Non vocaberis ultrà Derelicta; & terra tua B
non vocabitur amplius Desolata: sed vocaberis Voluntas mea in ea, & terra tua Inhabitata. quia cõplacuit Domino in te: & terra tua inhabitabitur.

5 Habitabit enim juvenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.

6 Super muros tuos Jerusalem constitui custo- C
des, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis,

7 Et ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Jerusalem laudem in terra.

8 Juravit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ: Si dedero triticum tuum ultrà cibum inimicis tuis: & si biberint filij alieni vinum tuum, in quo laborasti.

9 Quia qui congregant illud, comedent, & laudabunt Dominum: & qui comportant illud, bibent in atrijs sanctis meis.

10 Transite, transite per portas, * præparate D
viam populo, planum facite iter, eligite lapides, **Sup.57. c.14.* & elevate signum ad Populos.

11 Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, *dicite filiæ Sion: Ecce salvator tuus venit: ** Zach. 9.b.9. Mat. 21. a.5.* ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo.

12 Et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti à Domino. Tu autem vocaberis: Quæsita civitas, & non Derelicta.

Caput LXIII.

Dicit se Dominus sanguine aspersum dum solus vicisset hostes: Deus multa præstitit Israëlitis beneficia, sed propter iniquitates suas sunt ab eo derelicti: propheta autem miserationum Domini memor, invocat ipsius misericordiam super populum suum, quem à Deo desertum conqueritur.

A 1 QUis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego qui loquor justitiã, & propugnator sum ad salvandum.

2 * Quare ergo rubrum est indumentum tuum, **Apoc. 19.c.13.* & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

3 Torcular calcavi solus, & de Gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi.

4 * Dies enim ultionis in corde meo, annus **Sup.34. b.8.* redemptionis meæ venit.

5 Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsivi, & non fuit qui adjuvaret: & salvavit mihi brachiũ meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.

6 Et conculcavi populos in furore meo, & inebriavi eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum. B

7 Miserationum Domini recordabor, laudẽ Domini super omnibus quę reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domui Israël, quę largitus est eis secundùm indulgentiam suam, & secundùm multitudinẽ misericordiarum suarum.

8 Et dixit: Verumtamen populus meus est, filij non negantes: & factus est eis salvator.

9 In omni tribulatione eorum non est tribula- C
tus, & angelus faciei ejus salvavit eos: in dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus sæculi.

10 Ipsi

10 Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt spiritum sancti ejus: & conversus est eis in inimicum, & ipse debellavit eos.

11 Et recordatus est dierum sæculi Moysi, & **Exod. 14.g.29.* populi sui: * Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? ubi est qui posuit in medio ejus spiritum sancti sui?

12 Qui eduxit ad dexteram Moysen brachio majestatis suæ, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum:

13 Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem.

14 Quasi animal in campo descendens spiritus Domini ductor ejus fuit: sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.

D 15 * Attende de cælo, & vide de habitaculo **Deut. 26.c.15. Baruc.2. c.16.* sancto tuo, & gloriæ tuæ: ubi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum? super me continuerunt se.

16 Tu enim pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos: tu Domine pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuum.

17 Quare errare nos fecisti Domine de vijs tuis: indurasti cor nostrum ne timeremus te? convertere propter servos tuos, tribus hereditatis tuæ.

18 Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum: hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam.

19 Facti sumus quasi in principio, cùm non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos.

Caput LXIV.

Petit propheta ut Deus nomen suum & potentiam inimicis nota faciat: facta quoque mentione felicitatis quæ Deum expectantibus præparata est, confitetur ac luget populi sui iniquitates, immunditias & exilium, orans pro liberatione.

A 1 VTinam dirumperes cælos, & descenderes: à facie tua montes defluerent.

2 Sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis: à facie tua gentes turbarentur.

3 Cùm feceris mirabilia, non sustinebimus: descendisti, & à facie tua montes defluxerunt.

B 4 A sæculo non audierunt, neque auribus per- **1.Cor. 2.b.9.* ceperunt: * oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.

5 Occurristi lætanti, & facienti justitiam: in vijs tuis recordabuntur tui: ecce tu iratus es, & peccavimus: in ipsis fuimus semper, & salvabimur.

6 Et facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostrę: C & cecidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.

7 Non est qui invocet nomen tuum; qui consurgat, & teneat te: abscondisti faciem tuam à nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.

8 Et nunc Domine, pater noster es tu, nos verò lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.

** Ps.78. c.8.* 9 * Ne irascaris Domine satis, & ne ultrà memineris iniquitatis nostræ: ecce respice, populus tuus omnes nos.

D 10 Civitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est.

11 Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ. ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.

12 Numquid super his continebis te Domine, tacebis, & affliges nos vehementer?

Caput LXV.

Gentium conversio, & Judæorum propter iniquitates suas & idololatriam abjectio, servatis tamen paucis reliquijs ex ipsis: comminatio his qui Dei legem abjecerunt, & prospera ac nova omnia servis Dei nuntiantur: de quorum felicitate & Dei erga ipsos benignitate multis agit propheta.

A 1 QUæsierunt me qui antè non interrogabant, *Rom.10. d.20.* invenerunt qui non quæsierunt me. dixi: Ecce ego: ecce ego ad Gentem, quæ non invocabat nomen meum.

2 Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.

3 Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper: qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres:

4 Qui habitant in sepulchris, & in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem suillam, & jus profanum in vasis eorum.

5 Qui dicunt, Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es: isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.

6 Ecce scriptum est coram me: non tacebo, sed reddam & retribuam in sinum eorum.

7 Iniquitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dñs, qui sacrificaverunt super montes, & super colles exprobraverunt mihi, & remetiar opus eorum primum in sinu eorum.

8 Hæc dicit Dominus: Quomodo si inveniatur granum in botro, & dicatur: Ne dissipes illud, quoniam benedictio est: sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum. B

9 Et educam de Jacob semen, & de Juda possidentem montes meos: & hereditabunt eam electi mei, & servi mei habitabunt ibi.

10 Et erunt campestria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum, populo meo qui requisierunt me.

11 Et vos, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eam.

12 Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis: * pro eo quòd vocavi, & non respondistis: locutus sum, & non audistis: & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis. **Prov.1. c.24. Inf.66. b.4.*

13 Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce *Jer.7. c.13.* servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis.

14 Ecce servi mei lætabuntur, & vos confun- C
demini: Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.

15 Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis: & interficiet te Dominus Deus, & servos suos vocabit nomine alio.

16 In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen: & qui jurat in terra, jurabit in Deo amen: quia oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, & quia absconditæ sunt ab oculis meis.

17 * Ecce

Universidad de Sevilla Biblioteca

*Inf. 66. g. 22. Apoc. 21. a. 1.

17 * Ecce enim ego creo cælos novos, & terram novam: & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor.

18 Sed gaudebitis & exultabitis usque in sempiternum, in his quæ ego creo: quia ecce ego creo Jerusalem exultationē, & populum ejus gaudium.

D 19 Et exultabo in Jerusalem, & gaudebo in populo meo: & non audietur in eo ultrà vox fletus & vox clamoris.

20 Non erit ibi ampliùs infans dierum, & senex qui non impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.

21 Et ædificabunt domos, & habitabunt: & plantabunt vineas, & comedent fructus earum.

22 Non ædificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet: secundùm enim dies ligni, erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inveterabunt:

23 Electi mei non laborabunt frustrà, neque generabunt in conturbatione: quia semen benedictorum Domini est, & nepotes eorum cum eis.

*Psal. 31. b. 5. 24 * Eritque antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.

*Sup. 11. b. 6. 25 *Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos comedent paleas: & serpenti pulvis panis ejus: non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.

Caput LXVI.

Dominus cæli & terræ non templum respicit, quod Judæi pro loco quietis illi ædificare volebant, sed spiritum humiliatum: rejiciuntur veteris legis sacrificia: Judæorum adversus Christum ipsiusque discipulos pervicacia punienda ostenditur: de Christi nativitate & Ecclesiæ fecunditate; cui ut omnes colletentur, exhortatur, ostendens beneficia quæ à Domino recipiet, & quale futurum sit malorum judicium, & quomodo per discipulorum Christi prædicationem Gentes convertentur: de finali quoque retributione malorum & bonorum.

A 1 HÆc dicit Dominus: * Cælum sedes mea, *Act. 7. f. 49. 17. e. 24. terra autem scabellum pedum meorum, quę est ista Domus, quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ?

2 Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt universa ista, dicit Dominus. ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?

3 Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui B benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in vijs suis, & in abominationibus suis, anima eorum delectata est.

4 Unde & ego eligam illusiones eorum: & quæ *Prov. 1. c. 24. Sup. 65. b. 12. Jer. 7. c. 13. timebant, adducam eis: * Quia vocavi, & non erat qui responderet: locutus sum, & non audierunt fecerúntque malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt.

5 Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus: dixerunt fratres vestri odientes vos, & abjicientes propter nomen meum: glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia vestra: ipsi autem confundentur.

6 Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.

7 Antequam parturiret, peperit: antequam C veniret partus ejus, peperit masculum.

8 Quis audivit umquam tale? & quis vidit huic simile? numquid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul, quia parturivit & peperit Sion filios suos?

9 Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?

10 Lætamini cum Jerusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam,

11 Ut sugatis, & repleamini ab ubere consolationis ejus: ut mulgeatis, & delicijs affluatis ab D omnimoda gloria ejus.

12 Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.

13 Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Jerusalem consolabimini.

14 Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt: & cognoscetur manus Domini servis ejus, & indignabitur inimicis suis.

15 Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi E turbo quadrigæ ejus: reddere in indignatione furorē suum, & increpationem suam in flāma ignis:

16 Quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino,

17 Qui sanctificabantur, & mundos se putabant in hortis post januam intrinsecus, qui comedebant carnem suillam, & abominationem, & murem: simul consumentur, dicit Dominus.

18 Ego autem opera eorum, & cogitationes eo- F rum, venio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis, & venient & videbunt gloriam meam.

19 Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salvati fuerint, ad Gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam: in Italiam & Græciam, ad insulas longè ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam Gentibus,

20 Et adducent omnes fratres vestros de cunctis Gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filij Israël munus in vase mundo in domum Domini.

21 Et assumam ex eis in sacerdotes, & levitas, G dicit Dominus:

22 * Quia sicut cæli novi, & terra nova, quæ *Apoc. 21. a. 1. ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum.

23 Et erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato: veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.

24 Et egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me: * vermis eorum *Mar. 9. f. 45. non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt usque ad satietatem visionis omni carni.

PROPHE

PROPHETIA IEREMIÆ.

Caput Primum.

Jeremias in ventre matris sanctificatus, & tempore Josiæ regis Juda missus à Domino ad prophetandum, causatur pueritiam, sed doctus à Deo accipit robur invincibile, jubetúrque vaticinari destructionem Jerusalem sub nomine virgæ, & ollæ succensæ.

A 1 VERBA Jeremiæ filij Helciæ, de sacerdotibus qui fuerunt in Anathoth, in Terra Benjamin.

2 Quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Josiæ filij Amon regis Juda, in tertiodecimo anno regni ejus.

3 Et factum est in diebus Joakim filij Josiæ regis Juda, usque ad consummationem undecimi anni Sedeciæ filij Josiæ regis Juda, usque ad transmigrationem Jerusalem, in mense quinto.

4 Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

B 5 Priusquam te formarem in utero, novi te: & antequam exires de vulva, sanctificavi te, & prophetam in Gentibus dedi te.

6 Et dixi, A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.

7 Et dixit Dominus ad me: Noli dicere: Puer sum: quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis: & universa, quæcumque mandavero tibi, loquêris.

8 Ne timeas à facie eorum: quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus.

9 Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum: & dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo:

C 10 Ecce constitui te hodie super Gentes, & su- *Inf. 18. a. 7. per regna, * ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.

11 Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Quid tu vides Jeremia? Et dixi: Virgam vigilantem ego video.

12 Et dixit Dominus ad me: Benè vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud.

13 Et factum est verbum Domini secundò ad me, dicens: Quid tu vides? Et dixi: Ollam succensam ego video, & faciē ejus à facie Aquilonis.

*Inf. 4. b. 6. 14 Et dixit Dominus ad me: * Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.

15 Quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus: & venient & ponent unusquisque solium suum in introïtu portarum Jerusalem, & super omnes muros ejus in circuitu, & super universas urbes Juda.

D 16 Et loquar judicia mea cum eis, super omnem malitiam eorum qui dereliquerunt me, & libaverunt diis alienis, & adoraverunt opus manuum suarum.

C 17 Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum.

*Inf. 6. g. 27. 18 * Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terram, regibus Juda, principibus ejus, & sacerdotibus, & populo terræ.

19 Et bellabunt adversum te, & non prævalebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.

Caput II.

Graviter expostulat Dominus cum filiis Israël & Juda, potissimùm cum pastoribus ac prophetis, quòd non respicientes accepta à Deo varia beneficia, eo qui fons est aquæ vivæ relicto, adoraverint idola, à quibus nihil boni expectare poterant: imò cum toti essent in idololatria, rapinis & crudelitate, sese justificare nitebantur, & propterea devastandos prædicit.

1 ET factum est verbum Domini ad me, dicens: A

2 Vade, & clama in auribus Jerusalem, dicens: Hæc dicit Dominus: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur.

3 Sanctus Israël Domino, primitiæ frugum ejus: omnes, qui devorant eum, delinquunt: mala venient super eos, dicit Dominus.

4 Audite verbum Domini domus Jacob, & omnes cognationes domus Israël:

5 Hæc dicit Dominus: * Quid invenerunt pa- *Mich. 6. a. 3. tres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt à me, & ambulaverunt post vanitatem, & vani facti sunt?

6 Et non dixerunt: Ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de Terra Ægypti: qui traduxit B nos per desertum, per terram inhabitabilem & inviam, per terram sitis, & imaginem mortis, per terram, in qua non ambulavit vir, neque habitavit homo?

7 Et induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus, & optima illius: & ingressi contaminastis terram meam, & hereditatem meam posuistis in abominationem.

8 Sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me, & pastores prævaricati sunt in me: & prophetæ prophetaverunt in Baal, & idola secuti sunt.

9 Propterea adhuc judicio contendam vobiscum, ait Dominus, & cum filiis vestris disceptabo.

10 Transite ad insulas Cethim, & videte: & in C Cedar mittite, & considerate vehementer: & videte si factum est hujusce modi.

11 Si mutavit gens deos suos, & certè ipsi non sunt dij: populus verò meus mutavit gloriam suam in idolum.

12 Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus.

13 Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

14 Numquid servus est Israël, aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam?

15 Super

Universidad de Deusto
Biblioteca

15 Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem ſuam, poſuerunt terram ejus in ſolitudinem: civitates ejus exuſtæ ſunt, & non eſt qui habitet in eis.

D 16 Filij quoque Mempheos & Taphnes conſtupraverunt te uſque ad verticem.

17 Numquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam?

18 Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Aſſyriorum, ut bibas aquam fluminis?

19 Arguet te malitia tua, & averſio tua increpabit te. Scito, & vide, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.

20 A ſæculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſerviam. * In omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo, tu proſternebaris meretrix.

*Inf. 3. b. 6.

E 21 *Ego autem plantavi te vineam electam, omne ſemen verum: quomodo ergo converſa es mihi in pravum vinea aliena?

*Iſa. 5. a 1. Mat. 21. d. 33.

22 Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.

23 Quomodo dicis: Non ſum polluta, poſt Baalim non ambulavi? vide vias tuas in convalle, ſcito quid feceris: curſor levis explicans vias ſuas.

24 Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui: nullus avertet eam: omnes qui quærunt eam, non deficient: in menſtruis ejus invenient eam.

25 Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à ſiti. Et dixiſti: Deſperavi, nequaquam faciam: adamavi quippe alienos, & poſt eos ambulabo.

F 26 Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſraël, ipſi & reges eorum, principes, & ſacerdotes, & prophetæ eorum,

27 Dicentes ligno: Pater meus es tu; & lapidi: Tu me genuiſti. * verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis ſuæ dicent: Surge, & libera nos.

*Inf. 32. f. 33.

28 Ubi ſunt dij tui, quos feciſti tibi? ſurgant & liberent te in tempore afflictionis tuæ: * ſecundùm numerum quippe civitatum tuarum erant dij tui Juda.

*Inf. 11. c. 13.

29 Quid vultis mecum judicio contendere? omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus.

30 Fruſtrà percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt: devoravit gladius veſter prophetas veſtros, quaſi leo vaſtator.

31 Generatio veſtra. Videte verbum Domini: Numquid ſolitudo factus ſum Iſraëli, aut terra ſerotina? quare ergo dixit populus meus: Receſſimus, non veniemus ultrà ad te?

G 32 Numquid obliviſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? populus verò meus oblitus eſt mei diebus innumeris.

33 Quid niteris bonam oſtendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ inſuper & malitias tuas docuiſti vias tuas,

34 Et in alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum? non in foſſis inveni eos, ſed in omnibus quæ ſuprà memoravi.

35 Et dixiſti: Abſque peccato & innocens ego ſum: & propterea avertatur furor tuus à me. Ecce ego judicio contendam tecum, eò quòd dixeris: Non peccavi.

36 Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas? & ab Ægypto confunderis, ſicut confuſa es ab Aſſur.

37 Nam & ab iſta egredieris, & manus tuæ erunt ſuper caput tuum: quoniam obtrivit Dñs confidentiam tuam, & nihil habebis proſperum in ea.

CAPUT III.

Deus incomparabili clementia populum ſuum ad ſe revocat ab idololatria, in qua Juda etiam Iſraëlem exceſſit: promittens ſe aſſumpturum eos in filios, & veros paſtores eis daturum, ut Ieroſolymis in pace colant Dominum: de futura gloria & exaltatione Ieruſalem, ac Gentium ad eam congregatione, & de populi pœnitentia.

A 1 VUlgò dicitur: Si dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum: nũquid revertetur ad eam ultrà? nũquid non polluta & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.

2 Leva oculos tuos in directum, & vide ubi non proſtrata ſis: in viis ſedebas, expectans eos quaſi latro in ſolitudine: & polluiſti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis.

3 Quam ob rem prohibitæ ſunt ſtillæ pluviarum, & ſerotinus imber non fuit: frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.

4 Ergo ſaltem amodò voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es:

B 5 Numquid iraſcêris in perpetuum, aut perſeverabis in finem? Eccè locutâ es, & feciſti mala, & potuiſti.

*Sup. 2. d. 20.

6 Et dixit Dominus ad me in diebus Joſiæ regis: * Numquid vidiſti quæ fecerit averſatrix Iſraël? abiit ſibimet ſuper omnem montem excelſum, & ſub omni ligno frondoſo, & fornicata eſt ibi.

7 Et dixi, cùm feciſſet hæc omnia: Ad me revertere: & non eſt reverſa. Et vidit prævaricatrix ſoror ejus Juda,

8 Quia pro eo, quòd mœchata eſſet averſatrix Iſraël, dimiſiſſem eam, & dediſſem ei libellum repudij: & non timuit prævaricatrix Juda ſoror ejus, ſed abiit, & fornicata eſt etiam ipſa.

C

9 Et facilitate fornicationis ſuæ contaminavit terram, & mœchata eſt cum lapide & ligno.

10 Et in omnibus his non eſt reverſa ad me prævaricatrix ſoror ejus Juda in toto corde ſuo, ſed in mendacio, ait Dominus.

11 Et dixit Dominus ad me: Juſtificavit animam ſuam averſatrix Iſraël, comparatione prævaricatricis Judæ.

12 Vade, & clama ſermones iſtos contra Aquilonem, & dices: Revertere averſatrix Iſraël, ait Dominus, & non avertam faciem meam à vobis: quia ſanctus ego ſum, dicit Dominus, & non iraſcar in perpetuum.

D

13 Verumta

13 Verumtamen ſcito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es: & diſperſiſti vias tuas alienis ſub omni ligno frondoſo, & vocem meam non audiſti, ait Dominus.

14 Convertimini filij revertentes, dicit Dominus: quia ego vir veſter: & aſſumam vos unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion.

15 Et dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.

E 16 Cúmque multiplicati fueritis, & creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus: non dicent ultrà: Arca teſtamenti Domini: neque aſcendet ſuper cor, neque recordabuntur illius: nec viſitabitur, nec fiet ultrà.

17 In tempore illo vocabunt Jeruſalem Solium Domini: & congregabuntur ad eam omnes Gentes in nomine Domini in Jeruſalem, & non ambulabunt poſt pravitatem cordis ſui peſſimi.

18 In diebus illis ibit domus Juda ad domum Iſraël, & venient ſimul de terra Aquilonis, ad terram quam dedi patribus veſtris.

19 Ego autem dixi: Quomodo ponã te in filios, & tribuam tibi terram deſiderabilem, hæreditatẽ

F præclaram exercituum Gentium? Et dixi: Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis.

20 Sed quomodo ſi contemnat mulier amatorẽ ſuum, ſic contempſit me domus Iſraël, dicit Dñs.

21 Vox in viis audita eſt, ploratus & ululatus filiorum Iſraël: quoniam iniquam fecerunt viam ſuam, obliti ſunt Domini Dei ſui.

22 Convertimini filij revertentes, & ſanabo averſiones veſtras. Ecce nos venimus ad te: tu enim es Dominus Deus noſter.

G 23 Verè mendaces erant colles, & multitudo montiũ: verè in Domino Deo noſtro ſalus Iſraël.

24 Confuſio comedit laborem patrum noſtrorum ab adoleſcentia noſtra, greges eorum, & armenta eorum, filios eorum, & filias eorum.

25 Dormiemus in confuſione noſtra, & operiet nos ignominia noſtra: quoniam Domino Deo noſtro peccavimus nos, & patres noſtri, ab adoleſcentia noſtra uſque ad diem hanc: & non audivimus vocem Domini Dei noſtri.

CAPUT IV.

Promittit Dominus veniam ſi ſe verè convertant & corde circumcidant, comminando gravia mala, ſi in malis perſiſtant: quapropter luget propheta videns terram devaſtandam, & in ſolitudinem redigendam, ita tamen ut non fiat conſummatio.

A 1 SI revertêris Iſraël, ait Dominus, ad me convertere: ſi abſtuleris offendicula tua à facie mea, non commoveberis.

2 Et jurabis: Vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in juſtitia: & benedicent eum Gentes, ipſúmque laudabunt.

3 Hæc enim dicit Dominus viro Juda & Jeruſalem: * Novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas:

*Oſee. 10. 1. 12.

4 Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum viri Juda, & habitatores Jeruſalem: ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit qui extinguat, propter malitiam cogitationum veſtrarum.

5 Annuntiate in Juda, & in Jeruſalem auditum facite: loquimini, & canite tuba in terrâ: clamate fortiter, & dicite: Congregamini, & ingrediamur civitates munitas,

6 Levate ſignum in Sion. Confortamini, nolite ſtare, * quia malum ego adduco ab Aquilone, & contritionem magnam.

*Sup. 1. c. 14.

7 Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo Gentium ſe levavit: egreſſus eſt de loco ſuo, ut ponat terram tuam in ſolitudinem: civitates tuæ vaſtabuntur, remanentes abſque habitatore.

8 Super hoc accingite vos ciliciis, plangite & ululate: quia non eſt averſa ira furoris Domini à nobis. C

9 Et erit in die illa, dicit Dominus: Peribit cor regis, & cor principum: & obſtupeſcent ſacerdotes, & propheræ conſternabuntur.

10 Et dixi: Heu, heu, heu Domine Deus, ergóne decepiſti populum iſtum & Jeruſalem, dicens: Pax erit vobis: & ecce pervenit gladius uſq; ad animã.

11 In tempore illo dicetur populo huic & Jeruſalem: Ventus urens in viis, quæ ſunt in deſerto viæ filiæ populi mei, non ad ventilandum & ad purgandum.

12 Spiritus plenus ex his veniet mihi: & nunc ego loquar judicia mea cum eis.

13 Ecce quaſi nubes aſcendet, & quaſi tempeſtas currus ejus: velociores aquilis equi illius: væ nobis quoniam vaſtati ſumus. D

14 Lava à malitia cor tuũ Jeruſalem, ut ſalva fias: uſquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ?

15 Vox enim annuntiantis à Dan, & notum facientis idolum de monte Ephraim.

16 Dicite gentibus: Ecce auditum eſt in Jeruſalem cuſtodes venire de terra longinqua, & dare ſuper civitates Juda vocem ſuam.

17 Quaſi cuſtodes agrorum facti ſunt ſuper eam in gyro: quia me ad iracundiam provocavit, dicit Dominus.

18 * Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecêrunt hæc tibi: iſta malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.

*Sap. 1. 4. 3. b. 5.

19 Ventrem meum, ventrem meum doleo, ſenſus cordis mei turbati ſunt in me: non tacebo, quoniam vocem buccinæ audivit anima mea, clamorem prælij. E

20 Contritio ſuper contritionem vocata eſt, & vaſtata eſt omnis terra: repentè vaſtata ſunt tabernacula mea, ſubitò pelles meæ.

21 Uſquequò videbo fugientem, audiam vocem buccinæ?

22 Quia ſtultus populus meus me non cognovit: filij inſipientes ſunt, & vecordes: ſapientes ſunt ut faciant mala, benè autem facere neſcierunt.

23 Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili: & cælos, & non erat lux in eis.

24 Vidi montes, & ecce movebantur: & omnes colles conturbati ſunt.

25 Intuitus ſum, & non erat homo: & omne volatile cæli receſſit.

26 Aſpexi, & ecce Carmelus deſertus: & omnes urbes ejus deſtructæ ſunt à facie Domini, & à facie iræ furoris ejus. F

27 Hæc enim dicit Dominus: Deſerta erit omnis terra, ſed tamen conſummationẽ non faciam.

28 Lugebit terra, & mœrebunt cæli desuper: eò quòd locutus sum, cogitavi, & non pœnituit me, nec aversus sum ab eo.

G 29 A voce equitis & mittentis sagittam, fugit omnis civitas: ingressi sunt ardua, & ascenderunt rupes: universæ urbes derelictæ sunt, & non habitat in eis homo.

30 Tu autem vastata quid facies? cùm vestieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustrà componeris, contémpserunt te amatores tui, animam tuam quærent.

31 Vocem enim quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ: Vox filiæ Sion intermorientis, expandentísque manus suas: væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.

Caput V.

Dominus in Jerusalem quærit virum justum, ut illi misereatur: sed tam plebs quàm optimates in prævitatibus suis & idolatria indurati sunt & effusi, ideò comminatur eis vastationem ab extraneo populo, eò quòd caci & surdi facti sint, non tamen usque ad consummationem.

A 1 CIrcuite vias Jerusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei.

2 Quòd si etiam, Vivit Dominus, dixerint: & hoc falsò jurabunt.

3 Domine oculi tui respiciunt fidem: percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti.

4 Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt & stulti, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui.

B 5 Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei sui. & ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula.

6 Idcircò percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum: omnis, qui egressus fuerit ex eis, capietur: quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum, confortatæ sunt aversiones eorum.

7 Super quo propitius tibi esse potero? filij tui dereliquerunt me, & jurant in his qui non sunt dij: saturavi eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur.

*Ezech. 22. b.11. 8 Equi amatores & emissarij facti sunt: *Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.

C 9 Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? & in gente tali non ulciscetur anima mea?

10 Ascendite muros ejus, & dissipate, consummationem autem nolite facere: auferte propagines ejus, quia non sunt Domini.

11 Prævaricatione enim prævaricata est in me domus Israël, & domus Juda, ait Dominus.

12 Negaverunt Dominum, & dixerunt: Non est ipse: neque veniet super nos malum: gladium & famem non videbimus.

13 Prophetæ fuerunt in ventum locuti, & responsum non fuit in eis: hæc ergo evenient illis.

14 Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Quia locuti estis verbum istud: ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum istum in ligna, & vorabit eos.

15 Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo domus Israël, ait Dominus; gentem robustam, gentem antiquam, gentem, cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. D

16 Pharetra ejus quasi sepulchrum patens, universi fortes.

17 Et comedet segetes tuas, & panem tuum: devorabit filios tuos, & filias tuas: comedet gregem tuum, & armenta tua: comedet vineam tuam, & ficum tuam: & conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio.

18 Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in consummationem.

19 *Quòd si dixeritis: Quare fecit nobis Dominus Deus noster hæc omnia? dices ad eos: Sicut dereliquistis me, & servistis deo alieno in terra vestra, sic servietis alienis in terra non vestra. E *Inf.16. b.10.

20 Annuntiate hoc domui Jacob, & auditum facite in Juda, dicentes:

21 Audi populе stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non videtis; & aures, & non auditis.

22 Me ergo non timebitis, ait Dominus: & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit: & commovebuntur, & non poterunt: & intumescent fluctus ejus, & non transibunt illud:

23 Populo autem huic factum est cor incredulum & exasperans, recesserunt & abierunt. F

24 Et non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam & serotinam in tempore suo; plenitudinem annuæ messis custodientem nobis.

25 Iniquitates vestræ declinaverunt hæc: & peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis:

26 Quia inventi sunt in populo meo impij insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros.

27 Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo: ideò magnificati sunt & ditati.

28 Incrassati sunt & impinguati: & præterierunt sermones meos pessimè. *Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt. G *Isa.1. f.23. Zach.7. c.10.

29 Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea?

30 Stupor & mirabilia facta sunt in terra:

31 Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus?

Caput VI.

Prædicitur calamitas ac vastitas Ierosolymorum ab Assyriis, eò quòd contempserint legem Domini, nec audire voluerint increpationes; sed omnes, & potissimùm primates, propheta ac sacerdotes avaritiæ ac dolo studuerint; ideòque & ipsos & eorum sacrificia Deus abjicit: jubet ergo Propheta eos lugere, quoniam purgari conflatorio non potuerunt.

1 COnfortamini filij Benjamin in medio Jerusalem, & in Thecua clangite buccina, & super Bethacarem levate vexillum: quia malum visum est ab Aquilone, & contritio magna. A

2 Speciosæ & delicatæ assimilavi filiam Sion.

3 Ad eam venient pastores, & greges eorum: fixerunt

fixerunt in ea tentoria in circuitu: pascet unusquisque eos, qui sub manu sua sunt.

4 Sanctificate super eam bellum: consurgite, & ascendamus in meridie: væ nobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi.

5 Surgite, & ascendamus in nocte, & dissipemus domos ejus.

B 6 Quia hæc dicit Dominus exercituum: Cædite lignum ejus, & fundite circa Jerusalem aggerem: hæc est civitas visitationis, omnis calumnia in medio ejus.

7 Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam: iniquitas & vastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas & plaga.

8 Erudire Jerusalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponam te desertam, terram inhabitabilem.

9 Hæc dicit Dñs exercituum: Usque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israël: converte manum tuam quasi vindemiator ad cartallũ.

10 Cui loquar? & quem contestabor ut audiat? ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt: ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud.

C 11 Idcircò furore Domini plenus sum, laboravi sustinens: effunde super parvulum foris, & super consilium juvenum simul: vir enim cum muliere capietur, senex cum pleno dierum.

12 Et transibunt domus eorum ad alteros, agri & uxores pariter: quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus.

*Isa. 56. d.11. Inf. 8. d.10. 13 * A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student: & à propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.

14 Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax: & non erat pax.

D 15 Confusi sunt, quia abominationem fecerũt: quin potiùs confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt. quam ob rem cadent inter ruẽtes: in tẽpore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.

16 Hæc dicit Dominus: State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: * & invenietis refrigerium animabus vestris. Et dixerunt: Non ambulabimus. * Matt. 11. d.29.

17 Et constitui super vos speculatores. Audite vocem tubæ. Et dixerunt: Non audiemus.

E 18 Ideò audite Gentes, & cognosce congregatio, quanta ego faciam eis.

19 Audi terra: Ecce ego adducam mala super populũ istum, fructũ cogitationum ejus: quia verba mea non audierunt, & legem meam projecerunt.

*Isa.1. c.11. 20 *Ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suave olentem de terra longinqua? holocautomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi.

F 21 Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis patres & filij simul, vicinus & proximus peribunt.

22 Hæc dicit Dominus: Ecce populus venit de Terra Aquilonis, & gens magna consurget à finibus terræ.

23 Sagittam & scutum arripiet: crudelis est, & non miserebitur. vox ejus quasi mare sonabit: & super equos ascendent, præparati quasi vir ad prælium, adversum te filia Sion.

24 Audivimus famam ejus, dissolutæ sunt manus nostræ: tribulatio apprehendit nos, dolores ut parturientem.

25 Nolite exire ad agros, & in via ne ambuletis: quoniam gladius inimici, pavor in circuitu.

26 Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repentè veniet vastator super nos. G

27 Probatorem dedi te in populo meo robustum: & scies, & probabis viam eorum.

28 Omnes isti principes declinantes, ambulãtes fraudulenter, æs & ferrum: universi corrupti sunt.

29 Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ.

30 Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.

Caput VII.

Quòd frustrà confidant in templo, pessima perpetrantes, & prophetas audire nolentes: sicut patres eorum: quapropter denuntiat templum abjiciendum, & terram Juda redigendam in solitudinem; nec profuturam orationem Ieremiæ pro illis, nec oblata ab eis sacrificia, propter excelsa Topheth in valle filij Ennom, & multiplices ipsorum malitias.

A 1 VErbum, quod factum est ad Jeremiam à Domino, dicens:

2 Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum istud, & dic: Audite verbum Domini omnis Juda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum.

3 Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: *Bonas facite vias vestras, & studia vestra: & habitabo vobiscum in loco isto. *Inf.26. d.13.

4 Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.

5 Quoniam si benè direxeritis vias vestras, & studia vestra: si feceritis judicium inter virum & proximum ejus,

6 Advenæ, & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, & post deos alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis: B

7 Habitabo vobiscum in loco isto; in terra quã dedi patribus vestris à sæculo & usque in sęculum.

8 Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacij, qui non proderunt vobis;

9 Furari, occidere, adulterari, jurare mẽdaciter, libare Baalim, & ire post deos alienos, quos ignoratis.

10 Et venistis, & stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, & dixistis: Liberati sumus, eò quòd fecerimus omnes abominationes istas.

11 *Nũquid ergo spelunca latronũ facta est domus ista, in qua invocatũ est nomẽ meũ in oculis vestris? ego, ego sum: ego vidi, dicit Dominus. *Matt. 21.b.13. Marc. 11.c.17. Luc.19. g.46.

12 Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum à principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel:

13 Et nunc, quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus: & locutus sum ad vos manè consurgens, C

*Prouer. 1. c.24. Isa. 65. c.12. *1. Reg. 4. d.2. b.10.

surgens, & loquens, & non audistis: * & vocavi vos, & non respondistis:

14 * Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meũ,& in qua vos habetis fiduciã;& loco, quẽ dedi vobis & patribus vestris, sicut feci Silo.

15 Et projiciam vos à facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros,universum semen Ephraim.

*Inf.11. c.14. b.11. 16 * Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te.

17 Nónne vides quid isti faciunt in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem?

D 18 Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cæli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam provocent.

19 Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? nónne semetipsos in confusionem vultus sui?

20 Ideò hæc dicit Dominus Deus: Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur super locum istum, super viros, & super jumenta, & super lignum regionis, & super fruges terræ, & succendetur, & non extinguetur.

E 21 Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Holocautomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes.

22 Quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis, in die qua eduxi eos de Terra Ægypti,de verbo holocautomatum, & victimarũ.

23 Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut benè sit vobis.

24 Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam: sed abierunt in voluntatibus, & in pravitate cordis sui mali: factique sunt retrorsum & non in ante,

F 25 A die qua egressi sunt patres eorum de terra Ægypti, usque ad diem hanc. Et misi ad vos omnes servos meos prophetas per diem consurgens diluculo, & mittens.

26 Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam: sed induraverunt cervicem suam: *Inf.16. c.12. *& pejùs operati sunt, quàm patres eorum.

27 Et loquêris ad eos omnia verba hæc, & non audient te: & vocabis eos, & non respondebunt tibi.

28 Et dices ad eos: Hæc est gens, quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam: periit fides, & ablata est de ore eorum.

29 Tonde capillum tuum, & projice, & sume in directum planctum: quia projecit Dominus, & reliquit generationem furoris sui,

30 Quia fecerunt filij Juda malum in oculis meis, dicit Dominus. Posuerunt offendicula sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam:

G 31 Et ædificaverunt excelsa Thopheth,quæ est in valle filij Ennom: ut incenderent filios suos,& filias suas igni: quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo.

32 Ideò ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur ampliùs, Topheth, & Vallis filij Ennom: sed Vallis interfectionis: & sepelient in Topheth, eò quòd non sit locus.

33 Et erit morticinum populi hujus in cibos volucribus cęli,& bestiis terrę,& non erit qui abigat.

34 * Et quiescere faciam de urbibus Juda,& de plateis Jerusalem, vocem gaudij,& vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ: in desolationem enim erit terra. *Ezech. 26.c.13.

CAPUT VIII.

Quia tam reges, optimates, sacerdotes ac prophetæ, quàm reliquus populus ad idololatriam conversi sunt; & non considerato Domini judicio, omnes relicta veritate studuerunt avaritiæ ac idololatriæ, & Dominum provocantes noluerunt resipiscere; ideo ab hostibus crudelissimis affligentur.

A 1 IN illo tempore, ait Dominus: Ejicient ossa regum Juda, & ossa principum ejus, & ossa sacerdotum, & ossa prophetarum, & ossa eorum qui habitaverunt Jerusalem, de sepulchris suis:

2 Et expandent ea ad solem, & lunam, & omnem militiam cæli, quæ dilexerunt, & quibus servierunt, & post quæ ambulaverunt, & quæ quæsierunt, & adoraverunt: non colligentur, & non sepelientur: in sterquilinium super faciem terræ erunt.

3 Et eligent magis mortem quàm vitam omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima in universis locis, quæ derelicta sunt, ad quæ ejeci eos, dicit Dominus exercituum.

B 4 Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Numquid qui cadit, non resurget? & qui aversus est, non revertetur?

5 Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti.

6 Attendi, & auscultavi: nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.

C 7 Miluus in cælo cognovit tempus suum;turtur, & hirũdo,& ciconia,custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini.

8 Quomodo dicitis: Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum.

9 Confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt: verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis.

D 10 Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum heredibus: quia * à minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur: à propheta usq; ad sacerdotẽ cunĉti faciunt mendaciũ. *Isa.56. d.11. Sup.6. c.13.

11 Et sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes: Pax, pax, cùm non esset pax.

12 Confusi sunt,quia abominationem fecerunt: quinimò confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt: idcircò cadent inter corruentes, in tẽpore visitationis suæ corruẽt,dicit Dominus.

13 Congregans congregabo eos, ait Dominus: non est uva in vitibus, & non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit: & dedi eis quæ prætergressa sunt.

14 Quare

14 Quare sedemus? convenite, & ingrediamur civitatem munitam, & sileamus ibi: quia Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum *Inf.9. c.15. dedit nobis * aquam fellis: peccavimus enim Domino.

*Inf.14. d.19. 15 * Expectavimus pacem, & non erat bonum; tempus medelæ, & ecce formido.

F 16 A Dan auditus est fremitus equorum ejus, à voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra,& venerunt,& devoraverunt terram, & plenitudinem ejus;urbem, & habitatores ejus.

17 Quia ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio: & mordebunt vos, ait Dominus.

18 Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens.

G 19 Ecce vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua: Numquid Dominus non est in Sion, aut rex ejus non est in ea? Quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in sculptilibus suis, & in vanitatibus alienis?

20 Transiit messis, finita est æstas, & nos salvati non sumus.

21 Super contritione filiæ populi mei contristus sum, & contristatus, stupor obtinuit me.

22 Numquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?

CAPUT IX.

Luget propheta interficiendos de Judæa: in nullo dicit esse fidendum, cùm omnes dolosè incedant: & quia Judæa vastanda est, vult omnes assumere luctum: in solo Deo ejúsque cognitione gloriandum, qui punict tam Gentiles quam filios Israël incircumcisos corde.

A 1 QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.

2 Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt,cœtus prævaricatorum.

3 Et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij & non veritatis: confortati sunt in terra,quia de malo ad malum egressi sunt,& me non cognoverunt, dicit Dominus.

B 4 Unusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.

5 Et vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur:docuerunt enim linguam suam loqui mendacium:ut iniquè agerent, laboraverunt.

6 Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus.

7 Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego conflabo, & probabo eos: quid enim aliud faciam à facie filiæ populi mei?

C 8 *Sagitta vulnerans lingua eorum,dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. *Ps.27. a.3.

9 Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente hujusmodi non ulciscetur anima mea?

10 Super montes assumam fletum ac lamentum,& super speciosa deserti planctum: quoniam incensa sunt,eò quòd non sit vir pertransiens: & non audierunt vocem possidentis: à volucre cæli usque ad pecora transmigraverunt & recesserunt.

11 Et dabo Jerusalem in acervos arenæ,& cubilia draconum: & civitates Juda dabo in desolationem, eò quòd non sit habitator.

12 Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc, & D ad quem verbum oris Domini fiat ut annuntiet istud,quare perierit terra,& exusta sit quasi desertum, eò quòd non sit qui pertranseat?

13 Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulaverunt in ea:

14 Et abierunt post pravitatem cordis sui, & post Baalim: quod didicerunt à patribus suis.

15 Idcircò hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: * Ecce ego cibabo populum istum *Inf.23. d.15. absinthio, & potum dabo eis aquam fellis.

16 Et dispergam eos in Gentibus,quas non no- E verunt ipsi & patres eorum: & mittam post eos gladium, donec consumantur.

17 Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Contemplamini, & vocate lamentatrices, & veniant: & ad eas, quæ sapientes sunt, mittite, & properent:

18 Festinent, & assumant super nos lamentum: deducant oculi nostri lacrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis.

19 Quia vox lamentationis audita est de Sion: F Quomodo vastati sumus & confusi vehementer? quia dereliquimus terram, quoniam dejecta sunt tabernacula nostra.

20 Audite ergo mulieres verbum Domini: & assumant aures vestræ sermonem oris ejus: & docete filias vestras lamentum, & unaquæque proximam suam planctum.

21 Quia ascendit mors per fenestras nostras,ingressa est domos nostras, disperdere parvulos deforis, juvenes de plateis.

22 Loquere: Hæc dicit Dominus: & cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis, & quasi fœnum post tergum metentis, & non est qui colligat.

23 Hæc dicit Dominus: * Non glorietur sa- G piens in sapientia sua, & non glorietur fortis in *1 Cor.1. d.31. 2. Cor. 10.d.17. fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis:

24 Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam,& judicium, & justitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus.

25 Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium,

26 Super Ægyptum, & super Juda, & super Edom, & super filios Ammon, & super Moab, & super omnes qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto: quia omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israël incircumcisi sunt corde.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPUT X.

Non est timenda cælestis constellatio, nec vanissima ac imbecillia idola; sed Dominus qui solus est Deus, creator ac gubernator omnium, qui vastabit peccatores terra: plangit suum malum Ierusalem, & cùm hominis non sit suas vias dirigere, orat Deum ne eos qui ipsum cognoscunt, ad internecionem deleat, sed in hostes potius Iudæorum suum effundat furorem.

A 1 AUdite verbum, quod locutus est Dominus super vos domus Israël.

2 Hæc dicit Dominus: Juxta vias Gentium nolite discere: & à signis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes:

*Sap.13. c.11.14. a.8. 3 Quia leges populorum vanæ sunt: quia *lignũ de saltu pręcidit opus manus artificis in ascia.

4 Argento & auro decoravit illud: clavis & malleis compegit, ut non dissolvatur.

5 In similitudinem palmæ fabricata sunt, & non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent. nolite ergo timere ea, quia nec malè possunt facere, nec benè.

*Mich. 7.d.18. 6 * Non est similis tui Domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine.

*Apoc. 15.b.4. 7 *Quis non timebit te ô rex Gentium? tuum est enim decus: inter cunctos sapientes Gentium, & in universis regnis eorum nullus est similis tui.

8 Pariter insipientes & fatui probabuntur: doctrina vanitatis eorum lignum est.

B 9 Argentum involutum de Tharsis affertur, & aurum de Ophaz: opus artificis, & manus ærarij: hyacinthus & purpura indumentum eorum. opus artificum universa hæc.

10 Dominus autem Deus verus est: ipse Deus vivens, & rex sempiternus. ab indignatione ejus commovebitur terra: & non sustinebunt Gentes comminationem ejus.

11 Sic ergo dicetis eis: Dij, qui cælos & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ sub cælo sunt.

*Gen.1. a.1. Inf.51. b.15. 12 * Qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cælos.

13 Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cælo, & elevat nebulas ab extremitatibus terræ:

*Ps.134. b.7. Inf.51. b.16. *fulgura in pluviam facit, & educit ventum de thesauris suis.

14 Stultus factus est omnis homo à scientia, confusus est artifex omnis in sculptili: quoniam falsum est quod conflavit, & non est spiritus in eis.

C 15 Vana sunt, & opus risu dignum: in tempore visitationis suæ peribunt.

16 Non est his similis pars Jacob: qui enim formavit omnia, ipse est: & Israël virga hereditatis ejus: Dominus exercituum nomen illi.

17 Congrega de terra confusionem tuam, quæ habitas in obsidione.

18 Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego longè projiciam habitatores terræ in hac vice: & tribulabo eos ita ut inveniantur.

19 Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea. Ego autem dixi: Planè hæc infirmitas mea est, & portabo illam.

20 Tabernaculum meum vastatum est, omnes funiculi mei diruptí sunt, filij mei exierunt à me, & non subsistunt: non est qui extendat ultrà tentorium meum, & erigat pelles meas.

D 21 Quia stultè egerunt pastores, & Dominum non quæsierunt: propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est.

22 Vox auditionis ecce venit, & commotio magna de terra Aquilonis: ut ponat civitates Juda solitudinem, & habitaculum draconum.

23 Scio Domine quia non est hominis via ejus: nec viri est ut ambulet, & dirigat gressus suos.

*Ps.6.a.2. 24 * Corripe me Domine, verumtamen in judicio; & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.

*Ps.78.b.6. 25 * Effunde indignationem tuam super Gentes, quæ non cognoverunt te; & super provincias, quæ nomen tuum non invocaverunt: quia comederunt Jacob, & devoraverunt eum, & consumpserunt illum, & decus ejus dissipaverunt.

CAPUT XI.

Quia maledicitur qui non audit nec servat pactum Dominũ patribus datum, ideò præcipitur prophetæ ut illud servandum Iudæis prædicet, sed frustrà, cùm magis sequantur patrum suorum scelera, variámque idololatriam; idcircò inferet Dominus inevitabilia in illos mala, nec proderunt eis idola, vel justorum oratio, neque quòd prius à Deo dilecti fuerint: refert prava Iudæorum studia de ipso ex terra delendo: sed perdentur qui nolunt audire prophetam in nomine Domini.

A 1 VErbum, quod factum est à Domino ad Jeremiam, dicens:

2 Audite verba pacti hujus, & loquimini ad viros Juda, & habitatores Jerusalem,

3 Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus,

4 Quod præcepi patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea, dicens: Audite vocem meam, & facite omnia quæ præcipio vobis, & eritis mihi in populum & ego ero vobis in Deum:

5 Ut suscitem juramentum, quod juravi patribus vestris, daturum me eis terram fluentem lacte & melle, sicut est dies hæc. Et respondi, & dixi: Amen Domine.

6 Et dixit Dominus ad me: Vociferare omnia verba hæc in civitatibus Juda, & foris Jerusalem, dicens: Audite verba pacti hujus, & facite illa:

7 Quia contestans contestatus sum patres vestros, in die qua eduxi eos de Terra Ægypti, usque ad diem hanc: manè consurgens contestatus sum, & dixi: Audite vocem meam:

B 8 Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam: sed abierunt unusquisque in pravitate cordis sui mali: & induxi super eos omnia verba pacti hujus, quod præcepi ut facerent, & non fecerunt.

9 Et dixit Dominus ad me: Inventa est conjuratio in viris Juda, & in habitatoribus Jerusalem.

10 Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum priores, qui noluerunt audire verba mea: & hi ergo abierunt post deos alienos, ut servirent eis: irritum fecerunt domus Israël & domus Juda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum.

11 Quam ob rem hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt:

poterunt: & clamabunt ad me, & non exaudiã eos.

12 Et ibunt civitates Juda, & habitatores Jerusalem, & clamabunt ad deos, quibus libant, & non salvabunt eos in tempore afflictionis eorum.

*Sup.2. f.28. C 13 * Secundùm numerum enim civitatum tuarum, erant dij tui Juda: & secundùm numerum viarum Jerusalem, posuisti aras confusionis, aras ad libandum Baalim.

*Sup.7. c.16. Infr.14. b.11. 14 * Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem, & orationem: quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum.

15 Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?

16 Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ, grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta ejus.

17 Et Dominus exercituum qui plantavit te, locutus est super te malum, pro malis domus Israël & domus Juda, quæ fecerunt sibi ad irritandum me, libantes Baalim.

D 18 Tu autem Domine demonstrasti mihi, & cognovi: tunc ostendisti mihi studia eorum.

19 Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: & non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.

*Infr. 17.b.10. 20.c.12. 20 * Tu autem Domine Sabaoth, qui judicas justè, & probas renes & corda, videam ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam.

21 Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam, & dicunt: Non prophetabis in nomine Domini, & non morieris in manibus nostris.

22 Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego visitabo super eos: juvenes morientur in gladio, filij eorum & filiæ eorum morientur in fame.

23 Et reliquiæ non erunt ex eis: inducam enim malum super viros Anathoth, annum visitationis eorum.

CAPUT XII.

Miratur propheta malorum prosperitatem, qui tamen parantur ad diem occisionis, sùntque terræ causa luctus: hereditas adversata est Domino suo, & pastores demolii sunt vineam Domini, ideo traditur in dissipationem, cujus tamen rursùm miserebitur Dominus, vastatis ipsius inimicis.

A *Iob.21. a.7. Hab.1. d.13. 1 IUstus quidem tu es Domine, si disputem tecum: verumtamen justa loquar ad te: * Quare via impiorum prosperatur: benè est omnibus, qui prævaricantur & iniquè agunt?

2 Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum: propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.

3 Et tu Domine nosti me, vidisti me, & probasti cor meum tecum: congrega eos quasi gregẽ ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis.

4 Usquequò lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur, propter malitiam habitantium in ea? consumptum est animal, & volucre: quoniam dixerunt: Non videbit novissima nostra.

5 Si cum peditibus currens laborasti: quomodo contendere poteris cum equis? cùm autem in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Jordanis?

B 6 Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversum te, & clamaverunt post te plena voce: ne credas eis cùm locuti fuerint tibi bona.

7 Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.

8 Facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem, ideò odivi eam.

9 Numquid avis discolor hereditas mea mihi? numquid avis tincta per totũ? venite, congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum.

C 10 Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam: dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis.

11 Posuerunt eam in dissipationem, luxítque super me: desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est qui recogitet corde.

12 Super omnes vias deserti venerunt vastatores, quia gladius Domini devorabit ab extremo terræ usque ad extremum ejus: non est pax universæ carni.

D 13 Seminaverunt triticum, & spinas messuerunt, hereditatẽ acceperũt, & non eis proderit: confundemini à fructibus vestris propter irã furoris Dñi.

14 Hæc dicit Dominus adversũ omnes vicinos meos pessimos, qui tangũt hereditatem, quam distribui populo meo Israël: Ecce ego evellam eos de terra sua, & domum Juda evellam de medio eorũ.

15 Et cùm evulsero eos, convertar, & miserebor eorum: & reducam eos, virum ad hereditatem suam, & virum in terram suam.

16 Et erit: si eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo, Vivit Dominus, sicut docuerunt populum meum jurare in Baal: ædificabuntur in medio populi mei.

17 Quòd si non audierint: evellam gentem illam evulsione & perditione, ait Dominus.

CAPUT XIII.

Sicut lumbare Ieremiæ absconditum in Euphrate computruit; sic Iudæa primùm Domino adhærens, propter superbiam & idololatriam ab ipso abjicitur, omnésque dispergentur: revocantur tamen à Propheta, ut sua pœnitentia devitent mala, alioquì Iudæ auferetur propter suas iniquitates, qui ad pœnitentiam nequit adduci ob inveteratam in malis consuetudinem: interponitur etiam Prophetæ commiseratio.

A 1 HÆc dicit Dominus ad me: Vade, & posside tibi lumbare lineum, & pones illud super lumbos tuos, & in aquam non inferes illud.

2 Et possedi lumbare juxta verbum Domini, & posui circa lumbos meos.

3 Et factus est sermo Dñi ad me, secundò, dicẽs:

4 Tolle lumbare, quod possedisti, quod est circa lumbos tuos, & surgens vade ad Euphraten, & absconde ibi illud in foramine petræ.

5 Et abij, & abscondi illud in Euphrate, sicut præceperat mihi Dominus.

6 Et factum est post dies plurimos, dixit Dñs ad me: Surge, vade ad Euphraten: & tolle inde lumbare, quod præcepi tibi ut absconderes illud ibi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

7 Et abij ad Euphraten, & fodi, & tuli lumbare de loco, ubi absconderam illud: & ecce computruerat lumbare, ita ut nulli usui aptũ esset.
8 Et factum est verbum Domini ad me, dicens:
B 9 Hæc dicit Dominus: Sic putrescere faciam superbiam Juda, & superbiam Jerusalem multam:
10 Populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, & ambulant in pravitate cordis sui: abierúntque post deos alienos ut servirent eis, & adorarent eos: & erunt sicut lumbare istud, quod nulli usui aptum est.
11 Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israël, & omnem domum Juda, dicit Dominus: ut essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam: & non audierunt.
12 Dices ergo ad eos sermonem istum: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Omnis laguncula implebitur vino. Et dicent ad te: Numquid ignoramus quia omnis laguncula implebitur vino?
13 Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Ecce ego implebo omnes habitatores terræ hujus, & reges qui sedent de stirpe David super thronum ejus, & sacerdotes, & prophetas, & omnes habitatores Jerusalem, ebrietate:
C 14 Et dispergã eos virum à fratre suo, & patres & filios pariter, ait Dominus: non parcam, & non cõcedam: neque miserebor ut non disperdam eos.
15 Audite, & auribus percipite. Nolite elevari, quia Dominus locutus est.
16 Date Domino Deo vestro gloriam antequã contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos: exspectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis, & in caliginem.
17 Quòd si hoc non audieritis, in abscondito
* Thren. 1. v. 2. plorabit anima mea à facie superbiæ: * plorans plorabit, & deducet oculus meus lacrymam, quia captus est grex Domini.
18 Dic regi, & dominatrici: Humiliamini, sedete: quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ.
19 Civitates Austri clausæ sunt, & non est qui aperiat: translata est omnis Juda transmigratione perfecta.
20 Levate oculos vestros, & videte qui venitis ab Aquilone: ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?
D 21 Quid dices cùm visitaverit te? tu enim docuisti eos adversum te, & erudisti in caput tuum: numquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem?
* Infr. 30. c. 14. 22 Quòd si dixeris in corde tuo: Quare venerunt mihi hæc? * Propter multitudinem iniquitatis tuæ revelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ.
23 Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.
24 Et disseminabo eos quasi stipulam, quæ vento rapiatur in deserto.
25 Hæc sors tua, pársque mensuræ tuæ à me, dicit Dominus, quia oblita es mei, & confisa es in mendacio.
26 Unde & ego nudavi femora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua,
27 Adulteria tua, & hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ super colles in agro vidi abominationes tuas. Væ tibi Jerusalem, non mundaberis post me: usquequò adhuc?

CAPUT XIV.

Siccitas magna in terra Iuda propter peccata populi, & orans Propheta pro ejus liberatione & misericordia, prohibetur à Domino pro ipsis orare: nec suscipit Deus eorum jejunia & victimas: prophetæ etiam illis securitatem promittentes una cum ipsis peribunt: luget Ieremias mortuos gladio & fame, populique peccata confitens orat pro misericordia.

A 1 QUod factum est verbum Domini ad Jeremiam de sermonibus siccitatis.
2 Luxit Judæa, & portæ ejus corruerunt, & obscuratæ sunt in terra, & clamor Jerusalẽ ascendit.
3 Maiores miserunt minores suos ad aquam: venerunt ad hauriendum, non invenerunt aquam, reportaverunt vasa sua vacua: confusi sunt & afflicti, & operuerunt capita sua.
4 Propter terræ vastitatem, quia non venit pluvia in terram, confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua.
5 Nam & cerva in agro peperit, & reliquit: quia non erat herba.
6 Et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.
7 Si iniquitates nostræ responderint nobis: Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt aversiones nostræ, tibi peccavimus.
B 8 Expectatio Israël, salvator ejus in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?
9 Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare? tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos.
10 Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos, & non quievit, & Domino non placuit: Nunc recordabitur iniquitatum eorum, & visitabit peccata eorum.
11 Et dixit Dominus ad me: * Noli orare pro * Sup. 7. v. 16. 11. v. 14. populo isto in bonum.
12 Cùm jejunaverint, non exaudiam preces eorum: & si obtulerint holocautomata, & victimas, non suscipiam ea, quoniam gladio, & fame, & peste consumam eos.
13 Et dixi, A a a, Domine Deus: Prophetæ * Sup. 5. v. 12. dicunt eis: * Non videbitis gladium, & fames non Infr. 23. d. 17. erit in vobis, sed pacẽ verã dabit vobis in loco isto.
14 Et dixit Dominus ad me: * Falsò prophe- * Inf. 29. b. 9. tæ vaticinantur in nomine meo: non misi eos, & C non præcepi eis, neque locutus sum ad eos: visionem mendacem, & divinationem, & fraudulentiam, & seductionem cordis sui prophetant vobis.
15 Idcircò hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes: Gladius & fames non erit in terra hac: In gladio & fame consumentur prophetæ illi.
16 Et populi, quibus prophetant, erunt projecti in viis Jerusalem præ fame & gladio, & non erit qui sepeliat eos; ipsi & vxores eorum, filij & filiæ eorum: & effundam super eos malum suum.

* Thren. 1. v. 16. 2. v. 18. 17 Et dices ad eos verbum istud: * Deducant oculi mei lacrymam per noctem & diem, & non taceant: quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer.
D 18 Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio, & si introiero in civitatem, ecce attenuati fame. Propheta quoque & sacerdos abierunt in terram, quam ignorabant.
19 Numquid projiciens abjecisti Judam? aut Sion abominata est anima tua? quare ergo percus-
* Sup. 8. v. 15. sisti nos, ita ut nulla sit sanitas? * expectavimus pacem, & non est bonum; & tempus curationis, & ecce turbatio.
20 Cognovimus Domine impietates nostras, iniquitates patrũ nostrorũ, quia peccavimus tibi.
21 Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam solij gloriæ tuæ: recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiscum.
22 Numquid sunt in sculptilibus Gentium qui pluant? aut cæli possunt dare imbres? nónne tu es Dominus Deus noster, quem expectavimus? tu enim fecisti omnia hæc.

CAPUT XV.

Nec Moysi nec Samuelis precibus flectendum se dicit Dominus, quin populum Ierusalem tradat pesti, gladio, fami, & captivitati, quia castigatus non est emendatus: conqueritur propheta quòd fuerit occasio discordiæ, rursúmque quòd annuntians verbum Dei passus sit opprobrium, cui Dominus promittit auxilium cum vastatione Iudæorum: promittit præterea & robur, & liberationem, ac misericordiam his qui ad ipsum se convertent.

A 1 ET dixit Dominus ad me: Si steterit Moyses & Samuel coram me, nõ est anima mea ad populum istũ: ejice illos à facie mea, & egrediantur?
2 Quòd si dixerint ad te: Quò egrediemur,
* Zach. 11. v. 9. dices ad eos: Hæc dicit Dominus: * Qui ad mortem, ad mortem: & qui ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem: & qui ad captivitatem, ad captivitatem.
3 Et visitabo super eos quattuor species, dicit Dominus: Gladium ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli & bestias terræ ad devorandum & dissipandum.
4 Et dabo eos in fervorem universis regnis
* 4. Reg. 21. a. 2. b. 11. terræ: * propter Manassem filium Ezechiæ regis Juda, super omnibus quæ fecit in Ierusalem.
5 Quis enim miserebitur tui Jerusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?
6 Tu reliquisti me, dicit Dominus, retrorsum abiisti: & extendam manum meam super te, & interficiam te: laboravi rogans.
B 7 Et dispergam eos ventilabro in p ortis terræ: interfeci, & disperdidi populum meum, & tamen à viis suis non sunt reversi.
8 Multiplicatæ sunt mihi viduæ ejus super arenam maris: induxi eis super matrem adolescentis vastatorem meridie: misi super civitates repentè terrorem.
* 1. Reg. 2. a. 5. * Amos. 8. v. 9. 9 * Infirmata est quæ peperit septem, defecit anima ejus: * occidit ei sol, cùm adhuc esset dies: confusa est, & erubuit: & residuos ejus in gladium dabo in conspectu inimicorum eorũ, ait Dominus.
10 Væ mihi mater mea: quare genuisti me, virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam: omnes maledicunt mihi.
11 Dicit Dominus: Si non reliquiæ tuæ in bo- C num, si non occurri tibi in tempore afflictionis, & in tempore tribulationis aduersus inimicum.
12 Numquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, & æs?
13 Divitias tuas & thesauros tuos in direptionem dabo gratis, in omnibus peccatis tuis, & in omnibus terminis tuis.
14 Et adducam inimicos tuos de terra, quam nescis: quia ignis succensus est in furore meo, super vos ardebit.
15 Tu scis Domine, recordare mei, & visita me, & tuere me ab his qui persequuntur me, noli in patientia tua suscipere me: scito quoniam sustinui propter te opprobrium.
16 Inventi sunt sermones tui, & comedi eos, D & factum est mihi verbum tuum in gaudium & in lætitiam cordis mei: quoniam invocatum est nomẽ tuum super me, Domine Deus exercituum.
17 * Non sedi in consilio ludentium, & gloria- * Psal. 1. a. 1. 25. b. 4. tus sum à facie manus tuæ: solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.
18 * Quare factus est dolor meus perpetuus, & * Infr. 30. c. 15. plaga mea desperabilis renuit curari? facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.
19 Propter hoc hæc dicit Dominus: Si convertêris, convertam te, & ante faciem meam stabis: & si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris: convertentur ipsi ad te, & tu non convertêris ad eos.
20 Et dabo te populo huic in murum æreum, fortem: & bellabunt adversum te, & non prævalebunt: quia ego tecum sum ut salvem te, & eruam te, dicit Dominus.
21 Et liberabo te de manu pessimorum, & redimam te de manu fortium.

CAPUT XVI.

Prohibet Dominus ne Propheta uxorem ducat, denuntians Iudæos vario mortis genere interituros, ita ut mortui non sepeliantur nec plangantur à vivis propter idololatriam patrum ac filiorum, & derelictam legem Domini: sed postea per piscatores ac venatores reducet eos Dominus in terram suam in qua ipsi vna cum Gentibus confitebuntur Domino peccata sua.

A 1 ET factum est verbum Domini ad me, dicẽs:
2 Non accipies uxorem, & non erunt tibi filij & filiæ in loco isto.
3 Quia hæc dicit Dominus super filios & filias qui generantur in loco isto, & super matres eorum, quæ genuerunt eos: & super patres eorum, de quorum stirpe sunt nati in terra hac:
4 Mortibus ægrotationum morientur: non plangentur, & non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt: & gladio & fame consumentur, & erit cadaver eorum in escam volatilibus cæli, & bestiis terræ.
5 Hæc enim dicit Dominus: Ne ingrediaris domum cõvivij, neque vadas ad plangendum, neque cõsoleris eos: quia abstuli pacem meam à populo isto, dicit Dñs, misericordiã & miserationes.
6 Et morientur grandes & parvi in terra ista: non sepelientur neque plangentur, & non se incident, neque calvitium fiet pro eis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

B 7 Et non frangẽt inter eos lugenti panẽ ad consolandum ſuper mortuo: & non dabunt eis potũ calicis ad cõſolandum ſuper patre ſuo & matre.

8 Et domum convivij non ingrediaris,ut ſedeas cum eis, & comedas & bibas:

9 Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego auferam de loco iſto in oculis veſtris, & in diebus veſtris, vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ.

10 Et cùm annuntiaveris populo huic omnia verba hæc, & dixerint tibi: * Quare locutus eſt Dominus ſuper nos omne malum grande iſtud? quæ iniquitas noſtra? & quod peccatum noſtrum, quod peccavimus Domino Deo noſtro?

* Supr. 5. c. 19.

C 11 Dices ad eos: Quia dereliquerunt me patres veſtri, ait Dominus: & abierunt poſt deos alienos, & ſervierunt eis, & adoraverunt eos: & me dereliquerunt,& legem meã nõ cuſtodierunt.

12 Sed & vos * pejus operati eſtis,quàm patres veſtri: ecce enim ambulat unuſquiſque poſt pravitatem cordis ſui mali, ut me non audiat.

* Sup. 7. f. 26.

13 Et ejiciam vos de terra hac, in terram,quam ignoratis vos, & patres veſtri: & ſervietis ibi diis alienis die ac nocte,qui non dabunt vobis requiẽ.

14 Propterea ecce dies veniunt dicit Dominus, & non dicetur ultrà: Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de Terra Ægypti.

15 Sed,Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de Terra Aquilonis, & de univerſis terris,ad quas ejeci eos: & reducam eos in terram ſuam, quam dedi patribus eorum.

D 16 Ecce ego mittam piſcatores multos,dicit Dominus, & piſcabuntur eos: & poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte,& de omni colle,& de cavernis petrarum.

17 Quia oculi mei ſuper omnes vias eorum: non ſunt abſconditæ à facie mea, & non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis.

18 Et reddam primùm duplices iniquitates, & peccata eorum: quia contaminaverunt terram meam in morticinis idolorum ſuorum, & abominationibus ſuis impleverunt hereditatem meam.

19 Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die tribulationis: ad te Gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem,quæ eis non profuit.

20 Numquid faciet ſibi homo deos, & ipſi non ſunt dij?

21 Idcircò ecce ego oſtendam eis per vicem hanc, oſtendam eis manum meam, & virtutem meam,& ſcient quia nomen mihi Dominus.

Caput XVII.

Iudæi in peccato obſtinati, & ob id vaſtandi dicuntur: maledictus qui confidit in homine, & benedictus qui in Deo confidit: ſolus Deus ſcrutatur corda, & cuique reddit juxta viam ſuam: petit propheta à Deo in quo ſpem habuit,liberari, & inimicos confundi: præcipit Deus de obſervando ſabbato, ut omnia ſint ipſi Ieruſalem proſpera, quæ alioqui igne conſumetur.

A 1 PEccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorũ.

2 Cùm recordati fuerint filij eorum ararum ſuarum, & lucorum ſuorum, lignorúmque frondentium, in montibus excelſis.

3 Sacrificantes in agro: fortitudinem tuam, & omnes theſauros tuos in direptionem dabo,excelſa tua propter peccata in univerſis finibus tuis.

4 Et relinquêris ſola ab hereditate tua, quam dedi tibi: & ſervire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras: quoniam ignem ſuccendiſti in furore meo, uſque in æternum ardebit.

5 Hæc dicit Dominus: * Maledictus homo, qui confidit in homine,& ponit carnem brachium ſuum,& à Domino recedit cor ejus.

* Iſai. 30.a.2. 31.a. 1. Infr. 48. a. 7.

6 * Erit enim quaſi myricæ in deſerto, & non videbit cùm venerit bonum: ſed habitabit in ſiccitate in deſerto,in terra ſalſuginis,& inhabitabili.

* Infr. 48.a.6.

7 Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.

8 * Et erit quaſi Gignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas: & non timebit cùm venerit æſtus.Et erit folium ejus viride,& in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando deſinet facere fructum.

* Pſ. 1. a. 3.

B 9 Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud?

10 Ego Dominus * ſcrutans cor,& probans renes: qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum.

* 1. Reg. 16. Pſ. 7. b. 10. Apoc. 2. g. 23.

11 Perdix fovit quæ non peperit: fecit divitias,& non in judicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas,& in noviſſimo ſuo erit inſipiens.

12 Solium gloriæ altitudinis à principio, locus ſanctificationis noſtræ.

13 Exſpectatio Iſraël Domine: omnes, qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terra ſcribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum:

C 14 Sana me Domine, & ſanabor: ſalvum me fac, & ſalvus ero: quoniam laus mea tu es.

15 Ecce ipſi dicunt ad me: Ubi eſt verbum Domini? veniat.

16 Et ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens: & diem hominis non deſideravi. tu ſcis: Quod egreſſum eſt de labiis meis,rectum in conſpectu tuo fuit.

17 Non ſis tu mihi formidini, ſpes mea tu in die afflictionis.

18 Confundantur qui me perſequuntur, & non confundar ego: paveant illi, & non paveam ego: induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos.

19 Hæc dicit Dominus ad me: Vade, & ſta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur reges Juda, & egrediuntur, & in cunctis portis Ieruſalem.

20 Et dices ad eos: Audite verbum Domini reges Juda, & omnis Juda: cunctique habitatores Ieruſalem, qui ingredimini per portas iſtas.

21 Hæc dicit Dominus: Cuſtodite animas veſtras,& nolite portare pondera in die ſabbati, nec inferatis per portas Ieruſalem.

22 Et nolite ejicere onera de domibus veſtris in die ſabbati, & omne opus non facietis: ſanctificate diem ſabbati,ſicut præcepi patribus veſtris.

D 23 Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem ſuam: ſed induraverunt cervicem ſuam, ne audirent me, & ne acciperent diſciplinam.

24 Et erit: Si audieritis me, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis hujus in die ſabbati: & ſi ſanctificaveritis diem ſabbati, ne faciatis in eo omne opus:

25 Ingredientur per portas civitatis hujus reges & principes, ſedentes ſuper ſolium David,& aſcendentes in curribus & equis, ipſi & principes eorum, viri Juda, & habitatores Ieruſalem: & habitabitur civitas hæc in ſempiternum.

26 Et venient de civitatibus Juda, & de circuitu Ieruſalem,& de Terra Benjamin,& de campeſtribus,& de montuoſis,& ab Auſtro,portantes holocauſtum, & victimam,& ſacrificium,& thus, & inferent oblationem in domum Domini.

27 Si autem non audieritis me ut ſanctificetis diem ſabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Ieruſalem in die ſabbati: ſuccendam ignem in portis ejus, & devorabit domos Ieruſalem, & non extinguetur.

Caput XVIII.

Exemplo figuli oſtendit Dominus in manu ſua eſſe domum Iſraël, ut juxta ipſorum merita eis faciat, etiam ſi prius aliud ſe facturum dixerit: propter obſtinatam Iudæorum malitiam denuntiatur eis interitus: conſpiratio Iudæorum contra Ieremiam, ipſius quoque ad Deum lamentatio, & pœnarum quæ inimicos ſequentur denuntiatio.

A 1 VErbum,quod factum eſt ad Jeremiam à Domino, dicens:

2 Surge, & deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea.

3 Et deſcendi in domum figuli, & ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam.

4 Et diſſipatum eſt vas, quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis: converſúſque fecit illud vas alterum,ſicut placuerat in oculis ejus ut faceret.

5 Et factum eſt verbum Domini ad me,dicẽs:

* Iſa. 45. b. 9. Rom. 9. c. 20.

6 * Numquid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere, domus Iſraël, ait Dominus? ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſraël.

* Sup. 1. c. 10.

7 Repentè loquar adverſum gentem & adverſus regnum, * ut eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud.

8 Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam:agam & ego pœnitentiam ſuper malo,quod cogitavi ut facerem ei.

9 Et ſubitò loquar de gente & de regno, ut ædificem & plantem illud.

B 10 Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam: pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum ut facerem ei.

11 Nunc ergo dic viro Juda, & habitatoribus Ieruſalem, dicens: Hæc dicit Dominus: Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem: *revertatur unuſquiſque à via ſua mala, & dirigite vias veſtras & ſtudia veſtra.

*4. Reg. 17. c. 13. Infr. 25. a. 5. 35. c. 15. Ionæ 3. c. 9.

12 Qui dixerunt: Deſperavimus: poſt cogitationes enim noſtras ibimus,& unuſquiſque pravitatem cordis ſui mali faciemus.

13 Ideò hæc dicit Dominus: Interrogate Gentes: Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Iſraël?

14 Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut evelli poſſunt aquæ erumpentes frigidæ, & defluentes?

C 15 Quia oblitus eſt mei populus meus,fruſtrà libantes, & impingentes in viis ſuis, in ſemitis ſæculi,ut ambularent per eas in itinere non trito:

16 *Ut fieret terra eorum in deſolationem,& in ſibilum ſempiternum: omnis qui præterierit per eam obſtupeſcet, & movebit caput ſuum.

* Inf. 19. b. 8. 49. c. 13. 50. b. 13.

17 Sicut ventus urens diſpergam eos coram inimico: dorſum, & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum.

18 Et dixerunt: Venite, & cogitemus contra Jeremiam cogitationes:non enim peribit lex à ſacerdote, neque conſilium à ſapiente, nec ſermo à propheta: venite, & percutiamus eum lingua,& non attendamus ad univerſos ſermones ejus.

19 Attende Domine ad me, & audi vocem adverſariorum meorum.

D 20 Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? Recordare quòd ſteterim in conſpectu tuo, ut loquerer pro eis bonum,& averterem indignationem tuam ab eis.

21 Propterea da filios eorum in famẽ,& deduc eos in manus gladij;fiant uxores eorum abſque liberis, & viduæ: & viri earum interficiantur morte:juvenes eorum confodiantur gladio in prælio.

22 Audiatur clamor de domibus eorum:adduces enim ſuper eos latronem repentè: quia foderunt foveam ut caperent me, & laqueos abſconderunt pedibus meis.

23 Tu autem Domine ſcis omne conſilium eorum adverſum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conſpectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

Caput XIX.

Ieremias per lagunculam terream quam fregit, oſtendit populum Ieruſalem,perdendum gladio & fame in obſidione in qua patres filios comedant, propter multiplicem ipſorum idololatriam & contemptum verbi Dei.

A 1 HÆc dicit Dominus: Vade, & accipe lagunculam figuli teſteam à ſenioribus populi,& à ſenioribus ſacerdotum:

2 Et egredere ad vallem filij Ennom, quæ eſt juxta introïtum portæ fictilis: & prædicabis ibi verba, quæ ego loquar ad te.

3 Et dices: Audite verbum Domini reges Juda, & habitatores Ieruſalem: hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego inducam afflictionem ſuper locum iſtum, ita ut omnis qui audierit illam, tinniant aures ejus.

4 Eò quòd dereliquerint me,& alienum fecerint locum iſtum: & libaverunt in eo diis alienis, quos neſcierunt ipſi, & patres eorum, & reges Juda: & repleverunt locum iſtum ſanguine innocentum.

5 Et ædificaverunt excelſa Baalim, ad comburendos filios ſuos igni in holocauſtum Baalim:quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.

B 6 Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: & non vocabitur ampliùs locus iſte Topheth, & Vallis filij Ennom, ſed Vallis occiſionis.

7 Et diſſipabo conſilium Juda & Ieruſalem in loco

Universidad de Deusto
Biblioteca

loco isto : & subvertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum,& in manu quærentium animas eorum : & dabo cadavera eorum, escam volatilibus cæli, & bestiis terræ.

*Sup. 18.c.16. Inf. 49. c.13.50. b.13.

8 * Et ponam civitatem hanc in stuporem : & in sibilum : omnis,qui præterierit per eam,obstupescet, & sibilabit super uniuersa plaga ejus.

C 9 Et cibabo eos carnibus filiorum suorum, & carnibus filiarum suarum : & unusquisque carnem amici sui comedet in obsidione, & in angustia, in qua concludent eos inimici eorum, & qui quærunt animas eorum.

10 Et conteres lagunculam in oculis virorum, qui ibunt tecum.

11 Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus exercituum : Sic conteram populum istum, & civitatem istam, sicut conteritur vas figuli,quod non potest ultrà instaurari : & in Topheth sepelientur, eò quòd non sit alius locus ad sepeliendum.

12 Sic faciam loco huic, ait Dominus, & habitatoribus ejus : & ponam civitatem istam sicut Topheth.

D 13 Et erunt domus Jerusalem,& domus regum Juda, sicut locus Topheth, immundæ : omnes domus,in quarum domatibus sacrificaverunt omni militiæ cæli, & libaverunt libamina diis alienis.

14 Venit autem Jeremias de Topheth, quò miserat eum Dominus ad prophetandum,& stetit in atrio domus Domini, & dixit ad omnē populū:

15 Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël : Ecce ego inducam super civitatem hanc, & super omnes urbes ejus, universa mala,quæ locutus sum adversum eam : quoniam induraverunt cervicem suam, ut non audirent sermones meos.

Caput XX.

Percussus Ieremias mittitur à Phassur in nervum, & ab eodem edūctus vaticinatur illi tamquam pseudopheta & omnibus amicis ejus, totique Judæa captivitatem Babylonicam : conqueritur se rideri & pati opprobrium ac persecutionem ob verbum Domini, maledicitque diei nativitatis suæ.

A 1 ET audivit Phassur filius Emmer sacerdos, qui constitutus erat princeps in domo Domini, Jeremiam prophetantem sermones istos.

2 Et percussit Phassur Jeremiam prophetam, & misit eum in nervum, quod erat in porta Benjamin superiori, in domo Domini.

3 Cúmque illuxisset in crastinum, eduxit Phassur Jeremiam de nervo,& dixit ad eum Jeremias : Non Phassur vocavit Dominus nomen tuum, sed pavorem undique.

4 Quia hæc dicit Dominus : Ecce ego dabo te in pavorem,te & omnes amicos tuos:& corruent gladio inimicorum suorum,& oculi tui videbunt: & omnem Judam dabo in manum regis Babylonis : & traducet eos in Babylonem, & percutiet eos gladio.

B 5 Et dabo universam substantiam civitatis hujus, & omnem laborem ejus, omnéque pretium, & cunctos thesauros regum Juda dabo in manu inimicorum meorum : & diripient eos, & tollent, & ducent in Babylonem.

6 Tu autemPhassur, & omnes habitatores domus tuæ, ibitis in captivitatem : & in Babylonem venies, & ibi morieris, ibique sepelieris tu, & omnes amici tui, quibus prophetasti mendacium.

7 Seduxisti me Domine, & seductus sum:fortior me fuisti, & invaluisti:factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me.

8 Quia jam olim loquor, vociferans iniquitatem,& vastitatem clamito : & factus est mihi sermo Domini in opprobrium,& in derisum tota die.

9 Et dixi : Non recordabor ejus, neque loquar ultrà in nomine illius : & factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, clausúsque in ossibus meis: & defeci, ferre non sustinens.

10 Audivi enim contumelias multorum,& terrorem in circuitu : Persequimini, & persequamur eum : ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, & custodientes latus meum : si quo modo decipiatur, & prævaleamus adversus eum, & consequamur ultionem ex eo. C

11 Dominus autem mecum est quasi bellator fortis : idcircò qui persequuntur me,cadent,& infirmi erunt : confundentur vehementer, * quia non intellexerunt opprobrium sempiternum,quod numquam delebitur. *Inf.23. g. 40.

12 Et tu Domine exercituum * probator justi, qui vides renes & cor : videam quæso ultionem tuam ex eis : tibi enim revelavi causam meam. *Sup. 11.d.20. 17.b.10.

13 Cantate Domino, laudate Dominum : quia liberavit animam pauperis de manu malorum.

14 * Maledicta dies, in qua natus sum ; dies,in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. *Iob.3. a. 2.

D 15 Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo, dicens : Natus est tibi puer masculus : & quasi gaudio lætificavit eum.

16 Sit homo ille ut sunt civitates, quas subvertit Dominus, & non pœnituit eum : audiat clamorem manè,& ululatum in tempore meridiano:

17 Qui non me interfecit à vulva, ut fieret mihi mater mea sepulchrum, & vulva ejus conceptus æternus.

18 Quare de vulva egressus sum,ut viderem laborem & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei ?

Caput XXI.

Respondet Ieremias nuntiis Sedecia regis super obsidione regis Nabuchodonosor. Iudam vastandum peste, gladio, fame & captivitate, solósque eos victuros qui transfugerint ad Chaldæos: hortatur etiam ut faciant judicium, ne indignatio Domini penitus ipsos consumat.

A 1 VERBUM, quod factum est ad Jeremiam à Domino, quando misit ad eum rex Sedecias Phassur filium Melchiæ, & Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, dicens :

2 Interroga pro nobis Dominum, quia Nabuchodonosor rex Babylonis præliatur adversum nos : si fortè faciat Dominus nobiscum secundùm omnia mirabilia sua, & recedat à nobis.

3 Et dixit Jeremias ad eos : Sic dicetis Sedeciæ:

4 Hæc dicit Dominus Deus Israël : Ecce ego convertam vasa belli,quæ in manibus vestris sunt, & quibus vos pugnatis adversum regem Babylonis, & Chaldæos, qui obsident vos in circuitu murorū:& cōgregabo ea in medio civitatis hujus.

5 Et debellabo ego vos in manu extenta, & in brachio forti, & in furore, & in indignatione, & in ira grandi. B

6 Et

6 Et percutiam habitatores civitatis hujus, homines & bestiæ pestilentia magna morientur.

7 Et post hæc ait Dñs:dabo Sedeciam regem Juda,& servos ejus,& populum ejus, & qui derelicti sunt in civitate hac à peste, & gladio,& fame, in manu Nabuchodonosor regis Babylonis,& in manu inimicorum eorum, & in manu quærentium animam eorum, & percutiet eos in ore gladij, & non flectetur, neque parcet, nec miserebitur.

C 8 Et ad populū hunc dices:Hæc dicit Dominus: Ecce ego do coram vobis viam vitæ,& viā mortis.

*Inf.38. a.2. 9 * Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio,& fame,& peste : qui autem egressus fuerit,& transfugerit ad Chaldæos,qui obsident vos,vivet, & erit ei anima sua, quasi spolium.

10 Posui enim faciem meam super civitatem hanc in malum,& non in bonum,ait Dominus:in manu regis Babylonis dabitur,& exuret eam igni.

11 Et domui regis Juda:Audite verbū Domini,

*Inf.22. a.3. 12 Domus David, hæc dicit Dominus : * Judicate manè judicium, & eruite vi oppressum de

D manu calumniantis : nè fortè egrediatur ut ignis indignatio mea,& succendatur, & non sit qui extinguat,propter malitiam studiorum vestrorum.

13 Ecce ego ad te habitatricem vallis solidæ atque campestris,ait Dominus : qui dicitis : Quis percutiet nos ? & quis ingredietur domos nostras?

14 Et visitabo super vos juxta fructum studiorū vestrorum,dicit Dominus:& succendam ignem in saltu ejus : & devorabit omnia in circuitu ejus.

Caput XXII.

Hortatur regem Iuda & populum ejus ut faciant judicium & justitiam,quo omnia prosperè ipsis succedant; alioqui erunt omnes in direptionem : quodque Sellum sive Ioakim filius Iosiæ regis Inda non sit in Ierusalem reversurus : increpat eos qui ex injustitia ædificant, promittentes sibi felicitatem patrum justorum : vaticinatur adversus impium Ioakim filium Iosiæ, quòd sepultura sit carituras, & hujus filius impiissimus Iechonias cum matre ducendus in Babylonem, ibique morituras.

A 1 HÆc dicit Dominus : Descende in domum regis Juda,& loquēris ibi verbum hoc,

2 Et dices : Audi verbum Domini rex Juda,qui sedes super solium David ; tu & servi tui, & populus tuus, qui ingredimini per portas istas.

*Sup.22. d.12. 3 Hæc dicit Dominus : * Facite judicium & justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris : & advenam, & pupillum,& viduam nolite contristare,neque opprimatis iniquè:& sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto.

B 4 Si enim facientes feceritis verbum istud:ingredientur per portas domus hujus,reges sedentes de genere David super thronū ejus,& ascendētes currus & equos, ipsi & servi,& populus eorum.

5 Quòd si non audieritis verba hæc:in memetipso juravi, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus hæc.

6 Quia hæc dicit Dominus super domum regis Juda : Galaad tu mihi caput Libani : si non posuero te solitudinem, urbes inhabitabiles.

7 Et sanctificabo super te, interficientem virum & arma ejus : & succident electas cedros tuas, & præcipitabunt in ignem.

C 8 Et pertransibunt gentes multæ per civitatem

*Deut. 29.d 24. 3. Reg.9. b. 8. hanc : & dicet unusquisque proximo suo : *Quare fecit Dominus sic civitati huic grandi ?

9 Et respondebunt : Eò quòd dereliquerin tpactum Domini Dei sui, & adoraverint deos alienos, & servierint eis.

10 Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu:plangite eum, qui egreditur, quia non revertetur ultrà,nec videbit terram nativitatis suæ.

11 Quia hæc dicit Dominus ad Sellum filium Josiæ regem Juda,qui regnavit pro Josia patre suo, qui egressus est de loco isto : Non revertetur huc ampliùs : A

12 Sed in loco, ad quem transtuli eum, ibi morietur,& terram istam non videbit ampliùs.

13 Væ qui ædificat domum suam in injustitia, D & cœnacula sua non in judicio : amicum suum opprimet frustrà,& mercedem ejus non reddet ei.

14 Qui dicit : Ædificabo mihi domum latam, & cœnacula spatiosa : qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingítque sinopide.

15 Numquid regnabis, quoniam confers te cedro ? pater tuus numquid non comedit & bibit,& fecit judicium & justitiam tunc cùm benè erat ei?

16 Judicavit causam pauperis & egeni in bonum suum : numquid non ideò quia cognovit me, dicit Dominus ?

17 Tui verò oculi & cor ad avaritiam,& ad sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis.

18 Propterea hæc dicit Dominus ad Joakim filium Josiæ regem Juda : Non plangent eum : Væ frater & væ soror : non concrepabunt ei : Væ Domine, & væ inclyte. E

19 Sepultura asini sepelietur,putrefactus & projectus extra portas Jerusalem.

20 Ascende Libanum, & clama : & in Basan da vocem tuam, & clama ad transeuntes, quia contriti sunt omnes amatores tui.

21 Locutus sum ad te in abundantia tua;& dixisti : Non audiam : hæc est via tua ab adolescentia tua, quia non audisti vocem meam.

22 Omnes pastores tuos pascet ventus, & amatores tui in captivitatem ibunt : & tunc confundēris, & erubesces ab omni malitia tua. F

23 Quæ sedes in Libano, & nidificas in cedris, quomodo congemuisti, cum venissent tibi dolores, quasi dolores parturientis ?

24 Vivo ego,dicit Dominus : quia si fuerit Jechonias filius Joakim regis Juda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.

25 Et dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu quorum tu formidas faciem,& in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manu Chaldæorum.

26 Et mittam te, & matrem tuam quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibíque moriemini : G

27 Et in terram ad quam ipsi levant animam suam ut revertantur illuc, non revertentur.

28 Numquid vas fictile atque contritum vir iste Jechonias ? numquid vas absque omni voluptate? quare abjecti sunt ipse & semen ejus, & projecti in terram, quam ignoraverunt ?

29 Terra, terra,terra,audi sermonem Domini.

30 Hæc dicit Dominus:Scribe virum istum sterilem,virum qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David,& potestatem habeat ultrà in Juda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput XXIII.

Comminatur Dominus pastoribus qui gregem dispergunt ac lacerant, promittens se reducturum reliquias gregis ad locum suum, eo suscitaturum pastores & germen David justum, sub quo magna fruentur felicitate: vaticinatur quoque pseudoprophetis æternum opprobrium, qui populum decipiunt, volentes ut obliviscatur nominis Domini, & prophetant absque Dei voluntate, sermonem Domini Onus appellantes.

A Ezech. 34.c.2. 1 VÆ pastoribus, qui disperdunt & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus.

2 Ideò hæc dicit Dominus Deus Israël ad pastores, qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, & ejecistis eos, & non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus.

3 Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas ejecero eos illuc: & convertam eos ad rura sua: & crescent & multiplicabuntur.

* Sup. 3. d. 15. * Isaiæ 4.a.2. 40.v.11. 45.b.8. Inf. 33. c. 14. Ezech. 34.v.12. Dan. 9. f.24. Joan. 1. g. 45. * Deut. 33.d.28.

4 Et * suscitabo super eos pastores, & pascent eos: non formidabunt ultrà, & non pavebunt: & nullus quæretur ex numero, dicit Dominus.

5 * Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo David germen justum: & regnabit rex, & sapiens erit: & faciet judicium & justitiã in terra.

6 In diebus illis salvabitur Juda, & * Israël habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.

7 Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent ultrà: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israël de Terra Ægypti:

B * Sup. 16.c.14.

8 Sed: * Vivit Dominus, qui eduxit & adduxit semen domus Israël de Terra Aquilonis, & de cũctis terris, ad quas ejeceram eos illuc: & habitabunt in terra sua.

9 Ad prophetas: Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea: factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à vino, à facie Dñi, & à facie verborũ sanctorũ ejus.

10 Quia adulteris repleta est terra, quia à facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arva deserti: factus est cursus eorum malus, & fortitudo eorum dissimilis.

C 11 Propheta namque & sacerdos polluti sunt: & in domo mea inveni malum eorum, ait Dñs.

12 Idcircò via eorum erit quasi lubricum in tenebris, impellentur enim, & corruent in ea: afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum, ait Dominus.

13 Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem: prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israël.

14 Et in prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij: & confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque à malitia sua: facti sunt mihi omnes ut Sodoma, & habitatores ejus quasi Gomorrha.

* Sup. 9. c. 15. D

15 Propterea hæc dicit Dominus exercituum ad prophetas: * Ecce ego cibabo eos absinthio, & potabo eos felle: à prophetis enim Jerusalem, egressa est pollutio super omnem terram.

* Inf. 27.b.9. 29. b.8.

16 Hæc dicit Dominus exercituum: * Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.

17 Dicunt his, qui blasphemant me: Locutus est Dñs: * Pax erit vobis: & omni, qui ambulat in pravitate cordis sui, dixerũt: Nõ veniet super vos malũ. * Sup. 5. c. 12. 14. b. 13.

18 Quis enim affuit in consilio Domini, & vidit & audivit sermonem ejus? quis consideravit verbum illius & audivit?

19 * Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet. * Inf. 30. c. 14.

20 Non revertetur furor Dñi, usque dum faciat, & usque dum compleat cogitationem cordis sui: in novissimis diebus intelligetis consilium ejus. E

21 * Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. * Inf. 27. c. 15. 29. b. 9.

22 Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo, avertissem utique eos à via sua mala, & à cogitationibus suis pessimis.

23 Putásne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus? & non Deus de longè?

24 Si occultabitur vir in absconditis: & ego non videbo eum, dicit Dominus: numquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?

25 Audivi quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniavi, somniavi.

26 Usquequò istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, & prophetantium seductiones cordis sui? F

27 Qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei propter somnia eorum, quæ narrat unusquisque ad proximum suum: sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Baal.

28 Propheta, qui habet somnium, narret somnium: & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè: quid paleis ad triticum, dicit Dominus?

29 Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petrã?

30 Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dñs, qui furantur verba mea unusquisque à proximo suo.

31 Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas, & aiunt: Dicit Dominus.

32 Ecce ego ad prophetas somniantes mendaciũ, ait Dominus, qui narraverunt ea, & seduxerunt populum meum in mendacio suo, & in miraculis suis: cùm ego non misissem eos, nec mandassem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dñs.

33 Si igitur interrogaverit te populus iste, vel propheta, aut sacerdos, dicens: Quod est onus Domini? dices ad eos: Vos estis onus. projiciam quippe vos, dicit Dominus. G

34 Et propheta, & sacerdos, & populus qui dicit: Onus Domini: visitabo super virum illum, & super domum ejus.

35 Hæc dicetis unusquisque ad proximum, & ad fratrem suum: Quid respondit Dominus? & quid locutus est Dominus?

36 Et onus Dñi ultrà non memorabitur: quia onus erit unicuique sermo suus: & pervertistis verba Dei viventis, Domini exercituum Dei nostri.

37 Hæc dices ad prophetam: Quid respondit tibi Dominus? & quid locutus est Dominus?

38 Si autem onus Domini dixeritis: propter hoc hæc dicit Dominus: Quia dixistis sermonem istum: Onus Domini: & misi ad vos, dicens: Nolite dicere: Onus Domini:

39 Propte

39 Propterea ecce ego tollam vos portans, & derelinquam vos, & civitatem quam dedi vobis & patribus vestris, à facie mea.

40 * Et dabo vos in opprobrium sempiternum, & in ignominiam æternam, quæ numquam oblivione delebitur. * Sup. 20.c.11.

Caput XXIV.

Calathus bonarum ficuum designat captivos in Babylonia Judæos, quos dicit Dominus se reducturum in terram suam, qui toto corde ad ipsum revertentur: calathus autem malarum ficuum significat eos qui manserant Jerosolymis, ac postea fugerant in Ægyptum, quos dicit se daturum in opprobrium & maledictionem.

A 1 OStendit mihi Dominus: & ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templum Domini, postquam transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis Jechoniam filium Joakim regem Juda, & principes ejus, & fabrum, & inclusorem, de Jerusalem, & adduxit eos in Babylonem.

2 Calathus unus ficus bonas habebat nimis, ut solent ficus esse primi temporis: & calathus unus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant; eò quòd essent malæ.

B 3 Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Jeremia? Et dixi: Ficus, ficus bonas, bonas valdè; & malas, malas valdè, quæ comedi non possunt, eò quòd sint malæ.

4 Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

5 Hæc dicit Dominus Deus Israël: Sicut ficus hæ bonæ: sic cognoscam transmigrationem Juda, quam emisi de loco isto in Terram Chaldæorum, in bonum.

C 6 Et ponam, oculos meos super eos ad placandum, & reducam eos in terram hanc: & ædificabo eos, & non destruã: & plantabo eos, & non evellã.

7 Et dabo eis cor ut sciant me, quia ego sum Dominus: * & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deũ: quia revertentur ad me in toto corde suo. * Sup. 7. c. 23. * Inf. 31.f.33. Inf. 29. d. 17.

8 * Et sicut ficus pessimæ, quæ comedi non possunt, eò quòd sint malæ: hæc dicit Dominus, sic dabo Sedeciam regem Juda, & principes ejus, & reliquos de Jerusalem, qui remanserunt in urbe hac, & qui habitant in terra Ægypti. D

9 Et dabo eos in vexationem, afflictionémque omnibus regnis terræ; in opprobrium, & in parabolam, & in proverbium, & in maledictionem in universis locis, ad quæ ejeci eos.

10 Et mittam in eis gladium, & famem, & pestem: donec consumantur de terra, quam dedi eis, & patribus eorum.

Caput XXV.

Quia noluerunt audire Jeremiam nec reliquos Prophetas adhortantes ad pœnitentiam, prædicit excidium Jerosolymorum, & captivitatem septuaginta annorum, ac deinde perditionem regum qui ipsos tenebant captivos: quapropter jubetur Jeremias civitatibus Judæ ac cæteris regibus terrarum propinare calicem furoris Domini: ululatum quoque pronuntiat pastoribus ac optimatibus.

A 1 VErbum, quod factum est ad Jeremiam de omni populo Juda, in anno quarto Joakim filij Josiæ regis Juda (ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis.)

2 Quod locutus est Jeremias propheta ad omnem populum Juda, & ad universos habitatores Jerusalem, dicens:

3 A tertio decimo anno Josiæ filij Ammon regis Juda usque ad diem hanc; iste tertius & vigesimus annus; factum est verbum Domini ad me, & locutus sum ad vos de nocte consurgens, & loquens: & non audistis.

4 Et misit Dñs ad vos omnes servos suos prophetas, consurgens diluculo, mitténsque: & non audistis, neque inclinastis aures vestras ut audiretis.

5 cùm diceret: * Revertimini unusquisque à via sua mala, & à pessimis cogitationibus vestris: & habitabitis in terra, quam dedit Dominus vobis, & patribus vestris, à sæculo & usque in sæculum. * 4. Reg. 17.c.13. Sup. 18. b. 11. Inf. 35. c. 15.

6 Et nolite ire post deos alienos, ut serviatis eis, adoretísque eos: neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum vestrarum, & non affligam vos. B

7 Et non audistis me, dicit Dominus, ut me ad iracundiam provocaretis in operibus manuum vestrarum, in malum vestrum.

8 Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Pro eo quòd non audistis verba mea:

9 Ecce ego mittam, & assumam universas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum: & adducam eos super terram istam, & super habitatores ejus, & super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt: & interficiam eos, & ponam eos in stuporem & in sibilum, & in solitudines sempiternas.

10 Perdámque ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ, vocem molæ, & lumen lucernæ. C

11 * Et erit universa terra hæc in solitudinem, & in stuporem: & servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. * 2. Par. 36.f.22. 1. Esdr. 1. a.1.

12 Cúmque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & super terram Chaldæorum: & ponam illam in solitudines sempiternas. Inf. 26.b. 6. 29.c. 10. Dan. 9.a.2.

13 Et adducam super terram illam, omnia verba mea, quæ locutus sum contra eam, omne quod scriptum est in libro isto, quæcumque propheravit Jeremias adversum omnes gentes:

14 Quia servierunt eis, cùm essent gentes multæ, & reges magni: & reddam eis secundùm opera eorum, & secundùm facta manuum suarum.

15 Quia sic dicit Dominus exercituum Deus Israël: Sume calicem vini furoris hujus de manu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. D

16 Et bibent & turbabuntur, & insanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos.

17 Et accepi calicem de manu Domini, & propinavi cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus:

18 Jerusalẽ, & civitatibus Juda, & regibus ejus, & principibus ejus: ut darem eos in solitudinem, & in stuporem, & in sibilum, & in maledictionem, sicut est dies ista:

19 Pharaoni regi Ægypti, & servis ejus, & principibus ejus, & omni populo ejus.

20 Et universis generaliter: cunctis regibus terræ Ausitidis, & cunctis regibus terræ Philisthiim, & Ascaloni, & Gazæ, & Accaron, & reliquiis Azoti,

21 Et Idumææ, & Moab, & filiis Ammon:

22 Et cunctis regibus Tyri, & universis regibus Sidonis:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sidonis: & regibus terræ insularum, qui sunt trans mare:
23 Et Dedan, & Thema, & Buz, & universis qui attonsi sunt in comam:
24 Et cunctis regibus Arabiæ, & cunctis regibus Occidentis, qui habitant in deserto:
25 Et cunctis regibus Zambri: & cunctis regibus Elam, & cunctis regibus Medorum?
26 Cunctis quoque regibus Aquilonis de prope & de longè, unicuique contra fratrem suum: & omnibus regnis terræ, quæ super faciem ejus sunt: & rex Sesach bibet post eos.
27 Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Bibite, & inebriamini, & vomite: & cadite, neque surgatis à facie gladij, quem ego mittam inter vos.
28 Cùmque noluerint accipere calicem de manu tua ut bibant, dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Bibentes bibetis.
29 * Quia ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, & vos quasi innocentes & immunes eritis? non eritis immunes: gladium enim ego voco super omnes habitatores terræ, dicit Dominus exercituum.
30 Et tu prophetabis ad eos omnia verba hæc, & dices ad illos:* Dñs de excelso rugiet & de habitaculo sancto suo dabit vocem suam: rugiens rugiet super decorem suum: celeuma quasi calcantiũ concinetur adversus omnes habitatores terræ:
31 Pervenit sonitus usque ad extrema terræ: quia judicium Domino cum gẽtibus: judicatur ipse cũ omni carne, impios tradidi gladio, dicit Dñs.
32 Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce afflictio egredietur de gente in gentem: & turbo magnus egredietur à summitatibus terræ.
33 Et erunt interfecti Domini in die illa à summo terræ usque ad summum ejus: non plangentur, & non colligentur, neque sepelientur: in sterquilinium super faciem terræ jacebunt.
34 Ululate pastores, & clamate: & aspergite vos cinere optimates gregis: quia completi sunt dies vestri, ut interficiamini; & dissipationes vestræ, & cadetis quasi vasa pretiosa.
35 Et peribit fuga à pastoribus, & salvatio ab optimatibus gregis.
36 Vox clamoris pastorum, & ululatus optimatum gregis: quia vastavit Dominus pascua eorum.
37 Et conticuerunt arva pacis à facie iræ furoris Domini,
38 Dereliquit quasi leo umbraculum suum, quia facta est terra eorum in desolationem à facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris Domini.

Caput XXVI.

Prophetans Ieremias excidium Ierosolymorum nisi resipiscant, comprehenditur à sacerdotibus & prophetis, sed liberatur per principes seniores ne occidatur, prolatis exemplis Michæ & Uriæ prophetarum.

1 IN principio regni Ioakim filij Iosiæ regis Juda, factum est verbum istud à Domino, dicens:
2 Hæc dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini, & loquêris ad omnes civitates Juda, de quibus veniunt ut adorent in domo Domini, universos sermones, quos ego mandavi tibi ut loquaris ad eos: noli subtrahere verbum,
3 Si fortè audiant & convertantur unusquisque à via sua mala: & pœniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum.
4 Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam dedi vobis.
5 Ut audiatis sermones servorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, & dirigens, & non audistis:
6 * Dabo domum istam sicut Silo, & urbem hãc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ.
7 Et audierũt sacerdotes, & prophetę, & omnis populus, Jeremiã loquentẽ verba hæc in domo Dñi.
8 Cùmque complesset Jeremias, loquens omnia quæ præceperat ei Dominus ut loqueretur ad universum populum; apprehenderunt eum sacerdotes, & prophetæ, & omnis populus, dicens: Morte moriatur.
9 Quare prophetavit in nomine Domini, dicẽs: Sicut Silo erit domus hæc: & urbs ista desolabitur, eò quòd non sit habitator? Et congregatus est omnis populus adversus Jeremiam in domo Domini.
10 Et audierunt principes Juda hæc: & ascenderunt de domo regis in domum Domini, & sederunt in introitu portæ domus Domini nouæ.
11 Et locuti sunt sacerdotes & prophetæ ad principes, & ad omnem populum, dicentes: Judicium mortis est viro huic: quia prophetavit adversus civitatem istã, sicut audistis auribus vestris.
12 Et ait Jeremias ad omnes principes, & ad universum populum: dicens: * Dominus misit me, ut prophetarem ad domum istam, & ad civitatem hanc, omnia verba quæ audistis. *
13 Nunc ergo bonas facite vias vestras, & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri: & pœnitebit Dñm mali, quod locutus est adversum vos.
14 Ego autem ecce in manibus vestris sum: facite mihi quod bonum & rectum est in oculis vestris:
15 Verumtamen scitote & cognoscite, quòd si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, & contra civitatẽ istam, & habitatores ejus, in veritate enim misit me Dñs ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba hęc.
16 Et dixerunt principes, & omnis populus, ad sacerdotes, & ad prophetas: Non est viro huic judicium mortis: quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos.
17 Surrexerunt ergo viri de senioribus terræ: & dixerunt ad omnem cœtum populi, loquentes:
18 Michæas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiæ regis Juda, & ait ad omnem populum Juda, dicens: Hęc dicit Dominus exercituum: * Sion quasi ager arabitur: & Jerusalem in acervum lapidũ erit: & mõs domus in excelsa silvarũ.
19 Numquid morte condemnavit eum Ezechias rex Juda, & omnis Juda? numquid non timuerunt Dominum, & deprecati sunt faciem Domini: & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat adversum eos? Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras.
20 Fuit quoque vir prophetans in nomine Dñi, Urias filius Semei de Cariathiarim: & prophetavit

tavit adversus civitatem istam, & adversus terram hanc, juxta omnia verba Jeremiæ.
21 Et audivit rex Ioakim, & omnes potentes, & principes ejus, verba hæc: & quæsivit rex interficere eum. Et audivit Urias, & timuit, fugitque & ingressus est Ægyptum.
22 Et misit rex Ioakim viros in Ægyptum Elnathan filiũ Achobor, & viros cũ eo in Ægyptũ.
23 Et eduxerunt Uriam de Ægypto: & adduxerunt eum ad regem Ioakim, & percussit eum gladio: & projecit cadaver ejus in sepulchris vulgi ignobilis.
24 Igitur manus Ahicam filij Saphan fuit cum Jeremia: ut non traderetur in manus populi, & interficerent eum.

Caput XXVII.

Vinculis ad varios reges missis, dicit illos, si servire velint regi Babylonis eiúsque posteris, permansuros in terra sua; alioqui perituros gladio, fame & peste, invehens in pseudoprophetas qui aliud vaticinantur, fallentes populum: prædicit etiam sacra vasa quæ reliqua sunt transferenda in Babylonem, & tandem referenda Ierosolymam.

1 IN principio regni Ioakim filij Josiæ regis Juda, factum est verbum istud ad Jeremiam à Domino, dicens:
2 Hæc dicit Dominus ad me: Fac tibi vincula, & catenas: & pones eas in collo tuo.
3 Et mittes eas ad regem Edom, & ad regem Moab, & ad regem filiorum Ammon, & ad regem Tyri, & ad regem Sidonis; in manu nuntiorum, qui venerunt Jerusalem ad Sedeciam regem Juda.
4 Et præcipies eis ut ad dominos suos loquantur: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Hæc dicetis ad dominos vestros:
5 Ego feci terram, & homines, & jumenta, quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento: & dedi eam ei, qui placuit in oculis meis.
6 Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei: insuper & bestias agri dedi ei ut serviant illi.
7 Et servient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filij ejus: donec veniat tempus terræ ejus & ipsius: & servient ei gentes multæ, & reges magni.
8 Gens autem & regnum, quod non servierit Nabuchodonosor regi Babylonis, & quicumque non curvaverit collum suum sub jugo regis Babylonis: in gladio, & in fame, & in peste visitabo, super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu ejus.
9 * Vos ergo nolite audire prophetas vestros, & divinos, & somniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt vobis: Non servietis regi Babylonis.
10 Quia mendaciũ prophetant vobis: ut longè vos faciãt de terra vestra, & ejiciãt vos, & pereatis.
11 Porrò gens, quæ subjecerit cervicem suam sub jugo regis Babylonis, & servierit ei: dimittam eam in terra sua, dicit Dominus: & colet eam, & habitabit in ea.
12 Et ad Sedeciam regem Juda locutus sum secundùm omnia verba hæc, dicens: Subjicite colla vestra sub jugo regis Babylonis, & servite ei, & populo ejus, & vivetis.
13 Quare moriemini tu & populus tuus gladio, & fame, & peste, sicut locutus est Dominus ad gentem, quæ servire noluerit regi Babylonis?
14 Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis: Non servietis regi Babylonis: quia mendacium ipsi loquuntur vobis.
15 * Quia non misi eos, ait Dominus: & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter: ut ejiciant vos, & pereatis tam vos, quàm prophetæ, qui vaticinantur vobis.
16 Et ad sacerdotes, & ad populũ istum locutus sum, dicens: Hæc dicit Dñs: Nolite audire verba prophetarum vestrorum, qui prophetant vobis, dicentes: Ecce vasa Domini revertentur de Babylone nunc citò, mendacium enim prophetant vobis.
17 Nolite ergo audire eos, sed servite regi Babylonis, ut vivatis. quare datur hæc civitas in solitudinem?
18 Et si prophetæ sunt, & est verbum Domini in eis: occurrant Domino exercituum, ut non veniant vasa, quæ derelicta fuerant in domo Dñi, & in domo regis Juda, & in Jerusalẽ, in Babylonẽ.
19 Quia hæc dicit Dominus exercituum * ad columnas, & ad mare, & ad bases, & ad reliqua vasorum, quæ remanserunt in civitate hac:
20 Quæ non tulit Nabuchodonosor rex Babylonis, cùm transferret Jechoniam filium Ioakim regem Juda de Jerusalem in Babylonem, & omnes optimates Juda & Jerusalem.
21 Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël ad vasa, quę derelicta sunt in domo Domini, & in domo regis Juda & Jerusalem:
22 In Babylonem transferentur, & ibi erunt usque ad diem visitationis suæ, dicit Dominus, & afferri faciam ea, & restitui in loco isto.

Caput XXVIII.

Hananias pseudopropheta, ablatis de collo Ieremiæ catenis, vaticinatur sacra vasa cum rege & captivo populo post biennium reducenda: sed jubetur Ieremias contrarium vaticinari, & mortem illi denuntiare, quæ juxta verbum Ieremiæ eodem anno secuta est.

1 ET factum est in anno illo, in principio regni Sedeciæ regis Juda, in anno quarto, in mense quinto, dixit ad me Hananias filius Azur propheta de Gabaon, in domo Domini, coram sacerdotibus & omni populo, dicens:
2 Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Contrivi jugum regis Babylonis.
3 Adhuc duo anni dierum, & ego referri faciam ad locum istum omnia vasa domus Domini, quæ tulit Nabuchodonosor rex Babylonis de loco isto, & transtulit ea in Babylonem.
4 Et Iechoniam filium Ioakim regem Juda, & omnem transmigrationem Juda, qui ingressi sunt in Babylonem, ego convertam ad locum istum, ait Dominus: conteram enim jugum regis Babylonis.
5 Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophetam, in oculis sacerdotum, & in oculis omnis populi, qui stabat in domo Domini.
6 Et ait Jeremias propheta: Amen, sic faciat Dominus: suscitet Dominus verba tua, quæ prophetasti: ut referantur vasa in domum Domini, & omnis transmigratio de Babylone ad locũ istũ.
7 Verumtamen audi verbum hoc, quod ego loquor in auribus tuis, & in auribus universi populi:
8 Prophetæ qui fuerunt ante me & ante te ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

initio, & prophetaverunt super terras multas, & super regna magna, de prælio, & de afflictione, & de fame.

9 Propheta, qui vaticinatus est pacem: cùm venerit verbum ejus, scietur propheta, quem misit Dominus in veritate.

C 10 Et tulit Hananias propheta catenam de collo Jeremiæ prophetæ, & confregit eam.

11 Et ait Hananias in conspectu omnis populi, dicens: Hæc dicit Dominus: Sic confringam jugum Nabuchodonosor regis Babylonis post duos annos dierum de collo omnium gentium.

12 Et abiit Jeremias propheta in viam suam. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, postquam confregit Hananias propheta catenam de collo Jeremiæ prophetæ, dicens:

13 Vade, & dices Hananiæ: Hæc dicit Dominus: Catenas ligneas contrivisti: & facies pro eis catenas ferreas.

D 14 Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Jugum ferreum posui super collum cunctarum Gentium istarum, ut serviant Nabuchodonosor regi Babylonis, & servient ei: insuper & bestias terræ dedi ei.

15 Et dixit Jeremias propheta ad Hananiã prophetam: Audi Hanania: Non misit te Dominus, & tu confidere fecisti populũ istum in mendacio.

16 Idcircò hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam te à facie terræ: hoc anno morieris: adversum enim Dominum locutus es.

17 Et mortuus est Hananias propheta in anno illo, mense septimo.

Caput XXIX.

Captivos Judæos vaticinatur 70. annis in Babylone permansuros, hortatúrque ut illic multiplicari studeant, & deinde reducentur: eos verò qui Ierosolymis remanserunt, gladio, fame & peste dicit consumendos: deinde mala vaticinatur adversus Achab, Sedeciam & Semeiam pseudoprophetas, seducentes populum transmigrationis.

A 1 ET hæc sunt verba libri, quem misit Jeremias propheta de Jerusalem ad reliquias seniorum transmigrationis, & ad sacerdotes, & ad prophetas, & ad omnem populum, quem traduxerat Nabuchodonosor de Jerusalem in Babylonem:

2 Postquam egressus est Jechonias rex, & domina, & eunuchi, & principes Juda & Jerusalem, & faber & inclusor de Jerusalem:

3 In manu Elasa filij Saphan, & Gamariæ filij Helciæ, quos misit Sedecias rex Juda ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Babylonẽ, dicens:

4 Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël omni transmigrationi, quam transtuli de Jerusalem in Babylonem:

5 Ædificate domos, & habitate: & plantate hortos, & comedite fructum eorum.

B 6 Accipite uxores, & generate filios & filias: & date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris, & pariant filios & filias: & multiplicamini ibi, & nolite esse pauci numero.

7 Et quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci: & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis.

Sup. 14. b. 13. 23. d. 16. f. 26. 27. c. 15. 8 Hæc enim Dicit Dominus exercituum Deus Israël: * Non vos seducant prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrûm, & divini vestri: & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis:

9 Quia falsò ipsi prophetant vobis in nomine meo: & non misi eos, dicit Dominus.

10 * Quia hæc dicit Dominus: Cùm cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos: & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum. C *Sup. 25. c. 12. 2. Par. 36. d. 21. 1. Esd. 1. a. 1. Dan. 9. a. 2.*

11 Ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis, ut dem vobis finem & patientiam.

12 Et invocabitis me: & ibitis: & orabitis me, & ego exaudiam vos.

13 Quæretis me, & invenietis: cùm quæsieritis me in toto corde vestro.

14 Et inveniar à vobis, ait Dominus: & reducam captivitatem vestram, & congregabo vos de universis gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expuli vos, dicit Dominus: & reverti vos faciam de loco, ad quem transmigrare vos feci. D

15 Quia dixistis: suscitavit nobis Dominus Prophetas in Babylone.

16 Quia hæc dicit Dominus ad regem, qui sedet super solium David, & ad omnem populum habitatorem urbis hujus, ad fratres vestros, qui non sunt egressi vobiscum in transmigrationem.

17 Hæc dicit Dominus exercituum: * Ecce mittam in eos gladium, & famem, & pestem: & ponam eos quasi ficus malas, quæ comedi non possunt, eò quòd pessimæ sint. *Sup. 24. d. 9. 10.*

18 Et persequar eos in gladio, & in fame, & in pestilentia: & dabo eos in vexationem universis regnis terræ; in maledictionem, & in stuporem: & in sibilum, & in opprobrium cunctis Gentibus, ad quas ego ejeci eos:

19 Eò quòd non audierint verba mea, dicit Dominus: quæ misi ad eos per servos meos prophetas, de nocte consurgens, & mittens: & non audistis, dicit Dominus. E

20 Vos ergo audite verbum Domini, omnis transmigratio, quam emisi de Jerusalem in Babylonem:

21 Hęc dicit Dominus exercituum Deus Israël ad Achab filium Colię, & ad Sedeciã filiũ Maasię, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis: & percutiet eos in oculis vestris.

22 Et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Juda, quæ est in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne:

23 Pro eo quòd fecerint stultitiam in Israël, & mœchati sunt in uxores amicorum suorum, & locuti sunt verbum in nomine meo mẽdaciter, quod non mãdavi eis: ego sum judex & testis, dicit Dñs. F

24 Et ad Semeian Nehelamiten dices:

25 Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Pro eo quòd misisti in nomine tuo libros ad omnem populum, qui est in Jerusalem, & ad Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, & ad universos sacerdotes, dicens:

26 Dominus dedit te sacerdotem pro Joiade sacerdote, ut sis dux in domo Domini super omnem virum arreptitium & prophetantem, ut mittas eum in nervum & in carcerem.

27 Et

27 Et nunc quare non increpasti Jeremiam Anathothiten, qui prophetat vobis?

G 28 Quia super hoc misit in Babylonem ad nos, dicens: Longum est: ædificate domos, & habitate: & plantate hortos, & comedite fructus eorum.

29 Legit ergo Sophonias sacerdos librum istum in auribus Jeremiæ prophetæ.

30 Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens:

31 Mitte ad omnem transmigrationem, dicens: Hæc dicit Dominus ad Semeiam Nehelamiten: Pro eo quòd prophetavit vobis Semeias, & ego non misi eum: & fecit vos confidere in mendacio.

32 Idcircò hæc dicit Dominus: Ecce ego visitabo super Semeiam Nehelamiten, & super semen ejus: non erit ei vir sedens in medio populi hujus, & non videbit bonum, quod ego faciam populo meo, ait Dominus, quia prævaricationem locutus est adversus Dominum.

Caput XXX.

Vaticinatur Iudæis & filiis Israël reditum à gravi captivitate, in qua propter peccata sua detinebantur; & quòd post reditum servituri sint Domino, ac David regi, quem ille suscitabit eis in prosperitate & securitate magna, devastatis ipsorum inimicis.

A 1 HOc verbum, quod factum est ad Jeremiam à Domino, dicens:

2 Hæc dicit Dominus Deus Israël, dicens: Scribe tibi omnia verba, quæ locutus sũ ad te, in libro.

3 Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus: & convertam conversionem populi mei Israël & Juda, ait Dominus: & convertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum: & possidebunt eam.

4 Et hæc verba, quæ locutus est Dominus ad Israël & ad Judam:

5 Quoniam hæc dicit Dominus: Vocem terroris audivimus: formido, & non est pax.

6 Interrogate, & videte si generat masculus: quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis, & conversæ sunt universæ facies in auruginem?

Ioel 2. a. 2. c. 11. Amos 5. e. 18. Soph. 1. d. 15. 7 * Væ, quia magna dies illa, nec est similis ejus: tempúsque tribulationis est Jacob, & ex ipso salvabitur.

B 8 Et erit in die illa, ait Dominus exercituum: conteram jugum ejus de collo tuo, & vincula ejus dirumpã, & non dominabuntur ei ampliùs alieni:

9 Sed servient Domino Deo suo, & David regi suo, quem suscitabo eis.

Isa. 45. a. 1. 44. a. 2. Luc. 1. g. 70. 10 * Tu ergo ne timeas serve meus Jacob, ait Dominus, neque paveas Israël: quia ecce ego salvabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra captivitatis eorũ: & revertetur Jacob, & quiescet, & cunctis affluet bonis, & non erit quem formidet:

11 Quoniam tecum ego sum, ait Dominus, ut salvem te: faciam enim consummationem in cunctis Gentibus, in quibus dispersi te: te autem non faciam in consummationem: sed castigabo te in judicio, ut non videaris tibi innoxius.

12 Quia hæc dicit Dominus: Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.

C 13 Non est qui judicet judicium tuum ad alligandum: curationum utilitas non est tibi.

14 Omnes amatores tui obliti sunt tui, téque non quærent: * plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. *Sup. 23. d. 19.

15 Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hæc tibi.

16 Propterea omnes, qui comedunt te, devorabuntur: & universi hostes tui in captivitatem ducentur: & qui te vastant, vastabuntur, cunctósque prædatores tuos dabo in prædam.

17 Obducam enim cicatricem tibi, & à vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus. Quia ejectam vocaverunt te Sion: Hæc est, quæ non habebat requirentem.

18 Hæc dicit Dominus: Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Jacob, & tectis ejus miserebor, & ædificabitur civitas in excelso suo, & templum juxta ordinem suum fundabitur. D

19 Et egredietur de eis laus, vóxque ludentium: & multiplicabo eos, & non minuentur: & glorificabo eos, & non attenuabuntur.

20 Et erunt filij ejus sicut à principio, & cœtus ejus coram me permanebit: & visitabo adversum omnes qui tribulant eum.

21 Et erit dux ejus ex eo: & princeps de medio ejus producetur: & applicabo eum, & accedet ad me. quis enim iste est, qui applicet cor suum ut appropinquet mihi, ait Dominus?

22 Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.

23 Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum conquiescet.

24 Non avertet iram indignationis Dominus, donec faciat & compleat cogitationem cordis sui: in novissimo dierum intelligetis ea.

Caput XXXI.

Dicit Dominus se reducturum populum Israël de captivitate, ut in affluentia bonorum serviat Domino: jubetur ergo Rachel non flere amplius filios suos: agnoscit Israel se meritò castigatum, ideòque pœnitentiam agit: de novitate quæ fœmina circumdabit virum: vigilabit Dominus ad reducendum Israël: de uva acerba: de novo pacto quod feriet Dominus cum domo Israël, nec abjiciet unquam universum illius semen.

A 1 IN tempore illo, dicit Dominus: Ero Deus universis cognationibus Israël, & ipsi erunt mihi in populum.

2 Hæc dicit Dominus. Invenit gratiam in deserto populus, qui remanserat à gladio: vadet ad requiem suam Israël.

3 Longè Dominus apparuit mihi. Et in charitate perpetua dilexi te: ideò attraxi te, miserans.

4 Rursúmque ædificabo te, & ædificaberis virgo Israël: adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium.

5 Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ: plantabunt plantantes, & donec tempus veniat non vindemiabunt:

6 Quia erit dies, in qua clamabunt custodes in monte Ephraim: * Surgite, & ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum.

7 Quia hæc dicit Dominus: Exultate in lætitia Jacob, & hinnite contra caput Gentium: personate & canite, & dicite: Salva Domine populum tuum, reliquias Israël. *Isa. 2. a. 3. Mich. 4. a. 2.

8 Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, B

Universidad de Deusto
Biblioteca

& congregabo eos ab extremis terræ : inter quos erunt cæcus & claudus , prægnans & pariens simul , cœtus magnus revertentium huc.

9 In fletu venient & in misericordia reducam eos : & adducam eos per torrentes aquarum in via recta,& non impingent in ea : quia factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est.

10 Audite verbum Domini Gentes, & annuntiate in insulis quæ procul sunt , & dicite : Qui dispersit Israël , congregabit eum : & custodiet eum sicut pastor gregem suum.

11 Redemit enim Dominus Jacob , & liberavit eum de manu potentioris.

12 Et venient , & laudabunt in monte Sion:& confluent ad bona Domini , super frumento , & vino , & oleo , & fœtu pecorum & armentorum : erítque anima eorum quasi hortus irriguus , & ultrà non esurient.

C 13 Tunc lætabitur virgo in choro , juvenes & senes simul : & convertam luctum eorum in gaudiũ,& consolabor eos,& lætificabo à dolore suo.

14 Et inebriabo animam sacerdotum pinguedine : & populus meus bonis meis adimplebitur , ait Dominus.

*Mat.2. d.18. 15 Hæc dicit Dominus : * Vox in excelso audita est lamentationis , luctus , & fletus Rachel plorantis filios suos , & nolentis consolari super eis,quia non sunt.

16 Hæc dicit Dominus: Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis:quia est merces operi tuo,ait Dominus:& revertentur de terra inimici.

17 Et est spes novissimis tuis, ait Dominus : & revertentur filij ad terminos suos.

18 Audiens audivi Ephraim transmigrantem : Castigasti me , & eruditus sum , quasi juvenculus indomitus : converte me , & convertar : quia tu Dominus Deus meus.

D 19 Postquam enim convertisti me , egi pœnitentiam : & postquam ostendisti mihi,percussi femur meum. Confusus sum , & erubui , quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.

20 Si filius honorabilis mihi Ephraim , si puer delicatus:quia ex quo locutus sum de eo,adhuc recordabor ejus.Idcircò cõturbata sunt viscera mea super eum:miserans miserebor ejus, ait Dominus.

21 Statue tibi speculam , pone tibi amaritudines : dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti : revertere virgo Israël,revertere ad civitates tuas istas.

22 Usquequò deliciis dissolvêris filia vaga?quia creavit Dominus novum super terram : FEMINA CIRCUMDABIT VIRUM.

E 23 Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël : Adhuc dicent verbum istud in terra Juda, & in urbibus ejus , cùm convertero captivitatem eorum : Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ , mons sanctus :

24 Et habitabunt in eo Judas & omnes civitates ejus simul , agricolæ & minantes greges.

25 Quia inebriavi animam lassam , & omnem animam esurientem saturavi.

26 Ideò quasi de somno suscitatus sum : & vidi , & somnus meus dulcis mihi.

27 Ecce dies veniunt , dicit Dominus : & seminabo domum Israël & domum Juda semine hominum , & semine jumentorum.

28 Et sicut vigilavi super eos ut evellerem , & demolirer , & dissiparem , & disperderem,& affligerem:sic vigilabo super eos ut ædificem, & plantem , ait Dominus.

29 In diebus illis non dicent ultrà : * Patres comederunt uvam acerbam , & dentes filiorum obstupuerunt. *Ezech. 18.a.2.

30 Sed unusquisque in iniquitate sua morietur : omnis homo, qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus. F

31 * Ecce dies venient , dicit Dominus : & feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum. *Heb.8. c.8.

32 Non secundùm pactum , quod pepigi cum patribus eorum , in die qua apprehendi manum eorum , ut educerem eos de Terra Ægypti : pactum , quod irritum fecerunt , & ego dominatus sum eorum , dicit Dominus.

33 Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos , dicit Dominus : * Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam : & ero eis in Deum , & ipsi erunt mihi in populum. *Heb.10. c.16.

34 Et non docebit ultrà vir proximum suum, & vir fratrem suum , dicens : Cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum , ait Dominus : *quia propitiabor iniquitati eorum , & peccati eorum non memorabor ampliùs. *Act.10. d.43.

35 Hæc dicit Dominus,qui dat solem in lumine diei , ordinem lunæ & stellarum in lumine noctis: qui turbat mare , & sonant fluctus ejus,Dominus exercituum nomen illi. G

36 Si defecerint leges istæ coram me,dicit Dominus : tunc & semen Israël deficiet , ut non sit gens coram me cunctis diebus.

37 Hæc dicit Dominus : Si mensurari potuerint cæli sursum , & investigari fundamenta terræ deorsum:& ego abjiciam universum semen Israël, propter omnia quæ fecerunt , dicit Dominus.

38 Ecce dies veniunt , dicit Dominus : & ædificabitur civitas Domino,à turre Hananeel usque ad portam anguli.

39 Et exibit ultrà norma mensuræ in conspectu ejus super collem Gareb : & circuibit Goatha,

40 Et omnem vallem cadaverum , & cineris, & universam regionem mortis , usque ad torrentem Cedron , & usque ad angulum portæ equorum Orientalis , Sanctum Domini : non evelletur , & non destruetur ultrà in perpetuum.

CAPUT XXXII.

Obsidente Nabuchodonosor Jerusalem , Jeremias in atrio carceris positus agrum in Anathoth jussu Domini emit à suo patruele , jubetque servari librum emptionis : refert coram Domino beneficia Israëlitis præstita : Dominus dicit se traditurum civitatem cum populo regi Babylonis propter illorum idololatriam, sed posteà revocaturum ipsos in Jerusalem, ac percussurum cum eis novum fœdus ut sibi ex toto corde serviant.

1 VErbum quod factum est ad Jeremiam à Domino,in anno decimo Sedeciæ regis Juda : A
ipse est annus decimus octavus Nabuchodonosor:

2 Tunc exercitus regis Babylonis obsidebat Jerusalem : & Jeremias Propheta erat clausus in atrio carceris , qui erat in domo regis Juda.

3 Clauserat

3 Clauserat enim eum Sedecias rex Juda, dicens : Quare vaticinaris , dicens ; Hæc dicit Dominus : Ecce ego dabo civitatem istam in manus regis Babylonis , & capiet eam :

4 Et Sedecias rex Juda non effugiet de manu Chaldæorum : sed tradetur in manus regis Babylonis : & loquetur os ejus cum ore illius , & oculi ejus oculos illius videbunt.

5 Et in Babylonem ducet Sedeciam : & ibi erit donec visitem eum,ait Dominus.si autẽ dimicaveritis adversum Chaldæos,nihil prosperũ habebitis.

6 Et dixit Jeremias : Factum est verbum Domini ad me , dicens :

B 7 Ecce Hanameel filius Sellum patruelis tuus veniet ad te , dicens : Eme tibi agrum meum,qui est in Anathoth : tibi enim competit ex propinquitate ut emas.

8 Et venit ad me Hanameel filius patrui mei secundùm verbum Domini ad vestibulum carceris, & ait ad me : Posside agrum meum , qui est in Anathoth in terra Benjamin : quia tibi competit hereditas , & tu propinquus es ut possideas. Intellexi autem quòd verbum Domini esset.

9 Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui est in Anathoth : & appendi ei argentum septem stateres , & decem argenteos.

10 Et scripsi in libro, & signavi, & adhibui testes : & appendi argentum in statera.

11 Et accepi librum possessionis signatum , & stipulationes , & rata , & signa forinsecus.

12 Et dedi librum possessionis Baruch filio Neri filij Maasiæ , in oculis Hanameel patruelis mei, in oculis testium , qui scripti erant in libro emptionis , & in oculis omnium Judæorum , qui sedebant in atrio carceris.

13 Et præcepi Baruch coram eis dicens :

C 14 Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Sume libros istos , librum emptionis hunc signatum , & librum hunc qui apertus est : & pone illos in vase fictili , ut permanere possint diebus multis.

15 Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Israël : Adhuc possidebuntur domus,& agri,& vineæ in terra ista.

16 Et oravi ad Dominum , postquam tradidi librum possessionis Baruch filio Neri, dicens :

17 Heu , heu, heu, Domine Deus : ecce tu fecisti cælum & terram in fortitudine tua magna,& in brachio tuo extento : non erit tibi difficile omne verbum :

*Exod. 34.a.7. 18*Qui facis misericordiam in millibus,& reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum meorum post eos : Fortissime , magne , & potens,Dominus exercituum nomen tibi.

19 Magnus consilio , & incomprehensibilis cogitatu : cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam,ut reddas unicuiq; secundùm vias suas,& secundùm fructum adinventionum ejus.

20 Qui posuisti signa & portenta in Terra Ægypti usque ad diem hanc,& in Israël,& in hominibus,& fecisti tibi nomen sicut est dies hæc.

D 21 Et eduxisti populum tuum Israël de Terra Ægypti, in signis, & in portentis, & in manu robusta, & in brachio extento, & in terrore magno.

22 Et dedisti eis terram hanc quam jurasti patribus eorũ ut dares eis terrã fluẽtem lacte & melle.

23 Et ingressi sunt, & possederunt eam : & non obedierunt voci tuæ , & in lege tua non ambulaverunt : omnia quæ mandasti eis ut facerent, non fecerunt : & evenerunt eis omnia mala hæc.

24 Ecce munitiones extructæ sunt adversum civitatem , ut capiatur : & urbs data est in manus Chaldæorum, qui præliantur adversus eam,à facie gladij , & famis , & pestilentiæ : & quæcumque locutus es acciderunt , ut tu ipse cernis.

25 Et tu dicis mihi Domine Deus:Eme agrum argento,& adhibe testes : cum urbs data sit in manus Chaldæorum ?

26 Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens :

27 Ecce ego Dominus Deus universæ carnis : numquid mihi difficile erit omne verbum ? E

28 Propterea hæc dicit Dominus : Ecce ego tradam civitatem istam in manus Chaldæorum, & in manus regis Babylonis , & capient eam.

29 Et venient Chaldæi præliantes adversum urbem hanc,& succendent eam igni, & comburent eam , & domos , in quarum domatibus sacrificabant Baal ; & libabant diis alienis libamina ad irritandum me.

30 Erant enim filij Israël , & filij Juda , jugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua : filij Israël qui usque nunc exacerbant me in opere manuum suarum , dicit Dominus.

31 Quia in furore & in indignatione mea facta est mihi civitas hæc,à die qua ædificaverunt eam, usq; ad diẽ istam,qua auferetur de conspectu meo.

32 Propter malitiam filiorum Israël,& filiorum F
Juda , quam fecerunt ad iracundiam me provocantes, ipsi & reges eorum , principes eorum , & sacerdotes eorum , & prophetæ eorum, viri Juda & habitatores Jerusalem.

33 Et verterunt ad me terga & non facies:cùm docerem eos diluculo, & erudirem, & nollent audire ut acciperent disciplinam.

34 * Et posuerunt idola sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam. *4.Reg. 21.a.4.

35 Et ædificaverunt excelsa Baal , quæ sunt in valle filij Ennom , ut initiarent filios suos & filias suas Moloch : quod non mandavi eis, nec ascendit in cor meum ut facerent abominationem hanc , & in peccatum deducerent Judam.

36 Et nunc propter ista , hæc dicit Dominus Deus Israël ad civitatem hanc , de qua vos dicitis quòd tradetur in manus regis Babylonis in gladio, & in fame , & in peste.

37 Ecce ego congregabo eos de universis terris, ad quas ejeci eos in furore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi : & reducam eos ad locum istum,& habitare eos faciam confidenter.

38 Et erunt mihi in populum , & ego ero eis in Deum.

39 Et dabo eis cor unum , & viam unam,ut timeant me universis diebus : & benè sit eis & filiis G
eorum post eos.

40 Et feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere : & timorem meum dabo in corde eorum ut non recedant à me.

41 Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

41 Et lætabor super eis,cùm benè eis fecero:& plantabo eos in terra ista in veritate, in toto corde meo & in tota anima mea,

42 Quia hæc dicit Dominus: Sicut adduxi super populum istum omne malum hoc grande:sic adducam super eos omne bonum, quod ego loquor ad eos.

43 Et possidebuntur agri in terra ista: de qua vos dicitis quòd deserta sit, eò quòd non remanserit homo & jumentum, & data sit in manus Chaldæorum.

44 Agri ementur pecunia, & scribentur in libro, & imprimetur signum, & testis adhibebitur: in terra Benjamin, & in circuitu Jerusalem,in civitatibus Juda, & in civitatibus montanis, & in civitatibus campestribus, & in civitatibus quæ ad Austrum sunt: quia convertam captivitatem eorum, ait Dominus.

Caput XXXIII.

Promittit Dominus se dimissurum peccata populi sui,& à captivitate reducturum, multis beneficiis subsequentibus: germinavit David germen justitiæ faciens justitiam & judicium in terra; & firmissimum est pactum Domini cum David & semine Jacob vehementer multiplicando.

A 1 ET factum est verbum Domini ad Jeremiam secundò, cùm adhuc clausus esset in atrio carceris, dicens:

2 Hæc dicit Dominus qui facturus est,& formaturus illud,& paraturus,Dominus nomen ejus.

3 Clama ad me,& exaudiam te: & annuntiabo tibi grandia, & firma quæ nescis.

4 Quia hæc dicit Dominus Deus Israël ad domos urbis hujus, & ad domos regis Juda,quæ destructæ sunt, & ad munitiones, & ad gladium

5 Venientium ut dimicent cum Chaldæis, & impleant eas cadaveribus hominum,quos percussi in furore meo & in indignatione mea, abscondens faciem meam à civitate hac, propter omnem malitiam eorum.

6 Ecce ego obducam eis cicatricem & sanitatem, & curabo eos: & revelabo illis deprecationem pacis & veritatis.

7 Et convertam conversionem Juda,& conversionẽ Jerusalem:& ædificabo eos sicut à principio.

8 Et emundabo illos ab omni iniquitate sua,in qua peccaverunt mihi: & propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, & spreverunt me,

B 9 Et erit mihi in nomen, & in gaudium,& in laudem,& in exultationem cunctis gentibus terræ quæ audierint omnia bona, quæ ego facturus sum eis: & pavebunt, & turbabuntur in universis bonis, & in omni pace, quam ego faciam eis.

10 Hæc dicit Dominus: Adhuc audietur in loco isto(quem vos dicitis esse desertum,eò quòd non sit homo nec jumentum: in civitatibus Juda, & foris Jerusalem, quæ desolatæ sunt absque homine,& absque habitatore, & absque pecore.)

11 Vox gaudij & vox lætitiæ,vox sponsi & vox sponsæ, vox dicentium: Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum misericordia ejus: & portantium vota in domum Domini: reducam enim conversionem terræ sicut à principio, dicit Dominus.

12 Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc erit in loco isto deserto absque homine, & absque jumento, & in cunctis civitatibus ejus, habitaculum pastorum accubantium gregum.

13 In civitatibus montuosis, & in civitatibus C
campestribus, & in civitatibus quæ ad Austrum sunt; & in terra Benjamin, & in circuitu Jerusalem, & in civitatibus Juda, adhuc transibunt greges ad manum numerantis, ait Dominus:

14 Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israël & ad domum Juda.

15 In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam David germen justitiæ: & faciet judicium & justitiam in terra.

16 In diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.

17 Quia hæc dicit Dominus:Non interibit de David vir,qui sedeat super thronum domus Israël.

18 Et de sacerdotibus & de Levitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocautomata,& incendat sacrificium, & cædat victimas omnibus diebus.

19 Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens:

20 Hæc dicit Dominus: Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo:

21 Et pactum meũ irritũ esse poterit cum David servo meo,ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus,& Levitæ & Sacerdotes ministri mei: D

22 Sicuti enumerari non possunt stellæ cæli,& metiri arena maris: sic multiplicabo semen David servi mei, & Levitas ministros meos.

23 Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens:

24 Numquid non vidisti quid populus hic locutus sit,dicens: Duæ cognationes, quas elegerat Dominus, abjectæ sunt: & populum meum despexerunt, eò quòd non sit ultrà gens coram eis?

25 Hæc dicit Dominus:Si pactum meum inter diem & noctem,& leges cælo & terræ non posui:

26 Equidem & semen Jacob & David servi mei projiciam, ut non assumam de semine ejus principes seminis Abraham, Isaac, & Jacob: reducam enim conversionẽ eorum,& miserebor eis.

Caput XXXIV.

Prædicit Dominus se traditurum regem Sedeciam in manus regis Babylonis, unà cum Jerusalem, quam igni succendet; eò quòd pactum, quod coram Domino pepigerant de dimittendis his liberis quos ex Hebræis sibi in servitutem subjecerant,non servaverint.

1 VErbum quod factum est ad Jeremiam à Domino, quando Nabuchodonosor rex Babylonis, & omnis exercitus ejus, universáque regna terræ, quæ erant sub potestate manus ejus,& omnes populi bellabant contra Jerusalem, & contra omnes urbes ejus, dicens: A

2 Hæc dicit Dominus Deus Israël:Vade,& loquere ad Sedeciam regem Juda: & dices ad eum: Hæc dicit Dñs: Ecce ego tradam civitatem hanc in manus regis Babylonis,& succendet eam igni.

3 Et tu non effugies de manu ejus: sed comprehensione

prehensione capieris,& in manu ejus tradêris: & oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, & os ejus cum ore tuo loquetur, & Babylonẽ introibis.

4 Attamen audi verbum Domini Sedecia rex Juda: Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio,

5 Sed in pace morieris, & secundùm combustiones patrum tuorum regum priorum qui fuerũt ante te,sic comburent te: & væ Domine,plangent te:quia verbum ego locutus sum,dicit Dominus.

B 6 Et locutus est Jeremias propheta ad Sedeciam regem Juda universa verba hæc in Jerusalẽ.

7 Et exercitus regis Babylonis pugnabat contra Jerusalem,& contra omnes civitates Juda,quæ reliquæ erant,contra Lachis, & contra Azecha: hæ enim supererãt de civitatibus Juda, urbes munitæ.

8 Verbum,quod factum est ad Jeremiam à Domino, postquam percussit rex Sedecias fœdus cum omni populo in Jerusalem, prædicans:

9 Ut dimitteret unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam, Hebræum & Hebræam, liberos: & nequaquam dominarentur eis, id est, in Judæo & fratre suo.

10 Audierunt ergo omnes principes & universus populus, qui inierant pactum ut dimitteret unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam liberos, & ultrà non dominarentur eis: audierunt igitur, & dimiserunt.

C 11 Et conversi sunt deinceps: & retraxerunt servos & ancillas suas,quos dimiserant liberos, & subjugaverunt in famulos & famulas.

12 Et factum est verbum Domini ad Jeremiam à Domino, dicens:

13 Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego percussi fœdus cum patribus vestris, in die qua eduxi eos de Terra Ægypti, de domo servitutis,dicens:

Exod. 21.a.2. Deut.15. c.12. 14 * Cùm completi fuerint septem anni,dimittat unusquisque fratrem suum Hebræum,qui venditus est ei, & serviet tibi sex annis: & dimittes eum à te liberum & non audierunt patres vestri me, nec inclinaverunt aurem suam.

15 Et conversi estis vos hodie, & fecistis quod rectũ est in oculis meis, ut prædicaretis libertatem unusquisque ad amicum suum: & inistis pactum in conspectu meo, in domo, in qua invocatum est nomen meum super eam.

16 Et reversi estis: & commaculastis nomen meum:& reduxistis unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam, quos dimiseratis ut essent liberi & suæ potestatis: & subjugastis eos ut sint vobis servi & ancillæ.

D 17 Propterea hæc dicit Dominus: Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri suo,& unusquisque amico suo:ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, & ad famem: & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ,

18 Et dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, & non observaverunt verba fœderis,quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem

Jer.15. c.10. conciderunt in duas partes, & * transierunt inter divisiones ejus:

19 Principes Juda & principes Jerusalem, eunuchi & sacerdotes, & omnis populus terræ, qui transierunt inter divisiones vituli:

20 Et dabo eos in manus inimicorum suorum, & in manus quærentium animam eorum: & erit morticinum eorum in escam volatilibus cæli, & bestiis terræ.

21 Et Sedeciam regem Juda, & principes ejus, dabo in manus inimicorum suorum, & in manus quærentium animas eorum, & in manus exercituum regis Babylonis, qui recesserunt à vobis.

22 Ecce ego præcipio, dicit Dominus, & reducam eos in civitatem hanc, & præliabuntur adversus eam, & capient eam, & incendent igni; & civitates Juda dabo in solitudinem, eò quòd non sit habitator.

Caput XXXV.

Exemplo obedientiæ Rechabitarum, præcepta patris sui licèt dura servantium, expostulat Dominus de pertinaci Judæorum inobedientia adversus ipsius præcepta: quapropter his prænuntiat Dominus mala, illis autem bona.

1 VErbum, quod factum est ad Jeremiam à A
Domino, in diebus Joakim filij Josiæ regis Juda, dicens:

2 Vade ad domum Rechabitarum: & loquere eis,& introduces eos in domum Domini,in unam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum.

3 Et assumpsi Jezoniam filium Jeremiæ filij Habsaniæ, & fratres ejus, & omnes filios ejus,& universam domum Rechabitarum:

4 Et introduxi eos in domum Domini ad gazophylacium filiorum Hanan, filij Jegedeliæ hominis Dei, quod erat juxta gazophylacium principum, super thesaurum Maasiæ filij Sellum, qui erat custos vestibuli.

5 Et posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices: & dixi ad eos: Bibite vinum.

6 Qui responderunt: Non bibemus vinum: B
quia Jonadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri, usque in sempiternum:

7 Et domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis,nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini.

8 Obedivimus ergo voci Jonadab filij Rechab, patris nostri,in omnibus quæ præcepit nobis,ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostræ, filij, & filiæ nostræ:

9 Et non ædificaremus domos ad habitandum: & vineam,& agrum,& sementem non habuimus:

10 Sed habitavimus in tabernaculis, & obedientes fuimus, juxta omnia, quæ præcepit nobis Jonadab pater noster.

11 Cùm autem ascendisset Nabuchodonosor rex Babylonis ad terram nostram,diximus: Venite, & ingrediamur Jerusalem à facie exercitus Chaldæorum, & à facie exercitus Syriæ: & mansimus in Jerusalem.

12 Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens:

13 Hæc dicit Dominus exercituum Deus C
Israël: Vade, & dic viris Juda & habitatoribus Jerusalem: Numquid non recipietis disciplinam

ut

Universidad de Deusto
Biblioteca

ut obediatis verbis meis, dicit Dominus?
14 Prævaluerunt sermones Jonadab filij Rechab, quos præcepit filiis suis ut non biberent vinum: & non biberunt usque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autem locutus sum ad vos, de manè consurgens & loquens, & non obedistis mihi.
15 Misíque ad vos omnes servos meos prophetas, consurgens diluculo, mitténsque & dicens: *Sup. 18. b. 11. 25. a. 5. *Convertimini unusquisque à via sua pessima, & bona facite studia vestra: & nolite sequi deos alienos, neque colatis eos: & habitabitis in terra, quam dedi vobis & patribus vestris: & non inclinastis aurem vestram neque audistis me.
D 16 Firmaverunt igitur filij Jonadab filij Rechab præceptum patris sui, quod præceperat eis: populus autem iste non obedivit mihi.
17 Idcircò hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Ecce ego adducam super Juda, & super omnes habitatores Jerusalem, universam afflictionem, quam locutus sum adversum illos: eò quòd locutus sum ad illos, & non audierunt: vocavi illos, & non responderunt mihi.
18 Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Pro eo quòd obedistis præcepto Jonadab patris vestri, & custodistis omnia mandata ejus, & feciſtis universa, quæ præcepit vobis:
19 Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: non deficiet vir de stirpe Jonadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

CAPUT XXXVI.

Jussu Domini mittit Ieremias inclusus carcere per Baruch librum comminationum, quem legat coram omni populo ut resipiscant: porrò rex Ioakim ipsum igni consumit, jubens Ieremiam & Baruch comprehendi, qui absconditi erant: Ieremias autem jussu Domini jubet Baruch alium scribere, & Ioakim ac semen ejus una cum Jerusalem pradicit perdendos.

A 1 ET factum est in anno quarto Joakim filij Josiæ regis Juda: factum est verbum hoc ad Jeremiam à Domino, dicens:
2 Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi adversum Israël & Judam, & adversum omnes gentes; à die qua locutus sum ad te, ex diebus Josiæ usque ad diem hanc:
3 Si fortè audiente domo Juda universa mala, quæ ego cogito facere eis, revertatur unusquisque à via sua pessima: & propitius ero iniquitati, & peccato eorum.
4 Vocavit ergo Jeremias Baruch filium Neriæ: & scripsit Baruch ex ore Ieremię, omnes sermones Domini quos locutus est ad eũ, in volumine libri:
5 Et præcepit Jeremias Baruch, dicens: Ego clausus sum, nec valeo ingredi domum Domini.
B 6 Ingredere ergo tu, & lege de volumine, in quo scripsisti ex ore meo, verba Domini, audiente populo in domo Domini, in die jejunij: insuper & audiente universo Juda, qui veniunt de civitatibus suis, leges eis:
7 Si fortè cadat oratio eorum in conspectu Domini, & revertatur unusquisque à via sua pessima: quoniam magnus furor & indignatio est, quam locutus est Dominus adversus populum hunc.
8 Et fecit Baruch filius Neriæ, juxta omnia, quæ præceperat ei Jeremias propheta, legens ex volumine sermones Domini in domo Domini.
9 Factum est autem in anno quinto Joakim filij Josiæ regis Juda, in mense nono: prædicaverunt jejunium in conspectu Domini omni populo in Jerusalem, & universæ multitudini, quæ confluxerat de civitatibus Juda in Jerusalem.
10 Legítque Baruch ex volumine sermones Jeremiæ in domo Domini, in gazophylacio Gamariæ filij Saphan scribæ, in vestibulo superiori, in introïtu portæ novæ domus Domini, audiente omni populo. C
11 Cúmque audisset Michæas filius Gamariæ filij Saphan omnes sermones Domini ex libro:
12 Descendit in domum regis ad gazophylacium scribæ: & ecce ibi omnes principes sedebant: Elisama scriba, & Dalaias filius Semeiæ, & Elnathã filius Achobor, & Gamarias filius Saphan, & Sedecias filius Hananiæ, & universi principes.
13 Et nuntiavit eis Michæas omnia verba, quæ audivit legente Baruch ex volumine in auribus populi.
14 Miserunt itaque omnes principes ad Baruch, Judi filium Nathaniæ filij Selemiæ, filij Chusi, dicentes: Volumen, ex quo legisti audiente populo, sume in manu tua, & veni. Tulit ergo Baruch filius Neriæ volumen in manu sua, & venit ad eos.
15 Et dixerunt ad eum: Sede, & lege hæc in auribus nostris. Et legit Baruch in auribus eorum. D
16 Igitur cùm audissent omnia verba, obstupuerunt unusquisque ad proximum suum, & dixerunt ad Baruch: Nuntiare debemus regi omnes sermones istos.
17 Et interrogaverunt eum, dicentes: Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore ejus.
18 Dixit autem eis Baruch: Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos: & ego scribebam in volumine atramento.
19 Et dixerunt principes ad Baruch: Vade, & abscondere tu & Jeremias, & nemo sciat ubi sitis.
20 Et ingressi sunt ad regem in atrium: porrò volumen commendaverunt in gazophylacio Elisamæ scribæ: & nuntiaverunt audiente rege omnes sermones.
21 Misítque rex Judi ut sumeret volumen: qui tollens illud de gazophylacio Elisamę scribæ, legit audiente rege, & universis principibus qui stabant circa regem. E
22 Rex autẽ sedebat in domo hiemali in mense nono: & posita erat arula coram eo plena prunis.
23 Cúmque legisset Judi tres pagellas vel quatuor, scidit illud scapello scribæ, & projecit in ignem, qui erat super arulam, donec consumeretur omne volumen igni, qui erat in arula.
24 Et non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua, rex & omnes servi ejus, qui audierunt universos sermones istos.
25 Verumtamen Elnathan, & Dalaias, & Gamarias, contradixerunt regi ne combureret librum: & non audivit eos.
26 Et præcepit rex Jeremiel filio Amelech, & Saraiæ

F Saraię filio Ezriel, & Selemiæ filio Abdeel, ut comprehenderent Baruch scribam, & Jeremiam prophetam: abscondit autem eos Dominus.
27 Et factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam, postquam combusserat rex volumen, & sermones quos scripserat Baruch ex ore Jeremiæ, dicens:
28 Rursum tolle volumen aliud: & scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Joakim rex Juda.
29 Et ad Joakim regem Juda dices: Hæc dicit Dominus: Tu combussisti volumen illud, dicens: Quare scripsisti in eo annuntians: Festinus veniet rex Babylonis, & vastabit terram hanc, & cessare facier ex illa hominem, & jumentum?
G 30 Propterea hæc dicit Dominus contra Joakim regem Juda: Non erit ex eo qui sedeat super solium David: & cadaver ejus projicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem.
31 Et visitabo contra eum, & contra semen ejus, & contra servos ejus, iniquitates suas; & adducam super eos, & super habitatores Jerusalem, & super viros Juda, omne malum, quod locutus sum ad eos, & non audierunt.
32 Jeremias autem tulit volumen aliud: & dedit illud Baruch filio Neriæ scribæ: qui scripsit in eo ex ore Jeremiæ omnes sermones libri, quem combusserat Joakim rex Juda igni: & insuper, additi sunt sermones multò plures, quàm anteà fuerant.

CAPUT XXXVII.

Sedecias Iechoniæ succedens petit pro se orare Ieremiam; qui, relicta à Chaldæis Jerusalem propter adventum exercitus Pharaonis, prophetat Chaldæos redituros, & Jerusalem exustiuros: ipse quoque Ieremias urbem egrediens, casus in carcerem detruditur; unde à Sedecia eductus, servatur in vestibulo carceris, assignata ipsi indies torta panis.

A 1 ET regnavit rex Sedecias filius Josiæ pro Jechonia filio Joakim: quem constituit regem Nabuchodonosor rex Babylonis in terra Juda.
2 Et non obedivit ipse, & servi ejus, & populus terræ, verbis Domini, quæ locutus est in manu Jeremiæ prophetæ.
3 Et misit rex Sedecias Juchal filium Selemiæ, & Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, ad Jeremiam prophetam, dicens: Ora pro nobis Dominum Deum nostrum.
4 Jeremias autem liberè ambulabat in medio populi: non enim miserant eum in custodiam carceris. Igitur exercitus Pharaonis egressus est de Ægypto: & audientes Chaldæi, qui obsidebant Jerusalem, hujuscemodi nuntium, recesserunt ab Jerusalem.
5 Et factum est verbum Domini ad Jeremiam propheram, dicens:
B 6 Hæc dicit Dominus Deus Israël: Sic dicetis regi Juda, qui misit vos ad me interrogandum: Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est vobis in auxilium, revertetur in terrã suam in Ægyptũ.
7 Et redient Chaldæi, & bellabunt contra civitatem hanc: & capient eam, & succendent eam igni.
8 Hæc dicit Dominus: Nolite decipere animas vestras, dicentes: Euntes abibunt, & recedent à nobis Chaldæi; quia non abibunt.
9 Sed & si percusseritis omnem exercitum Chaldæorum, qui prælíantur adversum vos, & derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati: singuli de tentorio suo consurgent, & incendent civitatem hanc igni.
10 Ergo cùm recessisset exercitus Chaldæorum ad Jerusalem propter exercitum Pharaonis,
11 Egressus est Jeremias de Jerusalem ut iret in Terram Benjamin, & divideret ibi possessionem in conspectu civium.
12 Cúmque pervenísset ad portam Benjamin, C erat ibi custos portæ per vices, nomine Jerias, filius Selemiæ filij Hananiæ, & apprehendit Jeremiam prophetam, dicens: Ad Chaldæos profugis.
13 Et respondit Jeremias: Falsum est, non fugio ad Chaldæos. Et non audivit eum: sed comprehendit Jerias Jeremiam, & adduxit eum ad principes.
14 Quam ob rem irati principes contra Jeremiam, cæsum eum miserunt in carcerem, qui erat in domo Jonathan scribæ: ipse enim præpositus erat super carcerem.
15 Itaque ingressus est Jeremias in domum laci & in ergastulum: & sedit ibi Jeremias diebus multis.
16 Mittens autem Sedecias rex tulit eum: & D interrogavit eum in domo sua abscondite, & dixit: Putásne est sermo à Domino? Et dixit Jeremias: Est, & ait: In manus regis Babylonis tradêris.
17 Et dixit Jeremias ad regem Sedeciam: Quid peccavi tibi, & servis tuis, & populo tuo, quia misisti me in domum carceris?
18 Ubi sunt prophetæ vestri, qui prophetabant vobis, & dicebant: Non veniet rex Babylonis super vos, & super terram hanc?
19 Nunc ergo audi obsecro domine mi rex: Valeat deprecatio mea in conspectu tuo: & ne me remittas in domum Jonathã scribæ, ne moriar ibi.
20 Præcepit ergo rex Sedecias ut traderetur Jeremias in vestibulo carceris: & daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento, donec consumerentur omnes panes de civitate: & mansit Jeremias in vestibulo carceris.

CAPUT XXXVIII.

Ieremias principibus à rege traditus mittitur in lacum lutosum; unde jussu regis per Abdamelech eductus in vestibulum carceris, suadet regi ut egrediatur ad Chaldæos, alioqui nec ipse eos effugiet, & civitas ab eis igne succendetur: jubet quoque rex Ieremiæ ut hoc colloquium servet secretum.

1 AUdivit autem Saphatias filius Mathan, & A Gedelias filius Phassur, & Juchal filius Selemiæ, & Phassur filius Melchiæ, sermones, quos Jeremias loquebatur ad omnem populum, dicens:
2 Hæc dicit Dominus: * Quicumque manserit in civitate hac, morietur gladio, & fame, & peste: qui autem profugerit ad Chaldæos, vivet, & erit anima ejus sospes & vivens. * Sup. 21. c. 9.
3 Hæc dicit Dominus: Tradendo tradetur civitas hæc in manu exercitus regis Babylonis, & capiet eam.
4 Et dixerunt principes regi: Rogamus ut occidatur homo iste: de industria enim dissolvit manus virorum bellantium, qui remanserunt in civitate hac, & manus universi populi: loquens ad eos B

juxta verba hæc : siquidem homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum.

5 Et dixit rex Sedecias : Ecce ipse in manibus vestris est: nec enim fas est regem vobis quidquam negare.

6 Tulerunt ergo Jeremiã, & projecerunt eum in lacum Melchiæ filij Amelech, qui erat in vestibulo carceris : & submiserunt Jeremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum : descendit itaque Jeremias in cœnum.

7 Audivit autem Abdemelech Æthiops vir eunuchus, qui erat in domo regis quòd misissent Jeremiam in lacum : porrò rex sedebat in porta Benjamin.

8 Et egressus est Abdemelech de domo regis, & locutus est ad regem, dicens :

9 Domine mi rex, malefecerunt viri isti omnia quæcumque perpetrarunt contra Jeremiam prophetam, mittentes eum in lacum ut moriatur ibi fame, non sunt enim panes ultrà in civitate.

C 10 Præcepit itaque rex Abdemelech Æthiopi, dicens : Tolle tecum hinc triginta viros, & leva Jeremiam prophetam de lacu antequam moriatur.

11 Assumptis ergo Abdemelech secum viris, ingressus est domum regis, quæ erat sub cellario: & tulit inde veteres pannos, & antiqua quæ computruerant, & submisit ea ad Jeremiam in lacum per funiculos.

12 Dixitque Abdemelech Æthiops ad Jeremiam : Pone veteres pannos, & hæc scissa & putrida, sub cubito manuum tuaruum, & super funes. fecit ergo Jeremias sic.

D 13 Et extraxerunt Jeremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu : mansit autem Jeremias in vestibulo carceris.

14 Et misit rex Sedecias, & tulit ad se Jeremiam prophetam ad ostium tertium, quod erat in domo Domini : & dixit rex ad Jeremiam : Interrogo ego te sermonem, ne abscondas à me aliquid.

15 Dixit autem Jeremias ad Sedeciam : Si annuntiavero tibi, numquid non interficies me ? & si consilium dedero tibi, non me audies.

16 Juravit ergo rex Sedecias Jeremiæ clàm, dicens : Vivit Dominus, qui fecit nobis animam hanc, si occidero te, & si tradidero te in manus virorum istorum, qui quærunt animam tuam.

E 17 Et dixit Jeremias ad Sedeciam : Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël : Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, civitas hæc non succendetur igni : & salvus eris tu, & domus tua.

18 Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur civitas hæc in manus Chaldæorum, & succendent eam igni : & tu non effugies de manu eorum.

19 Et dixit rex Sedecias ad Jeremiam : Solicitus sum propter Judæos, qui trãsfugerunt ad Chaldæos : ne fortè tradar in manus eorum, & illudant mihi.

20 Respondit autem Jeremias : Non te tradent. audi quæso vocem Domini, quam ego loquor ad te, & benè tibi erit, & vivet anima tua.

F 21 Quòd si nolueris egredi : iste est sermo, quem ostendit mihi Dominus :

22 Ecce omnes mulieres, quæ remanserunt in domo regis Juda, educentur ad principes regis Babylonis : & ipsæ dicent : Seduxerunt te, & prævaluerunt adversum te viri pacifici tui, demerserunt in cœno & in lubrico pedes tuos, & recesserunt à te.

23 Et omnes uxores tuæ, & filij tui educentur ad Chaldæos : & non effugies manus eorum, sed in manu regis Babylonis capieris : & civitatem hanc comburet igni.

24 Dixit ergo Sedecias ad Jeremiam : Nullus sciat verba hæc, & non morieris.

25 Si autem audierint principes quia locutus G
sum tecum, & venerint ad te, & dixerint tibi: Indica nobis quid locutus sis cum rege, ne celes nos, & non te interficiemus: & quid locutus est tecũ rex:

26 Dices ad eos : Prostravi ego preces meas coram rege, ne me reduci juberet in domum Jonathan, & ibi morerer.

27 Venerunt ergo omnes principes ad Jeremiam, & interrogaverunt eum : & locutus est eis, juxta omnia verba quæ præceperat ei rex, & cessaverunt ab eo : nihil enim fuerat auditum.

28 Mansit verò Jeremias in vestibulo carceris usque ad diem, quo capta est Jerusalem : & factum est ut caperetur Jerusalem.

Caput XXXIX.

Jerusalem à rege Babylonis capta, rex Sedecias fugiens capitur ubi cum principibus ; cujus filij in conspectu ipsius trucidantur cum nobilibus, ipseque exoculatur, ac vinctus in Babylonem ducitur : subverso autem muro Jerusalem, & palatio aliisque domibus igne succensis, pars vulgi transfertur in Babylonem, & pars Jerosolymis relinquitur ; Jeremias verò de carceris vestibulo liber educitur.

1 ANno nono Sedeciæ regis Juda, mense de- 4. Reg. 25. a. 1. Inf. 52. a. 4.
cimo, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, & omnis exercitus ejus ad Jerusalem, & obsidebant eam. A

2 Undecimo autem anno Sedeciæ, mense quarto, quinta mensis aperta est civitas.

3 Et ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, & sederunt in porta media : Neregel, Sereser, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsares, Neregel, Sereser, Rebmag, & omnes reliqui principes regis Babylonis.

4 Cúmque vidissent eos Sedecias rex Juda, & omnes viri bellatores, fugerunt : & egressi sunt nocte de civitate per viam horti regis, & per portam, quæ erat inter duos muros, & egressi sunt ad viam deserti.

5 Persecutus est autem eos exercitus Chaldæo- B
rum : & comprehenderunt Sedeciam in campo solitudinis Jerichontinæ, & captum adduxerunt ad Nabuchodonosor regẽ Babylonis in Reblatha, quę est in Terra Emath: & locutus est ad eũ judicia.

6 Et occidit rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha, in oculis ejus : & omnes nobiles Juda occidit rex Babylonis.

7 Oculos quoque Sedeciæ eruit : & vinxit eum compedibus ut duceretur in Babylonem.

8 Domum quoque regis, & domum vulgi succenderunt Chaldæi igni, & murum Jerusalem subverterunt.

9 Et reliquias populi, qui remanserant in civitate, & perfugas, qui transfugerant ad eum, & superfluos

superfluos vulgi, qui remanserant, transtulit Nabuzardan magister militum in Babylonem.

C 10 Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan magister militum in Terra Juda : & dedit eis vineas & cisternas in die illa.

11 Præceperat autem Nabuchodonosor rex Babylonis de Jeremia Nabuzardan magistro militum, dicens :

12 Tolle illum, & pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias: sed, ut voluerit, sic facias ei.

13 Misit ergo Nabuzardan princeps militiæ, & Nabusezban, & Rabsares, & Neregel, & Sereser, & Rebmag, & omnes optimates regis Babylonis,

14 Miserunt, & tulerunt Jeremiam de vestibulo carceris, & tradiderunt eum Godoliæ filio Ahicam filij Saphan, ut intraret in domum, & habitaret in populo.

D 15 Ad Jeremiam autem factus fuerat sermo Domini, cùm clausus esset in vestibulo carceris, dicẽs:

16 Vade, & dic Abdemelech Æthiopi, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego inducam sermones meos super civitatem hanc in malum, & non in bonum : & erunt in conspectu tuo in die illa.

17 Et liberabo te in die illa, ait Dominus : & non tradêris in manus virorum, quos tu formidas:

18 Sed eruens liberabo te, & gladio non cades: sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus

Caput XL.

Jeremiæ permittitur liberè habitare ubicumque voluerit ; qui unà cum dispersis Judæis venit ad Godoliam præfectum reliquiis Judæorum : qui Godolias audire noluit Iohanan monentem ipsum de Ismahel intentante ei mortem.

A 1 SErmo, qui factus est ad Jeremiam à Domino, postquam dimissus est à Nabuzardan magistro militiæ de Rama, quando tulit eum vinctum catenis in medio omnium, qui migrabant de Jerusalem & Juda, & ducebantur in Babylonem.

2 Tollens ergo princeps militiæ Jeremiam, dixit ad eum : Dominus Deus tuus locutus est malum hoc super locum istum,

3 Et adduxit : & fecit Dominus sicut locutus est, quia peccastis Domino, & non audistis vocem ejus, & factus est vobis sermo hic.

4 Nunc ergo ecce solvi te hodie de catenis, quæ sunt in manibus tuis : si placet tibi ut venias mecum in Babylonem, veni ; & ponam oculos meos super te : si autem displicet tibi venire mecum in Babylonem, reside : ecce omnis terra in conspectu tuo est : quod elegeris, & quò placuerit tibi ut vadas, illuc perge.

B 5 Et mecum noli venire : sed habita apud Godoliam filium Ahicam filij Saphan, quem præposuit rex Babylonis civitatibus Juda. habita ergo cũ eo in medio populi : vel quocumque placuerit tibi ut vadas, vade. Dedit quoque ei magister militiæ cibaria, & munuscula, & dimisit eum.

6 Venit autem Jeremias ad Godoliam filium Ahicam in Masphath, & habitavit cum eo in medio populi, qui relictus fuerat in terra.

7 Cumque audissent omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant per regiones, ipsi & socij eorum, quòd præfecisset rex Babylonis Godoliam filium Ahicam terræ, & quòd commendasset ei viros, & mulieres, & parvulos, & de pauperibus terræ, qui non fuerant translati in Babylonem:

8 Venerunt ad Godoliam in Masphath : & Ismahel filius Nathaniæ, & Johanan & Jonathan filij Caree, & Sareas filius Thanehumeth, & filij C
Ophi, qui erant de Netophati, & Jezonias filius Maachathi, ipsi & viri eorum.

9 * Et juravit eis Godolia filius Ahicam filij *4. Reg. 25. f. 24.
Saphan, & comitibus eorum, dicens : Nolite timere servire Chaldæis, habitate in terra & servite regi Babylonis, & benè erit vobis.

10 Ecce ego habito in Masphath, ut respondeam præcepto Chaldæorum, qui mittuntur ad nos : vos autem colligite vindemiam, & messem, & oleum, & condite in vasis vestris, & manete in urbibus vestris, quas tenetis.

11 Sed & omnes Judæi, qui erant in Moab, & in filiis Ammon, & in Idumæa, & in universis regionibus, audito quòd dedisset rex Babylonis reliquias in Judæa, & quòd præposuisset super eos Godoliam filium Ahicam filij Saphan.

12 reversi sunt, inquam, omnes Judæi de uni- D
versis locis, ad quæ profugerant, & venerunt in terram Juda ad Godoliam in Masphath : & collegerunt vinum, & messem multam nimis.

13 Johanan autem filius Caree, & omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant in regionibus, venerunt ad Godoliam in Masphath.

14 Et dixerũt ei: Scito quòd Baalis rex filiorum Ammon misit Ismahel filium Nathaniæ percutere animam tuam. Et non credidit eis Godolias filius Ahicam.

15 Johanan autem filius Caree dixit ad Godoliam seorsum in Masphath, loquens : Ibo, & percutiam Ismahel filium Nathaniæ nullo sciente, ne interficiat animam tuam, & dissipentur omnes Judæi, qui congregati sunt ad te, & peribunt reliquiæ Juda.

16 Et ait Godolias filius Ahicam ad Johanan filium Caree : Noli facere verbum hoc : falsum enim tu loqueris de Ismael.

Caput XLI.

Ismahel dolo occidit Godoliam præfectum cum Judæis & Chaldæis qui cum eo erant in Masphath ; aliosque octoginta interimens, pepercit decem qui se thesauros habere dicebant : ac tandem veritus Iohanan ac principes bellatorum fugit cum octo viris, liberato populo quem ceperat captivum : omnes autem qui reliqui sunt, statuunt fugere in Ægyptum à facie Chaldæorum.

1 ET factum est in mense septimo, venit Is- A
mahel filius Nathaniæ, filij Elisama de semine regali, & optimates regis, & decem viri cum eo, ad Godoliam filium Ahicam in Masphath : & comederunt ibi panes simul in Masphath.

2 Surrexit autem Ismahel filius Nathaniæ, & decem viri qui cum eo erant, & percusserunt Godoliam filium Ahicam filij Saphan gladio, & interfecerunt eum, quem præfecerat rex Babylonis terræ.

3 Omnes quoque Judæos, qui erant cum Godolia in Masphath, & Chaldæos, qui reperti sunt ibi, & viros bellatores percussit Ismahel.

4 Secundo autem die postquam occiderat Godoliam, nullo adhuc sciente,

5 Venerunt viri de Sichem,& de Silo, & de Samaria octoginta viri, rasi barba, & scissis vestibus, & squallentes : & munera & thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini.

B 6 Egressus ergo Ismahel filius Nathaniæ in occursum eorum de Masphath, incedens & plorans ibat : cùm autem occurrisset eis, dixit ad eos: Venite ad Godoliam filium Ahicam.

7 Qui cùm venissent ad medium civitatis, interfecit eos Ismahel filius Nathaniæ circa medium laci, ipse, & viri qui erant cum eo.

8 Decem autem viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismahel : Noli occidere nos: quia habemus thesauros in agro, frumenti, & hordei, & olei, & mellis. Et cessavit, & non interfecit eos cum fratribus suis.

9 Lacus autem, in quem projecerat Ismahel omnia cadavera virorum, quos percussit propter Godoliam, ipse est, quem fecit rex Asa propter Baasa regem Israël : ipsum replevit Ismahel filius Nathaniæ occisis.

C 10 Et captivas duxit Ismahel omnes reliquias populi, qui erant in Masphath ; filias regis, & universum populum, qui remanserat in Masphath quos commendaverat Nabuzardan princeps militiæ Godoliæ filio Ahicam. Et cepit eos Ismahel filius Nathaniæ, & abiit ut transiret ad filios Ammon.

11 Audivit autem Iohanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, omne malum, quod fecerat Ismahel filius Nathaniæ.

12 Et assumptis universis viris, profecti sunt ut bellarent adversum Ismahel filium Nathaniæ, & invenerunt eum ad aquas multas, quæ sunt in Gabaon.

13 Cúmque vidisset omnis populus, qui erat cum Ismahel Johanan filium Caree, & universos principes bellatorum, qui erant cum eo, lætati sunt.

D 14 Et reversus est omnis populus, quem ceperat Ismahel, in Masphath : reversúsque abiit ad Johanan filium Caree.

15 Ismahel autem filius Nathaniæ fugit cum octo viris à facie Johanan, & abiit ad filios Ammon.

16 Tulit ergo Johanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, universas reliquias vulgi, quas reduxerat ab Ismahel filio Nathaniæ de Masphath, postquam percussit Godoliam filium Ahicam ; fortes viros ad prœlium, & mulieres, & pueros & eunuchos, quos reduxerat de Gabaon.

17 Et abierunt, & sederunt peregrinantes in Chamaam, quæ est juxta Bethlehem, ut pergerent, & introirent Ægyptum.

18 A facie Chaldæorum : timebant enim eos, quia percusserat Ismahel filius Nathaniæ Godoliam filium Ahicam, quem præposuerat rex Babylonis in Terra Juda.

Caput XLII.

Missus Ieremias ad orandum ac consulendum Dominum pro reliquis Iudæorum, respondet ipsos fore salvos si in Iudæa maneant : si autem in Ægyptum fugiant, dicit eos omnes gladio, fame, & peste morituros.

1 ET accesserunt omnes principes bellatorũ,& A
Johanã filius Caree,& Jezonias filius Osaiæ,
& reliquum vulgus à parvo usque ad magnum :

2 Dixerúntque ad Jeremiam prophetam : Cadat oratio nostra in conspectu tuo : & ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, pro universis reliquiis istis ; quia derelicti sumus pauci de pluribus, sicut oculi tui nos intuentur :

3 Et annuntiet nobis Dominus Deus tuus viam, per quam pergamus, & verbum, quod faciamus.

4 Dixit autem ad eos Jeremias propheta : Audivi : ecce ego oro ad Dominum Deum vestrum secundùm verba vestra. omne verbum, quodcumque responderit mihi, indicabo vobis ; nec celabo vos quidquam.

5 Et illi dixerunt ad Jeremiam : Sit Dominus inter nos testis veritatis & fidei, si non juxta omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus.

6 Sive bonum est, sive malum, voci Domini Dei nostri, ad quem mittimus te, obediemus : ut benè sit nobis cùm audierimus vocem Domini Dei nostri. B

7 Cùm autem completi essent decem dies, factum est verbum Domini ad Jeremiam.

8 Vocavítque Johanan filium Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, & universum populum à minimo usque ad magnum.

9 Et dixit ad eos : Hæc dicit Dominus Deus Israël, ad quem misistis me, ut prosternerem preces vestras in conspectu ejus.

10 Si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos, & non destruam ; plantabo, & non evellam : jam enim placatus sum super malo quod feci vobis.

11 Nolite timere à facie regis Babylonis, quem vos pavidi formidatis : nolite metuere eum, dicit Dominus : quia vobiscum sum ego, ut salvos vos faciam, & eruam de manu ejus.

12 Et dabo vobis misericordias, & miserebor vestri, & habitare vos faciam in terra vestra.

13 Si autem dixeritis vos : Non habitabimus in C
terra ista, nec audiemus vocem Dñi Dei nostri.

14 Dicentes : Nequaquam, sed ad Terram Ægypti pergemus : ubi non videbimus bellum, & clangorem tubæ non audiemus, & famem non sustinebimus : & ibi habitabimus.

15 Propter hoc nunc audite verbum Domini reliquiæ Juda : Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël : Si posueritis faciem vestram ut ingrediamini Ægyptum, & intraveritis ut ibi habitetis.

16 Gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in Terra Ægypti : & fames, pro qua estis soliciti, adhærebit vobis in Ægypto, & ibi moriemini.

17 Omnésque viri, qui posuerunt faciẽ suam ut ingrediantur Ægyptum, ut habitent ibi, moriẽtur gladio, & fame, & peste : nullus de eis remanebit, nec effugiet à facie mali, quod ego afferã super eos.

18 Quia

18 Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus
D Israël : Sicut conflatus est furor meus, & indignatio mea super habitatores Jerusalem : sic conflabitur indignatio mea super vos, cùm ingressi fueritis Ægyptum, & eritis in jusjurandum, & in stuporem, & in maledictum, & in opprobrium : & nequaquam ultrà videbitis locum istum.

19 Verbum Domini super vos reliquiæ Juda : Nolite intrare Ægyptum : scientes scietis quia obtestatus sum vos hodie,

20 Quia decepistis animas vestras : vos enim misistis me ad Dominum Deum nostrum dicentes : Ora pro nobis ad Dominum Deum nostrum, & juxta omnia quæcumque dixerit tibi Dominus Deus noster, sic annuntia nobis, & faciemus.

21 Et annuntiavi vobis hodie, & non audistis vocem Domini Dei vestri, super universis pro quibus misit me ad vos.

22 Nunc ergo scientes scietis quia gladio, & fame, & peste moriemini in loco, ad quem voluistis intrare ut habitaretis ibi.

Caput XLIII.

Reliquiæ Iudæorum non audientes Domini præceptum quod referebat Ieremias, proficiscuntur una cum Ieremia & Baruch in Ægyptum : ubi constitutus Ieremias vaticinatur regem Babylonis vastaturum Terram Ægypti cum idolis suis, eique dominaturum.

A 1 FActum est autem, cùm complesset Jeremias loquens ad populum universos sermones Domini Dei eorum, pro quibus miserat eum Dominus Deus eorum ad illos, omnia verba hæc :

2 Dixit Azarias filius Osaiæ, & Iohanan filius Caree, & omnes viri superbi, dicentes ad Jeremiã : Mendacium tu loqueris : non misit te Dominus Deus noster, dicens : Ne ingrediamini Ægyptum ut habitetis illic.

B 3 Sed Baruch filius Neriæ incitat te adversum nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum, ut interficiat nos, & traduci faciat in Babylonem.

4 Et non audivit Iohanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, & universus populus, vocem Domini, ut manerent in Terra Juda.

5 Sed tollens Johanan filius Caree, & universi principes bellatorum, universos reliquiarum Juda, qui reversi fuerãt de cunctis Gentibus, ad quas fuerant antè dispersi, ut habitarent in Terra Juda ;

6 Viros, & mulieres, & parvulos, & filias regis, & omnem animam, quam reliquerat Nabuzardan princeps militiæ cum Godolia filio Ahicam filij Saphan, & Jeremiam prophetam, & Baruch filium Neriæ.

C 7 Et ingressi sunt Terram Ægypti, quia non obedierunt voci Domini : & venerunt usque ad Taphnis.

8 Et factus est sermo Domini ad Jeremiam in Taphnis, dicens :

9 Sume lapides grandes in manu tua, & abscondes eos in crypta, quæ est sub muro latericio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Judæis :

10 Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël : Ecce ego mittam, & assumam Nabuchodonosor regem Babylonis servũ meum : & ponam thronum ejus super lapides istos, quos

abscondi, & statuet solium suum super eos.

11 Veniénsque percutiet Terram Ægypti : quos D
in mortem, in mortem ; & quos in captivitatem, in captivitatem ; & quos in gladium, in gladium.

12 Et succendet ignem in delubris deorum Ægypti, & comburet ea, & captivos ducet illos : & amicietur Terra Ægypti, sicut amicitur pastor pallio suo : & egredietur inde in pace.

13 Et cõteret statuas domus Solis, quæ sũt in Terra Ægypti : & delubra deorũ Ægypti cõburet igni.

Caput XLIV.

Iudæi in Ægypto reprehensi à Ieremia super idololatria, obstinatè respondent una cum multitudine mulierum, se permansuros in idololatria inveterata : quos Ieremias prædicit universos gladio & fame consumendos, regemque Ægypti tradendum in manus inimicorum suorum, ac terram Ægypti prorsus vastandam.

1 VErbum, quod factum est per Jeremiam ad A
omnes Judæos, qui habitabant in Terra Ægypti, habitantes in Magdalo, & in Taphnis, & in Memphis, & in Terra Phatures, dicens :

2 Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël : Vos vidistis omne malum istud, quod adduxi super Jerusalem, & super omnes urbes Juda : & ecce desertæ sunt hodie, & non est in eis habitator :

3 Propter malitiam, quam fecerunt ut me ad iracundiam provocarent, & irent ut sacrificarent, & colerent deos alienos, quos nesciebant & illi, & vos, & patres vestri.

4 Et misi ad vos omnes servos meos prophetas, de nocte consurgens, mitténsque & dicens : Nolite facere verbum abominationis hujuscemodi, quam odivi.

5 Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, ut converterentur à malis suis & non sacrificarent diis alienis.

6 Et conflata est indignatio mea & furor meus, B
& succensa est in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem : & versæ sunt in solitudinem & vastitatem secundùm diem hanc.

7 Et nunc hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël : Quare vos facitis malum grande hoc contra animas vestras, ut intereat ex vobis vir & mulier, parvulus & lactens de medio Judæ, nec relinquatur vobis quidquam residuum :

8 Provocantes me in operibus manuum vestrarum, sacrificando diis alienis in Terra Ægypti, in quam ingressi estis ut habitetis ibi : & dispereatis, & sitis in maledictionem, & in opprobrium cunctis gentibus terræ ?

9 Numquid obliti estis mala patrum vestrorum, & mala regum Juda, & mala uxorum ejus, & mala vestra, & mala uxorum vestrarum, quæ fecerunt in Terra Juda, & in regionibus Jerusalem ?

10 Non sunt mundati usque ad diem hanc : & non timuerunt, & non ambulaverunt in lege Domini, & in præceptis meis, quæ dedi coram vobis & coram patribus vestris.

11 Ideò hæc dicit Dominus exercituum Deus C
Israël : * Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum : & disperdam omnem Judam. * Amos 9.1.4.

12 Et assumam reliquias Judæ, qui posuerunt facies suas ut ingrederentur Terram Ægypti, & habitarent ibi : & consumentur omnes in Terra Ægypti : cadẽt in gladio & in fame : & cõsumẽtur à

minimo usque ad maximum, in gladio & in fame morientur: & erunt in jusjurandum, & in miraculum, & in maledictionem, & in opprobrium.

13 Et visitabo super habitatores Terræ Ægypti, sicut visitavi super Jerusalem, in gladio, & fame, & peste.

D 14 Et non erit qui effugiat, & sit residuus de reliquiis Judæorum, qui vadunt ut peregrinentur in Terra Ægypti: & revertantur in Terram Juda, ad quam ipsi elevant animas suas ut revertantur, & habitent ibi: non revertentur nisi qui fugerint.

15 Responderunt autem Jeremiæ omnes viri, scientes quòd sacrificarent uxores eorum diis alienis, & universæ mulieres, quarum stabat multitudo grandis, & omnis populus habitantium in terra Ægypti in Phatures, dicentes:

16 Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te:

17 Sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cæli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos, & patres nostri, reges nostri, & principes nostri, in urbibus Juda, & in plateis Jerusalē: & saturati sumus panibus, & benè nobis erat, malúmq; non vidimus.

18 Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus.

E 19 Quòd si nos sacrificamus reginæ cæli, & libamus ei libamina: numquid sine viris nostris fecimus ei placentas, ad colendum eam, & libandum ei libamina?

20 Et dixit Jeremias ad omnem populum, adversum viros, & adversum mulieres, & adversum universam plebem, qui responderant ei verbum, dicens:

21 Numquid non sacrificium, quod sacrificastis in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem, vos & patres vestri, reges vestri, & principes vestri, & populus terræ, horum recordatus est Dominus, & ascendit super cor ejus?

22 Et non poterat Dominus ultrà portare propter malitiam studiorum vestrorum, & propter abominationes, quas fecistis: & facta est terra vestra in desolationem, & in stuporem, & in maledictum, eò quòd non sit habitator sicut est dies hæc.

F 23 Propterea quòd sacrificaveritis idolis, & peccaveritis Domino, & non audieritis vocem Domini, & in lege, & in præceptis, & in testimoniis ejus non ambulaveritis: idcirco evenerunt vobis mala hæc, sicut est dies hæc.

24 Dixit autem Jeremias ad omnem populum, & ad universas mulieres: Audite verbum Domini omnis Juda, qui estis in Terra Ægypti:

25 Hæc inquit Dominus exercituum Deus Israël, dicens: Vos, & uxores vestræ, locuti estis ore vestro, & manibus vestris implestis, dicentes: Faciamus vota nostra, quę vovimus, ut sacrificemus reginæ cæli, & libemus ei libamina. implestis vota vestra, & opere perpetrastis ea.

26 Ideò audite verbum Domini omnis Juda, qui habitatis in Terra Ægypti: Ecce ego juravi in nomine meo magno, ait Dominus: quia nequaquam ultrà vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Judæi, dicentis: Vivit Dominus Deus in omni Terra Ægypti.

27 Ecce ego vigilabo super eos in malum, & G
non in bonum: & consumentur omnes viri Juda, qui sunt in Terra Ægypti, gladio & fame, donec penitus consumantur.

28 Et qui fugerint gladium, revertentur de Terra Ægypti in Terram Juda viri pauci: & scient omnes reliquiæ Juda ingredientium Terram Ægypti, ut habitent ibi, cujus sermo compleatur, meus, an illorum.

29 Et hoc vobis signum, ait Dominus, quòd visitem ego super vos in loco isto: ut sciatis quia verè complebuntur sermones mei contra vos in malũ.

30 Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regem Ægypti in manu inimicorum ejus, & in manu quærentium animam illius: sicut tradidi Sedeciam regem Juda in manu Nabuchodonosor regis Babylonis inimici sui, & quærentis animam ejus.

CAPUT XLV.

Deus per Ieremiam arguit Baruch, quòd quæreretur se dolorem habere, & non requiem; cui tamen in ceterorum vastatione pollicetur securitatem.

1 VERbum, quod locutus est Jeremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cùm scripsisset verba hæc in libro ex ore Jeremiæ, anno quarto Joakim filij Josiæ regis Juda, dicens: A

2 Hęc dicit Dominus Deus Israël ad te Baruch:

3 Dixisti: Væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: laboravi in gemitu meo, & requiem non inveni.

4 Hæc dicit Dominus: Sic dices ad eum: Ecce B
quos ædificavi, ego destruo: & quos plantavi, ego evello, & universam terram hanc.

5 Et tu quæris tibi grandia? noli quærere: quia ecce ego adducam malum super omnem carnem, ait Dominus: & dabo tibi animam tuam in salutem, in omnibus locis, ad quæcumque perrexeris.

CAPUT XLVI.

Dominus per Ieremiam Pharaoni & Ægypto prænuntiat desolationem, quam inducet Nabuchodonosor; Iudæis autem & filiis Israël consolationem tandem ac liberationem: universis verò Gentibus ad quas Deus illos ejecerat, vastationem.

1 QUod factum est verbum Domini ad Jere- A
miam prophetam contra Gentes,

2 Ad Ægyptum, adversum exercitum Pharaonis Nechao regis Ægypti, qui erat juxta fluvium Euphraten in Charcamis, quem percussit Nabuchodonosor rex Babylonis, in quarto anno Joakim filij Josiæ regis Juda.

3 Præparate scutum, & clypeum, & procedite ad bellum.

4 Jungite equos, & ascendite equites: state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis.

5 Quid igitur? vidi ipsos pavidos, & terga vertentes, fortes eorum cæsos: fugerunt conciti, nec respexerunt: terror undique, ait Dominus.

6 Non fugiat velox, nec salvari se putet fortis: B
Ad Aquilonem juxta flumen Euphraten victi sunt, & ruerunt.

7 Quis est iste, qui quasi flumen ascendit: & veluti fluviorum, intumescunt gurgites ejus?

8 Ægyptus, fluminis instar ascendit, & velut flumina movebuntur fluctus ejus, & dicet: Ascendens

cendens operiam terram: perdam civitatem, & habitatores ejus.

9 Ascendite equos, & exultate in curribus, & procedant fortes, Æthiopia & Libyes tenentes scutum, & Lydij arripientes & jacientes sagittas.

C 10 Dies autem ille Domini Dei exercituum, dies ultionis, ut sumat vindictam de inimicis suis: devorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine eorum: victima enim Domini Dei exercituũ in terra Aquilonis juxta flumen Euphraten.

11 Ascende in Galaad, & tolle resinam, virgo filia Ægypti: frustrà multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi.

12 Audierunt gentes ignominiam tuam, & ululatus tuus replevit terram: quia fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt.

13 Verbum quod locutus est Dominus ad Jeremiam prophetam, super eo quòd venturus esset Nabuchodonosor rex Babylonis & percussurus Terram Ægypti.

D 14 Annuntiate Ægypto, & auditum facite in Magdalo, & resonet in Memphis, & in Taphnis, dicite: Sta, & præparate: quia devorabit gladius ea quæ per circuitum tuum sunt.

15 Quare computruit fortis tuus? non stetit: quoniam Dominus subvertit eum.

16 Multiplicavit ruentes, cecidítque vir ad proximum suum: & dicent: Surge, & revertamur ad populum nostrum, & ad terram nativitatis nostræ, à facie gladij columbæ.

17 Vocate nomen Pharaonis regis Ægypti, tumultum adduxit tempus.

E 18 Vivo ego (inquit rex, Dominus exercituum nomen ejus) quoniam sicut Thabor in montibus, & sicut Carmelus in mari, veniet.

19 Vasa transmigrationis fac tibi habitatrix filia Ægypti: quia Memphis in solitudinem erit, & deseretur, & inhabitabilis erit.

20 Vitula elegans atque formosa Ægyptus: stimulator ab Aquilone veniet ei.

21 Mercenarij quoque ejus, qui versabantur in medio ejus, quasi vituli saginati versi sunt, & fugerunt simul, nec stare potuerunt: quia dies interfectionis eorum venit super eos, tempus visitationis eorum.

F 22 Vox ejus quasi æris sonabit: quoniam cum exercitu properabunt, & cum securibus venient ei, quasi cædentes ligna.

23 Succiderunt saltum ejus, ait Dominus, qui supputari non potest: multiplicati sunt super locustas, & non est eis numerus.

24 Confusa est filia Ægypti, & tradita in manus populi Aquilonis.

25 Dixit Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego visitabo super tumultum Alexandriæ, & super Pharaonem, & super Ægyptum, & super deos ejus, & super reges ejus, & super Pharaonem, & super eos qui confidunt in eo.

G 26 Et dabo eos in manus quærentium animam eorum, & in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manus servorum ejus: & post hæc habitabitur sicut diebus pristinis, ait Dominus.

Isa. 43. n. 1. 44. n. 2. 27 Et tu ne timeas serve meus Jacob, & ne paveas Israël: quia ecce ego salvum te faciam de longinquo, & semen tuum de terra captivitatis tuæ: & revertetur Jacob, & requiescet, & prosperabitur; & non erit qui exterreat eum.

28 Et tu noli timere serve meus Jacob, ait Dominus: quia tecum ego sum, quia ego consumam cunctas gentes, ad quas ejeci te: te verò non consumam, sed castigabo te in judicio, nec quasi innocenti parcam tibi.

CAPUT XLVII.

Vastatio prædicitur Palæsthinorum, Tyri, Sidonis, Gazæ, & Ascalonis.

1 QUod factum est verbum Domini ad Jere- A
miam prophetam contra Palæsthinos, antequam percuteret Pharao Gazam:

2 Hæc dicit Dominus: Ecce aquæ ascendunt ab Aquilone, & erunt quasi torrens inundans, & operient terram & plenitudinem ejus, urbem & habitatores ejus: clamabunt homines, & ululabunt omnes habitatores terræ,

3 A strepitu pompæ armorum, & bellatorum B
ejus, à commotione quadrigarum ejus, & multitudine rotarum illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolutis.

4 Pro adventu diei, in quo vastabuntur omnes Philisthiim, & dissipabitur Tyrus, & Sidon cũ omnibus reliquis auxiliis suis. depopulatus est enim Dñs Palæsthinos, reliquias insulæ Cappadociæ.

5 Venit calvitiũ super Gazam; conticuit Ascalon, & reliquiæ vallis earum: usquequò consideris? C

6 O mucro Domini usquequò non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile.

7 Quomodo quiescet, cùm Dominus præceperit ei adversus Ascalonem, & adversus maritimas ejus regiones, ibíque condixerit illi?

CAPUT XLVIII.

Prædicit Dominus vastationem Moab & omnium urbium ejus, sed in noviſſimis diebus captivitatem ipsorum relaxandam: maledictus dicitur faciens opus Domini fraudulenter, & gladium suum à sanguine prohibens.

1 AD Moab hæc dicit Dominus exercituum A
Deus Israël: Væ super Nabo, quoniam vastata est, & confusa: capta est Cariathaim: confusa est fortis, & tremuit.

2 Non est ultrà exultatio in Moab contra Hesebon: cogitaverunt malum. Venite, & disperdamus eam de gente. ergo silens conticesces, sequetúrque te gladius.

3 Vox clamoris de Oronaim: vastitas, & contritio magna.

4 Contrita est Moab: annuntiate clamorem parvulis ejus.

5 Per ascensum enim Luith plorans ascendet in fletu: quoniam in descensu Oronaim hostes ululatum contritionis audierunt:

6 Fugite, salvate animas vestras: & eritis *quasi *Isa. 17. n. 6.
myricæ in deserto.

7 Pro eo enim quòd habuisti fiduciam in munitionibus tuis, & in thesauris tuis, tu quoque capieris: & ibit Chamos in transmigrationem, sacerdotes ejus, & principes ejus simul.

8 Et veniet prædo ad omnem urbem, & urbs B
nulla salvabitur: & peribunt valles, & dissipabuntur campestria: quoniam dixit Dominus.

9 Date florem Moab, quia florens egredietur:

Universidad de Deusto
Biblioteca

& civitates ejus desertæ erunt, & inhabitabiles.

10 Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter: & maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine.

11 Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requievit in fæcibus suis: nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abiit: idcircò permansit gustus ejus in eo, & odor ejus non est immutatus.

12 Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam ei ordinatores, & stratores lagunculárum, & sternent eum, & vasa ejus exhaurient, & lagunculas eorum collident.

*3. Reg. 12.g.29. 13 Et confundetur Moab à Chamos, * sicut confusa est domus Israël à Bethel, in qua habebat fiduciam.

14 Quomodo dicitis: Fortes sumus, & viri robusti ad præliandum?

C 15 Vastata est Moab, & civitates illius succiderunt: & electi juvenes ejus descenderunt in occisionem: ait rex, Dominus exercituum nomen ejus.

16 Propè est interitus Moab ut veniat: & malum ejus velociter accurret nimis.

17 Consolamini eum omnes, qui estis in circuitu ejus; & universi, qui scitis nomen ejus, dicite: Quomodo confracta est virga fortis, baculus gloriosus?

18 Descende de gloria, & sede in siti, habitatio filiæ Dibon: quoniam vastator Moab ascendit ad te, dissipavit munitiones tuas.

19 In via sta, & prospice habitatio Aroër: interroga fugientem: & ei qui evasit, dic: Quid accidit?

20 Confusus est Moab, quoniam victus est: ululate, & clamate, annuntiate in Arnon, quoniam vastata est Moab.

21 Et judicium venit ad terram campestrem; super Helon, & super Jasa, & super Mephaath,

22 Et super Dibon, & super Nabo, & super domum Deblathaim,

23 Et super Cariathaim, & super Bethgamul, & super Bethmaon,

D 24 Et super Carioth, & super Bosra; & super omnes civitates terræ Moab, quæ longè, & quæ propè sunt.

25 Abscissum est cornu Moab, & brachium ejus contritum est, ait Dominus.

26 Inebriate eum, quoniam contra Dominum erectus est: & allidet manum Moab in vomitu suo, & erit in derisum etiam ipse.

27 Fuit enim in derisum tibi Israël, quasi inter fures reperisses eum: propter verba ergo tua quæ adversum illum locutus es, captivus ducêris.

28 Relinquite civitates, & habitate in petra, habitatores Moab: & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.

*Isa.16. b.6. 29 * Audivimus superbiam Moab, superbus est valdè; sublimitatem ejus, & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis ejus.

E 30 Ego scio, ait Dominus, jactantiam ejus: & quòd non sit juxta eam virtus ejus, nec juxta quod poterat conata sit facere.

31 Ideò super Moab ejulabo, & ad Moab universam clamabo, ad viros muri fictilis lamentantes.

32 De planctu Jazer plorabo tibi vinea Sabama: propagines tuæ transierunt mare, usque ad mare Jazer pervenerunt: super messem tuam & vindemiam tuam, prædo irruit.

33 * Ablata est lætitia & exultatio de Carmelo, & de Terra Moab, & vinum de torcularibus sustuli: nequaquam calcator uvæ solitum celeuma cantabit. *Isa. 16. c.10.

34 De clamore Hesebon usque Eleale, & Jasa, dederunt vocem suam; à Segor usque ad Oronaim vitula conternante: aquæ quoque Nemrim pessimæ erunt.

35 Et auferam de Moab, ait Dominus: offerentem in excelsis, & sacrificantem diis ejus. F

36 Propterea cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit: & cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum: quia plus fecit quàm potuit, idcircò perierunt.

37 * Omne enim caput calvitium, & omnis barba rasa erit: in cunctis manibus colligatio, & super omne dorsum cilicium. *Isa.15. a.2. Ezech.7. c.18.

38 Super omnia tecta Moab, & in plateis ejus, omnis planctus: quoniam contrivi Moab sicut vas inutile, ait Dominus.

39 Quomodo victa est, & ululaverunt? quomodo dejecit cervicem Moab, & confusus est? Erítque Moab, in derisum, & in exemplum omnibus in circuitu suo:

40 Hæc dicit Dominus: Ecce quasi aquila volabit, & extendet alas suas ad Moab.

41 Capta est Carioth, & munitiones comprehensæ sunt: & erit cor fortium Moab in die illa, sicut cor mulieris parturientis. G

42 Et cessabit Moab esse populus: quoniam contra Dominum gloriatus est.

43 Pavor, & fovea, & laqueus super te ô habitator Moab, dicit Dominus.

44 * Qui fugerit à facie pavoris, cadet in foveam: & qui conscenderit de fovea, capietur laqueo: adducam enim super Moab annum visitationis eorum, ait Dominus. *Isa.24. c.18.

45 In umbra Hesebon steterunt de laqueo fugientes: quia ignis egressus est de Hesebon, & flamma de medio Seon, & devorabit partem Moab, & verticem filiorum tumultus.

46 Væ tibi Moab, periisti populo Chamos: quia cõprehensi sunt filij tui, & filiæ tuæ in captivitatẽ.

47 Et convertam captivitatem Moab in novissimis diebus, ait Dominus. Hucusque judicia Moab.

CAPUT XLIX.

Desolatio Ammon, Idumææ, Damasci, Cedar, regnorúmque Asor & Ælam prænuntiatur; captivitas autem filiorum Ammon ac Ælam tandem solvenda.

1 AD filios Ammon. Hæc dicit Dominus: Numquid non filij sunt Israël? aut heres non est ei? Cur igitur hereditare possedit Melchõ, Gad: & populus ejus in urbibus ejus habitavit? A

2 Ideò ecce dies veniunt, dicit Dominus: & auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum prælij, & erit in tumulum dissipata, filiæque ejus igni succendentur, & possidebit Israël possessores suos, ait Dominus.

3 Ulula Hesebon, quoniam vastata est Hai. clamate filij Rabbath, accingite vos ciliciis: plangite & circuite per sepes: quoniam Melchom in transmigra

transmigrationem ducetur, sacerdotes ejus & principes ejus simul.

4 Quid gloriaris in vallibus? defluxit vallis tua, filia delicata, quæ confidebas in thesauris tuis, & dicebas: Quis veniet ad me?

B 5 Ecce ego inducam super te terrorem, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus qui sunt in circuitu tuo: & dispergemini singuli à conspectu vestro, nec erit qui congreget fugientes.

6 Et post hæc reverti faciam captivos filiorum Ammon, ait Dominus.

7 Ad Idumæam. Hæc dicit Dominus exercituũ: Numquid non ultrà est sapiẽtia in Theman? Periit consilium à filiis, inutilis facta est sapientia eorum.

8 Fugite & terga vertite, descendite in voraginem habitatores Dedan: quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visitationis ejus.

9 Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum: si fures in nocte, rapuissent quod sufficeret sibi.

10 Ego verò discooperui Esau, revelavi abscondita ejus, & celari non poterit: vastatum est semen ejus, & fratres ejus, & vicini ejus, & nõ erit.

C 11 Relinque pupillos tuos: ego faciam eos vivere: & viduæ tuæ in me sperabunt.

12 Quia hæc dicit Dominus: Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent: & tu quasi innocens relinquêris? non eris innocens, sed bibens bibes.

13 Quia per memetipsum juravi, dicit Dominus, quòd in solitudinem, & in opprobrium, & in desertum, & in maledictionem erit Bosra: & omnes civitates ejus erunt in solitudines sẽpiternas.

* Abd. a.1. 14 * Auditum audivi à Domino, & legatus ad Gentes missus est: Congregamini, & venite contra eam, & consurgamus in prœlium:

15 Ecce enim parvulum dedi te in Gentibus, contemptibilem inter homines.

D 16 Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui: qui habitas in cavernis petræ, & apprehẽdere niteris altitudinem collis. * cùm exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dñs. * Abd. b.4.

17 Et erit Idumæa deserta: omnis qui transibit per eam, stupebit, & sibilabit super omnes plagas ejus.

*Gen.19. c.24. 18 * Sicut subversa est Sodoma, & Gomorrha, & vicinæ ejus, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis.

Inf.50. 5.44. 19 * Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam: quia subitò currere faciam eum ad illam: & quis erit electus, quem præponam ei? quis enim similis mei? & quis sustinebit me? * & quis est iste pastor, qui resistat vultui meo? * Iob.41. a.1.

20 Propterea audite consilium Domini, quod iniit de Edom; & cogitationes ejus, quas cogitavit de habitatoribus Theman: Si non dejecerint eos parvuli gregis, nisi dissipaverint cum eis habitaculum eorum.

21 A voce ruinæ eorum commota est terra: clamor in mari rubro auditus est vocis ejus.

E 22 Ecce quasi aquila ascendet, & avolabit: & expandet alas suas super Bosran: & erit cor fortiũ Idumææ in die illa, quasi cor mulieris parturientis.

23 Ad Damascum: Confusa est Emath, & Arphad: quia auditum pessimum audierunt, turbati sunt in mari: præ solicitudine quiescere nõ potuit.

24 Dissoluta est Damascus, versa est in fugam, tremor apprehendit eam: angustia & dolores tenuerunt eam quasi parturientem.

25 Quomodo dereliquerunt civitatem laudabilem, urbem lætitiæ!

26 Ideò cadent juvenes ejus in plateis ejus: & omnes viri prœlij conticescent in die illa, ait Dominus exercituum.

27 Et succendam ignem in muro Damasci, & devorabit mœnia Benadad.

28 Ad Cedar, & ad regna Asor, quæ percussit Nabuchodonosor rex Babylonis. Hæc dicit Dominus: Surgite, & ascendite ad Cedar, & vastate filios Orientis. F

29 Tabernacula eorum, & greges eorum capient: pelles eorum, & omnia vasa eorum, & camelos eorum tollent sibi: & vocabunt super eos formidinem in circuitu.

30 Fugite, abite vehementer, in voraginibus sedete, qui habitatis Asor, ait Dominus: iniit enim contra vos Nabuchodonosor rex Babylonis consilium, & cogitavit adversum vos cogitationes.

31 Consurgite, & ascendite ad gentem quietam, & habitantem confidenter, ait Dominus: non ostia, nec vectes eis: soli habitant.

32 Et erunt cameli eorum in direptionem, & multitudo jumentorum in prædam: & dispergam eos in omnem ventum, qui sunt attonsi in comam: & ex omni confinio eorum adducam interitum super eos, ait Dominus.

33 Et erit Asor in habitaculum draconum, deserta usque in æternum: non manebit ibi vir, nec incolet eam filius hominis.

34 Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam adversus Ælam, in principio regni Sedeciæ regis Juda, dicens: G

35 Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego confringam arcum Ælam, & summam fortitudinem eorum.

36 Et inducam super Ælam quattuor ventos à quattuor plagis cæli: & ventilabo eos in omnes ventos istos: & non erit gens, ad quam non perveniant profugi Ælam.

37 Et pavere faciam Ælam coram inimicis suis, & in conspectu quærentiũ animã eorum: & adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit Dñs: & mittam post eos gladium donec consumam eos.

38 Et ponam solium meum in Ælam, & perdam inde reges & principes, ait Dominus.

39 In novissimis autem diebus reverti faciam captivos Ælam, dicit Dominus.

CAPUT L.

Babylon quæ in captivitate afflixit filios Israël, his in terram suam feliciter reductis, penitus vastabitur à regibus Aquilonis.

1 VERBUM quod locutus est Dominus de Babylone, & de terra Chaldæorum, in manu Jeremiæ prophetæ. A

2 Annuntiate in Gentibus, & auditum facite: levate signum, prædicate, & nolite celare: dicite: Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rodach, confusa sunt sculptilia ejus, superata sunt idola eorum.

3 Quoniam ascendit contra eam gens ab Aquilone, quæ ponet terram ejus in solitudinem: & non erit qui habitet in ea ab homine usque ad pecus: & moti sunt, & abierunt.

4 In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus: venient filij Israël, ipsi & filij Juda simul: ambulantes & flentes properabunt, & Dominum Deum suum quærent.

5 In Sion interrogabunt viam, huc facies eorum. Venient, & apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla oblivione delebitur.

6 Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, fecerúntque vagari in montibus: de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui.

B 7 Omnes, qui invenerunt, comederunt eos: & hostes eorum dixerunt: Non peccavimus: pro eo quòd peccaverunt Domino decori justitiæ, & expectationi patrum eorum Domino.

8 Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini: & estote quasi hœdi ante gregem.

9 Quoniam ecce ego suscito, & adducam in Babylonem congregationem Gentium magnarum de terra Aquilonis: & præparabuntur adversus eam, & inde capietur: sagitta ejus, quasi viri fortis interfectoris, non revertetur vacua.

10 Et erit Chaldæa in prædam: omnes vastantes eam replebuntur, ait Dominus.

11 Quoniam exultatis, & magna loquimini, diripientes hereditatem meam: quoniam effusi estis sicut vituli super herbã, & mugistis sicut tauri.

12 Confusa est mater vestra nimis, & adæquata pulveri, quæ genuit vos: ecce novissima erit in Gentibus, deserta, invia, & arens.

13 Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem: omnis, qui transibit per Babylonem, stupebit, & sibilabit super universis plagis ejus.

C 14 Præparamini contra Babylonem per circuitum omnes qui tenditis arcum; debellate eam, non parcatis jaculis: quia Domino peccavit.

15 Clamate adversus eam, ubique dedit manum, ceciderunt fundamenta ejus, destructi sunt muri ejus, quoniam ultio Domini est: ultionem accipite de ea; sicut fecit, facite ei.

16 Disperdite satorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore messis: à facie gladij columbæ unusquisque ad populum suum convertetur, & singuli ad terram suam fugient.

17 Grex dispersus Israël, leones ejecerunt eum: primus comedit eum rex Assur: iste novissimus exossavit eum, Nabuchodonosor rex Babylonis.

D 18 Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego visitabo regem Babylonis, & terram ejus, sicut visitavi regem Assur:

19 Et reducam Israël ad habitaculum suum: & pascetur Carmelũ & Basan, & in monte Ephraim & Galaad saturabitur anima ejus.

20 In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Israël, & non erit; & peccatum Juda, & non invenietur: quoniam propitius ero eis, quos reliquero.

21 Super terram dominantium ascende, & super habitatores ejus visita, dissipa, & interfice quæ post eos sunt, ait Dominus: & fac juxta omnia quæ præcepi tibi.

22 Vox belli in terra, & contritio magna.

23 Quomodo confractus est & contritus malleus universæ terræ? quomodo versa est in desertum Babylon in Gentibus.

24 Illaqueavi te, & capta es Babylon, & nesciebas: inventa es & apprehensa: quoniam Dominum provocasti.

25 Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ: quoniam opus est Domino Deo exercituum in terra Chaldæorum.

26 Venite ad eam ab extremis finibus, aperite E ut exeant qui conculcent eam: tollite de via lapides, & redigite in acervos, & interficite eam: nec sit quidquam reliquum.

27 Dissipate universos fortes ejus, descendant in occisionem: væ eis, quia venit dies eorum, tempus visitationis eorum.

28 Vox fugientium, & eorum qui evaserunt de terra Babylonis, ut annuntient in Sion ultionem Domini Dei nostri, ultionem templi ejus.

29 Annuntiate in Babylonem plurimis, omnibus qui tendunt arcum: consistite adversus eam per gyrum, & nullus evadat: reddite ei secundùm opus suum: *juxta omnia quæ fecit, facite illi: quia *Inf. 51. contra Dñm erecta est, adversum sanctum Israël. 6.49.

30 Idcircò cadent juvenes ejus in plateis ejus: & omnes viri bellatores ejus conticescent in die illa, ait Dominus.

31 Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus Deus exercituum: quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ.

32 Et cadet superbus, & corruet, & non erit qui suscitet eum: & succendam ignem in urbibus ejus, & devorabit omnia in circuitu ejus.

33 Hæc dicit Dominus exercituum: Calumniam sustinẽt filij Israël, & filij Juda simul: omnes, F qui ceperunt eos, tenent, nolunt dimittere eos.

34 Redemptor eorũ fortis, Dominus exercituũ nomen ejus, judicio defendet causam eorum, ut exterreat terram, & cõmoveat habitatores Babylonis.

35 Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, & ad habitatores Babylonis, & ad principes, & ad sapientes ejus.

36 Gladius ad divinos ejus, qui stulti erunt: gladius ad fortes illius, qui timebunt.

37 Gladius ad equos ejus, & ad currus ejus, & ad omne vulgus, quod est in medio ejus: & erunt quasi mulieres: gladius ad thesauros ejus, qui diripientur.

38 Siccitas super aquas ejus erit, & arescent: quia terra sculptilium est, & in portentis gloriantur.

39 Propterea habitabunt dracones cum faunis ficariis: & habitabunt in ea struthiones: & non inhabitabitur ultrà usque in sempiternum, nec extruetur usque ad generationem & generationẽ.

40 * Sicut subvertit Dominus Sodomam & *Gen. 19. Gomorrham, & vicinas ejus, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis. c. 24.

41 Ecce populus venit ab Aquilone, & gens magna,

G magna, & reges multi consurgent à finibus terræ.

42 Arcum & scutum apprehendent: crudeles sunt & immisericordes: vox eorum quasi mare sonabit: & super equos ascendent, sicut vir paratus ad prælium contra te filia Babylon.

43 Audivit rex Babylonis famam eorum, & dissolutæ sunt manus ejus: angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem.

* Sup. 49. d. 19. 44 * Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam: quia subitò currere faciam eum ad illam: & quis erit electus, quem præponam ei? quis est enim similis mei? * Iob 41. a. 1. & quis sustinebit me? * & quis est iste pastor, qui resistat vultui meo?

45 Propterea audite consilium Domini, quod mente concepit adversum Babylonem; & cogitationes ejus quas cogitavit super terram Chaldæorum: Nisi detraxerint eos parvuli gregum, nisi dissipatum fuerit cum ipsis habitaculum eorum.

46 A voce captivitatis Babylonis commota est terra, & clamor inter Gentes auditus est.

Caput LI.

Mala à regibus Medorum Babyloni imminentia prædicuntur.

A 1 HÆc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super Babylonem & super habitatores ejus, qui cor suum levaverunt contra me, quasi ventum pestilentem.

2 Et mittam in Babylonem ventilatores, & ventilabunt eam, & demolientur terram ejus: quoniam venerunt super eam undique in die afflictionis ejus.

3 Non tendat qui tendit arcum suum, & non ascendat loricatus, nolite parcere juvenibus ejus, interficite omnem militiam ejus.

4 Et cadent interfecti in terra Chaldæorum, & vulnerati in regionibus ejus.

5 Quoniam non fuit viduatus Israël & Juda à Deo suo Domino exercituum: terra autem eorum repleta est delicto à sancto Israël.

6 Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam: nolite tacere super iniquitatem ejus: quoniam tempus ultionis est à Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei.

7 Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino ejus biberunt Gentes, & ideò commotæ sunt.

* Isa. 21. e. 9. Apoc. 14. b. 8. 8 * Subitò cecidit Babylon, & contrita est: ululate super eam, tollite resinam ad dolorem ejus, si fortè sanetur.

9 Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus unusquisque in terram suam: quoniam pervenit usque ad cælos judicium ejus, & elevatum est usque ad nubes.

B 10 Protulit Dominus justitias nostras: venite, & narremus in Sion opus Domini Dei nostri.

11 Acuite sagittas, implete pharetras: suscitavit Dominus spiritum regum Medorum: & contra Babylonem mens ejus est ut perdat eam, quoniam ultio Domini est, ultio templi sui.

12 Super muros Babylonis levate signum, augete custodiam: levate custodes, præparate insidias: quia cogitavit Dominus, & fecit quæcumque locutus est contra habitatores Babylonis.

13 Quæ habitas super aquas multas, locuples in thesauris, venit finis tuus pedalis præcisionis tuæ.

14 * Juravit Dominus exercituum per animam * Amos suam: Quoniam replebo te hominibus quasi 6. b. 8. brucho, & super te celeuma cantabitur.

15 * Qui fecit terram in fortitudine sua, præ- * Gen. paravit orbem in sapientia sua, & prudentia sua 1. a. 1. extendit cælos.

16 Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in cælo: qui levat nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviã fecit: & produxit ventum de thesauris suis.

17 Stultus factus est omnis homo à scientia: confusus est omnis conflator in sculptili, quia mendax est conflatio eorum, nec est spiritus in eis.

18 Vana sunt opera, & risu digna, in tempore visitationis suæ peribunt.

19 Non sicut hæc pars Jacob: quia qui fecit C omnia, ipse est, & Israël sceptrum hereditatis ejus: Dominus exercituum nomen ejus.

20 Collidis tu mihi vasa belli, & ego collidam in te Gentes, & disperdam in te regna:

21 Et collidam in te equum & equitem ejus: & collidam in te currum & adscensorem ejus.

22 Et collidam in te virum & mulierem: & collidam in te senem & puerum: & collidam in te juvenem & virginem:

23 Et collidam in te pastorem & gregem ejus: & collidam in te agricolam & jugales ejus: & collidam in te duces & magistratus.

24 Et reddam Babyloni, & cunctis habitatoribus Chaldææ, omne malum suum, quod fecerunt in Sion, in oculis vestris, ait Dominus.

25 Ecce ego ad te mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram: & extendam manum meam super te, & evolvam te de petris, & dabo te in montem combustionis.

26 Et non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta, sed perditus in æternum eris, ait Dominus.

27 Levate signum in terra: clangite buccina in Gentibus, sanctificate super eam Gentes: annuntiate contra illam regibus Ararat, Menni, & Ascenez, numerate contra eam Taphsar, adducite equum quasi bruchum aculeatum.

28 Sanctificate contra eam Gentes, reges Mediæ, duces ejus, & universos magistratus ejus, cunctámque terram potestatis ejus.

29 Et commovebitur terra, & conturbabitur: D quia evigilabit contra Babylonem cogitatio Domini, ut ponat Terram Babylonis desertam & inhabitabilem.

30 Cessaverunt fortes Babylonis à prælio, habitaverunt in præsidiis: devoratum est robur eorum, & facti sunt quasi mulieres: incensa sunt tabernacula ejus, contriti sunt vectes ejus.

31 Currens obviàm currenti veniet: & nuntius obvius nuntianti: ut annuntiet regi Babylonis, quia capta est civitas ejus à summo usque ad summum:

32 Et vada præoccupata sunt, & paludes incensæ sunt igni, & viri bellatores conturbati sunt.

33 Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Filia Babylonis quasi area, tempus trituræ ejus: adhuc modicum, & veniet tempus messionis ejus.

34 Comedit

Universidad de Deusto
Biblioteca

34 Comedit me,devoravit me Nabuchodonosor rex Babylonis, reddidit me quasi vas inane,absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum tenerítudine mea, & ejecit me.

35 Iniquitas adversum me, & caro mea super Babylonem, dicit habitatio Sion:& sanguis meus super habitatores Chaldææ,dicit Jerusalem.

36 Propterea hæc dicit Dominus:Ecce ego judicabo causam tuam,& ulciscar ultionem tuam,& desertum faciam mare ejus,& siccabo venam ejus.

37 Et erit Babylon in tumulos,habitatio draconum, stupor,& sibilus,eò quòd non sit habitator.

38 Simul ut leones rugient, excutient comas veluti catuli leonum.

39 In calore eorum ponam potus eorum,& inebriabo eos,ut sopiantur,& dormiant somnum sempiternum, & non consurgant,dicit Dominus.

E 40 Deducam eos quasi agnos ad victimam, & quasi arietes cum hœdis.

41 Quomodo capta est Sesach,& comprehensa est inclyta universæ terræ? quomodo facta est in stuporem Babylon inter gentes?

42 Ascendit super Babylonem mare,multitudine fluctuum ejus operta est.

43 Factæ sunt civitates ejus in stuporem, terra inhabitabilis & deserta, terra in qua nullus habitet, nec transeat per eam filius hominis.

44 Et visitabo super Bel in Babylone,& ejiciam quod absorbuerat de ore ejus,& non confluent ad eum ultrà Gentes, si quidem & murus Babylonis corruet.

45 Egredimini de medio ejus populus meus:ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini.

46 Et ne forte mollescat cor vestrum,& timeatis auditum,qui audietur in terra: & veniet in anno auditio,& post hunc annum auditio; & iniquitas in terra,& dominator super dominatorem.

47 Propterea ecce dies veniunt,& visitabo super sculptilia Babylonis: & omnis terra ejus confundetur,& universi interfecti ejus cadent in medio ejus.

48 Et laudabunt super Babylonem cæli & terra, & omnia quæ in eis sunt: quia ab Aquilone venient ei prædones, ait Dominus.

49 Et quomodo fecit Babylon ut caderent occisi in Israël:sic de Babylone cadent occisi in universa terra.

F 50 Qui fugistis gladium, venite, nolite stare: recordamini procul Domini, & Jerusalem ascendat super cor vestrum.

51 Confusi sumus quoniam audivimus opprobrium: operuit ignominia facies nostras:quia venerunt alieni super sanctificationem domus Dñi.

52 Propterea ecce dies veniunt, ait Dominus: & visitabo super sculptilia ejus, & in omni terra ejus mugiet vulneratus.

53 Si ascenderit Babylon in cœlum,& firmaverit in excelso robur suum: à me venient vastatores ejus, ait Dominus.

54 Vox clamoris de Babylone: & contritio magna de Terra Chaldæorum:

55 Quoniam vastavit Dominus Babylonem,& perdidit ex ea vocem magnam: & sonabunt fluctus eorum quasi aquæ multæ: dedit sonitum vox eorum:

56 Quia venit super eam, id est super Babylonem, prædo, & apprehensi sunt fortes ejus, & emarcuit arcus eorum, quia fortis ultor Dominus reddens retribuet.

57 Et inebriabo principes ejus, & sapientes ejus, & duces ejus, & magistratus ejus, & fortes ejus: & dormient somnum sempiternum, & non expergiscentur, ait rex,Dominus exercituum nomen ejus.

58 Hæc dicit Dominus exercituum: Murus G Babylonis ille latissimus suffossione suffodietur, & portæ ejus excelsæ igni comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt, & disperibunt.

59 Verbum quod præcepit Jeremias propheta Saraiæ filio Neriæ filij Maasiæ, cùm pergeret cum Sedecia rege in Babylonem, in anno quarto regni ejus:Saraias autem erat princeps prophetię.

60 Et scripsit Jeremias omne malum,quod venturum erat super Babylonem, in libro uno: omnia verba hæc, quæ scripta sunt contra Babylonẽ.

61 Et dixit Jeremias ad Saraiam: Cùm veneris in Babylonem, & videris, & legeris omnia verba hæc,

62 Dices: Domine tu locutus es contra locum istum ut disperderes eum: ne sit qui in eo habitet ab homine usque ad pecus: & ut sit perpetua solitudo.

63 Cúmque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, & projicies illum in medium Euphraten:

64 Et dices: Sic submergetur Babylon,& non consurget à facie afflictionis,quam ego adduco super eam,& dissolvetur.Hucusque verba Jeremiæ.

Caput LII.

Præcedentium repetitio, nempe quòd Jerusalem à Nabuchodonosor obsessa post biennium capitur, & Sedecias rex Juda fugiens reducitur, filiisque ejus coram ipso trucidatis una cum principibus Juda, exoculatus ac vinctus ducitur in Babylonem: & incenso templo & palatio ceterisque domibus, transferuntur omnes in Babylonem, prater paucos vinitores & agricolas: similiter & vasa templi, inter quæ describuntur duæ æreæ columnæ: & numerus Judæorum in Babylonem diversis temporibus translatorum, ubi rex Joachim post 37. annos de carcere eductus exaltatur.

1 Filius viginti & unius anni erat Sedecias cùm A regnare cœpisset: & undecim annis regnavit in Jerusalem, & nomen matris ejus Amital, filia Jeremiæ de Lobna. 4.Reg. 24.d.18. 2.Par. 36.b.11.

2 Et fecit malum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Joakim.

3 Quoniam furor Domini erat in Jerusalem & in Juda, usquequò projiceret eos à facie sua: & recessit Sedecias à rege Babylonis.

4 *Factum est autem in anno nono regni ejus, *4.Reg. 25.a.1. Sup.39. a.1. in mense decimo, decima mensis: Venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse & omnis exercitus ejus,adversus Jerusalem,& obsederunt eam, & ædificaverunt contra eam munitiones in circuitu.

5 Et fuit civitas obsessa usque ad undecimum annum regis Sedeciæ.

6 Mense autem quarto,nona mensis,obtinuit fames civitatẽ: & non erant alimenta populo terræ. B

7 Et

7 Et dirupta est civitas, & omnes viri bellatores ejus fugerunt, exieruntque de civitate nocte, per viam portæ, quæ est inter duos muros, & ducit ad hortum regis (Chaldæis obsidentibus urbem in gyro) & abierunt per viam, quæ ducit in eremum.

8 Persecutus est autem Chaldæorum exercitus regem: & apprehenderunt Sedeciam in deserto, quod est juxta Jericho: & omnis comitatus ejus diffugit ab eo.

9 Cúmque comprehendissent regem, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath: & locutus est ad eum judicia.

10 Et jugulavit rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis ejus: sed & omnes principes Juda occidit in Reblatha.

C 11 Et oculos Sedeciæ eruit,& vinxit eum compedibus, & adduxit eum rex Babylonis in Babylonem, & posuit eum in domo carceris usque ad diem mortis ejus.

12 In mense autem quinto decima mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps militiæ qui stabat coram rege Babylonis in Jerusalem.

13 Et incendit domum Domini, & domum regis, & omnes domos Jerusalem, & omnem domum magnam igni combussit.

14 Et totum murum Jerusalem per circuitum destruxit, cunctus exercitus Chaldæorum, qui erat cum magistro militiæ.

15 De pauperibus autem populi, & de reliquo vulgo, quod remanserat in civitate, & de perfugis, qui transfugerant ad regem Babylonis, & ceteros de multitudine, transtulit Nabuzardan princeps militiæ.

16 De pauperibus verò terræ reliquit Nabuzardan princeps militiæ vinitores, & agricolas.

17 Columnas quoque æreas, quæ erant in domo Domini, & bases, & mare æneum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi,& tulerunt omne æs eorum in Babylonem.

D 18 Et lebetes, & creagras, & psalteria, & phialas, & mortariola, & omnia vasa ærea, quæ in ministerio fuerant, tulerunt: &

19 Hydrias, & thymiamateria, & urceos, & pelves, & candelabra, & mortaria, & cyathos: quotquot aurea, aurea; & quotquot argentea, argentea, tulit magister militiæ:

20 Et columnas duas, & mare unum, & vitulos duodecim æreos, qui erant sub basibus, quas fecerat rex Salomon in domo Domini: non erat pondus æris omnium horum vasorum.

21 De columnis autem, decem & octo cubiti altitudinis erant in columna una, & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam: porrò grossitudo ejus quattuor digitorum, & intrinsecus cava erat.

22 Et capitella super utramque ærea: altitudo E capitelli unius quinque cubitorum: & retiacula, & malogranata super coronam in circuitu, omnia ærea. Similiter columnæ secundæ, & malogranata.

23 Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia: & omnia malogranata centum, retiaculis circumdabantur.

24 Et tulit magister militiæ Saraiam sacerdotem primum, & Sophoniam sacerdotem secundum, & tres custodes vestibuli.

25 Et de civitate tulit eunuchum unum,qui erat præpositus super viros bellatores: & septem viros de his, qui videbant faciem regis,qui inventi sunt in civitate: & scribam principem militum, qui probabat tyrones: & sexaginta viros de populo terræ, qui inventi sunt in medio civitatis.

26 Tulit autem eos Nabuzardan magister militiæ, & duxit eos ad regem Babylonis in Reblatha.

27 Et percussit eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & translatus est Juda de terra sua.

28 Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor: In anno septimo, Judæos tria millia & viginti tres:

29 In anno octavodecimo Nabuchodonosor,de Jerusalem animas octingentas triginta duas:

30 In anno vigesimotertio Nabuchodonosor, transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Judæorum septingentas quadraginta quinque. omnes ergo animæ, quattuor millia sexcentæ.

31 Et factum est in trigesimo septimo anno G transmigrationis Joachim regis Juda, duodecimo mense, vigesima quinta mensis, elevavit Evilmerodach rex Babylonis ipso anno regni sui, caput Joachim regis Juda, & eduxit eum de domo carceris.

32 Et locutus est cum eo bona, & posuit thronum ejus super thronos regum, qui erant post se in Babylone.

33 Et mutavit vestimenta carceris ejus, & comedebat panem coram eo semper cunctis diebus vitæ suæ.

34 Et cibaria ejus,cibaria perpetua dabantur ei à rege Babylonis, statuta per singulos dies, usque ad diem mortis suæ, cunctis diebus vitæ ejus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

THRENI,
ID EST
LAMENTATIONES
IEREMIÆ PROPHETÆ.

Et factum est postquam in captivitatem redactus est Israël, & Jerusalem deserta est, sedit Jeremias propheta flens, & planxit lamentatione hac in Jerusalem, & amaro animo suspirans, & ejulans dixit:

CAPUT PRIMUM.

ALEPH.

A 1 QUOMODO sedet sola civitas plena populo: facta est quasi vidua domina Gentium: princeps provinciarum facta est sub tributo.

BETH.

*Jer. 13. c. 17. 2 * Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus: omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici.

GHIMEL.

3 Migravit Judas propter afflictionem, & multitudinem servitutis: habitavit inter gentes, nec invenit requiem: omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.

DALETH.

B 4 Viæ Sion lugent, eò quòd non sint qui veniant ad sollemnitatem: omnes portæ ejus destructæ: sacerdotes ejus gementes: virgines ejus squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine.

HE.

5 Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus: parvuli ejus ducti sunt in captivitatẽ ante faciẽ tribulantis.

VAU.

6 Et egressus est à filia Sion omnis decor ejus: facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua: & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

ZAIN.

C 7 Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ, & prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quę habuerat à diebus antiquis, cùm caderet populus ejus in manu hostili, & non esset auxiliator: viderunt eã hostes, & derisérũt sabbata ejus.

HETH.

8 Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est: omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus: ipsa autem gemens conversa est retrorsum.

TETH.

D 9 Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem: vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.

JOD.

10 Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus: quia vidit Gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam.

CAPH.

11 Omnis populus ejus gemens, & quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. vide Domine & considera, quoniam facta sum vilis.

LAMED.

12 O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiavit me ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui.

MEM.

13 De excelso misit ignem in ossibus meis, & E
erudivit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum: posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.

NUN.

14 Vigilavit jugum iniquitatum mearum: in manu ejus convolutæ sunt, & impositæ collo meo: infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.

SAMECH.

15 Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos: torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda.

AIN.

16 Idcircò ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus est à me consolator, F
*Jer. 14. c. 17. convertens animam meam: facti sunt filij mei perditi, quoniam invaluit inimicus.

PHE.

17 Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam: mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu ejus hostes ejus: facta est Jerusalem quasi polluta menstruis inter eos.

SADE.

18 Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi. audite obsecro universi populi, & videte dolorem meum: virgines meæ, & juvenes mei abierunt in captivitatem.

COPH.

19 Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me: G
sacerdotes mei, & senes mei in urbe consumpti sunt: quia quæsierunt cibum sibi ut refocillarent animam suam.

RES.

20 Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est

est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. foris interficit gladius, & domi mors similis est.

SIN.

21 Audierunt quia ingemisco ego, & non est qui consoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti: adduxisti diem consolationis, & fient similes mei.

THAU.

22 Ingrediatur omne malum eorum coram te: & vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens.

CAPUT II.

ALEPH.

A 1 QUomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: projecit de cælo in terram inclytam Israël, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui.

BETH.

2 Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Jacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Juda, & dejecit in terram: polluit regnum, & principes ejus.

GHIMEL.

3 Confregit in ira furoris sui omne cornu Israël: avertit retrorsum dexteram suam à facie inimici: & succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.

DALETH.

B 4 Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis: & occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filię Sion, effudit quasi ignem indignationem suam.

HE.

5 Factus est Dominus velut inimicus: præcipitavit Israël, præcipitavit omnia mœnia ejus: dissipavit munitiones ejus, & replevit in filia Juda humiliatum & humiliatam.

VAU.

6 Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum: oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, & sabbatum; & in opprobrium, & in indignationem furoris sui, regem, & sacerdotem.

ZAIN.

C 7 Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manu inimici muros turrium ejus: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die sollemni.

HETH.

8 Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum suum, & non avertit manum suam à perditione: luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.

TETH.

9 Defixæ sunt in terra portæ ejus: perdidit, & contrivit vectes ejus; regem ejus & principes ejus in Gentibus: non est lex, & prophetæ ejus non invenerunt visionem à Domino.

JOD.

10 Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion: conspersérunt cinere capita sua, accincti

sunt ciliciis, abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem.

CAPH.

11 Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra jecur meum super contritione filiæ populi mei, cùm deficeret parvulus & lactens in plateis oppidi. D

LAMED.

12 Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum & vinum? & cùm deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis: cùm exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.

MEM.

13 Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exæquabo te, & consolabor te virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?

NUN.

14 Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, E
nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas, & ejectiones.

SAMECH.

15 Plausérunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt, & moverunt caput suum super filiã Jerusalem. Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ?

PHE.

16 Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & F
dixerunt: Devorabimus: en ista est dies, quam expectabamus: invenimus, vidimus.

AIN.

17 *Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis: destruxit, & non pepercit, & lætificavit super te inimicum, & exaltavit cornu hostium tuorum. *Levit. 26. b. 14 Deut. 28. b. 15.

SADE.

18 Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion: *Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. * Jer. 14. c. 17. Sup. 1. f. 16.

COPH.

19 Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.

RES.

20 Vide Domine, & considera quem vindemiaveris ita: ergóne comedent mulieres fructum G
suum, parvulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, & propheta?

SIN.

21 Jacuerunt in terra foris puer & senex: virgines meæ, & juvenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es.

THAU.

22 Vocasti quasi ad diem sollemnem, qui terrerent me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini qui effugeret, & relinqueretur, quos educavi, & enutrivi, inimicus meus consumpsit eos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPUT III.

ALEPH.

A 1 EGo vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.

ALEPH.

2 Me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.

ALEPH.

3 Tantùm in me vertit, & convertit manum suam tota die.

BETH.

4 Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam, contrivit ossa mea.

BETH.

5 Ædificavit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.

BETH.

6 In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.

GHIMEL.

7 Circumædificavit adversum me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum.

GHIMEL.

8 Sed & cùm clamavero, & rogavero: exclusit orationem meam.

GHIMEL.

B 9 Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.

DALETH.

10 Ursus insidians factus est mihi: leo in absconditis.

DALETH.

11 Semitas meas subvertit, & confregit me: posuit me desolatam.

DALETH.

12 Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.

HE.

13 Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.

HE.

14 Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.

HE.

15 Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.

VAU.

16 Et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere.

VAU.

17 Et repulsa est à pace anima mea, oblitus sum bonorum.

VAU.

C 18 Et dixi: Periit finis meus, & spes mea à Domino.

ZAIN.

19 Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthij, & fellis.

ZAIN.

20 Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.

ZAIN.

21 Hæc recolens in corde meo, ideò sperabo.

HETH.

22 Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes ejus.

HETH.

23 Novi diluculo, multa est fides tua.

HETH.

24 Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.

TETH.

25 Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.

TETH.

26 Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

TETH.

27 Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab D adolescentia sua.

JOD.

28 Sedebit solitarius, & tacebit: quia levavit super se.

JOD.

29 Ponet in pulvere os suum, si fortè sit spes.

JOD.

30 Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.

CAPH.

31 Quia non repellet in sempiternum Dominus.

CAPH.

32 Quia si abjecit, & miserebitur secundùm multitudinem misericordiarum suarum.

CAPH.

33 Non enim humiliavit ex corde suo, & abjecit filios hominum.

LAMED.

34 Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ.

LAMED.

35 Ut declinaret judicium viri in conspectu vultus Altissimi.

LAMED.

36 Ut perverteret hominem in judicio suo, Dominus ignoravit. E

MEM.

37 * Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non jubente? * *Amos 3. b. 6.*

MEM.

38 Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona?

MEM.

39 Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis?

NUN.

40 Scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum.

NUN.

41 Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos.

NUN.

42 Nos iniquè egimus, & ad iracundiam provocavimus: idcircò tu inexorabilis es.

SAMECH.

43 Operuisti in furore, & percussisti nos: occidisti, nec pepercisti.

SAMECH.

44 Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.

SAMECH.

F 45 Eradicationem, & abjectionem posuisti me in medio populorum.

PHE.

46 Aperuerunt super nos os suũ omnes inimici.

PHE.

47 Formido & laqueus facta est nobis vaticinatio, & contritio.

PHE.

48 Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei.

AIN.

49 Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eò quòd non esset requies.

AIN.

50 Donec respiceret & videret Dominus de cælis.

AIN.

51 Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.

SADE.

52 Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis.

SADE.

53 Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.

SADE.

54 Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi: Perij.

COPH.

55 Invocavi nomen tuũ Dñe de lacu novissimo.

COPH.

G 56 Vocem meam audisti: ne avertas aurem tuam à singultu meo, & clamoribus.

COPH.

57 Appropinquasti in die, quando invocavi te: dixisti: Ne timeas.

RES.

58 Judicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ.

RES.

59 Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me: judica judicium meum.

RES.

60 Vidisti omnem furorem: universas cogitationes eorum adversum me.

SIN.

61 Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum adversum me.

SIN.

62 Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum adversum me tota die.

SIN.

63 Sessionem eorum, & resurrectionem eorum, vide; ego sum psalmus eorum.

THAU.

64 Reddes eis vicem Domine juxta opera manuum suarum.

THAU.

65 Dabis eis scutum cordis laborem tuum.

THAU.

66 Persequêris in furore, & conteres eos sub cælis Domine.

CAPUT IV.

ALEPH.

1 QUomodo obscuratum est aurum, mutatus A est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum?

BETH.

2 Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?

GHIMEL.

3 Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.

DALETH.

4 Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti: parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

HE.

5 Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.

VAU.

6 Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, * quæ subversa est in momento, & non ceperunt in ea manus. *1. Gen. 19. v. 24.*

ZAIN.

7 Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores B lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.

HETH.

8 Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum.

TETH.

9 Meliùs fuit occisis gladio, quàm interfectis fame: quoniam isti extabuerunt consumpti à sterilitate terræ.

JOD.

10 Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum, in contritione filiæ populi mei.

CAPH.

11 Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: & succendit ignem in Sion, & devoravit fundamenta ejus.

LAMED.

12 Non crediderunt reges terræ, & universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis & inimicus per portas Jerusalem:

MEM.

13 Propter peccata prophetarum ejus, & ini- C quitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum.

NUN.

14 Erraverunt cæci in plateis, polluti sunt in sanguine: cúmque non possent, tenuerunt lacinias suas.

SAMECH.

15 Recedite polluti, clamaverunt eis: recedite, abite, nolite tangere: jurgati quippe sunt, & commoti dixerunt inter Gentes: Non addet ultrà ut habitet in eis.

PHE.

16 Facies Domini divisit eos, non addet ut respiciat

Universidad de Deusto
Biblioteca

respiciat eos; facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.

AIN.

17 Cùm adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrũ vanum, cùm respiceremus attenti ad gentẽ, quę salvare non poterat.

SADE.

D 18 Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum, appropinquavit finis noster; completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.

COPH.

19 Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.

RES.

20 Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus: In umbra tua vivemus in Gentibus.

SIN.

21 Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in Terra Hus: ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis.

THAU.

22 Completa est iniquitas tua filia Sion, non addet ultrà ut transmigret te: visitavit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua.

ORATIO JEREMIÆ PROPHETÆ.

Caput V.

A 1 REcordare Domine quid acciderit nobis: intuere, & respice opprobrium nostrum.

2 Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos.

3 Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ.

4 Aquam nostram pecunia bibimus: ligna nostra pretio comparavimus.

5 Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.

6 Ægypto dedimus manum, & Assyriis ut saturaremur pane. B

7 Patres nostri peccaverunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portavimus.

8 Servi dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum.

9 In animabus nostris afferebamus panem nobis, à facie gladij in deserto.

10 Pellis nostra, qua clibanus exusta est à facie tempestatum famis.

11 Mulieres in Sion humiliaverunt, & virgines in civitatibus Juda.

12 Principes manu suspensi sunt: facies senum non erubuerunt.

13 Adolescentibus impudicè abusi sunt: & C pueri in ligno corruerunt.

14 Senes defecerunt de portis, juvenes de choro psallentium.

15 Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster.

16 Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccavimus.

17 Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideò contenebrati sunt oculi nostri.

18 Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.

19 Tu autem Domine in æternum permanebis, solium tuum in generationem & generationẽ. D

20 Quare in perpetuum oblivisceris nostri? derelinques nos in longitudine dierum?

21 Converte nos Domine ad te; & convertemur: innova dies nostros, sicut à principio.

22 Sed projiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer.

PROPHETIA BARUCH.

Caput Primum.

Judæi à Babylone mittunt ad eos qui erant in Jerusalem librum Baruch una cum collectis pecuniis ut oblatis holocaustis orent pro ipsis, & pro Nabuchodonosor, filióque ejus Baltassar: ac confitentur peccata sua.

A 1  T hæc verba libri, quæ scripsit Baruch filius Neriæ, filij Maasiæ, filij Sedeciæ, filij Sedei, filij Helciæ, in Babylonia,

2 In anno quinto, in septimo die mensis, in tempore quo ceperunt Chaldæi Jerusalem, & succenderunt eam igni.

3 Et legit Baruch verba libri hujus ad aures Jechoniæ filij Joakim regis Juda, & ad aures universi populi venientis ad librum,

4 Et ad aures potentium filiorum regum, & ad aures presbyterorum, & ad aures populi, à minimo usque ad maximum eorum omnium habitantium in Babylonia, ad flumen Sodi.

5 Qui audientes plorabant, & jejunabant, & orabant in conspectu Domini.

6 Et collegerunt pecuniam secundùm quod potuit uniuscujusque manus,

7 Et miserunt in Jerusalem ad Joakim filium B Helciæ filij Salom Sacerdotem, & ad Sacerdotes, & ad omnem populum, qui inventi sunt cum eo in Jerusalem:

8 Cùm acciperet vasa templi Domini, quæ ablata fuerant de templo, revocare in Terram Juda decima die mensis Sivan vasa argentea, quæ fecit Sedecias filius Josiæ rex Juda,

9 Posteaquam cepisset Nabuchodonosor rex Babylonis Jechoniam, & principes, & cunctos potentes. & populum terræ, ab Jerusalem, & duxit eos vinctos in Babylonem.

10 Et dixerunt: Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri:

11 Et orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis,

Babylonis, & pro vita Baltassar filij ejus, ut sint dies eorum sicut dies cæli super terram:

12 Et ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet C oculos nostros, ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor regis Babylonis, & sub umbra Baltassar filij ejus, & serviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conspectu eorum.

13 Et pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum: quia peccavimus Domino Deo nostro, & non est aversus furor ejus à nobis usque in hunc diem.

14 Et legite librum istum, quem misimus ad vos recitari in templo Domini, in die sollemni, & in die opportuno:

* *Isa. 2. b. 6.* 15 Et dicetis: * Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostræ, sicut est dies hæc omni Juda, & habitantibus in Jerusalem,

16 Regibus nostris, & principibus nostris, & sacerdotibus nostris, & prophetis nostris, & patribus nostris.

* *Dan. 9. a. 5.* 17 * Peccavimus ante Dominum Deum nostrum, & non credidimus, diffidentes in eum:

D 18 Et non fuimus subjectibiles illi, & non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in mandatis ejus, quæ dedit nobis.

19 A die, qua eduxit patres nostros de Terra Ægypti, usque ad diem hanc, eramus incredibiles ad Dominum Deum nostrum: & dissipati recessimus, ne audiremus vocem ipsius.

* *Deut. 28. b. 15.* 20 * Et adhæserunt nobis multa mala, & maledictiones: quæ constituit Dominus Moysi servo suo: qui eduxit patres nostros de Terra Ægypti, dare nobis terram fluentem lac & mel, sicut hodierna die.

21 Et non audivimus vocem Domini Dei nostri secundùm omnia verba prophetarum, quos misit ad nos:

22 Et abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni, operari diis alienis, facientes mala ante oculos Domini Dei nostri.

Caput II.

Judæi in captivitate confitentur propter peccata sua contigisse sibi mala quæ Deus per prophetas suos fuerat comminatus: fusis ergo precibus petunt misericordiam, quam per Moysen fuerat pollicitus se respicientibus daturum.

A 1 PRopter quod statuit Dominus Deus noster verbum suum, quod locutus est ad nos, & ad judices nostros, qui judicaverunt Israël, & ad reges nostros, & ad principes nostros, & ad omnem Israël, & Juda:

2 Ut adduceret Dominus super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cælo, quemadmodum * *Deut. 28. f. 53.* facta sunt in Jerusalem, * secundùm quæ scripta sunt in lege Moysi,

3 Ut manducaret homo carnes filij sui, & carnes filiæ suæ.

4 Et dedit eos sub manu regum omnium, qui sunt in circuitu nostro, in improperium, & in desolationem in omnibus populis, in quibus nos dispersit Dominus.

5 Et facti sumus subtus, & non supra: quia peccavimus Domino Deo nostro, non obaudiendo voci ipsius.

* *Sup. 1. c. 15.* 6 * Domino Deo nostro justitia: nobis autem, & patribus nostris cõfusio faciei, sicut est dies hęc. B

7 Quia locutus est Dominus super nos omnia mala hæc, quæ venerunt super nos:

8 Et non fumus deprecati faciem Domini Dei nostri, ut reverteremur unusquisque nostrûm à viis nostris pessimis.

9 Et vigilavit Dominus in malis, & adduxit ea super nos: quia justus est Dominus in omnibus operibus suis, quæ mandavit nobis:

10 Et non audivimus vocem ipsius ut iremus in præceptis Domini, quę dedit ante faciem nostram.

11 * Et nunc Domine Deus Israël, qui eduxisti * *Dan. 9. d. 15.* populum tuum de Terra Ægypti in manu valida, C & in signis, & in prodigiis, & in virtute tua magna, & in brachio excelso, & fecisti tibi nomen sicut est dies iste:

12 Peccavimus, impiè egimus, iniquè gessimus, Domine Deus noster, in omnibus justitiis tuis.

13 Avertatur ira tua à nobis: quia derelicti sumus pauci inter gentes, ubi dispersisti nos.

14 Exaudi Domine preces nostras, & orationes nostras, & educ nos propter te: & da nobis invenire gratiam ante faciem eorum, qui nos abduxerunt.

15 Ut sciat omnis terra quia tu es Dominus Deus noster, quia nomen tuum invocatum est super Israël, & super genus ipsius.

16 * Respice Domine de domo sancta tua in * *Deut. 26. c. 15. Isa. 63. d. 15.* nos, & inclina aurem tuam, & exaudi nos.

17 * Aperi oculos tuos, & vide: * quia non * *Isa. 37. d. 17. 64. c. 9.* mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, dabunt honorem & justificationem Domino: * *Psal. 113. d. 17.*

18 Sed anima, quæ tristis est super magnitudine mali, & incedit curva, & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam & justitiam Domino. D

19 Quia non secundùm justitias patrum nostrorum nos fundimus preces, & petimus misericordiam ante conspectum tuum, Domine Deus noster.

20 Sed quia misisti iram tuam, & furorem tuum super nos, sicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum, dicens:

21 Sic dicit Dominus: Inclinate humerum vestrum, & cervicem vestram, & opera facite regi E Babylonis: & sedebitis in terra, quam dedi patribus vestris.

22 Quòd si non audieritis vocem Domini Dei vestri operari regi Babyloniæ: defectionem vestram faciam de civitatibus Juda, & à foris Jerusalẽ.

23 Et auferam à vobis vocem jucunditatis, & vocem gaudij, & vocem sponsi, & vocem sponsæ: & erit omnis terra sine vestigio ab inhabitantibus eam.

24 Et non audierunt vocem tuam, ut operarentur regi Babylonis: & statuisti verba tua, quæ locutus es in manibus puerorum tuorum prophetarum, ut transferrentur ossa regum nostrorum, & ossa patrum nostrorum de loco suo:

25 Et ecce projecta sunt in calore solis, & in gelu noctis: & mortui sunt in doloribus pessimis, in fame & in gladio, & in emissione.

26 Et posuisti templum, in quo invocatum est F

Universidad de Deusto
Biblioteca

nomen tuum in ipso, sicut hæc dies, propter iniquitatem domus Israël, & domus Juda.

27 Et fecisti in nobis Domine Deus noster secundùm omnem bonitatem tuam, & secundùm omnem miserationem tuam illam magnam:

28 Sicut locutus es in manu pueri tui Moysi, in die qua præcepisti ei scribere legem tuam coram filiis Israël,

* Lev. 26.b.14. Deut. 28.b.15. 29 Dicens: * Si non audieritis vocem meam, multitudo hæc magna convertetur in minimam inter Gentes, quò ego eos dispergam:

30 Quia scio quòd me non audiet populus, populus est enim dura cervice: & convertetur ad cor suum in terra captivitatis suæ:

G 31 Et scient quia ego sum Dominus Deus eorum, & dabo eis cor, & intelligent; aures, & audient.

32 Et laudabunt me in terra captivitatis suæ, & memores erunt nominis mei.

33 Et avertent se à dorso suo duro, & à maligitatibus suis: quia reminiscentur viam patrum suorum qui peccaverunt in me.

34 Et revocabo illos in terram, quam juravi patribus eorum, Abraham, Isaac, & Jacob, & dominabuntur eis: & multiplicabo eos, & non minorabuntur.

35 Et statuam illis testamentum alterum sempiternum, ut sim illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non movebo ampliùs populum meum, filios Israël, à terra quam dedi illis.

Caput III.

Perseverant confiteri peccata sua & patrum suorum, obsecrantes Deum pro misericordia: Israel in captivitatem ductus est, eò quod dereliquerit viam sapientiæ quæ non invenitur à potentibus, divitibus, aut gigantibus, sed populo Israël tradita fuerat à Deo, cui omnes suæ creaturæ obediunt: additúrque de Christi adventu in carnem.

A 1 ET nunc Domine omnipotens, Deus Israël, anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te:

2 Audi Domine, & miserere, quia Deus es misericors, & miserere nostri: quia peccavimus ante te.

3 Quia tu sedes in sempiternum, & nos peribimus in ævum?

4 Domine omnipotens, Deus Israël, audi nunc orationem mortuorum Israël, & filiorum ipsorum qui peccaverunt ante te, & non audierunt vocem Domini Dei sui, & agglutinata sunt nobis mala.

5 Noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum, sed memento manus tuæ, & nominis tui in tempore isto:

6 Quia tu es Dominus Deus noster, & laudabimus te Domine:

7 Quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris, & ut invocemus nomen tuum, & laudemus te in captivitate nostra, quia convertimur ab iniquitate patrum nostrorum, qui peccaverunt ante te.

B 8 Et ecce nos in captivitate nostra sumus hodie, qua nos dispersisti in improperium, & in maledictum, & in peccatum, secundùm omnes iniquitates patrum nostrorum, qui recesserunt à te Domine Deus noster.

9 Audi Israël mandata vitæ: auribus percipe, ut scias prudentiam.

10 Quid est Israël quòd in terra inimicorum es?

11 Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum.

12 Dereliquisti fontem sapientiæ.

13 Nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna.

14 Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ & victus, ubi sit lumen oculorum, & pax.

15 Quis invenit locum ejus? & quis intravit in thesauros ejus.

16 Ubi sunt principes Gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram?

17 Qui in avibus cæli ludunt,

18 Qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant & solicitati sunt, nec est inventio operum illorum?

19 Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum surrexerunt.

20 Juvenes viderunt lumen, & habitaverunt C
super terram: viam autem disciplinæ ignoraverũt,

21 Neque intellexerunt semitas ejus, neque filij eorum susceperunt eam, à facie ipsorum longè facta est:

22 Non est audita in Terra Chanaan, neque visa est in Theman.

23 Filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ, & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ & intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus.

24 O Israël, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus!

25 Magnus est, & non habet finem; excelsus & immensus.

26 Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum.

27 Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt: propterea perierunt.

28 Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.

29 Quis ascendit in cælum, & accepit eam, & D
eduxit eam de nubibus?

30 Quis transfretavit mare, & invenit illam? & attulit illam super aurum electum?

31 Non est qui possit scire vias ejus, neque qui exquirat semitas ejus.

32 Sed qui scit universa, novit eam, & adinvenit eam prudentia sua: qui præparavit terram in æterno tempore, & replevit eam pecudibus, & quadrupedibus:

33 Qui emittit lumen, & vadit: & vocavit illud, & obedit illi in tremore.

34 Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis: & lætatæ sunt:

35 Vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus: & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.

36 Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum.

37 Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit

tradidit illam Jacob puero suo, & Israël dilecto suo.

38 Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.

Caput IV.

Jerusalem suam luget desolationem, hortatúrque filios suos ut forti sint animo: nam sicut propter ipsorum peccata Deus eos tradidit adversariis, ita eis liberatis puniet hostes ipsorum.

A 1 HIc liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mortem.

2 Convertere Jacob, & apprehende eam, ambula per viam ad splendorem ejus contra lumen ejus.

3 Ne tradas alteri gloriam tuam, & dignitatem tuam genti alienæ.

4 Beati sumus Israël: quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.

5 Animæquior esto populus Dei, memorabilis Israël:

6 Venumdati estis Gentibus non in perditionem: sed propter quòd in ira ad iracundiam provocastis Deum, traditi estis adversariis.

B 7 Exacerbastis enim eum qui fecit vos, Deum æternum, immolantes dæmoniis, & non Deo.

8 Obliti enim estis Deum, qui nutrivit vos, & contristastis nutricem vestram Jerusalem.

9 Vidit enim iracundiam à Deo venientem vobis, & dixit: Audite confines Sion, adduxit enim mihi Deus luctum magnum:

10 Vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum, & filiarum, quam superduxit illis æternus.

11 Nutrivi enim illos cum jucunditate: dimisi autem illos cum fletu & luctu.

12 Nemo gaudeat super me viduam, & desolatam: à multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum, quia declinaverunt à lege Dei.

C 13 Justitias autem ipsius nescierunt, nec ambulaverunt per vias mandatorum Dei, neque per semitas veritatis ejus cum justitia ingressi sunt.

14 Veniant confines Sion, & memorentur captivitatem filiorum, & filiarum mearum, quam superduxit illis æternus.

15 Adduxit enim super illos gentem de longinquo, gentem improbam, & alterius linguæ:

16 Qui non sunt reveriti semen, neque puerorum miserti sunt, & abduxerunt dilectos viduæ, & à filiis unicam desolaverunt.

17 Ego autem quid possum adjuvare vos?

18 Qui enim adduxit super vos mala, ipse vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum.

19 Ambulate filij, ambulate: ego enim derelicta sum sola.

D 20 Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis, & clamabo ad Altissimum in diebus meis.

21 Animæquiores estote filij, clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu principum inimicorum.

22 Ego enim speravi in æternum salutem vestram: & venit mihi gaudium à sancto super misericordia, quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro.

23 Emisi enim vos cum luctu & ploratu: reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio & jucunditate in sempiternum.

24 Sicut enim viderunt vicinæ Sion captivitatem vestram à Deo, sic videbunt & in celeritate salutem vestram à Deo, quæ supervenient vobis cum honore magno, & splendore æterno. E

25 Filij patienter sustinete iram, quæ supervenit vobis: persecutus est enim te inimicus tuus, sed citò videbis perditionem ipsius: & super cervices ipsius ascendes.

26 Delicati mei ambulaverunt vias asperas: ducti sunt enim ut grex direptus ab inimicis.

27 Animæquiores estote filij, & proclamate ad Dominum: erit enim memoria vestra ab eo qui duxit vos.

28 Sicut enim fuit sensus vester ut erraretis à Deo: decies tantùm iterùm convertentes requiretis eum.

29 Qui enim induxit vobis mala, ipse rursum F
adducet vobis sempiternam jucunditatem cum salute vestra.

30 Animæquior esto Jerusalem, exhortatur enim te, qui te nominavit.

31 Nocentes peribunt, qui te vexaverunt: & qui gratulati sunt in tua ruina, punientur.

32 Civitates, quibus servierunt filij tui, punientur; & quæ accepit filios tuos.

33 Sicut enim gavisa est in tua ruina, & lætata est in casu tuo, sic contristabitur in sua desolatione.

34 Et amputabitur exultatio multitudinis ejus, & gaudimonium ejus erit in luctum.

35 Ignis enim superveniet ei ab æterno in lon- G
giturnis diebus, & habitabitur à dæmoniis in multitudine temporis.

36 * Circumspice Jerusalem ad Orientem, & * Inf. 5. b. 5.
vide jucunditatem à Deo tibi venientem.

37 Ecce enim veniunt filij tui, quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab Oriente usque ad Occidentem, in verbo sancti gaudentes in honorem Dei.

Caput V.

Iubetur Jerusalem luctum exuere, eò quòd filij ejus cum ignominia ducti in captivitatem, cum gloria sint ad eam reducendi.

1 EXue te Jerusalem stola luctus, & vexationis A
tuæ: & indue te decore, & honore ejus, quæ à Deo tibi est, sempiternæ gloriæ.

2 Circumdabit te Deus diploide justitiæ, & imponet mitram capiti honoris æterni.

3 Deus enim ostendet splendorem suum in te, omni qui sub cælo est.

4 Nominabitur enim tibi nomen tuum à Deo in B
sempiternum: Pax justitiæ, & honor pietatis.

5 Exurge Jerusalem, & sta in excelso: * & * Sup. 4. g. 36.
circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente sole usque ad Occidentem, in verbo sancti gaudentes Dei memoria.

6 Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimi- C
cis: adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore sicut filios regni.

7 Constituit enim Deus humiliare omnem montem excelsum, & rupes perennes, & convalles replere in æqualitatem terræ: ut ambulet Israël diligenter in honorem Dei.

8 Obumbraverunt autem & silvæ, & omne lignum suavitatis, Israël ex mandato Dei.

9 Adducet enim Deus Israël cum jucunditate in lumine majestatis suæ, cum misericordia, & justitia, quæ est ex ipso.

Caput VI.

Judæos apud Babylonios captivos vaticinatur Jeremias post septem generationes liberandos: hortatúrque, ut sibi caveant ab illorum idololatria, ostendens à plurimis effectibus imbecillia esse idola, penitúsque sensu carentia, ac vanissima.

A EXemplar epistolæ, quam misit Jeremias ad abducendos captivos in Babyloniam à rege Babyloniorum, ut annuntiaret illis secundùm quod præceptum est illi à Deo.

* *Ier. 25. b. 9.* 1 *Propter peccata, quę peccastis ante Deum, abducemini in Babyloniam captivi à Nabuchodonosor rege Babyloniorum.

2 Ingressi itaque in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis, usque ad generationes septem: post hoc autem educam vos inde cum pace.

* *Isa. 44. b. 10.* 3 * Nunc autem videbitis in Babylonia deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari, ostentantes metum Gentibus.

4 Videte ergo ne & vos similes efficiamini factis alienis, & metuatis, & metus vos capiat in ipsis.

5 Visa itaque turba de retro, & ab ante, adorantes, dicite in cordibus vestris: Te oportet adorari Domine.

6 Angelus enim meus vobiscum est: ipse autem exquiram animas vestras.

7 Nam lingua ipsorum polita à fabro, ipsa etiam inaurata & inargentata, falsa sunt, & non possunt loqui.

8 Et sicut virgini amanti ornamenta; ita accepto auro fabricati sunt.

9 Coronas certè aureas habent super capita sua dij illorum: unde subtrahunt sacerdotes ab eis aurum, & argentum, & arrogant illud in semetipsos.

10 Dant autem & ex ipso prostitutis, & meretrices ornant: & iterùm cùm receperint illud à meretricibus, ornant deos suos.

11 Hi autem non liberantur ab ærugine & tinea.

B 12 Opertis autem illis veste purpurea, extergunt faciem ipsorum propter pulverem domus, qui est plurimus inter eos.

13 Sceptrum autem habet ut homo, sicut judex regionis, qui in se peccantem non interficit.

14 Habet etiam in manu gladium, & securim, se autem de bello, & à latronibus non liberat. unde vobis notum sit quia non sunt dij.

15 Non ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur, tales sunt & dij illorum.

16 Constitutis illis in domo, oculi eorum pleni sunt pulvere à pedibus introeuntium.

17 Et sicut alicui qui regem offendit, circumseptæ sunt januæ: aut sicut ad sepulchrum adductum mortuum, ita tutantur sacerdotes ostia clausuris & seris, ne à latronibus expolientur.

18 Lucernas accendunt illis, & quidem multas, ex quibus nullam videre possunt: sunt autem sicut trabes in domo.

19 Corda verò eorum dicunt elingere serpentes, qui de terra sunt, dum comedunt eos, & vestimentum ipsorum, & non sentiunt.

20 Nigræ fiunt facies eorum à fumo, qui in domo fit.

21 Supra corpus eorum, & supra caput eorum volant noctuæ, & hirundines, & aves etiam similiter & cattæ.

22 Unde sciatis quia non sunt dij. Ne ergo timueritis eos.

23 Aurum etiam quod habent, ad speciem est. C Nisi aliquis exterserit æruginem, non fulgebunt: neque enim dum conflarentur, sentiebant.

24 Ex omni pretio empta sunt, in quibus spiritus non inest ipsis.

25 * Sine pedibus in humeris portantur, ostentantes ignobilitatem suam hominibus. Confundantur etiam qui colunt ea. * *Isa. 46 c. 7.*

26 Propterea si ceciderint in terram, à semetipsis non consurgunt: neque si quis eum statuerit rectum, per semetipsum stabit: sed sicut mortuis munera eorum illis apponentur.

27 Hostias illorum vendunt sacerdotes ipsorum, & abutuntur: similiter & mulieres eorum decerpentes, neque in firmo, neque mendicanti aliquid impertiunt;

28 * De sacrificiis eorum fœtæ & menstruatæ contingunt. Scientes itaque ex his quia non sunt dij, ne timeatis eos.

29 Unde enim vocantur dij? Quia mulieres apponunt diis argenteis, & aureis, & ligneis:

30 Et in domibus eorum sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam, quorum capita nuda sunt.

31 Audiunt autem clamantes contra deos suos, sicut in cœna mortui.

32 Vestimenta eorum auferunt sacerdotes, & vestiunt uxores suas, & filios suos. D

33 Neque si quid mali patiuntur ab aliquo, neque si quid boni, poterunt retribuere: neque regem constituere possunt, neque auferre.

34 Similiter neque dare divitias possunt, neque malum retribuere. Si quis illis votum voverit, & non reddiderit; neque hoc requirunt.

35 Hominem à morte non liberant, neque infirmum à potentiori eripiunt.

36 Hominem cæcum ad visum non restituunt, de necessitate hominem non liberabunt.

37 Viduæ non miserebuntur: neque orphanis benefacient.

38 Lapidibus de monte similes sunt dij illorum, lignei, & lapidei, & aurei, & argentei. Qui autem colunt ea, confundentur.

39 Quomodo ergo æstimandum est, aut dicendum, illos esse deos?

40 Adhuc enim ipsis Chaldæis non honorantibus ea: qui cùm audierint mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel, postulantes ab eo loqui:

41 Quasi possint sentire qui non habent motum, & ipsi cùm intellexerint, relinquent ea: sensum enim non habent ipsi dij illorum.

42 Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa olivarum.

43 Cùm autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte

E transeunte dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat quòd ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis ejus diruptus sit.

44 Omnia autem quæ illis fiunt, falsa sunt. Quomodo æstimandum aut dicendũ est, illos esse deos?

45 A fabris autem, & ab aurificibus facta sũt. Nihil aliud erunt, nisi id quod volunt esse sacerdotes.

46 Artifices etiam ipsi, qui ea faciunt, non sunt multi temporis. Numquid ergo possunt ea quæ fabricata sunt ab ipsis esse dij?

47 Reliquerunt autem falsa & opprobrium posteà futuris.

48 Nam cùm supervenerit illis prælium, & mala; cogitant sacerdotes apud se, ubi se abscondant cum illis.

49 Quomodo ergo sentiri debeant quoniam dij sunt, qui nec de bello se liberant neque de malis se eripiunt?

50 Nam cùm sint lignea, inaurata, & inargentata, scietur posteà quia falsa sunt, ab universis Gentibus & regibus: quæ manifesta sunt quia non sunt dij, sed opera manuum hominum, & nullum Dei opus cum illis.

51 Unde ergo notum est, quia non sunt dij, sed opera manuum hominum, & nullum Dei opus in ipsis est?

52 Regem regioni non suscitant, neque pluviam hominibus dabunt.

F 53 Judicium quoque non discernent, neque regiones liberabunt ab injuria: quia nihil possunt, sicut corniculæ inter medium cæli & terræ.

54 Etenim cùm inciderit ignis in domum deorum ligneorum, argenteorum, & aureorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient, & liberabuntur: ipsi verò sicut trabes in medio comburentur:

55 Regi autem, & bello non resistent. Quomodo ergo æstimandum est, aut recipiendum quia dij sunt?

56 Non à furibus, neque à latronibus se liberabunt dij lignei, & lapidei, & inaurati, & inargentati, quibus hi qui fortiores sunt,

57 Aurum, & argentum, & vestimentum, quo operti sunt, auferent illis, & abibunt, nec sibi auxilium ferent.

58 Itaque melius est esse regem ostentantem virtutem suam; aut vas in domo utile, in quo gloriabitur qui possidet illud; vel ostium in domo, quod custodit quæ in ipsa sunt; quàm falsi dij.

59 Sol quidem, & luna, ac sidera cùm sint splendida, & emissa ad utilitates, obaudiunt.

60 Similiter & fulgur cum apparuerit, perspicuum est: idipsum autem & spiritus in omni regione spirat.

61 Et nubes, quibus cùm imperatum fuerit à Deo perambulare universum orbem, perficiunt quod imperatum est eis.

62 Ignis etiam missus desuper ut consumat montes, & silvas, facit quod præceptum est ei. Hæc autem neque speciebus, neque virtutibus uni eorum similia sunt. G

63 Unde neque existimandum est, neque dicendum, illos esse deos, quando non possunt neque judicium judicare, neque quidquam facere hominibus.

64 Scientes itaque quia non sunt dij, ne ergo timueritis eos.

65 Neque enim regibus maledicent, neque benedicent.

66 Signa etiam in cælo Gentibus non ostendunt, neque ut sol lucebunt, neque illuminabunt ut luna.

67 Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum, ac prodesse sibi.

68 Nullo itaque modo nobis est manifestum quia sunt dij: propter quod ne timeatis eos.

69 Nam sicut in cucumerario formido nihil custodit: ita sunt dij illorum lignei, & argentei, & inaurati.

70 Eodem modo & in horto spina alba, supra quam omnis avis sedet. Similiter & mortuo projecto in tenebris, similes sunt dij illorum lignei, & inaurati, & inargentati.

71 A purpura quoque & murice, quæ supra illos tineant, scietis itaque quia non sunt dij. Ipsi etiam postremò comeduntur, & erunt opprobrium in regione.

72 Melior est homo justus, qui non habet simulachra: nam erit longè ab opprobriis.

PROPHETIA EZECHIELIS.

Caput Primvm.

Tempus & locus quibus Ezechieli ostensa sunt visiones Dei: nempe in medio ignis similitudo quatuor animalium quæ describuntur, similiter & rotarum, firmamenti, throni, & hominis in throno sedentis igne circumdati.

A 1 IT factum est in trigesimo anno, in quarto, in quinta mensis, cùm essem in medio captivorum * juxta fluvium Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei. * *Inf. 3. f. 23. 10. d. 20. 43. n. 3.*

2 In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachim,

3 Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus Domini.

4 Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone; & nubes magna, & ignis involvens, & splendor in circuitu ejus: & de medio ejus quasi species electri, id est de medio ignis: B

5 Et in medio ejus similitudo quatuor animalium: & hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.

6 Quatuor

Universidad de Deusto
Biblioteca

6 Quattuor facies uni, & quattuor pennæ uni.
7 Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli,& scintillæ quasi aspectus æris candentis.
8 Et manus hominis sub pennis eorum in quattuor partibus:& facies & pennas per quattuor partes habebant.
C 9 Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum. non revertebantur cùm incederent : sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.
10 Similitudo autem vultus eorum : facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quattuor; facies autem bovis, à sinistris ipsorum quattuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quattuor.
11 Facies eorum, & pennæ eorum extentæ desuper : duæ pennæ singulorum jungebantur, & duæ tegebant corpora eorum :
12 Et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat : ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cùm ambularent.
D 13 Et similitudo animalium, aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium,& quasi aspectus lãpadarum.Hæc erat visio discurrẽs in medio animalium,splendor ignis,& de igne fulgur egrediẽs.
14 Et animalia ibant & revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis.
15 Cúmque adspicerem animalia,apparuit rota una super terram juxta animalia, habens quattuor facies.
16 Et aspectus rotarum, & opus earum, quasi visio maris : & una similitudo ipsarum quattuor: & aspectus earum & opera,quasi sit rota in medio rotæ.
17 Per quattuor partes earum euntes ibant, & non revertebantur cùm ambularent.
E 18 Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus : & * totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quattuor.
* Inf. 10. c. 12.
19 Cúmque ambularent animalia,ambulabant pariter & rotæ juxta ea : & cùm elevarentur animalia de terra, elevabantur simul & rotæ.
20 Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter elevabantur, sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.
21 Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant : & cum elevatis à terra, pariter elevabantur & rotæ, sequentes ea : quia spiritus vitæ erat in rotis.
F 22 Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis; & extenti super capita eorum desuper.
23 Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum : unumquodque duabus alis velabat corpus suum,& alterũ similiter velabatur.
24 Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei : cùm ambularent quasi sonus erat multitudinis ut sonus castrorum. cúmque starent, demittebant pennæ eorum.
G 25 Nam cùm fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant, & submittebant alas suas.
26 Et super firmamentum,quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni : & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper.
27 Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis,intrinsecus ejus per circuitum : à lumbis ejus & desuper, & à lumbis ejus usque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu.
28 Velut aspectum arcus cùm fuerit in nube in die pluviæ. hic erat aspectus splendoris per gyrũ.

Caput II.

Roboratur propheta exterritus,ut intrepidè arguat rebelles filios Israël, si quo modo tandem ab inveteratis peccatis resipiscant, & jubetur comedere librum scriptum intus & foris,in quo erant lamentationes, & carmen, & væ.

1 HÆc visio similitudinis gloriæ Domini : & vidi, & cecidi in faciem meam, & audivi vocem loquentis. Et dixit ad me : Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum. A
2 Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos : & audivi loquentem ad me,
3 Et dicentem : Fili hominis, mitto ego te ad filios Israël, ad Gentes apostatrices, quæ recesserunt à me : ipsi & patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc. B
4 Et filij dura facie, & indomabili corde sunt,ad quos ego mitto te:& dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus :
5 Si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescant, quoniam domus exasperans est : & scient quia propheta fuerit in medio eorum.
6 Tu ergo fili hominis ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quoniam increduli & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est. C
7 Loquẽris ergo verba mea ad eos, si fortè audiant, & quiescant : quoniam irritatores sunt.
8 Tu autem fili hominis audi quæcumque loquor ad te, & noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est: aperi os tuum & comede quæcumque ego do tibi. D
9 Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber : & expandit illum coram me, * qui erat scriptus intus & foris : & scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ. * Apoc. 5. a. 1.

Caput III.

Comesto libro datur prophetæ facies adamantina, ut intrepidè arguat durissimos filios Israël in transmigratione constitutos : missus autem constituitur speculator, qui si visum imminens malum non annuntiaverit, ejus qui perit reus efficitur; si autem annuntiaverit, animam suam liberat, etiam si alius pereat : deindè campum ingressus, visaque ibi gloria Domini, jubetur in domo sua includi, tamquam vinctus ac mutus.

1 ET dixit ad me : Fili hominis quodcumque inveneris comede : comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israël. A
2 Et aperui os meum,& cibavit me volumine illo :
3 Et dixit ad me : Fili hominis venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. * Et comedi illud : & factum est in ore meo sicut mel dulce. * Apoc. 10. d. 9. 10.
4 Et dixit ad me : Fili hominis vade ad domum Israël, & loquẽris verba mea ad eos.

5 Non

5 Non enim ad populum profundi sermonis & ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Israël :
6 Neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones : & si ad illos mittereris, ipsi audirent te.
B 7 Domus autem Israël nolunt audire te : quia nolunt audire me, omnis quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde.
8 Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.
9 Ut adamantem,& ut silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas à facie eorum : quia domus exasperans est.
10 Et dixit ad me : Fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi :
C 11 Et vade ingredere ad transmigrationem, ad filios populi tui, & loquẽris ad eos, & dices eis : Hæc dicit Dominus Deus : si fortè audiant, & quiescant.
12 Et assumpsit me spiritus, & audivi post me vocem commotionis magnæ : Benedicta gloria Domini de loco suo;
13 Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, & vocem rotarum sequentium animalia, & vocem commotionis magnæ.
D 14 Spiritus quoque levavit me, & assumpsit me : & abij amarus in indignatione spiritus mei : manus enim Domini erat mecum,confortans me.
15 Et veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum,ad eos qui habitabant juxta flumen Chobar, & sedi ubi illi sedebant : & mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum.
16 Cùm autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens :
* Inf. 33. h. 7. 17 * Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël : & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me.
E 18 Si dicente me ad impium : Morte morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur à via sua impia, & vivat:ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.
19 Si autem tu annuntiaveris impio,& ille non fuerit conversus ab impietate sua,& à via sua impia : ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.
20 Sed & si conversus justus à justitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem : ponam offendiculum coram eo, ipse morietur,quia non annuntiasti ei : in peccato suo morietur, & non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit : sanguinem verò ejus de manu tua requiram.
F 21 Si autem tu annuntiaveris justo ut non peccet justus, & ille non peccaverit : vivens vivet, quia annuntiasti ei, & tu animam tuam liberasti.
22 Et facta est super me manus Domini,& dixit ad me : Surgens egredere in campum, & ibi loquar tecum.
23 Et surgens egressus sum in campum : & ecce ibi gloria Domini stabat quasi gloria, quam vidi * juxta fluvium Chobar : & cecidi in faciem meam. * Sup. 1. a. 3.
24 Et ingressus est in me spiritus, & statuit me super pedes meos : & locutus est mihi,& dixit ad me : Ingredere,& includere in medio domus tuæ. G
25 Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis : & non egredieris de medio eorum.
26 Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir objurgans : quia domus exasperans est.
27 Cùm autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum,& dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus: Qui audit, audiat : & qui quiescit, quiescat : quia domus exasperans est.

Caput IV.

Iubetur propheta figurare obsidionem Ierusalem, ac dormire super latus sinistrum 390. diebus, super dextrum verò 40. ac vilem cibum & fœdè confectum sibi præparare : quibus designet calamitatem filiorum Israël, obsidionem & afflictionem habitantium Ierosolymis.

1 ET tu fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te : & describes in eo civitatem Jerusalem. A
2 Et ordinabis adversus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis cõtra eam castra,& pones arietes in gyro.
3 Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum inter te, & inter civitatem : & obfirmabis faciem tuam ad eam,& erit in obsidionem, & circumdabis eam : signum est domui Israël.
4 Et tu dormies super latus tuum sinistrum, & pones iniquitates domus Israël super eo, numero dierum quibus dormies super illud,& assumes iniquitatem eorum.
5 Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos & nonaginta dies : & portabis iniquitatem domus Israël. B
6 Et cùm compleveris hæc, dormies super latus tuum dexterum secundò : & * assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus. diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. * Num. 14. f. 34.
7 Et ad obsidionem Jerusalem convertes faciem tuam, & brachium tuum erit extentum : & prophetabis adversus eam.
8 Ecce circumdedi te vinculis : & non te convertes à latere tuo in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuæ.
9 Et tu sume tibi frumentum, & hordeum, & fabam, & lentem,& milium, & viciam : & mittes ea in vas unum, & facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum : trecentis & nonaginta diebus comedes illud.
10 Cibus autem tuus quo vescẽris, erit in pondere viginti stateres in die : à tempore usque ad tempus comedes illud. C
11 Et aquam in mensura bibes, sextam partem hinc : à tempore usque ad tempus bibes illud.
12 Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud : & stercore,quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum.
13 Et dixit Dominus : Sic comedent filij Israël * panem suum pollutum inter Gentes, ad quas eijciam eos. * Osee. 9. a. 4.
14 Et dixi : Aaa, Domine Deus, ecce anima

Universidad de Deusto
Biblioteca

mea non est polluta; & morticinum: & laceratum à bestiis non comedi ab infantia mea usque nunc, & non est ingressa in os meum omnis caro immunda.

D 15 Et dixit ad me: Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis: & facies panem tuum in eo.

16 Et dixit ad me: Fili hominis: * Ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem: & comedent panem in pondere, & in solicitudine: & aquam in mensura, & in angustia bibent:

17 Ut deficientibus pane & aqua, corruat unusquisque ad fratrem suum: & contabescant in iniquitatibus suis.

Infr. 5. d. 16. 14. f. 13.

CAPUT V.

Per detonsos capitis & barbæ propheta pilos jussu Domini, variéque consumptos, designantur Judæi, propter sua peccata fame & gladio consumendi; sic ut patres filios, & filij patres comedant; reliqui verò in captivitatem ducendi, ubi sint opprobrium ac stupor Gentibus, quarum superarunt scelera.

A 1 ET tu fili hominis sume tibi gladium acutum, radentem pilos: & assumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam: & assumes tibi stateram ponderis, & dividés eos.

2 Tertiam partem igni combures in medio civitatis, juxta completionem dierum obsidionis: & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu ejus: tertiam verò aliam disperges in ventum, & gladium nudabo post eos.

3 Et sumes inde parvum numerum: & ligabis eos in summitate pallij tui.

4 Et ex eis rursum tolles, & projicies eos in medio ignis, & combures eos igni: & ex eo egredietur ignis in omnem domum Israël.

5 Hæc dicit Dominus Deus: Ista est Jerusalem, in medio Gentium posui eam, & in circuitu ejus terras.

B 6 Et contempsit judicia mea, ut plus esset impia quàm Gentes; & præcepta mea, ultrà quàm terræ quæ in circuitu ejus sunt. judicia enim mea projecerunt, & in præceptis meis non ambulaverunt.

7 Idcircò hæc dicit Dominus Deus: Quia superastis Gentes, quæ in circuitu vestro sunt, & in præceptis meis non ambulastis, & judicia mea non fecistis, & juxta judicia Gentium, quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati;

8 Ideò hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui judicia in oculis Gentium.

9 Et faciam in te quod non feci, & quibus similia ultrà non faciam, propter omnes abominationes tuas.

10 Ideò patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos, & faciam in te judicia, & ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum.

C 11 Idcircò vivo ego, dicit Dominus Deus: Nisi pro eo quòd sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis: ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miserebor.

12 Tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui: & tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam verò partem tuam in omnem ventum dispergam, & gladium evaginabo post eos.

13 Et complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor: & scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cùm implevero indignationem meam in eis.

14 Et dabo te in desertum & in opprobrium Gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis prætereuntis. D

15 Et eris opprobrium, & blasphemia, exemplum, & stupor in Gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, cùm fecero in te judicia in furore, & in indignatione, & in increpationibus iræ.

16 Ego Dominus locutus sum: Quando misero sagittas famis pessimas in eos; quæ erunt mortiferæ, & quas mittam ut disperdam vos: & famem congregabo super vos, & * conteram in vobis baculum panis. *Sup. 4. d. 16. Infr. 14. d. 13.*

17 Et immittam in vos famem, & bestias pessimas usque ad internecionem: & pestilentia & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te. ego Dominus locutus sum.

CAPUT VI.

Propter multiplicem idololatriam filiorum Israël, prædicuntur eorum urbes & excelsa dissipanda, & qui pestem, gladium & famem evaserint, dispergendi inter Gentes, ubi malis pressi, convertentur ad Dominum.

1 ET factus est sermo Domini ad me, dicens: A

2 Fili hominis pone faciem tuam ad montes Israël, & prophetabis ad eos,

3 Et dices: * Montes Israël audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus, rupibus, & vallibus: Ecce ego inducam super vos gladium, & disperdam excelsa vestra, *Infr. 36. a. 1.*

4 Et demoliar aras vestras, & confringentur simulachra vestra: & dejiciam interfectos vestros ante idola vestra.

5 Et dabo cadavera filiorum Israël ante faciem simulachrorum vestrorum: & dispergam ossa vestra circum aras vestras,

6 In omnibus habitationibus vestris. Urbes desertæ erunt, & excelsa demolientur, & dissipabuntur: & interibunt aræ vestræ, & confringentur: & cessabunt idola vestra, & conterentur delubra vestra, & delebuntur opera vestra. B

7 Et cadet interfectus in medio vestri: & scietis quia ego sum Dominus.

8 Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in Gentibus, cùm dispersero vos in terris.

9 Et recordabuntur mei liberati vestri in Gentibus, ad quas captivi ducti sunt: quia contrivi cor eorum fornicans, & recedens à me; & oculos eorum fornicantes post idola sua: & displicebunt sibimet super malis quæ fecerunt in universis abominationibus suis. C

10 Et scient, quia ego Dominus non frustrà locutus sum, ut facerem eis malum hoc.

11 Hæc dicit Dominus Deus: Percute manum tuam, & allide pedem tuum, & dic: Heu, ad omnes abominationes malorum domus Israël: quia gladio, fame, & peste ruituri sunt.

12 Qui longè est, peste morietur: qui autem propè,

propè, gladio corruet: & qui relictus fuerit, & obsessus, fame morietur: & complebo indignationem meam in eis.

D 13 Et scietis quia ego Dominus, cùm fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, in circuitu ararum vestrarum, in omni colle excelso, & in cunctis summitatibus montium, & subtus omne lignum nemorosum, & subtus universam quercum frondosam, locum ubi accenderunt thura redolentia universis idolis suis.

14 Et extendam manum meam super eos: & faciam terram desolatam & destitutam, à deserto Deblatha, in omnibus habitationibus eorum: & scient quia ego Dominus.

CAPUT VII.

Denuntiat propheta totius terræ Iuda extremam & inevitabilem vastationem proximè imminere propter ipsorum scelera.

A 1 ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2 Et tu fili hominis, hæc dicit Dominus Deus terræ Israël: Finis venit, venit finis super quattuor plagas terræ.

3 Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te: & judicabo te juxta vias tuas: & ponam contra te omnes abominationes tuas.

4 Et non parcet oculus meus super te, & non miserebor: sed vias tuas ponam super te, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & scietis quia ego Dominus.

B 5 Hæc dicit Dominus Deus: Afflictio una, afflictio ecce venit.

6 Finis venit, venit finis, evigilavit adversum te: ecce venit.

7 Venit contritio super te, qui habitas in terra: venit tempus, propè est dies occisionis, & non gloriæ montium.

8 Nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te: & judicabo te juxta vias tuas, & imponam tibi omnia scelera tua.

C 9 Et non parcet oculus meus, nec miserebor, sed vias tuas imponam tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & scietis quia ego sum Dominus percutiens.

10 Ecce dies, ecce venit: egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia:

11 Iniquitas surrexit in virga impietatis; non ex eis, & non ex populo, neque ex sonitu eorum: & non erit requies in eis.

12 Venit tempus, appropinquavit dies: qui emit, non lætetur: & qui vendit, non lugeat: quia ira super omnem populum ejus.

D 13 Quia qui vendit, ad id quod vendidit, non revertetur, & adhuc in viventibus vita eorum. visio enim ad omnem multitudinem ejus non regredietur: & vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur.

14 Canite tuba, præparentur omnes, & non est qui vadat ad prælium: ira enim mea super universum populum ejus.

15 Gladius foris; & pestis & fames intrinsecus: qui in agro est, gladio morietur: & qui in civitate, pestilentia & fame devorabuntur.

16 Et salvabuntur qui fugerint ex eis: & erunt in montibus quasi columbæ convallium omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua.

17 Omnes manus dissolventur, & omnia genua fluent aquis.

18 * Et accingent se ciliciis, & operiet eos formido, & in omni facie confusio, & in universis capitibus eorum calvitium. E *Isa. 15. a. 2. Ier. 48. f. 37.*

19 Argentum eorum foras projicietur, & aurum eorum in sterquilinium erit. * Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur: quia scandalum iniquitatis eorum factum est. *Prov. 11. a. 4. Sophon. 1. d. 18. Eccli. 5. c. 10.*

20 Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum & simulachrorum fecerunt ex eo: propter hoc dedi eis illud in immunditiam: F

21 Et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, & impiis terræ in prædam, & contaminabunt illud.

22 Et avertam faciem meam ab eis, & violabunt arcanum meum: & introibunt in illud emissarij, & contaminabunt illud.

23 Fac conclusionem: quoniam terra plena est judicio sanguinum, & civitas plena iniquitate.

24 Et adducam pessimos de Gentibus, & possidebunt domos eorum: & quiescere faciam superbiã potentium, & possidebunt sanctuaria eorũ. G

25 Angustia superveniente, requirent pacem, & non erit.

26 Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum: & quærent visionem de propheta, & lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus.

27 Rex lugebit, & princeps induetur mœrore, & manus populi terræ conturbabuntur. Secundùm viam eorum faciam eis, & secundùm judicia eorum judicabo eos: & scient quia ego Dominus.

CAPUT VIII.

Ezechiel post visam Dei similitudinem, spiritu raptus in Ierusalem, videt pessimas Iudæorum idololatrias sub variis figuris: quare dicit Dominus se eis non parciturum, nec orationes exauditurum.

1 ET factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis: ego sedebam in domo mea, & senes Juda sedebant coram me, & cecidit ibi super me manus Domini Dei. A

2 Et vidi, & ecce similitudo quasi aspectus ignis: ab aspectu lumborum ejus, & deorsum, ignis: & à lumbis ejus, & sursum, quasi aspectus splendoris, ut visio electri.

3 * Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei: & elevavit me spiritus inter terram & cælum: & adduxit me in Jerusalem in visione Dei, juxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. *Dan. 14. f. 35.* B

4 Et ecce ibi gloria Dei Israël, secundùm visionem quam videram in campo.

5 Et dixit ad me: Fili hominis, leva oculos tuos ad viam Aquilonis. Et levavi oculos meos ad viam Aquilonis: & ecce ab Aquilone portæ altaris, idolum zeli in ipso introitu. C

6 Et dixit ad me: Fili hominis, putásne, vides tu quid isti faciunt, abominationes magnas, quas

domus Israël facit hîc ut procul recedam à sanctuario meo ? & adhuc conversus videbis abominationes majores.

7 Et introduxit me ad ostium atrij : & vidi, & ecce foramen unum in pariete.

D 8 Et dixit ad me : Fili hominis fode parietem. Et cùm fodissem parietem,apparuit ostium unum.

9 Et dixit ad me : Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hîc.

10 Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium & animalium, abominatio, & universa idola, domus Israël depicta erant in pariete in circuitu per totum.

E 11 Et septuaginta viri de senioribus domus Israël, & Jezonias filius Saphan stabat in medio eorum, stantium ante picturas : & unusquisque habebat thuribulum in manu sua:& vapor nebulæ de thure consurgebat.

12 Et dixit ad me : Certè vides fili hominis quæ seniores domus Israël faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui : dicunt enim:Non videt Dominus nos , dereliquit Dominus terram.

F 13 Et dixit ad me : Adhuc conversus videbis abominationes majores , quas isti faciunt.

14 Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem : & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.

15 Et dixit ad me:Certè vidisti fili hominis:adhuc cõversus videbis abominationes majores his.

16 Et introduxit me in atrium domus Domini interius : & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare,quasi viginticuinque viri, dorsa habentes contra templum Domini , & facies ad Orientem : & adorabant ad ortum Solis.

G 17 Et dixit ad me : Certè vidisti fili hominis : numquid leve est hoc domui Juda , ut facerent abominationes istas , quas fecerunt hîc : quia replentes terram iniquitate,conversi sunt ad irritandum me:& ecce applicant ramum ad nares suas.

18 Ergo & ego faciam in furore : non parcet oculus meus , nec miserebor : & cùm clamaverint ad aures meas voce magna , non exaudiam eos.

Caput IX.

Apparentes sex viri jubentur omnes in Ierusalem trucidare, qui a viro lineis vestito non sunt signo thau notati : quo facto Dominus exclamanti prophetæ respondet id futurum exigentibus ipsorum criminibus.

A 1 ET clamavit in auribus meis voce magna,dicens : Appropinquaverunt visitationes urbis , & unusquisque vas interfectionis habet in manu sua.

2 Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris , quæ respicit ad Aquilonem : & uniuscujusque vas interitus in manu ejus : vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes ejus : & ingressi sunt , & steterunt juxta altare æreum :

B 3 Et gloria Domini Israël assumpta est de cherub, quæ erat super eum ad limen domus : & vocavit virum , qui indutus erat lineis , & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis.

4 Et dixit Dominus ad eum : Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem : * & signa thau super frontes virorum gementium,& dolentium super cunctis abominationibus,quæ fiunt in medio ejus. *Exod. 12. b. 7. Apoc. 7. a. 3.

5 Et illis dixit , audiente me : Transite per civitatem sequentes eum , & percutite : non parcat oculus vester , neque misereamini.

C 6 Senem , adolescentulum , & virginem, parvulum , & mulieres , interficite usque ad internecionem : omnem autem , super quem videritis thau , ne occidatis , & à sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo à viris senioribus , qui erant ante faciem domus.

7 Et dixit ad eos : Contaminate domum,& implete atria interfectis : egredimini. Et egressi sunt, & percutiebant eos qui erant in civitate.

8 Et cæde completa , remansi ego : ruíque super faciem meam , & clamans aio : Heu , heu , heu Domine Deus : ergóne dispersurus es omnes reliquias Israël , effundens furorem tuum super Jerusalem ?

D 9 Et dixit ad me : Iniquitas domus Israël & Juda , magna est nimis valdè , & repleta est terra sanguinibus , & civitas repleta est aversione : dixerunt enim : Dereliquit Dominus terram , & Dominus non videt.

10 Igitur & meus non parcet oculus,neque miserebor : viam eorum super caput eorum reddam.

11 Et ecce vir, qui erat indutus lineis , qui habebat atramentarium in dorso suo , respondit verbum , dicens : Feci sicut præcepisti mihi.

Caput X.

Jubetur vir lineis vestitus accipere prunas ignis de medio rotarum , quæ sunt subtus cherubim , & super civitatem effundere : describitur visio Dei, cherubim , & quattuor rotarum.

A 1 ET vidi, & ecce in firmamento,quod erat super caput cherubim , quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis solij , apparuit super ea.

2 Et dixit ad virum , qui indutus erat lineis,& ait : Ingredere in medio rotarum , quæ sunt subtus cherubim,& imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter cherubim, & effunde super civitatem. Ingressúsque est in conspectu meo :

3 Cherubim autem stabant à dextris domus cùm ingrederetur vir , & nubes implevit atrium interius.

4 Et elevata est gloria Domini desuper cherub ad limen domus : & repleta est domus nube , & atrium repletum est splendore gloriæ Domini.

5 Et sonitus alarum cherubim audiebatur usque ad atrium exterius , quasi vox Dei omnipotentis loquentis.

B 6 Cúmque præcepisset viro , qui indutus erat lineis,dicens : Sume ignem de medio rotarum,quę sunt inter cherubim : ingressus ille stetit juxta rotam.

7 Et extendit cherub manum de medio cherubim, ad ignem, qui erat inter cherubim,& sumpsit , & dedit in manus ejus, qui indutus erat lineis : qui accipiens egressus est.

8 Et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum.

9 Et vidi,& ecce quattuor rotę juxta cherubim: rota una juxta cherub unum , & rota alia juxta cherub

cherub unum : species autem rotarum erat quasi visio lapidis chrysolithi.

10 Et aspectus earum similitudo una quattuor : quasi sit rota in medio rotæ.

11 Cúmque ambularent, in quattuor partes gradiebantur : & non revertebantur ambulantes, sed ad locum , ad quem ire declinabat quæ prima erat,sequebantur & ceteræ , nec convertebantur.

C 12 Et omne corpus earum, & colla , & manus, & pennæ, & circuli,plena erant oculis, in circuitu quattuor rotarum.

13 Et rotas istas vocavit volubiles , audiente me.

14 Quattuor autẽ facies habebat unũ:facies una, facies cherub : & facies secunda, facies hominis: & in tertio facies leonis:& in quarto facies aquilæ.

15 Et elevata sunt cherubim : ipsum est animal, quod videram juxta fluvium Chobar.

16 Cúmque ambularent cherubim , ibant pariter & rotæ juxta ea : & cùm elevarent cherubim alas suas ut exaltarentur de terra , non residebant rotæ , sed & ipsæ juxtà erant.

17 Stantibus illis , stabant : & cum elevatis elevabantur. spiritus enim vitæ erat in eis.

D 18 Et egressa est gloria Domini à limine templi : & stetit super cherubim.

19 Et elevantia cherubim alas suas exaltata sunt à terra coram me & illis egredientibus , rotæ quoque subsecutæ sunt : & stetit in introitu portæ domus Domini orientalis:& gloria Dei Israël erat super ea.

* *Sup. 1. a. 1. 3.* 20 Ipsum est animal , quod vidi subter Deum Israel * juxta fluvium Chobar : & intellexi quia cherubim essent.

21 Quattuor vultus uni , & quattuor alæ uni:& similitudo manus hominis sub alis eorum.

22 Et similitudo vultuum eorum , ipsi vultus quos videram juxta fluvium Chobar , & intuitus eorum , & impetus singulorum ante faciem suam ingredi.

Caput XI.

*Adversus Iezoniam & Pheltiam qui dicebant, pessimum tractantes consilium,*Nónne dudum ædificatæ sunt domus:hæc est lebes,nos autem carnes ; *vaticinatur illos & quotquot nolunt respipiscere pwiendos : & prophetante Ezechiele moritur est Pheltias : reliquias autem Israël dicit se reducturum in terram ipsorum , & daturum eis cor carneum , ut colant ac timeant Dominum.*

A 1 ET elevavit me spiritus, & introduxit me ad portam domus Domini orientalem,quæ respicit ad solis ortum : & ecce in introitu portæ viginticuinque viri : & vidi in medio eorum Jezoniam filium Azur , & Pheltiam filium Banaiæ , principes populi.

2 Dixítque ad me : Fili hominis , hi sunt viri, qui cogitant iniquitatem , & tractant consilium pessimum in urbe ista.

3 Dicentes : Nónne dudum ædificatæ sunt domus ? hæc est lebes , nos autem carnes.

4 Idcircò vaticinare de eis,vaticinare fili hominis.

5 Et irruit in me spiritus Domini & dixit ad me: Loquere:Hæc dicit Dominus : Sic locuti estis domus Israël, & cogitationes cordis vestri ego novi.

6 Plurimos occidistis in urbe hac , & implestis vias ejus interfectis.

7 Propterea hæc dicit Dominus Deus : Interfecti vestri,quos posuistis in medio ejus , hi sunt carnes , & hæc est lebes : & educam vos de medio ejus. B

8 Gladium metuistis , & gladium inducam super vos,ait Dominus Deus.

9 Et ejiciam vos de medio ejus,dabóque vos in manu hostium,& faciam in vobis judicia.

10 Gladio cadetis : in finibus Israël judicabo vos , & scietis quia ego Dominus.

11 Hæc non erit vobis in lebetem , & vos non eritis in medio ejus in carnes : in finibus Israël judicabo vos.

12 Et scietis quia ego Dominus:quia in præceptis meis non ambulastis , & judicia mea non fecistis , sed juxta judicia Gentium , quæ in circuitu vestro sunt , estis operati.

13 Et factum est, cùm prophetarem , Pheltias filius Banaiæ mortuus est : & cecidi in faciem meam clamans voce magna,& dixi:Heu,heu,heu Domine Deus : consummationem tu facis reliquiarum Israël ?

14 Et factum est verbum Domini ad me,dicens:

15 Fili hominis , fratres tui, fatres tui,viri propinqui tui,& omnis domus Israël,universi,quibus dixerunt habitatores Jerusalem : Longè recedite à Domino,nobis data est terra in possessionem. C

16 Propterea hæc dicit Dominus Deus , quia longè feci eos in Gentibus, & quia dispersi eos in terris:ero eis in sanctificationem modicam in terris , ad quas venerunt.

17 Propterea loquere : Hæc dicit Dominus Deus : Congregabo vos de populis , & adunabo de terris in quibus dispersi estis , dabóque vobis humum Israël.

18 Et ingredientur illuc , & auferent omnes offensiones,cũctásque abominationes ejus de illa.

19 * Et dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum : & auferam cor lapideum de carne eorum,& dabo eis cor carneum: *Ier. 31. f. 33. Infr. 36. a. 26.

20 Ut in præceptis meis ambulent,& judicia mea custodiant , faciántque ea : & sint mihi in populum , & ego sim eis in Deum. D

21 Quorum cor post offendicula & abominationes suas ambulat,horum viam in capite suo ponam : dicit Dominus Deus.

22 Et elevaverunt cherubim alas suas, & rotæ cum eis : & gloria Dei Israël erat super ea.

23 Et ascendit gloria Domini de medio civitatis,stetítque super montẽ,qui est ad Orientẽ urbis.

24 Et spiritus levavit me, adduxítque in Chaldæam ad transmigrationem, in visione, in spiritu Dei : & sublata est à me visio , quam videram.

25 Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini, quæ ostenderat mihi.

Caput. XII.

Ezechiel suis factis portendit futuram Ierusalem & regis ipsius captivitatem , reliquis gladio , peste & fame in Ierusalem consumptis : ostendit etiam visionem prophetarum non cassam futuram , nec in longum differendam.

A 1 ET factus est sermo Domini ad me , dicens: 2 Fili hominis in medio domus exasperãtis

Universidad de Deusto
Biblioteca

tu habitas: qui oculos habent ad videndum, & non vident: & aures ad audiendum, & non audiunt: quia domus exasperans est.

3 Tu ergo fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, & transmigrabis per diem coram eis: transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum, in conspectu eorum, si fortè aspiciant: quia domus exasperans est.

B 4 Et efferes foras vasa tua quasi vasa transmigrantis per diem in conspectu eorum: tu autem egredieris vespere coram eis, sicut egreditur migrans.

5 Ante oculos eorum perfode tibi parietem: & egredieris per eum.

6 In conspectu eorum in humeris portaberis, in caligine effereris: faciem tuam velabis, & non videbis terram: quia portentum dedi te domui Israël.

7 Feci ergo sicut præceperat mihi Dominus: vasa mea protuli quasi vasa transmigrantis per diem: & vespere perfodi mihi parietem manu: & in caligine egressus sum, in humeris portatus in conspectu eorum.

C 8 Et factus est sermo Domini manè ad me, dicens:

9 Fili hominis, numquid non dixerunt ad te domus Israël, domus exasperans: Quid tu facis?

10 Dic ad eos: Hęc dicit Dominus Deus: Super ducem onus istud, qui est in Jerusalem, & super omnem domum Israël, quæ est in medio eorum.

11 Dic: Ego portentum vestrum quomodo feci, sic fiet illis in transmigrationem, & in captivitatem ibunt.

12 Et dux, qui est in medio eorum, in humeris portabitur, in caligine egredietur: parietem perfodient ut educant eum: facies ejus operietur ut non videat oculo terram.

D 13 *Et extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea: & adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum: & ipsam non videbit, ibíque morietur.

*Inf. 17. f. 20.

14 Et omnes qui circa eum sunt, præsidium ejus, & agmina ejus, dispergam in omnem ventum: & gladium evaginabo post eos.

15 Et scient quia ego Dominus, quando dispersero illos in Gentibus, & disseminavero eos in terris.

16 Et relinquam ex eis viros paucos, à gladio, & fame, & pestilentia: ut enarrent omnia scelera eorum in Gentibus, ad quas ingredientur: & scient quia ego Dominus.

E 17 Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

18 Fili hominis, panem tuum in conturbatione comede: sed & aquam tuam in festinatione & mœrore bibe.

19 Et dices ad populum terræ: Hæc dicit Dominus Deus ad eos, qui habitant in Jerusalem in terra Israël: Panem suum in solicitudine comedent, & aquam suam in desolatione bibent: ut desoletur terra à multitudine sua, propter iniquitatem omnium qui habitant in ea.

F 20 Et civitates quæ nunc habitantur, desolatæ erunt, terráque deserta: & scietis quia ego Dominus.

21 Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

22 Fili hominis, quod est proverbium istud vobis in terra Israël, dicentium: In longum differentur dies, & peribit omnis visio?

23 Ideò dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Quiescere faciam proverbium istud: neque vulgò dicetur ultrà in Israël: & loquere ad eos quòd appropinquaverint dies, & sermo omnis visionis.

24 Non enim erit ultrà omnis visio cassa, neque divinatio ambigua in medio filiorum Israël.

25 Quia ego Dominus loquar: & quodcumque G locutus fuero verbum, fiet, & non prolongabitur ampliùs: sed in diebus vestris domus exasperãs loquar verbum, & faciam illud, dicit Dominus Deus.

26 Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

27 Fili hominis, ecce domus Israël dicentium: visio, quam hîc videt, in dies multos, & in tempora longa iste prophetat.

28 Propterea dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Non prolongabitur ultrà omnis sermo meus: verbum, quod locutus fuero, complebitur, dicit Dominus Deus.

Caput XIII.

Minatur Dominus pseudoprophetis ex suo cerebro divinantibus, populúmque seducentibus, falsam promittendo pacem, & parietem luto absque paleis liniendo; similiter & filiabus Israël de corde suo prophetantibus, & pulvillos sub omni cubito consuentibus.

1 ET factus est sermo Domini ad me, dicens: A

2 Fili hominis, vaticinare ad prophetas Israël, qui prophetant: & dices prophetantibus de corde suo: Audite verbum Domini:

3 Hæc dicit Dominus Deus: * Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.

*Jer. 23. a. 1. Inf. 14. c. 9. 34. a. 2.

4 Quasi vulpes in desertis, prophetæ tui Israël erant.

5 Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini.

6 Vident vana, & divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus: cùm Dominus non miserit eos: & perseveraverunt confirmare sermonem.

7 Numquid non visionem cassam vidistis, & divinationem mendacem locuti estis? & dicitis, Ait Dominus; cùm ego non sim locutus.

8 Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti estis vana, & vidistis mendacium: ideò ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus:

9 Et erit manus mea super prophetas, qui B vident vana, & divinant mendacium: in consilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israël non scribentur: nec in terram Israël ingredientur: & scietis quia ego Dominus Deus.

10 Eò quòd deceperint populum meum, dicentes: Pax, & non est pax: & ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis.

11 Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quòd casurus sit: erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem.

12 Siquidem ecce cecidit paries: numquid non dicetur vobis: Ubi est litura, quam linistis?

13 Propterea hæc dicit Dominus Deus: & erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione

gnatione mea, & imber inundans in furore meo erit: & lapides grandes in ira in consumptionem.

C 14 Et destruam parietem, quem linistis absque temperamento: & adæquabo eum terræ, & revelabitur fundamẽtum ejus: & cadet, & consumetur in medio ejus: & scietis quia ego sum Dominus.

15 Et complebo indignationem meam in pariete, & in his qui liniunt eum absque temperamento, dicámque vobis: Non est paries, & non sunt qui liniunt eum.

16 Prophetæ Israël, qui prophetant ad Jerusalem, & vident ei visionem pacis: & non est pax, ait Dominus Deus.

17 Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo: & vaticinare super eas,

18 Et dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus: & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas: & cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum.

19 Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.

D 20 Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad pulvillos vestros quibus vos capitis animas volantes: & dirumpam eos de brachiis vestris: & dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum.

21 Et dirumpam cervicalia vestra, & liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt ultrà in manibus vestris ad prædandum: & scietis quia ego Dominus.

22 Pro eo quòd mœrere fecistis cor justi mendaciter, quem ego non contristavi: & confortastis manus impij, ut non reverteretur à via sua mala, & viveret:

23 Propterea vana non videbitis, & divinationes non divinabitis ampliùs, & eruam populum meum de manu vestra: & scietis quia ego Dominus.

Caput XIV.

Comminatur Dominus idololatris qui veniunt ad prophetas, ut per eos consulant Dominum, dicens se illos perditurum, & prophetas decepturum, ut respondeant juxta illorum iniquitates: Noë autem, Danielem & Iob sua justitia liberaturos se tantùm, & non impios de fame, malis bestiis, gladio & peste, quæ in populum peccatorem immittet Dominus: additur etiam consolatio reliquiarum Israël.

A 1 ET venerunt ad me viri seniorum Israël, & sederunt coram me.

2 Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

3 Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis, & scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam: numquid interrogatus respondebo eis?

B 4 Propter hoc loquere eis, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Homo homo de domo Israël, qui posuerit immunditias suas in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & venerit ad prophetam interrogans per eum me: ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum:

5 Ut capiatur domus Israël in corde suo quo recesserunt à me in cunctis idolis suis.

6 Propterea dic ad domum Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Convertimini, & recedite ab idolis vestris, & ab universis contaminationibus vestris avertite facies vestras.

7 Quia homo homo de domo Israël, & de proselytis quicumque advena fuerit in Israël, si alienatus fuerit à me, & posuerit idola sua in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciẽ suam, & venerit ad prophetam ut interroget per eum me: ego Dominus respondebo ei per me. C

8 Et ponam faciem meam super hominem illum, & faciam eum in exemplum, & in proverbium, & disperdam eum de medio populi mei: & scietis quia ego Dominus.

9 * Et propheta cùm erraverit, & locutus fuerit verbum: ego Dominus decepi prophetam illum: & extendam manum meam super illum, & delebo eum de medio populi mei Israël.

*Sup. 13. a. 3.

10 Et portabunt iniquitatem suam: juxta iniquitatẽ interrogantis, sic iniquitas prophetæ erit:

11 Ut non erret ultrà domus Israël à me, neque polluatur in universis prævaricationibus suis: sed sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum.

12 Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

13 Fili hominis, terra cùm peccaverit mihi, D ut prævaricetur prævaricans, extendam manum meam super eam, & * conteram virgam panis ejus: & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & jumentum.

*Sup. 4. d. 6. 5 a. 16.

14 Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel, & Job: ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.

15 Quòd si & bestias pessimas induxero super E terram ut vastem eam; & fuerit invia, eò quòd non sit pertransiens propter bestias:

16 Tres viri isti si fuerint in ea, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabũt: sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur.

17 Vel si gladium induxero super terram illam, & dixero gladio: Transi per terram: & interfecero de ea hominem, & jumentum.

18 Et tres viri isti fuerint in medio ejus: vivo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios, neque filias: sed ipsi soli liberabuntur.

19 Si autem & pestilentiam immisero super ter- F ram illam, & effudero indignationem meam super eam in sanguine, ut auferam ex ea hominem, & jumentum.

20 Et Noë, & Daniel, & Job fuerint in medio ejus: vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium & filiam non liberabunt: sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas.

21 Quoniam hæc dicit Dominus Deus: Quòd & si quattuor judicia mea pessima, gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam, immisero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem, & pecus.

22 Tamen relinquetur in ea salvatio educentium G filios, & filias: ecce ipsi ingredientur ad vos, & videbitis viam eorum, & adinventiones eorum, & consolabimini super malo, quod induxi in Jerusalem, in omnibus quæ importavi super eam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

23 Et consolabuntur vos, cùm videritis viam
eorum, & adinventiones eorum: & cognoscetis
quòd non frustrà fecerim omnia, quæ feci in ea,
ait Dominus Deus.

Caput XV.

Sicut lignum de vite præcisum soli servit igni, ita Iudæos ob inveteratà peccata cum Ierusalem prædicit exurendos.

A 1 ET factus est sermo Domini ad me, dicens:
2 Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, ex
omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna
silvarum?
3 Numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus,
aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in
eo quodcumque vas.
4 Ecce igni datum est in escam: utramque par-
tem ejus consumpsit ignis, & medietas ejus reda-
cta est in favillam: numquid utile erit ad opus?
B 5 Etiam cùm esset integrum, non erat aptum
ad opus: quantò magis cum illud ignis devora-
verit, & combusserit, nihil ex eo fiet operis?
6 Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quo-
modo lignum vitis inter ligna silvarum, quod de-
di igni ad devorandum, sic tradam habitatores
Jerusalem.
7 Et ponam faciem meam in eos: de igne egre-
dientur, & ignis consumet eos: & scietis quia ego
Dominus, cùm posuero faciem meam in eos,
8 Et dedero terram inviam, & desolatam: eò
quòd prævaricatores extiterint, dicit Dominus
Deus.

Caput XVI.

Ierusalem priùs abjectissima, mirum in modum à Deo exaltata, ostendit ingratitudinem varia idololatria, in qua & Samariam & Sodomam superavit: idcircò tradet eam Dominus in vastationem & in ignominiam omnibus gentibus; servabit tamen pactum reliquiis suis.

A 1 ET factus est sermo Domini ad me, dicens:
2 Fili hominis, notas fac Jerusalem abo-
minationes suas.
3 Et dices: Hæc dicit Dominus Deus Jerusa-
lē: Radix tua, & generatio tua de Terra Chanaan:
pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.
4 Et quando nata es, in die ortus tui: non est
præcisus umbilicus tuus, & aqua non es lota in
salutem, nec sale salita, nec involuta pannis.
5 Non pepercit super te oculus ut faceret tibi
unum de his, misertus tui: sed projecta es super
faciem terræ in abjectione animæ tuæ, in die qua
nata es.
6 Transiens autem per te, vidi te conculcari in
sanguine tuo. & dixi tibi cùm esses in sanguine
tuo: Vive. dixi, inquam, tibi: In sanguine tuo vive.
7 Multiplicatam quasi germen agri dedi te: &
multiplicata es, & grandis effecta, & ingressa es,
& pervenisti ad mundum muliebrem: ubera tua
intumuerunt, & pilus tuus germinavit: & eras
nuda, & confusione plena.
8 Et transivi per te, & vidi te: & ecce tempus
tuum, tempus amantium: & expandi amictum
meum super te, & operui ignominiam tuam. Et
juravi tibi, & ingressus sum pactum tecum (ait
Dominus Deus) & facta es mihi.
9 Et lavi te aqua, & emundavi sanguinem tuum
ex te: & unxi te oleo.
10 Et vestivi te discoloribus, & calceavi te jan-
thino: & cinxi te bysso, & indui te subtilibus.
11 Et ornavi te ornamento, & dedi armillas in B
manibus tuis, & torquem circa collum tuum.
12 Et dedi inaurem super os tuum, & circulos
auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.
13 Et ornata es auro, & argento, & vestita es
bysso & polymito, & multicoloribus: similam, &
mel, & oleum comedisti, & decora facta es ve-
hementer nimis: & profecisti in regnum.
14 Et egressum est nomen tuum in Gentes pro-
pter speciē tuā: quia perfecta eras in decore meo,
quem posueram super te, dicit Dominus Deus.
15 Et habens fiduciam in pulchritudine tua,
fornicata es in nomine tuo: & expostuisti fornica-
tionem tuam omni transeunti, ut ejus fieres.
16 Et sumens de vestimentis tuis, fecisti tibi
excelsa hinc inde consuta: & fornicata es super
eis, sicut non est factum, neque futurum est.
17 Et tulisti vasa decoris tui de auro meo, atque
argento meo, quæ dedi tibi: & fecisti tibi ima-
gines masculinas, & fornicata es in eis.
18 Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria, &
operuisti illas: & oleum meum, & thymiama
meum posuisti coram eis.
19 Et panem meum, quem dedi tibi, similam,
& oleum, & mel, quibus enutrivi te, posuisti in
conspectu eorum in odorem suavitatis, & factum
est, ait Dominus Deus.
20 Et tulisti filios tuos, & filias tuas, quas ge- C
nerasti mihi: & immolasti eis ad devorandum.
Numquid parva est fornicatio tua?
21 Immolasti filios meos, & dedisti, illos con-
secrans, eis.
22 Et post omnes abominationes tuas, & forni-
cationes, non es recordata dierum adolescentiæ
tuæ, quando eras nuda, & confusione plena, con-
culcata in sanguine tuo.
23 Et accidit post omnem malitiam tuam (væ,
væ tibi, ait Dominus Deus.)
24 Et ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi pro-
stibulum in cunctis plateis.
25 Ad omne caput viæ ædificasti signum pro-
stitutionis tuæ: & abominabilem fecisti decorem
tuum: & divisisti pedes tuos omni transeunti, &
multiplicasti fornicationes tuas.
26 Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis
tuis magnarum carnium: & multiplicasti fornica-
tionem tuam ad irritandum me.
27 Ecce ego extendam manum meam super te,
& auferam justificationem tuam: & dabo te in
animas odientium te filiarum Palæstinarum, quæ
erubescunt in via tua scelerata.
28 Et fornicata es in filiis Assyriorum, eò quòd
necdum fueris expleta: & postquam fornicata es,
nec sic es satiata.
29 Et multiplicasti fornicationem tuam in Ter-
ra Chanaan cum Chaldæis: & nec sic satiata es.
30 In quo mundabo cor tuum, ait Dominus
Deus. cùm facias omnia hæc opera mulieris
meretricis, & procacis?
31 Quia fabricasti lupanar tuum in capite om- D
nis viæ, & excelsum tuum fecisti in omni platea:
nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretiū,
32 Sed

32 Sed quasi mulier adultera, quæ super virum
suum inducit alienos.
33 Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu
autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis,
& dona donabas eis, ut intrarent ad te undique
ad fornicandum tecum.
34 Factúmque est in te contra consuetudinem
mulierum in fornicationibus tuis, & post te non
erit fornicatio: in eo enim quòd dedisti merce-
des, & mercedes non accepisti, factum est in te
contrarium.
35 Propterea meretrix audi verbum Domini.
36 Hæc dicit Dominus Deus: Quia effusum
est æs tuum, & revelata est ignominia tua in for-
nicationibus tuis super amatores tuos, & super
idola abominationum tuarum in sanguine filiorum
tuorum, quos dedisti eis:
37 Ecce ego congregabo omnes amatores tuos,
quibus commista es; & omnes quos dilexisti, cum
universis quos oderas: & congregabo eos super
te undique, & nudabo ignominiam tuam coram
eis, & * videbunt omnem turpitudinem tuam.
*Inf.23. b.9.
E 38 Et judicabo te judiciis adulterarum, & effun-
dentium sanguinem: & dabo te in sanguinem fu-
roris & zeli.
39 Et dabo te in manus eorum, & destruent lu-
panar tuum: & demolientur prostibulum tuum:
& denudabunt te vestimentis tuis, & auferent
vasa decoris tui: & derelinquent te nudam, ple-
námque ignominia:
40 Et adducent super te multitudinem, & lapi-
dabunt te lapidibus, & trucidabunt te gladiis suis.
*4. Reg. 25. b.9.
41 * Et comburent domos tuas igni, & facient
in te judicia in oculis mulierum plurimarum: &
desines fornicari, & mercedes ultrà non dabis.
42 Et requiescet indignatio mea in te: & au-
feretur zelus meus à te & quiescam: nec irascar
ampliùs.
43 Eò quòd non fueris recordata dierum ado-
lescentiæ tuæ: & provocasti me in omnibus his:
quapropter & ego vias tuas in capite tuo dedi, ait
Dominus Deus, & non feci juxta scelera tua in
omnibus abominationibus tuis.
44 Ecce omnis, qui dicit vulgò proverbium, in
te assumet illud, dicēs: Sicut mater, ita & filia ejus.
45 Filia matris tuæ es tu, quæ projecit virum
suum, & filios suos: & soror sororum tuarum es
tu, quæ projecerunt viros suos, & filios suos: mater
vestra Cethæa, & pater vester Amorrhæus.
46 Et soror tua major, Samaria, ipsa & filiæ
ejus, quæ habitant ad sinistram tuam: soror autem
tua minor te, quæ habitat à dextris tuis, Sodoma,
& filiæ ejus.
F 47 Sed nec in viis earum ambulasti, neque se-
cundùm scelera earum fecisti pauxillùm minus:
pænè sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis.
48 Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non
feci Sodoma soror tua ipsa, & filiæ ejus, sicut fe-
cisti tu, & filiæ tuæ.
*Gen.19. c.24.
49 * Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis
tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, &
otium ipsius, & filiarum ejus: & manum egeno
& pauperi non porrigebant.
50 Et elevatæ sunt, & fecerunt abominationes
coram me: & abstuli eas sicut vidisti.
51 Et Samaria dimidium peccatorū tuorum non
peccavit: sed vicisti eas sceleribus tuis, & justifi-
casti sorores tuas in omnibus abominationibus
tuis, quas operata es.
52 Ergo & tu porta confusionem tuam, quæ
vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratiùs agens
ab eis: justificatæ sunt enim à te: ergo & tu con-
fundere, & porta ignominiam tuam, quæ justifi-
casti sorores tuas.
53 Et convertam restituens eas conversione
Sodomorum cum filiabus suis, & conversione Sa-
mariæ, & filiarum ejus: & convertam reversio-
nem tuam in medio earum,
54 Ut portes ignominiam tuam, & confunda-
ris in omnibus, quæ fecisti consolans eas.
55 Et soror tua Sodoma, & filiæ ejus revertentur G
tur ad antiquitatem suam: & Samaria, & filiæ ejus
revertentur ad antiquitatem suam: & tu, & filiæ
tuæ, revertemini ad antiquitatem vestram.
56 Non fuit autem Sodoma soror tua audita in
ore tuo, in die superbiæ tuæ,
57 Antequam revelaretur malitia tua: sicut hoc
tempore in opprobrium filiarum Syriæ, & cuncta-
rum in circuitu tuo filiarum Palæstinarum, quæ
ambiunt te per gyrum.
58 Scelus tuum, & ignominiam tuam tu porta-
sti, ait Dominus Deus.
59 Quia hæc dicit Dominus Deus: Et faciam
tibi, sicut despexisti juramentum, ut irritum fa-
ceres pactum:
60 Et recordabor ego pacti mei tecum in die-
bus adolescentiæ tuæ: & suscitabo tibi pactum
sempiternum.
61 Et recordaberis viarum tuarum, & confun-
dêris: cùm receperis sorores tuas te majores cum
minoribus tuis: & dabo eas tibi in filias, sed non
ex pacto tuo.
62 Et suscitabo ego pactum meum tecum: &
scies quia ego Dominus,
63 Ut recorderis, & confundaris, & non sit tibi
ultrà aperire os præ confusione tua, cùm placa-
tus tibi fuero in omnibus quæ fecisti, ait Domi-
nus Deus.

Caput XVII.

Per parabolam de duabus aquilis, & plantata ac crescente vinea quæ non prosperabitur, declaratur quòd rex Babylonis translato in Babylonem rege Ioakim, constituet pro eo regem Sedeciam; qui relicto fœdere cum Nabuchodonosor inito, ad regem Ægypti transfugit: quapropter à Domino tradetur in manus Nabuchodonosor, & ductus in Babylonem morietur ibi: Dominus autem sublimi humiliato exaltabit humilem.

A 1 ET factum est verbum Domini ad me, dicens:
2 Fili hominis propone ænigma, & narra
parabolam ad domum Israël,
3 Et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Aquila
grandis magnarum alarum, longo membrorum
ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Liba-
num, & tulit medullam cedri.
4 Summitatem frondium ejus avulsit: & trans-
portavit eam in Terram Chanaan, in urbe negō-
tiatorum posuit illam.
5 Et tulit de semine terræ, & posuit illud in ter-
ra pro semine, ut firmaret radicem super aquas
multas: in superficie posuit illud.

6 Cúmque

B 6 Cumque germinasset,crevit in vineam latiorem humili statura, respicientibus ramis ejus ad eam : & radices ejus sub illa erant. facta est ergo vinea, & fructificavit in palmites, & emisit propagines.

7 Et facta est aquila altera grandis,magnis alis, multisque plumis : & ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad
C illam, ut irrigaret eam de areolis germinis sui.

8 In terra bona super aquas multas plantata est : ut faciat frondes, & portet fructum, ut sit in vineam grandem.

9 Dic : Hæc dicit Dominus Deus : Ergóne prosperabitur ? nónne radices ejus evellet,& fructus ejus distringet, & siccabit omnes palmites germinis ejus, & arescet:& non in brachio grãdi, neque in populo multo,ut evelleret eam radicitus?

10 Ecce plantata est : ergóne prosperabitur ? nónne cùm tetigerit eam ventus urens siccabitur, & in areis germinis sui arescet ?

11 Et factum est verbũ Domini ad me,dicens:
D 12 Dic ad domum exasperantem : Nescitis quid ista significent?Dic : Ecce venit rex Babylonis in Jerusalem : & assumet regem, & principes ejus,& adducet eos ad semetipsum in Babylonem.

13 Et tollet de semine regni,feriérque cum eo fœdus : & ab eo accipiet jusjurandum. sed & fortes terræ tollet,

14 Ut sit regnum humile, & non elevetur,sed custodiat pactum ejus, & servet illud.

15 Qui recedens ab eo misit nuntios ad Ægyptum, ut daret sibi equos, & populum multum. Numquid prosperabitur, vel consequetur salutem qui fecit hæc ? & qui dissolvit pactum, numquid effugiet ?

E 16 Vivo ego, dicit Dominus Deus : quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, & solvit pactum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.

17 Et non in exercitu grandi,neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium : in jactu aggeris, & in extructione vallorum, ut interficiat animas multas.

18 Spreverat enim juramentum ut solveret fœdus, & ecce dedit manum suam : & cùm omnia hæc fecerit, non effugiet.

F 19 Propterea hæc dicit Dominus Deus : Vivo ego,quoniam juramentum quod sprevit, & fœdus quod prævaricatus est,ponam in caput ejus.

*Sup.12. d.13. Inf.32. n.3. 20 * Et expandam super eum rete meum, & comprehendetur in sagena mea:& adducam eum in Babylonem, & judicabo eum ibi, in prævaricatione qua despexit me.

21 Et omnes profugi ejus cum universo agmine suo, gladio cadent : residui autem in omnem ventum dispergentur : & scietis quia ego Dominus locutus sum.

22 Hæc dicit Dominus Deus : Et sumam ego de medulla cedri sublimis, & ponam : de vertice ramorum ejus tenerum distringam, & plantabo super montem excelsum & eminentem.

G 23 In monte sublimi Israël plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, erit in cedrum magnam : & habitabunt sub ea omnes volucres, & universum volatile sub umbra frondium ejus nidificabit.

24 Et scient omnia ligna regionis,quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, & exaltavi lignum humile : & siccavi lignum viride, & frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus sum, & feci.

Caput XVIII.

Rejecta Judæorum parabola dicit quòd filius non portabit iniquitatem patris, nec contra, sed quisque suam ipsius portabit : quòd si impius pœnitentiam agat, salvabitur : justus verò si suam deserat justitiam, damnabitur : hortatur ergo Dominus ad pœnitentiam & cordis innovationem.

1 ET factus est sermo Domini ad me, dicens : A

2 Quid est quòd inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israël, dicentes: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt ? *Ier. 31. c.29.

3 Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultrà vobis parabola hæc in proverbium in Israël.

4 Ecce omnes animæ, meæ sunt : ut anima patris, ita & anima filij mea est : anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.

5 Et vir si fuerit justus, & fecerit judicium & justitiam,

6 In montibus non comederit, & oculos suos B non levaverit ad idola domus Israël : & uxorem proximi sui non violaverit,& ad mulierem menstruatam non accesserit :

7 Et hominem non contristaverit : pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit:*panem * Isai. suum esurienti dederit,& nudum operuerit vesti- 58.c.7. mento: Mat. 25. c.35.

8 Ad usuram non cõmodaverit & ampliùs non acceperit : ab iniquitate averterit manum suam, & judicium verum fecerit inter virum & virum :

9 In præceptis meis ambulaverit, & judicia mea custodierit ut faciat veritatem : hic justus est, vita vivet, ait Dominus Deus.

10 Quòd si genuerit filium latronem effundentem sanguinem, & fecerit unum de istis : C

11 Et hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem, & uxorem proximi sui polluentem.

12 Egenum & pauperem contristantem,rapientem rapinas,pignus non reddentem, & ad idola levantem oculos suos,abominationem facientem:

13 Ad usuram dantem, & ampliùs accipientem : numquid vivet ? non vivet. cùm universa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis ejus in ipso erit.

14 Quòd si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eis :

15 Super montes non comederit,& oculos suos non levaverit ad idola domus Israël, & uxorem proximi sui non violaverit :

16 Et virum non contristaverit, pignus non retinuerit, & rapinam non rapuerit, panem suum D esurienti dederit,& nudum operuerit vestimento:

17 A pauperis injuria averterit manum suam, usuram & superabundantiã non acceperit,judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit, hic nõ morietur in iniquitate patris sui,sed vita vivet.

18 Pater

18 Pater ejus quia calumniatus est, & vim fecit fratri, & malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua.

19 Et dicitis : Quare non portavit filius iniquitatem patris ? Videlicet, quia filius judicium & justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, & fecit illa, vivet vita.

E 20 * Anima, quæ peccaverit,ipsa morietur : filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij : justitia justi super eum erit, & impietas impij erit super eum.
*Deut. 24.c.16. 4.Reg. 14.b.6. 2.Par. 25.a.4.

21 Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea,& fecerit judicium & justitiam : vita vivet, & non morietur.

22 Omniũ iniquitatũ ejus,quas operatus est,non recordabor:in justitia sua,quam operatus est,vivet.

*Inf.g. 32.33. c.11. 2.Pet.3. c.9. 23 * Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat ?

F 24 Si autem averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet ? omnes justitiæ ejus,quas fecerat,non recordabuntur : in prævaricatione, qua prævaricatus est,& in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.

*Inf.33. d.20. 25 Et dixistis:*Non est æqua via Domini. Audite ergo domus Israël : Numquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ pravæ sunt ?

26 Cùm enim averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis : in injustitia, quam operatus est, morietur.

27 Et cùm averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam : ipse animam suam vivificabit.

28 Considerans enim, & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, & non morietur.

G 29 Et dicunt filij Israël : Non est æqua via Domini. Numquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israël, & non magis viæ vestræ pravæ ?

30 Idcircò unumquemque juxta vias suas judicabo domus Israël,ait Dominus Deus.*Convertimini,& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris:& non erit vobis in ruinam iniquitas.
*Mat.3. a.2. Luc.3. a.3.

31 Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras,in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum. & spiritum novum : & quare moriemini domus Israël ?

*Sup. c.23. Inf.33. c.11. 32 * Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite.

Caput XIX.

Parabola leænæ & leunculorum designat captivitatem regum Joachaz & Joacim, item præteritam civitatis Jerusalem felicitatem describit, præsentémque calamitatem, sub parabola vineæ.

A 1 ET tu assume planctum super principes Israël,

2 Et dices ; Quare mater tua leæna inter leones cubavit, in medio leunculorum enutrivit catulos suos ?

3 Et eduxit unum de leunculis suis, & leo factus est : & didicit capere prædam, hominémque comedere.

4 Et audierunt de eo Gentes, & non absque vulneribus suis ceperunt eum : & adduxerunt eum in catenis in Terram Ægypti.

5 Quæ cùm vidisset quoniam infirmata est, & B periit expectatio ejus : tulit unum de leunculis suis, leonem constituit eum.

6 Qui incedebat inter leones, & factus est leo: & didicit prædam capere, & homines devorare :

7 Didicit viduas facere, & civitates eorum in desertum adducere : & desolata est terra, & plenitudo ejus,à voce rugitus illius.

8 Et convenerunt adversus eum Gentes undique de provinciis, & expanderunt super eum rete suum, in vulneribus earum captus est.

9 Et miserunt eum in caveam, in catenis adC duxerunt eum ad regem Babylonis : miserúntque eum in carcerem, ne audiretur vox ejus ultrà super montes Israël.

10 Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est : fructus ejus, & frondes ejus creverunt ex aquis multis.

11 Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, & exaltata est statura ejus inter frondes : & vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum. D

12 Et evulsa est in ira, in terrámque projecta, * & ventus urens siccavit fructum ejus : marcuerunt, & arefactæ sunt virgæ roboris ejus : ignis comêdit eam. * Oseæ 13.d.15.

13 Et nunc transplantata est in desertum,in terra invia & sitienti.

14 Et egressus est ignis de virga ramorum ejus; qui fructum ejus comêdit : & non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium. Planctus est, & erit in planctum.

Caput XX.

Dominus negat se filiis Israël responsurum, quia & in Ægypto, & in deserto & in terra promissionis prævaricati sunt ipsius mandata, & idola coluerunt, quibus sæpè comminatus est malas, sed pepercit ne nomen ejus blasphemaretur inter Gentes : nunc autem post hæc omnia dicit se eos revocaturum ad terram suam, in qua sibi serviant : jubet etiam prophetare contra saltum meridianum.

1 ET factum est in anno septimo, in quinto, in A decima mensis : venerunt viri de senioribus Israël, ut interrogarent Dominum, & sederunt coram me :

2 Et factus est sermo Domini ad me,dicens :

3 Fili hominis loquere senioribus Israël,& dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Numquid ad interrogandum me vos venistis ? vivo ego quia non respondebo vobis, ait Dominus Deus.

4 Si judicas eos, si judicas fili hominis, abominationes patrum eorum ostende eis.

5 Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : In die, qua elegi Israël, & levavi manum meam pro stirpe domus Jacob, & apparui eis in Terra Ægypti, & levavi manum meam pro eis,dicens : Ego Dominus Deus vester :

6 In die illa levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de Terra Ægypti in Terram,quam provideram eis, fluentem lacte & melle : quæ est egregia inter omnes terras.

7 Et dixi ad eos : Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat,& in idolis Ægypti nolite pollui : ego Dominus Deus vester.

8 Et irritaverunt me,noluerúntque me audire, B unusquisque

unusquisque abominationes oculorum suorum non projecit, nec idola Ægypti reliquerunt: & dixi ut effunderem indignationem meam super eos, & implerem iram meam in eis, in medio Terræ Ægypti.

9 Et feci propter nomen meũ, ut non violaretur coram Gentibus, in quarum medio erant, & inter quas apparui eis ut educerẽ eos de terra Ægypti.

10 Ejeci ergo eos de Terra Ægypti, & eduxi eos in desertum.

11 * Et dedi eis præcepta mea, & judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo, vivet in eis.

12 * Insuper & sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos: & scirent quia ego Dominus sanctificans eos.

13 Et irritaverunt me domus Israël in deserto, in præceptis meis non ambulaverunt, & judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis: & sabbata mea violaverunt vehementer: dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos in deserto, & consumerem eos.

14 Et feci propter nomen meum, ne violaretur coram Gentibus, de quibus ejeci eos in conspectu earum.

15 Ego igitur levavi manum meam super eos in deserto, ne inducerem eos in Terram, quam dedi eis, fluentem lacte & melle, præcipuam terrarum omnium:

16 Quia judicia mea projecerunt, & in præceptis meis non ambulaverunt, & sabbata mea violaverunt: post idola enim cor eorum gradiebatur.

17 Et pepercit oculus meus super eos ut non interficerem eos: nec consumpsi eos in deserto.

18 Dixi autem ad filios eorum in solitudine: In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini.

19 Ego Dominus Deus vester: in præceptis meis ambulate, judicia mea custodite, & facite ea:

20 Et sabbata mea sanctificate, ut sint signum inter me & vos, & sciatis quia ego sum Dominus Deus vester.

21 Et exacerbaverunt me filij, in præceptis meis non ambulaverunt, & judicia mea non custodierunt ut facerent ea: quæ cùm fecerit homo, vivet in eis: & sabbata mea violaverunt: & comminatus sum ut effunderem furorem meum super eos, & implerem iram meam in eis in deserto.

22 Averti autem manum meam, & feci propter nomen meum, ut non violaretur coram Gentibus, de quibus ejeci eos in oculis earum.

23 Iterùm levavi manum meam in eos in solitudine, ut dispergerem illos in nationes, & ventilarem in terras:

24 Eò quòd judicia mea non fecissent, & præcepta mea reprobassent, & sabbata mea violassent, & post idola patrum suorum fuissent oculi eorum.

25 Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent.

26 Et pollui eos in muneribus suis, cùm offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta sua: & scient quia ego Dominus.

27 Quamobrem loquere ad domum Israël, fili hominis: & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Adhuc & in hoc blasphemaverunt me patres vestri, cùm sprevissent me contemnentes.

28 Et induxissem eos in Terram, super quam levavi manum meam ut darem eis: viderunt omnem collem excelsum, & omne lignum nemorosum, & immolaverunt ibi victimas suas: & dederunt ibi irritationem oblationis suæ, & posuerunt ibi odorem suavitatis suæ, & libaverunt libationes suas.

29 Et dixi ad eos: Quid est excelsum, ad quod vos ingredimini? & vocatum est nomen ejus Excelsum usque ad hanc diem.

30 Propterea dic ad domum Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Certè in via patrum vestrorum vos polluimini, & post offendicula eorum vos fornicamini.

31 Et in oblatione donorum vestrorum, cùm traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris usque hodie: & ego respondebo vobis domus Israël? Vivo ego dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis.

32 Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium: Erimus sicut Gentes, & sicut cognationes terræ, ut colamus ligna & lapides.

33 Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos.

34 Et educam vos de populis: & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, in manu valida, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos.

35 Et adducam vos in desertum populorum, & judicabor vobiscum ibi facie ad faciem.

36 Sicut judicio contendi adversum patres vestros in deserto Terræ Ægypti, sic judicabo vos, dicit Dominus Deus.

37 Et subjiciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis.

38 Et eligam de vobis transgressores, & impios, & de terra incolatus eorum educam eos, & in terram Israël non ingredientur: & scietis quia ego Dominus.

39 Et vos domus Israël, Hæc dicit Dominus Deus: Singuli post idola vestra ambulate, & servite eis. Quòd si & in hoc non audieritis me, & nomen meum sanctum pollueritis ultrà in muneribus vestris, & in idolis vestris:

40 In monte sancto meo, in monte excelso Israël, ait Dominus Deus, ibi serviet mihi omnis domus Israël, omnes, inquam, in terra, in qua placebunt mihi, & ibi quæram primitias vestras, & initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris.

41 In odorem suavitatis suscipiam vos, cùm eduxero vos de populis, & congregavero vos de terris, in quas dispersi estis, & sanctificabor in vobis in oculis nationum.

42 Et scietis quia ego Dominus, cùm induxero vos ad terram Israël, in Terram, pro qua levavi manum meam, ut darem eam patribus vestris.

43 Et recordabimini ibi viarum vestrarum, & omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis: & displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malitiis vestris, quas fecistis.

44 Et

*Lev. 18.a.5. Rom.10. a.5.
* Ex.20. b.8.31. c.13. Deut.5. b.12.

44 Et scietis quia ego Dominus, cùm benefecero vobis propter nomen meum, & non secundùm vias vestras malas, neque secundùm scelera vestra pessima domus Israël, ait Dominus Deus.

45 Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

46 Fili hominis, pone faciem tuam contra viam Austri, & stilla ad Aphricum, & propheta ad saltum agri meridiani.

47 Et dices saltui meridiano: Audi verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego succendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum: non extinguetur flamma succensionis: & comburetur in ea omnis facies ab Austro usque ad Aquilonem.

48 Et videbit universa caro, quia ego Dominus succendi eam, nec extinguetur.

49 Et dixi: A a a, Domine Deus: ipsi dicunt de me: Numquid non per parabolas loquitur iste?

CAPUT XXI.

Vaticinatur horrendum ac multiplicem gladium venturum super Ierusalem, & super filios Ammon, a rege Babylonis, qui tandem etiam in terra sua judicandus est, penitúsque dissipandus.

1 ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2 Fili hominis, pone faciem tuam ad Jerusalem, & stilla ad sanctuaria, & propheta contra humum Israël:

3 Et dices terræ Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ejiciam gladium meum de vagina sua, & occidam in te justum & impium.

4 Pro eo autem quòd occidi in te justum & impium, idcircò egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro usque ad Aquilonem:

5 Ut sciat omnis caro quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem.

6 Et tu fili hominis ingemisce in contritione lumborum, & in amaritudinibus ingemisce coram eis.

7 Cúmque dixerint ad te: Quare tu gemis? dices: Pro auditu: quia venit, & tabescet omne cor, & dissolventur universæ manus, & infirmabitur omnis spiritus, & per cuncta genua fluent aquæ: ecce venit, & fiet, ait Dominus Deus.

8 Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

9 Fili hominis propheta, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Loquere: Gladius, gladius exacutus est, & limatus.

10 Ut cædat victimas, exacutus est: ut splendeat, limatus est: qui moves sceptrum filij mei, succidisti omne lignum.

11 Et dedi eum ad levigandum, ut teneatur manu: iste exacutus est gladius, & iste limatus est, ut sit in manu interficientis.

12 Clama, & ulula fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israël qui fugerant: gladio traditi sunt cum populo meo, idcircò plaude super femur,

13 Quia probatus est: & hoc, cùm sceptrum subverterit, & non erit, dicit Dominus Deus.

14 Tu ergo fili hominis propheta, & percute manu ad manum, & duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum: hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit,

15 Et corde tabescere, & multiplicat ruinas. In omnibus portis eorum dedi conturbationẽ gladij acuti, & limati ad fulgendum, amicti ad cædem.

16 Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram, quocumque faciei tuæ est appetitus.

17 Quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam, ego Dominus locutus sum.

18 Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

19 Et tu Fili hominis pone tibi duas vias, ut veniat gladius regis Babylonis: de terra una egredientur ambæ: & manu capiet conjecturam, in capite viæ civitatis conjiciet.

20 Viam pones ut veniat gladius ad Rabbath, filiorum Ammon, & ad Judam in Jerusalem munitissimam.

21 Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas: interrogavit idola, exta consuluit.

22 Ad dexteram ejus facta est divinatio super Jerusalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut elevet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut cõportet aggerẽ, ut ædificet munitiones.

23 Erítque quasi consulens frustrà oraculum in oculis eorum, & sabbatorum otium imitans: ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum.

24 Idcircò hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd recordati estis iniquitatis vestræ, & revelastis prævaricationes vestras, & apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris: pro eo, inquam, quòd recordati estis, manu capiemini.

25 Tu autem profane, impie dux Israël, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita.

26 Hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam: nónne hæc est, quæ humilem sublevavit, & sublimem humiliavit?

27 Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam: & hoc non factum est, donec veniret cujus est judicium, & tradam ei.

28 Et tu fili hominis propheta, & dic: Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, & ad opprobrium eorum, & dices: Mucro, mucro, evagina te ad occidendum, lima te ut interficias, & fulgeas,

29 Cùm tibi viderẽtur vana, & divinarentur mẽdacia, ut dareris super colla vulneratorũ impiorum: quorum venit dies in tẽpore iniquitatis præfinita.

30 Revertere ad vaginam tuam, in loco in quo creatus es, in terra nativitatis tuæ judicabo te,

31 Et effundam super te indignationem meam: in igne furoris mei sufflabo in te, dabóque te in manus hominum insipientium, & fabricantium interitum.

32 Igni eris cibus, sanguis tuus erit in medio terræ, oblivioni tradêris: quia ego Dominus locutus sum.

CAPUT XXII.

Varia narrat scelera Ierosolymis perpetrata, propter quæ dicit se super eos effusurum indignationem suam: narrátque scelera sacerdotum, principum, pseudoprophetarum, ac populi terræ, ut nullus inventus sit qui pro avertendo furore Domini se opponeret.

1 ET factum est verbum Domini ad me, dicens:

2 Et tu fili hominis nónne judicas, nónne judicas civitatem sanguinum?

3 Et ostendes ei omnes abominationes suas, & dices:

Universidad de Deusto
Biblioteca

dices: Hæc dicit Dominus Deus : Civitas effundens sanguinem in medio sui, ut veniat tempus ejus : & quæ fecit idola contra semetipsam, ut polluereturr.

4 In sanguine tuo, qui à te effusus est, deliquisti : & in idolis tuis, quæ fecisti, polluta es : & appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum : propterea dedi te opprobrium Gentibus, & irrisionem universis terris.

5 Quæ juxta sunt, & quę procul à te, triumphabunt de te : sordida, nobilis, grandis interitu.

6 Ecce principes Israël singuli in brachio suo fuerunt in te, ad effundendum sanguinem.

B 7 Patrem & matrem contumeliis affecerunt in te, advenam calumniati sunt in medio tui, pupillum & viduam contristaverunt apud te :

8 Sanctuaria mea sprevisti, & sabbata mea polluisti.

9 Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem, & super montes comederunt in te, scelus operati sunt in medio tui.

10 Verecundiora patris discooperuerunt in te, immunditiam menstruatæ humiliaverunt in te :

*Ier. 5. b. 7. 11 * Et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam polluit nefariè, frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te.

C 12 Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem : usuram & superabundantiam accepisti, & avarè proximos tuos calumniabaris : meique oblita es, ait Dominus Deus.

13 Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam, quam fecisti ; & super sanguinem, qui effusus est in medio tui.

14 Numquid sustinebit cor tuum, aut prævalebunt manus tuæ, in diebus quos ego faciam tibi? ego Dominus locutus sum, & faciam.

15 Et dispergam te in nationes, & ventilabo te in terras, & deficere faciam immunditiam tuã à te.

16 Et possidebo te in conspectu Gentium : & & scies quia ego Dominus.

17 Et factum est verbũ Domini ad me, dicens:

D 18 Fili hominis, versa est mihi domus Israël in scoriam : omnes isti æs, & stannum, & ferrum, & plumbũ in medio fornacis: scoria argenti facti sunt.

19 Propterea hæc dicit Dominus Deus : Eò quòd versi estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Jerusalem,

20 Congregatione argenti, & æris, & stanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis : ut succendam in ea ignem ad conflandum. sic congregabo in furore meo, & in ira mea, & requiescam : & conflabo vos.

E 21 Et congregabo vos, & succendam vos in igne furoris mei, & conflabimini in medio ejus.

22 Ut conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio ejus : & scietis quia ego Dominus, cùm effuderim indignationem meam super vos.

23 Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

A 24 Fili hominis, dic ei : Tu es terra immunda, & non compluta in die furoris.

25 Conjuratio prophetarum in medio ejus, sicut leo rugiens, rapiénsque prædam, animas devoraverunt, opes & pretium acceperunt, viduas ejus multiplicaverunt in medio illius.

26 Sacerdotes ejus contempserunt legem meã, F & polluerunt sanctuaria mea : inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam : & inter pollutum & mundum non intellexerunt : & à sabbatis meis averterunt oculos suos, & coinquinabar in medio eorum.

*Mich. 3. d. 11. Sophon. 3. a. 3. 27 * Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & avarè ad sectanda lucra.

G 28 Prophetæ autem ejus liniebant eos absque temperamento, videntes vana, & divinantes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus, cùm Dominus non sit locutus.

29 Populi terræ calumniabantur calumniam, & rapiebant violenter : egenum & pauperem affligebant, & advenam opprimebant calumnia absque judicio.

30 Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam : & non inveni.

31 Et effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos : viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.

CAPUT XXIII.

Sub figura multiplicium stuprorum duarum meretricum Oollæ & Oolibæ ac punitionis earum, ostendit Dominus variam idololatriam Samariæ & Ierusalem, propter quam tradendi sunt in opprobrium Gentibus, quarum sunt idololatriam imitati.

A 1 ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2 Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt,

3 Et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt : ibi subacta sunt ubera earum, & fractæ sunt mammæ pubertatis earum.

4 Nomina autem earum, Oolla major, & Ooliba soror ejus minor : & habui eas, & pepererunt filios & filias. Porrò earum nomina, Samaria Oolla, & Jerusalem Ooliba.

5 Fornicata est igitur super me Oolla, & insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes,

6 Vestitos hyacintho, principes, & magistratus, juvenes cupiditatis, universos equites, ascensores equorum.

7 Et dedit fornicationes suas super eos electos, filios Assyriorum universos: & in omnibus in quos insanivit, in immunditiis eorum polluta est.

B 8 Insuper & fornicationes suas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit : nam & illi dormierunt cum ea in adolescentia ejus, & illi confregerunt ubera pubertatis ejus, & effuderunt fornicationem suam super eam.

9 Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur, super quorum insanivit libidine.

*Sup. 16. d. 37. 10 * Ipsi discooperuerunt ignominiam ejus, filios & filias ejus tulerunt, & ipsam occiderunt gladio : & factæ sunt famosæ mulieres, & judicia perpetraverunt in ea.

11 Quod cùm vidisset soror ejus Ooliba, plusquam illa insanivit libidine : & fornicationem suam super fornicationem sororis suæ.

12 Ad filios Assyriorum præbuit impudenter ducibus

ducibus & magistratibus ad se venientibus, indutis veste varia, equitibus qui vectabantur equis, & adolescentibus forma cunctis egregia.

C 13 Et vidi quòd polluta esset via una ambarum.

14 Et auxit fornicationes suas : cúmque vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus,

15 Et accinctos balteis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis, terræque Chaldæorum, in qua orti sunt,

16 Insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum, & misit nuntios ad eos in Chaldæam.

17 Cúmque venissent ad eam filij Babylonis ad cubile mammarum, polluerunt eam stupris suis, & polluta est ab eis, & saturata est anima ejus ab illis.

18 Denudavit quoque fornicationes suas, & discooperuit ignominiam suam: & recessit anima mea ab ea, sicut recesserat anima mea à sorore ejus.

19 Multiplicavit enim fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti.

D 20 Et insanivit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt ut carnes asinorum : & sicut fluxus equorum, fluxus eorum.

21 Et visitasti scelus adolescentiæ tuæ, quando subacta sunt in Ægypto ubera tua, & confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ.

22 Propterea Ooliba, hęc dicit Dominus Deus: Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua : & congregabo eos adversum te in circuitu ;

23 Filios Babylonis, & universos Chaldæos, nobiles, tyrannósque & principes, omnes filios Assyriorum, juvenes forma egregia, duces & magistratus universos, principes principum, & nominatos ascensores equorum :

24 Et venient super te instructi curru & rota, multitudo populorum : lorica, & clypeo, & galea armabuntur contra te undique : & dabo coram eis judicium, & judicabunt te judiciis suis.

25 Et ponam zelum meum in te, quem exercent tecum in furore : nasum tuum, & aures tuas præcîdent : & quæ remanserint, gladio concîdent: ipsi filios tuos, & filias tuas capient ; & novissimum tuum devorabitur igni.

26 Et denudabunt te vestimentis tuis, & tollent vasa gloriæ tuæ.

E 27 Et requiescere faciam scelus tuum de te, & fornicationem tuam de Terra Ægypti : nec levabis oculos tuos ad eos, & Ægypti non recordaberis ampliùs.

28 Quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego tradam te in manus eorum, quos odisti ; in manus, de quibus satiata est anima tua.

29 Et agent tecum in odio, & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudam, & ignominia plenam, & revelabitur ignominia fornicationum tuarum; scelus tuum, & fornicationes tuæ.

30 Fecerunt hæc tibi, quia fornicata es post Gentes, inter quas polluta es in idolis earum.

31 In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem ejus in manu tua.

32 Hæc dicit Dominus Deus : Calicem sororis tuæ bibes profundum & latum : eris in derisum, & in subsannationem, quæ est capacissima.

33 Ebrietate, & dolore repleberis : calice mœroris, & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ.

34 Et bibes illum, & epotabis usque ad fœces, & fragmenta ejus devorabis, & ubera tua lacerabis : quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.

35 Propterea hæc dicit Dominus Deus : Quia oblita es mei, & projecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum, & fornicationes tuas.

F 36 Et ait Dominus ad me, dicens : Fili hominis numquid judicas Oollam, & Oolibam, & annuntias eis scelera earum ?

37 Quia adulteratæ sunt, & sanguis in manibus earum, & cum idolis suis fornicatæ sunt : insuper & filios suos, quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad devorandum.

38 Sed & hoc fecerunt mihi : Polluerunt sanctuarium meum in die illa, & sabbata mea profanaverunt.

39 Cúmque immolarent filios suos idolis suis, & ingrederentur sanctuarium meum in die illa ut polluerent illud : etiam hæc fecerunt in medio domus meæ.

40 Miserunt ad viros venientes de longè, ad quos nuntium miserant : itaque ecce venerunt : quibus te lavisti, & circumlinisti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri.

41 Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te : thymiama meum, & unguentum meum posuisti super eam.

42 Et vox multitudinis exultantis erat in ea: & in viris, qui de multitudine hominum adducebantur, & veniebant de deserto, posuerunt armillas in manibus eorum, & coronas speciosas in capitibus eorum.

G 43 Et dixi ei, quæ attrita est in adulteriis: Nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc.

44 Et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretricem; sic ingrediebantur ad Oollam & Oolibam, mulieres nefarias.

45 Viri ergo justi sunt : hi judicabunt eas judicio adulterarũ, & judicio effundentium sanguinẽ: quia adulteræ sunt, & sanguis in manibus earum.

46 Hæc enim dicit Dominus Deus : Adduc ad eas multitudinem, & trade eas in tumultum, & in rapinam.

47 Et lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur gladiis eorum : filios & filias earum interficient, & domos earum igne succendent.

48 Et auferam scelus de terra, & discent omnes mulieres ne faciant secundùm scelus earum.

49 Et dabunt scelus vestrum super vos, & peccata idolorum vestrorum portabitis: & scietis quia ego Dominus Deus.

CAPUT XXIV.

Sub figura ollæ, electioribus carnium partibus ac ossibus plena, igníque admota, & sub figura mortis uxoris Ezechielis, pro qua jussus est nullum facere luctum, significat Dominus domum Israel in exitium tradendam, filiosque ejus trucidandos, nullo sequente luctu præ animi stupore.

A 1 ET factum est verbum Domini ad me, in anno nono, in mense decimo, decima die mensis, dicens :

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 Fili hominis scribe tibi nomen dici hujus, in qua confirmatus est rex Babylonis adversum Jerusalem hodie.

3 Et dices per proverbium ad domum irritatricem parabolam, & loquêris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Pone ollam; pone, inquam, & mitte in eam aquam.

4 Congere frusta ejus in eam, omnem partem bonam, femur & armum, electa & ossibus plena.

B 5 Pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea: efferbuit coctio ejus, & discocta sunt ossa illius in medio ejus.

6 Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ civitati sanguinum, ollæ, cujus rubigo in ea est, & rubigo ejus non exivit de ea: per partes & per partes suas ejice eam, non cecidit super eam sors.

7 Sanguis enim ejus in medio ejus est, super limpidissimam petram effudit illum: non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere.

C 8 Ut superinducerem indignationem meam, & vindicta ulciscerer: dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam ne operiretur.

*Nah. 3. a. 1. Hab. 2. c. 12. 9 Propterea hæc dicit Dominus Deus: *Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciã pyram.

10 Congere ossa, quæ igne succendam: consumentur carnes, & coquetur universa compositio, & ossa tabescent.

11 Pone quoq; eam super prunas vacuã, ut incalescat, & liquefiat æs ejus: & cõflетur in medio ejus inquinamentum ejus, & consumatur rubigo ejus:

12 Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem.

D 13 Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis: sed nec mundaberis priùs, donec quiescere faciam indignationem meam in te.

14 Ego Dominus locutus sum: Veniet, & faciam: non transeam, nec parcam, nec placabor: juxta vias tuas, & juxta adinventiones tuas judicabo te, dicit Dominus.

15 Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

16 Fili hominis, ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plaga: & non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ.

E 17 Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies, corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.

18 Locutus sum ergo ad populum manè, & mortua est uxor mea vesperè: fecique manè sicut præceperat mihi.

19 Et dixit ad me populus: Quare non indicas nobis, quid ista significent, quæ tu facis?

20 Et dixi ad eos: Sermo Domini factus est ad me, dicens:

F 21 Loquere domui Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperij vestri, & desiderabile oculorum vestrorum, & super quo pavet anima vestra, filij vestri; & filiæ vestræ, quas reliquistis, gladio cadẽt.

22 Et facietis sicut feci: Ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis.

23 Coronas habebitis in capitibus vestris, & calceamenta in pedibus: non plangetis neque flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris, & unusquisque gemet ad fratrem suum.

24 Erítque Ezechiel vobis in portentum: juxta G omnia, quæ fecit, facietis cùm venerit istud: & scietis quia ego Dominus Deus.

25 Et tu fili hominis, ecce in die, qua tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & desiderium oculorum eorum, super quo requiescunt animæ eorum, filios & filias eorum:

26 In die illa cùm venerit fugiens ad te, ut annuntiet tibi:

27 In die, inquam, illa aperietur os tuum cum eo qui fugit: & loquêris, & non silebis ultrà: erísque eis in portẽtum, & scietis quia ego Dominus.

CAPUT XXV.

Regionibus Ammon, Moab, Idumææ, & Palæstinæ minatur Dominus exitium, eò quòd filios Israël afflixerint, & de ipsorum afflictione exultaverint.

1 ET factus est sermo Domini ad me, dicens: A

2 Fili hominis pone faciam tuam contra filios Ammon, & prophetabis de eis.

3 Et dices filiis Ammon: Audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd dixisti: Euge, euge super sanctuarium meum, quia pollutum est, & super terram Israël, quoniam desolata est; & super domum Juda, quoniam ducti sunt in captivitatem:

4 Idcircò ego tradam te filiis orientalibus in hereditatem, & collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua: ipsi comedent fruges tuas: & ipsi bibent lac tuum.

5 Daboque Rabbath in habitaculum camelorum, & filios Ammon in cubile pecorum: & scietis quia ego Dominus: B

6 Quia hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd plausisti manu, & percussisti pede, & gavisa es ex toto affectu super terram Israël:

7 Idcircò ecce ego extendam manum meam super te, & tradam te in direptionem Gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram: & scies quia ego Dominus.

8 Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd dixerunt Moab & Seir: Ecce sicut omnes Gentes, domus Juda:

9 Idcircò ecce ego aperiam humerum Moab C de civitatibus, de civitatibus, inquam, ejus, & de finibus ejus, inclytas terræ Bethiesimoth & Beelmeon & Cariathaim,

10 Filiis Orientis cum filiis Ammon, & dabo eam in hereditatem: ut non sit ultrà memoria filiorum Ammon in Gentibus.

11 Et in Moab faciam judicia: & scient quia ego Dominus.

12 Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd fecit Idumæa ultionẽ ut se vindicaret de filiis Juda, peccavítque delinquẽs, & vindictam expetivit de eis;

13 Idcircò hæc dicit Dominus Deus: Extendam manum meam super Idumæam, & auferam de ea hominem & jumentum, & faciam eam desertam ab Austro: & qui sunt in Dedan, gladio cadent.

14 Et dabo ultionem meam super Idumæam D per manum populi mei Israël: & facient in Edom juxta iram meam, & furorem meum: & scient vindictam meam, dicit Dominus Deus.

15 Hæc

15 Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd fecerunt Palæstini vindictam, & ulti se sunt toto animo, interficientes, & implentes inimicitias veteres:

16 Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego extendam manum meam super Palæstinos, & interficiam interfectores, & perdam reliquias maritimæ regionis:

17 Faciámque in eis ultiones magnas arguens in furore: & scient quia ego Dominus, cùm dedero vindictam meam super eos.

CAPUT XXVI.

Tyri inclytæ urbis prædicit Dominus eversionem, eò quòd super vastatione Ierusalem exultaverit.

A 1 ET factum est in undecimo anno, prima mensis, factus est sermo Domini ad me, dicens:

2 Fili hominis, pro eo quòd dixit Tyrus de Jerusalem: Euge confractæ sunt portæ populorum, conversa est ad me: implebor, deserta est.

3 Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego super te Tyre, & ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans.

4 Et dissipabunt muros Tyri, & destruent turres ejus: & radam pulverem ejus de ea, & dabo eam in limpidissimam petram.

5 Siccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus: & erit in direptionem Gentibus.

6 Filiæ quoque ejus, quæ sunt in agrò, gladio interficientur: & scient quia ego Dominus.

7 Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab Aquilone, regem regum, cum equis, & curribus, & equitibus, & cœtu populóque magno.

B 8 Filias tuas quæ sunt in agro, gladio interficiet: & circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro: & elevabit contra te clypeum.

9 Et vineas, & arietes temperabit in muros tuos, & turres tuas destruet in armatura sua.

10 Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum: à sonitu equitum, & rotarum, & curruum, movebuntur muri tui, cùm ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum urbis dissipatæ.

11 Ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas: populum tuum gladio cædet, & statuæ tuæ nobiles in terram corruent.

12 Vastabunt opes tuas, diripient negotiationes tuas: & destruent muros tuos, & domos tuas præclaras subvertent: & lapides tuos, & ligna tua, & pulverem tuum in medio aquarum ponent.

C 13 *Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, & sonitus cithararum tuarum non audietur amplius.

*Isa. 7. & 34.

14 Et dabo te in limpidissimam petram, siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis ultrà: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.

15 Hæc dicit Dominus Deus Tyro: Numquid non à sonitu ruinæ tuæ, & gemitu interfectorum tuorum, cùm occisi fuerint in medio tui, commovebuntur insulæ?

16 Et descendent de sedibus suis omnes principes maris: & auferent exuvias suas, & vestimenta sua varia abjicient, & induentur stupore: in terra sedebunt: & attoniti super repentino casu tuo admirabuntur.

17 Et assumentes super te lamentum, dicent tibi: Quomodo peristi quæ habitas in mari, urbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant universi?

18 Nunc stupebunt naves in die pavoris tui: D & turbabuntur insulæ in mari, eò quòd nullus egrediatur ex te.

19 Quia hæc dicit Dominus Deus: Cùm dedero te urbem desolatam, sicut civitates quæ non habitantur: & adduxero super te abyssum, & operuerint te aquæ multæ:

20 Et detraxero te cum his qui descendunt in lacum ad populum sempiternum, & collocavero te in terra novissima sicut solitudines veteres, cum his qui deducuntur in lacum, ut non habiteris: porrò cùm dedero gloriam in terra viventium,

21 In nihilum redigam te, & non eris, & requisita non invenieris ultrà in sempiternum, dicit Dominus Deus.

CAPUT XXVII.

Tyri urbis maritimæ ac opulentissimæ ruina describitur, enarratis mercibus quæ à quaque regione ad eam deferri solent.

1 ET factum est verbum Domini ad me, dicens: A

2 Tu ergo fili hominis assume super Tyrum lamentum:

3 Et dices Tyro, quæ habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad insulas multas: Hæc dicit Dominus Deus: O Tyre, tu dixisti: Perfecti decoris ego sum,

4 Et in corde maris sita. Finitimi tui, qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum:

5 Abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus tabulatis maris: cedrum de Libano tulerunt ut facerent tibi malum.

6 Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos: & transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, & prætoriola de insulis Italiæ.

7 Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum ut poneretur in malo: hyacinthus & purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum. B

8 Habitatores Sidonis & Aradij fuerunt remiges tui: sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui.

9 Senes Giblij, & prudentes ejus, habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ: omnes naves maris, & nautæ earum, fuerunt in populo negotiationis tuæ.

10 Persæ, & Lydij, & Libyes erant in exercitu tuo viri bellatores tui: clypeum, & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo.

11 Filij Aradij cum exercitu tuo erãt super muros tuos in circuitu: sed & Pigmæi, qui erãt in turribus tuis, pharetras suas suspenderũt in muris tuis per gyrum: ipsi cõpleverunt pulchritudinem tuã.

12 Carthaginenses negotiatores tui, à multitu- C dine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumbóque, & repleverunt nundinas tuas.

13 Græcia, Thubal, & Mosoch, ipsi institores tui: mancipia, & vasa ærea advexerunt populo tuo.

14 De domo Thogorma, equos, & equites, & mulos adduxerunt ad forum tuum.

15 Filij Dedan negotiatores tui: insulæ multæ, negotiatio manus tuæ: dentes eburneos & hebeninos commutaverunt in pretio tuo.

16 Syrus negotiator tuus propter multitudinem

Universidad de Deusto
Biblioteca

operum tuorum, gemmam, & purpuram, & scutulata, & byssum, & sericum, & chodchod proposuerunt in mercatu tuo.

D 17 Juda & terra Israël ipsi institores tui in frumento primo, balsamum, & mel, & oleum, & resinam proposuerunt in nundinis tuis.

18 Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diversarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi.

19 Dan, & Græcia, & Mosel, in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum: stacte & calamus in negotiatione tua.

20 Dedan institores tui in tapetibus ad sedendū.

21 Arabia, & universi principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuæ: cum agnis, & arietibus, & hœdis venerunt ad te negotiatores tui.

E 22 Venditores Saba, & Reema, ipsi negotiatores tui: cum universis primis aromatibus, & lapide pretioso, & auro, quod proposuerunt in mercatu tuo.

23 Haran, & Chene, & Eden, negotiatores tui: Saba, Assur, & Chelmad, venditores tui.

24 Ipsi negotiatores tui multifariàm involucris hyacinthi, & polymitorum, gazarúmque pretiosarum, quæ obvolutæ & astrictæ erant funibus: cedros quoque habebant in negotiationibus tuis.

25 Naves maris, principes tui in negotiatione tua: & repleta es, & glorificata nimis in corde maris.

26 In aquis multis adduxerunt te remiges tui: ventus auster contrivit te in corde maris.

F 27 Divitiæ tuæ, & thesauri tui, & multiplex instrumentum tuum, nautæ tui & gubernatores tui, qui tenebant supellectilem tuam, & populo tuo præerant: viri quoque bellatores tui, qui erant in te, cum universa multitudine tua, quę est in medio tui: cadent in corde maris in die ruinæ tuæ.

28 A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes:

29 Et descendent de navibus suis omnes qui tenebant remum: nautæ & universi gubernatores maris in terra stabunt:

30 Et ejulabunt super te voce magna, & clamabunt amarè: & superjacient pulverem capitibus suis, & cinere conspergentur.

31 Et radent super te calvitium, & accingentur ciliciis: & plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amarissimo.

G 32 Et assument super te carmen lugubre, & plangent te: Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris?

33 Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos: in multitudine divitiarum tuarum, & populorum tuorum, ditasti reges terræ.

34 Nunc contrita es à mari, in profundis aquarum opes tuæ, & omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui, ceciderunt.

35 Universi habitatores insularum obstupuerunt super te: & reges earum omnes tempestate perculsi mutaverunt vultus.

36 Negotiatores populorum sibilaverunt super te: ad nihilum deducta es, & non eris usque in perpetuum.

CAPUT XXVIII.

Ruina regis Tyri, maxima gloria prius exaltati, ob nimiam ipsius superbiam aliásque iniquitates: similiter & vastatio Sidonis, ac reductio filiorum Israël in terram suam, vastatis ipsorum inimicis.

1 ET factus est sermo Domini ad me, dicens: A
2 Fili hominis, dic principi Tyri: Hæc dicit Dominus Deus: Eò quòd elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris: cùm sis homo, & non Deus, & dedisti cor tuum quasi cor Dei.

3 Ecce sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum à te.

4 In sapientia & prudentia tua fecisti tibi fortitudinem & acquisisti aurum & argentum in thesauris tuis.

5 In multitudine sapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem: & elevatum est cor tuum in robore tuo. B

6 Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eò quòd elevatum est cor tuum quasi cor Dei:

7 Idcircò ecce ego adducam super te alienos, robustissimos Gentium: & nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum.

8 Interficient, & detrahent te: & morieris in interitu occisorum in corde maris.

9 Numquid dicens loquêris: Deus ego sum: coram interficientibus te: cùm sis homo, & non Deus, in manu occidentium te?

10 Morte incircumcisorum morieris in manu alienorū: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. C

11 Et factus est sermo Domini ad me, dicens:
Fili hominis leva planctum super regem Tyri:

12 Et dices ei: Hæc dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore,

13 In deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & jaspis, chrysolithus, & onyx, & berillus, saphirus, & carbunculus, & smaragdus: aurum opus decoris tui: & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt. D

14 Tu cherub extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti.

15 Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.

16 In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti: & ejeci te de monte Dei, & perdidi te, ô cherub protegens, de medio lapidum ignitorum.

17 Et elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projeci te. ante faciem regum dedi te ut cernerent te. E

18 In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ, polluisti sanctificationem tuam: producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te.

19 Omnes, qui viderint te in Gentibus, obstupescent super te: nihili factus es, & non eris in perpetuum.

20 Et

20 Et factus est sermo Domini ad me, dicens:
21 Fili hominis pone faciem tuam contra Sidonem: & prophetabis de ea,

F 22 Et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Sidon, & glorificabor in medio tui: & scient quia ego Dominus, cum fecero in ea judicia, & sanctificatus fuero in ea.

23 Et immittam ei pestilentiam, & sanguinem in plateis ejus: & corruent interfecti in medio ejus gladio per circuitum: & scient quia ego Dominus.

24 Et non erit ultrà domui Israël offendiculum amaritudinis, & spina dolorem inferens undique per circuitum eorum, qui adversantur eis: & scient quia ego Dominus Deus.

G 25 Hæc dicit Dominus Deus: Quando congregavero domum Israël de populis in quibus dispersi sunt, sanctificabor in eis coram Gentibus: & habitabunt in terra sua, quam dedi servo meo Jacob.

26 Et habitabunt in ea securi: & ædificabunt domos, & plantabunt vineas, & habitabunt confidenter, cùm fecero judicia in omnibus qui adversantur eis per circuitum: & scient quia ego Dominus Deus eorum.

CAPUT XXIX.

Adversus regem Ægypti ac regnum ejus, in solitudinem redigendum, post 40. tamen annos revocandum, licet non ad pristinam gloriam. Terra Ægypti datur Nabuchodonosor, eò quòd cum suo exercitu laboraverit devastando Tyrum.

A 1 IN anno decimo, decimo mense, undecima die mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:

2 Fili hominis pone faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti, & prophetabis de eo, & de Ægypto universa:

3 Loquere, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus est fluvius, & ego feci memetipsum.

4 Et ponam frænum in maxillis tuis: & agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis: & extraham te de medio fluminum tuorum, & universi pisces tui squamis tuis adhærebunt.

B 5 Et projiciam te in desertum, & omnes pisces fluminis tui: super faciem terræ cades, non colligêris, neque congregaberis: bestiis terræ, & volatilibus cæli, dedi te ad devorandum:

6 Et scient omnes habitatores Ægypti quia ego Dominus: * pro eo quòd fuisti baculus arundineus domui Israël.

* Isa 36. b.6.

7 Quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & laceresti omnem humerum eorum: & innitentibus eis super te comminutus es, & dissolvisti omnes renes eorum.

8 Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam super te gladium: & interficiam de te hominem, & jumentum.

9 Et erit Terra Ægypti in desertum, & in solitudinem: & scient quia ego Dominus: pro eo quòd dixeris: Fluvius meus est, & ego feci eum.

10 Idcircò ecce ego ad te, & ad flumina tua: dabóque Terram Ægypti in solitudines, gladio dissipatam, à turre Syenes, usque ad terminos Æthiopiæ.

11 Non pertransibit eam pes hominis, neque pes jumenti gradietur in ea: & non habitabitur quadraginta annis. C

12 Dabóque Terram Ægypti desertam in medio terrarū desertarum, & civitates ejus in medio urbium subversarum, & erunt desolatæ quadraginta annis, & dispergam Ægyptios in nationes, & ventilabo eos in terras.

13 Quia hæc dicit Dominus Deus: Post finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis, in quibus dispersi fuerunt.

14 Et reducam captivitatem Ægypti, & collocabo eos in terra Phatures, in terra nativitatis suæ: & erunt ibi in regnum humile:

15 Inter cetera regna erit humillima, & non elevabitur ultrà super nationes, & immmuam eos ne imperent Gentibus.

16 Neque erunt ultrà domui Israël in confidentia, docentes iniquitatem, ut fugiant, & sequantur eos: & scient quia ego Dominus Deus. D

17 Et factum est in vigesimo & septimo anno, in primo, in una mensis: factum est verbum Domini ad me, dicens:

18 Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum: omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus est: & merces non est reddita ei, neque exercitui ejus, de Tyro, pro servitute qua servivit mihi adversus eam.

19 Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in Terra Ægypti: & accipiet multitudinem ejus, & deprædabitur manubias ejus, & diripiet spolia ejus: & erit merces exercitui illius,

20 Et operi, quo servivit adversus eam: dedi ei Terram Ægypti, pro eo quòd laboraverit mihi, ait Dominus Deus.

21 In die illo pullulabit cornu domui Israël, & tibi dabo apertum os in medio eorum; & scient quia ego Dominus.

CAPUT XXX.

Omnes urbes Ægypti per regem Babylonis vastabuntur.

1 ET factum est verbum Domini ad me, dicens: A
2 Fili hominis propheta, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Ululate, væ, væ diei:

3 Quia juxtà est dies, & appropinquat dies Domini: dies nubis, tempus Gentium erit.

4 Et veniet gladius in Ægyptum: & erit pavor in Æthiopia, cùm ceciderint vulnerati in Ægypto, & ablata fuerit multitudo illius, & destructa fundamenta ejus.

5 Æthiopia, & Libya, & Lydi, & omne reliquum vulgus, & Chub, & filij terræ fœderis, cum eis gladio cadent.

6 Hæc dicit Dominus Deus: Et corruent fulcientes Ægyptum, & destruetur superbia imperij ejus: à turre Syenes gladio cadent in ea, ait Dominus Deus exercituum. B

7 Et dissipabuntur in medio terrarū desolatarū, & urbes ejus in medio civitatū desertarum erunt.

8 Et scient quia ego Dominus: cùm dedero ignem in Ægypto, & attriti fuerint omnes auxiliatores ejus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

9 In die illa egredientur nuntij à facie mea in trieribus, ad conterendam Æthiopiæ confidentiam; & erit pavor in eis in die Ægypti, quia absque dubio veniet.

C 10 Hæc dicit Dominus Deus: Cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis.

11 Ipse & populus ejus cum eo, fortissimi Gentium, adducentur ad disperdendam terram: & evaginabunt gladios suos super Ægyptum: & implebunt terram interfectis.

12 Et faciam alveos fluminum aridos, & tradam terram in manus pessimorum: & dissipabo terram & plenitudinem ejus manu alienorum, ego Dominus locutus sum.

D 13 * Hæc dicit Dominus Deus: Et disperdam simulachra, & cessare faciam idola de Memphis: *Zach. 13.2. & dux de Terra Ægypti non erit ampliùs: & dabo terrorem in Terra Ægypti.

14 Et disperdam terram Phatures, & dabo ignē in Taphnis, & faciam judicia in Alexandria.

15 Et effundam indignationem meam super Pelusium robur Ægypti, & interficiam multitudinem Alexandriæ,

16 Et dabo ignem in Ægypto: quasi parturiens dolebit Pelusium, & Alexandria erit dissipata, & in Memphis angustiæ quotidianæ.

17 Juvenes Heliopoleos & Bubasti gladio cadent, & ipsæ captivæ ducentur.

E 18 Et in Taphnis nigrescet dies, cùm contrivero ibi sceptra Ægypti, & defecerit in ea superbia potentiæ ejus: ipsam nubes operiet, filiæ autem ejus in captivitatem ducentur.

19 Et judicia faciam in Ægypto: & scient quia ego Dominus.

20 Et factum est in undecimo anno, in primo mense, in septima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:

F 21 Fili hominis brachium Pharaonis regis Ægypti confregi: & ecce non est obvolutum ut restitueretur ei sanitas, ut ligaretur pānis, & fasciaretur linteolis, ut recepto robore posset tenere gladium.

22 Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad Pharaonem regem Ægypti, & comminuam brachium ejus forte, sed confractum: & dejiciam gladium de manu ejus:

23 Et dispergam Ægyptum in Gentibus, & ventilabo eos in terris.

G 24 Et confortabo brachia regis Babylonis, dabóque gladium meum in manu ejus: & confringam brachia Pharaonis, & gement gentibus interfecti coram facie ejus.

25 Et confortabo brachia regis Babylonis, & brachia Pharaonis concident: & scient quia ego Dominus, cùm dedero gladiū meum in manu regis Babylonis, & extēderit eum super Terrā Ægypti.

26 Et dispergam Ægyptum in nationes, & ventilabo eos in terras, & scient quia ego Dominus.

Caput XXXI.

Sublimitatem regis Pharaonis cum Assur comparat, & utriusque similem prædicit interitum.

A 1 ET factum est in anno undecimo, tertio mense, una mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:

2 Fili hominis dic Pharaoni regi Ægypti, & populo ejus: Cui similis factus es in magnitudine tua?

3 Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus excelsúsque altitudine, & inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus.

4 Aquæ nutrierunt illum, abyssus exaltavit illū: flumina ejus manabant in circuitu radicum ejus, & rivos suos emisit ad universa ligna regionis.

5 Propterea elevata est altitudo ejus super omnia ligna regionis: & multiplicata sunt arbusta ejus, & elevati sunt rami ejus præ aquis multis. B

6 Cúmque extendisset umbram suam, in ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cæli, & sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltuum, & sub umbraculo illius habitabat cœtus Gentium plurimarum.

7 Erátque pulcherrimus in magnitudine sua, & in dilatatione arbustorum suorum: erat enim radix illius juxta aquas multas.

8 Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus, & platani non fuerunt æquæ frondibus illius: omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini ejus. C

9 Quoniam speciosum feci eum, & multis condensísque frondibus: & æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei.

10 Propterea hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd sublimatus est in altitudine, & dedit summitatem suam virentem atque condensam, & elevatum est cor ejus in altitudine sua: D

11 Tradidi eum in manu fortissimi Gentium, faciens faciet ei: juxta impietatem ejus ejeci eum.

12 Et succident eum alieni, & crudelissimi nationum, & projicient eum super montes, & in cunctis convallibus corruent rami ejus, & confringentur arbusta ejus in universis rupibus terræ: & recedent de umbraculo ejus omnes populi terræ, & relinquent eum.

13 In ruina ejus habitaverunt omnia volatilia cæli, & in ramis ejus fuerunt universæ bestiæ regionis. E

14 Quam ob rem non elevabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum, nec ponent sublimitatem suam inter nemorosa atque frondosa, nec stabunt in sublimitate sua omnia quæ irrigantur aquis: quia omnes traditi sunt in mortem ad terram ultimam, in medio filiorum hominum, ad eos qui descendunt in lacum.

15 Hæc dicit Dominus Deus: In die quando descendit ad inferos, induxi luctum, operui eum abyssō: & prohibui flumina ejus, & coërcui aquas multas: contristatus est super eum Libanus, & omnia ligna agri concussa sunt. F

16 A sonitu ruinæ ejus commovi Gentes, cùm deducerem eum ad infernum cum his qui descendebant in lacum: & consolata sunt in terra infima omnia ligna voluptatis egregia atque præclara in Libano, universa quæ irrigabantur aquis.

17 Nam & ipsi cum eo descendent in infernum ad interfectos gladio: & brachium uniuscujusque sedebit sub umbraculo ejus in medio nationum.

18 Cui assimilatus es ô inclyte atque sublimis inter

inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam: in medio incircumcisorum dormies, cum eis qui interfecti sunt gladio: ipse est Pharao, & omnis multitudo ejus, dicit Dominus Deus.

Caput XXXII.

Pharao quantumuis sublimis, conterendus est à rege Babylonis: cujus vastatione plurimi reges obstupescent, pluréque nationes cum eo in abyssum detrahentur.

A 1 ET factum est, duodecimo anno, in mense duodecimo, in una mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:

2 Fili hominis assume lamentum super Pharaonem regem Ægypti, & dices ad eum: Leoni Gentium assimilatus es, & draconi qui est in mari: & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina earum.

* Sup. 12.d.13. 17.f.20. 3 Propterea hæc dicit Dominus Deus: * Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum, & extraham te in sagena mea.

4 Et projiciam te in terram, super faciem agri abjiciam te: & habitare faciam super te omnia volatilia cæli, & saturabo de te bestias universæ terræ.

5 Et dabo carnes tuas super montes, & implebo colles tuos sanie tua.

6 Et irrigabo terram fœtore sanguinis tui super montes, & valles implebuntur ex te.

B * Isa.13. b.10. Joel. 2.b. 10. 3.c. 15. Matt. 24.c.29. 7 * Et operiam, cùm extinctus fueris, cælum, & nigrescere faciam stellas ejus: solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum.

8 Omnia luminaria cæli mœrere faciam super te: & dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus, cùm ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus.

9 Et irritabo cor populorum multorum, cùm induxero contritionem tuam in Gentibus super terras quas nescis.

10 Et stupescere faciam super te populos multos: & reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cùm volare cœperit gladius meus super facies eorum: & obstupescent repentè singuli pro anima sua in die ruinæ tuæ.

11 Quia hæc dicit Dominus Deus: Gladius regis Babylonis veniet tibi,

C 12 In gladiis fortium dejiciam multitudinem tuam: inexpugnabiles omnes Gentes hæ: & vastabunt superbiam Ægypti, & dissipabitur multitudo ejus.

13 Et perdam omnia jumenta ejus, quæ erant super aquas plurimas: & non conturbabit eas pes hominis ultrà, neque ungula jumentorum turbabit eas.

14 Tunc purissimas reddam aquas eorum, & flumina eorum quasi oleum adducam, ait Dominus Deus:

15 Cùm dedero Terram Ægypti desolatam: deseretur autem terra à plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores ejus: & scient quia ego Dominus.

16 Planctus est, & plangent eum: filiæ Gentium plangent eum super Ægyptum, & super multitudinem ejus plangent eum, ait Dominus Deus. D

17 Et factum est in duodecimo anno, in quintadecima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:

18 Fili hominis cane lugubre super multitudinem Ægypti: & detrahe eam ipsam, & filias Gentium robustarum, ad terram ultimam, cum his qui descendunt in lacum.

19 Quò pulchrior es? descende, & dormi cum incircumcisis.

20 In medio interfectorum gladio cadent: gladius datus est, attraxerunt eam, & omnes populos ejus.

21 Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus ejus descenderunt, & dormierunt incircumcisi, interfecti gladio.

22 Ibi Assur, & omnis multitudo ejus: in circuitu illius sepulchra ejus: omnes interfecti, & E qui ceciderunt gladio.

23 Quorum data sunt sepulchra in novissimis laci: & facta est multitudo ejus per gyrum sepulchri ejus: universi interfecti, cadentésque gladio, qui dederant quondam formidinem in terra viventium.

24 Ibi Ælam, & omnis multitudo ejus per gyrum sepulchri sui. omnes hi interfecti, ruentésque gladio: qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam: qui posuerunt terrorem suum in terra viventium, & portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum.

25 In medio interfectorum posuerunt cubile ejus in universis populis ejus: in circuitu ejus sepulchrum illius: omnes hi incircumcisi, interfectíque gladio. dederunt enim terrorem suum in terra viventium, & portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum: in medio interfectorum positi sunt. F

26 Ibi Mosoch, & Thubal, & omnis multitudo ejus: in circuitu ejus sepulchra illius. omnes hi incircumcisi, interfectíque & cadentes gladio: quia dederunt formidinem suam in terra viventium.

27 Et non dormient cum fortibus, cadentibúsque & incircumcisis, qui descenderunt ad infernum cum armis suis, & posuerunt gladios suos sub capitibus suis, & fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum: quia terror fortium facti sunt in terra viventium.

28 Et tu ergo in medio incircumcisorum conterêris, & dormies cum interfectis gladio.

29 Ibi Idumæa, & reges ejus, & omnes duces G ejus, qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio: & qui cum incircumcisis dormierunt, & cum his qui descendunt in lacum.

30 Ibi principes Aquilonis omnes, & universi venatores: qui deducti sunt cum interfectis, paventes, & in sua fortitudine confusi: qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio, & portaverunt confusionem suam cum his qui descendunt in lacum.

31 Vidit eos Pharao, & consolatus est super universa multitudine sua, quæ interfecta est gladio; Pharao, & omnis exercitus ejus, ait Dominus Deus:

32 Quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

32 Quia dedi terrorem meum in terra viventium, & dormivi in medio incircumcisorum cum interfectis gladio; Pharao, & omnis multitudo ejus; ait Dominus Deus.

Caput XXXIII.

Si speculator visum imminens malum non annuntiaverit, reus erit pereuntium: quòd si annuntiaverit, solus is qui sibi non cavit reus erit. Iustus quoque si suam deserat justitiam, damnabitur; & impius si convertatur, salvabitur. Nec confidant de terra sibi data in possessionem, quoniam propter suas iniquitates perdentur, & terra in solitudinem redigetur.

A 1 ET factum est verbum Domini ad me, dicens:
2 Fili hominis loquere ad filios populi tui, & dices ad eos: Terra cùm induxero super eam gladium, & tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis, & constituerit eum super se speculatorem:
3 Et ille viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annuntiaverit populo:
4 Audiens autem, quisquis ille est, sonitum buccinæ, & non se observaverit, venerítque gladius, & tulerit eum: sanguis ipsius super caput ejus erit.
5 Sonum buccinæ audivit, & non se observavit, sanguis eius in ipso erit: si autem se custodierit, animam suam salvabit.
B 6 Quòd si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina: & populus se non custodierit, venerítque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.
* Sup. 3. d. 17. 7 * Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me.
8 Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus ut se custodiat impius à via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.
9 Si autem annuntiante te ad impium ut à viis suis convertatur, non fuerit conversus à via sua: ipse in iniquitate sua morietur: porrò tu animam tuam liberasti.
C 10 Tu ergo fili hominis dic ad domum Israël: Sic locuti estis, dicentes: Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo vivere poterimus?
* Sup. 18. c. 23. f. 32. 11 * Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat. Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis: & quare moriemini domus Israël?
12 Tu itaque fili hominis dic ad filios populi tui. Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit: & impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua: & justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit.
13 Etiam si dixero justo quòd vita vivat, & confisus in justitia sua fecerit iniquitatem: omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.
D 14 Si autem dixero impio: Morte morieris: & egerit pœnitentiam à peccato suo, fecerítque judicium & justitiam,
15 Et pignus restituerit ille impius, rapínámque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum: vita vivet, & non morietur.
16 Omnia peccata ejus quæ peccavit, non imputabuntur ei: judicium & justitiam fecit, vita vivet.
17 Et dixerunt filij populi tui: Non est æqui ponderis via Domini: & ipsorum via injusta est.
18 Cùm enim recesserit justus à justitia sua, fecerítque iniquitates, morietur in eis.
19 Et cùm recesserit impius ab impietate sua, fecerítque judicium & justitiam, vivet in eis.
20 * Et dicitis: Non est recta via Domini. Unumquemque juxta vias suas judicabo de vobis, domus Israël. * Sup. 18. f. 25.
E 21 Et factum est in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ, venit ad me qui fugerat de Jerusalem, dicens: Vastata est civitas.
22 Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere, antequam veniret qui fugerat: aperuítque os meum donec veniret ad me manè, & aperto ore meo non silui amplius.
23 Et factum est verbum Domini ad me, dicens:
24 Fili hominis, qui habitant in ruinosis his super humum Israël, loquentes aiunt: Unus erat Abraham, & hereditate possedit terram: nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem.
F 25 Idcircò dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Qui in sanguine comeditis, & oculos vestros levatis ad immunditias vestras, & sanguinem funditis: numquid terram hereditate possidebitis?
26 Stetistis in gladiis vestris, feciſtis abominationes, & unusquisque uxorem proximi sui polluit: & terram hereditate possidebitis?
27 Hæc dices ad eos: Sic dicit Dominus Deus: Vivo ego, quia qui in ruinosis habitant, gladio cadent: & qui in agro est, bestiis tradetur ad devorandum: qui autem in præsidiis & speluncis sunt, peste morientur.
28 Et dabo terram in solitudinem, & in desertum, & deficiet superba fortitudo ejus: & desolabuntur montes Israël, eò quòd nullus sit qui per eos transeat.
29 Et scient quia ego Dominus, cùm dedero terram eorum desolatam & desertam, propter universas abominationes suas, quas operati sunt.
G 30 Et tu fili hominis: filij populi tui, qui loquúntur de te juxta muros, & in ostiis domorum, & dicunt unus ad alterum, vir ad proximum suum loquêtes: Venite, & audiamus quis sit sermo egrediens à Domino.
31 Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus, & sedent coram te populus meus: & audiunt sermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos, & avaritiam suam sequitur cor eorum.
32 Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcíque sono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.
33 Et cùm venerit quod prædictum est (ecce enim venit) tunc scient quòd prophetes fuerit inter eos.

Caput

Caput XXXIV.

Ex manibus pastorum, qui neglecto grege tantùm quæ sua sunt quærunt, dicit Dominus se oves suas liberaturum: quodque eas in judicio pascet, suscitaturus super eas servum suum David, sub quo in omni terræ ubertate securè pascantur: ostenditque gregem suum esse populum Israël, & se Deum ipsorum.

A 1 ET factum est verbum Domini ad me, dicens:
* Ier. 23. a. 1. Sab. 13. a. 3. 2 Fili hominis propheta de pastoribus Israël: propheta, & dices pastoribus: Hæc dicit Dominus Deus: * Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nónne greges à pastoribus pascuntur?
3 Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis.
4 Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.
5 Et dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non esset pastor: & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt.
B 6 Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelso: & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret.
7 Propterea pastores audite verbum Domini:
8 Vivo ego, dicit Dominus Deus: quia pro eo quòd facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eò quòd non esset pastor: neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant:
9 Propterea pastores audite verbum Domini:
C 10 Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos ut ultrà non pascant gregem, nec pascant ampliùs pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultrà eis in escam.
11 Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas.
12 Sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum: sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis.
D 13 Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israël, in rivis, & in cunctis sedibus terræ.
14 In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israël erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël.
15 Ego pascam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.
16 Quod perierat requiram, & quod abjectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat consolidabo, & quod pingue & forte custodiam: & pascam illas in judicio.
17 Vos autem greges mei: hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego judico inter pecus & pecus, arietum & hircorum.
18 Nónne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper & reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris: & cùm purissimam aquã biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis.
E 19 Et oves meæ his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: & quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant.
20 Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos: Ecce ego ipse judico inter pecus pingue, & macilentum:
21 Pro eo quòd lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras:
22 Salvabo gregem meum, & non erit ultrà in rapinam, & judicabo inter pecus & pecus.
F 23 * ET SUSCITABO SUPER EAS PASTOREM UNUM, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. * Ioan. 1. g. 45. 10. c. 11. 14. Isa. 40. c. 11. Ose. 3. b. 5.
24 Ego autem Dominus ero eis in Deum: & servus meus David princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum.
25 Et faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra: & qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus.
26 Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem: & deducam imbrem in tempore suo: pluviæ benedictionis erunt.
G 27 Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum, & erunt in terra sua absque timore: & scient quia ego Dominus, cùm contrivero catenas jugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi.
28 Et non erunt ultrà in rapinam in Gentibus, neque bestiæ terræ devorabunt eos: sed habitabunt confidenter absque ullo terrore.
29 Et suscitabo eis germen nominatum: & non erunt ultrà imminuti fame in terra, neque portabunt ultrà opprobrium gentium.
30 Et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis, & ipsi populus meus domus Israël: ait Dominus Deus.
* Ioan. 10. c. 11. 31 * Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis: & ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.

Caput XXXV.

Montis Seir sive Idumæorum futura vastatio, eò quòd populum Dei afflixerint.

A 1 ET factus est sermo Domini ad me, dicens:
2 Fili hominis pone faciem tuam adversum montem Seir, & prophetabis de eo, & dices illi:
3 Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te mons Seir, & extendam manum meam super te, & dabo te desolatum atque desertum.
4 Urbes tuas demoliar, & tu desertus eris: & scies quia ego Dominus.
B 5 Eò quòd fueris inimicus sempiternus, & concluseris filios Israël in manus gladij in tẽpore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ.
6 Propterea vivo ego, dicit Dñs Deus: quoniam sanguini tradam te, & sanguis te persequetur: & cùm sanguinem oderis, sanguis persequetur te.

7 Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

7 Et dabo montem Seir desolatum atque desertum : & auferam de eo euntem , & redeuntem.

8 Et implebo montes ejus occisorum suorum : in collibus tuis , & in vallibus tuis , atque in torrentibus interfecti gladio cadent.

C 9 In solitudines sempiternas tradam te , & civitates tuæ non habitabuntur : & scietis quia ego Dominus Deus.

10 Eò quòd dixeris : Duæ gentes , & duæ terræ meæ erunt , & hereditate possidebo eas : cùm Dominus esset ibi.

11 Propterea vivo ego , dicit Dominus Deus, quia faciam juxta iram tuam, & secundùm zelum tuum , quem fecisti odio habens eos : & notus efficiar per eos cùm te judicavero.

D 12 Et scies quia ego Dominus audivi universa opprobria tua , quæ locutus es de montibus Israël, dicens: Deserti , nobis ad devorandum dati sunt.

13 Et in surrexistis super me ore vestro, & derogastis adversum me verba vestra : ego audivi.

14 Hæc dicit Dominus Deus: Lætante universa terra , in solitudinem te redigam.

15 Sicuti gavisus es super hereditatem domus Israël , eò quòd fuerit dissipata , sic faciam tibi : dissipatus eris mons Seir , & Idumæa omnis : & scient quia ego Dominus.

Caput XXXVI.

Quia populus Dei erat in opprobrium Gentibus, eò quòd propter sua peccata dispersi essent in captivitatem , dicit Dominus, non propter illum , sed propter se reducturum eum in terram suam ; quòdque super ipsum effundet aquam mundam , faciens eum in suis præceptis ambulare , magnáque frui felicitate.

A 1 TU autem fili hominis propheta super montes Israël , & dices : * Montes Israël audite verbum Domini :

* Sup. 6. a. 3.

2 Hæc dicit Dominus Deus : Eò quòd dixerit inimicus de vobis : Euge, altitudines sempiternæ in hereditatem datæ sunt nobis.

3 Propterea vaticinare,&dic : Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd desolati estis,& conculcati per circuitum , & facti in hereditatem reliquis Gentibus , & ascendistis super labium linguæ , & opprobrium populi :

4 Propterea montes Israël audite verbum Domini Dei : Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus , torrentibus , vallibúsque, & desertis, parietinis , & urbibus derelictis , quæ depopulatæ sunt,& subsannatæ à reliquis Gentibus per circuitum.

B 5 Propterea hæc dicit Dominus Deus : Quoniam in igne zeli mei locutus sum de reliquis Gentibus , & de Idumæa universa, quæ dederunt terram meam sibi in hereditatem cum gaudio , & toto corde , & ex animo : & ejecerunt eam ut vastarent :

6 Idcircò vaticinare super humum Israël , & dices montibus & collibus , jugis & vallibus:Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego in zelo meo , & in furore meo locutus sum, eò quòd confusionem gentium sustinueritis.

7 Idcircò hæc dicit Dominus Deus : Ego levavi manum meam , ut Gentes , quæ in circuitu vestro sunt , ipsæ confusionem suam portent.

8 Vos autem montes Israël ramos vestros germinetis , & fructum vestrum afferatis populo meo Israël : propè enim est ut veniat.

9 Quia ecce ego ad vos , & convertar ad vos , & arabimini , & accipietis sementem.

10 Et multiplicabo in vobis homines, omnémque domum Israël : & habitabuntur civitates , & ruinosa instaurabuntur. C

11 Et replebo vos hominibus, & jumentis : & multiplicabuntur , & crescent : & habitare vos faciam sicut à principio , bonísque donabo majoribus quàm habuistis ad initio : & scietis quia ego Dominus.

12 Et adducam super vos homines , populum meum Israël,& hereditate possidebunt te : & eris eis in hereditatem , & non adeps ultrà ut absque eis sis.

13 Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quòd dicunt de vobis : Devoratrix hominum es , & suffocans gentem tuam :

14 Propterea homines non comedes ampliùs, & gentem tuam non necabis ultrà , ait Dominus Deus :

15 Nec auditam faciam in te ampliùs confusionem Gentium,& opprobrium populorum nequaquam portabis , & gentem tuam non amittes ampliùs , ait Dominus Deus. D

16 Et factum est verbum Domini ad me,dicens:

17 Fili hominis , domus Israël habitaverunt in humo sua,& polluerunt eam in viis suis, & in studiis suis ; juxta immunditiam menstruatæ facta est via eorum coram me.

18 Et effudi indignationem meam super eos pro sanguine , quem fuderunt super terram , & in idolis suis polluerunt eam.

19 Et dispersi eos in Gentes , & ventilati sunt in terras : juxta vias eorum, & adinventiones eorum judicavi eos.

20 Et ingressi sunt ad Gentes , ad quas introierunt , & * polluerunt nomen sanctum meum,cùm diceretur de eis : Populus Domini iste est , & de terra ejus egressi sunt.

* Isa. 52. b. 5. Rom. 2. d. 24.

21 Et peperci nomini sancto meo,quod polluerat domus Israël in Gentibus , ad quas ingressi sunt. E

22 Idcircò dices domui Israël : Hæc dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciam,domus Israël , sed propter nomen sanctum meum , quod polluistis in Gentibus , ad quas intrastis.

23 Et sanctificabo nomen meum magnum,quod pollutum est inter Gentes, quod polluistis in medio earum : ut sciant Gentes quia ego Dominus, ait Dominus exercituum , cùm sanctificatus fuero in vobis coram eis.

24 Tollam quippe vos de Gentibus , & congregabo vos de universis terris, & adducam vos in terram vestram.

25 Et effundam super vos aquam mundam , & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris , & ab universis idolis vestris mundabo vos.

26 * Et dabo vobis cor novum,& spiritum novum ponam in medio vestri : & auferam cor lapideum de carne vestra,& dabo vobis cor carneũ.

* Sup. 11. d. 19.

27 Et spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis , & judicia mea custodiatis & operemini. F

28 Et

28 Et habitabitis in terra , quam dedi patribus vestris : & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.

29 Et salvabo vos ex universis inquinamentis vestris : & vocabo frumentum , & multiplicabo illud , & non imponam vobis famem.

30 Et multiplicabo fructum ligni , & genimina agri , ut non portetis ultrà opprobrium famis in Gentibus.

31 Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum , studiorúmque non bonorum : & displicebunt vobis iniquitates vestræ , & scelera vestra.

32 Non propter vos ego faciam , ait Dominus Deus , notum sit vobis : confundimini, & erubescite super viis vestris , domus Israël.

G 33 Hæc dicit Dominus Deus : In die,qua mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris,& inhabitari fecero vrbes, & instauravero ruinosa.

34 Et terra deserta fuerit exculta , quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris ,

35 Dicent : Terra illa inculta , facta est ut hortus voluptatis : & civitates desertæ, & destitutæ atque fuffossæ , munitæ sederunt.

36 Et scient Gentes quæcumque derelictæ fuerint in circuitu vestro , quia ego Dominus ædificavi dissipata , plantavíque inculta, ego Dominus locutus sum , & fecerim.

37 Hæc dicit Dominus Deus : Adhuc in hoc invenient me domus Israël , ut faciam eis : Multiplicabo eos sicut gregem hominum.

38 Ut gregem sanctum , ut gregem Jerusalem in sollemnitatibus ejus: Sic erunt civitates desertæ , plenæ gregibus hominum : & scient quia ego Dominus.

Caput XXXVII.

In figura aridorum ossium revivíscentium , designat filios Israël qui de omni prosperitate desperant , reducendos in terram suam : & per duo ligna conjuncta significat unum fore regnum Juda & Israël , qui sub uno rege ac pastore David observaturi sint mandata Domini,qui cum ipsis pactum feriet sempiternum.

A 1 FActa est super me manus Domini , & eduxit me in spiritu Domini : & dimisit me in medio campi , qui erat plenus ossibus :

2 Et circumduxit me per ea in gyro : erant autem multa valdè super faciem campi, siccáque vehementer.

3 Et dixit ad me : Fili hominis putásne vivent ossa ista ? Et dixi : Domine Deus , tu nosti.

4 Et dixit ad me : Vaticinare de ossibus istis:& dices eis : Ossa arida audite verbum Domini.

5 Hæc dicit Dominus Deus ossibus his : Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis.

B 6 Et dabo super vos nervos , & succrescere faciam super vos carnes , & superextendam in vobis cutem : & dabo vobis spiritum , & vivetis , & scietis quia ego Dominus.

7 Et prophetavi sicut præceperat mihi : factus est autem sonitus , prophetante me, & ecce commotio : & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad junctúram suam.

8 Et vidi , & ecce super ea nervi & carnes ascenderunt : & extenta est in eis cutis desuper , & spiritum non habebant.

C 9 Et dixit ad me : Vaticinare ad spiritum,vaticinare fili hominis,& dices ad spiritum : Hæc dicit DominusDeus : A quattuor ventis veni spiritus,& insuffla super interfectos istos,& reviviscãt.

10 Et prophetavi sicut præceperat mihi : & ingressus est in ea spiritus , & vixerunt : steterúntque super pedes suos exercitus grãdis nimis valdè.

11 Et dixit ad me : Fili hominis , ossa hæc universa , domus Israël est : ipsi dicunt : Aruerunt ossa nostra , & periit spes nostra,& abscissi sumus.

12 Propterea vaticinare , & dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego aperiam tumulos vestros,& educam vos de sepulchris vestris,populus meus : & inducam vos in terram Israël. D

13 Et scietis quia ego Dominus , cùm aperuero sepulchra vestra , & eduxero vos de tumulis vestris , populo meus :

14 Et dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis , & requiescere vos faciam super humum vestram : & scietis quia ego Dominus locutus sum, & feci , ait Dominus Deus.

15 Et factus est sermo Domini ad me, dicens :

16 Et tu fili hominis sume tibi lignum unum : & scribe super illud : Judæ , & filiorum Israël sociorum ejus : & tolle lignum alterum , & scribe super illud : Joseph ligno Ephraim,& cunctæ domui Israël , sociorúmque ejus.

17 Et adjunge illa , unum ad alterum tibi in lignum unum : & erunt in unionem in manu tua. E

18 Cùm autem dixerint ad te filij populi tui loquẽtes:Nónne indicas nobis quid in his tibi velis?

19 Loquêris ad eos : Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam lignum Joseph , quod est in manu Ephraim , & tribus Israël , quæ sunt ei adjunctæ : & dabo eas pariter cum ligno Juda, & faciam eas in lignum unum : & erunt unum in manu ejus.

20 Erunt autem ligna , super quæ scripseris in manu tua , in oculis eorum.

21 Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israël de medio nationum, ad quas abierunt : & congregabo eos undique , & adducam eos ad humum suam. F

22 * Et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israël, & rex unus erit omnibus imperans : & non erunt ultrà duæ gentes , nec dividentur ampliùs in duo regna.

* Ioan. 10. d. 16.

23 Neque polluentur ultrà in idolis suis,& abominationibus suis,& cunctis iniquitatibus suis : & salvos eos faciam de universis sedibus , in quibus peccaverunt , & emundabo eos : & erunt mihi populus , & ego ero eis Deus. G

24 * Et servus meus David rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum : in judiciis meis ambulabunt , & mandata mea custodient , & facient ea.

* Isa. 40. c. 11. Ier. 23. a. 5. Sup. 34. c. 23. Dan. 9. f. 24. Ioan 3. g. 45.

25 Et habitabunt super terram,quam dedi servo meo Jacob , in qua habitaverunt patres vestri : & habitabunt super eam ipsi,& filij eorum, & filij filiorum eorum , usque in sempiternum : & David servus meus princeps eorum in perpetuum.

26 * Et percutiam illis fœdus pacis,pactum sempiternum erit eis:& fundabo eos,& multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum.

* Ps. 109. b. 4. 116. a. 2. Ioan. 12. e. 34.

Universidad de Deusto
Biblioteca

27 Et erit tabernaculum meum in eis : & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus.

28 Et scient Gentes quia ego Dominus sanctificator Israël, cùm fuerit sanctificatio mea, in medio eorum in perpetuum.

Caput XXXVIII.

Habitantibus post reductam captivitatem securè filiis Israël in oppidis suis, adducet Dominus in novissimis diebus contra eos Gog cum ingenti exercitu : sed & hunc cum suo exercitu multis cladibus posteà consumet.

A *Inf. 39. a. 1. Apoc. 20. c. 7.*

1 ET factus est sermo Domini ad me, dicens : 2 Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch & Thubal : & vaticinare de eo.

3 Et dices ad eum : Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch & Thubal.

4 Et circumagam te, & ponam frænum in maxillis tuis : & educam te, & omnem exercitum tuum, equos & equites vestitos loricis universos, multitudinem magnam, hastam & clypeum arripientium & gladium.

B 5 Persæ, Æthiopes, & Libyes cum eis, omnes scutati & galeati.

6 Gomer, & universa agmina ejus, domus Thogorma, latera Aquilonis,& totum robur ejus, populique multi tecum.

7 Præpara, & instrue te, & omnem multitudinem tuam, quæ coacervata est ad te : & esto eis in præceptum.

8 Post dies multos visitaberis : in novissimo annorum venies ad terram, quæ reversa est à gladio, & congregata est de populis multis ad montes Israël, qui fuerunt deserti jugiter : hæc de populis educta est, & habitabunt in ea confidenter universi.

C 9 Ascendens autem quasi tempestas venies, & quasi nubes, ut operias terram tu,& omnia agmina tua, & populi multi tecum.

10 Hæc dicit Dominus Deus : In die illa ascendent sermones super cor tuum, & cogitabis cogitationem pessimam :

11 Et dices : Ascendam ad terram absque muro : veniam ad quiescentes habitantésque securè: hi omnes habitant sine muro, vectes & portæ non sunt eis :

D 12 Vt diripias spolia, & invadas prædam, ut inferas manum tuam super eos, qui deserti fuerant, & posteà restituti, & super populum, qui est congregatus ex Gentibus, qui possidere cœpit, & esse habitator umbilici terræ.

13 Saba, & Dedan, & negotiatores Tharsis, & omnes leones ejus dicent tibi : Numquid ad sumenda spolia tu venis ? ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum, & aurum, & auferas supellectilem,atque substantiam, & diripias manubias infinitas.

14 Propterea vaticinare fili hominis, & dices ad Gog : Hæc dicit Dominus Deus : Numquid non in die illo, cùm habitaverit populus meus Israël confidenter, scies ?

E 15 Et venies de loco tuo à lateribus Aquilonis tu, & populi multi tecum, ascensores equorum universi, cœtus magnus, & exercitus vehemens.

16 Et ascendes super populum meum Israël quasi nubes, ut operias terram. In novissimis diebus eris, & adducam te super terram meam : ut sciant Gentes me, cùm sanctificatus fuero in te in oculis eorum, ô Gog.

F 17 Hæc dicit Dominus Deus : Tu ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis, in manu servorum meorum prophetarum Israël, qui prophetaverunt in diebus illorum temporum, ut adducerem te super eos.

18 Et erit in die illa, in die adventus Gog super terram Israël, ait Dominus Deus, ascendet indignatio mea in furore meo.

19 Et in zelo meo, in igne iræ meæ locutus sum. Quia in die illa erit commotio magna super terram Israël :

20 Et * commovebuntur à facie mea pisces maris, & volucres cæli, & bestiæ agri, & omne reptile quod movetur super humum, cunctique homines qui sunt super faciem terræ : & subvertentur montes, & cadent sepes, & omnis murus corruet in terram. *Matth. 24. c. 29. Luc. 21. c. 25.

21 Et convocabo adversus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus : gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigetur. G

22 Et judicabo eum peste, & sanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immensis : ignem & sulphur pluam super eum, & super exercitum ejus, & super populos multos,qui sunt cum eo.

23 Et magnificabor, & sanctificabor : & notus ero in oculis multarum gentium,& scient quia ego Dominus.

Caput XXXIX.

Adducet Dominus Gog contra Israël, sed ipsum cum toto ejus exercitu ibi perdet ; in cujus sepultura septem mensibus occupabuntur ad mundandam terram : Dominus filios Israël propter peccata ipsorum tradidit in captivitatem, sed reducet eos in terram suam ad nominis sui glorificationem.

1 TU autem fili hominis vaticinare adversum Gog, & dices: Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego super te Gog principem capitis Mosoch & Thubal : A

2 Et circumagam te, & educam te, & ascendere te faciam de lateribus Aquilonis:& adducam te super montes Israël.

3 Et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua, & sagittas tuas de manu dextera tua dejiciam.

4 Super montes Israël cades tu, & omnia agmina tua, & populi tui, qui sunt tecum : feris,avibus, omnique volatili, & bestiis terræ, dedi te ad devorandum.

5 Super faciem agri cades : quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.

6 Et immittam ignem in Magog, & in his qui habitant in insulis confidenter : & scient quia ego Dominus. B

7 Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israël, & non polluam nomen sanctum meum amplius : & scient Gentes quia ego Dominus sanctus Israël.

8 Ecce venit, & factum est, ait Dominus Deus: hæc est dies, de qua locutus sum.

9 Et egredientur habitatores de civitatibus Israël, & succendent, & comburent arma, clypeum,

peum, & hastas, arcum, & sagittas, & baculos manuum, & contos, & succendent ea igni septem annis.

C 10 Et non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus : quoniam arma succendent igni, & deprædabuntur eos, quibus prædæ fuerant, & diripient vastatores suos, ait Dominus Deus.

11 Et erit in die illa : dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israël : vallem viatorum ad Orientem maris, quæ obstupescere faciet prætereuntes : & sepelient ibi Gog,& omnem multitudinem ejus,& vocabitur vallis multitudinis Gog.

12 Et sepelient eos domus Israël, ut mundent terram septem mensibus.

13 Sepeliet autem eum omnis populus terræ, & erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus.

D 14 Et viros jugiter constituent lustrantes terram, qui sepeliant & requirant eos qui remanserant super faciem terræ, ut emundent eam : post menses autem septem quærere incipient.

15 Et circuibunt peragrantes terram : cúmque viderint os hominis, statuent juxta illud titulum, donec sepeliant illud polinctores in valle multitudinis Gog.

16 Nomen autem civitatis Amona, & mundabunt terram.

E 17 Tu ergo fili hominis, hæc dicit Dominus Deus : Dic omni volucri,& universis avibus,cunctísque bestiis agri : Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israël:ut comedatis carnem, & bibatis sanguinem.

18 Carnes fortium comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis : arietum, & agnorum,& hircorum, taurorúmque & altilium,& pinguium omnium.

19 Et comedetis adipem in saturitatem, & bibetis sanguinem in ebrietatem, de victima, quam ego immolabo vobis :

20 Et saturabimini super mensam meam de equo,& equite forti, & de universis viris bellatoribus, ait Dominus Deus.

21 Et ponam gloriam meam in Gentibus : & videbunt omnes gentes judicium meum, quod fecerim ; & manum meam, quam posuerim super eos.

F 22 Et scient domus Israël, quia ego Dominus Deus eorum, à die illa, & deinceps.

23 Et scient Gentes quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israël, eò quòd dereliquerint me, & absconderim faciem meam ab eis : & tradiderim eos in manus hostium, & ceciderint in gladio universi.

24 Juxta immunditiam eorum & scelus feci eis, & abscondi faciem meam ab illis.

25 Propterea hæc dicit Dominus Deus : Nunc reducam captivitatem Jacob, & miserebor omnis domus Israël:& assumam zelum pro nomine sancto meo.

G 26 Et portabunt confusionem suam, & omnem prævaricationem, qua prævaricati sunt in me, cùm habitaverint in terra sua confidenter neminem formidantes :

27 Et reduxero eos de populis,& congregavero de terris inimicorum suorum,& sanctificatus fuero in eis, in oculis gentium plurimarum.

28 * Et scient quia ego Dominus Deus eorum, eò quòd transtulerim eos in nationes, & congregaverim eos super terram suam,& non dereliquerim quemquam ex eis ibi. *Sup. 26. c. 23.

29 Et non abscondam ultrà faciem meam ab eis, eò quòd effuderim spiritum meum super omnem domum Israël, ait Dominus Deus.

Caput XL.

Propheta ostenditur futura readificatio civitatis, cum mensura in longitudine, latitudine & altitudine singularum domus portarum, thalamorum, frontium, fenestrarum, vestibulorum, cubiculorum & graduum : item mensuratio quatuor mensarum ad immolanda sacrificia : rursum gazophylacia cantorum & sacerdotum, ac vestibula templi.

1 IN vigesimoquinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis, quartodecimo anno postquam percussa est civitas : in ipsa hac die facta est super me manus Domini, & adduxit me illuc. A

2 In visionibus Dei adduxit me in terram Israël, & dimisit me super montem excelsum nimis : super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad Austrum.

3 Et introduxit me illuc : & ecce vir, cujus erat species quasi species æris, & funiculus lineus in manu ejus, & calamus mensuræ in manu ejus:stabat autem in porta.

4 Et locutus est ad me idem vir : Fili hominis vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego ostendam tibi : quia ut ostendantur tibi adductus es huc : annuntia omnia, quæ tu vides, domui Israël.

5 Et ecce murus foris secus in circuitu domus undique, & in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, & palmo : & mensus est latitudinem ædificij calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.

6 Et venit ad portam, quæ respiciebat viam Orientalem, & ascendit per gradus ejus : & mensus est limen portæ calamo uno latitudinem,id est limen unum calamo uno in latitudine : B

7 Et thalamum uno calamo in longum, & uno calamo in latum : & inter thalamos, quinque cubitos :

8 Et limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus calamo uno.

9 Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, & frontem ejus duobus cubitis : vestibulum autem portæ erat intrinsecus.

10 Porrò thalami portæ ad viam Orientalem, tres hinc & tres inde : mensura una trium, & mensura una frontium ex utraque parte.

11 Et mensus est latitudinem liminis portæ,decem cubitorum, & longitudinem portæ,tredecim cubitorum :

12 Et marginem ante thalamos cubiti unius : & cubitus unus finis utrimque : thalami autem, sex cubitorum erant hinc & inde.

13 Et mensus est portam à tecto thalami usque ad rectum ejus, latitudinem viginti quinque cubitorum : ostium contra ostium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

14 Et fecit frontes per sexaginta cubitos: & ad frontem atrium portæ undique per circuitum.

15 Et ante faciem portæ, quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris, quinquaginta cubitos.

C 16 Et fenestras obliquas in thalamis, & in frontibus eorum, quæ erant intra portam undique per circuitum: similiter autem erant & in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus, & ante frontes pictura palmarum.

17 Et eduxit me ad atrium exterius, & ecce gazophylacia, & pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum: triginta gazophylacia in circuitu pavimenti.

18 Et pavimentum in fronte portarum, secundùm longitudinem portarum erat inferius.

19 Et mensus est latitudinem à facie portæ inferioris usque ad frontem atrij interioris extrinsecus, centum cubitos ad Orientem, & ad Aquilonem.

20 Portam quoque, quæ respiciebat viam Aquilonis atrij exterioris, mensus est tam in longitudine, quàm in latitudine.

21 Et thalamos ejus tres hinc, & tres inde: & frontem ejus, & vestibulum ejus secundùm mensuram portæ prioris, quinquaginta cubitorum longitudinem ejus, & latitudinem viginti quinque cubitorum.

D 22 Fenestræ autem ejus, & vestibulum, & sculpturæ secundùm mensuram portæ, quæ respiciebat ad Orientem: & septem graduum erat ascensus ejus, & vestibulum ante eam.

23 Et porta atrij interioris contra portam Aquilonis & Orientalem: & mensus est à porta usque ad portam centum cubitos.

24 Et eduxit me ad viam Australem, & ecce porta, quæ respiciebat ad Austrum: & mensus est frontem ejus, & vestibulum ejus, juxta mensuras superiores.

25 Et fenestras ejus, & vestibula in circuitu, sicut fenestras ceteras: quinquaginta cubitorum longitudine, & latitudine vigintiquinque cubitorum.

26 Et in gradibus septem ascendebatur ad eam: & vestibulum ante fores ejus: & cælatæ palmę erant, una hinc, & altera inde in fronte ejus.

27 Et porta atrij interioris in via Australi: & mensus est à porta usque ad portam in via Australi, centum cubitos.

28 Et introduxit me in atrium interius ad portam Australem, & mensus est portam juxta mensuras superiores.

29 Thalamum ejus, & frontem ejus, & vestibulum ejus eisdem mensuris: & fenestras ejus, & vestibulum ejus in circuitu, quinquaginta cubitos longitudinis, & latitudinis vigintiquinque cubitos.

E 30 Et vestibulum per gyrum longitudine vigintiquinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum.

31 Et vestibulum ejus ad atrium exterius, & palmas ejus in fronte, & octo gradus erant, quibus ascendebatur per eam.

32 Et introduxit me in atrium interius per viam Orientalem: & mensus est portam secundùm mensuras superiores.

33 Thalamum ejus, & frontem ejus, & vestibulum ejus, sicut suprà: & fenestras ejus, & vestibula ejus in circuitu, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine vigintiquinque cubitorum.

34 Et vestibulum ejus, id est atrij exterioris: & palmæ cælatæ in fronte ejus hinc & inde: & in octo gradibus ascensus ejus.

35 Et introduxit me ad portam, quæ respiciebat ad Aquilonem: & mensus est secundùm mensuras superiores.

36 Thalamum ejus, & frontem ejus, & vestibulum ejus, & fenestras ejus per circuitum, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine vigintiquinque cubitorum.

37 Et vestibulum ejus respiciebat ad atrium exterius: & cælatura palmarum in fronte ejus hinc & inde: & in octo gradibus ascensus ejus.

38 Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum: ibi lavabant holocaustum.

39 Et in vestibulo portæ, duæ mensæ hinc, & duæ mensæ inde: ut immoletur super eas holocaustum & pro peccato, & pro delicto.

40 Et ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ, quæ pergit ad Aquilonem, duæ mensæ: & ad latus alterum ante vestibulum portæ, duæ mensæ.

41 Quattuor mensæ hinc, & quattuor mensæ inde: per latera portæ octo mensæ erant, super quas immolabant.

42 Quattuor autem mensæ ad holocaustum, de lapidibus quadris extructæ: longitudine cubiti unius & dimidij: & latitudine cubiti unius & dimidij: altitudine cubiti unius: super quas ponant vasa, in quibus immolatur holocaustum, & victima.

43 Et labia earum palmi unius, reflexa intrinsecus per circuitum: super mensas autem carnes oblationis.

44 Et extra portam interiorem, gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem: & facies eorum contra viam Australem, una ex latere portæ Orientalis, quæ respiciebat ad viam Aquilonis. G

45 Et dixit ad me: Hoc est gazophylacium, quod respicit viam Meridianam; sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi.

46 Porrò gazophylacium, quod respicit ad viam Aquilonis, sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris. isti sunt filij Sadoc, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum ut ministrent ei.

47 Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per quadrum: & altare ante faciem templi.

48 Et introduxit me in vestibulum templi: & mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde.

49 Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, & latitudinem undecim cubitorum, & octo gradibus ascendebatur ad eam. Et columnæ erant in frontibus; una hinc, & altera inde.

CAPUT

CAPUT XLI.

Dispositio reædificandi templi juxta partes singulas.

A 1 ET introduxit me in templum, & mensus est frontes, sex cubitos latitudinis hinc, & sex cubitos inde, latitudinem tabernaculi.

2 Et latitudo portæ, decem cubitorum erat: & latera portæ, quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & mensus est longitudinem ejus quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum.

3 Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte portæ duos cubitos: & portam, sex cubitorum: & latitudinem portæ, septem cubitorum.

4 Et mensus est longitudinem ejus viginti cubitorum, & latitudinem ejus viginti cubitorum, ante faciem templi: & dixit ad me: Hoc est sanctum sanctorum.

5 Et mensus est parietem domus sex cubitorum: & latitudinem lateris quattuor cubitorum undique per circuitum domus.

6 Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria: & erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circuitum, ut continerent, & non attingerent parietem templi.

7 Et platea erat in rotundum, ascendens sursum B per cochleam, & in cœnaculum templi deferebat per gyrum: idcircò latius erat templum in superioribus: & sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium.

8 Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio:

9 Et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum: & erat interior domus in lateribus domus.

10 Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique.

11 Et ostium lateris ad orationem: ostium unum ad viam Aquilonis, & ostium unum ad viam Australem: & latitudinem loci ad orationem, quinque cubitorum in circuitu.

12 Et ædificium quod erat separatum, versúmque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum. paries autem ædificij, quinque cubitorum latitudinis per circuitum: & longitudo ejus nonaginta cubitorum.

13 Et mensus est domus longitudinem, centum C cubitorum: & quod separatum erat ædificium, & parietes ejus, longitudinis centum cubitorum.

14 Latitudo autem ante faciem domus, & ejus quod erat separatum contra Orientem, centum cubitorum.

15 Et mensus est longitudinem ædificij contra faciem ejus, quod erat separatum ad dorsum: ethecas ex utraque parte centum cubitorum: & templum interius, & vestibula atrij.

16 Limina, & fenestras obliquas, & ethecas in circuitu per tres partes, contra uniuscujusque limen, stratúmque ligno per gyrum in circuitu: terra autem usque ad fenestras, & fenestræ clausæ super ostia.

17 Et usque ad domum interiorem, & forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus, & forinsecus, ad mensuram.

18 Et fabrefacta cherubim & palmæ: & palma inter cherub & cherub, duásque facies habebat cherub.

19 Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, & faciem leonis juxta palmam ex alia parte, expressam per omnem domum in circuitu.

20 De terra usque ad superiora portæ cherubim & palmæ cælatæ erant in pariete templi: D

21 Limen quadrangulum, & facies sanctuarij, aspectus contra aspectum.

22 Altaris lignei trium cubitorum altitudo, & longitudo ejus duorum cubitorum: & anguli ejus, & longitudo ejus: & parietes ejus lignei. Et locutus est ad me: Hæc est mensa coram Domino.

23 Et duo ostia erant in templo, & in sanctuario.

24 Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur: bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum.

25 Et cælata erant in ipsis ostiis templi cherubim, & sculpturæ palmarum, sicut in parietibus, quoque expressæ erant: quam ob rem & grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus.

26 Super quæ fenestræ obliquæ, & similitudo palmarum hinc atque inde in humerulis vestibuli, secundùm latera domus latitudinémque parietum.

CAPUT XLII.

De gazophylaciis, ceterísque quæ ad sacrorum usum pertinent reædificandis.

1 ET eduxit me in atrium exterius per viam A ducentem ad Aquilonem, & introduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium, & contra ædem vergentem ad Aquilonem.

2 In facie longitudinis, centum cubitos ostij Aquilonis: & latitudinis quinquaginta cubitos,

3 Contra viginti cubitos atrij interioris, & contra pavimentum stratum lapide atrij exterioris, ubi erat porticus juncta porticui triplici.

4 Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis, ad interiora respiciens viæ cubiti unius. Et ostia eorum ad Aquilonem:

5 Ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora: quia supportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, & de mediis ædificij. A

6 Tristega enim erant, & non habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum: propterea eminebant de inferioribus, & de mediis à terra cubitis quinquaginta. B

7 Et peribolus exterior secundùm gazophylacia, quæ erant in via atrij exterioris ante gazophylacia: longitudo ejus quinquaginta cubitorum.

8 Quia longitudo erat gazophylaciorum atrij exterioris, quinquaginta cubitorum: & longitudo ante faciem templi, centum cubitorum.

9 Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori.

10 In latitudine periboli atrij, quod erat contra

Universidad de Deusto
Biblioteca

viam Orientalem, in faciem ædificij separati, & erant ante ædificium gazophylacia.

C 11 Et via ante faciem eorum, juxta similitudinem gazophylaciorum, quæ erant in via Aquilonis: secundùm longitudinem eorum, sic & latitudo eorum: & omnis introitus eorum, & similitudines, & ostia eorum.

12 Secundùm ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad Notum: ostium in capite viæ: quæ via erat ante vestibulum separatum per viam Orientalem ingredientibus.

13 Et dixit ad me: Gazophylacia Aquilonis, & gazophylacia Austri, quæ sunt ante ædificium separatum: hæc sunt gazophylacia sancta, in quibus vescuntur sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum in sancta sanctorum: ibi ponent sancta sanctorum, & oblationem pro peccato, & pro delicto: locus enim sanctus est.

14 Cùm autem ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de sanctis in atrium exterius: & ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt: vestientúrque vestimentis aliis, & sic procedent ad populum.

D 15 Cúmque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad viam Orientalem: & mensus est eam undique per circuitum.

16 Mensus est autem contra ventum Orientalem calamo mensuræ, quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum.

17 Et mensus est contra ventum Aquilonis quingentos calamos in calamo mensuræ per gyrum.

18 Et ad ventum Australem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum.

19 Et ad ventum Occidentalem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ.

20 Per quattuor ventos mensus est murum ejus undique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, & latitudinem quingentorum cubitorum, dividentem inter sanctuarium & vulgi locum.

Caput XLIII.

Gloria Domini apparente audit propheta quòd filij Israël non amplius polluent nomen Domini, & quæ sint mensura altaris, ac sacrificia ad ipsum septem diebus expiandum.

A 1 ET duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam Orientalem.

2 Et ecce gloria Dei Israël ingrediebatur per viam Orientalem: & vox erat ei quasi vox aquarum multarum, & terra splendebat à majestate ejus.

*Sup. 9. a. 1. 3 * Et vidi visionem, secundùm speciem, quam videram, quando venit ut disperderet civitatem: *Sup. 1. a. 1. & species secundùm aspectum, * quem videram juxta fluvium Chobar: & cecidi super faciem meam.

4 Et majestas Domini ingressa est templum per viam portæ, quæ respiciebat ad Orientem.

5 Et elevavit me spiritus, & introduxit me in atrium interius: & ecce repleta erat gloria Domini domus.

6 Et audivi loquentem ad me de domo, & vir qui stabat juxta me,

B 7 Dixit ad me: Fili hominis, locus solij mei, & locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israël in æternum: & non polluent ultrà domus Israël nomen sanctum meum, ipsi & reges eorum in fornicationibus suis, & in ruinis regum suorum, & in excelsis.

8 Qui frabricati sunt limen suum juxta limen meum, & postes suos juxta postes meos: & murus erat inter me & eos: & polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus, quas fecerunt: propter quod consumpsi eos in ira mea.

9 Nunc ergo repellant procul fornicationem C suam, & ruinas regum suorum à me: & habitabo in medio eorum semper.

10 Tu autem fili hominis ostende domui Israël templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam:

11 Et erubescant ex omnibus quæ fecerunt: Figuram domus, & fabricæ ejus exitus, & introitus, & omnem descriptionem ejus, & universa præcepta ejus, cunctúmque ordinem ejus, & omnes leges ejus ostende eis, & scribes in oculis eorum: ut custodiant omnes descriptiones ejus, & præcepta illius, & faciant ea.

12 Ista est lex domus in summitate montis: Omnis finis ejus in circuitu, sanctum sanctorum est: hæc est ergo lex domus.

13 Istæ autem mensuræ altaris in cubito veris- D simo, qui habebat cubitum & palmum: in sinu ejus erat cubitus & cubitus in latitudine, & definitio ejus usque ad labium ejus, & in circuitu, palmus unus. hæc quoque erat fossa altaris.

14 Et de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam duo cubiti, & latitudo cubiti unius: & à crepidine minore usque ad crepidinem majorem quattuor cubiti, & latitudo cubiti unius.

15 Ipse autem Ariel quattuor cubitorum: & ab Ariel usque ad sursum, cornua quattuor.

16 Et Ariel duodecim cubitorum in longitudi- E ne per duodecim cubitos latitudinis: quadrangulatum æquis lateribus.

17 Et crepido quattuordecim cubitorum longitudinis, per quattuordecim cubitos latitudinis in quattuor angulis ejus: & corona in circuitu ejus dimidij cubiti, & sinus ejus unius cubiti per circuitum: gradus autem ejus versi ad Orientem.

18 Et dixit ad me: Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Hi sunt ritus altaris, in quacumque die fuerit fabricatum; ut offeratur super illud holocaustum, & effundatur sanguis.

19 Et dabis Sacerdotibus, & Levitis, qui sunt F de semine Sadoc, qui accedunt ad me: ait Dominus Deus, ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato.

20 Et assumens de sanguine ejus, pones super quattuor cornua ejus, & super quattuor angulos crepidinis & super coronam in circuitu: & mundabis illud, & expiabis.

21 Et tolles vitulum, qui oblatus fuerit pro peccato: & combures eum, in separato loco domus extra sanctuarium.

22 Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato: & expiabunt altare, sicut expiaverunt in vitulo.

23 Cúmque compleveris expians illud, offeres G vitulum

vitulum de armento immaculatum, & arietem de grege immaculatum.

24 Et offeres eos in conspectu Domini: & mittent sacerdotes super eos sal, & offerent eos holocaustum Domino.

25 Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie: & vitulum de armento, & arietem de pecoribus, immaculatos offerent.

26 Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud: & implebunt manum ejus.

27 Expletis autem diebus, in die octava & ultrà, facient sacerdotes super altare holocausta vestra, & quæ pro pace offerunt: & placatus ero vobis, ait Dominus Deus.

Caput XLIV.

Porta sanctuarij clausa, qua solus Deus ingreditur: incircumcisi carne & corde non ingredientur sanctuarium, nec Levitæ qui idola secuti sunt, sed hi ministri domus erunt: filij autem Sadoc sacerdotes ingredientur, & horum leges ponuntur.

A 1 ET convertit me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientem: & erat clausa.

2 Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, erítque clausa

3 Principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino: per viam portæ vestibuli ingredietur, & per viam ejus egredietur.

B 4 Et adduxit me per viam portæ Aquilonis in conspectu domus: & vidi, & ecce implevit gloria Domini domum Domini: & cecidi in faciem meam.

5 Et dixit ad me Dominus: Fili hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de universis ceremoniis domus Domini, & de cunctis legibus ejus: & pones cor tuum in viis templi per omnes exitus sanctuarij.

6 Et dices ad exasperantem me domum Israël: Hæc dicit Dominus Deus: sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israël:

7 Eò quòd inducitis filios alienos incircumcisos corde, & incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo, & polluant domum meam: & offertis panes meos, adipem, & sanguinem: & dissolvitis C pactum meum in omnibus sceleribus vestris.

8 Et non servastis præcepta sanctuarij mei: & posuistis custodes observationum mearum in sanctuario meo vobismetipsis.

9 Hæc dicit Dominus Deus: Omnis alienigena incircumcisus corde, & incircumcisus carne, non ingredietur sanctuarium meum, omnis filius alienus qui est in medio filiorum Israël.

10 Sed & Levitæ, qui longè recesserunt à me in errore filiorum Israël, & erraverunt à me post idola sua, & portaverunt iniquitatem suam:

11 Erunt in sanctuario meo æditui, & janitores portarum domus, & ministri domus: ipsi mactabunt holocausta, & victimas populi: & ipsi stabunt in conspectu eorum, ut ministrent eis.

D 12 Pro eo quòd ministraverunt illis in conspectu idolorum suorum, & facti sunt domui Israël in offendiculum iniquitatis: idcircò levavi manum meam super eos, ait Dominus Deus, & portabunt iniquitatem suam:

13 Et non appropinquabunt ad me ut sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne sanctuarium meum juxta sancta sanctorum: sed portabunt confusionem suam, & scelera sua quæ fecerunt.

14 Et dabo eos janitores domus in omni ministerio ejus, & in universis quæ fient in ea. E

15 Sacerdotes autem & Levitæ filij Sadoc, qui custodierunt ceremonias sanctuarij mei, cùm errarent filij Israël à me, ipsi accedent ad me ut ministrent mihi: & stabunt in conspectu meo ut offerant mihi adipem, & sanguinẽ, ait Dominus Deus.

16 Ipsi ingredientur sanctuarium meum, & ipsi accedent ad mensam meam ut ministrent mihi, & custodiant ceremonias meas.

17 Cúmque ingredientur portas atrij interioris, vestibus lineis induentur: nec ascendet super eos quidquam laneum, quando ministrant in portis atrij interioris & intrinsecus.

18 Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, & seminalia linea erunt in lumbis eorum, & non accingentur in sudore. F

19 Cúmque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis, in quibus ministraverant, & reponent ea in gazophylacio sanctuarij, & vestient se vestimentis aliis: & non sanctificabunt populum in vestibus suis.

20 Caput autem suum non radent neque comam nutrient: sed tondentes attondent capita sua.

21 Et vinum non bibet omnis sacerdos quando ingressurus est atrium interius.

22 * Et viduam & repudiatã non accipient uxo- *Levit. res, sed virgines de semine domus Israël: sed & vi- 21. a. 14. duam, quæ fuerit vidua à sacerdote, accipient.

23 Et populum meum docebunt quid sit inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum ostendent eis.

24 Et cùm fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & judicabunt: leges meas, & præcepta mea in omnibus sollemnitatibus meis custodient, & Sabbata mea sanctificabunt.

25 Et ad mortuum hominem non ingredientur, G ne polluantur, nisi ad patrem & matrem, & filium & filiam, & fratrem & sororem, quæ alterum virum non habuerit: in quibus contaminabuntur.

26 Et postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei.

27 Et in die introitus sui in sanctuarium ad atrium interius, ut ministret mihi in sanctuario, offeret pro peccato suo, ait Dominus Deus.

28 * Non erit autem eis hereditas, ego here- *Num. ditas eorum: & possessionem non dabitis eis in Israël, 18. 6. 20. ego enim possessio eorum. Deut. 18. a. 1.

29 Victimam & pro peccato & pro delicto ipsi comedent: & omne votum in Israël ipsorum erit.

30 * Et primitiva omnium primogenitorum, & *Ex. 22. d. 29. omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur, sacerdotum erunt: & primitiva ciborum vestrorum dabitis sacerdoti, ut reponat benedictionem domui tuæ.

31 * Omne morticinum, & captum à bestia *Levit. de avibus & de pecoribus non comedent Sa- 22. a. 8. cerdotes.

Caput XLV.

In terræ divisione, separatis Domino primitiis, assignanda est certa portio sacerdotibus, Levitis, civitati ac principi: servandáque æquitas in ponderibus, mensuris, primitiis & sacrificiis: quæ sacrificia offerentur primo ac septimo die primi mensis, & in sollemnitatibus Paschæ ac Tabernaculorum.

A 1 CUmque cœperitis terram dividere sortitò, separate primitias Domino, sanctificatum de terra, longitudine viginti quinque millia, & latitudine decem millia: sanctificatum erit in omni termino ejus per circuitum.

2 Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariàm per circuitum: & quinquaginta cubitis in suburbana ejus per gyrũ.

B 3 Et à mensura ista mensurabis longitudinem vigintiquinque millium, & latitudinem decem millium, & in ipso erit templum, sanctúmque sanctorum.

4 Sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris sanctuarij, qui accedunt ad ministerium Domini: & erit eis locus in domos, & in sanctuarium sanctitatis.

5 Vigintiquinque autem millia longitudinis, & decẽ millia latitudinis erunt Levitis, qui ministrãt domui: ipsi possidebunt viginti gazophylacia.

6 Et possessionem civitatis dabitis quinque millia latitudinis, & longitudinis vigintiquinque millia, secundùm separationem sanctuarij, omni domui Israël.

C 7 Principi quoque hinc, & inde in separationem sanctuarij, & in possessionem civitatis, contra faciem separationis sanctuarij, & contra faciem possessionis urbis: à latere Maris usque ad Mare, & à latere Orientis usque ad Orientem: Longitudinis autem juxta unamquamque partem à termino Occidentali usque ad terminum Orientalem.

8 De terra erit ei possessio in Israël: & non depopulabuntur ultrà principes populum meum: sed terram dabunt domui Israël secundùm tribus eorũ.

D 9 Hæc dicit Dominus Deus: sufficiat vobis principes Israël: iniquitatem & rapinas intermittite, & judicium & justitiam facite, separate confinia vestra à populo meo, ait Dominus Deus.

10 Statera justa, & ephi justum, & batus justus erit vobis.

11 Ephi & batus æqualia, & unius mensuræ erunt: ut capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori ephi: juxta mensuram cori erit æqua libratio eorum.

Ex. 30. b. 13. Lev. 27. c. 25. Num. 3. §. 47.

12 * Siclus autem viginti obolos habet. Porrò viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli mnam faciunt.

E 13 Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis: sextam partem ephi de coro frumenti, & sextam partem ephi de coro hordei.

14 Mensura quoque olei, batus olei, decima pars cori est: & decem bati corum faciunt: quia decem bati implent corum.

15 Et arietem unum de grege ducentorum, de his quæ nutriunt Israël in sacrificium, & in holocaustum, & in pacifica, ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus.

16 Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Israël.

F 17 Et super principem erunt holocausta, & sacrificium, & libamina in sollemnitatibus, & in Calendis, & in Sabbatis, & in universis sollemnitatibus domus Israël: ipse faciet pro peccato sacrificium, & holocaustum, & pacifica ad expiandum pro domo Israël.

18 Hæc dicit Dominus Deus: In primo mense, una mensis, sumes vitulum de armento immaculatum: & expiabis sanctuarium.

19 Et tollet sacerdos de sanguine quod erit pro peccato: & ponet in postibus domus; & in quattuor angulis crepidinis altaris, & in postibus portæ atrij interioris.

20 Et sic facies in septima mensis, pro unoquoque qui ignoravit, & errore deceptus est, & expiabis pro domo.

G 21 In primo mense, quartadecima die mensis, erit vobis Paschæ sollemnitas: septem diebus azyma comedentur.

22 Et faciet princeps in die illa pro se, & pro universo populo terræ, vitulum pro peccato.

23 Et in septem dierum sollemnitate faciet holocaustum Domino septem vitulos, & septem arietes immaculatos quotidie septem diebus: & pro peccato hircum caprarum quotidie.

24 Et sacrificium ephi per vitulum, & ephi per arietem faciet: & olei hin per singula ephi.

25 Septimo mense, quintadecima die mensis in sollemnitate, faciet sicut suprà dicta sunt per septem dies, tam pro peccato, quàm pro holocausto, & in sacrificio, & in oleo.

Caput XLVI.

Porta solis Sabbatis ac Calendis aperienda, & quæ holocausta his diebus offeret princeps, quáve porta ipse aut populus templum ingredietur, vel egredietur: de spontaneo & quotidiano principis holocausto: de ipsius dono filiis aut servis dato, loca in quibus sacerdotes coquant sacrificia & ministri victimas populi.

A 1 HÆc dicit Dominus Deus: Porta atrij interioris, quæ respicit ad Orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit: die autem Sabbati aperietur, sed & in die Calendarum aperietur.

2 Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, & stabit in limine portæ: & facient sacerdotes holocaustum ejus, & pacifica ejus: & adorabit super limen portæ, & egredietur: porta autem non claudetur usque ad vesperam.

3 Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in Sabbatis, & in Calendis, coram Domino.

B 4 Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino: in die Sabbati sex agnos immaculatos, & arietem immaculatum.

5 Et sacrificium ephi per arietem: in agnis autem sacrificium quod dederit manus ejus: & olei hin per singula ephi.

6 In die autem Calendarum vitulum de armento immaculatum: & sex agni & arietes immaculati erunt.

7 Et ephi per vitulum, ephi quoque per arietem faciet sacrificium: de agnis autem, sicut invenerit manus ejus: & olei hin per singula ephi.

C 8 Cúmque ingressurus est princeps, per viã vestibuli portæ ingrediatur, & per eamdem viã exeat.

9 Et cùm intrabit populus terræ in conspectu Domini in sollemnitatibus: qui ingreditur per portam

portam Aquilonis, ut adoret, egrediatur per viam portæ Meridianæ: porrò qui ingreditur per viam portæ Meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis: non revertetur per viam portæ, per quam ingressus est, sed è regione illius egredietur.

10 Princeps autem in medio eorũ cum ingrediẽtibus ingredietur, & cum egrediẽtibus egredietur.

D 11 Et in nundinis, & in sollemnitatibus erit sacrificium ephi per vitulum, & ephi per arietem: agnis autem erit sacrificium sicut invenerit manus ejus: & olei hin per singula ephi.

12 Cùm autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino; aperietur ei porta quæ respicit ad Orientem, & faciet holocaustum suum, & pacifica sua, sicut fieri solet in die sabbati: & egredietur, claudetúrque porta postquam exierit.

13 Et agnum ejusdem anni immaculatum faciet holocaustum quotidie Domino: semper manè faciet illud.

E 14 Et faciet sacrificium super eo cata mane mane sextam partem ephi, & de oleo tertiam partem hin, ut misceatur similæ: sacrificium Domino legitimum, juge atque perpetuum.

15 Faciet agnum, & sacrificium, & oleum cata mane mane: holocaustum sempiternum.

16 Hæc dicit Dominus Deus: Si dederit princeps domum alicui de filiis suis: hereditas ejus, filiorum suorum erit, possidebunt eam hereditariè.

F 17 Si autem dederit legatum de hereditate sua uni servorum suorum, erit illius usque ad annum remissionis, & revertetur ad principem: hereditas autem ejus, filiis ejus erit.

18 Et non accipiet princeps de hereditate populi per violentiam, & de possessione eorum: sed de possessione sua hereditatem dabit filiis suis: ut non dispergatur populus meus unusquisque à possessione sua.

19 Et introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portæ, in gazophylacia sanctuarij ad sacerdotes, quæ respiciebant ad Aquilonem: & erat ibi locus vergens ad Occidentem.

G 20 Et dixit ad me: Iste est locus ubi coquent sacerdotes pro peccato, & pro delicto: ubi coquent sacrificium, ut non efferant in atrium exterius, & sanctificetur populus.

21 Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quattuor angulos atrij: & ecce atriolũ erat in angulo atrij, atriola singula per angulos atrij.

22 In quattuor angulis atrij atriola dispositа, quadraginta cubitorum per longum, & triginta per latum: mensuræ unius quattuor erant.

23 Et paries per circuitum ambiens quattuor atriola: & culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum.

24 Et dixit ad me: Hæc est domus culinarum, in qua coquent ministri domus Dñi victimas populi.

Caput XLVII.

Aquæ subter limen domus egredientes, & in latus templi dextrum descendentes, efficiuntur torrens qui tandem non potest transvadari, & sanat omnia ad quæ pertigerit, habens pisces & arbores fructiferas: termini Terræ sanctæ, quæ duodecim tribubus Israël & advenis dividenda est.

A 1 ET convertit me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem: facies enim domus respiciebat ad Orientem: aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris.

2 Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, & convertit me ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem: & ecce aquæ redundantes à latere dextro.

3 Cùm egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, & mensus est mille cubitos: & traduxit me per aquam usque ad talos.

4 Rursúmque mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad genua:

5 Et mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torrentem, quem non potui pertransire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari. B

6 Et dixit ad me: Certè vidisti fili hominis. Et eduxit me, & convertit ad ripam torrentis.

7 Cúmque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte.

8 Et ait ad me: Aquæ istæ, quæ egrediũtur ad tumulos sabuli Orientalis, & descẽdunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibũt, & sanabũtur aquæ.

9 Et omnis anima vivens, quæ serpit quocumque venerit torrens, vivet: & erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur & vivent omnia, ad quæ venerit torrens.

10 Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ:

11 In littoribus autem ejus, & in paluſtribus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur.

12 Et super torrentem orietur in ripis ejus ex C utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus: per singulos menses afferet primitiva, quia aquæ ejus de sanctuario egredientur: & erunt fructus ejus in cibum, & folia ejus ad medicinam.

13 Hæc dicit Dominus Deus: Hic est terminus in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israël, quia Joseph duplicem funiculum habet.

14 Possidebitis autem eam singuli æquè ut frater suus; super quam levavi manum meam ut darem patribus vestris: & cadet terra hæc vobis in possessionem.

15 Hic est autem terminus terræ: ad plagam Septemtrionalem, à mari magno via Hethalon, venientibus Sedada,

16 Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter terminum Damasci & confinium Emath, domus Tichon, quæ est juxta terminum Auran.

17 Et erit terminus à mari usque ad atrium Enon terminus Damasci, & ab Aquilone ad Aquilonem: terminus Emath plaga Septemtrionalis. D

18 Porrò plaga Orientalis de medio Auran, & de medio Damasci, & de medio Galaad, & de medio terræ Israël, Jordanis disterminans ad mare Orientale, metiemini etiam plagam Orientalem.

19 Plaga autem australis meridiana, à Thamar usque ad aquas contradictionis Cades: & torrens usque ad mare magnum: & hæc est plaga ad Meridiem australis.

20 Et plaga Maris, mare magnum à confinio per directum

Universidad de Deusto
Biblioteca

directum donec venias Emath: hęc est plaga Maris.
21 Et dividetis terram istam vobis per tribus Israël:
22 Et mittetis eam in hereditatem vobis, & advenis, qui accesserint ad vos, qui genuerint filios in medio vestrûm: & erunt vobis sicut indigenæ inter filios Israël: vobiscum dividentpossessionem in medio tribuum Israël.
23 In tribu autem quacumque fuerit advena, ibi dabitis possessionem illi, ait Dominus Deus.

Caput XLVIII.

Divisio Terræ sanctæ in duodecim tribus: ubi sint primitiæ & sanctuarium: locus Sacerdotum ac Levitarum: mensura civitatis in quadro cum suburbanis: possessio principis & duodecim portæ civitatis juxta duodecim tribus.

A 1 ET hæc nomina tribuum à finibus Aquilonis juxta viam Hethalon pergentibus Emath, atrium Enan terminus Damasci ad Aquilonem juxta viam Emath. Et erit ei plaga Orientalis mare, Dan una.
2 Et super terminum Dan, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Aser una:
3 Et super terminum Aser, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Nephthali una.
4 Et super terminum Nephthali, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Manasse una.
5 Et super terminum Manasse, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Ephraim una.
6 Et super terminum Ephraim, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Ruben una.
7 Et super terminum Ruben, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Juda una.
8 Et super terminum Juda, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, erunt primitiæ, quas separabitis, vigintiquinque millibus latitudinis & longitudinis, sicuti singulæ partes à plaga Orientali usque ad plagam Maris: & erit sanctuarium in medio ejus.
9 Primitiæ, quas separabitis Domino: longitudo vigintiquinque millibus, & latitudo decem millibus.
B 10 Hæ autem erunt primitiæ sanctuarij sacerdotum: ad Aquilonem longitudinis vigintiquinque millia, & ad Mare latitudinis decem millia, sed & ad Orientem latitudinis decem millia, & ad Meridiem longitudinis vigintiquinque millia: & & erit sanctuarium Domini in medio ejus.
11 Sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sadoc, qui custodierunt ceremonias meas, & non erraverunt cùm errarent filij Israël, sicut erraverunt & Levitæ.
12 Et erunt eis primitiæ de primitiis terræ sanctum sanctorum, juxta terminum Levitarum.
13 Sed & Levitis similiter juxta fines sacerdotum vigintiquinque millia longitudinis, & latitudinis decem millia. Omnis longitudo viginti & quinque millium, & latitudo decem millium.
14 Et non venumdabunt ex eo, neque mutabunt, neque transferentur primitiæ terræ, quia sanctificatæ sunt Domino.
15 Quinque millia autem quæ supersunt in latitudine per vigintiquinque millia, profana erunt urbis in habitaculum, & in suburbana: & erit civitas in medio ejus.
16 Et hæ mensuræ ejus: ad plagam Septemtrionalem quingenta & quattuor millia: & ad plagam Meridianam, quingenta & quattuor millia: & ad plagam Orientalem, quingenta & quattuor millia: & ad plagam Occidentalem, quingenta & quattuor millia.
17 Erunt autem suburbana civitatis ad Aquilonem ducenta quinquaginta, & ad Meridiem ducenta quinquaginta, & ad Orientem ducenta quinquaginta, & ad Mare ducenta quinquaginta. C
18 Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundùm primitias sanctuarij, decem millia in Orientem, & decem millia in Occidentem, erunt sicut primitiæ sanctuarij: & erunt fruges ejus in panes his qui serviunt civitati.
19 Servientes autem civitati, operabuntur ex omnibus tribubus Israël.
20 Omnes primitiæ vigintiquinque milliũ, per vigintiquinque millia in quadrum, separabuntur in primitias sanctuarij, & in possessionem civitatis.
21 Quod autem reliquum fuerit, principis erit ex omni parte primitiarum sanctuarij, & possessionis civitatis è regione vigintiquinque millium primitiarum usque ad terminum Orientalem: sed & ad Mare, è regione vigintiquinque millium usque ad terminum maris, similiter in partibus principis erit: & erunt primitiæ sanctuarij, & sanctuarium templi in medio ejus.
22 De possessione autem Levitarum, & de possessione civitatis in medio partium principis: erit inter terminum Juda, & inter terminum Benjamin, & ad principem pertinebit.
23 Et reliquis tribubus: A plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Benjamin una.
24 Et contra terminũ Benjamin, à plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Simeon una. D
25 Et super terminum Simeonis, à plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Issachar una.
26 Et super terminum Issachar, à plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Zabulon una.
27 Et super terminum Zabulon, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Gad una.
28 Et super terminum Gad, ad plagam Austri in meridie: & erit finis de Thamar usque ad aquas contradictionis Cades, hereditas contra mare magnum.
29 Hæc est terra, quam mittetis in sortem tribubus Israël: & hæ partitiones earum, ait Dominus Deus.
30 Et hi egressus civitatis: A plaga Septemtrionali quingentos & quattuor millia mensurabis.
31 Et portæ civitatis ex nominibus tribuum Israël, portæ tres à Septemtrione, porta Ruben una, porta Juda una, porta Levi una.
32 Et ad plagam Orientalem, quingentos & quattuor millia: & portæ tres, porta Joseph una, porta Benjamin una, porta Dan una.
33 Et ad plagam Meridianam, quingentos & quattuor millia metieris: & portæ tres, porta Simeonis una, porta Issachar una, porta Zabulon una.
34 Et ad plagam Occidentalem, quingentos & quattuor millia, & portæ eorum tres, porta Gad una, porta Aser una, porta Nephthali una.
35 Per circuitum, decem & octo millia: & nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.

PROPHE

PROPHETIA DANIELIS.

Caput Primum.

Daniel, Ananias, Misaël & Azarias in captivitate eliguntur, ut doctis linguam Chaldæorum astarent regi: mutatisque ipsorum nominibus, obtinent à præposito eunuchorum ut solis vescantur leguminibus, aquam bibentes: quo facto, facies ipsorum corpulentiores erant quàm illorum qui cibo regio vescebantur: quibus Deus sapientiam dedit, & Danieli præterea intelligentiam somniorum.

A 1 ANNO tertio regni Joakim regis Juda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Jerusalem, & obsedit eam:
2 Et tradidit Dominus in manu ejus Joakim regem Juda, & partem vasorum domus Dei, & asportavit ea in terram Sennaar in domum dei sui, & vasa intulit in domum Thesauri dei sui.
3 Et ait rex Asphenez præposito Eunuchorum, ut introduceret de filiis Israël, & de semine regio & tyrannorum,
4 Pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina, & qui possent stare in palatio regis, ut doceret eos litteras, & linguam Chaldæorum.
5 Et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino unde bibebat ipse, ut enutriti tribus annis, posteà starent in conspectu regis.
6 Fuerunt ergo inter eos de filiis Juda, Daniel, Ananias, Misaël, & Azarias.
B 7 Et imposuit eis præpositus eunuchorum, nomina; Danieli, Baltassar; Ananiæ, Sidrach; Misaëli, Misach; & Azariæ, Abdenago.
8 Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus, & rogavit eunuchorum præpositum ne contaminaretur.
9 Dedit autem Deus Danieli gratiam & misericordiam in conspectu principis eunuchorum.
10 Et ait princeps eunuchorum ad Danielem: Timeo ego dominum meum regem, qui constituit vobis cibum & potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores præ ceteris adolescentibus coævis vestris, condemnabitis caput meum regi.
C 11 Et dixit Daniel ad Malasar, quem constituerat princeps eunuchorum super Danielem, Ananiam, Misaëlem, & Azariam:
12 Tenta nos obsecro servos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum:
13 Et contemplare vultus nostros, & vultus puerorum qui vescuntur cibo regio: & sicut videris, facies cum servis tuis.
14 Qui audito sermone hujusce modi, tentavit eos diebus decem.
15 Post dies autem decem, apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.
16 Porrò Malasar tollebat cibaria, & vinum potus eorum: dabátque eis legumina.
17 Pueris autem his dedit Deus scientiam & disciplinam, in omni libro & sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. D
18 Completis itaque diebus, post quos dixerat rex ut introducerentur: introduxit eos præpositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor.
19 Cúmque eis locutus fuisset rex, non sunt inventi tales de universis, ut Daniel, Ananias, Misaël, & Azarias: & steterunt in conspectu Regis.
20 Et omne verbum sapientiæ & intellectus, quod scisciatus est ab eis Rex, invenit in eis decuplum, super cunctos ariolos & magos, qui erant in universo regno ejus.
21 * Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis. *Infr. 6. 28.

Caput II.

Cùm sapientes Chaldæi somnium Nabuchodonosor conjectare non potentes, jubeantur omnes interimi, oranti Danieli revelatum est mysterium, qui regi aperit somnium ipsius de magna quadam statua, ejúsque declarationem de quattuor regnis: quo facto Nabuchodonosor Danielem adoravit, & hostias ac incensum illi præcepit offerri, confitens Dominum Deum, & exaltans Danielem.

1 IN anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus ejus, & somnium ejus fugit ab eo. A
2 Præcepit autem rex, ut convocarentur arioli, & magi, & malefici, & Chaldæi, ut indicarent regi somnia sua: qui cùm venissent, & steterunt coram rege.
3 Et dixit ad eos rex: Vidi somnium, & mente confusus ignoro quid viderim.
4 Respondérúntque Chaldæi regi Syriacè: Rex in sempiternum vive: dic somnium servis tuis, & interpretationem ejus indicabimus.
5 Et respondens rex, ait Chaldæis: Sermo recessit à me: nisi indicaveritis mihi somnium, & conjecturam ejus, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur.
6 Si autem somnium, & conjecturam ejus narraveritis, præmia, & dona, & honorem multum accipietis à me: somnium igitur, & interpretationem ejus indicate mihi.
7 Respondérunt secundò, atque dixerunt: Rex somnium dicat servis suis, & interpretationem illius indicabimus. B
8 Respondit rex, & ait: Certè novi quòd tempus redimitis, scientes quòd recesserit à me sermo.
9 Si ergo somnium non indicaveritis mihi, una est de vobis sententia, quòd interpretationem quoque fallacem & deceptione plenam composueritis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

fueritis, ut loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somniũ itaque dicite mihi, ut sciam quòd interpretationem quoque ejus veram loquamini.

10 Respondentes ergo Chaldæi coram rege, dixerunt: Non est homo super terram, qui sermonem tuum, rex, possit implere: sed neque regum quisquam magnus & potens verbum hujusce modi scisciatur ab omni ariolo, & mago, & Chaldæo.

11 Sermo enim, quem tu quæris, rex, gravis est: nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu regis: exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio.

12 Quo audito, rex in furore & in ira magna præcepit, ut perirent omnes sapientes Babylonis.

13 Et egressa sententia, sapientes interficiebantur: quærebantúrque Daniel & socij ejus, ut perirent.

C 14 Tunc Daniel requisivit de lege atque sententia, ab Arioch principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis.

15 Et interrogavit eum, qui à rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia à facie regis esset egressa. Cùm ergo rem indicasset Arioch Danieli,

16 Daniel ingressus rogavit regem, ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi.

17 Et ingressus est domum suam, Ananiæque & Misaëli & Azariæ sociis suis indicavit negotiũ:

18 Ut quærerent misericordiam à facie Dei cæli super sacramento isto, & non perirent Daniel & socij ejus cum ceteris sapientibus Babylonis.

19 Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est: & benedixit Daniel Deũ cæli,

20 Et locutus ait: Sit nomen Domini benedictum à sæculo & usque in sæculum: quia sapientia & fortitudo ejus sunt.

21 Et ipse mutat tempora, & ætates: transfert regna, atque constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam:

D 22 Ipse revelat profunda, & abscondita, & novit in tenebris constituta: & lux cum eo est.

23 Tibi Deus patrum nostrorum confiteor, téque laudo: quia sapientiam & fortitudinem dedisti mihi: & nunc ostendisti mihi quæ rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis.

24 Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituerat rex ut perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est: Sapientes Babylonis ne perdas: introduc me in conspectu regis, & solutionem regi narrabo.

25 Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem, & dixit ei: Inveni hominem de filiis transmigrationis Juda, qui solutionem regi annuntiet.

26 Respondit rex, & dixit Danieli, cujus nomen erat Baltassar: Putásne verè potes mihi indicare somnium, quod vidi, & interpretationẽ ejus?

27 Et respondens Daniel coram rege, ait: Mysterium, quod rex interrogat, sapientes, magi, arioli, & aruspices nequeunt indicare regi.

E 28 Sed est Deus in cælo revelans mysteria, qui indicavit tibi rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in novissimis temporibus. Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo hujusce modi sunt:

29 Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc: & qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt.

30 Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plus quàm in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est: sed ut interpretatio regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires.

31 Tu rex videbas, & ecce quasi statua una grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus ejus erat terribilis.

32 Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære.

33 Tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.

34 Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos.

35 Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento: nullúsque locus inventus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.

36 Hoc est somnium: Interpretationem quoque ejus dicemus coram te, rex. F

37 Tu rex regum es: & Deus cæli, regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriã dedit tibi:

38 Et omnia in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, & sub ditione tua universa constituit, tu es ergo caput aureum.

39 Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum: & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ.

40 Et regnum quartum erit velut ferrum. quomodo ferrum comminuit & domat omnia, sic comminuet & conteret omnia hæc.

41 Porrò quia vidisti pedum, & digitorum partem testæ figuli, & partem ferream: regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundùm quod vidisti ferrum mixtum testæ ex luto.

42 Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum.

43 Quòd autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum misceri non potest testæ.

44 In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet universa regna hæc: & ipsum stabit in æternum. G

45 Secundum quod vidisti, quòd de monte abscissus est lapis, sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit regi, quæ ventura sunt posteà, & verum est somnium, & fidelis interpretatio ejus.

46 Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adoravit, & hostias & incensum præcepit ut sacrificarent ei.

47 Loquens

47 Loquens ergo rex, ait Danieli: Verè Deus vester Deus deorum est, & Dominus regum, & revelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum.

48 Tunc rex Danielem in sublime extulit, & munera multa & magna dedit ei: & constituit eum principem super omnes provincias Babylonis, & præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis.

49 Daniel autem postulavit à rege; & constituit super opera provinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago: ipse autem Daniel erat in foribus regis.

Caput III.

Ananias, Misaël, & Azarias nolentes adorare statuam quam rex Nabuchodonosor erexerat, ligati mittuntur in fornacem ignis ardentis, in qua illæsi manentes confitentur Domino, quod propter peccata suæ gentis, paterentur afflictiones: & petentes ejus misericordiam, exhortantur omnem creaturam ad benedicendum Dominum: quod Nabuchodonosor animadvertens obstupuit, & illis de fornace egressis benedicit Deum ipsorum, jubens ut occidatur quisquis ipsum blasphemaverit.

A 1 NAbuchodonosor rex fecit statuam auream, altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, & statuit eam in campo Dura provinciæ Babylonis.

2 Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus, & judices, duces & tyrannos, & præfectos, omnésque principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex.

3 Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus, & judices, duces, & tyranni, & optimates qui erant in potestatibus constituti, & universi principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex. stabant autem in conspectu statuæ, quam posuerat Nabuchodonosor rex:

4 Et præco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis:

5 In hora, qua audieritis sonitum tubæ, & fistulę, & citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniæ, & universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quã constituit Nabuchodonosor rex.

6 Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.

7 Post hæc igitur statim ut audierunt omnes populi sonitum tubæ, fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniæ, & omnis generis musicorum: cadentes omnes populi, tribus, & linguæ, adoraverunt statuam auream, quam constituerat Nabuchodonosor rex.

8 Statímque in ipso tempore accedentes viri Chaldæi accusaverunt Judæos:

9 Dixerúntque Nabuchodonosor regi: Rex in æternum vive:

10 Tu rex posuisti decretum, ut omnis homo, qui audierit sonitum tubæ, fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniæ, & universi generis musicorum, prosternat se, & adoret statuam auream:

11 Si quis autem non procidens adoraverit, mittatur in fornacem ignis ardentis.

B 12 Sunt ergo viri Judæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis, Sidrach, Misach, &

Abdenago: viri isti contempserunt, rex, decretum tuum: deos tuos non colunt, & statuam auream, quam erexisti, non adorant.

13 Tunc Nabuchodonosor in furore & in ira præcepit, ut adducerẽtur Sidrach, Misach & Abdenago: qui cõfestim adducti sunt in conspectu regis.

14 Pronuntiánsque Nabuchodonosor rex, ait eis: Veréne Sidrach, Misach, & Abdenago, deos meos non colitis, & statuam auream, quam constitui, non adoratis?

15 Nunc ergo si estis parati, quacumque hora audieritis sonitum tubæ, fistulæ, citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniæ omnísque generis musicorum, prosternite vos, & adorate statuam quam feci: quòd si non adoraveritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis: & quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?

16 Respondentes Sidrach, Misach, & Abdenago, dixerunt regi Nabuchodonosor: Non oportet nos de hac re respondere tibi.

17 Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare.

18 Quòd si noluerit, notum sit tibi rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus.

19 Tunc Nabuchodonosor repletus est furore: & aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach, & Abdenago, & præcepit ut succenderetur fornax septuplũ quàm succendi consueverat.

20 Et viris fortissimis de exercitu suo jussit, ut ligatis pedibus Sidrach, Misach, & Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardentis.

21 Et confestim viri illi vincti, cum braccis suis, C
& tiaris, & calceamentis, & vestibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis,

22 Nam jussio regis urgebat: fornax autem succensa erat nimis. Porrò viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.

23 Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati.

Quæ sequuntur in Hebraïs voluminibus non reperi.

24 Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.

25 Stans autem Azarias oravit sic, aperiénsque os suum in medio ignis, ait:

26 Benedictus es Domine Deus patrum nostrorũ, & laudabile & gloriosum nomen tuũ in sæcula:

27 Quia justus es in omnibus quæ fecisti nobis, & universa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia judicia tua vera.

28 Judicia enim vera fecisti, juxta omnia quæ induxisti super nos, & super civitatem sanctã patrum nostrorũ Jerusalẽ: quia in veritate, & in judicio, induxisti omnia hæc propter peccata nostra.

29 Peccavimus enim, & iniquè egimus recedentes à te: & deliquimus in omnibus:

30 Et præcepta tua non audivimus, nec observavimus, nec fecimus sicut præceperas nobis ut benè nobis esset.

31 Omnia ergo, quæ induxisti super nos, &

Universidad de Buenos Aires
Biblioteca

universa,quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti:

32 Et tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, & pessimorum, prævaricatorúmque, & regi injusto & pessimo ultrà omnem terram.

33 Et nunc non possumus aperire os: confusio & opprobrium facti sumus servis tuis, & his qui colunt te.

D 34 Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum:

35 Neque auferas misericordiam tuam à nobis,propter Abraham dilectum tuum,& Isaac servum tuum, & Israël sanctum tuum:

36 Quibus locutus es pollicens quòd multiplicares semen eorum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in littore maris:

37 Quia Domine imminuti sumus plus quàm omnes gentes,sumúsque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra.

38 Et non est in tempore hoc princeps,& dux, & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te,

39 Ut possimus invenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur.

40 Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te.

41 Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam.

42 Ne confundas nos: sed fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam, & secundùm multitudinem misericordiæ tuæ.

43 Et erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo Domine:

44 Et confundantur omnes, qui ostendunt servis tuis mala, confundantur in omni potentia tua, & robur eorum conteratur:

45 Et sciant quia tu es Dominus Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum.

46 Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem, naphtha, & stuppa, & pice, & malleolis,

47 Et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem:

48 Et erupit, & incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis.

E 49 Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis ejus, in fornacem: & excussit flammam ignis de fornace,

50 Et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem,& non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.

51 Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant,& glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes:

52 Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum:& laudabilis,& gloriosus,& superexaltatus in sæcula.& benedictum nomen gloriæ tuæ sanctũ: & laudabile, & superexaltatũ in omnibus sæculis.

53 Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ: & superlaudabilis,& supergloriosus in sæcula.

54 Benedictus es in throno regni tui: & superlaudabilis, & superexaltatus in sæcula.

55 Benedictus es, qui intueris abyssos, & sedes super cherubim: & laudabilis, & superexaltatus in sæcula.

56 Benedictus es in firmamento cæli: & laudabilis,& gloriosus in sæcula.

57 Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

58 Benedicite Angeli Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

59 * Benedicite cæli Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula. *Ps.148. a.4.

60 Benedicite aquæ omnes,quæ super cælos sũt, Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

61 Benedicite omnes virtutes Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

62 Benedicite sol & luna Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

63 Benedicite stellæ cæli Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

64 Benedicite omnis imber & ros Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

65 Benedicite omnes spiritus Dei Domino:laudate & superexaltate eum in sæcula.

66 Benedicite ignis & æstus Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

67 Benedicite frigus & æstus Domino:laudate & superexaltate eum in sæcula.

68 Benedicite rores & pruina Domino:laudate & superexaltate eum in sæcula.

69 Benedicite gelu & frigus Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

70 Benedicite glacies & nives Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

71 Benedicite noctes & dies Domino: laudate F & superexaltate eum in sæcula.

72 Benedicite lux & tenebræ Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

73 Benedicite fulgura & nubes Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

74 Benedicat terra Dominum: laudet & superexaltet eum in sæcula.

75 Benedicite montes & colles Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

76 Benedicite universa germinantia in terra Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

77 Benedicite fontes Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

78 Benedicite maria & flumina Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

79 Benedicite cete, & omnia quæ moventur in aquis, Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

80 Benedicite omnes volucres cæli Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

81 Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

82 Benedicite filij hominum Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

83 Benedicat Israël Dominum: laudet & superexaltet eum in sæcula.

84 Benedicite sacerdotes Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

85 Benedicite servi Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

86 Benedicite spiritus & animæ justorum Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

87 Benedicite sancti & humiles corde Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

88 Benedicite Anania,Asaria,Misaël Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

Quia eruit nos de inferno, & salvos fecit de manu mortis, & liberavit nos de medio ardentis flammæ, & de medio ignis eruit nos.

89 Confitemini Domino quoniam bonus;quoniam in sæculum misericordia ejus.

90 Benedicite omnes religiosi Domino Deo deorum: laudate & confitemini ei, quia in omnia sæcula misericordia ejus.

Hucusque in Hebræo non habetur, & quæ posuimus, de Theodotionis editione translata sunt.

G 91 Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, & surrexit properè, & ait optimatibus suis: Nónne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Qui respondentes regi, dixerunt: Verè rex.

92 Respondit, & ait: Ecce ego video quattuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.

93 Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis, & ait: Sidrach,Misach,& Abdenago,servi Dei excelsi,egredimini,& venite. Statímque egressi sunt Sidrach, Misach,& Abdenago de medio ignis.

94 Et congregati satrapæ, & magistratus, & judices, & potentes regis, contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, & sarabala eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos.

95 Et erumpens Nabuchodonosor, ait: Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Misach,& Abdenago, qui misit angelum suum: & eruit servos suos, qui crediderunt in eum: & verbum regis immutaverunt, & tradiderunt corpora sua ne servirent, & ne adorarent omnem deum, excepto Deo suo.

96 A me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus, & lingua, quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, dispereat, & domus ejus vastetur: neque enim est alius Deus,qui possit ita salvare.

97 Tunc rex promovit Sidrach, Misach, & Abdenago, in provincia Babylonis.

98 Nabuchodonosor rex, omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in universa terra, pax vobis multiplicetur.

99 Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare.

100 Signa ejus, quia magna sunt; & mirabilia ejus, quia fortia: & regnum ejus regnum sempiternum, & * potestas ejus in generationem & generationem. *Inf.4. g.31.7. d.14.

Caput IV.

Somnium regis Nabuchodonosor de excelsa arbore præcisa solus Daniel interpretatur, quòd ipse regno pulsus ad septem annos cum bestiis ageret: hortatur igitur ut eleemosynis sua redimat peccata: sed completur nihilominus somnium propter illius superbiam, donec Deum cæli recognovit: & tunc in suum regnum restituitur.

1 EGo Nabuchodonosor quietus eram in domo A
mea, & florens in palatio meo:

2 Somnium vidi, quod perterruit me: & cogitationes meæ in strato meo, & visiones capitis mei, conturbaverunt me.

3 Et per me propositum est decretum ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, & ut solutionem somnij indicarent mihi.

4 Tunc ingrediebantur arioli, magi,Chaldæi, & aruspices,& somnium narravi in conspectu eorum: & solutionem ejus non indicaverunt mihi:

5 Donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar secundùm nomen Dei mei,qui habet spiritum deorum sanctorũ in semetipso:& somnium coram ipso locutus sum.

6 Baltassar princeps ariolorum, quoniam ego scio quòd spiritum sanctorum deorum habeas in te, & omne sacramentum non est impossibile tibi: visiones somniorum meorum, quas vidi, & solutionem earum narra.

7 Visio capitis mei in cubili meo: Videbam,& B
ecce arbor in medio terræ,& altitudo ejus nimia.

8 Magna arbor, & fortis: & proceritas ejus contingens cælum: aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ.

9 Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius:& esca universorum in ea.subter eam habitabãt animalia & bestiæ,& in ramis ejus conversabãtur volucres cæli: & ex ea vescebatur omnis caro.

10 Videbam in visione capitis mei super stratũ meum,& ecce vigil & sanctus de cælo descendit.

11 Clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos ejus: excutite folia ejus,& dispergite fructus ejus: fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus.

12 Verumtamen germen radicum ejus in terra sinite, & alligetur vinculo ferreo & æreo, in herbis quæ foris sunt, & rore cæli tingatur, & cum feris pars ejus in herba terræ.

13 Cor ejus ab humano commutetur,& cor fe- C
ræ detur ei:& septem tempora mutentur super eũ.

14 In sententia vigilum decretum est,& sermo sanctorum,& petitio: donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum; & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem constituet super eum.

15 Hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor rex: tu ergo Baltassar interpretationem narra festinus: quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi: tu autem potes, quia spiritus deorum sanctorum in te est.

16 Tunc Daniel,cujus nomen Baltassar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora: & cogitationes ejus conturbabant eum. Respondens autem rex ait: Baltassar, somnium & interpretatio ejus non conturbent te. Respondit Baltassar, & dixit: Domine mi, somnium his qui te oderunt,& interpretatio ejus hostibus tuis sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

D 17 Arborem quam vidisti sublimem atque robustam, cujus altitudo pertingit ad cælum,& aspectus illius in omnem terram:

18 Et rami ejus pulcherrimi,& fructus ejus nimius,& esca omnium in ea,subter eam habitantes bestiæ agri,& in ramis ejus cõmorantes aves cœli:

19 Tu es rex,qui magnificatus es, & invaluisti: & magnitudo tua crevit,& pervenit usque ad cælum, & potestas tua in terminos universæ terræ.

20 Quòd autem vidit rex vigilem & sanctum descendere de cælo, & dicere: Succidite arborem, & dissipate illam, attamen germen radicum ejus in terra dimittite, & vinciatur ferro & ære in herbis foris, & rore cæli conspergatur, & cum feris sit pabulum ejus,donec septem tempora mutentur super eum:

E 21 Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ pervenit super dominum meum regem:

22 Ejicient te ab hominibus, & cum bestiis feríque erit habitatio tua, & * fœnum ut bos comedes, & rore cæli infundêris: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud. *Inf.5. f.21.

23 Quòd autem præcepit ut relinqueretur germen radicum ejus, id est, arboris: regnum tuum tibi manebit, postquam cognoveris potestatem esse cælestem.

24 Quamobrem rex consiliũm meum placeat tibi, * & pecca tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis. *Eccli. 3.d.33.

25 Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem.

26 Post finem mensium duodecim, in aula Babylonis deambulabat.

F 27 Respondítque rex, & ait: Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni,in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?

28 Cúmque sermo adhuc esset in ore regis,vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex: Regnum tuum transibit à te,

29 Et ab hominibus ejicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud.

30 Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit,& rore cæli corpus ejus infectum est:donec capilli ejus in similitudinẽ aquilarum crescerent,& ungues ejus quasi avium.

G 31 Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi,& sensus meus redditus est mihi:& Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi, & glorificavi:*quia potestas ejus potestas sempiterna, & regnum ejus in generationem & generationem. *Sup.3. g.100. Infr.7. d.14.

32 Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli quàm in habitatoribus terræ: & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei: Quare fecisti?

33 In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, & ad honorem regni mei decorémque perveni:& figura mea reversa est ad me: & optimates mei, & magistratus mei requisierunt me,& in regno meo restitutus sum: & magnificentia amplior addita est mihi.

34 Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli: quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia,& gradientes in superbia potest humiliare.

Caput V.

Postquam Baltassar in convivio bibit cum suis, ex vasis templi Domini, laudando idola sua, vidit digitos in pariete scribentes: quam scripturam solus Daniel legere potuit & interpretari, nempe quòd, quia secutus ipsum Nabuchodonosor elevaverat cor suum contra Deum laudans idola, similiter auferetur ei regnum: honorato igitur Daniele, ac rege eadẽ nocte interempto, successit Darius Medus.

A 1 Baltassar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille: & unusquisque secundùm suam bibebat ætatem.

2 Præcepit ergo jam temulentus,ut afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem, ut biberent in eis rex & optimates ejus, uxoréque ejus & concubinæ.

3 Tunc allata sunt vasa aurea,& argentea, quæ asportaverat de templo, quod fuerat in Jerusalem & biberunt in eis rex & optimates ejus,uxores & concubinæ illius.

4 Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneósque & lapideos.

B 5 In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: & rex aspiciebat articulos manus scribentis.

6 Tunc facies regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur.

7 Exclamavit itaque rex fortiter, ut introducerent magos,Chaldæos,& aruspices. Et proloquens rex ait sapientibus Babylonis: Quicumque legerit scripturam hanc, & interpretationem ejus manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo,& tertius in regno meo erit.

8 Tunc ingressi omnes sapientes regis, non potuerunt nec scripturam legere, nec interpretationem indicare regi.

9 Unde rex Baltassar satis conturbatus est, & vultus illius immutatus est: sed & optimates ejus turbabantur.

C 10 Regina autem,pro re quæ acciderat regi,& optimatibus ejus,domum convivij ingressa est:& proloquens ait:Rex in æternũ vive:non te conturbent cogitationes tuę,neque facies tua immutetur.

11 Est vir in regno tuo, qui spiritum deorum sanctorum habet in se: & in diebus patris tui scientia & sapientia inventæ sunt in eo:nam & rex Nabuchodonosor pater tuus, principem magorum, incantatorum, Chaldæorum, & aruspicum constituit eum, pater, inquam, tuus, ô rex,

12 Quia spiritus amplior,& prudẽtia,intelligentiáque

tiáque & interpretatio somniorum, & ostensio secretorum, ac solutio ligatorum, inventæ sunt in eo, hoc est in Daniele: cui rex posuit nomen Baltassar. nunc itaque Daniel vocetur, & interpretationem narrabit.

D 13 Igitur introductus est Daniel coram rege. Ad quẽ præfatus rex ait: Tu es Daniel de filiis captivitatis Judę,quẽ adduxit pater meus rex de Judęa?

14 Audivi de te,quoniam spiritum deorum habeas: & scientia intelligentiáque ac sapientia ampliores inventæ sunt in te.

15 Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi, ut scripturam hanc legerent, & interpretationem ejus indicarent mihi: & nequiverunt sensum hujus sermonis edicere.

16 Porrò ego audivi de te, quòd possis obscura interpretari,& ligata dissolvere: si ergo vales scripturam legere,& interpretationem ejus indicare mihi, purpura vestieris, & torquem auream circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris.

E 17 Ad quæ respondens Daniel, ait coram rege: Munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi, rex, & interpretationem ejus ostendam tibi.

18 O rex, Deus Altissimus, regnum & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo.

19 Et propter magnificentiam quam dederat ei universi populi, tribus, & linguæ, tremebant & metuebant eum: quos volebat, interficiebat: & quos volebat: percutiebat: & quos volebat, exaltabat: & quos volebat, humiliabat.

20 Quando autem elevatum est cor ejus,& spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria ejus ablata est:

F 21 * Et à filiis hominum ejectus est, sed & cor ejus cum bestiis positum est, & cum onagris erat habitatio ejus: fœnum quoque ut bos comedebat, & rore cæli corpus ejus infectum est, donec cognosceret quòd potestatem haberet Altissimus in regno hominum:& quemcumque voluerit,suscitabit super illud. *Sup.4. c.22.

22 Tu quoque filius ejus Baltassar, non humiliasti cor tuum,cùm scires hæc omnia:

23 Sed adversum Dominatorem cæli elevatus es: & vasa domus ejus allata sunt coram te: & tu, & optimates tui, & uxores tuæ,& concubinæ tuæ, vinum bibistis in eis: deos quoque argenteos, & aureos, & æreos, ferreos, ligneósque & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt,laudasti:porrò Deum, qui habet flatum tuũ in manu sua,& omnes vias tuas, non glorificasti.

24 Idcircò ab eo missus est articulus manus, quæ scripsit hoc, quod exaratum est.

G 25 Hæc est autem scriptura, quæ digesta est: MANE, THECEL, PHARES.

26 Et hæc est interpretatio sermonis. MANE: numeravit Deus regnum tuum,& complevit illud.

27 THECEL: appensus es in statera, & inventus es minus habens.

28 PHARES: divisum est regnum tuum,& datum est Medis & Persis.

29 Tunc jubente rege indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo ejus: & prædicatum est de eo quòd haberet potestatem tertius in regno suo.

30 Eadem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus.

31 Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexagintaduos.

Caput VI.

Daniel supra satrapas regni constituitur, & accusatus quòd regis edictum non servasset, quia Deum cæli orabat, missus est in lacum leonum; sequentique die illæsus eductus, immissis ac subitò dilaniatis ejus accusatoribus: qua re motus rex, in suis provinciis Deum ejus timendum præcepit.

A 1 Placuit Dario, & constituit super regnum satrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo.

2 Et super eos principes tres, ex quibus Daniel unus erat: ut satrapæ illis redderent rationem, & rex non sustineret molestiam.

3 Igitur Daniel superabat omnes principes & satrapas: quia spiritus Dei amplior erat in illo.

4 Porrò rex cogitabat constituere eum super omne regnum: unde principes & satrapæ quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere regis: nullámque causam & suspicionem reperire potuerunt, eò quòd fidelis esset, & omnis culpa & suspicio non inveniretur in eo.

5 Dixerunt ergo viri illi:Non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege B Dei sui.

6 Tunc principes & satrapæ surripuerunt regi, & sic locuti sunt ei: Dari rex in æternum vive:

7 Consilium inierunt omnes principes regni tui,magistratus, & satrapæ,senatores,& judices,ut decretum imperatorium exeat, & edictum: Ut omnis qui petierit aliquam petitionem à quocumque deo & homine, usque ad triginta dies, nisi à te rex, mittatur in lacum leonum.

8 Nunc itaque rex confirma sententiam,& scribe decretum:ut non immutetur quod statutum est à Medis & Persis,nec prævaricari cuiquam liceat.

9 Porrò rex Darius proposuit edictũ,& statuit.

10 Quod cùm Daniel comperisset,id est, con- C stitutam legem,ingressus est domum suam: & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebatúrque coram Deo suo, sicut & antè facere consueverat.

11 Viri ergo illi curiosiùs inquirentes, invenerunt Danielem orantem & obsecrantem Deum suum.

12 Et accedentes locuti sunt regi super edicto: D Rex numquid non constituisti, ut omnis homo, qui rogaret quemquam de diis & hominibus, usque ad dies triginta, nisi te, rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens rex, ait: Verus est sermo juxta decretum Medorum atque Persarum, quod prævaricari non licet.

13 Tunc respondentes dixerunt coram rege: Daniel de filiis captivitatis Juda, non curavit de lege tua & de edicto quod constituisti, sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua.

14 Quod verbum cùm audisset rex, satis contristatus est:& pro Daniele posuit cor ut liberaret

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum, & usque ad occasum solis laborabat ut eueret illum.

15 Viri autem illi intelligentes regem, dixerunt ei: Scito rex, quia lex Medorum atque Persarum
E est, ut omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari.

16 Tunc rex præcepit; & adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum. Dixitque rex Danieli: Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te.

17 Allatúsque est lapis unus, & positus est super os laci: quem obsignavit rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, nequid fieret contra Danielem.

18 Et abiit rex in domum suam, & dormivit incœnatus, cibíque non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo.

19 Tunc rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit:

20 Appropinquánsque lacui, Danielem voce lacrymabili inclamavit, & affatus est eum: Daniel serve Dei viventis, Deus tuus, cui tu servis semper, putásne valuit te liberare à leonibus?

21 Et Daniel regi respondens ait: Rex in æternum vive:

F 22 *Deus meus misit angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia
*1 Mac. 2.59.60. coram eo justitia inventa est in me: sed & coram te, rex, delictum non feci.

23 Tunc vehementer rex gavisus est super eo, & Danielem præcepit educi de lacu: eductúsque est Daniel de lacu, & nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo.

24 Jubente autem rege, adducti sunt viri illi, qui accusaverant Danielem: & in lacum leonum missi sunt, ipsi, & filij, & uxores eorum: & non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt.

G 25 Tunc Darius rex scripsit universis populis, tribubus, & linguis, habitantibus in universa terra: PAX vobis multiplicetur.

26 A me constitutum est decretum, ut in universo imperio & regno meo, tremiscant & paveant Deum Danielis. Ipse est enim Deus vivens, & æternus in sæcula: & regnum ejus non dissipabitur, & potestas ejus usque in æternum.

27 Ipse liberator, atque salvator, faciens signa, & mirabilia in cælo & in terra: qui liberavit Danielem de lacu leonum.

*Sup. 1. 6. 21. 28 *Porrò Daniel perseveravit usque ad regnum Darij, regnúmque Cyri Persæ.

CAPUT VII.

Visio Danielis de quattuor bestiis quattuor regna designantibus: de antiquo dierum & throno ejus ac ministris, quo judicante perierunt bestiæ: ad hunc accedens filius hominis accipit potestatem æternam & incorruptibile regnum: declarantur regna per bestias designata, & maximè quæ per quartam bestiam & ejus cornua designentur, quæ regnabit usque ad tempus & tempora & dimidium temporis.

A 1 ANno primo Baltassar regis Babylonis, Daniel somnium vidit: visio autem capitis ejus in cubili suo: & somnium scribens, brevi sermone comprehendit: summatímque perstringens, ait:

2 Videbam in visione mea nocte, & ecce quattuor venti cæli pugnabant in mari magno.

3 Et quattuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se.

4 Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ: aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.

5 Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit: B
& tres ordines erant in ore ejus, & in dentibus ejus, & sic dicebant ei: Surge: comede carnes plurimas.

6 Post hæc aspiciebam, & ecce alia quasi pardus, & alas habebat quasi avis, quattuor super se, & quattuor capita erant in bestia, & potestas data est ei.

7 Post hæc aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autem erat ceteris bestiis, quas videram ante eam, & habebat cornua decem.

8 Considerabam cornua, & ecce cornu aliud C
parvulum ortum est de medio eorum: & tria de cornibus primis evulsa sunt à facie ejus: & ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.

9 Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum quasi nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda: thronus ejus flammæ ignis: rotæ ejus ignis accensus.

10 Fluvius igneus, rapidúsque egrediebatur à *Apoc. 5. 11. facie ejus. * millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei: judicium sedit, & libri aperti sunt. D

11 Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur: & vidi quoniam interfecta esset bestia, & perisset corpus ejus, & traditum esset ad comburendum igni:

12 Aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, & tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus & tempus.

13 Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit: & in conspectu ejus obtulerunt eum.

14 Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient: *potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur. *Supr. 3. g. 100. 4. g. 31. Mich. 4. v. 7. Luc. 2. d. 32.

15 Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbaverunt me. E

16 Accessi ad unum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me:

17 Hæ quattuor bestiæ magnæ, quattuor sunt regna, quæ consurgent de terra.

18 Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi: & obtinebunt regnum usque in sæculum, & sæculum sæculorum.

19 Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis valde ab omnibus, & terribilis

terribilis nimis: dentes & ungues ejus ferrei: comedebat, & comminuebat, & reliqua pedibus suis conculcabat:

20 Et de cornibus decem, quæ habebat in capite: & de alio, quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua: & de cornu illo, quod habebat oculos, & os loquens grandia, & majus erat ceteris.

F 21 Adspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, & prævalebat eis,

22 Donec venit antiquus dierum, & judicium dedit sanctis Excelsi, & tempus advenit, & regnum obtinuerunt sancti.

23 Et sic ait: Bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis, & devorabit universam terram, & conculcabit, & comminuet eam.

24 Porrò cornua decem ipsius regni, decem reges erunt: & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit.

G 25 Et sermones contra Excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret: & putabit quòd possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.

26 Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, & conteratur, & dispereat usque in finem.

27 Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi: cujus regnum, regnum sempiternũ est, & omnes reges servient ei, & obedient.

28 Hucusque finis verbi. Ego Daniel multùm cogitationibus meis conturbabar, & facies mea mutata est in me: verbum autem in corde meo conservavi.

CAPUT VIII.

Visio de ariete duorum cornuum, & hirco unius ac postmodum quattuor cornuum, qui devicit arietem: quorum ille regem Medorum ac Persarum designat, hic autem regem Græcorum: additur prophetia de rege impudente, ipsiúsque tyrannide, dolo & superbia, qui sine manu conteretur.

A 1 ANno tertio regni Baltassar regis, visio apparuit mihi. Ego Daniel, post id quod videram in principio,

2 Vidi in visione mea, cùm essem in Susis castro, quod est in Ælam regione: vidi autem in visione esse me super portam Ulai.

3 Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce aries unus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, & unum excelsius altero atque succrescens. Posteà

4 Vidi arietem cornibus ventilantem contra *Orientem & contra Occidentem. * Occidẽtem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes bestiæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu ejus: fecitque secundùm voluntatem suam, & magnificatus est.

B 5 Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram: porrò hircus habebat cornu insigne inter oculos suos.

6 Et venit usque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ.

C 7 Cúmque appropinquasset prope arietem, eferatus est in eum, & percussit arietem: & commi-

nuit duo cornua ejus, & non poterat aries resistere ei: cúmque eum misisset in terram, conculcavit, & nemo quibat liberare arietem de manu ejus.

8 Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cúmque crevisset, fractum est cornu magnum, & orta sunt quattuor cornua subter illud per quattuor ventos cæli.

9 De uno autem ex eis egressum est cornu unũ modicum: & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem.

10 Et magnificatum est usque ad fortitudinem cæli: & dejecit de fortitudine, & de stellis, & conculcavit eas.

11 Et usque ad principem fortitudinis magnificatum est: & ab eo tulit juge sacrificium, & dejecit locum sanctificationis ejus. D

12 Robur autem datum est ei contra juge sacrificium propter peccata: & prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur.

13 Et audivi unum de sanctis loquentem: & dixit unus sanctus alteri nescio cui loquenti: Usquequò visio, & juge sacrificium, & peccatum desolationis, quæ facta est: & sanctuarium, & fortitudo conculcabitur:

14 Et dixit ei: Usque ad vesperam & mane, dies duo millia trecenti: & mundabitur sanctuarium.

15 Factum est autem cùm viderem ego Daniel E
visionem, & quærerem intelligentiam: ecce stetit in conspectu meo quasi species viri.

16 Et audivi vocem viri inter Ulai: & clamavit, & ait: Gabriel fac intelligere istam visionem.

17 Et venit, & stetit juxtà ubi ego stabam: cúmque venisset, pavens corrui in faciem meam, & ait ad me: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio.

18 Cúmque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram, & tetigit me, & statuit me in gradu meo:

19 Dixítque mihi: Ego ostendam tibi quæ futura sunt in novissimo maledictionis: quoniam F
habet tempus finem suum.

20 Aries, quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum.

21 Porrò hircus caprarum, rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipse est rex primus.

22 Quòd autem fracto illo surrexerunt quattuor pro eo: quattuor reges de gente ejus consurgent, sed non in fortitudine ejus.

23 Et post regnum eorum, cùm creverint iniquitates, consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones.

24 Et roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis: & suprà quàm credi potest, universa vastabit, & prosperabitur, & faciet. Et interficiet robustos, & populum sanctorum.

25 Secundùm voluntatem suam, & dirigetur G
dolus in manu ejus: & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur.

26 Et visio vespere & manè, quæ dicta est, vera est: tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit.

27 Et ego Daniel langui, & ægrotavi per dies : cúmque surrexissem, faciebam opera regis, & stupebam ad visionem, & non erat qui interpretaretur.

Caput IX.

Post orationem Danielis, qua confitetur Iudæos propter sua & patrum peccata venisse in magnam afflictionem, petens Dei misericordiam erga populum suum, fit ipsi revelatio de 70. hebdomadibus usque ad unctionem Sancti sanctorum, & de Christi morte, populoque ejus perdendo, & abominatione desolationis in templo.

A 1 IN anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum :

2 Anno uno regni ejus ego Daniel intellexi in libris * numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni.

* Ier. 25. c. 11. 29. c. 10.

3 Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in jejunijs, sacco, & cinere.

4 Et oravi Dominum Deum meum, & confessus sum, & dixi : * Obsecro Domine Deus magne & terribilis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua.

* 2. Esd. 1. b. 5.

5 * Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus : & declinavimus à mandatis tuis, ac judicijs.

* Baruc. 1. c. 17.

B 6 Non obedivimus servis tuis prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris, omníque populo terræ.

7 Tibi Domine justitia : nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Juda, & habitatoribus Jerusalem, & omni Israël, his qui propè sunt, & his qui procul, in universis terris ad quas ejecisti eos, propter iniquitates eorum, in quibus peccaverunt in te.

8 Domine nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris, qui peccaverunt.

9 Tibi autem Domino Deo nostro misericordia, & propitiatio, quia recessimus à te :

10 Et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in lege ejus, quam posuit
C nobis per servos suos prophetas.

11 Et omnis Israël prævaricati sunt legem tuam, & declinaverunt ne audirent vocem tuam, & stillavit super nos maledictio, & detestatio, * quę scripta est in libro Moysi servi Dei, quia peccavimus ei.

* Deut. 27. c. 14.

12 Et statuit sermones suos, quos locutus est super nos, & super principes nostros, qui judicaverunt nos, ut superinduceret in nos magnum malum, quale numquam fuit sub omni cælo, secundùm quod factum est in Jerusalem.

13 Sicut scriptum est in lege Moysi, omne malum hoc venit super nos : & non rogavimus faciem tuam Domine Deus noster, ut reverteremur ab iniquitatibus nostris, & cogitaremus veritatem tuam.

D 14 Et vigilavit Dominus super malitiam, & adduxit eam super nos : justus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis, quæ fecit : non enim audivimus vocem ejus.

* Baruc. 2. c. 11.

15 * Et nunc Domine Deus noster, * qui eduxisti populum tuum de Terra Ægypti in manu forti, & fecisti tibi nomen secundùm diem hanc : peccavimus, iniquitatem fecimus.

* Exod. 14. c. 21.

16 Domine in omnem justitiam tuam : avertatur obsecro ira tua, & furor tuus, à civitate tua Jerusalem, & monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, & iniquitates patrum nostrorum, Jerusalem & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum.

17 Nunc ergo exaudi Deus noster orationem E
servi tui, & preces ejus : & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est propter temetipsum.

18 Inclina Deus meus aurem tuam, & audi : aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, & civitatem, super quam invocatum est nomen tuum : neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.

19 Exaudi Domine, placare Domine : attende & fac : ne moreris propter temetipsum Deus meus : quia nomen tuum invocatum est super civitatem, & super populum tuum.

20 Cúmque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israël, & F
prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei :

21 Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volãs tetigit me in tempore sacrificij vespertini.

22 Et docuit me, & locutus est mihi, dixítque : Daniel nunc egressus sum ut docerem te, & intelligeres.

23 Ab exordio precum tuarum egressus est sermo : ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es : tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem.

24 * Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum. G

* Ioan. 15. c. 25.

25 Scito ergo, & animadverte : Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexagintaduæ erunt : & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.

26 Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus : & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo : & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio.

27 Confirmabit autem pactum multis hebdomada una : & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium : & * erit in templo abominatio desolationis : & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.

* Matt. 24. b. 15.

Caput X.

Vbi se affixisset Daniel, videt virum lineis vestitum qui hic describitur, & territus ac tremens confortatur semel & iterum : de resistente principe regni Persarum, de principe Græcorum, & de Michaele principe Iudæorum qui solus auxiliatur.

1 ANno tertio Cyri regis Persarum, verbum H
revelatũ est Danieli cognomento Baltassar, &

& verbum verũ, & fortitudo magna : intellexítque sermonem : intelligentia enim est opus in visione.

2 In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus,

3 Panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum : donec complerentur trium hebdomadarum dies.

4 Die autem vigesima & quarta mensis primi, eram juxta fluvium magnum, qui est Tigris.

5 Et levavi oculos meos, & vidi : & ecce vir unus vestitus lineis, & renes ejus accincti auro obrizo :

6 Et corpus ejus quasi chrysolithus, & facies ejus velut species fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens : & brachia ejus, & quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis : & vox sermonum ejus ut vox multitudinis.

B 7 Vidi autem ego Daniel solus visionem : porrò viri, qui erant mecum, non viderunt : sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum.

8 Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc : & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium.

9 Et audivi vocem sermonum ejus : & audiens jacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ.

10 Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum.

11 Et dixit ad me : Daniel vir desideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradutuo : nunc enim sum missus ad te. Cúmque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens.

C 12 Et ait ad me : Noli metuere Daniel : quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua : & ego veni propter sermones tuos.

13 Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus : & ecce Michaël unus de principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta regem Persarum.

14 Veni autem ut docerem te quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus, quoniam adhuc visio in dies.

15 Cúmque loqueretur mihi hujuscemodi verbis, dejeci vultum meum ad terram, & tacui.

D 16 Et ecce quasi similitudo filij hominis tetigit labia mea : & aperiens os meum locutus sum, & dixi ad eum qui stabat contra me : Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium.

17 Et quomodo poterit servus Domini mei loqui cum Domino meo ? nihil enim in me remansit virium, sed & halitus meus intercluditur.

18 Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis, & confortavit me,

19 Et dixit : Noli timere vir desideriorum : pax tibi : confortare, & esto robustus. Cúmque loqueretur mecum, convalui : & dixi : Loquere Domine mi, quia confortasti me.

20 Et ait : Numquid scis quare venerim ad te ? & nunc revertar ut prælier adversum principem Persarum. cùm ego egrederer apparuit, princeps Græcorum veniens.

21 Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis : & nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michaël princeps vester.

Caput XI.

Vaticinium de regibus Persarum & rege Græcorum : de bellis ac insidiis inter reges Austri & Aquilonis, & de rege qui Deum deorum non reputabit, sed plurima adversus ipsum loquetur, & quæ provincia ab illo evadent, quibúsve dominabitur.

1 EGo autem ab anno primo Darij Medi stabam A
ut confortaretur, & roboraretur.

2 Et nunc veritatem annuntiabo tibi. Ecce adhuc tres reges stabunt in Persíde, & quartus ditabitur opibus nimiis super omnes : & cùm invaluerit divitiis suis, concitabit omnes adversum regnum Græciæ.

3 Surget verò rex fortis, & dominabitur potestate multa, & faciet quod placuerit ei.

4 Et cùm steterit, conteretur regnum ejus, & dividetur in quattuor ventos cæli ; sed non in posteros ejus, neque secundùm potentiam illius, quia dominatus est. lacerabitur enim regnum ejus etiam in externos, exceptis his.

5 Et confortabitur rex Austri : & de principibus ejus prævalebit super eum, & dominabitur ditione : multa enim dominatio eius.

6 Et post finem annorum fœderabuntur : filiáque regis Austri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam, & non obtinebit fortitudinem brachij, nec stabit semen ejus : & tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam, adolescentes ejus, & qui confortabant eam in temporibus.

7 Et stabit de germine radicum ejus plantatio : B
& veniet cum exercitu, & ingredietur provinciam regis Aquilonis : & abutetur eis, & obtinebit.

8 Insuper & deos eorum, & sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti & auri, captiva ducet in Ægyptum : ipse prævalebit adversus regem Aquilonis.

9 Et intrabit in regnum rex Austri, & revertetur ad terram suam.

10 Filij autem ejus provocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum : & veniet properans, & inundans : & revertetur, & concitabitur, & congredietur cum robore ejus.

11 Et provocatus rex Austri egredietur, & pugnabit adversus regem Aquilonis, & pręparabit multitudinẽ nimiam, & dabitur multitudo in manu ejus.

12 Et capiet multitudinem, & exaltabitur cor C
ejus, & dejiciet multa millia, sed non prævalebit.

13 Convertetur enim rex Aquilonis, & præparabit multitudinem multò majorem quam priùs ; & in fine temporum annorúmque, veniet properans cum exercitu magno, & opibus nimiis.

14 * Et in temporibus illis multi consurgent adversus regem Austri : filij quoque prævaricatorum populi tui extollentur ut impleant visionem, & corruent.

* Isa. 19. c. 16.

15 Et veniet rex Aquilonis, & comportabit aggerem, & capiet urbes munitissimas : & brachia Austri non sustinebunt, & consurgent electi ejus ad resistendum, & non erit fortitudo.

16 Et faciet veniens super eum juxta placitum suum,

suum, & non erit qui ſtet contra faciem ejus : & ſtabit in terra inclyta,& conſumetur in manu ejus.

17 Et ponet faciem ſuam ut veniat ad tenendum univerſum regnum ejus, & recta faciet cum eo : & filiam feminarum dabit ei, ut evertat illud: & non ſtabit, nec illius erit.

18 Et convertet faciem ſuam ad inſulas, & capiet multas : & ceſſare faciet principem opprobrij ſui, & opprobrium ejus convertetur in eum.

D 19 Et convertet faciem ſuam ad imperium terræ ſuæ,& impinget,& corruet,& non invenietur.

20 Et ſtabit in loco ejus viliſſimus, & indignus decore regio : & in paucis diebus conteretur,non in furore,nec in prælio.

21 Et ſtabit in loco ejus deſpectus, & non tribuetur ei honor regius : & veniet clàm, & obtinebit regnum in fraudulentia.

22 Et brachia pugnantis expugnabuntur à facie ejus, & conterentur : inſuper & dux fœderis,

23 Et poſt amicitias, cum eo faciet dolum : & aſcendet, & ſuperabit in modico populo.

24 Et abundantes & uberes urbes ingredietur: & faciet quæ non fecerunt patres ejus, & patres patrum ejus : rapinas, & prædam,& divitias eorum diſſipabit, & contra firmiſſimas cogitationes inibit : & hoc uſque ad tempus.

25 Et concitabitur fortitudo ejus, & cor ejus adverſum regem Auſtri in exercitu magno:& rex Auſtri provocabitur ad bellum multis auxiliis, & fortibus nimis : & non ſtabunt, quia inibunt adverſus eum conſilia.

E 26 Et comedentes panem cum eo, conterent illum, exercitúſque ejus opprimetur : & cadent interfecti plurimi.

27 Duorum quoque regum cor erit ut malefaciant, & ad menſam unam mendacium loquentur, & non proficient : quia adhuc finis in aliud tempus.

28 Et revertetur in terram ſuam cum opibus multis : & cor ejus adverſum teſtamentum ſanctum : & faciet, & revertetur in terram ſuam.

29 Statuto tempore revertetur,& veniet ad Auſtrum : & non erit priori ſimile noviſſimum.

30 Et venient ſuper eum Trieres & Romani: & percutietur,& revertetur,& indignabitur contra teſtamentum ſanctuarij, & faciet : revertetúrque,& cogitabit adverſum eos, qui dereliquerunt teſtamentum ſanctuarij.

31 Et brachia ex eo ſtabunt, & polluent ſanctuarium fortitudinis, & auferent juge ſacrificium:& dabunt abominationem in deſolationem.

F 32 Et impij in teſtamentum ſimulabunt fraudulenter : populus autem ſciens Deum ſuum, obtinebit, & faciet.

33 Et docti in populo docebunt plurimos : & ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum.

34 Cúmque corruerint, ſublevabuntur auxilio parvulo:& applicabũtur eis plurimi fraudulenter.

35 Et de eruditis ruent, ut conflentur, & eligantur, & dealbentur uſque ad tempus præfinitum : quia adhuc aliud tempus erit.

36 Et faciet juxta voluntatem ſuam rex, & elevabitur,& magnificabitur adverſus omnem deum: & adverſus Deum deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe eſt definitio.

37 Et Deum patrum ſuorum non reputabit: & erit in concupiſcentiis feminarum, nec quemquam deorum curabit : quia adverſum univerſa conſurget.

38 Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur : & Deum, quem ignoraverunt patres ejus, colet auro, & argento, & lapide pretioſo, rebúſque pretioſis.

39 Et faciet ut muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognovit, & multiplicabit gloriam,& G
dabit eis poteſtatem in multis, & terram dividet gratuitò.

40 Et in tempore præfinito præliabitur adverſus eum rex Auſtri, & quaſi tempeſtas veniet contra illum rex Aquilonis,in curribus,& in equitibus, & in claſſe magna,& ingredietur terras, & conteret & pertranſiet.

41 Et introibit in terram glorioſam, & multæ corruent : hæ autem ſolæ ſalvabuntur de manu ejus, Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon.

42 Et mittet manum ſuam in terras : & terra Ægypti non effugiet.

43 Et dominabitur theſaurorum auri & argenti, & in omnibus pretioſis Ægypti : per Lybiam quoque & Æthiopiam tranſibit.

44 Et fama turbabit eum ab Oriente & ab Aquilone : & veniet in multitudine magna ut conterat & interficiat plurimos.

45 Et figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria, ſuper montem inclytum & ſanctum : & veniet uſque ad ſummitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei.

Caput XII.

Poſt magnam afflictionem tandem ſalvabuntur reliquiæ Iudæorum, & ex mortuis quidam reſurgent ad vitam,& quidam ad opprobrium ; docti verò ac doctores fulgebunt : de duobus ad ripas fluminis ſtantibus,& viro lineis veſtito, qui temporis aperit determinationem : & de completione hujus prophetiæ poſt ſtatutum tempus.

1 IN tempore autem illo conſurget Michaël princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui: & veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gẽtes eſſe cœperunt uſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit ſcriptus in libro.

2 Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt : * alij in vitam æternam, & alij * Matt. 25. d. 46.
in opprobrium ut videant ſemper.

3 Qui autem docti fuerint, * fulgebunt quaſi * Sap. 3. a. 7.
ſplendor firmamenti : & qui ad juſtitiam erudiunt multos,quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.

4 Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna B
librum, uſque ad tempus ſtatutum : plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia.

5 Et vidi ego Daniel, & ecce quaſi duo alij ſtabant : unus hinc ſuper ripam fluminis, & alius inde ex altera ripa fluminis.

6 Et dixi viro, qui erat indutus lineis, qui ſtabat ſuper aquas fluminis : Uſquequò finis horum mirabilium ?

7 Et

C 7 Et audivi virum, qui indutus erat lineis, qui
* Apoc. 10. d. 5. ſtabat ſuper aquas fluminis, * cùm elevaſſet dexteram & ſiniſtram ſuam in cælum, & juraſſet per viventem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et cùm completa fuerit diſperſio manus populi ſancti, complebuntur univerſa hæc.

8 Et ego audivi, & non intellexi. Et dixi : Domine mi, quid erit poſt hæc ?

9 Et ait : Vade Daniel, quia clauſi ſunt,ſignatique ſermones, uſque ad præfinitum tempus.

D 10 Eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi : & impiè agent impij, neque intelligent omnes impij, porrò docti intelligent.

11 Et à tempore cùm ablatum fuerit juge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta.

12 Beatus, qui expectat, & pervenit uſque ad dies mille trecentos trigintaquinque.

13 Tu autem vade ad præfinitum : & requieſces, & ſtabis in ſorte tua in finem dierum.

Hucuſque Danielem in Hebræo volumine legimus. Quæ ſequuntur uſque ad finem libri, de Theodotionis editione tranſlata ſunt.

Caput XIII.

Caſtiſſimam Suſannam impudici preſbyteri, cùm ejus concubitu frui non poſſent, falsò adulterij accuſant : ſed cùm ad mortem duceretur, orantem exaudivit Deus : & per puerum Danielem proprio ore convictos ſenes,jure talionis populus interimit.

A 1 ET erat vir habitans in Babylone, & nomen ejus Ioakim :

2 Et accepit uxorem nomine Suſannam, filiam Helciæ, pulchram nimis,& timentem Deum :

3 Parentes enim illius, cùm eſſent juſti, erudierunt filiam ſuam ſecundùm legem Moyſi.

4 Erat autem Joakim dives valdè, & erat ei pomarium vicinum domi ſuæ : & ad ipſum confluebant Judæi, eò quòd eſſet honorabilior omnium.

5 Et conſtituti ſunt de populo duo ſenes judices in illo anno : de quibus locutus eſt Dominus : Quia egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus judicibus, qui videbantur regere populum.

6 Iſti frequentabant domum Joakim, & veniebant ad eos omnes qui habebant judicia.

7 Cùm autem populus revertiſſet per meridiem, ingrediebatur Suſanna, & deambulabat in pomario viri ſui.

8 Et videbant eam ſenes quotidie ingredientem, & deambulantem : & exarſerunt in concupiſcentiam ejus :

9 Et everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum juſtorum.

B 10 Erant ergo ambo vulnerati amore ejus, nec indicaverunt ſibi viciſſim dolorem ſuum,

11 Erubeſcebant enim indicare ſibi concupiſcentiam ſuam, volentes concumbere cum ea :

12 Et obſervabant quotidie ſolicitiùs videre eam. Dixitque alter ad alterum :

13 Eamus domum, quia hora prandij eſt. Et egreſſi receſſerunt à ſe.

14 Cúmque revertiſſent, venerunt in unum:& ſciſcitantes ab invicem cauſam, confeſſi ſunt concupiſcentiam ſuam : & tunc in communi ſtatuerunt tempus,quando eam poſſent invenire ſolam.

15 Factum eſt autem, cùm obſervarent diem aptum, ingreſſa eſt aliquando ſicut heri & nudiuſtertius, cum duabus ſolis puellis, voluítque lavari in pomario : æſtus quippe erat :

16 Et non erat ibi quiſquam, præter duos ſenes abſconditos, & contemplantes eam.

17 Dixit ergo puellis : Afferte mihi oleum, & ſmigmata, & oſtia pomarij claudite, ut laver.

18 Et fecerunt ſicut præceperat : clauſerúntque oſtia pomarij, & egreſſæ ſunt per poſticum,ut afferrent quæ juſſerat : neſciebántque ſenes intus eſſe abſconditos.

19 Cùm autem egreſſæ eſſent puellæ, ſurrexe- C
runt duo ſenes,& accurrerunt ad eam,& dixerunt:

20 Ecce oſtia pomarij clauſa ſunt, & nemo nos videt,& nos in concupiſcentia tui ſumus:quam ob rem aſſentire nobis,& commiſcere nobiſcum.

21 Quòd ſi nolueris,dicemus contra te teſtimonium, quòd fuerit tecum juvenis, & ob hanc cauſam emiſeris puellas à te.

22 Ingemuit Suſanna, & ait : Anguſtiæ ſunt mihi undique:ſi enim hoc egero,mors mihi eſt : ſi autem non egero,non effugiam manus veſtras.

23 Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras,quàm peccare in cõſpectu Domini.

24 Et exclamavit voce magna Suſanna : exclamaverunt autem & ſenes adverſus eam.

25 Et cucurrit unus ad oſtia pomarij,& aperuit.

26 Cùm ergo audiſſent clamorem famuli domus in pomario, irruerunt per poſticum, ut viderent quidnam eſſet.

27 Poſtquam autem ſenes locuti ſunt, erubue- D
runt ſervi vehementer : quia numquam dictus fuerat ſermo hujuſcemodi de Suſanna. Et facta eſt dies craſtina.

28 Cúmque veniſſet populus ad Joakim virum ejus,venerunt & duo preſbyteri pleni iniqua cogitatione adverſus Suſannam, ut interficerẽt eam.

29 Et dixerunt coram populo : Mittite ad Suſannam filiam Helciæ uxorem Joakim. Et ſtatim miſerunt.

30 Et venit cum parentibus, & filiis, & univerſis cognatis ſuis.

31 Porrò Suſanna erat delicata nimis, & pulchra ſpecie.

32 At iniqui illi juſſerunt ut diſcooperiretur (erat enim cooperta) ut vel ſic ſatiarentur decore ejus.

33 Flebant igitur ſui,& omnes qui noverant eã.

34 Conſurgentes autem duo preſbyteri in medio populi,poſuerunt manus ſuas ſuper caput ejus.

35 Quæ flens ſuſpexit ad cælum : erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.

36 Et dixerũt preſbyteri:Cùm deambularemus in pomario ſoli,ingreſſa eſt hæc cũ duabus puellis: & clauſit oſtia pomarij,& dimiſit à ſe puellas.

37 Venítque ad eam adoleſcens qui erat abſconditus, & concubuit cum ea.

38 Porrò nos cùm eſſemus in angulo pomarij, videntes iniquitatem, cucurrimus ad eos,& vidimus eos pariter commiſceri.

39 Et illum quidẽ non quivimus cõprehendere, quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia fortior nobis erat, & apertis ostiis exilivit:
E 40 Hanc autem cùm apprehendissemus, interrogavimus,quisnam esset adolescens,& noluit indicare nobis: hujus rei testes sumus.
41 Credidit eis multitudo, quasi senibus & judicibus populi, & condemnaverunt eam ad mortem.
42 Exclamavit autem voce magna Susanna, & dixit: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant,
43 Tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: & ecce morior,cùm nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt adversum me.
44 Exaudivit autem Dominus vocem ejus.
45 Cúmque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel:
46 Et exclamavit voce magna: Mundus ego sum à sanguine hujus.
47 Et conversus omnis populus ad eum, dixit: Quis est iste sermo,quem tu locutus es?
48 Qui cùm staret in medio eorum, ait: Sic fatui filij Israël, non judicantes, neque quod verum est cognoscentes,condemnastis filiam Israël?
49 Revertimini ad judicium, quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam.
F 50 Reversus est ergo populus cum festinatione, & dixerunt ei senes: Veni, & sede in medio nostrûm, & indica nobis: quia tibi Deus dedit honorem senectutis.
* *Exod. 23. d. 7.*
51 Et dixit ad eos Daniel: Separate illos ab invicem procul, & dijudicabo eos.
52 Cùm ergo divisi essent alter ab altero, vocavit unum de eis,& dixit ad eum: Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris priùs;
53 Judicans judicia injusta, innocentes opprimens, & dimittens noxios, dicente Domino: * Innocentem & justum non interficies.
* *Exod. 23. d. 7.*
54 Nunc ergo si vidisti eam,dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi. Qui ait: Sub schino.
55 Dixit autem Daniel: Rectè mentitus es in caput tuum: Ecce enim Angelus Dei accepta sententia ab eo, scindet te medium.
56 Et, amoto eo, jussit venire alium,& dixit ei: Semen Chanaan, & non Juda, species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum:
57 Sic faciebatis filiabus Israël, & illæ timentes loquebantur vobis: sed filia Juda non sustinuit iniquitatem vestram.
58 Nunc ergo dic mihi, sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait: Sub prino:
G 59 Dixit autem ei Daniel: Rectè mentitus es & tu in caput tuum: manet enim Angelus Domini, gladium habens, ut fecet te medium, & interficiat vos.
60 Exclamavit itaque omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deum,qui salvat sperantes in se.
61 Et consurrexerunt adversus duos presbyteros (convicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium) fecerúntque eis sicut malè egerant adversus proximum,
* *Deut. 19. d. 18. 19.*
62 * Ut facerent secundùm legem Moysi: & interfecerunt eos, & salvatus est sanguis innoxius in die illa.
63 Helcias autem & uxor ejus laudaverunt Deum pro filia sua Susanna, cum Joakim marito ejus, & cognatis omnibus,quia non esset inventa in ea res turpis.
64 Daniel autem factus est magnus in conspectu populi, à die illa, & deinceps.
65 Et rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum ejus.

Caput XIV.

Fraudes sacerdotum idoli Bel, qui appositos illi cibos occultè auferebant, regi per Danielem detectæ sunt; ipsíque interemptis, idolum una cum templo suo eversum est: similiter & draconem quem colebant Babylonij, injecta in os massa ex pice,adipe & pilis confecta, Daniel interfecit: quapropter instantibus Babyloniis missus est in lacum leonum, illæsúsque servatus, allato etiam illi per Prophetam Habacuc prandio ex Judæa: quod videns rex, adversarios illius à leonibus in momento devoratis, jubet omnes timere Deum Danielis.

1 ERat autem Daniel conviva regis, & hono- A
ratus super omnes amicos ejus.
2 Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel: & impendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim, & oves quadraginta,viníque amphoræ sex.
3 Rex quoque colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum:porrò Daniel adorabat Deũ suum. Dixítque ei rex: Quare non adoras Bel?
4 Qui respondens ait ei: Quia non colo idola manufacta,sed viventem Deum, qui creavit cælum & terram, & habet potestatem omnis carnis.
5 Et dixit rex ad eum: Non videtur tibi esse Bel vivens Deus? An non vides quanta comedat & bibat quotidie?
6 Et ait Daniel arridens: Ne erres rex. iste B
enim intrinsecus luteus est, & forinsecus æreus, neque comedit aliquando.
7 Et iratus rex vocavit sacerdotes ejus, & ait eis: Nisi dixeritis mihi, quis est qui comedat impensas has, moriemini.
8 Si autem ostenderitis, quoniam Bel comedat hæc, morietur Daniel, quia blasphemavit in Bel. Et dixit Daniel regi: Fiat juxta verbum tuum.
9 Erant autem sacerdotes Bel septuaginta,exceptis uxoribus, & parvulis,& filiis. Et venit rex cum Daniele in templum Bel.
10 Et dixerunt sacerdotes Bel: Ecce nos egredimur foras: & tu rex pone escas, & vinum misce, & claude ostium, & signa annulo tuo:
11 Et cùm ingressus fueris manè, nisi inveneris omnia comesta à Bel, morte moriemur, vel C
Daniel qui mentitus est adversum nos.
12 Contemnebant autem, quia fecerant sub mensa absconditum introitum,& per illum ingrediebantur semper, & devorabant ea.
13 Factum est igitur postquam egressi sunt illi,rex posuit cibos ante Bel: præcepit Daniel pueris suis, & attulerunt cinerem,& cribravit per totum templum coram rege: & egressi clauserunt ostium: & signantes annulo regis abierunt.
14 Sacerdotes autem ingressi sunt nocte juxta consuetudinem suam, & uxores, & filij eorum: & comederunt omnia, & biberunt.
15 Surrexit

15 Surrexit autem rex primo diluculo, & Daniel cum eo.
16 Et ait rex: Salvàne sunt signacula, Daniel? Qui respondit: Salva, rex.
D 17 Statímque cùm aperuisset ostium, intuitus rex mensam, exclamavit voce magna: Magnus es Bel, & non est apud te dolus quisquam.
18 Et risit Daniel: & tenuit regem ne ingrederetur intrò: & dixit: Ecce pavimentum, animadverte cujus vestigia sint hæc.
19 Et dixit rex: Video vestigia virorum, & mulierum, & infantium. Et iratus est rex.
20 Tunc apprehendit sacerdotes, & uxores,& filios eorum: & ostenderunt ei abscondita ostiola, per quæ ingrediebantur, & consumebant quæ erant super mensam.
21 Occidit ergo illos rex,& tradidit Bel in potestatem Danielis:qui subvertit eum,& templũ ejus.
22 Et erat draco magnus in loco illo, & colebant eum Babylonij.
23 Et dixit rex Danieli: Ecce nunc non potes dicere quia iste non sit Deus vivens: adora ergo eum.
E 24 Dixítque Daniel: Dominum Deum meum adoro: quia ipse est Deus vivens: iste autem non est Deus vivens.
25 Tu autem rex da mihi potestatem, & interficiam draconem absque gladio & fuste. Et ait rex: Do tibi.
26 Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos,& coxit pariter: fecítque massas,& dedit in os draconis, & diruptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebatis.
27 Quod cùm audissent Babylonij, indignati sunt vehementer: & congregati adversum regem, dixerunt: Judæus factus est rex: Bel destruxit, draconem interfecit, & sacerdotes occidit.
28 Et dixerunt cùm venissent ad regem: Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & & domum tuam.
29 Vidit ergo rex quòd irruerent in eum ve- F
hementer: & necessitate compulsus tradidit eis Danielem.
30 Qui miserunt eum in lacum leonum,& erat ibi diebus sex.
31 Porrò in lacu erant leones septem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oves: & tunc non data sunt eis,ut devorarent Danielem.
32 Erat autem Habacuc propheta in Judæa,& ipse coxerat pulmentum, & intriverat panes in alveolo: & ibat in campum ut ferret messoribus.
33 Dixítque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum.
34 Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, & lacum nescio.
35 * Et apprehendit eum Angelus Domini in * *Ezec. 8. b. 3.*
vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui, G
posuítque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui.
36 Et clamavit Habacuc, dicens: Daniel serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus.
37 Et ait Daniel: Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te.
38 Surgénsque Daniel comedit. Porrò Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo.
39 Venit ergo rex die septimo ut lugeret Danielem: & venit ad lacum, & introspexit, & ecce Daniel sedens in medio leonum.
40 Et exclamavit voce magna rex,dicens: Magnus es Domine Deus Danielis. Et extraxit eum de lacu leonum.
41 Porrò illos, qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum, & devorati sunt in momento coram eo.
42 Tunc rex ait: Paveant omnes habitantes in universa terra Deum Danielis: quia ipse est salvator: faciens signa & mirabilia in terra: qui liberavit Danielem de lacu leonum.

PROPHETIA OSEE.

Caput Primum.

Quo tempore Osee prophetaverit, qui jussus fornicariam accipere uxorem, duos filios unámque filiam ex ea generavit: quibus nomina jubetur imponere juxta effectus quos Dominus in populo suo decreverat inducere: de Gentium conversione, & futuro eodem capite filiorum Iuda & Israël.

A 1  Erbum Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ, regum Juda, & in diebus Jeroboam filij Joas regis Israël.
2 Principium loquendi Domino in Osee: & dixit Dominus ad Osee: Vade, fume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra à Domino.
B 3 Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim: & concepit, & peperit ei filium.
4 Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen ejus Jezrahel: quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu, & quiescere faciam regnum domus Israël.
5 Et in illa die conteram arcum Israël in valle Jezrahel.
6 Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen ejus Absque misericordia: quia non addam ultrà misereri domui Israël, sed oblivione obliviscar eorum.
7 Et domui Juda miserebor, & salvabo eos in C
Domino Deo suo: & non salvabo eos in arcu, & gladio,& in bello, & in equis, & in equitibus.
8 Et ablactavit eam, quæ erat Absque misericordia. Et concepit,& peperit filium.
9 Et dixit: Voca nomen ejus: Non populus meus: D
quia vos non populus meus,& ego non ero vester.
10 Et erit numerus filiorum Israël quasi arena maris quæ sine mensura est, & non numerabitur.

Universidad de Buenos Aires
Biblioteca

* Rom. 9.f. 29. * Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos : dicetur eis : Filij Dei viventis.

11 Et congregabuntur filij Juda, & filij Israël pariter : & ponent sibimet caput unum, & ascendent de terra : quia magnus dies Jezrahel.

Caput II.

Minatur Dominus Israëli tanquam uxori adulteræ repudium, & sepit vias ejus spinis, ut ad virum suum revertatur: cùmque non advertat à quo habeat bonorum abundantiam, ablaturum se ab ea dicit cuncta in quibus delectatur : sicque ipsum tandem ad se reducturum, magnáque felicitate donaturum : & de Gentium vocatione.

A 1 DIcite fratribus vestris : Populus meus ; & sorori vestræ : Misericordiam consecuta.

2 Judicate matrem vestram, judicate : quoniam ipsa non uxor mea, & ego non vir ejus. auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio uberum suorum.

3 Ne fortè expoliem eam nudam, & statuam eam secundùm diem nativitatis suæ : & ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inviam, & interficiam eam siti.

4 Et filiorum illius non miserebor : quoniam filij fornicationum sunt.

5 Quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos : quia dixit : Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.

6 Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inveniet.

B 7 Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos : & quæret eos, & non inveniet, & dicet: Vadam, & revertar ad virum meum priorem: quia benè mihi erat tunc magis quàm nunc.

8 Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.

9 Idcircò convertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam & linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus.

10 Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus: & vir nō eruet eam de manu mea:

11 Et cessare faciam omne gaudium ejus, sollemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, & omnia festa tempora ejus.

C 12 Et corrumpam vineam ejus, & ficum ejus : de quibus dixit : Mercedes hæ, meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei : & ponam eam in saltum, & comedet eam bestia agri.

13 Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, & ornabatur inaure sua, & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei oblivisebatur, dicit Dominus.

14 Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem : & loquar ad cor ejus.

15 Et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem : & canet ibi juxta dies juventutis suæ, & juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.

16 Et erit in die illa, ait Dominus : vocabit me: Vir meus, & non vocabit me ultrà, Baali.

17 Et auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultrà nominis eorum.

18 Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum D bestia agri, & cum volucre cæli, & cum reptili terræ : & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra : & dormire eos faciam fiducialiter.

19 Et sponsabo te mihi in sempiternum : & sponsabo te mihi in justitia, & judicio, & in misericordia, & in miserationibus.

20 Et sponsabo te mihi in fide : & scies quia ego Dominus.

21 Et erit in die illa : Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram.

22 Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum : & hæc exaudient Jezrahel.

23 Et seminabo eam mihi in terra, & miserebor ejus, quæ fuit absque misericordia.

24 * Et dicam non populo meo : Populus meus es tu : & ipse dicet : Deus meus es tu. * Rom. 9.f. 25. 1.Per. 2. b. 10.

Caput III.

Rursum jubetur Propheta diligere adulteram, quæ tamen multis diebus illum expectet, quia filios Israël multis diebus sine rege & sacrificio sedentes, tandem ad Dominum dicit reversuros.

1 ET dicit Dominus ad me : Adhuc vade, & A dilige mulierem dilectam amico & adulteram : sicut diligit Dominus filios Israël, & ipsi respiciunt ad deos alienos, & diligunt vinacia uvarū.

2 Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei.

3 Et dixi ad eam : Dies multos expectabis me: B non fornicaberis, & non eris viro : sed & ego expectabo te.

4 Quia dies multos sedebunt filij Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim.

5 * Et post hæc revertentur filij Israël, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum : & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus, in novissimo dierum. * Ezec. 34.f. 23.

Caput IV.

Minatur terræ Israël, propter multa populi peccata, qui & scientiam repulit, & idololatriæ fuit deditus : dicit se relicturum Israël in peccatis suis, cupiens ne Juda ipsum imitetur.

1 AUdite verbum Domini filij Israël, quia ju- A dicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.

2 Maledictum, & mendacium, & homicidium: & furtum & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.

3 Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli : sed & pisces maris congregabuntur.

4 Verumtamen unusquisque non judicet : & non arguatur vir : populus enim tuus, sicut hi qui contradicunt sacerdoti.

5 Et corues hodie, & corruet etiam propheta B tecum : nocte tacere feci matrem tuam.

6 Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit scientiam : quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi : & oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum & ego.

7 Secundùm multitudinem eorum sic peccaverunt

verunt mihi: gloriam eorum in ignominiam commutabo.

8 Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.

* Isa. 24.n.2. 9 * Et erit sicut populus, sic sacerdos : & visitabo super eum vias ejus, & cogitationes ejus reddam ei.

C 10 Et comedent, & non saturabuntur : fornicati sunt, & non cessaverunt : quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo.

11 Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.

12 Populus meus in ligno suo interrogavit, & baculus ejus annuntiavit ei : spiritus enim fornicationum decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo.

13 Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama : subtus quercum, & populum, & terebinthum, quia bona erat umbra ejus : ideò fornicabuntur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt.

D 14 Non visitabo super filias vestras cùm fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cùm adulteraverint : quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, & cum effeminatis sacrificabant, & populus non intelligens vapulabit.

15 Si fornicaris tu Israël, non delinquat saltem Juda : & nolite ingredi in Galgala, & ne ascenderitis in Bethaven, neque juraveritis : Vivit Dominus.

16 Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israël : nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine.

17 Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum.

18 Separatum est convivium eorum, fornicatione fornicati sunt : dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus.

19 Ligavit eum spiritus in alis suis, & confundentur à sacrificiis suis.

Caput V.

Minatur Dominus se puniturum Israël propter peccata sua, similiter & Judam : nec proderit humanum auxilium, cùm Dominus eis adversetur.

A 1 AUdite hoc sacerdotes : & attendite domus Israël, & domus regis auscultate : quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor.

2 Et victimas declinastis in profundum: & ego eruditor omnium eorum.

3 Ego scio Ephraim, & Israël non est absconditus à me : quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israël.

B 4 Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum : quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt.

5 Et respondebit arrogantia Israël in facie ejus: & Israël & Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Judas cum eis.

6 In gregibus suis, & in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient : ablatus est ab eis.

7 In Dominum prævaricati sunt : quia filios alienos genuerunt : nunc devorabit eos mensis cum partibus suis.

C 8 Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama : ululate in Bethaven, post tergum tuum Benjamin.

9 Ephraim in desolatione erit in die correptionis : in tribubus Israël ostendi fidem.

10 Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum : super eos effundam quasi aquam iram meam.

11 Calumniam patiens est Ephraim, fractus judicio : quoniam cœpit abire post sordes.

12 Et ego quasi tinea Ephraim : & quasi putredo domui Juda.

13 Et vidit Ephraim languorem suum, & Juda D vinculum suum: & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad regem ultorem : & ipse non poterit sanare vos, nec solvere poterit à vobis vinculum.

14 Quoniam ego quasi læna Ephraim, & quasi catulus leonis domui Juda : ego ego capiam, & vadam : tollam, & non est qui eruat.

15 Vadens revertar ad locum meum : donec deficiatis, & quæratis faciem meam.

Caput VI.

Reversi in tribulatione ad Dominum, magna fiducia salutem sibi ab eo promittunt : expostulat Dominus cum Israël & Juda, quòd neque beneficiis, neque prophetarum comminationibus ab idololatria aliisque iniquitatibus sint revocati, cùm præferat misericordiam sacrificio.

1 IN tribulatione sua manè consurgent ad me : A Venite, & revertamur ad Dominum :

2 Quia ipse cepit, & sanabit nos : percutiet, & curabit nos.

3 * Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemúrque ut cognoscamus Dominum : quasi diluculum præparatus est egressus ejus, & veniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ. B * 1.Cor. 15.a.4.

4 Quid faciam tibi Ephraim ? quid faciam tibi C Juda ? misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens.

5 Propter hoc dolavi in prophetis, occidi eos in verbis oris mei : & judicia tua quasi lux egredientur.

6 * Quia misericordiam volui, & non sacrificium : & scientiam Dei, plusquam holocausta. * 1.Reg. 15.v.22. Eccle. 4. d. 17. Matt. 5. b. 13.12. n.7.

7 Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me.

8 Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine.

9 Et quasi fauces virorum latronum, particeps D sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem : quia scelus operati sunt.

10 In domo Israël vidi horrendum : ibi fornicationes Ephraim : contaminatus est Israël.

11 Sed & Juda pone messem tibi, cùm convertero captivitatem populi mei.

Caput VII.

Cùm sanaturus esset Dominus Israël, obstiterunt iniquitates eorum : consentientes enim regum suorum malitiæ, omnes in idololatriam vehementer exarserunt : Dominóque relicto, conversi ad Ægypti auxilium, transiati sunt in Assyrios.

1 CUm sanare vellem Israël, revelata est iniqui- A tas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium : & fur ingressus est spolians, latrunculus foris.

2 Et ne fortè dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum me recordatum ; nunc circum-

Universidad de Deusto Biblioteca

dederunt eos adinventiones suæ,coram facie mea factæ sunt.

3 In malitia sua lætificaverunt regem : & in mendaciis suis principes.

4 Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente : quievit paululùm civitas à commistione fermenti, donec fermentaretur totum.

B 5 Dies regis nostri : cœperunt principes furere à vino : extendit manum suam cum illusoribus.

6 Quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cùm insidiaretur eis : tota nocte dormivit coquens eos, manè ipse succensus quasi ignis flammæ.

7 Omnes calefacti sunt quasi clibanus,& devoraverunt judices suos : omnes reges eorum ceciderunt : non est qui clamet in eis ad me.

8 Ephraim in populis ipse commiscebatur : Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur.

C 9 Comederunt alieni robur ejus, & ipse nescivit : sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignoravit.

10 Et humiliabitur superbia Israël in facie ejus. nec reversi sunt ad Dominum Deum suum,& non quæsierunt eum in omnibus his.

11 Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor : Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt.

12 Et cùm profecti fuerint, expandam super eos rete meum : quasi volucrem cæli detraham eos,cædam eos secundùm auditionem cœtus eorũ.

D 13 Væ eis, quoniam recesserunt à me, vastabuntur, quia prævaricati sunt in me : & ego redemi eos : & ipsi locuti sunt contra me mendacia.

14 Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis super triticum & vinum ruminabant, recesserunt à me.

15 Et ego erudivi eos, & confortavi brachia eorum : & in me cogitaverunt malitiam.

16 Reversi sunt ut essent absque jugo : facti sunt quasi arcus dolosus : cadent in gladio principes eorum, à furore linguæ suæ. Ista subsannatio eorum in Terra Ægypti.

Caput VIII.

Samariam prædicit cum vitulo suo destruendam per Nabuchodonosor, propter idololatriam ; nec ipsorum hostiæ suscipientur : civitates autem Iuda etiam concremabuntur.

A 1 IN gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini : pro eo quòd transgressi sunt fœdus meum, & legem meam prævaricati sunt.

2 Me invocabunt : Deus meus cognovimus te Israël.

3 Projecit Israël bonum, inimicus persequetur eum.

4 Ipsi regnaverunt, & non ex me : principes extiterunt, & non cognovi : argentum suum & aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent:

B 5 Projectus est vitulus tuus Samaria, iratus est furor meus in eos.usquequò non poterunt emundari?

6 Quia ex Israël & ipse est : artifex fecit illum, & non est Deus : quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.

7 Quia ventum seminabunt, & turbinem metent : culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam : quod & si fecerit,alieni comedent eam.

8 Devoratus est Israël : nunc factus est in nationibus quasi vas immundum.

9 Quia ipsi ascenderunt ad Assur,onager solitarius sibi : Ephraim munera dederunt amatoribus. C

10 Sed & cùm mercede conduxerint nationes, nunc congregabo eos : & quiescent paulisper ab onere regis, & principum.

11 Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum : factæ sunt ei aræ in delictum.

12 Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt.

13 Hostias offerent, immolabunt carnes, & D comedent, & Dominus non suscipiet eas : nunc recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum : ipsi in Ægyptum convertentur.

14 Et oblitus est Israël factoris sui, & ædificavit delubra : & Judas multiplicavit urbes munitas : & mittam ignem in civitates ejus, & devorabit ædes illius.

Caput IX.

Dominus in populum Israël famem & captivitatem propter ipsius peccata immittet : nec grata ipsi erunt eorum sacrificia : & quia in peccatis perseverant, perpetuò ejecti à Domino permanebunt, vagi inter nationes.

1 NOli lætari Israël, noli exultare sicut popu- A
li, quia fornicatus es à Deo tuo,dilexisti mercedem super omnes areas tritici.

2 Area & torcular non pascet eos, & vinum mentietur eis.

3 Non habitabunt in terra Domini : reversus est Ephraim in Ægyptum, & in Assyriis pollutum comedit.

4 Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei : sacrificia eorum, quasi panis lugentium. omnes, qui comedent eum, contaminabuntur : quia panis eorum animæ ipsorum, non intrabit in domum Domini.

5 Quid facietis in die sollemni,in die festivitatis Domini?

6 Ecce enim profecti sunt à vastitate : Ægyp- B
tus congregabit eos, Memphis sepeliet eos : desiderabile argentum eorum urtica hereditabit, lappa in tabernaculis eorum.

7 Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis : scitote Israël stultum prophetam,insanum virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ.

8 Speculator Ephraim cum Deo meo : propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus, insania in domo Dei ejus.

9 * Profundè peccaverunt, sicut in diebus Ga- *Iudic.
baa : recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit 19.f.25.
peccata eorum. C

10 Quasi uvas in deserto, inveni Israël : quasi prima poma ficulneæ in cacumine ejus, vidi patres eorum : ipsi autem intraverunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles,sicut ea quæ dilexerunt.

11 Ephraim quasi avis avolavit, gloria eorum à partu, & ab utero, & à conceptu.

12 Quòd & si enutrierint filios suos,absque libe-

ris

ris eos faciam in hominibus : sed & væ eis cùm recessero ab eis.

D 13 Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine : & Ephraim educet ad interfectorem filios suos.

14 Da eis Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, & ubera arentia.

*1. Reg. 8.a.5. 15 * Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos : propter malitiam adinventionum eorum,de domo mea ejiciam eos : non addam ut diligam eos, omnes principes eorum recedentes.

16 Percussus est Ephraim,radix eorum exsiccata est : fructum nequaquam facient. Quòd & si genuerint, interficiam amantissima uteri eorum.

17 Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum : & erunt vagi in nationibus.

Caput X.

Propter idololatriam Israel traditur Assyrijs : & cùm à Domino revocati ad justitiam, pergant sequi vias suas,omnes eorum munitiones vastabuntur.

A 1 VItis frondosa Israël, fructus adæquatus est ei : secundùm multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulachris.

2 Divisum est cor eorum, nunc interibunt : ipse confringet simulachra eorum, depopulabitur aras eorum.

3 Quia nunc dicent : Non est rex nobis : non enim timemus Dominum : & rex quid faciet nobis?

4 Loquimini verba visionis inutilis, & ferietis fœdus : & germinabit quasi amaritudo judicium super sulcos agri.

B 5 Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ : quia luxit super eum populus ejus, & æditui ejus super eum exultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo.

6 Siquidem & ipse in Assur delatus est, munus regi ultori : confusio Ephraim capiet, & confundetur Israël in voluntate sua.

7 Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ.

C 8 Et disperdentur excelsa idoli, peccatum Israël : lappa & tribulus ascendet super aras eorum:
*Isai. 2. d. 19. & dicent montibus : * Operite nos ; & collibus :
Luc. 23. e. 30. Cadite super nos.
Apoc. 6. d. 16. 9 * Ex diebus Gabaa, peccavit Israël,ibi steterunt : non comprehendet eos in Gabaa prælium
* Iudic. 19.f.25. super filios iniquitatis.

10 Juxta desiderium meum corripiam eos:congregabuntur super eos populi, cùm corripientur propter duas iniquitates suas.

11 Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego transivi super pulchritudinem colli ejus : ascendam super Ephraim, arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob.

* Ier. 4. a. 3. 12 * Seminate vobis in justitia, & metite in
D ore misericordiæ, innovate vobis novale : tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit qui docebit vos justitiam.

13 Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacij : quia confisus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum.

14 Consurget tumultus in populo tuo : & omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastatus *Iudic.
est * Salmana à domo ejus, qui judicavit Baal in 8.c.12.
die prælij, matre super filios allisa.

15 Sic fecit vobis Bethel, à facie malitiæ nequitiarum vestrarum.

Caput XI.

Beneficiis ostendit Dominus se diligere populum Israël : sed propter illius scelera tradidit eum Assyrijs : attamen propter suam misericordiam reducet eos : ut in terra sua serviant Domino, unà cum Gentibus ad Deum conversis.

1 SIcut manè transiit,pertransiit rex Israël. Quia A
puer Israël, & dilexi eum : & * ex Ægypto *Mat. 2.
vocavi filium meum. c. 15.

2 Vocaverunt eos, sic abierunt à facie : eorum Baalim immolabant, & simulachris sacrificabant.

3 Et ego quasi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis : & nescierunt quòd curarem eos.

4 In funiculis Adam traham eos, in vinculis B
charitatis : & ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum:& declinavi ad eum ut vesceretur.

5 Non revertetur in Terram Ægypti, & Assur ipse rex ejus : quoniam noluerunt converti.

6 Cœpit gladius in civitatibus ejus, & consumet electos ejus, & comedet capita eorum.

7 Et populus meus pendebit ad reditum meum: jugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur.

8 Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Is- C
raël? * quomodo dabo te sicut Adama, ponam te * Gen.
ut Seboim? Conversum est in me cor meum, pa- 19.c.24.
riter conturbata est pœnitudo mea.

9 Non faciam furorem iræ meæ:non convertar ut disperdam Ephraim : quoniam Deus ego, & non homo : in medio tui sanctus, & non ingrediar civitatem.

10 Post Dominum ambulabunt, quasi leo ru- D
giet : quia ipse rugiet, & formidabunt filij maris.

11 Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum : & collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.

12 Circumdedit me in negatione Ephraim,& in dolo domus Israël : Judas autem testis descendit cum Deo, & cum sanctis fidelis.

Caput XII.

Vanè fidit Israël in Ægypto, ut ab Assur liberetur : sed tam ipsi quàm Iuda reddet Dominus juxta merita ipsorum, qui immemores beneficiorum Iacob patriarchæ præstitorum, declinaverunt in avaritiam : quibus tamen pacem offert : carpens potissimùm idololatriam Galaad.

1 EPhraim pascit ventum, & sequitur æstum : A
tota die mendacium & vastitatem multiplicat : & fœdus cum Assyrijs iniit, & oleum in Ægyptum ferebat.

2 Judicium ergo Domini cum Juda, & visitatio super Jacob : juxta vias ejus, & juxta adinventiones ejus reddet ei.

3 * In utero supplantavit fratrem suum : & in * Gen.
fortitudine sua directus est cum angelo. 25.d.25.

4 Et invaluit ad Angelum, & confortatus est: Gen. 32. f.24.
flevit, & rogavit eum : in Bethel invenit eum, & B
ibi locutus est nobiscum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5 Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus.

6 Et tu ad Deum tuum converteris: misericordiam & judicium custodi, & spera in Deo tuo semper.

7 Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit.

C 8 Et dixit Ephraim: Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi: omnes labores mei non invenient mihi: iniquitatem, quam peccavi.

9 Et ego Dominus Deus tuus ex Terra Ægypti, adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis.

10 Et locutus sum super prophetas, & ego visionem multiplicavi, & in manu prophetarum assimilatus sum.

11 Si Galaad idolum, ergo frustrà erant in Galgal bobus immolantes: nam & altaria eorum quasi acervi super sulcos agri.

D 12 *Fugit Jacob in regionem Syriæ, & servivit Israël in uxorem, & in uxorem servavit.

*Gen. 28.a.5. *Exod. 14.c.21. 22.

13 * In propheta autem eduxit Dominus Israël de Ægypto: & in propheta servatus est.

14 Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis, & sanguis ejus super eum veniet, & opprobrium ejus restituet ei Dominus suus.

Caput XIII.

Abominationes Israël ostendit, propter quas ipsi minatur exitium: Dominus dicit se solum esse Deum & liberatorem, arguens Israël ingratitudinis de beneficiis in deserto acceptis, gravémque ob id vindictam illis comminatur: addens se eos de morte liberaturum, devictis morte & inferno.

A 1 LOquente Ephraim, horror invasit Israël, & deliquit in Baal, & mortuus est.

2 Et nunc addiderunt ad peccandum: feceruntque sibi conflatile de argento suo quasi similitudinem idolorum, factura artificum totum est: his ipsi dicunt: Immolate homines vitulos adorantes,

3 Idcircò erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario.

B 4 *Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti: & Deum absque me nescies, & salvator non est præter me.

*Isai. 43.b.11.

5 Ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis.

6 Juxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt: & levaverunt cor suum, & obliti sunt mei.

7 Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum.

8 Occurram eis quasi ursa raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum: & consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos.

9 Perditio tua Israël: tantummodò in me auxilium tuum.

10 Ubi est rex tuus? maximè nunc salvet te in C omnibus urbibus tuis; & judices tui, de quibus dixisti: * Da mihi regem, & principes.

*1.Reg. 8.a.5.

11 Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.

12 Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus.

13 Dolores parturientis venient ei: ipse filius D non sapiens: nunc enim non stabit in contritione filiorum.

14 De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: * ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne: consolatio abscondita est ab oculis meis.

*1.Cor. 15.g.54. Heb.2. d.14.

15 Quia ipse inter fratres dividet: * adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem: & siccabit venas ejus, & desolabit fontem ejus, & ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.

*Ezech. 19.d.12.

Caput XIV.

Perditionem annuntiat Israëli, propter ipsius peccata: revocat tamen ad se, & conversis plurima bona promittit.

1 PEreat Samaria, quoniam ad amaritudinem A concitavit Deum suum: in gladio pereant, parvuli eorum elidantur, & fœtæ ejus discindantur.

2 Convertere Israël ad Dominum Deum tuum: quoniam corruisti in iniquitate tua.

3 Tollite vobiscum verba, & convertimini ad B Dominum: & dicite ei: omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: & reddemus vitulos, labiorum nostrorum.

4 Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus ultrà: Dij nostri opera manuum nostrarum: quia ejus, qui in te est, misereberis pupilli.

5 Sanabo contritiones eorum, diligam eos sponteè: quia aversus est furor meus ab eis. C

6 Ero quasi ros, Israël germinabit sicut lilium, & erumpet radix ejus ut Libani.

7 Ibunt rami ejus, & erit quasi oliva gloria ejus, & odor ejus ut Libani.

8 Convertentur sedentes in umbra ejus: vivent tritico, & germinabunt quasi vinea: memoriale ejus sicut vinum Libani.

9 Ephraim quid mihi ultrà idola? ego exaudiam, & dirigam eum ego ut abietem virentem: D ex me fructus tuus inventus est.

10 Quis sapiens, & intelliget ista? intelligens, & sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, & justi ambulabunt in eis: prævaricatores verò corruent in eis.

PROPHE

PROPHETIA JOEL.

Caput Primum.

Joel parabola proposita de eruca, locusta, brucho & rubigine, quattuor plagas contra Judam vaticinando, hortatur omnes & potissimùm sacerdotes, ad planctum, jejunium & orationem, plangens & ipse vastitatem terræ sui.

A 1  ERBUM Domini, quod factum est ad Joel filium Phatuel.

2 Audite hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ: si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum?

3 Super hoc filiis vestris narrate, & filij vestri filiis suis, & filij eorum generationi alteræ.

4 Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.

5 Expergiscimini ebrij, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore vestro.

B 6 Gens enim ascendit super terram meam, fortis & innumerabilis: dentes ejus ut dentes leonis: & molares ejus ut catuli leonis.

7 Posuit vineam meam in desertum, & ficum meam decorticavit: nudans spoliavit eam, & projecit: albi facti sunt rami ejus.

8 Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ.

9 Periit sacrificium & libatio de domo Domini: luxerunt sacerdotes ministri Domini.

10 Depopulata est regio, luxit humus: quoniam devastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum.

C 11 Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super frumento & hordeo, quia periit messis agri.

12 Vinea confusa est, & ficus elanguit: malogranatum, & palma, & malum, & omnia ligna agri aruerunt: quia confusum est gaudium à filiis hominum.

13 Accingite vos, & plangite sacerdotes, ululate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei: quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium & libatio.

D 14 * Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei vestri: & clamate ad Dominum:

*Infr.2. c.15.

15 A a a, diei. quia propè est dies Domini, & quasi vastitas à potente veniet.

16 Numquid non coram oculis vestris alimenta perierunt de domo Dei nostri, lætitia & exultatio?

17 Computruerunt jumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ: quoniam confusum est triticum.

18 Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia non est pascua eis: sed greges pecorum disperierunt.

19 Ad te Domine clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis.

20 Sed & bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te: quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, & ignis devoravit speciosa deserti.

Caput II.

Propheta Judæis crudelitatem hostium suorum denuntiat, & quàm terribilis erit ipsis dies illa; quapropter ad pœnitentiam eos hortatur: & conversis magnam pollicetur Dominus prosperitatem; seque daturum spiritum suum super omnem carnem, & magna prodigia ante diem Domini magnum & terribilem; erit-que salvus omnis qui invocaverit nomen Domini.

1 CAnite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: Quia venit dies Domini, quia propè est. A

2 Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis: quasi manè expansum super montes populus multus & fortis: similis ei non fuit à principio, & post eum non erit usque in annos generationis & generationis.

3 Ante faciem ejus ignis vorans, & post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum.

4 Quasi aspectus equorum, aspectus eorum: & quasi equites sic current.

5 Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exsilient, sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium. B

6 A facie ejus cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam.

7 Sicut fortes current: quasi viri bellatores ascendent murum: viri in viis suis gradientur, & non declinabunt à semitis suis.

8 Unusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt: sed & per fenestras cadent, & non demolientur.

9 Urbem ingredientur, in muro current: domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur.

10 A facie ejus contremuit terra, moti sunt cæli: * sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. C

*Isa.13. b.10. Ezec.32. b.7. Joel. 3.g. 31.3.c. 15. Matt. 24.c.29. Marc. 13.c.24. Luc.21. c.25.

11 Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia & facientia verbum ejus: * magnus enim dies Domini, & terribilis valdè: & quis sustinebit eum?

*Ier. 30. a.7. Amos 5. c.18. Soph.1. d.15. *Ps.85. a.5. Jon. 4. a.2. *Im.3. c.9. *Sup.1. c.14.

12 Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.

13 Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum: * quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.

14 Quis scit si convertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem, sacrificium & libamen Domino Deo vestro?

15 Canite tuba in Sion, * sanctificate jejunium, vocate cœtum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

D 16 Congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, & sugentes ubera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.

17 Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. quare dicunt in populis: Ubi est Deus eorum?

18 Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo:

E 19 Et respondit Dominus, & dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini eis: & non dabo vos ultrà opprobrium in Gentibus.

20 Et eum, qui ab Aquilone est, procul faciam à vobis: & expellam eum in terram inviam & desertam: faciem ejus contra mare Orientale, & extremum ejus ad mare novissimũ: & ascendet fœtor ejus, & ascendet putredo ejus, quia superbè egit.

21 Noli timere terra, exulta & lætare: quoniam magnificavit Dominus ut faceret.

22 Nolite timere animalia regionis: quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus & vinea dederunt virtutẽ suã.

23 Et filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorum justitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio.

24 Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo.

F 25 Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca: fortitudo mea magna, quam misi in vos.

26 Et comedetis vescentes, & saturabimini: & laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum: & non confundetur populus meus in sempiternum.

27 Et scietis quia in medio Israël ego sum: & ego Dominus Deus vester, & non est ampliùs: & non confundetur populus meus in æternum.

Isa. 44. n. 3. Act. 2. c. 17. 28 Et erit post hæc: * Effundam spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt.

G 29 Sed & super servos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.

30 Et dabo prodigia in cælo, & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.

*Sup. 2. b. 10. Matt. 24. c. 29. Luc. 21. c. 25. Act. 2. c. 20. * Rom. 10. c. 13.* 31 * Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.

32 Et erit: * omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit: quia in monte Sion, & in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, & in residuis, quos Dominus vocaverit.

Caput III.

Minatur Dominus afflictionem magnam Gentibus, quæ populum suum afflixerunt, seque omnes in valle Josaphat judicaturum: fons de domo Domini egredietur, & Judæa in æternum inhabitabitur, sanguine ipsius emundato.

A 1 Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo, cùm convertero captivitatem Juda & Jerusalem:

2 Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Josaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hereditate mea Israël quos dispersérunt in nationibus, & terram meam diviserunt.

3 Et super populum meum miserunt sortem: & posuerunt puerum in prostibulo, & puellam vendiderunt pro vino ut biberent.

4 Verùm quid mihi & vobis Tyrus & Sidon, & omnis terminus Palæsthinorum? numquid ultionem vos reddetis mihi? & si ulciscimini vos contra me, citò velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.

5 Argentum enim meum & aurum tulistis: & B desiderabilia mea & pulcherrima intulistis in delubra vestra.

6 Et filios Juda, & filios Jerusalẽ vendidistis filiis Græcorũ, ut longè faceretis eos de finibus suis.

7 Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos: & convertam retributionem vestram in caput vestrum.

8 Et vendam filios vestros, & filias vestras in manibus filiorum Juda, & venumdabunt eos Sabæis genti longinquæ, quia Dominus locutus est.

9 Clamate hoc in Gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos: accedant, ascendant omnes viri bellatores.

10 Concidite aratra vestra in gladios, & ligo- C nes vestros in lanceas. Infirmus dicat: Quia fortis ego sum.

11 Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.

12 Consurgant, & ascendant Gentes in vallem Josaphat: quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu.

13 * Mittite falces, quoniam maturavit messis: venite, & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum. ** Apoc. 14. c. 15.*

14 Populi populi in valle concisionis: quia juxtà est dies Domini in valle concisionis.

15 * Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. ** Sup. 2. b. 10. g. 31.*

16 * Et Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam: & movebuntur cæli, & terra: & Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israël. ** Ier. 25. f. 30. Amos 1. d. 2.*

17 Et scietis quia ego Dominus Deus vester, D habitans in Sion monte sancto meo: & erit Jerusalem sancta, & alieni non transibunt per eam ampliùs.

18 Et erit in die illa: * stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes rivos Juda ibunt aquæ: & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum. ** Amos 9. d. 13.*

19 Ægyptus in desolationem erit, & Idumæa in desertum perditionis: pro eo quòd iniquè egerint in filios Juda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua.

20 Et Judæa in æternum habitabitur, & Jerusalem in generationem & generationem.

21 Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram: & Dominus commorabitur in Sion.

PROPHE

PROPHETIA AMOS.

Caput Primum.

Tempora prophetiæ Amos: ultio Domini in Damascum, Philisthæos, Tyrum, Idumæam, & filios Ammon, quos super quattuor sceleribus non convertet.

A 1 VERBA Amos qui fuit in pastoribus de Thecue: quæ vidit super Israël in diebus Oziæ regis Juda, & in diebus Jeroboam filij Joas regis Israël, * ante duos annos terræ motus. ** Ezech. 14. b. 5. * Ier. 25. f. 30. Ioel. 3. c. 16.*

2 Et dixit: * Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam: & luxerunt speciosa pastorum, & exsiccatus est vertex Carmeli.

3 Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, & super quattuor non convertam eum: eò quòd trituraverint in plaustris ferreis Galaad.

4 Et mittam ignem in domum Azael, & devorabit domos Benadad.

B 5 Et conteram vectem Damasci: & disperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis: & transferetur populus Syriæ Cyrenen, dicit Dominus.

6 Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Gazæ, & super quattuor non convertam eum: eò quòd transtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa.

7 Et mittam ignem in murum Gazæ, & devorabit ædes ejus.

C 8 Et disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone: & convertam manum meam super Accaron, & peribunt reliqui Philisthinorum, dicit Dominus Deus.

9 Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Tyri, & super quattuor non convertam eum: eò quòd concluserint captivitatem perfectam in Idumæa, & non sint recordati fœderis fratrum:

D 10 Et mittam ignem in murum Tyri, & devorabit ædes ejus.

11 Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Edom, & super quattuor non convertam eum: eò quòd persecutus sit in gladio fratrem suum, & violaverit misericordiam ejus, & tenuerit ultrà furorem suum, & indignationem suam servaverit usque in finem.

12 Mittam ignem in Theman: & devorabit ædes Bosræ.

13 Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quattuor non convertam eum: eò quòd dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum.

14 Et succendam ignem in muro Rabba: & devorabit ædes ejus in ululatu in die belli, & in turbine in die commotionis.

15 Et ibit Melchom in captivitatem, ipse, & principes ejus simul, dicit Dominus.

Caput II.

Ultio Domini in Moab, Iudam & Israëlem, hisque minatur interitum, quem effugere non poterunt: quia acceptis beneficiis semper fuerunt ingrati, Deique legem abjecerunt.

1 HÆc dicit Dominus: Super tribus sceleri- A bus Moab: & super quattuor non convertam eum: eò quòd incenderit ossa regis Idumææ usque ad cinerem.

2 Et mittam ignem in Moab, & devorabit ædes Carioth: & morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ:

3 Et disperdam judicem de medio ejus, & omnes principes ejus interficiam cum eo, dicit Dominus.

4 Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleri- B bus Juda, & super quattuor non convertam eum: eò quòd abjecerit legem Domini, & mandata ejus non custodierit: deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierant patres eorum.

5 Et mittam ignem in Juda, & devorabit ædes Jerusalem.

6 Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Israël, & super quattuor non convertam eum: pro eo quòd vendiderit pro argento justum, & pauperem pro calceamentis.

7 Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant: & filius ac pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum.

8 Et super vestimentis pignoratis accubuerunt C juxta omne altare: & vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.

9 * Ego autem exterminavi Amorrhæum à fa- ** Num. 21. c. 24. Deut. 2.* cie eorum: cujus altitudo, cedrorum altitudo ejus, *c. 24.* & fortis ipse quasi quercus: & contrivi fructum ejus desuper, & radices ejus subter.

10 * Ego sum, qui ascendere vos feci de Ter- ** Ex. 14. c. 21. Deut. 8. a. 2.* ra Ægypti, & duxi vos in deserto quadraginta annis, ut possideretis Terram Amorrhæi.

11 Et suscitavi de filiis vestris in prophetas, & de juvenibus vestris nazaræos: numquid non ita est filij Israël, dicit Dominus?

12 Et propinabitis nazaræis vinum: & pro- D phetis mandabitis, dicentes: Ne prophetetis.

13 Ecce ego stridebo subter vos, sicut strider plaustrum onustum fœno.

14 Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non salvabit animam suam:

15 Et tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non salvabitur: & ascensor equi non salvabit animam suam:

16 Et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit Dominus.

Caput III.

Domum Israël populum olim unicè electum arguit variorum scelerum: ex quibus paucos dicit servandos in superventura afflictione, quam ipsis comminatur.

1 AUdite verbum, quod locutus est Dominus A super vos, filij Israël: super omnem cognationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem, quam eduxi de terra Ægypti, dicens:
2 Tantummodò vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ: idcircò visitabo super vos omnes iniquitates vestras.
3 Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis?
4 Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?
B 5 Numquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe? numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit?
6 Si clanget tuba in civitate, & populus non expavescet? si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?
7 Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretũ suum ad servos suos prophetas.
8 Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?
C 9 Auditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus Terræ Ægypti: & dicite: Congregamini super montes Samariæ, & videte insanias multas in medio ejus, & calumniam patientes in penetralibus ejus.
10 Et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem & rapinas in ædibus suis.
11 Propterea hæc dicit Dominus Deus: Tribulabitur, & circuietur terra: & detrahetur ex te fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ.
D 12 Hæc dicit Dominus: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic eruentur filij Israël, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, & in Damasci grabato.
13 Audite, & contestamini in domo Jacob, dicit Dominus Deus exercituum:
14 Quia in die cùm visitare cœpero prævaricationes Israël, super eum visitabo, & super altaria Bethel: & amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram.
15 Et percutiam domum hiemalem cum domo æstiva: & peribunt domus eburneæ, & dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.

Caput IV.

Invehitur sub typo vaccarum pinguium in iniquos primates Samariæ, ipsorum subsannans idololatriam: & quia filij Israël variis flagellis à peccatis suis revocari non potuerunt, minatur eis Dominus similia his quæ priùs passi fuerant; hortando ut ad Deum omnipotentem convertantur.

A 1 Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis vestris: Afferte, & bibemus.
2 Juravit Dominus Deus in sancto suo: quia ecce dies venient super vos, & levabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis ferventibus.
3 Et per aperturas exibitis altera contra alteram, & projiciemini in Armon, dicit Dominus.
4 Venite ad Bethel, & impiè agite: ad Galgalam, & multiplicate prævaricationẽ: & afferte manè victimas vestras, tribus diebus decimas vestras.
5 Et sacrificate de fermentato laudem: & vocate voluntarias oblationes, & annuntiate: sic enim voluistis filij Israël, dicit Dominus Deus.
6 Unde & ego dedi vobis stuporem dentium in B cunctis urbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris: & non estis reversi ad me, dicit Dominus.
7 Ego quoque prohibui à vobis imbrem, cùm adhuc tres menses superessent usque ad messem: & plui super unam civitatem, & super alteram civitatem non plui: pars una compluta est; & pars super quam non plui, aruit.
8 Et venerunt duæ & tres civitates ad unam civitatem ut biberent aquam, & non sunt satiatæ: & non redistis ad me, dicit Dominus.
C 9 * Percussi vos in vento urente, & in aurugine, multitudinem hortorum vestrorum, & vinearum vestrarum: oliveta vestra, & ficeta vestra comedit eruca: & non redistis ad me, dicit Dominus. *Agg.2. c.18.
10 Misi in vos mortem in via Ægypti, percussi in gladio juvenes vestros, usque ad captivitatem equorum vestrorum: & ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras: & non redistis ad me, dicit Dominus.
D 11 Subverti vos, * sicut subvertit Deus Sodomam & Gomorrhã, & facti estis quasi torris raptus ab incendio: & non redistis ad me, dicit Dominus. *Gen.19. c.24.
12 Quapropter hæc faciam tibi Israël: postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israël.
13 Quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuntians homini eloquium suum, faciẽs matutinam nebulam, & gradiens super excelsa terræ: Dominus Deus exercituum nomen ejus.

Caput V.

Luget casum Israëlis Propheta, revocans eos ad quærendum Dominum, ut ita possint evadere afflictiones suis peccatis debitas, propter quas ubique planctus erit: odit Dominus festivitates ac sacrificia eorum, quibus propter idololatriam minatur captivitatem.

A 1 Audite verbum istud, quod ego levo super vos planctum: Domus Israël cecidit, & non adjiciet ut resurgat.
2 Virgo Israël projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam.
3 Quia hæc dicit Dominus Deus: Urbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum: & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israël.
4 Quia hæc dicit Dominus domui Israël: Quærite me, & vivetis.
B 5 Et nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare, & in Bersabee non transibitis: quia Galgala captiva ducetur, & Bethel erit inutilis.
6 Quærite Dominum, & vivite: ne fortè comburatur ut ignis domus Joseph, & devorabit, & non erit qui extinguat Bethel.
7 Qui convertitis in absynthium judicium, & justitiam in terra relinquitis.
8 Facientem Arcturum & Orionem, & convertentem in manè tenebras, & diem in noctem mutantem: * qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ: Dominus nomen est ejus. *Infr.9. b.6.
C 9 Qui subridet vastitatem super robustum, & depopulationem super potentem affert.
10 Odio habuerunt corripientem in porta: & loquentem perfectè abominati sunt.
11 Idcircò,

*Soph.1. c.13. 11 Idcircò, pro eo quòd diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo: * domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas; & non bibetis vinum earum.
12 Quia cognovi multa scelera vestra, & fortia peccata vestra: hostes justi accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta:
13 Ideò prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.
D 14 Quærite bonum, & non malum, ut vivatis: & erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis:
*Ps.96. b.10. Rom.12. b.9. 15 * Odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta judicium: si fortè misereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Joseph.
16 Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator: In omnibus plateis planctus: & in cunctis, quæ foris sunt, dicetur væ væ: & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos qui sciunt plangere.
E 17 Et in omnibus vineis erit planctus: quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus.
*Ier.30. a.7. Joel 2. c.11. Soph.1. d.15. 18 * Væ desiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebræ, & non lux.
19 Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei ursus: & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietẽ, & mordeat eum coluber.
20 Numquid non tenebræ dies Domini, & non lux: & caligo, & non splendor in ea?
F 21 *Odi, & projeci festivitates vestras: & non capiam odorem cœtuum vestrorum.
*Isaiæ.1. c.11. Ier.6. c.20. Malac.1. d.12. 22 Quòd si obtuleritis mihi holocautomata, & munera vestra, non suscipiam: & vota pinguium vestrorum non respiciam.
23 Aufer à me tumultum carminum tuorum. & cantica lyræ tuæ non audiam.
24 Et revelabitur quasi aqua judicium, & justitia quasi torrens fortis.
G 25 * Numquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israël?
*Act.7. c.42. 26 Et portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.
27 Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus Deus exercituum nomen ejus.

Caput VI.

Comminatur Dominus superbis, & in deliciis agentibus exitium ac transmigrationem, una cum reliquo populo Israël; cujus detestatur superbiam.

A 1 Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël. Luc.6. d.24.
2 Transite in Chalane, & videte, & ite inde in Emath magnam: & descendite in Geth Palæsthinorum: & ad optima quæque regna horum: si latior terminus eorum termino vestro est.
3 Qui separati estis in diem malum: & appropinquatis solio iniquitatis.
4 Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.
5 Qui canitis ad vocem psalterij: sicut David putaverunt se habere vasa cantici.
B 6 Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Joseph.
7 Quaproter nunc migrabunt in capite transmigrantium: & auferetur factio lascivientium.
*Ier.51. b.14. 8 * Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum: Detestor ego superbiam Jacob, & domos ejus odi, & tradam civitatem cum habitatoribus suis.
9 Quòd si reliqui fuerint decem viri in domo una, & ipsi morientur.
C 10 Et tollet eum propinquus suus, & comburet eum, ut efferat ossa de domo: & dicet ei, qui in penetralibus domus est: Nũquid adhuc est penes te?
11 Et respondebit: Finis est. Et dicet ei: Tace, & non recorderis nominis Domini.
12 Quia ecce Dominus mandabit, & percutiet domum majorem ruinis, & domum minorem scissionibus.
D 13 Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis, quoniam convertistis in amaritudinem judicium, & fructum justitiæ in absinthium?
14 Qui lætamini in nihilo: qui dicitis: Numquid non in fortitudine nostra assũpsimus nobis cornua?
15 Ecce enim suscitabo super vos domus Israël, dicit Dñs Deus exercituum, gentem: & conteret vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti.

Caput VII.

Deprecatur Propheta pœnas quas videt imminere; & Dominus comminatur captivitatem, quam Amos sub parabola trullæ cæmentarij vaticinatur, adversante licet Amasia sacerdote Bethel: qui coram rege Israël accusat Amos, suadens ipsi Amos ut eat prophetatum in terram Iuda: sed ostendit se factum à Domino prophetam ut super Israël prophetaret, qui & Amasiæ & Israëli vaticinatur afflictiones.

A 1 Hæc ostendit mihi Dñs Deus: & ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, & ecce serotinus post tonsionem regis.
2 Et factum est: cùm consummasset comedere herbam terræ, dixit: Domine Deus propitius esto, obsecro: quis suscitabit Jacob, quia parvulus est?
3 Misertus est Dominus super hoc: Non erit, dixit Dominus.
4 Hæc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus: & devoravit abyssum multã, & comedit simul partem.
5 Et dixi: Domine Deus quiesce obsecro: quis suscitabit Jacob, quia parvulus est?
6 Misertus est Dominus super hoc: Sed & istud non erit, dixit Dominus Deus.
B 7 Hæc ostendit mihi Dominus: & ecce Dominus stans super murum litum, & in manu ejus trulla cæmentarij.
8 Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Amos? Et dixi: Trullam cæmentarij. Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israël: non adjiciam ultrà superinducere eum.
9 Et demolientur excelsa idoli, & sanctificationes Israël desolabuntur: & consurgam super domum Jeroboam in gladio.
C 10 Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Jeroboam regem Israël, dicens: Rebellavit contra te Amos in medio domus Israël: non poterit terra sustinere

Universidad de Deusto
Biblioteca

sustinere universos sermones ejus.

12 Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Jeroboam, & Israël captivus migrabit de terra sua:

12 Et dixit Amasias ad Amos: Qui vides, gradere, fuge in terram Juda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi.

13 Et in Bethel non adjicies ultrà ut prophetes: quia sanctificatio regis est, & domus regni est.

D 14 Respondítque Amos, & dixit ad Amasiam: Non sum propheta, & non sum filius prophetæ: sed armentarius ego sum vellicans sycomoros.

15 Et tulit me Dominus cùm sequerer gregem: & dixit Dominus ad me: Vade propheta ad populum meum Israël.

16 Et nunc audi verbum Domini: Tu dicis: Non prophetabis super Israël, & non stillabis super domum idoli.

17 Propter hoc, hæc dicit Dominus: Uxor tua in civitate fornicabitur: & filij tui & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur: & tu in terra polluta morieris, & Israël captivus migrabit de terra sua.

Caput VIII.

Amos sub parabola uncini pomorum prophetat finem imminere regni Israël, propter pauperum oppressiones: acerbitatem vero imminentis calamitatis explicat: ac festivitates eorum dicit in luctum convertendas, famémque verbi Dei futuram denuntiat.

A 1 Hæc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce uncinus pomorum.

2 Et dixit: Quid tu vides Amos? Et dixi: Uncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: Venit finis super populum meum Israël: non adjiciam ultrà ut pertranseam eum.

3 Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus: multi morientur: in omni loco projicietur silentium.

4 Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ,

B 5 Dicentes: Quando transibit mensis, & venumdabimus merces; & sabbatum, & aperiemus frumentum: ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas,

6 Ut possideamus in argento egenos & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus?

7 Juravit Dominus in superbiam Jacob: Si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum.

C 8 Numquid super isto non commovebitur terra, & lugebit omnis habitator ejus: & ascendet quasi fluvius universus, & ejicietur, & defluet quasi rivus Ægypti?

9 Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis:

Tob. 2. b. 6. 1. Mach. 1. d. 41. 10 *Et convertam festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum: & inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput calvitium: & ponam eam quasi luctum unigeniti, & novissima ejus quasi diem amarum.

D 11 Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.

12 Et commovebuntur à Mari usque ad mare, & ab Aquilone usque ad Orientem: circuibunt quærentes verbum Domini, & non invenient.

13 In die illa deficient virgines pulchræ, & adolescentes in siti.

14 Qui jurant in delicto Samariæ, & dicunt: Vivit Deus tuus Dan, & vivit via Bersabee: & cadent, & non resurgent ultrà.

Caput IX.

Vastaturum se dicit Dominus impios, sic ut nulli pateat effugium; posteà tamen suscitabit tabernaculum Davíd, & captivitatem filiorum Israel convertet cum magna ipsorum felicitate:

1 Vidi Dominum stantem super altare, & dixit: Percute cardinem, & commoveantur superliminaria: avaritia enim in capite omnium, & novissimum eorum in gladio interficiam: non erit fuga eis. Fugiēt, & non salvabitur ex eis qui fugerit. A

2 * Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos: & si ascenderint usque in cælum, inde detraham eos. **Psal. 138. b. 8.*

3 Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: & si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos.

4 Et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos: & *ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum. **Jer. 44. c. 11.*

5 Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, & tabescet: & lugebunt omnes habitantes in ea: & ascendet sicut rivus omnis, & defluet sicut fluvius Ægypti. B

6 Qui ædificat in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundavit: * qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen ejus. **Supr. 5. b. 8.*

7 Numquid non ut filij Æthiopum vos estis mihi, filij Israël, ait Dominus? numquid non Israël ascendere feci de Terra Ægypti: & Palæsthinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene?

8 Ecce oculi Domini Dei super regnū peccans, & conteram illud à facie terræ: Verumtamen conterens non conterā domum Jacob, dicit Dominus. C

9 Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israël, sicut concutitur triticū in cribro: & non cadet lapillus super terram.

10 In gladio morientur omnes peccatores populi mei: qui dicunt: Non appropinquabit, & non veniet super nos malum.

11 In die illa * suscitabo tabernaculum David, quod cecidit: & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea quæ corruerant instaurabo: & reædificabo illud sicut in diebus antiquis. **1. Esd. 15. c. 16.*

12 Ut possideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eò quòd invocatum sit nomen meum super eos: dicit Dominus faciens hæc.

13 Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & comprehendet arator messorem, & calcator uvæ mittentem semen: * stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. D **Joel. 3. d. 18.*

14 Et convertam captivitatem populi mei Israël: & ædificabunt civitates desertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum.

15 Et plantabo eos super humum suam: & non evellam eos ultrà de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.

PROPHE

PROPHETIA ABDIÆ.

Vaticinatur exitium adversus Idumæos qui affligebant ac subsannabant filios Israël: qui tamen reducti, dominium accipient in eos qui ipsos afflixerant.

A *Jer. 49. v. 14.* 1  ISIO Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom: * Auditum audimus à Domino, & legatum ad gentes misit: Surgite, & consurgamus adversus eum in prælium.

2 Ecce parvulum dedi te in Gentibus: contemptibilis tu es valdè.

3 Superbia cordis tui extulit te habitantem in
B scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram?

4 Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus.

5 Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? nónne furati essent sufficientia sibi? si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?

6 Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus?

7 Usque ad terminum emiserunt te: omnes viri fœderis tui illuserunt tibi: invaluerunt adver-
C sum te viri pacis tuæ: qui comedunt tecum, ponent insidias subter te: non est prudentia in eo.

8 * Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau? ** Isai. 29. c. 14. 1. Cor. 1. c. 19.*

9 Et timebunt fortes tui à Meridie, ut intereat vir de monte Esau.

**Gen. 27. g. 42.* 10 * Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, & peribis in æternum.

D 11 In die cùm stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portas ejus, & super Jerusalem mittebant sortem: tu quoque eras quasi unus ex eis.

12 Et non despicies in die fratris tui, in die peregrinationis ejus: & non lætaberis super filios Juda in die perditionis eorum: & non magnificabis os tuum in die angustiæ.

13 Neque ingredieris portam populi mei in die E
ruinæ eorum: neque despicies & tu in malis ejus in die vastitatis illius: & non emittēris adversus exercitum ejus in die vastitatis illius.

14 Neque stabis in exitibus ut interficias eos qui fugerint: & non concludes reliquos ejus in die tribulationis.

15 Quoniam juxtà est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet tibi: retributionem tuam convertet in caput tuum.

16 Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes Gentes jugiter: & F
bibent, & absorbebunt, & erunt quasi non sint.

17 Et in monte Sion erit salvatio, & erit sanctus: & possidebit domus Jacob eos qui se possederant.

18 Et erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esau stipula: & succendentur in eis, & devorabunt eos: & non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est.

19 Et hereditabunt hi qui ad Austrum sunt, G
montem Esau, & qui in campestribus Philisthiim: & possidebunt regionem Ephraim, & regionem Samariæ: & Benjamin possidebit Galaad.

20 Et transmigratio exercitus hujus filiorum Israël, omnia loca Chananæorum usque ad Sareptam: & transmigratio Jerusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates Austri.

21 Et ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau: & erit Domino regnum.

PROPHETIA JONÆ.

Caput Primum.

Jonas à Domino missus ut in Ninive prædicaret, navigio fugit in Tharsis à facie Domini: quo immittente in navim tempestatem, jactísque sortibus, deprehensus Jonas in mare mittitur, cessátque tempestas.

A 1  T factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens:

2 Surge, & vade in Niniven civitatem grandem, & prædica in ea: quia ascendit malitia ejus coram me.

3 Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis à facie Domini, & descendit in Joppen, & invenit navem euntem in Tharsis: & dedit naulum ejus, & descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis à facie Domini.

B 4 Dominus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri.

5 Et timuerunt nautæ, & clamaverunt viri ad deum suum: & miserunt vasa, quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis: & Jonas descendit ad interiora navis, & dormiebat sopore gravi.

6 Et accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, & non pereamus.

7 Et dixit vir ad collegam suum: Venite, & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes: & cecidit sors super Jonam. C

8 Et dixerunt ad eum: Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua, & quò vadis? vel ex quo populo es tu?

9 Et dixit ad eos: Hebræus ego sum, & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

16 Et timuerunt viri timore magno, & dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? (cognoverunt enim viri quod à facie Domini fugeret, quia indicaverat eis.)

11 Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? quia mare ibat, & intumescebat.

D 12 Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.

13 Et remigabant viri ut reverterentur ad aridam, & non valebant: quia mare ibat, & intumescebat super eos.

14 Et clamaverunt ad Dominum, & dixerunt: Quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu Domine, sicut voluisti, fecisti.

15 Et tulerunt Jonam, & miserunt in mare: & stetit mare à fervore suo.

16 Et timuerunt viri timore magno Dominũ, & immolaverunt hostias Domino, & voverunt vota.

Caput II.

Jonas à ceto quem Dominus præparaverat absorptus fuit in eo tribus diebus & tribus noctibus, cumque de ventre ejus orasset Dominum, ipsius jussu in aridam evomitur.

A 1 ET præparavit Dominus piscem grandem ut deglutiret Jonam. * & erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. *Matt. 12.c.40. 16.c.4. Luc.11. d.30. 1.Cor.15. a.4.*

2 Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis.

3 Et dixit: * Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me: de ventre inferi clamavi, & exaudisti vocem meam. *Psal.119. a.1.*

B 4 Et projecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluxus tui super me transierunt.

5 Et ego dixi: Abjectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum:

6 *Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me: pelagus operuit caput meum. *Psal.68. a.2.*

7 Ad extrema montium descendi: terræ vectes concluserunt me in æternum: & sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.

8 Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum: ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

9 Qui custodiunt vanitates frustrà, misericordiam suam derelinquunt.

10 Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.

11 Et dixit Dominus pisci: & evomuit Jonam in aridam.

Caput III.

Rursum missus Jonas ad Ninivitas prædicit civitatis subversionem: illis autem ad Deum conversis, & magna pœnitentiæ signa ostendentibus, parcit Dominus civitati.

A 1 ET factum est verbum Domini ad Jonam secundò, dicens:

2 Surge, & vade in Niniven civitatem magnã: & prædica in ea prædicationẽ, quam ego loquor ad te.

3 Et surrexit Jonas, & abiit in Niniven juxta verbum Domini: & Ninive erat civitas magna itinere trium dierum.

4 Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere B diei unius: & clamavit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.

5 * Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum: & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem. *Matt. 12.d.41. Luc.11. d.32.*

6 Et pervenit verbum ad regem Ninive: & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.

7 Et clamavit, & dixit in Ninive ex ore regis & principum ejus, dicens: Homines, & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam: nec pascantur, & aquam non bibant.

8 Et operiantur saccis homines, & jumenta, & C clament ad Dominum in fortitudine, & convertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum.

9 * Quis scit si convertatur & ignoscat Deus: & revertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? *Jer. 18. b.11. Joel 2. c.14.*

10 Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiã, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.

Caput IV.

Afflictus Jonas quia vaticinium suum adversus Ninivem videbat non impleri, mortem optat: veniam à Domino corripitur, qui injustam ipsius indignationem convincit, quòd putaret se rectè dolere de arefacta hedera, & tamen noluerit Dominum parcere Ninive civitati maximæ, in qua erant plus quàm 120000. eorum qui non peccaverant.

1 ET afflictus est Jonas afflictione magna, & ira- A tus est:

2 Et oravit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, numquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis. * Scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. *Psal.85. a.5. Joel 2. a.13.*

3 Et nunc Domine tolle quæso animam meam B à me: quia melior est mihi mors quàm vita.

4 Et dixit Dominus: Putásne benè iraseris tu?

5 Et egressus est Jonas de civitate, & sedit contra Orientem civitatis: & fecit sibimet umbraculum ibi, & sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati.

6 Et præparavit Dominus Deus hederam, & C ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, & protegeret eum (laboraverat enim) & lætatus est Jonas super hedera, lætitia magna.

7 Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum: & percussit hederam, & exaruit.

8 Et cùm ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido & urenti: & percussit sol super caput Jonæ, & æstuabat: & petivit animæ suæ ut moreretur, & dixit: Melius est mihi mori, quàm vivere.

9 Et dixit Dominus ad Jonam: Putásne benè D iraseris tu super hedera? Et dixit: Benè irascor ego usque ad mortem.

10 Et dixit Dominus: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret: quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte periit.

11 Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam, & jumenta multa.

PROPHE

PROPHETIA MICHÆÆ.

Caput Primum.

Quo tempore Michæas prophetaverit: comminatur Samariæ & Jerusalem exitium & captivitatem propter idololatriam ipsorum: quos plangit Propheta & ad planctum provocat.

A 1  VERBUM Domini quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diebus Joathan, Achaz, & Ezechiæ, regum Juda; quod vidit super Samariam, & Jerusalem.

Deut. 32.a.1. Isa. 1. a.2. 2 * Audite populi omnes, & attendat terra, & plenitudo ejus: & sit Dominus Deus vobis in testem, Dominus de templo sancto suo.

Isa.26. d.21. 3 * Quia ecce Dominus egredietur de loco suo: & descendet, & calcabit super excelsa terræ.

B 4 Et consumentur montes subtus eum: & valles scindentur sicut cera à facie ignis, & sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps.

5 In scelere Jacob omne istud, & in peccatis domus Israël. quod scelus Jacob? nónne Samaria? & quæ excelsa Judæ? nónne Jerusalem?

6 Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro cùm plantatur vinea: & detraham in vallem lapides ejus, & fundamenta ejus revelabo.

7 Et omnia sculptilia ejus concidentur, & omnes mercedes ejus comburentur igne, & omnia idola ejus ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata sunt, & usque ad mercedem meretricis revertentur.

C 8 Super hoc plangam, & ululabo: vadam spoliatus, & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.

9 Quia desperata est plaga ejus, quia venit usque ad Judam, tetigit portam populi mei usque ad Jerusalem.

10 In Geth nolite annuntiare, lacrymis ne ploretis, in domo Pulveris pulvere vos conspergite.

11 Et transite vobis habitatio Pulchra, confusa ignominia: non est egressa quæ habitat in exitu: planctum Domus vicina accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet.

12 Quia infirmata est in bonum, quæ habitat in amaritudinibus: quia descendit malum à Domino in portam Jerusalem.

D 13 Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis: principium peccati est filiæ Sion, quia in te inventa sunt scelera Israël.

14 Propterea dabit emissarios super hereditatem Geth: domus mendacij in deceptionem regibus Israël.

15 Adhuc heredem adducam tibi quæ habitas in Maresa: usque ad Odollam veniet gloria Israël.

16 Decalvare, & tondere super filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum sicut aquila: quoniam captivi ducti sunt ex te.

Caput II.

Propheta populi sui multiplicem injustitiam, aliáque peccata recensens, prædicit vindictam & captivitatem ipsi imminere; & ob id lugens, reliquiarum futuram congregationem denuntiat.

1 VÆ qui cogitatis inutile, & operamini malũ A in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorũ.

2 Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos: & calumniabantur virum, & domum ejus; virum & hereditatem ejus.

3 Idcircò hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super familiam istam malum: unde non auferetis colla vestra, & non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est.

4 In die illa sumetur super vos parabola, & can- B tabitur canticum cum suavitate, dicentium: Depopulatione vastati sumus: pars populi mei commutata est: quomodo recedet à me, cùm revertatur, qui regiones nostras dividat?

5 Propter hoc non erit tibi mittens funiculum sortis in cœtu Domini.

6 Ne loquamini loquentes: Non stillabit super istos, non comprehendet confusio.

7 Dicit domus Jacob: Numquid abbreviatus est spiritus Dñi, aut tales sũt cogitationes ejus? Nónne verba mea bona sunt cum eo, qui rectè graditur?

8 Et è contrario populus meus in adversarium C consurrexit: desuper tunica pallium sustulistis: & eos, qui transibant simpliciter, convertistis in bellum.

9 Mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum: à parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum.

10 Surgite, & ite, quia non habetis hîc requiem: propter immunditiam ejus corrumpetur putredine pessima.

11 Utinam non essem vir habens spiritum, & D mendacium potiùs loquerer: stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem: & erit super quem stillatur populus iste.

12 Congregatione congregabo Jacob totum te: in unum conducam reliquias Israël, pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularũ, tumultuabũtur à multitudine hominum.

13 Ascendet enim pandens iter ante eos: dividunt, & transibunt portam, & ingredientur per eam: & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.

Caput III.

Propter peccata principum, judicum, pseudoprophetarum ac sacerdotum populi Israël, comminatur Dominus gravem ultionem & Jerosolymæ delectionem.

1 ET dixi: Audite principes Jacob, & duces A domus Israël: Numquid non vestrum est scire judicium,

2 Qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum?

3 Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt: & ossa eorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

confregerunt, & conciderunt sicut in lebête, & quasi carnem in medio ollæ.

4 Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos: & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis.

5 Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem: & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium.

6 Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro divinatione: & occumbet sol super prophetas, & obtenebrabitur super eos dies.

7 Et confundentur qui vident visiones, & confundentur divini: & operient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei.

8 Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio, & virtute: ut annuntiem Jacob scelus suum, & Israël peccatum suum.

9 Audite hoc principes domus Jacob, & judices domus Israël: quia abominamini judicium, & omnia recta pervertitis.

10 Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Jerusalem in iniquitate.

11 * Principes ejus in muneribus judicabant, & sacerdotes ejus in mercede docebant, & prophetæ ejus in pecunia divinabant: & super Dominum requiescebant, dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrûm? non venient super nos mala.

12 Propter hoc, causa vestri, * Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa silvarum.

* Exec. 22.f.27. Soph. 3. a.3.
* Ier.26. f. 18.

Caput IV.

Tempore gratiæ plurimæ nationes accedent ad Ecclesiam & cultum Dei, cum magna securitate: consolatur Sion quòd de captivitate sit à Domino redimenda, ut se de suis inimicis ulciscatur.

1 Et erit: * In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi.

2 Et properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob: & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem.

3 Et judicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longinquum: & concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gens adversus gentem gladium: & non discent ultrà belligerare.

4 Et sedebit vir subtus vitem suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat: quia os Domini exercituum locutum est.

5 Quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum & ultrà.

6 In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: & eam, quam ejeceram, colligam; & quam afflixeram:

7 * Et ponam claudicantem in reliquias: & eam, quæ laboraverat, in gentem robustam: * & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & usque in æternum.

8 Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion usque ad te veniet, & veniet potestas prima regnum filiæ Jerusalem.

9 Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem?

10 Dole, & satage filia Sion quasi parturiens: quia nunc egredieris de civitate, & habitabis in regione, & venies usque ad Babylonem: ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.

11 Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur: & aspiciat in Sion oculus noster.

12 Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini, & non intellexerunt consilium ejus: quia congregavit eos quasi fœnum areæ.

13 Surge, & tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas: & comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino universæ terræ.

* Dan. 7.d.14. Luc. 1. d. 32.
* Isa. 2. a. 2.
* Soph. 3. d. 19.

Caput V.

Imminens urbis Ierusalem vastatio ostenditur, & Christus in Bethlehem nasciturus: reliquiæ Israël exaltabuntur, devictis inimicis, & ablata ab ipsis idololatria.

1 Nunc vastaberis filia latronis: obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam judicis Israël:

2 * Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.

3 Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet: & reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israël.

4 Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui: & convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ.

5 Et erit iste pax: cùm venerit Assyrius in terram nostram, & quando calcaverit in domibus nostris: & suscitabimus super eum septem pastores, & octo primates homines.

6 Et pascent terram Assur in gladio, & terram Nemrod in lanceis ejus: & liberabit ab Assur cùm venerit in terram nostram, & cùm calcaverit in finibus nostris.

7 Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam, quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum.

8 Et erunt reliquiæ Jacob in Gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum: qui cùm transierit, & conculcaverit, & ceperit, non est qui eruat.

9 Exaltabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt.

10 Et erit in die illa, dicit Dominus: Auferã equos tuos de medio tui, & disperdam quadrigas tuas.

* Matt. 2.a. 6. Ioan. 7. f. 42.

11 Et

11 Et perdam civitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas, & auferam maleficia de manu tua, & divinationes non erunt in te.

12 Et perire faciam sculptilia tua, & statuas tuas de medio tui: & non adorabis ultrà opera manuum tuarum.

13 Et evellam lucos tuos de medio tui: & conteram civitates tuas.

14 Et faciam in furore & in indignatione ultionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.

Caput VI.

Disceptat Dominus cum ingratis, recensens collata illis beneficia, indicans etiam quid sit bonum, & quid Dominus à populo suo requirat: sed propter injustitiam aliáque scelera filiorum Israël comminatur eis Dominus varias afflictiones.

1 Audite quæ Dominus loquitur: Surge, contende judicio adversum montes, & audiant colles vocem tuam.

2 Audiant montes judicium Domini, & fortia fundamenta terræ: quia judicium Domini cum populo suo, & cum Israël dijudicabitur.

3 * Populo meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.

4 Quia eduxi te de Terra Ægypti, & de domo servientium liberavi te: & misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam?

5 * Populo meus memento quæso quid cogitaverit Balach rex Moab, & quid responderit ei Balaam filius Beor, de Setim usque ad Galgalam, ut cognosceres justitias Domini.

6 Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? numquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos?

7 Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?

8 Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.

9 Vox Domini ad civitatem clamat, & salus erit timentibus nomen tuum: Audite tribus, & quis approbabit illud?

10 Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena.

11 Numquid justificabo stateram impiam, & saccelli pondera dolosa?

12 In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum.

13 Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis.

14 Tu comedes, & non saturaberis: & humiliatio tua in medio tui: & apprehendes, & non salvabis: & quos salvaveris, in gladium dabo.

15 * Tu seminabis, & non metes: tu calcabis olivam, & non ungêris oleo; & mustum, & non bibes vinum.

16 Et custodisti præcepta Amri, & omne opus domus Achab, & ambulasti in voluntatibus eorũ, ut darem te in perditionem, & habitantes in ea in sibilum: & opprobrium populi mei portabitis.

* Ier. 2. a. 5.
* Num. 22. & 23.
* Deut. 28.d.38. Agg. 1. b. 6.

Caput VII.

Luget propheta tam paucos esse reliquos qui non sint iniqui: in nullo homine ostendit esse confidendum, sed in solo Deo salvatore: qui miserebitur Sion: & pudefactis inimicis, eam ad se reducet, complens factas ad patres promissiones.

1 Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea.

2 Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur.

3 Malum manuum suarum dicunt bonum: princeps postulat, & judex in reddendo est: & magnus locutus est desiderium animæ suæ, & conturbaverunt eam.

4 Qui optimus in eis est, quasi paliurus: & qui rectus, quasi spina de sepe. Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit: nunc erit vastitas eorum.

5 Nolite credere amico: & nolite confidere in duce: ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.

6 * Quia filius contumeliã facit patri, & filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam: * & inimici hominis domestici ejus.

7 Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum salvatorem meum: audiet me Deus meus.

8 Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est.

9 Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum: educet me in lucem: videbo justitiam ejus.

10 Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione, quæ dicit ad me. Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem ut lutum platearum.

11 Dies, ut ædificentur maceriæ tuæ: in die illa longè fiet lex.

12 In die illa & usque ad te veniet de Assur, & usque ad civitates munitas; & à civitatibus munitis usque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte.

13 Et terra erit in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationum eorum.

14 Pasce populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuę, habitãtes solos in saltu, in medio Carmeli: pascẽtur Basan & Galaad juxta dies antiquos.

15 Secundùm dies egressionis tuæ de Terra Ægypti ostendam ei mirabilia.

16 Videbunt gentes, & confundentur super omni fortitudine sua: ponent manum super os aures eorum surdæ erunt.

17 Lingent pulverem sicut serpentes, velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus suis: Dominum Deum nostrum formidabunt, & timebunt te.

18 * Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ? non immittet ultrà furorem suum, quoniam volens misericordiam est.

19 Revertetur, & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.

20 Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham: quę juraſti patribus nostris à diebus antiquis.

* Matt. 10.d.35.
* Matt. 10.d.36.
* Ier. 10. a. 6. Act. 10. g. 43.

PROPHETIA NAHUM.

Caput Primum.

Zelus Dei adversus hostes suos, qui patiens est & fortitudine magnus, cujus iræ nemo potest resistere, & in se sperantium est liberator, sulque populi hostes est consumpturus.

A 1  NUS Ninive : Liber visionis Nahum Elcesæi.

2 Deus æmulator, & ulciscens Dominus : ulciscens Dominus, & habens furorem : ulciscens Dominus in hostes suos : & irascens ipse inimicis suis.

3 Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate & turbine viæ ejus, & nebulæ pulvis pedum ejus.

4 Increpans mare, & exsiccans illud : & omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan, & Carmelus : & flos Libani elanguit.

B 5 Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt : & contremuit terra à facie ejus, & orbis, & omnes habitantes in eo.

6 Ante faciem indignationis ejus quis stabit? & quis resistet in ira furoris ejus? indignatio ejus effusa est ut ignis : & petræ dissolutæ sunt ab eo.

7 Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis : & sciens sperantes in se.

C 8 Et in diluvio prætereunte, consummationem faciet loci ejus : & inimicos ejus persequentur tenebræ.

9 Quid cogitatis contra Dominum? consummationem ipse faciet : non consurget duplex tribulatio.

10 Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium : consumentur quasi stipula ariditate plena.

11 Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam : mente pertractans prævaricationem.

D 12 Hæc dicit Dominus : Si perfecti fuerint, & ita plures; sic quoque attondentur, & pertransibit : afflixi te, & non affligam te ultrà.

13 Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo, & vincula tua disrumpam.

14 Et præcipiet super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius : de domo Dei tui interficiam sculptile, & conflatile, ponam sepulchrum tuum, quia ignoratus es.

Isai. 52. b. 7. Rom. 10. c. 15. 15 * Ecce super montes pedes evangelizantis, & annuntiantis pacem : celebra Juda festivitates tuas, & redde vota tua : quia non adjiciet ultrà ut pertranseat in te Belial : universus interiit.

Caput II.

Obsidio Ninive ejusque à Chaldæis depopulatio, quia superbè egit contra populum Domini.

A 1 ASCendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem : contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valdè.

2 Quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sicut superbiam Israël : quia vastatores dissipaverunt eos, & propagines eorum corruperunt.

3 Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis : igneæ habenæ currus in die præparationis ejus, & agitatores consopiti sunt.

B 4 In itineribus conturbati sunt : quadrigæ collisæ sunt in plateis : aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia.

5 Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis : velociter ascendent muros ejus, & præparabitur umbraculum.

6 Portæ fluviorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum.

7 Et miles captivus abductus est : & ancillæ ejus minabantur gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis.

C 8 Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus : ipsi verò fugerunt : state, state, & non est qui revertatur.

9 Diripite argentum, diripite aurum : & non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus.

10 Dissipata est, & scissa, & dilacerata : & cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus : & facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.

D 11 Ubi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum, ad quam ivit leo ut ingrederetur illuc, catulus leonis, & non est qui exterreat?

12 Leo cepit sufficienter catulis suis, & necavit lænis suis : & implevit præda speluncas suas, & cubile suum rapina.

13 Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & succendam usque ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius : & exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur ultrà vox nuntiorum tuorum.

Caput III.

Ninive urbs sanguinum sub nomine adulteræ vastanda prædicatur : quod exemplo Alexandriæ à Babyloniis devastatæ confirmatur : nec erit qui Ninive condoleat, aut eam consoletur super ipsius devastatione.

A 1 VÆ civitas sanguinum, universa mendacij dilaceratione plena : non recedet à te rapina. *Ezech. 24. c. 9. Habac. 2. c. 12.*

2 Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ ferventis, & equitis ascendentis :

3 Et micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & gravis ruinæ : nec est finis cadaverum, & corruent in corporibus suis.

4 Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficiis suis :

B 5 Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & * revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam. *Isai. 47. n. 3.*

6 Et projiciam super te abominationes, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum.

7 Et

7 Et erit : omnis, qui viderit te, resiliet à te, & dicet : Vastata est Ninive : quis commovebit super te caput? unde quæram consolatorem tibi?

8 Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circuitu ejus : cujus divitiæ, mare : aquæ, muri ejus.

9 Æthiopia fortitudo ejus, & Ægyptus, & non est finis : Aphrica & Libyes fuerunt in auxilio tuo.

C 10 Sed & ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem : parvuli ejus elisi sunt in capite omnium viarum, & super inclytos ejus miserunt sortem, & omnes optimates ejus confixi sunt in compedibus.

11 Et tu ergo inebriaberis, & eris despecta : & tu quæres auxilium ab inimico.

12 Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis : si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.

13 Ecce populus tuus mulieres in medio tui : inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos.

14 Aquam propter obsidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas : intra in lutum, & calca, subigens tene laterem.

15 Ibi comedet te ignis : peribis gladio, devorabit te ut bruchus : congregare ut bruchus : multiplicare ut locusta.

16 Plures fecisti negotiationes tuas quàm stellæ sint cæli : bruchus expansus est, & avolavit. D

17 Custodes tui quasi locustæ : & parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigoris : sol ortus est, & avolaverunt, & non est cognitus locus earum ubi fuerint.

18 Dormitaverunt pastores tui, rex Assur : sepelientur principes tui : latitavit populus tuus in montibus, & non est qui congreget.

19 Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua : omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te : quia super quem non transiit malitia tua semper?

PROPHETIA HABACUC.

Caput Primum

Miratur Propheta impium prosperari, & prævalere adversus justum : nam adversus Judæos suscitat Dominus Chaldæos, qui victoriam non Domino, sed idolo suo tribuunt.

A 1 ONus, quod vidit Habacuc propheta.

2 Usquequò Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis?

3 Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam & injustitiam contra me? & factum est judicium, & contradictio potentior.

4 Propter hoc lacerata est lex, & non pervenit usque ad finem judicium : quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.

B 5 * Aspicite in gentibus, & videte : admiramini, & obstupescite : quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cùm narrabitur. * *Act. 13. f. 41.*

6 Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua.

7 Horribilis, & terribilis est : ex semetipsa judicium, & onus ejus egredietur.

C 8 Leviores pardis equi ejus, & velociores Jupis vespertinis; & diffundentur equites ejus : equites namque ejus de longè venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum.

9 Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens : & congregabit quasi arenam, captivitatem.

10 Et ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi ejus erunt : ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.

11 Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit, & corruet : hæc est fortitudo ejus dei sui.

D 12 Numquid non tu à principio Domine Deus meus, sancte meus, & non moriemur? Domine in judicium posuisti eum : & fortem, ut corriperes, fundasti eum.

13 Mundi sunt oculi tui, ne videas malum; & respicere ad iniquitatem non poteris. quare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se?

14 Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem.

15 Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, & congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur & exultabit.

16 Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo : quia in ipsis incrassata est pars ejus, & cibus ejus electus.

17 Propter hoc ergo expandit sagenam suam, & semper interficere Gentes non parcet.

Caput II.

Propheta à Domino responsum expectanti præcipitur, ut scribat visionem, ac longanimiter ipsius eventum expectet : destructio Babylonis propter multa ipsorum scelera describitur, & quòd idola eis non proderunt.

A 1 SUper custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem : & contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.

2 Et respondit mihi Dominus, & dixit : Scribe visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum.

3 Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. si moram fecerit, expecta illum : quia veniens veniet, & non tardabit.

4 Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso :

5 * Justus autem in fide sua vivet. Et quomodo vinum potantem decipit : sic erit vir superbus, & non decorabitur : qui dilatavit quasi infernus animam suam : & ipse quasi mors, & non adimplebitur : & congregabit ad se omnes gentes, & coacervabit ad se omnes populos. * *Joan. 3. d. 36. Rom. 1. b. 17. Gal. 3. b. 11. Hebr. 10. f. 38.*

6 Numquid non omnes isti super eum parabolam sument, & loquelam ænigmatum ejus: & dicetur: Væ ei, qui multiplicat non sua? usquequò & aggravat contra se densum lutum?

7 Numquid non repentè consurgent qui mordeant te: & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?

8 Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, & iniquitatem terræ civitatis, & omnium habitantium in ea.

C 9 Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, & liberari se putat de manu mali.

10 Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, & peccavit anima tua.

11 Quia lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit.

Ezech. 24. c. 9. Nah. 3. a. 1. 12 * Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.

13 Numquid non hæc sunt à Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient.

14 Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare.

15 Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum, & inebrians ut aspiciat nuditatem ejus.

D 16 Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque, & consopire: circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam.

17 Quia iniquitas Libani operiet te, & vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum, & iniquitate terræ, & civitatis, & omnium habitantium in ea.

18 Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam? quia speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulachra muta.

19 Væ qui dicit ligno: Expergiscere; Surge, lapidi tacenti: numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro & argento: & omnis spiritus non est in visceribus ejus.

** ps. 10. b. 5.* 20 * Dominus autem in templo sancto suo: fileat à facie ejus omnis terra.

I ORATIO
HABACUC PROPHETÆ
PRO IGNORANTIIS.

CAPUT III.

A 2 DOmine audivi auditionem tuam, & timui. Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.

In medio annorum notum facies: cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

3 Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan:

Operuit cælos gratia ejus: & laudis ejus plena est terra.

4 Splendor ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus:

5 Ibi abscondita est fortitudo ejus: ante faciem ejus ibit mors.

Et egredietur diabolus ante pedes ejus.

6 Stetit, & mensus est terram.

Aspexit, & dissolvit Gentes: & contriti sunt montes sæculi.

Incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus.

7 Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. B

8 Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?

Qui ascendes super equos tuos: & quadrigæ tuæ salvatio.

9 Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus quæ locutus es.

10 Fluvios scindes terræ: viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum transiit.

Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas levavit.

11 Sol & luna steterunt in habitaculo suo, in C luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

12 In fremitu conculcabis terram: in furore obstupefacies Gentes.

13 Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.

Percussisti caput de domo impij: denudasti fundamentum ejus usque ad collum.

14 Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum me.

Exultatio eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito.

15 Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. D

16 Audivi, & conturbatus est venter meus: à voce contremuerunt labia mea.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat.

Ut requiescam in die tribulationis: ut ascendam ad populum accinctum nostrum.

17 Ficus enim non florebit: & non erit germen in vineis.

Mentietur opus olivæ: & arva non afferent cibum.

Abscindetur de ovili pecus: & non erit armentum in præsepibus.

18 Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo Jesu meo.

19 Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quasi cervorum.

Et super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem.

PROPHETIA SOPHONIÆ.

CAPUT PRIMUM.

Quo tempore Sophonias prophetaverit: qui primùm peccatoribus universis, deinde Judæis comminatur, ob idololatriam & Dei contemptum, divinam ultionem: Jerusalem quoque lucernis scrutanda dicitur, & quàm erit amara dies ultionis Domini.

A 1 VErbum Domini quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filij Godoliæ, filij Amariæ, filij Ezechiæ, in diebus Josiæ filij Amon regis Judæ.

2 Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus:

3 Congregans hominem & pecus, congregans volatilia cæli & pisces maris: & ruinæ impiorum erunt: & disperdam homines à facie terræ, dicit Dominus.

4 Et extendam manum meam super Judam, & super omnes habitantes Jerusalem: & disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina ædituorum cum sacerdotibus;

B 5 Et eos qui adorant super tecta militiam cæli, & adorant & jurant in Domino, & jurant in Melchom.

6 Et qui averterunt de post tergum Domini, & qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum.

7 Silete à facie Domini Dei: quia juxtà est dies Domini, quia præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos.

8 Et erit: in die hostiæ Domini, visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes qui induti sunt veste peregrina:

9 Et visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen in die illa: qui complent domum Domini Dei sui iniquitate & dolo.

C 10 Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris à porta piscium, & ululatus à Secunda, & contritio magna à collibus.

11 Ululate habitatores Pilæ: conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes involuti argento.

12 Et erit in tempore illo: scrutabor Jerusalem in lucernis: & visitabo super viros defixos in fæcibus suis: qui dicunt in cordibus suis: Non faciet benè Dominus, & non faciet malè.

13 Et erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum in desertum: & * ædificabunt domos, ** Amos 5. c. 11.* & non habitabunt: & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum.

D 14 Juxtà est dies Domini magnus, juxtà est & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.

** Ier. 30. a. 7. Ioel. 2. c. 11. Amos 5. c. 18.* 15 * Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ & turbinis,

16 Dies tubæ & clangoris super civitates munitas, & super angulos excelsos.

17 Et tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt: & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora.

18 * Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: * in igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. ** Ezec. 7. c. 19. * Inf. 3. b. 8.*

CAPUT II.

Hortatur Propheta populum ut ad Deum convertatur, priusquam ira Domini ei superveniat, omnésque mansuetos terræ ut Dominum quærant: denuntians destructionem imminere Philisthæis, Moabitis, Ammonitis, Æthiopibus & Assyriis.

1 COnvenite, congregamini gens non amabilis. A

2 Priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini.

3 Quærite Dominum omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati: quærite justum, quærite mansuetum: si quomodo abscondamini in die furoris Domini.

4 Quia Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie ejicient, & Accaron eradicabitur.

5 Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum: Verbum Domini super vos Chanaan terra Philisthinorum, & disperdam te, ita ut non sit inhabitator. B

6 Et erit funiculus maris requies pastorum, & caulæ pecorum:

7 Et erit funiculus ejus, qui remanserit de domo Juda: ibi pascentur, in domibus Ascalonis ad vesperam requiescent: quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & avertet captivitatem eorum.

8 Audivi opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon: quæ exprobraverunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum. C

9 Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum Deus Israël, quia Moab ut Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, & acervi salis, & desertum usque in æternum: reliquiæ populi mei diripient eos, & residui gentis meæ possidebunt illos.

10 Hoc eis eveniet pro superbia sua: quia blasphemaverunt, & magnificati sunt super populum Domini exercituum.

11 Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes deos terræ: & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ Gentium. D

12 Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis.

13 Et extendet manum suam super Aquilonem, & perdet Assur: & ponet speciosam in solitudinem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dinem, & in invium, & quasi desertum.

14 * Et accubabunt in medio ejus greges, omnes bestiæ Gentium: & onocrotalus & ericius in liminibus ejus morabuntur: vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari, quoniam attenuabo robur ejus. * Isai. 34. c. 11.

15 Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia: quæ dicebat in corde suo: Ego sum, & extra me non est alia ampliùs: quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? omnis qui transit per eam, sibilabit, & movebit manum suam.

Caput III.

Arguit Jerusalem, & præcipuè rectores ejus, quibus minatur celerem Dei vindictam, quòd neque beneficiis neque flagellis sint ad ipsum conversi: de felicitate novæ legis, ac multiplicatione credentium: pœnaque iniquorum prædicitur.

A 1 VÆ provocatrix, & redempta civitas, columba.

2 Non audivit vocem, & non suscepit disciplinam: in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquavit.

* Ezec. 22. f. 27. Mich. 3. d. 11. 3 * Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes: judices ejus lupi vesperè, non relinquebant in manè.

4 Prophetæ ejus vesani viri infideles: sacerdotes ejus polluerunt sanctum, injustè egerunt contra legem:

5 Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem: manè manè judicium suum dabit in lucem & non abscondetur: nescivit autem iniquus confusionem.

6 Disperdidi Gentes, & dissipati sunt anguli earum: desertas feci vias eorum, dum non est qui transeat: desolatæ sunt civitates eorum, non remanente viro, neque ullo habitatore.

B 7 Dixi: Attamen timebis me, suscipies disciplinam: & non peribit habitaculum ejus, propter omnia in quibus visitavi eam: verùtamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas.

8 Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum ut congregem Gentes, & colligam regna: & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: * in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra. * Sup. 1. d. 18.

9 Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno.

10 Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filij dispersorum meorum deferent munus mihi.

11 In die illa non confundêris super cunctis C adinventionibus tuis, quibus prævaricata es in me: quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, & non adjicies exaltari ampliùs in monte sancto meo.

12 Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum: & sperabunt in nomine Domini.

13 Reliquiæ Israël non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua dolosa: quoniam ipsi pascentur & accubabunt, & non erit qui exterreat.

14 Lauda filia Sion: jubila Israël: lætare, & exulta in omni corde filia Jerusalem.

15 Abstulit Dominus judicium tuum: avertit inimicos tuos: rex Israël Dominus in medio tui, non timebis malum ultrà.

16 In die illa dicetur Jerusalem: Noli timere: Sion, non dissolvantur manus tuæ.

17 Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ip- D se salvabit: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude.

18 Nugas, qui à lege recesserant, congregabo, quia ex te erant: ut non ultrà habeas super eis opprobrium.

19 Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in tempore illo: & salvabo claudicantem: & eam, quæ ejecta fuerat, congregabo: & ponam eos in laudem, & in nomen, in omni terra confusionis eorum:

20 In tempore illo, quo adducam vos; & in tempore, quo congregabo vos. dabo enim vos in nomen, & in laudem omnibus populis terræ, cùm convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.

PROPHETIA AGGÆI.

Caput Primum.

Quo tempore prophetaverit Aggæus: qui increpat Judæos, quòd neglecta domo Dei propria ædificia curarent: ob quam causam dicit illis immissam a Deo sterilitatem: eóque tempore duce Zorobabel & Jesus sacerdos magnus una cum populo excitati, incipiunt ædificare domum Dei.

A 1 IN anno secundo Darij regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Juda, & ad Jesum, filium Josedec, sacerdotem magnum, dicens: 1. Esd. 5. a. 1.

2 Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.

3 Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens:

4 Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta?

5 Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras.

6 * Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. * Deut. 28. d. 38. Mich. 6. d. 15.

7 Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras: B

8 ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus.

9 Respexistis ad amplius, & ecce factum est C minus:

minus: & intulistis in domum, & exufflavi illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, vos festinatis unusquisque in domum suam.

10 Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum:

11 Et vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcumque profert humus, & super homines, & super jumenta, & super omnem laborem manuum.

D 12 Et audivit Zorobabel filius Salathiel, & Jesus filius Josedec sacerdos magnus, & omnes reliquiæ populi, vocem Domini Dei sui, & verba Aggæi prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos; & timuit populus à facie Domini.

13 Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini, populo dicens: Ego vobiscum sum, dicit Dominus.

14 Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel, ducis Juda, & spiritum Jesu filij Josedec sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo: & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui.

Caput II.

Etsi templum readificatum nihil videatur priori collatum; posteà tamen veniente Messia replebitur gloria majori, quam fuerit prioris templi: & sicut Judæi ob neglectam templi readificationem facti fuerant immundi coram Deo, ipsorumque sacrificia & sterilitas adducta; ita post inceptam readificationem omnia ipsis facta sunt prospera.

A 1 IN die vigesima & quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darij regis.

2 In septimo mense, vigesima & prima mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens:

3 Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Juda, & ad Jesum filium Josedec sacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicens:

4 Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?

5 Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: & confortare Jesu fili Josedec sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum: & facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum)

6 Verbum quod pepigi vobiscum cùm egrederemini de Terra Ægypti: & spiritus meus erit in B medio vestrûm, nolite timere.

* Heb. 12. f. 26. 7 Quia hæc dicit Dominus exercituum: * Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam.

8 Et movebo omnes Gentes: ET VENIET DESIDERATUS cunctis Gentibus: & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.

9 Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum.

10 Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

11 In vigesima & quarta noni mensis, in anno secundo Darij regis, factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens:

12 Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga sacerdotes legem, dicens:

13 Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate ejus panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes, dixerunt: Non.

14 Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in ani- C ma ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, & dixerunt: Contaminabitur.

15 Et respondit Aggæus, & dixit: Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum: & omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt.

16 Et nunc ponite corda vestra à die hac & suprà, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini.

17 Cùm accederetis ad acervum viginti modiorum, & fierent decem: & intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti.

18 * Percussi vos vento urente, & aurigine, & grandine omnia opera manuum vestrarum: & non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dicit Dominus. * Amos 4. c. 9.

19 Ponite corda vestra ex die ista & in futurum, à die vigesima & quarta noni mensis: à die, qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum.

20 Numquid jam semen in germine est: & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum olivæ non floruit? ex die ista benedicam.

21 Et factum est verbum Domini secundò ad Aggæum in vigesima & quarta mensis, dicens:

22 Loquere ad Zorobabel ducem Juda, dicens: Ego movebo cælum pariter & terram.

23 Et subvertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni Gentium: & subvertam quadrigam, & adscensorem ejus: & descendent equi, & ascensores eorum: vir in gladio fratris sui.

24 In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te * Zorobabel fili Salathiel serve meus, dicit Dominus: & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum. * Eccli. 49. c. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PROPHETIA ZACHARIÆ.

Caput Primum.

Quo tempore Zacharias prophetaverit: qui hortatur populum ad resipiscentiam, ne imitentur patres suos, qui prophetas contemnentes puniti sunt: duplici figura ostendit Dominus se puniturum Gentes quæ populum suum afflixerant; hunc autem in Ierusalem revocandum, in qua ædificabitur ipsi Domino templum.

A 1 IN mense octavo, in anno secundo Darij regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ filij Addo, prophetam, dicens:

2 Iratus est Dominus super patres vestros iracundia.

3 Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituũ: * Convertimini ad me, ait Dominus exercituum: & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.

* *Isai. 21. c. 12. 31. c. 6. 45. d. 22. Ier. 3. d. 11. Ezec. 18. g. 30. 33. c. 11. Osee 14. a. 2. Ioel. 2. c. 12. Malac. 3. b. 7.*

4 Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum. Convertimini de viis vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus.

5 Patres vestri ubi sunt? & Prophetæ numquid in sempiternum vivent?

B 6 Verumtamen verba mea, & legitima mea, quæ mandavi servis meis prophetis, numquid non comprehenderunt patres vestros, & conversi sunt, & dixerunt: Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundùm vias nostras, & secundùm adinventiones nostras, fecit nobis.

7 In die vigesima & quarta undecimi mensis Sabath, in anno secundo Darij, factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Addo, prophetam, dicens:

8 Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo: & post eum equi rufi, varij, & albi.

9 Et dixi: Quid sunt isti, Domine mi? & dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi quid sint hæc.

10 Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, & dixit: Isti sunt, quos misit Dominus ut perambulent terram.

C 11 Et responderunt Angelo Domini, qui stabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulavimus terram, & ecce omnis terra habitatur, & quiescit.

12 Et respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum usquequò tu non misereberis Ierusalem, & urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est.

13 Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria.

14 Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me: Clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: * Zelatus sum Ierusalem & Sion zelo magno.

* *Infr. 8. a. 2.*

15 Et ira magna ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi verò adjuverunt in malum.

16 Propterea hæc dicit Dominus: Revertar ad Ierusalem in misericordiis: & domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum: & perpendiculum extendetur super Jerusalem.

17 Adhuc clama, dicens: Hæc dicit Dominus D exercituum: Adhuc affluent civitates meæ bonis: & consolabitur adhuc Dominus Sion, & eliget adhuc Ierusalem.

18 Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce quattuor cornua.

19 Et dixi ad angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc? & dixit ad me: Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam, & Israël, & Ierusalem.

20 Et ostendit mihi Dominus quattuor fabros.

21 Et dixi: Quid isti veniunt facere? Qui ait, dicens: Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam per singulos viros, & nemo eorum levavit caput suum: & venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu super terram Juda ut dispergerent eam.

Caput II.

Apparet vir mensuraturus Ierusalem, quæ post captivitatem solutam vehementer replenda est habitatoribus: cui Deus pro muro erit; & afflictis Chaldæis ac ceteris qui filios Israël afflixerant, multæ gentes unà cum Sion lætæ venient ad serviendum Domino, quas ipse suscipiet in populum.

A 1 ET levavi oculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu ejus funiculus mensorum.

2 Et dixi: Quò tu vadis? Et dixit ad me: Ut metiar Ierusalem, & videam quanta sit latitudo ejus, & quanta longitudo ejus.

3 Et ecce angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occursum ejus.

B 4 Et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Jerusalem, præ multitudine hominum & jumentorum in medio ejus.

5 Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio ejus.

6 O, ô fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus: quoniam in quattuor ventos cæli dispersi vos, dicit Dominus.

7 O Sion fuge quę habitas apud filiã Babylonis: C

8 Quia hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.

9 Quia ecce ego levo manum meam super eos, & erunt prædæ his qui serviebant sibi: & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.

10 Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.

11 Et

D 11 Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te.

12 Et possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata: & eliget adhuc Jerusalem.

13 Sileat omnis caro à facie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

Caput III.

Iesus sacerdos exuitur sordidis, induitur mutatoriis, qui judicaturus est domum Domini, si in viis ipsius ambulet: adducet Dominus servum suum Orientem: & de lapide agit super quem septem oculi sunt.

A 1 ET ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini: & satan stabat à dextris ejus ut adversaretur ei.

B 2 Et dixit Dominus ad satan: Increpet Dominus in te satan: & increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem: numquid non iste torris est erutus de igne?

3 Et Jesus erat indutus vestibus sordidis: & stabat ante faciem angeli.

4 Qui respondit, & ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.

C 5 Et dixit: Ponite cidarim mundam super caput ejus. Et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, & induerunt eum vestibus: & angelus Domini stabat.

6 Et contestabatur angelus Dñi Jesum, dicens:

7 Hæc dicit Dominus exercituum: Si in viis meis ambulaveris, & custodiam meam custodieris: tu quoque judicabis domum meam, & custodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hîc assistunt.

D 8 Audi Jesu sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt.

* *Luc. 1. f. 78.* ecce enim ego. * ADDUCAM SERVUM MEUM ORIENTEM.

9 Quia ecce lapis, quem dedi coram Jesu super lapidem unum septem oculi sunt: ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitatem terræ illius in die una.

10 In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem, & subter ficum.

Caput IV.

De candelabro aureo cum duabus olivis, lapide primario & stanneo, ac septem oculis Domini; & horum interpretatio: quodq; templum à Zorobabel fundatum, ab ipso consummabitur.

A 1 ET reversus est angelus, qui loquebatur in me, & suscitavit me, quasi virum qui suscitatur de somno suo.

2 Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus super caput ipsius, & septem lucernæ ejus super illud: & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput ejus.

3 Et duæ olivæ super illud: una à dextris lampadis, & una à sinistris ejus.

B 4 Et respondi, & aio ad angelum, qui loquebatur in me, dicens: Quid sunt hæc, domine mi?

5 Et respondit angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi.

6 Et respondit, & ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.

7 Quis tu mons magne coram Zorobabel? in C planum: & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ ejus.

8 Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

9 Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, & manus ejus perficient eam: & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos.

10 Quis enim despexit dies parvos? & lætabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram.

11 Et respondi, & dixi ad eum: Quid sunt duæ D olivę istę, ad dexterã cãdelabri, & ad sinistrã ejus?

12 Et respondi secundò, & dixi ad eum: Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro?

13 Et ait ad me, dicens: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi.

14 Et dixit: Isti sunt duo filij olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.

Caput V.

Volumen volans, quo iniqui judicabuntur: mulier in amphora sedens cum massa plumbi, designat impietatem: & duæ mulieres alatæ levant illam in aëra.

1 ET conversus sum, & levavi oculos meos: & A vidi, & ecce volumen volans.

2 Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ego video volumen volans: longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum. B

3 Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur: & omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur.

4 Educam illud, dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis C in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus.

5 Et egressus est angelus, qui loquebatur in me: & dixit ad me: Leva oculos tuos, & vide quid est hoc, quod egreditur.

6 Et dixi: Quidnam est? Et ait: Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in universa terra.

7 Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ.

8 Et dixit: Hæc est impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in D os ejus.

9 Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milui: & levaverunt amphoram inter terram & cælum.

10 Et dixi ad angelum, qui loquebatur in me: Quò istæ deferunt amphoram?

11 Et dixit ad me: Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPUT VI.

Quattuor quadrigæ visæ de medio duorum montium æreorum, quattuor venti sunt, egredientes in terram: de coronis in capite Iesu sacerdotis imponendis: de viro cujus nomen Oriens, qui templum ædificabit Domino, & dominabitur in solio suo.

A 1 ET conversus sum, & levavi oculos meos, & vidi: & ecce quattuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: & montes, montes ærei.

2 In quadriga prima equi rufi, & in quadriga secunda equi nigri,

3 Et in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij, & fortes.

4 Et respondi, & dixi ad angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc, domine mi?

B 5 Et respondit angelus, & ait ad me: Isti sunt quattuor venti cæli, qui egrediuntur, ut stent coram Dominatore omnis terræ.

6 In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis: & albi egressi sunt post eos: & varij egressi sunt ad terram Austri.

7 Qui autem erant robustissimi, exierunt, & quærebant ire & discurrere per omnem terram. Et dixit: Ite, perambulate terram: & perambulaverunt terram.

8 Et vocavit me, & locutus est ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.

9 Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

C 10 Sume à transmigratione, ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia; & venies tu in die illa, & intrabis domum Josiæ, filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone.

11 Et sumes aurum & argentum: & facies coronas, & pones in capite Jesu filij Josedec sacerdotis magni,

12 Et loquêris ad eum, dicens: Hæc ait Dominus exercituum, dicens: * ECCE VIR ORIENS, NOMEN EJUS: & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino. *Luc. 1. §. 78.

D 13 Et ipse exstruet templum Domino: & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo: & erit sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos.

14 Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem, filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.

15 Et qui procul sunt, venient, & ædificabunt in templo Domini: & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.

CAPUT VII.

Iejunia quibus Iudæi per 70. annos captivitatis jejunaverunt, non placebant Domino, quia in iniquitatibus suis permanebant: proinde hortatur eos ad resipiscentiam; nam quia prophetas olim non audierant, dispersit eos Dominus in gentes, terráque desolata facta est propter ipsorum iniquitates.

A 1 ET factum est in anno quarto Darij regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, in quarta mensis noni, qui est Casleu.

2 Et miserunt ad domum Dei, Sarasar, & Rogommelech, & viri qui erant cum eo, ad deprecandam faciem Domini:

3 Et Ut dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum, & prophetis, loquentes: Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut jam feci multis annis?

4 Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens:

5 Loquere ad omnem populum terræ, & ad sacerdotes, dicens: *Cùm jejunaretis, & plangeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos: numquid jejunium jejunastis mihi? B *Isa. 58. b. 5.

6 Et cùm comedistis, & bibistis, numquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis?

7 Numquid non sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cùm adhuc Jerusalem habitaretur, & esset opulenta, ipsa & urbes in circuitu ejus, & ad Austrum, & in campestribus habitaretur?

8 Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens:

9 Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Judicium verum judicate, & misericordiam & miserationes facite, unusquisque cum fratre suo. C

10 * Et viduam & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari: & malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. * *Exod. 22. d. 22. Isa. 1. f. 23. Ier. 5. §. 28.*

11 Et noluerunt attendere, & averterunt scapulam recedentem, & aures suas aggravaverunt ne audirent.

12 Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, & verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum, & facta est indignatio magna à Domino exercituum. D

13 Et factum est sicut locutus est, & non audierunt: sic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus exercituum.

14 Et dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt, & terra desolata est ab eis, eò quòd non esset transiens & revertens: & posuerunt terram desiderabilem in desertum.

CAPUT VIII.

Sicut Dominus propter peccata populi sui afflixit eum, & desolatam fecit Ierusalem, sic nunc facit illam plurimùm habitari, omniáque dabit prospera, modò ei serviant: quibus adjungentur & aliæ gentes: de fimbria Iudæi à decem viris ethnicis apprehensa.

1 ET factum est verbum Domini exercituum, dicens: A

2 Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus sum eam.

3 Hæc dicit Dominus exercituum: Reversus sum ad Sion, & habitabo in medio Jerusalem: & vocabitur Jerusalem Civitas veritatis, & Mons Domini exercituum mons sanctificatus.

4 Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc habitabunt senes & anus in plateis Jerusalem: & viri baculus in manu ejus præ multitudine dierum.

5 Et plateæ civitatis complebuntur infantibus & puellis, ludentibus in plateis ejus.

6 Hæc dicit Dominus exercituum: Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum?

7 Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego salvabo

salvabo populum meum de terra Orientis, & de terra Occasus solis.

B 8 Et adducam eos, & habitabunt in medio Jerusalem: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, in veritate & in justitia.

9 Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os prophetarum, in die qua fundata est domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur.

10 Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces jumentorum erat; neque introëunti, neque exeunti erat pax præ tribulatione, & dimisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum.

11 Nunc autem non juxta dies priores ego faciam reliquiis populi hujus, dicit Dominus exercituum,

12 Sed semen pacis erit: vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum: & cæli dabunt rorem suum: & possidere faciam reliquias populi hujus universa hæc.

C 13 Et erit, sicut eratis maledictio in Gentibus, domus Juda, & domus Israël: sic salvabo vos, & eritis benedictio: nolite timere, confortentur manus vestræ.

14 Quia hæc dicit Dominus exercituum: Sicut cogitavi ut affligerem vos, cùm ad iracundiam provocassent patres vestri me, dicit Dominus,

15 Et non sum misertus: sic conversus cogitavi in diebus istis ut benefaciam domui Juda, & Jerusalem: nolite timere.

* *Eph. 4. §. 25.* 16 Hæc sunt ergo verba, quæ facietis. * Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: veritatem & judicium pacis judicate in portis vestris.

17 Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris: & juramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus.

18 Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens:

D 19 Hæc dicit Dominus exercituum: Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi erit domui Juda in gaudium, & lætitiam, & in sollemnitates præclaras: veritatem tantùm, & pacem diligite.

20 Hæc dicit Dominus exercituum: Usquequò veniant populi, & habitent in civitatibus multis,

21 Et vadant habitatores, unus ad alterum dicentes: Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum; vadam etiam ego.

22 Et venient populi multi, & gentes robustæ, ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, & deprecandam faciem Domini:

23 Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum: audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.

CAPUT IX.

Vaticinatur adversus civitates Syriæ, & superbos Philisthæos: rex Christus venturus est ad Sion insidens pullo asini, & ablato bello imperabit mundo in magna pace: qui etiam emisit vinctos de lacu in sanguine testamenti sui: omnia dicuntur futura populo Dei prospera, quoniam ipse eum proteget.

1 ONus verbi Domini in terra Hadrach, & Damasci requiei ejus: quia Domini est oculus hominis, & omnium tribuum Israël. A

2 Emath quoque in terminis ejus, & Tyrus, & Sidon: assumpserunt quippe sibi sapientiam valdè.

3 Et ædificavit Tyrus munitionem suam, & coacervavit argentum quasi humum, & aurum ut lutum platearum.

4 Ecce Dominus possidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem ejus, & hæc igni devorabitur.

5 Videbit Ascalon, & timebit; & Gaza, & dolebit nimis; & Accaron, quoniam confusa est spes ejus: & peribit rex de Gaza, & Ascalon non habitabitur.

6 Et sedebit separator in Azoto, & disperdam superbiam Philisthinorum.

7 Et auferam sanguinem ejus de ore ejus, & abominationes ejus de medio dentium ejus, & relinquetur etiam ipse Deo nostro, & erit quasi dux in Juda, & Accaron quasi Jebusæus. B

8 Et circumdabo domum meam ex his qui militant mihi euntes & revertentes, & non transibit super eos ultrà exactor: quia nunc vidi in oculis meis.

9 * Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: ECCE REX TUUS veniet tibi justus, & salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. * *Isa. 62. d. 11. Matt. 21. a. 5.*

10 Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Jerusalem, & dissipabitur arcus belli: & loquetur pacem Gentibus, & potestas ejus à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad fines terræ. C

11 Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

12 Convertimini ad munitionem vincti spei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.

13 Quoniam extendi mihi Judam quasi arcum, implevi Ephraim: & suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia: & ponam te quasi gladium fortium.

14 Et Dominus Deus super eos videbitur; & exibit ut fulgur, jaculum ejus: & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri.

15 Dominus exercituum proteget eos: & devorabunt, & subjicient lapidibus fundæ: & bibentes inebriabuntur quasi à vino, & replebuntur ut phialæ, & quasi cornua altaris.

16 Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui: quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus.

17 Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?

CAPUT X.

Solus Dominus potest petita præstare, qui confortabit Iudæos: & misertus ipsorum congregabit eos de variis locis captivitatis in terram pristinam, humiliatis ipsorum inimicis.

1 PEtite à Domino pluviam in tempore serotino, & Dominus faciet nives, & A

Universidad de Deusto
Biblioteca

pluviam imbris dabit eis, singulis herbam in agro.
2 Quia simulachra locuta sunt inutile, & divini viderunt mendacium, & somniatores locuti sunt frustrà: vanè consolabantur: idcircò abducti sunt quasi grex: affligentur, quia non est eis pastor:
B 3 Super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo: quia visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Juda, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.
4 Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælij, ex ipso egredietur omnis exactor simul.
5 Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio: & bellabunt, quia Dominus cum eis: & confundentur ascensores equorum.
6 Et confortabo domum Juda, & domum Joseph salvabo, & convertam eos, quia miserebor eorum: & erunt sicut fuerunt quando non projeceram eos: ego enim Dominus Deus eorum, & exaudiam eos.
C 7 Et erunt quasi fortes Ephraim, & lætabitur cor eorum quasi à vino: & filij eorum videbunt, & lætabuntur, & exultabit cor eorum in Domino.
8 Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos: & multiplicabo eos sicut antè fuerant multiplicati.
9 Et seminabo eos in populis, & de longè recordabuntur mei: & vivent cum filiis suis, & revertentur.
D 10 Et reducam eos de Terra Ægypti, & de Assyriis congregabo eos, & ad Terram Galaad & Libani adducam eos, & non invenietur eis locus:
11 Et transibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis, & humiliabitur superbia Assur, & sceptrum Ægypti recedet.
12 Confortabo eos in Domino, & in nomine ejus ambulabunt, dicit Dominus.

Caput XI.

Iubet Dominus pasci pecora occisionis, quibus non parcent, quia pastores eorum non parcebant eis: de duabus virgis tandem abscissis, & tribus pastoribus uno mense succisis: de appensa mercede triginta argenteorum projectorum ad statuarium: de alio malo pastore à Domino suscitando.

A 1 APeri Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas.
2 Ulula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: ululate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus.
3 Vox ululatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum: vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Jordanis.
4 Hæc dicit Dominus Deus meus: Pasce pecora occisionis,
5 Quæ qui possederant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus, divites facti sumus: & pastores eorum non parcebant eis.
B 6 Et ego non parcam ultrà super habitantes terram, dicit Dominus: ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui, & in manu regis sui: & concident terram, & non eruam de manu eorum.
7 Et pascam pecus occisionis propter hoc, ô pauperes gregis. Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, & alteram vocavi Funiculum: & pavi gregem.
8 Et succidi tres pastores in mense uno, & contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variavit in me.
9 Et dixi: Non pascam vos: quod moritur, moriatur: & quod succiditur, succidatur: & reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui.
10 Et tuli virgam meam, quæ vocabatur Decus; & abscidi eam, ut irritum facerem fœdus C meum, quod percussi cum omnibus populis.
11 Et in irritum deductum est in die illa: & cognoverunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est.
12 Et dixi ad eos: Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; & si non, quiescite. * Et appenderunt mercedem meam triginta * Matt. argenteos. 27. b. 9.
13 Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium.
14 Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Judam & Israël.
15 Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti.
16 Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissolvet.
17 O pastor, & idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium ejus, & super oculum dextrum ejus: brachium ejus ariditate siccabitur, & oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.

Caput XII.

Iuda & Ierusalem à variis regnis affligentur; sed rursum reducti filij Israël in terram suam superiores erunt his qui se afflixerant: effusoque à Domino spiritu gratiæ super habitatores Ierusalem, aspicient ad eum quem confixerunt, & super eum dolebunt, plangentes singulæ familiæ seorsum.

1 ONus verbi Domini super Israël. Dicit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo. A
2 Ecce ego ponam Jerusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu: sed & Juda erit in obsidione contra Jerusalem.
3 Et erit: In die illa ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis: omnes, qui levabunt eam, concisione lacerabuntur: & colligentur adversus eam omnia regna terræ.
4 In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem, & ascensorem ejus in amentiam: & super domum Juda aperiam oculos meos, & omnem equum populorum percutiam cæcitate. B
5 Et dicent duces Juda in corde suo: Confortentur mihi habitatores Jerusalem in Domino exercituum Deo eorum.
6 In die illa ponam duces Juda sicut caminum ignis; in lignis & sicut facem ignis in fœno: & devorabunt ad dexteram & ad sinistram omnes populos in circuitu: & habitabitur Jerusalem rursus in loco suo in Jerusalem.

7 Et

C 7 Et salvabit Dominus tabernacula Juda sicut in principio: ut non magnificè glorietur domus David, & gloria habitantium Jerusalem contra Judam.
8 In die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem, & erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi David; & domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum.
9 Et erit in die illa: quæram conterere omnes Gentes, quæ veniunt contra Jerusalem.
10 Et effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ & precum: *Ioan. 19. g. 37. * & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.
D 11 In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, * sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. *2. Par. 35. d. 22.
12 Et planget terra: familiæ & familiæ seorsum, familiæ domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum:
13 Familiæ domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ domus Levi seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum.
14 Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum.

Caput XIII.

Cùm fuerit fons patens domui David in ablutionem peccatoris, tollentur idola; & pseudopropheta à sibi charissimis lapidabuntur: quæ sint plagæ in medio manuum: percutiendus pastor, & oves dispergendæ: & duæ partes hominum dispergentur in omni terra, & tertia per ignem probabitur.

A 1 IN die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.
*Ezech. 30. d. 13. 2 * Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultrà: & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra.
B 3 Et erit, cùm prophetaverit quispiam ultrà, dicent ei pater ejus & mater ejus, qui genuerunt eum: Non vives: quia mendacium locutus es in nomine Domini, & configent eum pater ejus & mater ejus, genitores ejus, cùm prophetaverit.
4 Et erit: In die illa confundentur prophetæ, unusquisque ex visione sua cùm prophetaverit: nec operientur pallio saccino, ut mentiantur:
C 5 Sed dicet: Non sum propheta, homo agricola ego sum: quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.
6 Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.
7 Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus *Matt. 26. c. 31. Mar. 14. c. 27. exercituum: * percute pastorem, & dispergentur oves: & convertam manum meam ad parvulos.
8 Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea dispergentur, & deficient; & tertia pars relinquetur in ea.
9 Et ducam tertiam partem per ignem, & uram eos sicut uritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Dicam: Populus meus es; & ipse dicet: Dominus Deus meus.

Caput XIV.

Postquam Ierusalem passa fuerit captivitatem aliasque afflictiones a Gentibus, erit dies nota Domino, cùm exibunt aquæ vivæ de Ierusalem: & filij Israël revertentur, habitaturi securè in Ierusalem: percutiétque Dominus plagâ Gentes quæ pugnaverunt adversus Ierusalem, & harum reliquiæ ascendent ut adorent Dominum in Ierusalem, sanctúmque erit quod est super frænum equi.

1 ECce venient dies Domini, & dividentur A spolia tua in medio tui.
2 Et congregabo omnes Gentes ad Jerusalem in prælium, & capietur civitas, & vastabuntur domus, & mulieres violabuntur: & egredietur media pars civitatis in captivitatem, & reliquum populi non auferetur ex urbe.
3 Et egredietur Dominus, & præliabitur contra Gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis.
4 Et stabunt pedes ejus in die illa super Montem olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem: & scindetur mons olivarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem, prærupto grandi valdè; & separabitur medium montis ad Aquilonem, & medium ejus ad Meridiem.
5 Et fugietis ad vallem montium eorum, quo- B niam conjungetur vallis montium usque ad proximum: & fugietis * sicut fugistis à facie terræ- *Amos 1. d. 1. motus in diebus Oziæ regis Juda: & veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo.
6 Et erit in die illa: Non erit lux, sed frigus & gelu.
7 Et erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neque nox: & in tempore vesperi erit lux.
8 Et erit in die illa: Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare novissimum in æstate & in hieme erunt.
9 Et erit Dominus Rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, & erit nomen ejus unũ.
10 Et revertetur omnis terra usque ad desertum, de colle Remmon ad Austrum Jerusalem: & exaltabitur, & habitabit in loco suo, à porta Benjamin usque ad locum portæ prioris, & usque ad portam angulorum: & à turre Hananeel usque ad torcularia regis.
11 Et habitabunt in ea, & anathema non erit C ampliùs: sed sedebit Jerusalem secura.
12 Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes Gentes quæ pugnaverunt adversus Jerusalem: tabescet caro uniuscujusque stantis super pedes suos, & oculi ejus contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum contabescet in ore suo.
13 In die illa erit tumultus Domini magnus in eis: & apprehendet vir manum proximi sui, & conseretur manus ejus super manum proximi sui.
14 Sed & Judas pugnabit adversus Jerusalem: & congregabuntur divitiæ omnium Gentium in circuitu, aurum, & argentum, & vestes multæ satis.
15 Et sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium jumentorum, quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc.

Universidad de Deusto Biblioteca

D 16 Et omnes qui reliqui fuerint de universis Gentibus, quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem, Dominum exercituum, & celebrent festivitatem tabernaculorum.

17 Et erit: qui non ascenderit de familiis terræ ad Jerusalem, ut adoret Regem Dominum exercituum, non erit super eos imber.

18 Quòd & si familia Ægypti non ascenderit, & non venerit: nec super eos erit, sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum.

19 Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium Gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum.

20 In die illa erit quod super frænum equi est, sanctum Domino: & erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari.

21 Et erit omnis lebes in Jerusalem & in Juda sanctificatus Domino exercituum: & venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquent in eis: & non erit mercator ultrà in domo Domini exercituum in die illo.

PROPHETIA MALACHIÆ.

Caput Primum.

Prophetia Malachiæ ad Israël, quem Dominus arguit ingratitudinis, quòd non agnoscebat se in Iacob, unde descenderat, dilectum, rejecto Esau cum populo suo: ideò conqueritur se ab Israël non honorari neque timeri, quódque sacerdotes despiciant nomen Domini, quorum rejicit sacrificia, gratam habens oblationem mundam quæ in omni loco ei offertur.

A 1 ONus verbi Domini ad Israël in manu Malachiæ.

2 Dilexi vos, dicit Dominus, & dixistis: In quo dilexisti nos? Nónne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, & *dilexi Jacob,

Rom. 9.c.13.

3 Esau autem odio habui:& posui montes ejus in solitudinē, & hereditatē ejus in dracones deserti.

4 Quòd si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt: Hæc dicit Dominus exercituum:Isti ædificabunt, & ego destruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus usque in æternum.

B 5 Et oculi vestri videbunt: & vos dicetis:Magnificetur Dominus super terminum Israël.

6 Filius honorat patrem, & servus dominum suum:si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum? ad vos, ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum?

7 Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te?In eo quòd dicitis: Mensa Domini despecta est.

C 8 Si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malum est? & si offeratis claudum,& languidum, nónne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.

9 Et nunc deprecamini vultum Dei ut misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum.

10 Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra.

11 * Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus:& in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.

Psal. 112.a.3.

D 12 Et vos polluistis illud in eo quod dicitis:Mensa Domini contaminata est:& quod superponitur, contemptibile est,cum igne qui illud devorat.

13 Et dixistis: Ecce de labore, & exufflastis illud, dicit Dominus exercituum, & intulistis de rapinis claudum, & languidum, & intulistis munus:numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus?

14 Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino, quia rex magnus ego,dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus.

Caput II.

Comminatur Dominus se maledicturum benedictionibus sacerdotum, nisi resipiscant: ipsius enim legem contemnunt, irritum facientes pactum Levi, qui hic laudatur: transgressus est & Iuda ducens alienigenas, quapropter non respiciet deinceps Dominus ad sacrificium eorum: de uxore diligenda seu dimittenda: laborare fecerunt Dominum in sermonibus suis.

A 1 ET nunc ad vos mandatum hoc,ô sacerdotes.

2 * Si nolueritis audire,& si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis: quoniam non posuistis super cor.

Lev. 26.b.14. Deut. 28.b.15.

3 Ecce ego projiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, & assumet vos secum.

4 Et scietis quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum.

5 Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pavebat.

B 6 Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non est inventa in labiis ejus: in pace & in æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate.

7 Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est.

8 Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum.

9 Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, & accepistis faciem in lege.

10 * Numquid non pater unus omnium nostrûm?numquid non Deus unus creavit nos?quare ergo despicit unusquisque nostrûm fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum?

Matt. 23.a.9. Eph. 4.b.6.

C 11 Transgressus est Juda, & abominatio facta est in Israël, & in Jerusalem: quia contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit; & habuit filiam dei alieni.

12 Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum & discipulum de tabernaculis Jacob,& offerentem munus Domino exercituum.

13 Et hoc rursum fecistis, operiebatis lacrymis altare Domini, fletu, & mugitu, ita ut non respiciam ultrà ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra.

14 Et dixistis: Quam ob causam? quia Dominus testificatus est inter te, & uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti: & hæc particeps tua,& uxor fœderis tui.

D 15 Nónne unus fecit,& residuum spiritus ejus est? Et quid unus quærit,nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.

16 Cùm odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israël: operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum: custodite spiritum vestrum, & nolite despicere.

17 Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, & dixistis: In quo eum fecimus laborare? In eo quòd dicitis: Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent: aut certè ubi est Deus judicij?

Caput III.

De præcursore Christi, & hujus adventu, ac futuro judicio; qui purgatis filiis Levi gratum habebit sacrificium Iuda & Ierusalem: comminatur sceleratis gravem ultionem; quos tamen ad se revocat plurima bona conversis promittens: conqueritur de ingratitudine filiorum Israël, & quòd ipsum in decimis suis configant, quódque dicant Deo non esse curæ suos cultores, cujus contrarium tandem experientur.

A 1 ECce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis; & angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.

Matt. 11.b.10. Mar. 1.a.2. Luc. 1.b.17.7. d.27.

2 Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum:

3 Et sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.

4 Et placebit Domino sacrificium Juda & Jerusalem, sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui.

B 5 Et accedam ad vos in judicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas & pupillos,& opprimunt peregrinum,nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.

6 Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij Jacob non estis consumpti.

7 A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis. * Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis: In quo revertemur?

Zach. 1.a.3.

8 Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis, & in primitiis.

9 Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota.

C 10 Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam,

11 Et increpabo pro vobis devorantem,& non corrumpet fructum terræ vestræ; nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum.

12 Et beatos vos dicent omnes Gentes: eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum.

13 Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus.

D 14 Et dixistis: Quid locuti sumus contra te? Dixistis: * Vanus est, qui servit Deo: & quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum?

Job. 21. b.15.

15 Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem; & tentaverunt Deum, & salvi facti sunt.

16 Tunc locuti sunt timentes Dominum, unusquisque cum proximo suo: Et attendit Dominus, & audivit: & scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum,& cogitantibus nomen ejus.

17 Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium; & parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi.

18 Et convertemini, & videbitis quid sit inter justum & impium, & inter servientem Deo, & non servientem ei.

Caput IV.

Dies Domini inflammabit omnes facientes impietatem, evulsa ipsorum radice: orietur sol justitiæ Deum timentibus, qui calcabunt impios: jubet reminisci legis Moysi: Elias antequam veniat dies Domini mittendus prædicitur, qui convertat cor patrum ad filios.

A 1 ECce enim dies veniet succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens,dicit Dominus exercituum,quæ non derelinquet eis radicem & germen.

2 * Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento.

Luc. 1. g.78.

B 3 Et calcabitis impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.

4 * Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israël, præcepta & judicia.

Ex. 20. Deut. 4. 5.6.

5 * Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.

Matt. 17.b.10. Mar. 9. b.10. Luc. 1. b.17.

6 Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER PRIMUS MACHABÆORUM.

Caput Primum.

Mortuo Alexandro Magno, qui Darium percusserat, successit tandem in Græcia Antiochus illustris: sub quo scelerati quidam ex filiis Israël profanarunt Ierusalem: Antiochus autem, devicto Ptolemæo rege Ægypti, invasit Ierusalem, & ablatis omnibus vasis templi ac thesauris, fecit eadem magnam, unde ortus est ingens planctus: simile fecit & princeps tributorum ab eo missus, incensa Ierusalem, plurimisque in captivitatem ductis: Antiochus leges idololatriæ Iudæis statuit, ablatis cunctis divini cultus cæremoniis, & adificato idolo desolationis, reniti entes misere trucidans: cujus edicta plurimi impii secuti sunt, pij verò respuerunt, mortem potiùs subire parati.

A 1  T factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egressus de terra Cethim, Darium regem Persarum & Medorum:

2 Constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit reges terræ,

3 Et pertransiit usque ad fines terræ & accepit spolia multitudinis Gentium: & siluit terra in conspectu ejus.

4 Et congregavit virtutem, & exercitum fortem nimis: & exaltatum est, & elevatum cor ejus:

5 Et obtinuit regiones Gentium, & tyrannos: & facti sunt illi in tributum.

6 Et post hæc decidit in lectum, & cognovit quia moreretur.

7 Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à juventute: & divisit illis regnum suum, cùm adhuc viveret.

8 Et regnavit Alexander annis duodecim, & mortuus est.

9 Et obtinuerunt pueri ejus regnum, unusquisque in loco suo:

10 Et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem ejus, & filij eorum post eos annis multis,

B & multiplicata sunt mala in terra.

11 Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses: & regnavit in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum.

12 In diebus illis exierunt ex Israël filij iniqui, & suaserunt multis, dicentes: Eamus, & disponamus testamentum cum Gentibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala.

13 Et bonus visus est sermo in oculis eorum.

14 Et destinaverunt aliqui de populo, & abierunt ad regem: & dedit illis potestatem ut facerent justitiam Gentium.

15 Et ædificaverunt gymnasium in Jerosolymis secundùm leges Nationum:

16 Et fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & juncti sunt Nationibus, & venumdati sunt ut facerent malum.

17 Et paratum est regnum in conspectu Antio- C
chi, & cœpit regnare in terra Ægypti, ut regnaret super duo regna.

18 Et intravit in Ægyptum in multitudine gravi, in curribus, & elephantis, & equitibus, & copiosa navium multitudine:

19 Et constituit bellum adversus Ptolemæum regem Ægypti, & veritus est Ptolemæus à facie ejus, & fugit, & ceciderunt vulnerati multi.

20 Et comprehendit civitates munitas in Terra Ægypti: & accepit spolia Terræ Ægypti.

21 Et convertit Antiochus, postquam percussit Ægyptum in centesimo & quadragesimo tertio anno: & ascendit ad Israël:

22 Et ascendit Jerosolymam in multitudine gravi.

23 Et intravit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & universa vasa ejus, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat: & comminuit omnia. D

24 Et accepit argentum, & aurum, & vasa concupiscibilia: & accepit thesauros occultos, quos invenit: & sublatis omnibus abiit in terram suam.

25 Et fecit cædem hominum, & locutus est in superbia magna.

26 Et factus est planctus magnus in Israël, & in omni loco eorum:

27 Et ingemuerunt principes, & seniores: virgines, & juvenes infirmati sunt: & speciositas mulierum immutata est.

28 Omnis maritus sumpsit lamentum: & quæ sedebant in thoro maritali, lugebant:

29 Et commota est terra super habitantes in ea, & universa domus Jacob induit confusionem.

30 Et post duos annos dierum, misit Rex principem tributorum in civitates Juda, & venit Jerusalem cum turba magna.

31 Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo: & crediderunt ei.

32 Et irruit super civitatem repentè, & percussit eam plaga magna, & perdidit populum multum ex Israël.

33 Et accepit spolia civitatis: & succendit eã igni, & destruxit domos ejus, & muros ejus in circuitu:

34 Et captivas duxerunt mulieres: & natos, & pecora possederunt.

35 Et ædificaverunt civitatem David muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem:

36 Et posuerunt illic gentem peccatricem, viros E
iniquos, & convaluerunt in ea. & posuerunt arma, & escas, & congregaverunt spolia Jerusalem;

37 Et reposuerunt illic: & facti sunt in laqueum magnum.

38 Et factum est hoc ad insidias sanctificationi, & in diabolum malum in Israël:

39 Et

39 Et effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis, & contaminaverunt sanctificationem.

40 Et fugerunt habitatores Jerusalem propter eos, & facta est habitatio exterorum, & facta est extera semini suo, & nati ejus reliquerunt eam.

41 Sanctificatio ejus desolata est sicut solitudo,
*Tob. 2. b. 6. Amos 8. c. 10. *dies festi ejus conversi sunt in luctum, sabbata ejus in opprobrium, honores ejus in nihilum.

42 Secundùm gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus: & sublimitas ejus conversa est in luctum.

43 Et scripsit rex Antiochus omni regno suo, ut esset omnis populus, unus: & relinqueret unusquisque legem suam.

44 Et consenserunt omnes Gentes secundùm verbum regis Antiochi:

45 Et multi ex Israël consenserunt servituti ejus, & sacrificaverunt idolis, & coinquinaverunt sabbatum.

F 46 Et misit Rex libros per manus nuntiorum in Jerusalem, & in omnes civitates Juda: ut sequerentur leges Gentium terræ,

47 Et prohiberent holocausta, & sacrificia, & placationes fieri in templo Dei,

48 Et prohiberent celebrari sabbatum, & dies solemnes:

49 Et jussit coinquinari sancta, & sanctum populum Israël.

50 Et jussit ædificari aras, & templa, & idola, & immolari carnes suillas, & pecora communia,

51 Et relinquere filios suos incircumcisos, & coinquinari animas eorum in omnibus immundis, & abominationibus, ita ut oblivisceretur legem, & immutarent omnes justificationes Dei.

52 Et quicumque non feciſſent secundùm verbum regis Antiochi, morerentur.

53 Secundùm omnia verba hæc scripsit omni regno suo: & præposuit principes populo, qui hæc fieri cogerent.

54 Et jusserunt civitatibus Juda sacrificare.

55 Et congregati sunt multi de populo, ad eos qui dereliquerant legem Domini: & fecerunt mala super terram:

56 Et effugaverunt populum Israël in abditis, & in absconditis fugitivorum locis.

G 57 Die quinta decima mensis Casleu, quinto & quadragesimo & centesimo anno, ædificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei, & per universas civitates Juda in circuitu ædificaverunt aras:

58 Et ante januas domorum: & in plateis incendebant thura, & sacrificabant:

59 Et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos:

60 Et apud quemcumque inveniebantur libri testamenti Domini, & quicumque observabat legem Domini, secundùm edictum regis trucidabant eum.

61 In virtute sua faciebant hæc populo Israël qui inveniebatur in omni * mense & mense in civitatibus.

* *In omni mense in civitat.*

62 Et quinta & vigesima die mensis sacrificabant super aram, quæ erat contra altare.

63 Et mulieres, quæ circumcidebant filios suos, trucidabantur secundùm jussum regis Antiochi,

64 Et suspendebant pueros à cervicibus per universas domos eorum: & eos, qui circumciderant illos, trucidabant.

65 Et multi de populo Israël definierunt apud se, ut non manducarent immunda: & elegerunt magis mori, quàm cibis coinquinari immundis:

66 Et noluerunt infringere legem Dei sanctam, & trucidati sunt:

67 Et facta est ira magna super populum valdè.

Caput II.

Mathathias cum filiis luget afflictionem civitatis, & sanctorum profanationem; ostensisque signis mœstitiæ, respondet his qui à rege missi erant, nec se nec cognationem suam impio decreto obtemperaturos: occisisque idololatra Iudæo & regis ministro, fugit cum filiis in montes: plurimi nolentes obtemperare trucidantur, cum nollent sabbato inimicis resistere: Mathathias collecto piorum exercitu, revocat Dei cultum, destructa idololatria, casoque Antiochi præsidio: & moriturus hortatur filios, ut patrum exemplo semper tueantur legem Domini, dans Simonem filium suum in consultorem, & Iudam in militiæ principem.

1 In diebus illis surrexit Mathathias filius Joan- A
nis, filij Simeonis, sacerdos ex filiis Joarib ab Jerusalem, & consedit in monte Modin:

2 Et habebat filios quinque, Joannem, qui cognominabatur Gaddis:

3 Et Simonem, qui cognominabatur Thasi:

4 Et Judam, qui vocabatur Machabæus:

5 Et Eleazarum, qui cognominabatur Abaron: & Jonathan, qui cognominabatur Apphus.

6 Hi viderunt mala, quæ fiebant in populo Juda, & in Jerusalem.

7 Et dixit Mathathias: Væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem civitatis sanctæ, & sedere illic, cùm datur in manibus inimicorum?

8 Sancta in manu extraneorum facta sunt: templum ejus sicut homo ignobilis.

9 Vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt: trucidati sunt senes ejus in plateis, & juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum.

10 Quæ gens non hereditavit regnum ejus, & non obtinuit spolia ejus?

11 Omnis compositio ejus ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla.

12 Ecce sancta nostra, & pulchritudo nostra, & B
claritas nostra desolata est, & coinquinaverunt ea Gentes.

13 Quò ergo nobis adhuc vivere?

14 Et scidit vestimenta sua Mathathias, & filij ejus: & operuerunt se ciliciis: & planxerunt valdè.

15 Et venerunt illuc qui missi erant à rege Antiocho, ut cogerent eos, qui confugerant in civitatem Modin, immolare, & accendere thura, & à lege Dei discedere.

16 Et multi de populo Israël consentientes accesserunt ad eos: sed Mathathias, & filij ejus constanter steterunt.

17 Et respondentes qui missi erant ab Antiocho, dixerunt Mathathiæ: Princeps & clarissimus & magnus es in hac civitate, & ornatus filiis & fratribus.

18 Ergo accede prior, & fac jussum regis, sicut

fecerunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

fecerunt omnes Gentes, & viri Juda, & qui remanserunt in Jerusalem: & eris tu, & filij tui, inter amicos regis, & amplificatus auro & argento, & muneribus multis.

19 Et respondit Mathathias, & dixit magna voce: Et si omnes Gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque à servitute legis patrum suorum, & consentiat mandatis ejus:

20 Ego, & filij mei, & fratres mei, obediemus legi patrum nostrorum.

21 Propitius sit nobis Deus: non est nobis utile relinquere legem & justitias Dei:

C 22 Non audiemus verba regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus altera via.

23 Et ut cessavit loqui verba hæc, accessit quidam Judæus in omniũ oculis sacrificare idolis super arã in civitate Modin, secundùm justum regis:

24 Et vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundùm judicium legis, & insiliens trucidavit eum super aram:

25 Sed & virum, quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit,

*Nu. 25. c. 13. 26 Et zelatus est legem, * sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi.

27 Et exclamavit Mathathias voce magna in civitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me.

28 Et fugit ipse, & filij ejus in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in civitate.

29 Tunc descenderunt multi quærentes judicium, & justitiam, in desertum:

30 Et sederunt ibi ipsi, & filij eorum, & mulieres eorum, & pecora eorum: quoniam inundaverunt super eos mala.

D 31 Et renuntiatum est viris regis, & exercitui, qui erat in Jerusalem civitate David, quoniam discessissent viri quidam, qui dissipaverunt mandatum regis, in loca occulta in deserto, & abiissent post illos multi.

32 Et statim perrexerunt ad eos, & constituerunt adversus eos prælium in die sabbatorum,

33 Et dixerunt ad eos: Resistitis & nunc adhuc exite, & facite secundùm verbum regis Antiochi, & vivetis.

34 Et dixerunt: Non exibimus, neque faciemus verbum regis, ut polluamus diem sabbatorũ.

35 Et concitaverunt adversus eos prælium.

36 Et non responderunt eis, nec lapidem miserunt in eos, nec oppilaverunt loca occulta,

37 Dicentes: Moriamur omnes in simplicitate nostra: & testes erunt super nos cælum & terra, quòd injustè perditis nos.

38 Et intulerunt illis bellum sabbatis: & mortui sunt ipsi, & uxores eorum, & filij eorum, & pecora eorum, usque ad mille animas hominum.

39 Et cognovit Mathathias, & amici ejus, & luctum habuerunt super eos valdè.

40 Et dixit vir proximo suo: Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, & non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris, & justificationibus nostris: nunc citiùs disperdent nos à terra.

41 Et cogitaverunt in die illa, dicentes: Omnis E homo quicumque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus adversus eum: & non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.

42 Tunc congregata est ad eos synagoga Assidæorum fortis viribus ex Israël, omnis voluntarius in lege.

43 Et omnes, qui fugiebant à malis, additi sunt ad eos, & facti sunt illis ad firmamentum.

44 Et collegerunt exercitum, & percusserunt peccatores in ira sua, & viros iniquos in indignatione sua: & ceteri fugerunt ad nationes, ut evaderent.

45 Et circuivit Mathathias, & amici ejus, & destruxerunt aras:

46 Et circumciderunt pueros incircumcisos quotquot invenerunt in finibus Israël: & in fortitudine.

47 Et persecuti sunt filios superbiæ, & prosperatum est opus in manibus eorum:

48 Et obtinuerunt legem de manibus gentium, & de manibus regum: & non dederunt cornu peccatori.

49 Et appropinquaverunt dies Mathathiæ mo- F rienti, & dixit filiis suis: Nunc confortata est superbia, & castigatio, & tempus eversionis, & ira indignationis.

50 Nunc ergo, ô filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum,

51 Et mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.

52 * Abraham nónne in tentatione inventus est fidelis: & reputatum est ei ad justitiam? * Gen. 22. a. 2.

53 * Joseph in tempore angustiæ suæ custodivit mandatum, & factus est dominus Ægypti. * Gen. 41. c. 40.

54 * Phinees pater noster, zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotij æterni. *Num. 25. c. 13. Eccl. 45. d. 28.

55 * Jesus dum implevit verbum, factus est dux in Israël. *Jos. 1. a. 2.

56 * Caleb, dum testificatur in Ecclesia, accepit hereditatem. * Num. 14. a. 6. Jos. 14. d. 14.

57 * David in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula. *2. Reg. 2. a. 4.

58 * Elias dum zelat zelum legis, receptus est in cælum. *4. Reg. 2. b. 11.

59 * Ananias & Azarias & Misael credentes, liberati sunt de flamma. *Dan. 3. c. 50.

60 * Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. *Dan. 6. f. 22.

61 Et ita cogitate per generationem & generationem: quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur.

62 Et à verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria ejus, stercus & vermis est:

63 Hodie extollitur, & cras non invenietur, quia conversus est in terrã suam, & cogitatio ejus periit.

64 Vos ergo filij confortamini, & viriliter agite in lege: quia in ipsa glorioſi eritis.

65 Et ecce Simon frater vester, scio quòd vir consilij est: ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater.

66 Et

66 Et Judas Machabæus fortis viribus à juventute sua, sit vobis princeps militiæ, & ipse aget bellum populi.

67 Et adducetis ad vos omnes factores legis: & vindicate vindictam populi vestri.

68 Retribuite retributionem Gentibus, & intendite in præceptum legis.

69 Et benedixit eos, & appositus est ad patres suos.

70 Et defunctus est anno centesimo & quadragesimo sexto: & sepultus est à filiis suis in sepulchris patrum suorum in Modin, & planxerunt eum omnis Israël planctu magno.

Caput III.

Judas Machabæus dux eximius prædicatur; qui perambulans civitates Juda, trucidabat omnes impios; & occiso duce Apollonio, ejúsque exercitu dispersò, vicit cum paucis potentissimum Syriæ exercitum unà cum duce. Serone: iratus autem ob hoc rex Antiochus, profectus in Persidem constituit Lysiam viceregem, dato belli in Judæos apparatu, qui misit contra terram Juda Gorgiam cum exercitu: Judas autem & sui ad bellum se parant, maximè operibus pœnitentiæ & oratione ad Deum.

A 1 ET surrexit Judas, qui vocabatur Machabæus, filius ejus pro eo:

2 Et adjuvabant eum omnes fratres ejus, & universi qui se conjunxerant patri ejus, & præliabantur prælium Israël cum lætitia.

3 Et dilatavit gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica sua in præliis, & protegebat castra gladio suo.

4 Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione.

5 Et persecutus est iniquos perscrutans eos: & qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis:

6 Et repulsi sunt inimici ejus præ timore ejus, & omnes operarij iniquitatis conturbati sunt: & directa est salus in manu ejus.

7 Et exacerbabat reges multos, & lætificabat Jacob in operibus suis, & in sæculum memoria ejus in Benedictione.

8 Et perambulavit civitates Juda, & perdidit impios ex eis, & avertit iram ab Israël.

9 Et nominatus est usque ad novissimum terræ, & congregavit pereuntes.

B 10 Et congregavit Apollonius Gentes, & à Samaria virtutem multam & magnam, ad bellandum contra Israël.

11 Et cognovit Judas, & exiit obviàm illi: & percussit, & occidit illum: & ceciderunt vulnerati multi, & reliqui fugerunt.

12 Et accepit spolia eorum: & gladium Apollonij abstulit Judas, & erat pugnans in eo omnibus diebus.

13 Et audivit Seron princeps exercitus Syriæ, quòd congregavit Judas congregationem fidelium & Ecclesiam secum,

14 Et ait: Faciam mihi nomen, & glorificabor in regno, & debellabo Judam, & eos qui cum ipso sunt, qui spernebant verbum regis.

15 Et præparavit se: & ascenderunt cum eo castra impiorum, fortes auxiliarij, ut facerent vindictam in filios Israël.

16 Et appropinquaverunt usque ad e thoron: & exivit Judas obviàm illi cum paucis.

17 Ut autem viderunt exercitum venientem si- C bi obviàm, dixerunt Judæ: Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati sumus jejunio hodie?

18 Et ait Judas: Facile est concludi multos in manus paucorum: & non est differentia in conspectu Dei cæli liberare in multis, & in paucis:

19 Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est.

20 Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci & superbia, ut disperdant nos, & uxores nostras, & filios nostros, & ut spolient nos:

21 Nos verò pugnabimus pro animabus nostris, & legibus nostris:

22 Et ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram: vos autem ne timueritis eos.

23 Ut cessavit autem loqui, insiluit in eos subitò: & contritus est Seron, & exercitus ejus in conspectu ipsius:

24 Et persecutus est eum in descensu Bethoron usque in campum, & ceciderunt ex eis octingenti viri, reliqui autem fugerũt in terram Philisthim.

25 Et cecidit timor Judæ, ac fratrum ejus, & formido super omnes gentes in circuitu eorum.

26 Et pervenit ad regem nomen ejus, & de præ- D liis Judæ narrabant omnes gentes.

27 Ut audivit autem rex Antiochus sermones istos, iratus est animo: & misit, & congregavit exercitum universi regni sui, castra fortia valdè:

28 Et aperuit ærarium suum, & dedit stipendia exercitui in annum: & mandavit illis ut essent parati ad omnia.

29 Et vidit quòd defecit pecunia de thesauris suis, & tributa regionis modica propter dissensionem, & plagam, quam fecit in terra, ut tolleret legitima, quæ erant à primis diebus:

30 Et timuit ne non haberet ut semel & bis, in sumptus & donaria, quæ dederat antè larga manu: & abundaverat super reges, qui ante eum fuerant.

31 Et consternatus erat animo valdè, & cogitavit ire in Persidem, & accipere tributa regionum, & congregare argentum multum.

32 Et reliquit Lysiam hominem nobilem de genere regali, super negotia regia, à flumine Euphrate usque ad flumen Ægypti:

33 Et ut nutriret Antiochum filium suum, donec rediret:

34 Et tradidit ei medium exercitum, & elephantos: & mandavit ei de omnibus quæ volebat, & de inhabitantibus Judæam & Jerusalem:

35 Et ut mitteret ad eos exercitum, ad conte- E rendam & extirpandã virtutem Israël, & reliquias Jerusalem, & auferendam memoriã eorum de loco:

36 Et ut constitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum, & sorte distribueret terram eorum.

37 Et rex assumpsit partem exercitus residui, & exivit ab Antiochia civitate regni sui, anno centesimo & quadragesimo septimo: & transfretavit Euphratem flumen, & perambulabat superiores regiones.

38 Et elegit Lysias Ptolemæum filium Dorymini, & Nicanorem, & Gorgiam, viros potentes ex amicis regis:

39 Et

Universidad de Deusto Biblioteca

39 Et miſit cum eis quadraginta millia virorum, & ſeptem millia equitum, ut venirent in terram Juda, & diſperderent eam ſecundùm verbũ regis.

40 Et proceſſerunt cum univerſa virtute ſua,& venerunt, & applicuerunt Emmaum in terra campeſtri.

41 Et audierunt mercatores regionum nomen eorum:& acceperunt argentum & aurum multum valdè, & pueros:& venerunt in caſtra, ut acciperent filios Iſraël in ſervos; & additi ſunt ad eos exercitus Syriæ,& terræ alienigenarum.

F 42 Et vidit Judas,& fratres ejus,quia multiplicata ſunt mala,& exercitus applicabant ad fines eorum: & cognoverunt verba regis, quæ mandavit populo facere in interitum & conſummationem:

43 Et dixerunt unuſquiſque ad proximum ſuum: Erigamus dejectionem populi noſtri, & pugnemus pro populo noſtro,& ſanctis noſtris.

44 Et congregatus eſt conventus ut eſſent parati in prælium; & ut orarent, & peterent miſericordiam & miſerationes.

45 Et Jeruſalem non habitabatur, ſed erat ſicut deſertum: non erat qui ingrederetur & egrederetur de natis ejus: & ſanctum conculcabatur: & filij alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio Gentium: & ablata eſt voluptas à Jacob, & defecit ibi tibia & cithara.

46 Et congregati ſunt, & venerunt in Maſpha contra Jeruſalem:quia locus orationis erat in Maſpha antè in Iſraël.

47 Et jejunaverunt illa die, & induerunt ſe ciliciis,& cinerem impoſuerunt capiti ſuo, & diſciderunt veſtimenta ſua:

48 Et expanderunt libros legis,de quibus ſcrutabantur Gentes ſimilitudinem ſimulachrorũ ſuorũ:

G 49 Et attulerunt ornamenta ſacerdotalia,& primitias,& decimas: & ſuſcitaverunt Nazaræos,qui impleverant dies:

50 Et clamaverunt voce magna in cælum, dicẽtes: Quid faciemus iſtis,& quò eos ducemus?

51 Et ſancta tua conculcata ſunt, & contaminata ſunt,& ſacerdotes tui facti ſunt in luctum,& in humilitatem.

52 Et ecce Nationes convenerunt adverſum nos ut nos diſperdant: tu ſcis quæ cogitant in nos.

53 Quomodo poterimus ſubſiſtere ante faciem eorum, niſi tu Deus adjuves nos?

54 Et tubis exclamaverunt voce magna.

55 Et poſt hæc conſtituit Judas duces populi, tribunos, & centuriones, & pentacontarchos, & decuriones.

56 *Et dixit his, qui ædificabant domos, & ſponſabant uxores, & plantabant vineas,& formidoloſis, ut redirent unuſquiſque in domum ſuam ſecundùm legem. *Deut. 20.a.5. b.6.7.8. Judic.7. a.3.

57 Et moverunt caſtra,& collocaverunt ad Auſtrum Emmaum.

58 Et ait Judas: Accingimini, & eſtote filij potentes, & eſtote parati in manè, ut pugnetis adverſus Nationes has, quæ convenerunt adverſus nos,diſperdere nos & ſancta noſtra:

59 Quoniam melius eſt nos mori in bello,quàm videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum.

60 Sicut autem fuerit voluntas in cælo,ſic fiat.

L

Caput IV.

Gorgias quærit Iudam: at hic ſuos hortatus fudit hoſtes,rurſúmque Gorgiæ exercitu fuſo colligit ſpolia; & iterum fuſis ad Deum precibus, devincit Lyſiæ exercitum, ac poſtmodum purificato templo, novum erigit altare: & omnibus quæ ad Dei cultum requirebantur præparatis, ſacrificiiſque oblatis, magna lætitia celebrant illius dedicationem diebus octo; ſtatuto etiam hujus dedicationis annuo feſto ad dies octo.

1 ET aſſumpſit Gorgias quinque millia virorum, & mille equites electos: & moverunt caſtra nocte, A

2 Ut applicarent ad caſtra Judæorum,& percuterent eos ſubitò: & filij, qui erant ex arce,erant illis duces.

3 Et audivit Judas, & ſurrexit ipſe,& potentes, percutere virtutem exercituum regis,qui erant in Emmaum.

4 Adhuc enim diſperſus erat exercitus à caſtris.

5 Et venit Gorgias in caſtra Judæ noctu,& neminem invenit: & quærebat eos in montibus: quoniam dixit: Fugiunt hi à nobis.

6 Et cùm dies factus eſſet, apparuit Judas in campo cum tribus millibus virorum tantùm, qui tegumenta & gladios non habebant:

7 Et viderunt caſtra Gentium valida,& loricatos, & equitatus in circuitu eorum, & hi docti ad prælium.

8 Et ait Judas viris, qui ſecum erant: Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formideritis.

9 * Mementote qualiter ſalvi facti ſunt patres noſtri in mari rubro, cùm ſequeretur eos Pharao cum exercitu multo. *Exod. 14.b.9.

10 Et nunc clamemus in cælum; & miſerebitur noſtri Dominus, & memor erit teſtamenti patrum noſtrorum, & conteret exercitum iſtum ante faciem noſtram hodie:

11 Et ſcient omnes gentes,quia eſt qui redimat & liberet Iſraël.

12 Et elevaverunt alienigenæ oculos ſuos, & viderunt eos venientes ex adverſo.

13 Et exierunt de caſtris in prælium, & tuba B cecinerunt hi qui erant cum Juda.

14 Et congreſſi ſunt: & contritæ ſunt Gentes, & fugerunt in campum.

15 Noviſſimi autem omnes ceciderunt in gladio,& perſecuti ſunt eos uſque Gezeron, & uſque in campos Idumææ,& Azoti,& Jamniæ: & ceciderunt ex illis uſque ad tria millia virorum.

16 Et reverſus eſt Judas, & exercitus ejus, ſequens eum.

17 Dixítque ad populum: Non concupiſcatis ſpolia: quia bellum contra nos eſt,

18 Et Gorgias & exercitus ejus prope nos in monte:ſed ſtate nunc contra inimicos noſtros, & expugnate eos, & ſumetis poſteà ſpolia ſecuri.

19 Et adhuc loquente Juda, hæc, ecce apparuit pars quædam proſpiciens de monte.

20 Et vidit Gorgias quòd in fugam converſi ſunt ſui, & ſuccenderunt caſtra: fumus enim,qui videbatur,declarabat quod factum eſt.

21 Quibus illi conſpectis timuerunt valdè, aſ- C picientes ſimul & Judam, & exercitum in campo paratum ad prælium.

22 Et fugerunt omnes in campum alienigenarũ.

23 Et Judas reverſus eſt ad ſpolia caſtrorum, & acceperunt aurum multum, & argentũ,& hyacinthum,& purpuram marinam, & opes magnas.

24 Et converſi, hymnum canebant, & benedicebant Deum in cælum,quoniam bonus eſt,quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

25 Et facta eſt ſalus magna in Iſraël in die illa.

26 Quicumque autem alienigenarum evaſerunt, venerunt, & nuntiaverunt Lyſiæ univerſa quæ acciderant.

27 Quibus ille auditis, conſternatus animo deficiebat: quòd non qualia voluit, talia contigerunt in Iſraël, & qualia mandavit rex.

28 Et ſequenti anno congregavit Lyſias virorum electorum ſexaginta millia,& equitum quinque millia, ut debellaret eos.

29 Et venerunt in Judæam,& caſtra poſuerunt in Bethoron, & occurrit illis Judas cum decem millibus viris.

D 30 Et viderunt exercitum fortem, & oravit, & dixit: Benedictus es ſalvator Iſraël: * qui contriviſti impetum potentis in manu ſervi tui David, * & tradidiſti caſtra alienigenarum in manu Jonathæ filij Saul, & armigeri ejus. *1.Reg. 17.g.50. *1.Reg. 14.b.13.

31 Conclude exercitũ iſtum in manu populi tui Iſraël,& confundãtur in exercitu ſuo & equitibus.

32 Da illis formidinem,& tabefac audaciam virtutis eorum,& commoveantur contritione ſua.

33 Dejice illos gladio diligentium te: & collaudent te omnes, qui noverunt nomen tuum, in hymnis.

34 Et commiſerunt prælium: & ceciderunt de exercitu Lyſiæ quinque millia virorum.

35 Videns autem Lyſias fugam ſuorum, & Judæorum audaciam,& quòd parati ſunt aut vivere, aut mori fortiter, abiit Antiochiam, & elegit milites,ut multiplicati rurſus venirent in Judæam.

E 36 Dixit autem Judas,& fratres ejus:Ecce contriti ſunt inimici noſtri: aſcendamus nunc mundare ſancta, & renovare.

37 Et congregatus eſt omnis exercitus, & aſcenderunt in montem Sion.

38 Et viderunt ſanctificationem deſertam, & altare profanatum, & portas exuſtas, & in atriis virgulta nata ſicut in ſaltu vel in montibus, & paſtophoria diruta.

39 Et ſciderunt veſtimenta ſua, & planxerunt planctu magno, & impoſuerunt cinerem ſuper caput ſuum.

40 Et ceciderunt in faciem ſuper terram, & exclamaverunt tubis ſignorũ,& clamaverunt in cęlũ.

41 Tunc ordinavit Judas viros, ut pugnarent adverſus eos qui erant in arce, donec emundarent ſancta.

42 Et elegit ſacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei:

43 Et mundaverunt ſancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum.

44 Et cogitavit de altari holocauſtorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret.

45 Et incidit illis conſiliũ bonum ut deſtruerent illud: ne fortè illis eſſet in opprobrium,quia contaminaverunt illud Gentes,& demoliti ſunt illud.

46 Et repoſuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadúſque veniret propheta, & reſponderet de eis.

47 Et acceperunt lapides integros ſecundùm legem; & ædificaverunt altare novum, ſecundùm illud quod fuit priùs: F

48 Et ædificaverunt ſancta, & quæ intra domum erant intrinſecus: & ædem, & atria ſanctificaverunt.

49 Et fecerunt vaſa ſancta nova, & intulerunt candelabrum, & altare incenſorum, & menſam in templum.

50 Et incenſum poſuerunt ſuper altare, & accenderunt lucernas, quæ ſuper candelabrum erant, & lucebant in templo.

51 Et poſuerunt ſuper menſam panes,& appenderunt vela, & conſummaverunt omnia opera quæ fecerant.

52 Et ante matutinum ſurrexerunt quinta & vigeſima die menſis noni (hic eſt menſis Caſleu) centeſimi quadrageſimi octavi anni:

53 Et obtulerunt ſacrificium ſecundùm legem, ſuper altare holocauſtorum novum quod fecerũt.

54 Secundùm tempus & ſecundùm diem, in G qua contaminaverunt illud Gentes, in ipſa renovatum eſt in canticis, & citharis, & cinyris,& in cymbalis.

55 Et cecidit omnis populus in faciem & adoraverunt, & benedixerunt in cælum eum, qui proſperavit eis.

56 Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocauſta cum lætitia, & ſacrificium ſalutaris & laudis.

57 Et ornaverunt faciem templi coronis aureis & ſcutulis: & dedicaverunt portas, & paſtophoria, & impoſuerunt eis januas.

58 Et facta eſt lætitia in populo magna valdè, & averſum eſt opprobrium Gentium.

59 * Et ſtatuit Judas, & fratres ejus, & univerſa Eccleſia Iſraël, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis, ab anno in annum, per dies octo: à quinta & vigeſima die menſis Caſleu, cum lætitia & gaudio. *Ioan. 10.d.22.

60 Et ædificaverunt in tempore illo montem Sion & per circuitum muros altos, & turres firmas, nequando venirent Gentes,& conculcarent eum ſicut anteà fecerunt.

61 Et collocavit illic exercitum, ut ſervarent eum, & munivit eum ad cuſtodiendam Bethſuram, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.

Caput V.

Percuſſit Iudas plurimas Gentes finitimas: obſeſſóſque Galaaditas & Galilæos ipſe unà cum fratre Simone liberat: & devicto ſemel atque iterùm Timotheo, captáque civitate Ephron, quæ tranſitum ipſi præbere noluerat, & omni maſculo ipſius interempto; tandem integro numero læti revertuntur in montem Sion ad ſacrificandum Domino: intereà qui relicti fuerant duces in Ieruſalē, dum contra Iudæ præceptum pugnant adverſus Gentes, cæduntur. Iudas verò percutit Chebron & Azotum, ſubverſis ipſarum ſimulachris.

1 ET factum eſt,ut audierunt Gentes in circuitu, quia ædificatum eſt altare & ſanctuarium ſicut priùs, iratæ ſunt valdè: A

2 Et cogitabant tollere genus Jacob, qui erant inter eos,& cœperunt occidere de populo,& perſequi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Et debellabat Judas filios Esau in Idumæa, & eos qui erant in Acrabathane, quia circumsedebant Israëlitas, & percussit eos plaga magna.

4 Et recordatus est malitiam filiorum Bean, qui erant populo in laqueum, & in scandalum, insidiantes ei in via.

5 Et concluſi sunt ab eo in turribus, & applicuit ad eos, & anathematizavit eos, & incendit turres eorum igni, cum omnibus qui in eis erant.

6 Et transivit ad filios Ammon, & invenit manum fortem, & populum copiosum, & Timotheum ducem ipsorum:

7 Et commisit cum eis prælia multa, & contriti sunt in conspectu eorum, & percussit eos:

8 Et cepit Gazer civitatem & filias ejus, & reversus est in Judæam.

9 Et congregatæ sunt gentes quæ sunt in Galaad, adversus Israëlitas qui erant in finibus eorum, ut tollerent eos: & fugerunt in Datheman munitionem,

10 Et miserunt litteras ad Judam & fratres ejus, dicentes: Congregatæ sunt adversum nos gentes per circuitum, ut nos auferant:

B 11 Et parant venire, & occupare munitionem, in quam confugimus: & Timotheus est dux exercitus eorum.

12 Nunc ergo veni, & eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis.

13 Et omnes fratres nostri, qui erant in locis Tubin, interfecti sunt: & captivas duxerunt uxores eorum, & natos, & spolia, & peremerunt illic ferè mille viros.

14 Et adhuc epistolæ legebantur, & ecce alij nuntij venerunt de Galilæa consciſſis tunicis, nuntiantes secundùm verba hæc:

15 Dicentes convenisse adversum se à Ptolemaida, & Tyro, & Sidone: & repleta est omnis Galilæa alienigenis, ut nos consumant.

16 Ut audivit autem Judas, & populus, sermones istos, convenit ecclesia magna cogitare quid facerent fratribus suis, qui in tribulatione erant, & expugnabantur ab eis.

17 Dixítque Judas Simoni fratri suo: Elige tibi viros, & vade, & libera fratres tuos in Galilæa: ego autem & frater meus Jonathas ibimus in Galaaditim.

18 Et reliquit Josephum filium Zachariæ & Azariam, duces populi, cum residuo exercitu in Judæa ad custodiam:

19 Et præcepit illis, dicens: Præestote populo huic: & nolite bellum committere adversum gentes, donec revertamur.

20 Et partiti sunt Simoni viri tria millia, ut iret in Galilæam: Judæ autem octo millia in Galaaditim.

C 21 Et abiit Simon in Galilæam, & commisit prælia multa cum gentibus: & contritæ sunt gentes à facie ejus, & persecutus est eos usque ad portam

22 Ptolemaidis: & ceciderunt de gentibus ferè tria millia virorum, & accepit spolia eorum.

23 Et assumpsit eos, qui erat in Galilea, & in Arbatis, cum uxoribus, & natis, & omnibus quæ erant illis, & adduxit in Judæam cum lætitia magna.

24 Et Judas Machabæus & Jonathas frater ejus transierunt Jordanem, & abierunt viam trium dierum per desertum.

25 Et occurrerunt eis Nabuthæi, & susceperunt eos pacificè, & narraverunt eis omnia, quæ acciderant fratribus eorum in Galaaditide,

26 Et quia multi ex eis comprehensi sunt in Barasa, & Bosor, & in Alimis, & in Casphor, & Mageth, & Carnaim: hæ omnes civitates munitæ, & magnæ.

27 Sed & in ceteris civitatibus Galaaditidis tenentur comprehensi, & in crastinum constituerunt admovere exercitum civitatibus his, & comprehendere, & tollere eos in una die.

28 Et convertit Judas, & exercitus ejus, viam in desertum Bosor repentè, & occupavit civitatem: & occidit omnem masculum in ore gladij, & accepit omnia spolia eorum, & succendit eam igni.

29 Et surrexerunt inde nocte, & ibant usque ad munitionem.

30 Et factum est diluculo, cùm elevassent oculos suos, ecce populus multus, cujus non erat numerus, portantes scalas & machinas, ut comprehenderent munitionem, & expugnarent eos. D

31 Et vidit Judas quia cœpit bellum, & clamor belli ascendit ad cælum sicut tuba, & clamor magnus de civitate:

32 Et dixit exercitui suo: Pugnate hodie pro fratribus vestris.

33 Et venit tribus ordinibus post eos, & exclamaverunt tubis, & clamaverunt in oratione.

34 Et cognoverunt castra Timothei quia Machabæus est, & refugerunt à facie ejus: & percusserunt eos plaga magna. & ceciderunt ex eis in die illa ferè octo millia virorum.

35 Et divertit Judas in Masipha, & expugnavit, & cepit eam: & occidit omnem masculum ejus, & sumpsit spolia ejus, & succendit eam igni.

36 Inde perrexit, & cepit Casbon, & Mageth, & Bosor, & reliquas civitates Galaaditidis.

37 Post hæc autem verba congregavit Timotheus exercitum alium, & castra posuit contra Raphon trans torrentem.

38 Et misit Judas speculari exercitum: & renuntiaverunt ei, dicentes: Quia convenerunt ad eum omnes gentes, quæ in circuitu nostro sunt, exercitus multus nimis:

39 Et Arabas conduxerunt in auxilium sibi, & castra posuerunt trans torrentem, parati ad te venire in prælium. Et abiit Judas obviàm illis.

40 Et ait Timotheus principibus exercitus sui: Cùm appropinquaverit Judas, & exercitus ejus ad torrentem aquæ: si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum: quia potens poterit adversum nos. E

41 Si verò timuerit transire, & posuerit castra extra flumen, transfretemus ad eos, & poterimus adversus illum.

42 Ut autem appropinquavit Judas ad torrentem aquæ, statuit scribas populi secus torrentem, & mandavit eis dicens: Neminem hominum reliqueritis: sed veniant omnes in prælium.

43 Et transfretavit ad illos prior, & omnis populus post eum, & contritæ sunt omnes gentes à facie

facie eorum, & projecerunt arma sua, & fugerunt ad fanum, quod erat in Carnaim.

44 Et occupavit ipsam civitatem, & fanum succendit igni, cum omnibus qui erant in ipso: & oppressa est Carnaim, & non potuit sustinere contra faciem Judæ.

45 Et congregavit Judas universos Israëlitas, qui erat in Galaaditide, à minimo usque ad maximum, & uxores eorum, & natos, & exercitum magnum valdè, ut venirent in terram Juda.

46 Et venerunt usque Ephron: & hæc civitas magna in ingressu posita, munita valdè, & non erat declinare ab ea dextera vel sinistra, sed per mediam iter erat.

F 47 Et inclusérunt se qui erant in civitate, & obstruxerunt portas lapidibus: & misit ad eos Judas verbis pacificis,

48 Dicens: Transeamus per terram vestram, ut eamus in terram nostram: & nemo vobis nocebit: tantùm pedibus transibimus. Et nolebant eis aperire.

49 Et præcepit Judas prædicare in castris, ut applicarent unusquisque in quo erat loco.

50 Et applicuerunt se viri virtutis: & oppugnavit civitatem illam tota die, & tota nocte, & tradita est civitas in manu ejus:

51 Et peremerunt omnem masculum in ore gladij, & eradicavit eam, & accepit spolia ejus, & transivit per totam civitatem super interfectos.

52 Et transgressi sunt Jordanem in campo magno, contra faciem Bethsan.

53 Et erat Judas congregans extremos, & exhortabatur populum per totam viam, donec venirent in terram Juda.

54 Et ascenderunt in montem Sion cum lætitia & gaudio, & obtulerunt holocausta, quòd nemo ex eis cecidisset, donec reverterentur in pace.

55 Et in diebus quibus erat Judas & Jonathas in terra Galaad, & Simon frater ejus in Galilæa contra faciem Ptolemaidis,

56 Audivit Iosephus Zachariæ filius, & Azarias princeps virtutis, res benè gestas, & prælia quæ facta sunt,

57 Et dixit: Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare adversus gentes, quæ in circuitu nostro sunt.

58 Et præcepit his qui erant in exercitu suo, & abierunt Jamniam.

G 59 Et exivit Gorgias de civitate, & viri ejus obviàm illis in pugnam.

60 Et fugati sunt Josephus & Azarias usque in fines Judææ: & ceciderunt illo die de populo Israël ad duo millia viri, & facta est fuga magna in populo:

61 Quia non audierunt Judam, & fratres ejus, existimantes fortiter se facturos.

62 Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israël.

63 Et viri Juda magnificati sunt valdè in conspectu omnis Israël, & gentium omnium ubi audiebatur nomen eorum.

64 Et convenerunt ad eos fausta acclamantes.

65 Et exivit Judas, & fratres ejus, & expugnabant filios Esau, in terra quæ ad Austrum est, & percussit Chebron & filias ejus: & muros ejus & turres succendit igni in circuitu.

66 Et movit castra ut iret in terram alienigenarum, & perambulabat Samariam.

67 In die illa ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium.

68 Et declinavit Judas in Azotum in terram alienigenarum, & diruit aras eorum, & sculptilia deorum ipsorum succendit igni: & cepit spolia civitatum, & reversus est in terram Juda.

Caput VI.

Antiochus repulsus ab opulenta civitate Elymaïde venit in Babylonem; ubi audi is infortunia quæ suis in Judæa passi erant, incidit præ tristitia in mortis languorem, confitens hoc sibi contigisse ob impietatem quam in Judæos exercuerat: quo ibi mortuo, & Juda arcem Ierusalem obsidente, successor ejus filius Antiochus dictus Eupator, congregato adversus Judam potentissimo exercitu non potuit eam vincere; & Eleazar, occiso ingenti elephante, ab eo oppressus interiit. Rex autem oppugnans Ierusalem revocatur à Lysia; sed post juratam pacem non servat jusjurandum.

1 ET rex Antiochus perambulabat superiores regiones, & audivit esse civitatem Elymaidem in Persida nobilissimam, & copiosam in argento & auro, A

2 Templúmque in eo locuples valdè: & illic velamina aurea, & loricæ, & scuta, quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnavit primus in Græcia.

3 Et venit, & quærebat capere civitatem, & deprædari eam: & non potuit, quoniam innotuit sermo his qui erant in civitate:

4 Et insurrexerunt in prælium, & fugit inde, & abiit cum tristitia magna, & reversus est in Babyloniam.

5 Et venit qui nuntiaret ei in Persida, quia fugata sunt castra, quæ erant in terra Juda:

6 Et quia abiit Lysias cum virtute forti in primis, & fugatus est à facie Judæorum, & invaluerunt armis, & viribus, & spoliis multis, quæ ceperunt de castris, quæ exciderunt:

7 Et quia diruerunt abominationem, quam ædificaverat super altare, quod erat in Jerusalem, & sanctificationem, sicut priùs, circumdederunt muris excelsis, sed & Bethsuram civitatem suam.

8 Et factum est ut audivit rex sermones istos, expavit, & commotus est valdè: & decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristitia, quia non factum est ei sicut cogitabat.

9 Et erat illic per dies multos: quia renovata est in eo tristitia magna, & arbitratus est se mori.

10 Et vocavit omnes amicos suos, & dixit illis: B
Recessit somnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præ solicitudine:

11 Et dixi in corde meo: In quantâ tribulationẽ deveni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nũc sum; qui jucundus eram, & dilectus in potestate mea.

12 Nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem, unde & abstuli omnia spolia aurea & argentea, quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Judæam sine causa.

13 Cognovi ergo quia propterea invenerunt me mala ista: & ecce pereo tristitia magna in terra aliena.

Universidad de Deusto
Biblioteca

14 Et vocavit Philippum, unum de amicis suis, & præposuit eum super universum regnum suum:

15 Et dedit ei diadema, & stolam suam, & annulum, ut adduceret Antiochum filium suum, & nutriret eum, & regnaret.

16 Et mortuus est illic Antiochus rex, anno centesimo quadragesimo nono.

17 Et cognovit Lysias, quoniam mortuus est rex, & constituit regnare Antiochum filium ejus, quem nutrivit adolescentem: & vocavit nomen ejus Eupator.

18 Et hi qui erant in arce, concluserant Israël in circuitu sanctorum: & quærebant eis mala semper, & firmamentum Gentium.

C 19 Et cogitavit Judas disperdere eos: & convocavit universum populum, ut obsiderent eos.

20 Et convenerunt simul, & obsederunt eos anno centesimo quinquagesimo, & fecerunt balistas & machinas.

21 Et exierunt quidam ex eis qui obsidebantur, & adjunxerunt se illis aliqui impij ex Israël,

22 Et abierunt ad regem, & dixerunt: Quousque non facis judicium, & vindicas fratres nostros?

23 Nos decrevimus servire patri tuo, & ambulare in præceptis ejus, & obsequi edictis ejus:

24 Et filij populi nostri propter hoc alienabant se à nobis, & quicumque inveniebantur ex nobis, interficiebantur, & hæreditates nostræ diripiebantur.

25 Et non ad nos tantùm extenderunt manum, sed & in omnes fines nostros.

26 Et ecce applicuerunt hodie ad arcem Jerusalem occupare eam, & munitionem Bethsuram munierunt:

27 Et nisi præveneris eos velociùs, majora quàm hæc facient, & non poteris obtinere eos.

28 Et iratus est rex, ut hæc audivit: & convocavit omnes amicos suos, & principes exercitus sui, & eos qui super equites erant.

29 Sed & de regnis aliis, & de insulis maritimis, venerunt ad eum exercitus conductitij.

D 30 Et erat numerus exercitus ejus, centum millia peditum, & viginti millia equitum, & elephanti triginta duo, docti ad prælium.

31 Et venerunt per Idumæam, & applicuerunt ad Bethsuram, & pugnaverunt dies multos, & fecerunt machinas, & exierunt, & succenderunt eas igni, & pugnaverunt viriliter.

32 Et recessit Judas ab arce, & movit castra ad Bethzacharam contra castra regis.

33 Et surrexit rex ante lucem, & concitavit exercitus in impetum contra viam Bethzacharam: & comparaverunt se exercitus in prælium, & tubis cecinerunt:

34 Et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium:

35 Et divisérunt bestias per legiones: & astiterũt singulis elephantis mille viri in loricis concatenatis, & galeæ æreæ in capitibus eorum: & quingenti equites ordinati unicuique bestiæ electi erant.

36 Hi ante tempus ubicumque erat bestia, ibi erant: & quocumque ibat ibant, & non discedebant ab ea.

37 Sed & turres ligneæ super eos firmæ protegentes super singulas bestias: & super eas machinæ: & super singulas viri virtutis triginta duo, qui pugnabant desuper, & Indus magister bestiæ.

38 Et residuum equitatum hinc & inde statuit in duas partes, tubis exercitum commovere, & perurgere constipatos in legionibus ejus.

E 39 Et ut refulsit sol in clypeos aureos, & æreos, resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lampades ignis.

40 Et distincta est pars exercitus regis per montes excelsos, & alia per loca humilia: & ibant cautè & ordinatè.

41 Et commovebantur omnes inhabitantes terram à voce multitudinis, & incessu turbæ, & collisione armorum: erat enim exercitus magnus valdè, & fortis.

42 Et appropiavit Judas, & exercitus ejus in prælium: & ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri.

43 Et vidit Eleazar filius Saura unam de bestiis loricatam loricis regis: & erat eminens super ceteras bestias. & visũ est ei quòd in ea esset rex:

44 Et dedit se ut liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum.

45 Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens à dextris & à sinistris, & cadebant ab eo huc atque illuc.

46 Et ivit sub pedes elephantis, & suppposuit se ei, & occidit eum: & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic.

47 Et videntes virtutem regis, & impetum exercitus ejus, diverterunt se ab eis.

F 48 Castra autem regis ascenderunt contra eos in Jerusalem, & applicuerunt castra regis ad Judæam & montem Sion.

49 Et fecit pacem cum his qui erant in Bethsura: & exierunt de civitate, quia non erant eis ibi alimenta conclusis, quia sabbata erant terræ.

50 Et comprehendit rex Bethsuram: & constituit illic custodiam servare eam.

51 Et convertit castra ad locum sanctificationis dies multos: & statuit illic balistas, & machinas, & ignis jacula, & tormenta ad lapides jactandos, & spicula, & scorpios ad mittendas sagittas, & fundibula.

52 Fecerunt autem & ipsi machinas adversus machinas eorum, & pugnaverunt dies multos.

53 Escæ autem non erant in civitate, eò quòd septimus annus esset: & qui remanserant in Judæa de Gentibus, consumpserant reliquias eorum, quæ repositæ fuerant.

54 Et remanserunt in sanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames: & dispersi sunt unusquisque in locum suum.

G 55 Et audivit Lysias quòd Philippus, quem constituerat rex Antiochus, cùm adhuc viveret, ut nutriret Antiochum filium suum, & regnaret,

56 Reversus esset à Perside, & Media, & exercitus qui abierat cum ipso, & quia quærebat suscipere regni negotia:

57 Festinavit ire, & dicere ad regem, & duces exercitus: Deficimus quotidie, & esca nobis modica est, & locus, quem obsidemus, est munitus, & incumbit nobis ordinare de regno.

58 Nunc itaq; demus dextras hominibus, istis, & faciamus

faciamus cum illis pacem, & cum omni gente eorũ:

59 Et constituamus illis ut ambulent in legitimis suis sicut priùs, propter legitima enim ipsorum, quæ despeximus, irati sunt, & fecerunt omnia hęc.

60 Et placuit sermo in conspectu regis & principum: & misit ad eos pacem facere, & receperunt illam.

61 Et juravit illis rex, & principes: & exierunt de munitione.

62 Et intravit rex montem Sion, & vidit munitionem loci: & rupit citiùs juramentum, quod juravit: & mandavit destruere murum in gyro.

63 Et discessit festinanter, & reversus est Antiochiam, & invenit Philippum dominantem civitati: & pugnavit adversus eum, & occupavit civitatem.

CAPUT VII.

Demetrius Seleuci filius, occisis Antiocho & Lysia, obtinet regnum patrum suorum: qui, accusato apud se Juda Machabæo, mittit ducem Bacchidem & accusatorem Alcimum constitutum sacerdotem ad affligendum filios Israël: sed cùm non possent adversus Judam prævalere, missus est à rege Nicanor, qui, ut & priores, cùm dolo nequiret, vi Judam aggressus, semel atque iterùm ab eo devictus est, & pramissis ad Deum precibus, cum toto suo exercitu occisus, amputato ipsius capite ac dextera, quam irrisis Judæorum sacrificiis superbè contra locum sanctum extulerat: cujus victoriæ dies annuus apud Judæos celebris institutur.

A 1 ANno centesimo quinquagesimo primo, exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma, & ascendit cum paucis viris in civitatem maritimam, & regnavit illic.

2 Et factum est, ut ingressus est domum regni patrum suorum, comprehendit exercitus Antiochum & Lysiam, ut adducerent eos ad eum.

3 Et res ei innotuit: & ait: Nolite mihi ostendere faciem eorum.

4 Et occidit eos exercitus. Et sedit Demetrius super sedem regni sui:

5 Et venerunt ad eum viri iniqui & impij ex Israël: & Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos.

6 Et accusaverunt populum apud regem, dicentes: Perdidit Judas, & fratres ejus, omnes amicos tuos, & nos dispersit de terra nostra.

7 Nunc ergo mitte virum, cui credis, ut eat, & videat exterminium omne, quod fecit nobis, & regionibus regis: & puniat omnes amicos ejus, & adjutores eorum.

B 8 Et elegit rex ex amicis suis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen magnum in regno, & fidelem regi: & misit eum,

9 Ut videret exterminium, quod fecit Judas: sed & Alcimum impium constituit in sacerdotium, & mandavit ei facere ultionem in filios Israël.

10 Et surrexerunt, & venerunt cum exercitu magno in terram Juda: & miserunt nuntios, & locuti sunt ad Judam, & ad fratres ejus, verbis pacificis in dolo.

11 Et non intenderunt sermonibus eorum: viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno.

12 Et convenerunt ad Alcimum & Bacchidem congregatio scribarum requirere quæ justa sunt:

13 Et primi, Assidæi qui erant in filiis Israël, & exquirebant ab eis pacem:

14 Dixerunt enim: Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos.

15 Et locutus est cum eis verba pacifica: & juravit illis, dicens: Non inferemus vobis malum, neque amicis vestris.

16 Et crediderunt ei: Et comprehendit ex eis C sexaginta viros, & occidit eos in una die, secundùm verbum quod scriptum est:

17 * Carnes sanctorum tuorum, & sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Jerusalem, & non erat qui sepeliret. *ps.78. a.1.2.3.

18 Et incubuit timor & tremor in omnem populum: quia dixerunt: Non est veritas & judicium in eis; transgressi sunt enim constitutum, & jusjurandum quod juraverunt.

19 Et movit Bacchides castra ab Jerusalem, & applicuit in Bethzecha: & misit, & comprehendit multos ex eis qui à se effugerant, & quosdam de populo mactavit, & in puteum magnum projecit.

20 Et commisit regionem Alcimo, & reliquit cum eo auxilium in adjutorium ipsi. Et abiit Bacchides ad regem:

21 Et satis agebat Alcimus pro principatu sacerdotij sui.

22 Et convenerunt ad eum omnes, qui perturbabant populum suum, & obtinuerunt terram Juda, & fecerunt plagam magnam in Israël.

23 Et vidit Judas omnia mala quæ fecit Alci- D mus, & qui cum eo erant, filiis Israël, multò plus quàm Gentes.

24 Et exiit in omnes fines Judææ in circuitu, & fecit vindictam in viros desertores, & cessaverunt ultrà exire in regionem.

25 Vidit autem Alcimus quòd prævaluit Judas, & qui cum eo erant: & cognovit quia non potest sustinere eos, & regressus est ad regem, & accusavit eos multis criminibus.

26 * Et misit rex Nicanorem, unum ex prin- *2.Mac. cipibus suis nobilioribus: qui erat inimicitias exer- 15.a.1. cens contra Israël: & mãdavit ei evertere populum.

27 Et venit Nicanor in Jerusalem cum exercitu magno, & misit ad Judam & ad fratres ejus verbis pacificis cum dolo,

28 Dicens: Non sit pugna inter me & vos: veniã cum viris paucis, ut videã facies vestras cum pace.

29 Et venit ad Judam, & salutaverunt se invicẽ pacificè: & hostes parati erant rapere Judam.

30 Et innotuit sermo Judæ, quoniam cum do- E lo venerat ad eum: & conterritus est ab eo, & ampliùs noluit videre faciem ejus.

31 Et cognovit Nicanor quoniam denudatum est consilium ejus: & exivit obviàm Judæ in pugnam juxta Capharsalama.

32 Et ceciderunt de' Nicanoris exercitu ferè quinque millia viri, & fugerunt in civitatẽ David.

33 Et post hæc verba ascendit Nicanor in montem Sion: & exierunt de sacerdotibus populi salutare eum in pace, & demonstrare ei holocautomata, quæ offerebantur pro rege.

34 Et irridens sprevit eos, & polluit: & locutus est superbè,

35 Et juravit cum ira, dicens: Nisi traditus fuerit Judas, & exercitus ejus in manus meas, continuò cùm regressus fuero in pace, succendam domum istam. Et exiit cum ira magna.

36 Et intraverunt sacerdotes, & steterunt ante

faciem altaris & templi : & flentes dixerunt :

37 Tu Domine elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis & obsecrationis populo tuo.

F 38 Fac vindictam in homine isto, & exercitu ejus,& cadant in gladio : memento blasphemias eorum,& ne dederis eis ut permaneant.

39 Et exiit Nicanor ab Jerusalem, & castra applicuit ad Bethoron:& occurrit illi exercitus Syrię.

40 Et Judas applicuit in Adarsa cum tribus millibus viris : & oravit Judas, & dixit :

*4.Reg. 19.g. 35. Tobiæ 1. d.21. Eccli. 48.d.24. Isaiæ 37. g.36. 2.Mach. 8. c.19.

41 * Qui missi erant à rege Sennacherib, Domine, quia blasphemaverunt te, exiit angelus, & percussit ex eis centum octoginta quinque millia:

42 Sic contere exercitum istum in conspectu nostro hodie : & sciant ceteri quia malè locutus est super sancta tua : & judica illum secundùm malitiam illius.

G 43 Et commiserunt exercitus prælium tertiadecima die mensis Adar : & contrita sunt castra Nicanoris,& cecidit ipse primus in prælio.

44 Ut autem vidit exercitus ejus quia cecidisset Nicanor,projecerunt arma sua,& fugerunt :

45 Et persecuti sunt eos viam unius diei, ab Adazer usquequò veniatur in Gazara,& tubis cecinerunt post eos cum significationibus :

46 Et exierunt de omnibus castellis Judææ in circuitu, & ventilabant eos cornibus, & convertebantur iterùm ad eos,& ceciderunt omnes gladio, & non est relictus ex eis nec unus.

47 Et acceperunt spolia eorum in prædam : & caput Nicanoris amputaverunt, & dexteram ejus, quam extenderat superbè,& attulerunt & suspenderunt contra Jerusalem.

48 Et lætatus est populus valdè,& egerunt diem illam in lætitia magna.

49 Et constituit agi omnibus annis diem istam, tertiadecima die mensis Adar.

50 Et siluit terra Juda dies paucos.

Caput VIII.

Iudas, audita celeberrima Romanorum fama ac virtute quæ hic recitantur, missis nuntiis fœdus cum illis percutit, ut ipsorum præsidio Iudæi à Græcorum jugo liberentur : Romani autem Iudæ remittunt ictli fœderis rescriptum in tabulis æreis sculptum, quod hic refertur.

A 1 Et audivit Judas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus,& acquiescunt ad omnia, quæ postulantur ab eis : & quicumque accesserunt ad eos,statuerunt cum eis amicitias,& quia sunt potentes viribus.

2 Et audierunt prælia eorum, & virtutes bonas quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos,& duxerunt sub tributum :

3 Et quanta fecerunt in regione Hispaniæ, & quòd in potestatem redegerunt metalla argenti & auri, quæ illic sunt, & possederunt omnem locum consilio suo, & patientia :

4 Locáque quæ longè erant valdè ab eis,& reges qui supervenerant eis ab extremis terræ, contriverunt,& percusserunt eos plaga magna : ceteri autem dant eis tributum omnibus annis.

5 Et Philippum & Persen Ceteorum regem,& ceteros qui adversum eos arma tulerant, contriverunt in bello, & obtinuerunt eos :

6 Et Antiochum magnum regem Asiæ, qui eis pugnam intulerat habens centum viginti elephantos, & equitatum, & currus, & exercitum magnum valdè, contritum ab eis.

7 Et quia ceperunt eum vivum, statuerunt ei B ut daret ipse, & qui regnarent post ipsum, tributum magnum,& daret obsides,& constitutum.

8 Et regionem Indorum, & Medos, & Lydos, de optimis regionibus eorum : & acceptas eas ab eis dederunt Eumeni regi.

9 Et quia qui erant apud Helladam, voluerunt ire, & tollere eos : & innotuit sermo his,

10 Et miserunt ad eos ducem unum,& pugnaverunt contra illos, & ceciderunt ex eis multi,& captivas duxerunt uxores eorum, & filios, & diripuerunt eos, & terram eorum possederunt, & destruxerunt muros eorum, & in servitutem illos redegerunt usque in hunc diem :

11 Et residua regna, & insulas, quæ aliquando restiterant illis, exterminaverunt, & in potestatem redegerunt.

12 Cum amicis autem suis & qui in ipsis requiem habebant, conservaverunt amicitiam, & obtinuerunt regna, quæ erant proxima, & quæ erant longè : quia quicumque audiebant nomen eorum,timebant eos.

13 Quibus verò vellent auxilio esse ut regnarent, regnabant : quos autem vellent regno deturbabant : & exaltati sunt valdè. C

14 Et in omnibus istis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, ut magnificaretur in ea.

15 Et quia curiam fecerunt sibi,& quotidie consulebant trecentos viginti, consilium agentes semper de multitudine,ut quæ digna sunt,gerant:

16 Et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universæ terræ suæ : & omnes obediunt uni, & non est invidia, neque zelus inter eos.

17 Et elegit Judas Eupolemum, filium Joannis, filij Jacob, & Jasonem, filium Eleazari, & misit eos Romam constituere cum illis amicitiam,& societatem :

18 Et ut auferrent ab eis jugum Græcorum, quia viderunt quòd in servitutem premerent regnum Israël.

19 Et abierunt Romam viam multam valdè,& introierunt curiam, & dixerunt :

20 Judas Machabæus,& fratres ejus,& populus Judæorum miserunt nos ad vos statuere vobiscum societatem & pacem, & conscribere nos socios & amicos vestros.

21 Et placuit sermo in conspectu eorum.

22 Et hoc rescriptum est, quod rescripserunt in tabulis æreis,& miserunt in Jerusalem,ut esset apud eos ibi memoriale pacis & societatis.

23 Bene sit Romanis, & genti Judæorum, D in mari & in terra in æternum : gladiúsque & hostis procul sit ab eis.

24 Quòd si institerit bellum Romanis priùs,aut omnibus sociis eorum in omni dominatione eorum :

25 Auxilium feret gens Judæorum, prout tempus dictaverit, corde pleno :

26 Et præliantibus non dabunt,neque submini-

strabunt

strabunt triticum, arma, pecuniam, naves, sicut placuit Romanis : & custodient mandata eorum, nihil ab eis accipentes.

27 Similiter autem & si genti Judæorum priùs acciderit bellum, adjuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit :

28 Et adjuvantibus non dabitur triticum,arma, pecunia, naves, sicut placuit Romanis, & custodient mandata eorum absque dolo.

29 Secundùm hæc verba constituerunt Romani populo Judæorum.

30 Quòd si post hæc verba hi aut illi addere aut demere ad hæc aliquid voluerint, facient ex proposito suo : & quæcumque addiderint, vel dempserint,rata erunt.

31 Sed & de malis, quæ Demetrius rex fecit in eos, scripsimus ei, dicentes : Quare gravasti jugum tuum super amicos nostros, & socios Judæos?

32 Si ergo iterùm adierint nos, adversum te faciemus illis judicium, & pugnabimus tecum mari terráque.

Caput IX.

Bacchide & Alcimo contra Iudam missis à Demetrio : Iudas minimo exercitu fortissimè resistens occiditur, ac lugetur : gravitérque afflictis piis Israelæis frater ipsius Ionathas in eius locum sufficitur : qui ob fratris Ioannis mortem percutit filios Iambri in nuptiis : rursúmque percussis de Bacchidis exercitu mille viris, Alcimus ob impia in locum sanctum opera percussus à Deo paralysi, mortuus est : sed & Bacchides cum nec dolo nec vi posse Ionathan perdere, inito cum eo fœdere discessit, nec amplius in Iudæam reversus est.

A 1 Interà ut audivit Demetrius,quia cecidit Nicano & exercitus ejus in prælio,apposuit Bacchidem& Alcimum rursum mittere in Judæam, & dextrum cornu cum illis.

2 Et abierunt viam, quæ ducit in Galgala, & castra posuerunt in Masaloth,quæ est in Arbellis: & occupaverunt eam, & peremerunt animas hominum multas.

3 In mense primo anni centesimi & quinquagesimi secundi, applicuerunt exercitum ad Jerusalem :

4 Et surrexerunt, & abierunt in Beream vigíti millia virorum, & duo millia equitum.

5 Et Judas posuerat castra in Laisa, & tria millia viri electi cum eo :

6 Et viderunt multitudinem exercitus quia nulti sunt, & timuerunt valdè : & multi subtraxerunt se de castris,& non remanserunt ex eis nisi octingenti viri.

7 Et vidit Judas quòd defluxit exercitus suus, & bellum perurgebat eum, & confractus est corde,quia non habebat tempus congregandi eos, & dissolutus est.

8 Et dixit his qui residui erant : Surgamus, & eamus ad adversarios nostros, si poterimus pugnare adversus eos.

9 Et avertebant eum, dicentes : Non poterimus : sed liberemus animas nostras modò, & revertamur ad fratres nostros, & tunc pugnabimus adversus eos : nos autem pauci sumus.

B 10 Et ait Judas : Absit istam rem facere ut fugiamus ab eis : & si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.

11 Et movit exercitus de castris, & steterunt illis obviàm : & divisi sunt equites in duas partes, & fundibularij & sagittarij præibant exercitum, & primi certaminis omnes potentes.

12 Bacchides autem erat in dextro cornu, & proximavit legio ex duabus partibus, & clamabant tubis :

13 Exclamaverunt autem & hi, qui erant ex parte Judæ, etiam ipsi, & commota est terra à voce exercituum : & commissum est prælium à manè usque ad vesperam.

14 Et vidit Judas, quòd firmior est pars exercitus Bacchidis in dextris, & convenerunt cum ipso omnes constantes corde :

15 Et contrita est dextera pars ab eis,& persecutus est eos usque ad montem Azoti.

16 Et qui in sinistro cornu erant,viderunt quòd contritum est dextrum cornu, & secuti sunt post Judam, & eos qui cum ipso erant, à tergo :

17 Et ingravatum est prælium, & ceciderunt vulnerati multi ex his& ex illis.

18 Et Judas cecidit, & ceteri fugerunt.

19 Et Jonathas & Simon tulerunt Judam fra- C trem suum, & sepelierunt eum in sepulchro patrum suorum in civitate Modin.

20 Et fleverunt eum omnis populus Israël planctu magno, & lugebant dies multos,

21 Et dixerunt : Quomodo cecidit potens,qui salvum faciebat populum Israël !

22 Et cetera verba bellorum Judæ, & virtutum quas fecit,& magnitudinis ejus,non sunt descripta : multa enim erant valdè.

23 Et factum est : post obitum Judæ emerserunt iniqui in omnibus finibus Israël, & exorti sunt omnes qui operabantur iniquitatem.

24 In diebus illis facta est fames magna valdè, & tradidit se Bacchidi omnis regio eorum cum ipsis.

25 Et elegit Bacchides viros impios,& constituit eos dominos regionis :

26 Et exquirebant, & perscrutabantur amicos Judæ, & adducebant eos ad Bacchidem,& vindicabat in illos, & illudebat.

27 Et facta est tribulatio magna in Israël, qualis non fuit ex die, qua non est visus propheta in Israël.

28 Et congregati sunt omnes amici Judæ, & dixerunt Jonathæ :

29 Ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros, Bacchidem, & eos qui inimici sunt gentis nostræ.

30 Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum.

31 Et suscepit Jonathas tempore illo principatum, & surrexit loco Judæ fratris sui.

32 Et cognovit Bacchides, & quærebat eum occidere.

33 Et cognovit Jonathas,& Simon frater ejus, D & omnes qui cum eo erant : & fugerunt in desertum Thecuæ, & consederunt ad aquam lacus Asphar.

34 Et cognovit Bacchides, & die sabbatorum

venit ipſe, & omnis exercitus ejus, trans Jordanem.

35 Et Jonathas miſit fratrem ſuum ducem populi, & rogavit Nabuthæos amicos ſuos, ut commodarent illis apparatum ſuum, qui erat copioſus.

36 Et exierunt filij Jambri ex Madaba, & comprehenderunt Joannem, & omnia quæ habebat, & abierunt habentes ea.

37 Poſt hæc verba, renuntiatum eſt Jonathæ, & Simoni fratri ejus, quia filij Jambri faciunt nuptias magnas, & ducunt ſponſam ex Madaba, filiam unius de magnis principibus Chanaan, cum ambitione magna.

38 Et recordati ſunt ſanguinis Joannis fratris ſui: & aſcenderunt, & abſconderunt ſe ſub tegumento montis.

39 Et elevaverunt oculos ſuos, & viderunt: & ecce tumultus, & apparatus multus: & ſponſus proceſſit, & amici ejus, & fratres ejus, obviàm illis cum tympanis & muſicis, & armis multis.

40 Et ſurrexerunt ad eos ex inſidiis, & occiderunt eos, & ceciderunt vulnerati multi, & reſidui fugerunt in montes: & acceperunt omnia ſpolia eorum:

41 Et converſæ ſunt nuptiæ in luctum, & vox muſicorum ipſorum in lamentum.

42 Et vindicaverunt vindictam ſanguinis fratris ſui: & reverſi ſunt ad ripam Jordanis.

E 43 Et audivit Bacchides, & venit die ſabbatorum uſque ad oram Jordanis in virtute magna.

44 Et dixit ad ſuos Jonathas: Surgamus, & pugnemus contra inimicos noſtros: non eſt enim hodie ſicut heri & nudiuſtertius.

45 Ecce enim bellum ex adverſo, aqua verò Jordanis hinc & inde, & ripæ, & paludes, & ſaltus: & non eſt locus divertendi.

* 2. Par. 20. d. 3. 46 * Nunc ergo clamate in cælum, ut liberemini de manu inimicorum veſtrorum. Et commiſſum eſt bellum.

47 Et extendit Jonathas manum ſuam percutere Bacchidem, & divertit ab eo retrò:

48 Et diſſiliit Jonathas, & qui cum eo erant, in Jordanem, & tranſnataverunt ad eos Jordanem.

49 Et ceciderunt de parte Bacchidis die illa mille viri. Et reverſi ſunt in Jeruſalem,

50 Et ædificaverunt civitates munitas in Judæa, munitionem, quæ erat in Jericho, & in Ammaum, & in Bethoron, & in Bethel, & Thamnata, & Phara, & Thopo muris excelſis, & portis, & ſeris.

51 Et poſuit cuſtodiam in eis, ut inimicitias exercerent in Iſraël:

52 Et munivit civitatem Bethſuram, & Gazaram, & arcem, & poſuit in eis auxilia, & apparatum eſcarum:

53 Et accepit filios principum regionis obſides, & poſuit eos in arce in Jeruſalem in cuſtodiam.

F 54 Et anno centeſimo quinquageſimo tertio, menſe ſecundo, præcepit Alcimus deſtrui muros domus ſanctæ interioris, & deſtrui opera prophetarum: & cœpit deſtruere.

55 In tempore illo percuſſus eſt Alcimus: & impedita ſunt opera illius, & occluſum eſt os ejus, & diſſolutus eſt paralyſi, nec ultrà potuit loqui verbum, & mandare de domo ſua.

56 Et mortuus eſt Alcimus in tempore illo cum tormento magno.

57 Et vidit Bacchides quoniam mortuus eſt Alcimus: & reverſus eſt ad regem, & ſiluit terra annis duobus.

58 Et cogitaverunt omnes iniqui dicentes: Ecce Jonathas, & qui cum eo ſunt, in ſilentio habitant confidenter: nunc ergo adducamus Bacchidem, & comprehendet eos omnes una nocte.

59 Et abierunt, & conſilium ei dederunt.

60 Et ſurrexit ut veniret cum exercitu multo: & miſit occultè epiſtolas ſociis ſuis, qui erant in Judæa, ut comprehenderent Jonathan, & eos qui cum eo erant: ſed non potuerunt, quia innotuit eis conſilium eorum.

61 Et apprehendit de viris regionis, qui principes erāt malitię, quinquaginta viros, & occidit eos:

62 Et ſeceſſit Jonathas, & Simon, & qui cum eo erant, in Bethbeſſen, quæ eſt in deſerto: & exſtruxit diruta ejus, & firmarerunt eam.

63 Et cognovit Bacchides, & congregavit uni- G verſam multitudinem ſuam: & his, qui de Judæa erant, denuntiavit.

64 Et venit, & caſtra poſuit deſuper Bethbeſſen: & oppugnavit eam dies multos, & fecit machinas.

65 Et reliquit Jonathas Simonem frærem ſuum in civitate, & exiit in regionem, & venit cum numero,

66 Et percuſſit Odaren, & fratres ejus & filios Phaſeron in tabernaculis ipſorum; & cepit cædere, & creſcere in virtutibus.

67 Simon verò, & qui cum ipſo eran, exierunt de civitate, & ſuccenderunt machinis,

68 Et pugnaverunt contra Bacchidem, & ontritus eſt ab eis: & afflixerunt eum valdè, quoniam conſilium ejus, & congreſſus ejus erat inajs.

69 Et iratus contra viros iniquos, qui ei onſilium dederant ut veniret in regionem ipſorm, multos ex eis occidit: ipſe autem cogitavit um reliquis abire in regionem ſuam.

70 Et cognouit Jonathas, & miſit ad eum legtos componere pacem cum ipſo, & reddere i captivitatem.

71 Et libenter accepit, & fecit ſecundùm verba ejus, & juravit ſe nihil facturum ei mali omnibus diebus vitæ ejus.

72 Et reddidit ei captivitatem, quam priùs erat prædatus de terra Juda: & converſus abiit in terram ſuam, & non appoſuit ampliùs venire in fines ejus.

73 Et ceſſavit gladius ex Iſraël: & habitavit Jonathas in Machmas, & cœpit Jonathas ibi judicare populum, & exterminavit impios ex Iſraël.

Caput X.

Alexandro Nobilis Antiochi filio occupante Ptolemaida, conatur Demetrius ferire fœdus cum Jonatha, ſemel ac iterum plurima pollicens: at ille præelegit oblatas ab Alexandro amicitias, qui Alexander, devicto occiſoque Demetrio, ducit uxorem Cleopatram Ptolemæi regis Ægypti filiam, plurimum Jonathan honorans: porrò Apollonium ducem junioris Demetrij devicit Jonathas, ſuccenſa Azoto & templo Dagon: rurſumque ab Alexandro honoratur data ſibi Accaron ac fibula aurea.

1 ET anno centeſimo ſexageſimo aſcendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus A eſt

eſt Nobilis: & occupavit Ptolemaidam: & receperunt eum, & regnavit illic.

2 Et audivit Demetrius rex, & congregavit exercitum copioſum valdè, & exivit obviàm illi in prælium.

3 Et miſit Demetrius epiſtolam ad Jonathan verbis pacificis, ut magnificaret eum.

4 Dixit enim: Anticipemus facere pacem cum eo, priuſquam faciat cum Alexandro adverſum nos:

5 Recordabitur enim omnium malorum, quæ fecimus in eum, & in fratrem ejus, & in gentem ejus.

6 Et dedit ei poteſtatem congregandi exercitum, & fabrificare arma, & eſſe ipſum ſocium ejus: & obſides, qui erant in arce, juſſit tradi ei.

7 Et venit Jonathas in Jeruſalem, & legit epiſtolas in auditu omnis populi, & eorum qui in arce erant.

8 Et timuerunt timore magno, quoniam audierunt quòd dedit ei rex poteſtatem congregandi exercitum.

9 Et traditi ſunt Jonathæ obſides, & reddidit eos parentibus ſuis:

10 Et habitavit Jonathas in Jeruſalem, & cœpit ædificare & innovare civitatem.

11 Et dixit facientibus opera, ut exſtruerent muros, & montem Sion in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem: & ita fecerunt.

12 Et fugerunt alienigenæ, qui erant in munitionibus, quas Bacchides ædificaverat:

13 Et reliquit unuſquiſque locum ſuum, & abiit in terram ſuam:

14 Tantùm in Bethſura remanſerunt aliqui, ex his qui reliquerant legem & præcepta Dei. erat enim hæc eis ad refugium.

B 15 Et audivit Alexander rex promiſſa, quæ promiſit Demetrius Jonathæ: & narraverunt ei prælia, & virtutes, quas ipſe fecit, & fratres ejus, & labores, quos laboraverunt.

16 Et ait: Numquid inveniemus aliquem virum talem? & nunc faciemus eum amicum, & ſocium noſtrum.

17 Et ſcripſit epiſtolam, & miſit ei ſecundùm hæc verba, dicens:

18 Rex Alexander fratri Jonathæ ſalutem.

19 Audivimus de te, quòd vir potens ſis viribus, & aptus es ut ſis amicus noſter:

20 Et nunc conſtituimus te hodie ſummum ſacerdotem gentis tuæ, & ut amicus voceris regis, (& miſit ei purpuram, & coronam auream) & quæ noſtra ſunt ſentias nobiſcum, & conſerves amicitias ad nos.

21 Et induit ſe Jonathas ſtola ſancta ſeptimo menſe, anno centeſimo ſexageſimo, in die ſollemni ſcenopegiæ: & congregavit exercitum, & fecit arma copioſa.

22 Et audivit Demetrius verba iſta, & contriſtatus eſt nimis, & ait:

23 Quid hoc fecimus, quòd præoccupavit nos Alexander apprehendere amicitiam Judæorum ad munimen ſui?

24 Scribam & ego illis verba deprecatoria, & dignitates, & dona: ut ſint mecum in adjutorium.

25 Et ſcripſit eis in hæc verba: Rex Demetrius genti Judæorum ſalutem:

26 Quoniam ſervaſtis ad nos pactum, & manſiſtis in amicitia noſtra, & non acceſſiſtis ad inimicos noſtros, audivimus, & gaviſi ſumus.

27 Et nunc perſeverate adhuc conſervare ad C nos fidem, & retribuemus vobis bona pro his quæ feciſtis nobiſcum:

28 Et remittemus vobis præſtationes multas, & dabimus vobis donationes.

29 Et nunc abſolvo vos & omnes Judæos à tributis, & pretia ſalis indulgeo, & coronas remitto, & tertias ſeminis:

30 Et dimidiam partem fructus ligni, quod eſt portionis meæ, relinquo vobis ex hodierno die, & deinceps, ne accipiatur à terra Juda, & à tribus civitatibus, quæ additæ ſunt illi ex Samaria & Galilæa, ex hodierna die & in totum tempus:

31 Et Jeruſalem ſit ſancta, & libera cum finibus ſuis: & decimæ & tributa ipſius ſint.

32 Remitto etiam poteſtatem arcis, quæ eſt in Jeruſalem: & do eam ſummo ſacerdoti, ut conſtituat in ea viros quoſcumque ipſe elegerit, qui cuſtodiant eam.

33 Et omnem animam Judæorum, quæ captiva eſt à terra Juda in omni regno meo, relinquo liberam gratis, ut omnes à tributis ſolvantur, etiam pecorum ſuorum.

34 Et omnes dies ſollemnes, & ſabbata, & neomeniæ, & dies decreti, & tres dies ante diem ſollemnem, & tres dies poſt diem ſollemnem, ſint omnes immunitatis & remiſſionis omnibus Judæis, qui ſunt in regno meo:

35 Et nemo habebit poteſtatem agere aliquid, & movere negotia adverſus aliquem illorum, in omni cauſa.

36 Et aſcribantur ex Judæis in exercitu regis ad triginta millia virorum, & dabuntur illis copiæ ut oportet omnibus exercitibus regis, & ex eis ordinabuntur qui ſint in munitionibus regis magni:

37 Et ex his conſtituentur ſuper negotia regni, quæ aguntur ex fide, & principes ſint ex eis, & ambulent in legibus ſuis, ſicut præcepit rex in terra Juda.

38 Et tres civitates, quæ additæ ſunt Judææ ex D regione Samariæ, cum Judæa reputentur: ut ſint ſub uno, & non obediant alij poteſtati, niſi ſummi ſacerdotis:

39 Ptolemaida, & confines ejus, quas dedi donum ſanctis, qui ſunt in Jeruſalem, ad neceſſarios ſumptus ſanctorum.

40 Et ego do ſingulis annis quindecim millia ſiclorum argenti de rationibus regis, quæ me contingunt:

41 Et omne quod reliquum fuerit, quod non reddiderant qui ſuper negotia erant annis prioribus, ex hoc dabunt in opera domus.

42 Et ſuper hæc quinque millia ſiclorum argenti, quæ accipiebant de ſanctorum ratione per ſingulos annos: & hæc ad ſacerdotes pertineant, qui miniſterio funguntur.

43 Et quicumque confugerint in templum, quod eſt

Universidad de Deusto
Biblioteca

est Jerosolymis, & in omnibus finibus ejus, obnoxij regi in omni negotio dimittantur, & universa, quæ sunt eis in regno meo, libera habeant.

44 Et ad ædificanda vel restauranda opera sanctorum, sumptus dabuntur de ratione regis:

45 Et ad exstruendos muros Jerusalem, & communiendos in circuitu, sumptus dabuntur de ratione regis, & ad construendos muros in Judæa.

46 Ut audivit autem Jonathas & populus sermones istos, * non crediderunt eis, nec receperunt eos: quia recordati sunt malitiæ magnæ, quam fecerat in Israël, & tribulaverat eos valdè.

*Sup. 7. b. 11.

47 Et complacuit eis in Alexandrum, quia ipse fuerat eis princeps sermonum pacis, & ipsi auxilium ferebant omnibus diebus.

48 Et congregavit rex Alexander exercitum magnum, & admovit castra contra Demetrium.

49 Et commiserunt prælium duo reges, & fugit exercitus Demetrij, & insecutus est eum Alexander, & incubuit super eos.

50 Et invaluit prælium nimis, donec occidit sol: & cecidit Demetrius in die illa.

E 51 Et misit Alexander ad Ptolemæum regem Ægypti legatos secundùm hæc verba, dicens:

52 QUONIAM regressus sum in regnum meum, & sedi in sede patrum meorum, & obtinui principatum, & contrivi Demetrium, & possedi regionem nostram,

53 Et commisi pugnam cum eo, & contritus est ipse, & castra ejus à nobis; & sedimus in sede regni ejus:

54 Et nunc statuamus ad invicem amicitiam: & da mihi filiam tuam uxorem, & ego ero gener tuus, & dabo tibi dona, & ipsi, digna te.

55 Et respondit rex Ptolemæus, dicens: FELIX dies, in qua reversus es ad terram patrum tuorum, & sedisti in sede regni eorum.

56 Et nunc faciam tibi quod scripsisti: sed occurre mihi Ptolemaidam, ut videamus invicem nos, & spondeam tibi sicut dixisti.

57 Et exivit Ptolemæus de Ægypto, ipse, & Cleopatra filia ejus, & venit Ptolemaidam, anno centesimo sexagesimo secundo.

58 Et occurrit ei Alexander rex, & dedit ei Cleopatram filiam suam: & fecit nuptias ejus Ptolemaidæ, sicut reges, in magna gloria.

D 59 Et scripsit rex Alexander Jonathæ, ut veniret obviàm sibi.

60 Et abiit cum gloria Ptolemaidam, & occurrit ibi duobus regibus, & dedit illis argentum multum, & aurum, & dona: & invenit gratiam in conspectu eorum.

61 Et convenerunt adversus eum viri pestilentes ex Israël, viri iniqui interpellantes adversus eum: & non intendit ad eos rex.

62 Et jussit spoliari Jonathan vestibus suis, & indui eum purpura: & ita fecerunt. Et collocavit eum rex sedere secum.

63 Dixitque principibus suis: Exite cum eo in medium civitatis: & prædicate, ut nemo adversus eum interpellet de ullo negotio, nec quisquam ei molestus sit de ulla ratione.

F 64 Et factum est, ut viderunt qui interpellabant gloriam ejus, quæ prædicabatur, & opertum eum purpura, fugerunt omnes:

65 Et magnificavit eum rex, & scripsit eum inter primos amicos, & posuit eum ducem, & participem principatus.

66 Et reversus est Jonathas in Jerusalem cum pace, & lætitia.

67 In anno centesimo sexagesimoquinto, venit Demetrius filius Demetrij à Creta in terram patrum suorum.

68 Et audivit Alexander rex, & contristatus est valdè, & reversus est Antiochiam.

69 Et constituit Demetrius rex Apollonium ducem, qui præerat Cœlesyriæ: & congregavit exercitum magnum, & accessit ad Jamniam: & misit ad Jonathan summum sacerdotem,

70 Dicens: Tu solus resistis nobis: ego autem factus sum in derisum, & in opprobrium, propterea quia tu potestatem adversum nos exerces in montibus.

71 Nunc ergo si confidis in virtutibus tuis, descende ad nos in campum, & comparemus illic invicem: quia mecum est virtus bellorum.

72 Interroga, & disce quis sum ego, & ceteri, qui auxilio sunt mihi, qui & dicunt quia non potest stare pes vester ante faciem nostram, quia bis in fugam conversi sunt patres tui in terra sua:

73 Et nunc quomodo poteris sustinere equitatum & exercitum tantum in campo, ubi non est lapis, neque saxum, neque locus fugiendi?

74 Ut audivit autem Jonathas sermones Apollonij, motus est animo: & elegit decem millia virorum, & exiit ab Jerusalem, & occurrit ei Simon frater ejus in adjutorium:

75 Et applicuerunt castra in Joppem, & exclusit eum à civitate (quia custodia Appollonij Joppe erat) & oppugnavit eam.

76 Et exterriti qui erant in civitate, aperuerunt ei, & obtinuit Jonathas Joppen.

77 Et audivit Appollonius, & admovit tria mil- G lia equitum, & exercitum multum.

78 Et abiit Azotum tanquam iter faciens, & statim exiit in campum, eò quòd haberet multitudinem equitum, & confideret in eis. Et insecutus est eum Jonathas in Azotum, & commiserunt prælium.

79 Et reliquit Appollonius in castris mille equites post eos occultè.

80 Et cognovit Jonathas quoniam insidiæ sunt post se, & circuierunt castra ejus, & jecerunt jacula in populum à manè usque ad vesperam.

81 Populus autem stabat, sicut præceperat Jonathas: & laboraverunt equi eorum.

82 Et ejecit Simon exercitum suum, & commisit contra legionem: equites enim fatigati erant: & contriti sunt ab eo, & fugerunt.

83 Et qui dispersi sunt per campum, fugerunt in Azotum, & intraverunt in Bethdagon idolum suum, ut ibi se liberarent.

84 Et succendit Jonathas Azotum, & civitates quæ erant in circuitu ejus, & accepit spolia eorum, & templum Dagon: & omnes, qui fugerunt in illud, succendit igni.

85 Et fuerunt qui ceciderunt gladio, cum his qui succensi sunt, ferè octo millia virorum.

86 Et

86 Et movit inde Jonathas castra, & applicuit ea Ascalonem: & exierunt de civitate obviàm illi in magna gloria.

87 Et reversus est Jonathas in Jerusalem cum suis, habentibus spolia multa.

88 Et factum est, ut audivit Alexander rex sermones istos, addidit adhuc glorificare Jonathan.

89 Et misit ei fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis regum. Et dedit ei Accaron, & omnes fines ejus, in possessionem.

CAPUT XI.

Mortuo Alexandro, & similiter Ptolemæo qui Alexandri regnum dolo invaserat, ablata ab eo filia sua & tradita in uxorem Demetrio, hic Demetrius Jonathan honorat datis litteris immunitatis à tributis: Jonathas autem mittit ei auxiliares milites, qui occisis uno die centum millibus, regem à civibus Antiochiæ liberarunt, & Antiochiam incenderunt: illo autem fœdus cum Jonatha initum prævaricante, Antiochus filius Alexandri devicto Demetrio regnans, fœdus init cum Jonatha qui una cum fratre Simone sapiùs victor evadit adversus alienigenas.

A 1 ET rex Ægypti congregavit exercitum, sicut arena quæ est circa oram maris, & naves multas: & quærebat obtinere regnum Alexandri dolo, & addere illud regno suo.

2 Et exiit in Syriam verbis pacificis, & aperiebant ei civitates, & occurrebant ei: quia mandaverat Alexander rex exire ei obviàm, eò quòd socer suus esset.

3 Cùm autem introiret civitatem Ptolemæus, ponebat custodias militum in singulis civitatibus.

4 Et ut appropiavit Azoto, ostenderunt ei templum Dagon succensum igni, & Azotum & cetera ejus demolita, & corpora projecta, & eorum qui cæsi erant in bello tumulos, quos fecerant secus viam.

5 Et narraverunt regi quia hæc fecit Jonathas, ut invidiam facerent ei: & tacuit rex.

6 Et occurrit Jonathas regi in Joppen cum gloria, & invicem se salutaverunt, & dormierunt illic.

7 Et abiit Jonathas cum rege usque ad fluvium, qui vocatur Eleutherus: & reversus est in Jerusalem.

8 Rex autem Ptolemæus obtinuit dominium civitatum usque Seleuciam maritimam, & cogitabat in Alexandrum consilia mala.

B 9 Et misit legatos ad Demetrium, dicens: VENI, componamus inter nos pactum, & dabo tibi filiam meam, quam habet Alexander, & regnabis in regno patris tui.

10 Pœnitet enim me quòd dederim illi filiam meam: quæsivit enim me occidere.

11 Et vituperavit eum, propterea quòd concupierat regnum ejus.

12 Et abstulit filiam suam, & dedit eam Demetrio, & alienavit se ab Alexandro, & manifestatæ sunt inimicitiæ ejus.

13 Et intravit Ptolemæus Antiochiam, & imposuit duo diademata capiti suo, Ægypti & Asiæ.

14 Alexander autem rex erat in Cilicia illis temporibus: quia rebellabant qui erant in locis illis.

15 Et audivit Alexander, & venit ad eum in bellum: & produxit Ptolemæus rex exercitum, & occurrit ei in manu valida, & fugavit eum.

16 Et fugit Alexander in Arabiam, ut ibi protegeretur: Rex autem Ptolemæus exaltatus est.

17 Et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri; & misit Ptolemæo.

18 Et rex Ptolemæus mortuus est in die tertia: & qui erant in munitionibus, perierunt ab his qui erant intra castra.

19 Et regnavit Demetrius anno centesimo sexagesimo septimo.

20 In diebus illis congregavit Jonathas eos qui erant in Judæa, ut expugnarent arcem, quæ est in Jerusalem: & fecerunt contra eam machinas multas.

21 Et abierunt quidam qui oderant gentem suam viri iniqui ad regem Demetrium, & renuntiaverunt ei quòd Jonathas obsideret arcem.

22 Et ut audivit, iratus est: & statim venit ad Ptolemaidam, & scripsit Jonathæ ne obsideret arcem, sed occurreret sibi ad colloquium festinatò.

23 Ut audivit autem Jonathas, jussit obsidere: & C elegit de senioribus Israël, & de sacerdotibus, & dedit se periculo.

24 Et accepit aurum, & argentum, & vestem, & alia xenia multa, & abiit ad regem Ptolemaidam, & invenit gratiam in conspectu ejus,

25 Et interpellabant adversus eum quidam iniqui ex gente sua.

26 Et fecit ei rex, sicut fecerant ei qui ante eum fuerant: & exaltavit eum in conspectu omnium amicorum suorum,

27 Et statuit ei principatum sacerdotij, & quæcumque alia habuit priùs pretiosa, & fecit eum principem amicorum.

28 Et postulavit Jonathas à rege, ut immunem faceret Judæam, & tres toparchias, & Samariam, & confines ejus: & promisit ei talenta trecenta.

29 Et consensit rex: & scripsit Jonathæ epistolas de his omnibus, hunc modum continentes:

30 REX Demetrius fratri Jonathæ salutem, & genti Judæorum.

31 Exemplum epistolæ, quã scripsimus Lastheni parenti nostro de vobis, misimus ad vos ut sciretis:

32 Rex Demetrius Lastheni parenti salutem.

33 Genti Judæorum, amicis nostris, & conservantibus quæ justa sunt apud nos, decrevimus benefacere, propter benignitatem ipsorum, quam erga nos habent.

34 Statuimus ergo illis omnes fines Judææ, & D tres civitates, Lydan, & Ramathan, quæ additæ sunt Judææ ex Samaria, & omnes confines earum, sequestrari omnibus sacrificantibus in Jerosolymis, pro his quæ ab eis priùs accipiebat rex per singulos annos: & pro fructibus terræ & pomorum.

35 Et alia quæ ad nos pertinebant decimarum & tributorum, ex hoc tempore remittimus eis: & areas salinarum, & coronas quæ nobis deferebantur,

36 Omnia ipsis concedimus: & nihil horum irritum erit ex hoc, & in omne tempus.

37 Nunc ergo curate facere horum exemplum, & detur Jonathæ, & ponatur in monte sancto, in loco celebri.

38 Et videns Demetrius rex quòd siluit terra in conspectu suo, & nihil ei resistit; dimisit totum exercitum suum, unumquemque in locum suum,

excepto

Universidad de Deusto
Biblioteca

excepto peregrino exercitu, quem contraxit ab insulis Gentium: & inimici erant ei omnes exercitus patrum ejus.

39 Tryphon autem erat quidam partium Alexandri prius: & vidit quoniam omnis exercitus murmurabat contra Demetrium,& ivit ad Emalchuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri:

40 Et assidebat ei, ut traderet eum ipsi, ut regnaret loco patris sui: & enuntiavit ei quanta fecit Demetrius, & inimicitias exercituum ejus adversus illum. Et mansit ibi diebus multis.

E 41 Et misit Jonathas ad Demetrium regem, ut ejiceret eos, qui in arce erant in Jerusalem, & qui in præsidiis erant: quia impugnabant Israël.

42 Et misit Demetrius ad Jonathan,dicens: Non hæc tantùm faciam tibi, & genti tuæ, sed gloria illustrabo te, & gentem tuam, cùm fuerit opportunum.

43 Nunc ergo rectè feceris, si miseris in auxilium mihi viros: quia discessit omnis exercitus meus.

44 Et misit ei Jonathas tria millia virorum fortium Antiochiam: & venerunt ad regem, & delectatus est rex in adventu eorum.

45 Et convenerunt qui erant de civitate, centum viginti millia virorum, & volebant interficere regem.

46 Et fugit rex in aulam: & occupaverunt qui erant de civitate, itinera civitatis, & cœperunt pugnare.

47 Et vocavit rex Judæos in auxilium, & convenerunt omnes simul ad eum, & dispersi sunt omnes per civitatem.

48 Et occiderunt in illa die centum millia hominum, & succenderunt civitatem, & ceperunt spolia multa in die illa, & liberaverunt regem.

49 Et viderunt qui erant de civitate, quòd obtinuissent Judæi civitatem sicut volebant: & infirmati sunt mente sua, & clamaverunt ad regem cum precibus, dicentes:

50 Da nobis dextras, & cessent Judæi oppugnare nos & civitatem.

F 51 Et projecerunt arma sua, & fecerunt pacem, & glorificati sunt Judæi in conspectu regis, & in conspectu omnium qui erant in regno ejus, & nominati sunt in regno: & regressi sunt in Jerusalem, habentes spolia multa.

52 Et sedit Demetrius rex in sede regni sui:& siluit terra in conspectu ejus.

53 Et mentitus est omnia quæcumque dixit,& abalienavit se à Jonatha, & non retribuit ei secundùm beneficia quæ sibi tribuerat, & vexabat eum valdè.

54 Post hæc autem reversus est Tryphon, & Antiochus cum eo puer adolescens, & regnavit, & imposuit sibi diadema.

55 Et congregati sunt ad eum omnes exercitus, quos dispersérat Demetrius, & pugnaverunt contra eum: & fugit, & terga vertit.

56 Et accepit Tryphon bestias, & obtinuit Antiochiam:

57 Et scripsit Antiochus adolescens Jonathæ, dicens: Constituo tibi sacerdotium, & constituo te super quattuor civitates, ut sis de amicis regis.

58 Et misit illi vasa aurea in ministerium, & dedit ei potestatem bibendi in auro,& esse in purpura, & habere fibulam auream:

59 Et Simonem fratrem ejus constituit ducem à terminis Tyri usque ad fines Ægypti.

60 Et exiit Jonathas, & perambulabat trans flumen civitates: & congregatus est ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium, & venit Ascalonem,& occurrerunt ei honorificè de civitate.

61 Et abiit inde Gazam: & concluserunt se qui erant Gazæ: & obsedit eam, & succendit quæ erant in circuitu civitatis, & prædatus est ea.

62 Et rogaverunt Gazenses Jonathan,& dedit G illis dexteram: & accepit filios eorum obsides, & misit illos in Jerusalem: & perambulavit regionem usque Damascum.

63 Et audivit Jonathas quòd prævaricati sunt principes Demetrij in Cades, est quæ in Galilæa, cum exercitu multo, volentes eum removere à negotio regni:

64 Et occurrit illis: fratrem autem suum Simonem reliquit intra provinciam.

65 Et applicuit Simon ad Bethsuram, & expugnabat eam diebus multis, & concluserunt eos.

66 Et postulaverunt ab eo dextras accipere,& dedit illis: & ejecit eos inde, & cepit civitatem,& posuit in ea præsidium.

67 Et Jonathas & castra ejus applicuerunt ad aquam Genesar, & ante lucem vigilaverunt in campo Asor.

68 Et ecce castra alienigenarum occurrebant in campo, & tendebant ei insidias in montibus: ipse autem occurrit ex adverso.

69 Insidiæ verò exurrexerunt de locis suis, & commiserunt prælium.

70 Et fugerunt qui erant ex parte Jonathæ omnes, & nemo relictus est ex eis, nisi Mathathias filius Absolomi, & Judas filius Calphi, princeps militiæ exercitus.

71 Et scidit Jonathas vestimenta sua, & posuit terram in capite suo, & oravit.

72 Et reversus est Jonathas ad eos in prælium, & convertit eos in fugam, & pugnaverunt.

73 Et viderunt qui fugiebant partis illius,& reversi sunt ad eum, & insequebantur cum eo omnes usque Cades ad Castra sua, & pervenerunt usque illuc.

74 Et ceciderunt de alienigenis in die illa tria millia virorum: & reversus est Jonathas in Jerusalem.

Caput XII.

Ionathas cum Romanis ac Spartiatis fœdus renovat: principes Demetrij ipsum invadentes fugat: percussíque Arabibus ordinat ædificare præsidia in Iudæa, & muros contra arcem in Ierusalem: sed à Tryphone cupiente regnum Antiochi invadere, & fingente se amicum, apud Ptolemaida dolo captus est, omnésque qui cum eo erant, interficti.

1 ET vidit Jonathas quia tempus eum juvat, & A elegit viros, & misit eos Romam, statuere & renovare cum eis amicitiam:

2 Et ad Spartiatas, & ad alia loca misit epistolas secundùm eamdem formam.

3 Et abierunt Romam, & intraverunt curiam, & dixerunt: Jonathas summus sacerdos, & gens

Judæorum miserunt nos, ut renovaremus amicitiam & societatem secundùm pristinum.

4 Et dederunt illis epistolas ad ipsos per loca, ut deducerent eos in terram Juda cum pace.

5 Et hoc est exemplum epistolarum,quas scripsit Jonathas Spartiatis:

6 JONATHAS summus sacerdos, & seniores gentis, & sacerdotes, & reliquus populus Judæorum, Spartiatis fratribus salutem.

B 7 Jampridem missæ erant epistolæ ad Oniam summum sacerdotem ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam estis fratres nostri,sicut rescriptum continet, quod subjectum est.

8 Et suscepit Onias virum, qui missus fuerat, cum honore: & accepit epistolas,in quibus significabatur de societate & amicitia.

9 Nos, cùm nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris,

10 Maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem, & amicitiam, ne fortè alieni efficiamur à vobis: multa enim tempora transierunt,ex quo misistis ad nos.

11 Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus sollemnibus, & ceteris quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis quæ offerimus, & in observationibus, sicut fas est & decet meminisse fratrum.

12 Lætamur itaque de gloria vestra.

13 Nos autem circumdederunt multæ tribulationes, & multa prælia, & impugnaverunt nos reges, qui sunt in circuitu nostro.

14 Noluimus ergo vobis molesti esse, neque ceteris sociis & amicis nostris, in his prœliis.

C 15 Habuimus enim de cælo auxilium, & liberati sumus nos, & humiliati sunt inimici nostri.

16 Elegimus itaque Numenium Antiochi filium, & Antipatrem Jasonis filium, & misimus ad Romanos renovare cum eis amicitiam & societatem pristinam.

17 Mandavimus itaque eis ut veniant etiam ad vos, & salutent vos: & reddant vobis epistolas nostras de innovatione fraternitatis nostræ.

18 Et nunc benefacietis respondentes nobis ad hæc.

19 Et hoc est rescriptum epistolarum, quod miserat Oniæ:

20 ARIUS, rex Spartiatarum, Oniæ sacerdoti magno salutem.

21 Inventum est in scriptura de Spartiatis & Judæis, quoniam sunt fratres, & quòd sunt de genere Abraham.

22 Et nunc ex quo hæc cognovimus, benefacitis scribentes nobis de pace vestra.

23 Sed & nos rescripsimus vobis: Pecora nostra,& possessiones nostræ,vestræ sunt: & vestræ, nostræ: mandavimus itaque hæc nuntiari vobis.

24 Et audivit Jonathas, quoniam regressi sunt principes Demetrij cum exercitu multo suprà quàm priùs, pugnare adversus eum.

D 25 Et exiit ab Jerusalem, & occurrit eis in Amathite regione: non enim dederat eis spatium ut ingrederentur regionem ejus.

26 Et misit speculatores in castra eorum: & reversi renuntiaverunt quòd constituunt supervenire illis nocte.

27 Cùm occidisset autem sol, præcepit Jonathas suis vigilare, & esse in armis paratos ad pugnam tota nocte,& posuit custodes per circuitum castrorum.

28 Et audierunt adversarij quòd paratus est Jonathas cum suis in bello: & timuerunt, & formidaverunt in corde suo: & accenderunt focos in castris suis.

29 Jonathas autem, & qui cum eo erant, non cognoverunt usque manè: videbant autem luminaria ardentia:

30 Et secutus est eos Jonathas,& non comprehendit eos:transierant enim flumen Eleutherum.

31 Et divertit Jonathas ad Arabas,qui vocantur Zabadæi, & percussit eos,& accepit spolia eorum. E

32 Et junxit, & venit Damascum, & perambulabat omnem regionem illam.

33 Simon autem exiit, & venit usque ad Ascalonem, & ad proxima præsidia: & declinavit in Joppen, & occupavit eam.

(34 Audivit enim quòd vellent præsidium tradere partibus Demetrij) & posuit ibi custodes ut custodirent eam.

35 Et reversus est Jonathas, & convocavit seniores populi, & cogitavit cum eis ædificare præsidia in Judæa,

36 Et ædificare muros in Jerusalem, & exaltare altitudinem magnam inter medium arcis & civitatis, ut separaret eam à civitate, ut esset ipsa singulariter, & neque emant, neque vendant.

37 Et convenerunt, ut ædificarent civitatem: & cecidit murus, qui erat super torrentem ab ortu solis, & reparavit eum, qui vocatur Caphetetha.

38 Et Simon ædificavit Adiada in Sephela, & munivit eam, & imposuit portas & seras.

39 Et cùm cogitasset Tryphon regnare Asiæ, F & assumere diadema, & extendere manum in Antiochum regem:

40 Timens ne fortè non permitteret eum Jonathas, sed pugnaret adversus eum, quærebat comprehendere eum, & occidere. Et exurgens abiit in Bethsan.

41 Et exivit Jonathas obviàm illi cum quadraginta millibus virorum electorum in prælium, & venit Bethsan.

42 Et vidit Tryphon quia venit Jonathas cum exercitu multo ut extenderet in eum manus, timuit.

43 Et excepit eum cum honore, & commendavit eum omnibus amicis suis, & dedit ei munera, & præcepit exercitibus suis ut obedirent ei, sicut sibi.

44 Et dixit Jonathæ: Ut quid vexasti universum populum, cùm bellum nobis non sit?

45 Et nunc remitte eos in domos suas: elige autem tibi viros paucos, qui tecum sint, & veni mecum Ptolemaidam, & tradam eam tibi,& reliqua præsidia, & exercitum, & universos præpositos negotij,& conversus abibo: propterea enim veni.

46 Et credidit ei, & fecit sicut dixit: & dimisit exercitum, & abierunt in terram Juda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

47 Retinuit autem secum tria millia virorum: ex quibus remisit in Galilæam duo millia, mille autem venerunt cum eo.

G 48 Ut autem intravit Ptolemaidam Jonathas, clauserunt portas civitatis Ptolomenses: & comprehenderunt eum: & omnes qui cum eo intraverant, gladio interfecerunt.

49 Et misit Tryphon exercitum & equites in Galilæam, & in campum magnum, ut perderent omnes socios Jonathæ.

50 At illi cùm cognovissent quia comprehensus est Jonathas, & periit, & omnes qui cum eo erant, hortati sunt semetipsos, & exierunt parati in prælium.

51 Et videntes hi, qui insecuti fuerant, quia pro anima res est illis, reversi sunt:

52 Illi autem venerunt omnes cum pace in terram Juda. Et planxerunt Jonathan, & eos qui cum ipso fuerant valdè: & luxit Israël luctu magno.

53 Et quæsierunt omnes gentes, quæ erant in circuitu eorum, conterere eos. dixerunt enim:

54 Non habent principem, & adjuvantem: nunc ergo expugnemus illos, & tollamus de hominibus memoriam eorum.

Caput XIII.

Suscepto Simon principatu pro fratre Jonatha misit petitam à Tryphone pecuniam, unà cum filiis Ionathæ, ad ejus redemptionem: Tryphon autem, accepta pecunia, patrem occidit cum filiis: quibus sepultis ac defletis, Simon magnificum exstruxit parentibus ac fratribus sepulchrum in Modin: Tryphon verò, occiso Antiocho, regnum ejus invasit: & Simon, impetratis à rege Demetrio litteris fœderis ac immunitatis, expugnavit Gazaram, & arcem Ierosolymorum obtinuit: propter quod lætum agunt festum, quod etiam quotannis apud Iudæos agi præcipitur.

A 1 ET audivit Simon quòd congregavit Tryphon exercitum copiosum, ut veniret in terram Juda, & attereret eam.

2 Videns quia in tremore populus est, & in timore, ascendit Jerusalem, & congregavit populum:

3 Et adhortans dixit: Vos scitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei, fecimus pro legibus, & pro sanctis prælia, & angustias quales vidimus:

4 Horum gratia perierunt fratres mei omnes propter Israël, & relictus sum ego solus.

5 Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis: non enim melior sum fratribus meis.

6 Vindicabo itaque gentem meam, & sancta, natos quoque nostros, & uxores: quia congregatæ sunt universæ gentes conterere nos inimicitiæ gratia.

7 Et accensus est spiritus populi simul ut audivit sermones istos:

B 8 Et responderunt voce magna dicentes: Tu es dux noster loco Judæ & Jonathæ fratris tui:

9 Pugna prælium nostrum: & omnia quæcumque dixeris nobis, faciemus.

10 Et congregans omnes viros bellatores, acceleravit consummare universos muros Jerusalem, & munivit eam in gyro.

11 Et misit Jonathan filium Absalomi, & cum eo exercitum novum, in Joppen; & eiectis his, qui erant in ea, remansit illuc ipse.

12 Et movit Tryphon à Ptolemaida cum exercitu multo, ut veniret in terram Juda, & Jonathas cum eo in custodia.

13 Simon autem applicuit in Addus contra faciem campi.

14 Et ut cognovit Tryphon quia surrexit Simon loco fratris sui Jonathæ: & quia commissurus esset cum eo prælium, misit ad eum legatos,

15 Dicens: Pro argento, quod debebat frater tuus Jonathas in ratione regis, propter negotia quæ habuit, detinuimus eum.

16 Et nunc mitte argenti talenta centum, & duos filios ejus obsides, ut non dimissus fugiat à nobis, & remittemus eum.

17 Et cognovit Simon quia cum dolo loqueretur secum, jussit tamen dari argentum, & pueros: ne inimiciciam magnam sumeret ad populum Israël, dicentem: C

18 Quia non misit ei argentum, & pueros, propterea periit.

19 Et misit pueros, & centum talenta: & mentitus est, & non dimisit Jonathan.

20 Et post hæc venit Tryphon intra regionem, ut contereret eam: & gyraverunt per viam quæ ducit Ador: & Simon, & castra ejus ambulabant in omnem locum quocumque ibant.

21 Qui autem in arce erant, miserunt ad Tryphonem legatos, ut festinaret venire per desertum, & mitteret illis alimonias.

22 Et paravit Tryphon omnem equitatum, ut veniret illa nocte: erat autem nix multa valdè, & non venit in Galaaditim.

23 Et cùm appropinquasset Bascaman, occidit Jonathan & filios ejus illic.

24 Et convertit Tryphon, & abiit in terram suam. D

25 Et misit Simon, & accepit ossa Jonathæ fratris sui, & sepelivit ea in Modin civitate patrũ ejus.

26 Et planxerunt eum omnis Israël planctu magno, & luxerunt eum dies multos.

27 Et ædificavit Simon super sepulchrum patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito retrò & antè:

28 Et statuit septem pyramidas, unam contra unam patri & matri, & quattuor fatribus:

29 Et his circumposuit columnas magnas; & super columnas arma, ad memoriam æternam; & juxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare.

30 Hoc est sepulchrum, quod fecit in Modin, usque in hunc diem.

31 Tryphon autem cùm iter faceret cum Antiocho rege adolescente, dolo occidit eum.

32 Et regnavit loco ejus, & imposuit sibi diadema Asiæ, & fecit plagam magnam in terra.

33 Et ædificavit Simon præsidia Judææ, mu- E niens ea turribus excelsis, & muris magnis, & portis, & seris: & posuit alimenta in munitionibus.

34 Et elegit Simon viros, & misit ad Demetrium regem, ut faceret remissionem regioni: quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant gesti.

35 Et Demetrius rex ad verba ista respondit ei, & scripsit epistolam talem:

36 Rex Demetrius Simoni summo sacerdoti, & amico regum, & senioribus, & genti Judæorum, salutem.

37 Coronam auream, & bahem, quam misistis, suscepimus: & parati sumus facere vobiscum pacem magnam, & scribere præpositis regis remittere vobis quæ indulsimus.

38 Quæcumque enim constituimus, vobis constant. Munitiones, quas ædificastis, vobis sint.

39 Remittimus quoque ignorantias, & peccata usque in hodiernum diem, & coronam quam debebatis: & si quid aliud erat tributarium in Jerusalem, jam non sit tributarium.

40 Et si qui ex vobis apti sunt conscribi inter nostros, conscribantur, & sit inter nos pax.

41 Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum Gentium ab Israël.

F 42 Et cœpit populus Israël scribere in tabulis & gestis publicis, anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce, & principe Judæorum.

43 In diebus illis applicuit Simon ad Gazam, & circumdedit eam castris, & fecit machinas, & applicuit ad civitatem, & percussit turrem unam, & comprehendit eam:

44 Et eruperant qui erant intra machinam in civitatem: & factus est motus magnus in civitate.

45 Et ascenderunt qui erant in civitate, cum uxoribus & filiis supra murum, scissis tunicis suis, & clamaverunt voce magna, postulantes à Simone dextras sibi dari,

46 Et dixerunt: Non nobis reddas secundùm malitias nostras, sed secundùm misericordias tuas.

G 47 Et flexus Simon, non debellavit eos: ejecit tamen eos de civitate, & mundavit ædes in quibus fuerant simulacra, & tunc intravit in eam cum hymnis benedicens Dominum:

48 Et ejecta ab ea omni immunditia, collocavit in ea viros qui legem facerent: & munivit eam, & fecit sibi habitationem.

49 Qui autem erant in arce Jerusalem, prohibebantur egredi & ingredi regionem, & emere, ac vendere: & esurierunt valdè, & multi ex eis fame perierunt.

50 Et clamaverunt ad Simonem ut dextras acciperent: & dedit illis: & ejecit eos inde, & mundavit arcem à contaminationibus:

51 Et intraverunt in eam tertia & vigesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo, cum laude, & ramis palmarum, & cinyris, & cymbalis, & nablis, & hymnis, & canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israël.

52 Et constituit ut omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia.

53 Et munivit montem templi, qui erat secus arcem, & habitavit ibi ipse, & qui cum eo erant.

54 Et vidit Simon Joannem filium suum, quòd fortis prælij vir esset: & posuit eum ducem virtutum universarum: & habitavit in Gazaris.

Caput XIV.

Demetrio à duce Arsacis devicto & capto, Simon cum suo populo magna pace fruitur: ad quem missæ sunt litteræ renovati fœderis à Spartiatis & Romanis cum maxima laude Simonis, qui Romanis clypeum aureum mnarium mille miserat.

1 ANno centesimo septuagesimo secundo congregavit rex Demetrius exercitum suum, & abiit in Mediam ad contrahenda sibi auxilia, ut expugnaret Tryphonem. A

2 Et audivit Arsaces rex Persidis & Mediæ, quia intravit Demetrius confines suos, & misit unum de principibus suis ut comprehenderet eum vivum, & adduceret eum ad se.

3 Et abiit, & percussit castra Demetrij: & comprehendit eum, & duxit eum ad Arsacem, & posuit eum in custodiam.

4 Et siluit omnis terra Juda omnibus diebus Simonis, & quæsivit bona genti suæ: & placuit illis potestas ejus, & gloria ejus, omnibus diebus.

5 Et cum omni gloria sua accepit Joppen in portum, & fecit introitum in insulis maris.

6 Et dilatavit fines gentis suæ, & obtinuit regionem.

7 Et congregavit captivitatem multam, & dominatus est Gazaræ, & Bethsuræ, & arci: & abstulit immunditias ex ea, & non erat qui resisteret ei.

8 Et unusquisque colebat terram suam cum B pace: & terra Juda dabat fructus suos, & ligna camporum fructum suum.

9 Seniores in plateis sedebant omnes, & de bonis terræ tractabant, & juvenes induebant se gloriam & stolas belli.

10 Et civitatibus tribuebat alimonias, & constituebat eas ut essent vasa munitionis, quoadusque nominatum est nomen gloriæ ejus usque ad extremum terræ.

11 Fecit pacem super terram, & lætatus est Israël lætitia magna.

12 Et sedit unusquisque sub vite sua, & sub ficulnea sua: & non erat qui eos terreret.

13 Defecit impugnans eos super terram: reges contriti sunt in diebus illis.

14 Et confirmavit omnes humiles populi sui, & legem exquisivit, & abstulit omnem iniquum & malum:

15 Sancta glorificavit, & multiplicavit vasa sanctorum.

16 Et auditum est Romæ quia defunctus esset Jonathas, & usque in Spartiatas: & contristati sunt valdè.

17 Ut audierunt autem quòd Simon frater ejus factus esset summus sacerdos loco ejus, & ipse obtineret omnem regionem, & civitates in ea;

18 Scripserunt ad eum in tabulis æreis, ut re- C novarent amicitias & societatem, quam fecerant cum Juda, & cum Jonatha fratribus ejus.

19 Et lectæ sunt in conspectu ecclesiæ in Jerusalem. Et hoc exemplum epistolarum, quas Spartiatæ miserunt:

20 SPARTIANORUM principes, & civitates, Simoni Sacerdoti magno, & senioribus, & sacerdotibus, & reliquo populo Judæorum, fratribus, salutem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

21 Legati, qui missi sunt ad populum nostrum, nuntiaverunt nobis de vestra gloria, & honore, ac lætitia: & gavisi sumus in introitu eorum.

22 Et scripsimus quæ ab eis erant dicta in conciliis populi, sic: Numenius Antiochi, & Antipater Jasonis filius, legati Judæorum venerunt ad nos, renovantes nobiscum amicitiam pristinam. D

23 Et placuit populo excipere viros gloriosè, & ponere exemplum sermonum eorum in segregatis populi libris, ut sit ad memoriam populo Spartiatarum. Exemplum autem horum scripsimus Simoni magno Sacerdoti.

24 Post hæc autem misit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mnarum mille, ad statuendam cum eis societatem. Cùm autem audisset populus Romanus

25 Sermones istos, dixerunt: Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, & filiis ejus?

26 Restituit enim ipse fratres suos, & expugnavit inimicos Israël ab eis: & statuerunt ei libertatem, & descripserunt in tabulis æreis, & posuerunt in titulis in monte Sion.

27 Et hoc est exemplum scripturæ: Octava decima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo, anno tertio sub Simone sacerdote magno in Asaramel,

28 In conventu magno sacerdotum, & populi, & principum gentis, & seniorum regionis, nota facta sunt hæc: Quoniam frequenter facta sunt prælia in regione nostra. E

29 Simon autem Mathathiæ filius ex filiis Jarib, & fratres ejus dederunt se periculo, & restiterunt adversariis gentis suæ, ut starent sancta ipsorum, & lex: & gloria magna glorificaverunt gentem suam.

30 Et congregavit Jonathas gentem suam, & factus est illis sacerdos magnus, & appositus est ad populum suum.

31 Et voluerunt inimici eorum calcare, & atterere regionem ipsorum, & extendere manus in sancta eorum.

32 Tunc restitit Simon, & pugnavit pro gente sua, & erogavit pecunias multas, & armavit viros virtutis gentis suæ, & dedit illis stipendia:

33 Et munivit civitates Judææ: & Bethsuram, quæ erat in finibus Judææ, ubi erant arma hostium anteà: & posuit illic præsidium viros Judæos.

34 Et Joppen munivit, quæ erat ad mare; & Gazaram, quæ est in finibus Azoti, in qua hostes anteà habitabant, & collocavit illic Judæos: & quæcumque apta erant ad correptionem eorum, posuit in eis.

F 35 Et vidit populus actum Simonis, & gloriam quam cogitabat facere genti suæ, & posuerunt eum ducem suum, & principem sacerdotum, eò quòd ipse fecerat hæc omnia, & justitiam, & fidem, quam conservavit genti suæ, & exquisivit omni modo exaltare populum suum.

36 Et in diebus ejus prosperatum est in manibus ejus, ut tollerentur gentes de regione ipsorum, & qui in civitate David erant in Jerusalem, in arce, de qua procedebant, & contaminabant omnia quæ in circuitu sanctorum sunt, & inferebant plagam magnam castitati:

37 Et collocavit in ea viros Judæos ad tutamentum regionis, & civitatis, & exaltavit muros Jerusalem.

38 Et rex Demetrius statuit illi summum sacerdotium.

39 Secundùm hæc fecit eum amicum suum, & glorificavit eum gloria magna.

40 Audivit enim quòd appellati sunt Judæi à Romanis amici, & socij, & fratres, & quia susceperunt legatos Simonis gloriosè:

41 Et quia Judæi, & sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum, & summum sacerdotem in æternum, donec surgat propheta fidelis:

42 Et ut sit super eos dux, & ut cura esset illi G pro sanctis, & ut constitueret præpositos super opera eorum, & super regionem, & super arma, & super præsidia:

43 Et cura sit illi de sanctis: & ut audiatur ab omnibus, & scribantur in nomine ejus omnes conscriptiones in regione: & ut operiatur purpura, & auro:

44 Et ne liceat ulli ex populo, & ex sacerdotibus irritum facere aliquid horum, & contradicere his quæ ab eo dicuntur, aut convocare conventum in regione sine ipso: & vestiri purpura, & uti fibula aurea.

45 Qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit.

46 Et complacuit omni populo statuere Simonem, & facere secundùm verba ista.

47 Et suscepit Simon, & placuit ei ut summo sacerdotio fungeretur, & esset dux & princeps gentis Judæorum, & sacerdotum, & præesset omnibus.

48 Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis æreis, & ponere eas in peribolo sanctorum, in loco celebri:

49 Exemplum autem eorum ponere in ærario, ut habeat Simon, & filij ejus.

Caput XV.

Antiochus Demetrij filius litteras amicitiarum mittit ad Simonem: Romani fœderatos sibi Judæos ceteris nationibus per litteras commendant: Antiochus dum Tryphonem insequitur, missum à Simone militum auxilium recusat, mittitque ad eum Athenobium qui multa tanquam debita reposcat; & Simonis responso accepto, constituit adversus eum Cendebæum ducem exercitus, ipse verò Tryphonem persequitur.

1 ET misit rex Antiochus filius Demetrij epi- A stolas ab insulis maris Simoni sacerdoti, & principi gentis Judæorum, & universæ genti:

2 Et erant continentes hunc modum: Rex Antiochus Simoni sacerdoti magno, & genti Judæorum, salutem.

3 Quoniam quidem pestilentes obtinuerunt regnum patrum nostrorum, volo autem vendicare regnum, & restituere illud sicut erat anteà: & electam feci multitudinem exercitus, & feci naves bellicas.

4 Volo autem procedere per regionem, ut ulciscar in eos, qui corruperunt regionem nostram, & qui desolaverunt civitates multas in regno meo.

5 Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes, quas remiserunt tibi ante me omnes reges, & quæcumque alia dona remiserunt tibi.

6 Et

6 Et permitto tibi facere percussuram proprij numismatis in regione tua:

B 7 Jerusalem autem sanctam esse, & liberam: & omnia arma quæ fabricata sunt, & præsidia quæ construxisti, quæ tenes, maneant tibi.

8 Et omne debitum regis, & quæ futura sunt regi, ex hoc & in totum tempus remittuntur tibi.

9 Cùm autem obtinuerimus regnum nostrum, glorificabimus te, & gentem tuam, & templum gloria magna, ita ut manifestetur gloria vestra in universa terra.

10 Anno centesimo septuagesimo quarto exiit Antiochus in terram patrum suorum, & convenerunt ad eum omnes exercitus, ita ut pauci relicti essent cum Tryphone.

11 Et insecutus est eum Antiochus rex, & venit Doram fugiens per maritimam.

C 12 Sciebat enim quòd congregata sunt mala in eum, & reliquit eum exercitus.

13 Et applicuit Antiochus super Doram cum centum viginti millibus virorum belligeratorum, & octo millibus equitum:

14 Et circuivit civitatem, & naves à mari accesserunt: & vexabant civitatem à terra & mari, & neminem sinebant ingredi vel egredi.

15 Venit autem Numenius, & qui cum eo fuerant, ab urbe Roma, habentes epistolas regibus & regionibus scriptas, in quibus continebantur hæc:

16 Lucius consul Romanorum, Ptolemæo regi salutem.

17 Legati Judæorum venerunt ad nos amici nostri, renovantes pristinam amicitiam & societatem, missi à Simone principe Sacerdotum, & populo Judæorum.

18 Attulerunt autem & clypeum aureum mnarum mille.

19 Placuit itaque nobis scribere regibus, & regionibus, ut non inferant illis mala neque impugnent eos & civitates eorum, & regiones eorum: & ut non ferant auxilium pugnantibus adversus eos.

20 Visum autem est nobis accipere ab eis clypeum.

D 21 Si qui ergo pestilentes refugerunt de regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni principi sacerdotum, ut vindicet in eos secundùm legem suam.

22 Hæc eadem scripta sunt Demetrio regi, & Attalo, & Ariarathi, & Arsaci,

23 Et in omnes regiones: & Lampsaco, & Spartiatis, & in Delum, & in Myndum, & in Sicyonem, & in Cariam, & in Samum, & in Pamphyliam, & in Lyciam, & in Alycarnassum, & in Coo, & in Siden, & in Aradon, & in Rhodum, & in Phaselidem, & in Gortinam, & Gnidum, & Cyprum, & Cyrenen.

24 Exemplum autem eorum scripserunt Simoni principi sacerdotum, & populo Judæorum.

25 Antiochus autem rex applicuit castra in Doram secundò, admovens ei semper manus, & machinas faciens: & conclusit Tryphonem, ne procederet.

E 26 Et misit ad eum Simon duo millia virorum electorum in auxilium, & argentum, & aurum, & vasa copiosa:

27 Et noluit ea accipere, sed rupit omnia, quæ pactus est cum eo anteà, & alienavit se ab eo.

28 Et misit ad eum Athenobium unum de amicis suis, ut tractaret cum ipso, dicens: Vos tenetis Joppen, & Gazaram, & arcem quæ est in Jerusalem, civitates regni mei:

29 Fines earum desolastis, & fecistis plagam magnam in terra, & dominati estis per loca multa in regno meo.

30 Nunc ergo tradite civitates, quas occupastis; & tributa locorum, in quibus dominati estis extra fines Judææ.

31 Sin autem, date pro illis quingenta talenta argenti, & exterminij, quod exterminastis, & tributorum civitatem alia talenta quingenta: sin autem, veniemus, & expugnabimus vos.

32 Et venit Athenobius amicus regis in Jeru- F salem, & vidit gloriam Simonis, & claritatem in auro & argento, & apparatum copiosum: & obstupuit: & retulit ei verba Regis.

33 Et respondit ei Simon, & dixit ei: Neque alienam terram sumpsimus, neque aliena detinemus: sed hereditatem patrum nostrorum, quę iniustè ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est.

34 Nos verò tempus habentes, vindicamus hereditatem patrum nostrorum.

35 Nam de Joppe & Gazara quæ expostulas, ipsi faciebant in populo plagam magnam, & in regione nostra: horum damus talenta centum. Et non respondit ei Athenobius verbum.

36 Reversus autem cum ira ad regem, renun- G tiavit ei verba ista, & gloriam Simonis, & universa quæ vidit: & iratus est rex ira magna.

37 Tryphon autem fugit navi in Orthosiada.

38 Et constituit rex Cendebæum ducem maritimum, & exercitum peditum & equitum dedit illi.

39 Et mandavit illi movere castra contra faciem Judææ: & mandavit ei ædificare Gedorem, & obstruere portas civitatis, & debellare populum. Rex autem persequebatur Tryphonem.

40 Et pervenit Cendebæus Jamniam, & cœpit irritare plebem, & conculcare Judæam, & captivare populum, & interficere, & ædificare Gedorem.

41 Et collocavit illic equites, & exercitum: ut egressi perambularent viam Judææ, sicut constituit ei rex.

Caput XVI.

Simon senex mittit exercitum suum cum filiis suis Juda & Joanne adversus Cendebæum: quo devicto, Ptolemæus gener Simonis dominandi ambitione inflammatus, acceptos convivio socerum ejus atque filios Mathathiam & Judam dolo interfecit, ut ita Judææ provincias obtineret: porrò nuntij quos ad Joannem dolo interimendum miserat, sunt ab illo interfecti, & Joannes patri in summo sacerdotio successit.

1 ET ascendit Joannes de Gazaris, & nuntiavit A Simoni patri suo quæ fecit Cendebæus in populo ipsorum.

2 Et vocavit Simon duos filios seniores, Judam & Joannem, & ait illis: Ego, & fratres mei, & domus patris mei, expugnavimus hostes Israël ab adolescentia

Universidad de Deusto
Biblioteca

adoleſcentia uſque in hunc diem: & proſperatum eſt in manibus noſtris liberare Iſraël aliquoties.

3 Nunc autem ſenui, ſed eſtote loco meo, & fratres mei, & egreſſi pugnate pro gente noſtra: auxilium verò de cælo vobiſcum ſit.

4 Et elegit de regione viginti millia virorum belligeratorum, & equites; & profecti ſunt ad Cendebæum: & dormierunt in Modin.

5 Et ſurrexerunt manè, & abierunt in campum: & ecce exercitus copioſus in obviàm illis peditum, & equitum, & fluvius torrens erat inter medium ipſorum.

B 6 Et admovit caſtra contra faciem eorum ipſe, & populus ejus, & vidit populum trepidantem ad tranſfretandum torrentem, & tranſfretavit primus: & viderunt eum viri, & tranſierunt poſt eum.

7 Et diviſit populum, & equites in medio peditum: erat autem equitatus adverſariorum copioſus nimis.

8 Et exclamaverunt ſacris tubis, & in fugam converſus eſt Cendebæus, & caſtra ejus: & ceciderunt ex eis multi vulnerati: reſidui autem in munitionem fugerunt.

9 Tunc vulneratus eſt Judas frater Joannis: Joannes autem inſecutus eſt eos, donec venit Cedronem, quam ædificavit:

10 Et fugerunt uſque ad turres, quæ erant in agris Azoti, & ſuccendit eas igni. Et ceciderunt ex illis duo millia virorum, & reverſus eſt in Judæam in pace.

11 Et Ptolemæus filius Abobi conſtitutus erat dux in campo Jericho, & habebat argentum & aurum multum.

12 Erat enim gener ſummi ſacerdotis.

13 Et exaltatum eſt cor ejus, & volebat obtinere regionem, & cogitabat dolum adverſus Simonem, & filios ejus, ut tolleret eos.

14 Simon autem, perambulans civitates, quæ C
erant in regione Judææ, & ſolicitudinem gerens earum, deſcendit in Jericho ipſe, & Mathathias filius ejus, & Judas, anno centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, menſe undecimo: hic eſt menſis Sabath,

15 Et ſuſcepit eos filius Abobi in munitiunculam, quæ vocatur Doch, cum dolo, quam ædificavit: & fecit eis convivium magnum, & abſcondit illic viros.

16 Et cùm inebriatus eſſet Simon, & filij ejus, ſurrexit Ptolemæus cum ſuis, & ſumpſerunt arma ſua, & intraverunt in convivium, & occiderunt eum, & duos filios ejus, & quoſdam pueros ejus.

17 Et fecit deceptionem magnam in Iſraël, & reddidit mala pro bonis.

18 Et ſcripſit hæc Ptolemæus, & miſit regi, ut mitteret ei exercitum in auxilium, & traderet ei regionem, & civitates eorum, & tributa.

19 Et miſit alios in Gazaram tollere Joannem: & tribunis miſit epiſtolas, ut venirent ad ſe, & daret eis argentum, & aurum, & dona.

20 Et alios miſit occupare Jeruſalem, & montem templi.

21 Et præcurrens quidam, nuntiavit Joanni in D
Gazara, quia periit pater ejus & fratres ejus, & quia miſit te quoque interfici.

22 Ut audivit autem, vehementer expavit: & comprehendit viros, qui venerant perdere eum, & occidit eos: cognovit enim quia quærebant eum perdere.

23 Et cetera ſermonum Joannis, & bellorum ejus, & bonarum virtutum, quibus fortiter geſſit, & ædificij murorum, quos extruxit, & rerum geſtarum ejus:

24 Ecce hæc ſcripta ſunt in libro dierum ſacerdotij ejus, ex quo factus eſt princeps ſacerdotum poſt patrem ſuum.

LIBER SECUNDUS MACHABÆORUM.

Caput Primum.

Iudei habitantes Ieroſolymis ſcribunt Iudæis in Ægypto commorantibus mortem Antiochi ac ſuorum quæ in Perſide contigerat, gratias Deo agentes, & hortantes ut celebrent diem ſcenopegiæ & diem datis ignis poſt reductionem captivitatis: cujus rei narratur hic hiſtoria, & oratio Nehemiæ.

A 1 FRatribus, qui ſunt per Ægyptum, Judæis, ſalutem dicunt fratres, qui ſunt in Jeroſolymis, Judæi, & qui in regione Judææ, & pacem bonam.

2 Benefaciat vobis Deus, & meminerit teſtamenti ſui, quod locutus eſt ad Abraham, & Iſaac, & Jacob, ſervorum ſuorum fidelium:

3 Et det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem, corde magno, & animo volenti.

4 Adaperiat cor veſtrum in lege ſua, & in præceptis ſuis, & faciat pacem.

5 Exaudiat orationes veſtras, & reconcilietur vobis, nec vos deſerat in tempore malo.

6 Et nunc hîc ſumus orantes pro vobis:

7 Regnante Demetrio, anno centeſimo ſexa- B
geſimo nono, nos Judæi ſcripſimus vobis in tribulatione, & impetu, qui ſupervenit nobis in iſtis annis, ex quo receſſit Jaſon à ſancta terra, & à regno.

8 Portam ſuccenderunt, & effuderunt ſanguinem innocentem: & oravimus ad Dominum, & exauditi ſumus, & obtulimus ſacrificium, & ſimilaginem, & accendimus lucernas, & propoſuimus panes.

9 Et nunc frequentate dies ſcenopegiæ menſis Caſleu.

10 Anno centeſimo octogeſimo octavo, popu- C
lus qui eſt Jeroſolymis, & in Judæa, Senatúſque, & Judas, Ariſtobulo magiſtro Ptolemæi regis, qui eſt de genere chriſtorum ſacerdotum, & his, qui in Ægypto

Ægypto ſunt, Judæis, ſalutem & ſanitatem.

11 De magnis periculis à Deo liberati, magnificè gratias agimus ipſi, utpote qui adverſus talem regem dimicavimus.

12 Ipſe enim ebullire fecit de Perſide eos, qui pugnaverunt contra nos, & ſanctam civitatem.

13 Nam cùm in Perſide eſſet dux ipſe, & cum ipſo immenſus exercitus, cecidit in templo Naneæ, conſilio deceptus ſacerdotum Naneæ.

14 Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus, & amici ejus, & ut acciperet pecunias multas dotis nomine.

15 Cúmque propoſuiſſent eas ſacerdotes Naneæ, & ipſe cum paucis ingreſſus eſſet intra ambitum fani, clauſerunt templum,

D 16 Cùm intraſſet Antiochus: apertóque occulto aditu templi, mittentes lapides percuſſerunt ducem, & eos qui cum eo erant, & diviſerunt membratim, & capitibus amputatis foras projecerunt.

17 Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios.

18 Facturi igitur quinta & vigeſima die menſis Caſleu purificationem templi, neceſſarium duximus ſignificare vobis: ut & vos quoque agatis diem ſcenopegiæ, & diem ignis qui datus eſt quando Nehemias ædificato templo & altari obtulit ſacrificia.

E 19 Nam cùm in Perſidem ducerentur patres noſtri; ſacerdotes qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè abſconderunt in valle, ubi erat puteus altus & ſiccus, & in eo conturati ſunt eũ, ita ut omnibus ignotus eſſet locus.

20 Cùm autem præteriſſent anni multi, & placuit Deo ut mitteretur Nehemias à rege Perſidis: nepotes ſacerdotum illorum, qui abſconderant, miſit ad requirendum ignem: & ſicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, ſed aquam craſſam.

21 Et juſſit eos haurire, & afferre ſibi, & ſacrificia quæ impoſita erant, juſſit ſacerdos Nehemias aſpergi ipſa aqua, & ligna, & quæ erãt ſuperpoſita.

22 Utque hoc factum eſt, & tempus affuit, quo ſol refulſit, qui priùs erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.

F 23 Orationem autem faciebant omnes ſacerdotes, dum conſummaretur ſacrificium, Jonatha inchoante, ceteris autem reſpondentibus.

24 Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum: DOMINE Deus omnium creator, terribilis, & fortis, juſtus, & miſericors, qui ſolus es bonus rex,

25 Solus præſtans, ſolus juſtus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Iſraël de omni malo, qui feciſti patres electos, & ſanctificaſti eos:

26 Accipe ſacrificium pro univerſo populo tuo Iſraël, & cuſtodi partem tuam, & ſanctifica.

27 Congrega diſperſionem noſtram, libera eos qui ſerviunt Gentibus, & contemptos & abominatos reſpice: ut ſciant Gentes quia tu es Deus noſter.

28 Afflige opprimentes nos, & contumeliam facientes in ſuperbia.

29 Conſtitue populum tuum in loco ſancto tuo, * ſicut dixit Moyſes.

*Deut. 30.a.3. 5. Inf. 2. d.18.

30 Sacerdotes autem pſallebant hymnos, uſquequò conſumptum eſſet ſacrificium.

31 Cùm autem conſumptum eſſet ſacrificium, G
ex reſidua aqua Nehemias juſſit lapides majores perfundi.

32 Quod ut factum eſt, ex eis flamma accenſa eſt: ſed ex lumine, quod refulſit ab altari, conſumpta eſt.

33 Ut verò manifeſtata eſt res, renuntiatum eſt regi Perſarum, quòd in loco, in quo ignem abſconderant hi qui tranſlati fuerant ſacerdotes, aqua apparuit, de qua Nehemias, & qui cum eo erant, purificaverunt ſacrificia.

34 Conſiderans autem rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum, ut probaret quod factum erat.

35 Et cùm probaſſet, ſacerdotibus donavit multa bona, & alia atque alia munera, & accipiens manu ſua, tribuebat eis.

36 Appellavit autem Nehemias hunc locum Nephthar, quod interpretatur Purificatio. Vocatur autem apud plures Nephi.

Caput II.

Ieremias ſub Babylonicam captivitatem tradito tranſmigrantibus igne & lege Dei, in eo monte ad quem aſcendens Moyſes vidit terram promiſſionis, abſcondit tabernaculum, arcam & altare incenſi, ut ibi eſſent uſque ad populi reditum ex captivitate Babylonica: quædam Moyſi & Salomonis facta hic attinguntur: de factis Iudæ Machabæi & fratrum ejus, de quo quinque Iaſonis volumina in unum hunc librum contrahuntur.

1 INvenitur autem in deſcriptionibus Jeremiæ A
prophetæ, quòd juſſit eos ignem accipere qui tranſmigrabant, ut ſignificatum eſt, & ut mandavit tranſmigratis.

2 Et dedit illis legem ne obliviſcerentur præcepta Domini, & ut non exerrarent mentibus videntes ſimulachra aurea & argentea, & ornamenta eorum.

3 Et alia hujuſmodi dicens, hortabatur ne legem amoverent à corde ſuo.

4 Erat autem in ipſa ſcriptura, quomodo tabernaculum & arcam juſſit propheta divino reſponſo ad ſe facto comitari ſecum, uſquequò exiit in *Deut. 34.a.1.
montem, * in quo Moyſes aſcendit, & vidit Dei hereditatem.

5 Et veniens ibi Jeremias invenit locum ſpe- B
luncæ: & tabernaculum, & arcam, & altare incenſi intulit illuc, & oſtium obſtruxit.

6 Et acceſſerunt quidam ſimul, qui ſequebantur, ut notarent ſibi locum: & non potuerunt invenire.

7 Ut autem cognovit Jeremias, culpans illos, dixit: Quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat:

8 Et tunc Dominus oſtendet hæc, & apparebit majeſtas Domini, & nubes erit, ſicut & Moyſi manifeſtabatur, & * ſicut cùm Salomon petiit ut locus *3. Reg. 8.b.11. 2.Par.6. d.14.
ſanctificaretur magno Deo, manifeſtabat hæc.

9 Magnificè etenim ſapientiam tractabat: & ut ſapientiam habens, obtulit ſacrificium dedicationis & conſummationis templi.

10 * Sicut & Moyſes orabat ad Dominum, & C
deſcendit ignis de cælo, & conſumpſit holocauſtum, ſic * & Salomon oravit, & deſcendit ignis *Lev. 9. d. 24. *2.Par. 7.a.1.
de cælo, & conſumpſit holocauſtum.

11 Et dixit Moyſes, * eò quòd non ſit comeſtum quod erat pro peccato, conſumptum eſt. * Lev. 10.d.16. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

12 Similiter & Salomon octo diebus celebravit dedicationem.

13 Inferebantur autem in descriptionibus & commentariis Nehemiæ hæc eadem : & ut constituens bibliothecam congregavit de regionibus libros, & Prophetarum, & David, & epistolas Regum, & de donariis.

14 Similiter autem & Judas, ea quæ deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos.

15 Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis.

D 16 Acturi itaque purificationem scripsimus vobis : benè ergo facietis, si egeritis hos dies.

17 Deus autem, qui liberavit populum suum, & reddidit hereditatem omnibus : & regnum, & sacerdotium, & sanctificationem.

Deut. 30.a.3. 5. Sup.1. f.29. 18 * Sicut promisit in lege, speramus quòd citò nostri miserebitur, & congregabit sub cælo in locum sanctum.

19 Eripuit enim nos de magnis periculis, & locum purgavit.

20 De Juda verò Machabæo, & fratribus ejus, & de templi magni purificatione, & de aræ dedicatione ;

E 21 Sed & de præliis, quæ pertinent ad Antiochum Nobilem, & filium ejus Eupatorem ;

22 Et de illuminationibus quæ de cælo factæ sunt ad eos, qui pro Judæis fortiter fecerunt, ita ut universam regionem, cùm pauci essent, vindicarent, & barbaram multitudinem fugarent,

23 Famosissimum in toto orbe templum recuperarent, & civitatem liberarent, & leges, quæ abolitæ erant, restituerentur, Domino cum omni tranquillitate propitio facto illis ;

24 Itémque ab Jasone Cyrenæo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno volumine breviare.

F 25 Considerantes enim multitudinem librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum,

26 Curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio : studiosis verò, ut faciliùs possint memoriæ commendare : omnibus autem legentibus utilitas conferatur.

27 Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immò verò negotium plenum vigiliarum & sudoris assumpsimus.

28 Sicut hi qui præparant convivium, & quærunt aliorum voluntati parêre propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus.

29 Veritatem quidem de singulis, auctoribus concedentes, ipsi autem secundùm datam formam brevitati studentes.

G 30 Sicut enim novæ domus architecto de universa structura curandum est : ei verò qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt : ita æstimandum est & in nobis.

31 Etenim intellectum colligere, & ordinare sermonem, & curiosiùs partes singulas quasque disquirere, historiæ congruit auctori :

32 Brevitatem verò dictionis sectari, & executiones rerum vitare, brevianti concedendum est.

33 Hinc ergo narrationem incipiemus : de præfatione tantùm dixisse sufficiat. stultum etenim est ante historiam effluere, in ipsa autem historia succingi.

Caput III.

Simon templi præpositus thesauros ejus Apollonio duci prodit : ad quos rapiendos missus à rege Heliodorus, post fusas Iudæorum orationes, à Deo percutitur, sed Oniæ pontificis sacrificio ac precibus liberatur, actisque Deo & Oniæ gratiis, narrat regi ac cæteris omnibus Dei magnalia.

1 IGitur cùm sancta civitas habitaretur in omni A pace, leges etiam adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ pontificis pietatem, & animos odio habentes mala,

2 Fiebat ut & ipsi reges & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent :

3 Ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.

4 Simon autem de tribu Benjamin præpositus templi constitutus, contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum, iniquum aliquid in civitate moliri.

5 Sed cùm vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Tharsææ filium, qui eo tempore erat dux Cœlesyriæ, & Phœnicis :

6 Et nuntiavit ei, pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium Jerosolymis, & communes copias immensas esse, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum : esse autem possibile sub potestate regis cadere universa.

7 Cúmque retulisset ad regem Apollonius de B pecuniis quæ delatæ erant, ille accitum Heliodorum, qui erat super negotia ejus, misit cum mandatis, ut prædictam pecuniam transportaret.

8 Statimque Heliodorus iter est aggressus, specie quidem quasi per Cœlesyriam & Phœnicen civitates esset peragraturus, re vera autem regis propositum perfecturus.

9 Sed, cùm venisset Jerosolymam, & benignè à summo sacerdote in civitate esset exceptus, narravit de dato indicio pecuniarum : &, cujus rei gratia adesset, aperuit : interrogabat autem, si verè hæc ita essent.

10 Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse hæc, & victualia viduarum & pupillorum :

11 Quædam verò esse Hircani Tobiæ viri valdè eminentis, in his quæ detulerat impius Simon : universa autem argenti talenta esse quadringenta, & auri ducenta.

12 Decipi verò eos, qui credidissent loco & templo, quod per universum mundum honoratur, pro sui veneratione & sanctitate omnino impossibile esse.

13 At ille pro his quæ habebat in mandatis à C rege, dicebat omni genere regi ea esse deferenda.

14 Constituta autem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica verò per universam civitatem erat trepidatio.

15 Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus jactaverunt se, & invocabant de cælo eum, qui de depositis legem posuit, ut his, qui deposuerant ea, salva custodiret.

16 Jam

16 Jam verò qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur : facies enim & color immutatus, declarabat internum animi dolorem.

17 Circumfusa enim erat mœstitia quædam viro, & horror corporis, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis ejus efficiebatur.

18 Alij etiam gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo quòd in contemptum locus esset venturus.

D 19 Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant. sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam verò per fenestras aspiciebant :

20 Universæ autem protendentes manus in cælum, deprecabantur.

21 Erat enim misera commistæ multitudinis, & magni sacerdotis in agone constituti exspectatio.

22 Et hi quidem invocabant omnipotentem Deum, ut credita sibi, his qui crediderant, cum omni integritate conservarentur.

23 Heliodorus autem, quod decreverat, perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens.

E 24 Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes, qui ausi fuerant parêre ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem & formidinem converterentur.

25 Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus : isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit. qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea.

26 Alij etiam apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloria, speciosíque amictu : qui circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes.

27 Subitò autem Heliodorus concidit in terram, cúmque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum ejecerunt.

28 Et is, qui cum multis cursoribus & satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute :

29 Et ille quidem per divinam virtutem jacebat mutus, atque omni spe & salute privatus.

F 30 Hi autem Dominum benedicebant, quia magnificabat locum suum : & templum, quod paulò antè timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino, gaudio & lætitia impletum est.

31 Tunc verò ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, ut invocaret Altissimum, ut vitam donaret ei, qui in supremo spiritu erat constitutus.

32 Considerans autem summus sacerdos, ne fortè rex suspicaretur malitiam aliquam ex Judæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem.

33 Cúmque summus sacerdos exoraret, iidem juvenes eisdem vestibus amicti, astantes Heliodoro, dixerunt : Oniæ sacerdoti gratias age : nam propter eum Dominus tibi vitam donavit.

34 Tu autem à Deo flagellatus, nuntia omnibus magnalia Dei, & potestatem. Et his dictis, non comparuerunt.

35 Heliodorus autem, hostia Deo oblata, & votis magnis promissis ei, qui vivere illi concessit, & Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad regem.

36 Testabatur autem omnibus ea quæ sub oculis suis viderat opera magni Dei.

37 Cùm autem rex interrogasset Heliodorum, quis esset aptus adhuc semel Jerosolymã mitti, ait :

38 Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen evaserit : eò quòd in loco sit verè Dei quædam virtus.

39 Nam ipse, qui habet in cælis habitationem, visitator & adjutor est loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit, ac perdit.

40 Igitur de Heliodoro, & ærarij custodia, ita res se habet.

Caput IV.

Onias ob Simonis detractiones ad Seleucum concessit : cujus pontificatum ambiens frater ejus Iason, promisit regi plurima talenta, acceptóque pontificatu omnem Dei cultum pervertit ; quem pontificatu privari curat Menelaus, plura regi talenta pollicitus : cui promissa non præstanti succedit frater ipsius Lysimachus : Onias cùm Menelaum de sacrilegio argueret, illius jussu ab Andronico perimitur ; propter quod jussu Antiochi in eodem loco Andronicus interimitur : Lysimacho à populo oppresso, Menelaus apud regem accusatus, intercedentibus donis absolvitur, occisis innocentibus ejus accusatoribus.

1 SImon autem prædictus pecuniarum & patriæ A delator, malè loquebatur de Onia, tanquam ipse Heliodorum instigasset ad hæc, & ipse fuisset incentor malorum :

2 Provisorémque civitatis, ac defensorem gentis suæ, & æmulatorem legis Dei, audebat insidiatorem regni dicere.

3 Sed, cùm inimicitiæ in tantum procederent, ut etiam per quosdam Simonis necessarios homicidia fierent :

4 Considerans Onias periculum contentionis, & Apollonium insanire, utpote ducem Cœlesyriæ & Phœnicis, ad augendam malitiam Simonis, ad regem se contulit,

5 Non ut civium accusator, sed communem utilitatem apud semetipsum universæ multitudinis considerans.

6 Videbat enim sine regali providentia impossibile esse pacem rebus dari, nec Simonem posse cessare à stultitia sua.

7 Sed post Seleuci vitæ excessum, cùm suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Jason frater Oniæ summum sacerdotium :

8 Adito rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, & ex redditibus aliis talenta octoginta,

9 Super hæc promittebat & alia centum quin- B quaginta, si potestati ejus concederetur gymnasium & ephebiam sibi constituere, & eos, qui in Jerosolymis erant, Antiochenos scribere.

10 Quod cum rex annuisset, & obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit.

11 Et amotis his, quæ humanitatis causa Judæis à regibus

Universidad de Navarra
Biblioteca

regibus fuerant constituta, per Joannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia & societate functus est legatione legitima, civium jura destituens, prava instituta sanciebat.

12 Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere.

13 Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, & profectus gentilis & alienigenæ conversationis, propter impij & non sacerdotis Jasonis nefarium & inauditum scelus:

14 Ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, & sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palæstræ, & præbitionis ejus injustæ, & in exercitiis disci.

15 Et patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur:

C 16 Quarum gratia periculosa eos contentio habebat, & eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes & peremptores habuerant.

17 In leges enim divinas impiè agere impunè non cedit: sed hoc tempus sequens declarabit.

18 Cùm autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, & rex præsens esset,

19 Misit Jason facinorosus ab Jerosolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis: quas postulaverunt hi qui asportaverant ne in sacrificiis erogarentur, quia non oporteret, sed in alios sumptus eas deputari.

20 Sed hæ oblatæ sunt quidem ab eo, qui miserat, in sacrificium Herculis: propter præsentes autem datæ sunt in fabricam navium triremium.

21 Misso autem in Ægyptum Apollonio Mnesthei filio, propter primates Ptolemæi Philometoris regis, cùm cognovisset Antiochus alienum se à negotiis regni effectum, propriis utilitatibus consulens, profectus inde venit Joppen, & inde Jerosolymam.

D 22 Et magnificè ab Jasone & civitate susceptus, cum facularum luminibus & laudibus ingressus est: & inde in Phœnicen exercitum convertit.

23 Et post triennij tempus misit Jason Menelaum, supradicti Simonis fratrem, portantem pecunias regi, & de negotiis necessariis responsa perlaturum.

24 At ille commendatus regi, cùm magnificasset faciem potestatis ejus, in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens Jasoni talenta argenti trecenta.

25 Acceptisque à rege mandatis, venit, nihil quidem habens dignum sacerdotio, animos verò crudelis tyranni, & feræ beluæ iram gerens.

26 Et Jason quidem, qui proprium fratrem captivaverat, ipse deceptus profugus in Ammanitem expulsus est regionem.

27 Menelaus autem principatum quidem obtinuit: de pecuniis verò regi promissis, nihil agebat, cùm exactionem faceret Sostratus, qui arci erat præpositus:

28 (Nam ad hunc exactio vectigalium pertinebat) quam ob causam utrique ad regem sunt evocati.

29 Et Menelaus amotus est à sacerdotio, succedente Lysimacho fratre suo: Sostratus autem prælatus est Cypriis.

30 Et cùm hæc agerentur, contigit, Tharsenses & Mallotas seditionem movere, eò quòd Antiochidi regis concubinæ dono essent dati. E

31 Festinanter itaque rex venit sedare illos, relicto suffecto uno ex comitibus suis Andronico.

32 Ratus autem Menelaus accepisse se tempus opportunum, aurea quædam vasa è templo furatus donavit Andronico, & alia vendiderat Tyri, & per vicinas civitates.

33 Quod cùm certissimè cognovisset Onias, arguebat eum, ipse in loco tuto se continens Antiochiæ secus Daphnem.

34 Unde Menelaus accedens ad Andronicum, rogabat ut Oniam interficeret. Qui cùm venisset ad Oniam, & datis dextris cum jurejurando (quamvis esset ei suspectus) suasisset de asylo procedere, statim eum peremit, non veritus justitiam.

35 Ob quam causam non solùm Judæi, sed aliæ quoque nationes indignabantur, & molestè ferebant de nece tanti viri injusta.

36 Sed regressum regem de Ciliciæ locis, adierunt Judæi apud Antiochiam, simul & Græci, conquerentes de iniqua nece Oniæ.

37 Contristatus itaque animo Antiochus propter Oniam, & flexus ad misericordiam, lacrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem, & modestiam.

38 Accensísque animis, Andronicum purpura F exutum, per totam civitatem jubet circumduci: & in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vita privari, Domino illi condignam retribuente pœnam.

39 Multis autem sacrilegiis in templo à Lysimacho commissis Menelai consilio, & divulgata fama, congregata est multitudo adversum Lysimachum, multo jam auro exportato.

40 Turbis autem insurgentibus, & animis ira repletis, Lysimachus armatis ferè tribus millibus iniquis manibus uti cœpit, duce quodam tyranno, ætate pariter & dementia provecto.

41 Sed, ut intellexerunt conatum Lysimachi, alij lapides, alij fustes validos arripuere: quidam verò cinerem in Lysimachum jecère.

42 Et multi quidem vulnerati, quidam autem G & prostrati, omnes verò in fugam conversi sunt: ipsum etiam sacrilegum secus ærarium interfecerunt.

43 De his ergo cœpit judicium adversus Menelaum agitari.

44 Et cùm venisset rex Tyrum, ad ipsum negotium detulerunt missi tres viri à senioribus.

45 Et cùm superaretur Menelaus, promisit Ptolemæo multas pecunias dare ad suadendum regi.

46 Itaque Ptolemæus in quodam attio positum quasi refrigerandi gratia regem adiit, & deduxit à sententia.

47 Et Menelaum quidem universæ malitiæ reum criminibus absolvit: miseros autem, qui, etiamsi apud Scythas causam dixissent, innocentes judicarentur, hos morte damnavit.

48 Citò ergo injustam pœnam dederunt, qui pro

pro civitate, & populo, & sacris vasis, causam prosecuti sunt.

49 Quamobrem Tyrij quoque indignati, erga sepulturam eorum liberalissimi extiterunt.

50 Menelaus autem, propter eorum, qui in potentia erant, avaritiam, permanebat in potestate, crescens in malitia ad insidias civium.

Caput V.

Armati exercitus, ipsorumque congressiones Ierosolymis in aëre quadraginta diebus conspiciuntur: Iason Ierusalem invadens, & cives crudeliter trucidans, apud exteros miserè moritur: Antiochus, innumeris in Ierusalem trucidatis, vinctis ac venumdatis, templum spoliat; & discedens, relinquit crudeles præpositos qui populum affligant: rursumque misso duce Apollonio plurimos interficit: Judas verò Machabæus cum suis in desertum locum secessit.

A 1 Eodem tempore Antiochus secundam profectionem paravit in Ægyptum.

2 Contigit autem per universam Jerosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes: auratas stolas habentes, & hastis, quasi cohortes, armatos,

3 Et cursus equorum per ordines digestos, & congressiones fieri cominus, & scutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis districtis, & telorum jactus, & aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum.

4 Quapropter omnes rogabant in bonum monstra converti.

5 Sed cùm falsus rumor exisset, tanquam vita excessisset Antiochus, assumptis Jason non minùs mille viris, repentè aggressus est civitatem: & civibus ad murum convolantibus, ad ultimum apprehensa civitate, Menelaus fugit in arcem:

6 Jason verò non parcebat in cæde civibus suis, nec cogitabat prosperitatem adversum cognatos malum esse maximum, arbitrans hostium & non civium se trophæa capturum.

B 7 Et principatum quidem non obtinuit, finem verò insidiarum suarum confusionem accepit, & profugus iterùm abiit in Ammaniten.

8 Ad ultimum, in exitium sui conclusus ab Areta Arabum tyranno, fugiens de civitate in civitatem, omnibus odiosus, ut refuga legum & execrabilis, ut patriæ & civium hostis, in Ægyptum extrusus est:

9 Et qui multos de patria sua expulerat, peregrè periit, Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus:

10 Et qui insepultos multos abjecerat, ipse & illamentatus, & insepultus abjicitur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulchro participans.

11 His itaque gestis, suspicatus est rex societatem deserturos Judæos: & ob hoc profectus ex Ægypto efferatis animis, civitatem quidem armis cepit.

12 Jussit autem militibus interficere, nec parcere occurrentibus, & per domos ascendẽtes trucidare.

13 Fiebant ergo cædes juvenum ac seniorum, & mulierum & natorum exterminia, virginúmque & parvulorum neces.

14 Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venumdati.

15 Sed nec ista sufficiunt: ausus est etiam intrare templum universa terra sanctius, Menelao C ductore, qui legum & patriæ fuit proditor:

16 Et sceleſtis manibus sumens sancta vasa, quæ ab aliis regibus & civitatibus erant posita ad ornatum loci, & gloriam, contrectabat indignè, & contaminabat.

17 Ita alienatus mente Antiochus, non considerabat, quòd propter peccata habitantium civitatem, modicum Deus fuerat iratus: propter quod & accidit circa locum despectio:

18 Alioquin nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, * sicut Heliodorus, qui missus est à Seleuco rege ad expoliandum ærarium, etiam *2.Mach.3. hic statim adveniens flagellatus, & repulsus utique fuisset ab audacia. c.25.27.

19 Verùm non propter locum, gentem, sed propter gentem, locum Deus elegit.

20 Ideóque & ipse locus particeps factus est populi malorum: posteà autem fiet socius bonorum, & qui derelictus in ira Dei omnipotentis est, iterùm in magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur.

21 Igitur Antiochus mille & octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus D est, existimans se præ superbia terram ad navigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum propter mentis elationem.

22 Reliquit autem & præpositos ad affligendam gentem: Jerosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso, à quo constitutus est:

23 In Garizim autem Andronicum & Menelaum, qui gravius quàm ceteri imminebant civibus.

24 Cúmque appositus esset contra Judæos, misit odiosum principem Appollonium cum exercitu viginti & duobus millibus, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac juvenes vendere.

25 Qui cùm venisset Jerosolymam, pacem simulans, quievit usque ad diem sanctum sabbati: & tunc feriatis Judæis, arma capere suis præcepit.

26 Omnésque qui ad spectaculum processerant, trucidavit: & civitatem cum armatis discurrens, ingentem multitudinem peremit.

27 Judas autem Machabæus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum, ibíque inter feras vitam in montibus cum suis agebat: & fœni cibo vescentes, demorabantur, ne participes essent coinquinationis.

Caput VI.

Per ducem à rege missum Iudæi à lege Dei arcentur, templúmque fœdissimè profanatur, & Iudæi etiam per varias regiones dispersi ad idolorum coguntur sacrificia: describitur duarum mulierum supplicium eò quòd filios suos circumcidissent; sabbatúmque celebrantes concremantur: ostenditur tamen hæc afflictio non esse Dei deserentis, sed suos corripientis: egregium Eleazari senis martyrium nolentis porcinis vesci carnibus, nec id simulare.

A 1 Sed non post multum temporis, misit rex senem quemdam Antiochenum, qui compelleret Judæos, ut se transferrent à patriis & Dei legibus:

2 Contaminare

Universidad de Navarra
Biblioteca

2 Contaminare etiam quod Jerosolymis erat templum, & cognominare Jovis Olympij: & in Garizim, prout erant hi, qui locum inhabitabant, Jovis hospitalis.

3 Pessima autem & universis gravis erat malorum incursio.

4 Nam templum luxuria & comessationibus Gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se ultrò ingerebant, intrò ferentes ea, quæ non licebat.

5 Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur.

B 6 Neque autem sabbata custodiebantur, neque dies sollemnes patrij servabantur, nec simpliciter Judæum se esse quisquam confitebatur.

7 Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia: &, cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire.

8 Decretum autem exiit in proximas Gentilium civitates, suggerentibus Ptolemæis, ut pari modo & ipsi adversus Judæos agerent, ut sacrificarent:

9 Eos autem, qui nollent transire ad instituta Gentium, interficerent: erat ergo videre miseriam.

10 Duæ enim mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse: quas, infantibus ad ubera suspensis, cum publicè per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt.

C 11 Alij verò, ad proximas coëuntes speluncas, & latenter sabbati diem celebrantes, cùm indicati essent Philippo, flammis succensi sunt, eò quòd verebantur, propter religionem & observantiam, manu sibimet auxilium ferre.

12 Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent, ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri.

13 Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficij est indicium.

14 Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cum judicij dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat:

15 Ita & in nobis statuit, ut pecatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet.

D 16 Propter quod numquam quidem à nobis misericordiam suam amovet: corripiens verò in adversis, populum suum non derelinquit.

17 Sed hæc nobis ad commonitionem legentium dicta sint paucis. Jam autem veniendum est ad narrationem.

18 Igitur Eleazarus unus de primoribus scribarum, vir ætate provectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare.

19 At ille gloriosissimam mortem magis quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad supplicium.

20 Intuens autem, quemadmodum oporteret accedere; patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem.

E 21 Hi autem qui astabant, iniqua miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secretò rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut rex imperaverat, de sacrificij carnibus:

22 Ut, hoc facto, à morte liberaretur: & propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem.

23 At ille cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conversationis actus: & secundùm sanctæ & à Deo conditæ legis constituta, respondit citò, dicens, præmitti se velle in infernum.

24 Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, F fingere: ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum:

25 Et ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitę tempus decipiantur; & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram.

26 Nam, etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.

27 Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo:

28 Adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. His dictis, confestim ad supplicium trahebatur. G

29 Hi autem, qui eum ducebant, & paulò antè fuerant mitiores, in iram conversi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur.

30 Sed, cùm plagis perimeretur, ingemuit, & dixit: Domine, qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia, cùm à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundùm animā verò propter timorem tuum libenter hæc patior.

31 Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solùm juvenibus, sed & universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens.

Caput VII.

Septem fratrum matrisque eorum ingentia fortissimèque tolerata supplicia, quòd porcinis nollent vesci carnibus: & quàm constanter regi ob suam crudelitatem ostenderint paratam esse damnationem, & mater suos filios sit exhortata.

1 COntigit autem & septem fratres unà cum A matre sua apprehensos, compelli à rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos.

2 Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: Quid quæris, & quid vis discere à nobis? parati sumus mori, magis, quàm patrias Dei leges prævaricari.

3 Iratus itaque rex, jussit sartagines & ollas æneas succendi: quibus statim succensis,

4 Jussit, ei qui prior fuerat locutus, amputari linguam: &, cute capitis abstracta, summas quoque manus & pedes ei præscindi, ceteris ejus fratribus & matre inspicientibus.

5 Et, cùm jam per omnia inutilis factus esset, B jussit

jussit ignem admoveri, & adhuc spirantem torreri in sartagine: in qua cùm diu cruciaretur, ceteri unà cum matre invicem se hortabantur mori fortiter,

6 Dicentes: Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis, * quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses: & in servis suis consolabitur. *Deut. 32 v. 36. & 43.

7 Mortuo itaque illo primo, hoc modo sequentem deducebant ad illudendum: &, cute capitis ejus cum capillis abstracta, interrogabant, si manducaret priùs, quàm toto corpore per membra singula puniretur.

8 At ille, respondens patria voce, dixit: Non faciam. Propter quod & iste, sequenti loco, primi tormenta suscepit.

9 Et in ultimo spiritu constitutus, sic ait: Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.

10 Post hunc tertius illuditur, & linguam postulatus citò protulit, & manus constanter extendit:

C 11 Et cum fiducia ait: E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero:

12 Ita ut rex, & qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quòd tanquam nihilum duceret cruciatus.

13 Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes.

14 Et, cùm jam esset ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos spem expectare à Deo, iterùm ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio, ad vitam non erit.

15 Et cùm admovissent quintum, vexabant eum. At ille respiciens in eum, dixit:

16 Potestatem inter homines habens cum sis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus nostrum à Deo esse derelictum.

D 17 Tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te & semen tuum torquebit.

18 Post hunc ducebant sextum, & is, mori incipiens, sic ait: Noli frustrà errare: nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, & digna admiratione facta sunt in nobis:

19 Tu autem ne existimes tibi impunè futurum, quòd contra Deum pugnare tentaveris.

20 Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat:

21 Singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia: &, femineæ cogitationi masculinum animum inserens,

22 Dixit ad eos: Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donavi vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi:

23 Sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & spiritum vobis iterùm cum misericordia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges ejus.

24 Antiochus autem, contemni se arbitratus, E simul & exprobrantis voce despecta, cùm adhuc adolescentior supereset, non solùm verbis hortabatur, sed & cum juramento affirmabat, se divitem & beatum facturum, & translatum à patriis A legibus amicum habiturum, & res necessarias ei præbiturum.

25 Sed ad hæc cùm adolescens nequaquam inclinaretur, vocavit rex matrem, & suadebat ei ut adolescenti fieret in salutem.

26 Cùm autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo.

27 Itaque inclinata ad illum irridens crudelem tyrannum, ait patria voce: Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi & alui, & in ætatem istam perduxi.

28 Peto, nate, ut aspicias ad cælum & terram, F & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus:

29 Ita fiet, ut non timeas carnificem istum; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.

30 Cùm hæc illa adhuc diceret, ait adolescens: Quem sustinetis? non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen.

31 Tu verò, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei.

32 Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur.

33 Et si nobis propter increpationem & correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est: sed iterùm reconciliabitur servis suis.

34 Tu autem, ô sceleste, & omnium hominum flagitiosissime, noli frustrà extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus.

35 Nondum enim omnipotentis Dei, & omnia G inspicientis, judicium effugisti.

36 Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: tu verò judicio Dei justas superbiæ tuæ pœnas exolves.

37 Ego autem, sicut & fratres mei, animam & corpus meum trado pro patriis legibus, invocans Deum maturiùs genti nostræ propitium fieri, réque cum tormentis & verberibus confiteri quòd ipse est Deus solus.

38 In me verò & in fratribus meis desinet omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum justè superducta est.

39 Tunc rex accensus ira, in hunc super omnes crudeliùs desævit, indignè ferens se derisum.

40 Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens.

41 Novissimè autem post filios & mater consumpta est.

42 Igitur de sacrificiis, & de nimiis crudelitatibus satis dictum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput VIII.

Iudas Machabæus, invocato Dei auxilio, post aliquot victorias, Nicanorem, qui certam sibi de Iudæis pollicebatur victoriam, suos primùm ad constantiam adhortatus, profligavit; interfectis de ejus exercitu unà cum Timotheo & Bacchide plusquam 20000. ita ut Nicanor solus effugiens prædicaret Iudæos Deum habere protectorem.

A 1 Judas verò Machabæus, & qui cum illo erant, introibant latenter in castella: & convocantes cognatos & amicos, & eos, qui permanserunt in Judaïsmo, assumentes, eduxerunt ad se sex millia virorum.

2 Et invocabant Dominum, ut respiceret in populum, qui ab omnibus calcabatur: & misereretur templo, quod contaminabatur ab impiis:

3 Misereretur etiam exterminio civitatis, quæ esset illicò complananda, & vocem sanguinis ad se clamantis audiret:

4 Memoraretur quoque iniquissimas mortes parvulorum innocentum, & blasphemias nomini suo illatas, & indignaretur super his.

B 5 At Machabæus, congregata multitudine, intolerabilis gentibus efficiebatur: ira enim Domini in misericordiam conversa est.

6 Et superveniens castellis & civitatibus improvisus, succendebat eas: & opportuna loca occupans, non paucas hostium strages dabat:

7 Maximè autem noctibus ad hujuscemodi excursus ferebatur, & fama virtutis ejus ubique diffundebatur.

8 Videns autem Philippus paulatim virum ad profectum venire, ac frequentiùs res ei cedere prosperè, ad Ptolemæum ducem Cœlesyriæ & Phœnicis scripsit, ut auxilium ferret regis negotiis.

9 At ille velociter misit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei de permistis gentibus, armatis non minùs viginti millibus, ut universum Judæorum genus deleret, adjuncto ei & Gorgia viro militari, & in bellicis rebus experientissimo.

C 10 Constituit autem Nicanor, ut regi tributum, quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum, de captivitate Judæorum suppleret:

11 Statimque ad maritimas civitates misit, convocans ad coëmptionẽ Judaïcorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distracturum, non respiciens ad vindictam, quæ eum ab Omnipotente esset consecutura.

12 Judas autem ubi comperit, indicavit his qui secum erant Judæis, Nicanoris adventum.

13 Ex quibus quidam formidantes, & non credentes Dei justitiæ, in fugam vertebantur:

14 Alij verò si quid ei supererat vendebant, simúlque Dominum deprecabantur, ut eriperet eos ab impio Nicanore, qui eos, priùs quàm cominus veniret, vendiderat:

15 Et si non propter eos, propter testamentum tamen quod erat ad patres eorum, & propter invocationem sancti & magnifici nominis ejus super ipsos.

D 16 Convocatis autem Machabæus septem millibus, qui cum ipso erant, rogabat ne hostibus reconciliarentur, neque metuerent iniquè venientium adversum se hostium multitudinem, sed fortiter contenderent,

17 Ante oculos habentes contumeliam, quæ loco sancto ab his injustè esset illata, itémque & ludibrio habitæ civitatis injuriam, adhuc etiam veterum institutа convulsa.

18 Nam illi quidem armis confidunt, ait, simul & audacia: nos autem in omnipotente Domino, qui potest & venientes adversum nos, & universum mundum uno nutu delere, confidimus.

19 Admonuit autem eos & de auxiliis Dei, quæ E facta sunt erga parentes: & *quòd sub Sennacherib centum octoginta quinque millia perierunt: *4. Reg. 19.g.35. Tob.1. d.21. Eccli.48. d.24. Isai.37. g.36. 1.Mac. 7.f.41.

20 Et de prælio, quod eis adversus Galatas fuit in Babylonia, ut omnes, ubi ad rem ventum est, Macedonibus sociis hæsitantibus, ipsi sex millia soli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cælo, & beneficia pro his plurima consecuti sunt.

21 His verbis constantes effecti sunt, & pro legibus & patria mori parati.

22 Constituit itaque fratres suos duces utrique ordini, Simonem, & Josephum, & Jonathan, subjectis unicuique millenis & quingentenis.

23 Ad hoc etiam ab Esdra lecto illis sancto libro, & dato signo adjutorij Dei, in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore.

24 Et facto sibi adjutore Omnipotente, interfecerunt super novem millia hominum: majorem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt.

25 Pecuniis verò eorum, qui ad emptionem F ipsorum venerant, sublatis, ipsos usquequaque persecuti sunt,

26 Sed reversi sunt hora concluſi, nam erat ante sabbatum: quam ob causam non perseverave-runt insequentes.

27 Arma autem ipsorum & spolia congregantes, sabbatum agebant: benedicentes Dominum, qui liberavit eos in isto die, misericordiæ initium stillans in eos.

28 Post sabbatum verò, debilibus, & orphanis, & viduis diviserunt spolia: & residua ipsi cum suis habuere.

29 His itaque gestis, & communiter ab omnibus facta obsecratione, misericordem Dominum postulabant, ut in finem servis suis reconciliaretur.

30 Et ex his, qui cum Timotheo & Bacchide erant contra se contendentes, super viginti millia interfecerunt, & munitiones excelsas obtinuerunt: & plures prædas diviserunt, æquam portionem debilibus, pupillis, & viduis, sed & senioribus facientes.

31 Et cùm arma eorum diligenter collegissent, omnia composuerunt in locis opportunis, residua verò spolia Jerosolymam detulerunt:

32 Et Philarchen, qui cum Timotheo erat, in- G terfecerunt, virum scelestum, qui in multis Judæos afflixerat.

33 Et cùm epinicia agerent Jerosolymis, eum, qui sacras januas incenderat, id est, Callisthenem, cùm in quoddam domicilium refugisset, incenderunt,

incenderunt, digna ei mercede pro impietatibus suis reddita.

34 Facinorosissimus autem Nicanor, qui mille negotiantes ad Judæorum venditionem adduxerat,

35 Humiliatus auxilio Domini, ab his quos nullos existimaverat, depositа veste gloriæ, per mediterranea fugiens, solus venit Antiochiam, summam infelicitatem de interitu sui exercitus consecutus.

36 Et qui promiserat Romanis se tributum restituere de captivitate Jerosolymorum, prædicabat nunc protectorem Deum habere Judæos, & ob ipsum invulnerabiles esse, eò quòd sequerentur leges ab ipso constitutas.

Caput IX.

Antiochus à Persepoli fugatus, dum Iudæos ad internecionem perdere meditaretur, maximis viscerum doloribus à Deo percussus, cum fœtore intolerabili scaturientibus è corpore vermibus, post suorum criminum agnitionem, & serò promissam emendationem, meritamorte occubuit, scriptis ad Iudæos litteris ut filio suo subditi persisterent.

A 1 Eodem tempore Antiochus inhonestè revertebatur de Perside.

2 Intraverat enim in eam, quæ dicitur Persepolis, & tentavit expoliare templum, & civitatem opprimere: sed multitudine ad arma concurrente, in fugam versi sunt: & ita contigit ut Antiochus post fugam turpiter rediret.

3 Et cùm venisset circa Ecbatanam, recognovit quæ erga Nicanorem & Timotheum gesta sunt.

4 Elatus autem in ira, arbitrabatur se, injuriam illorum qui se fugaverant, posse in Judæos retorquere: ideóque jussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, cælesti eum judicio perurgente, eò quòd ita superbè locutus est se venturum Jerosolymam, & congeriem sepulchri Judæorum eam facturum.

*1.Par. 16.c.9. 5 * Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israël, percussit eum insanabili & invisibili plaga. Ut enim finivit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta:

6 Et quidem satis justè, quippe qui multis & novis cruciatibus aliorum torserat viscera, licet ille nullo modo à sua malitia cessaret.

7 Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Judæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & gravi corporis collisione membra vexari.

B 8 Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans:

9 Ita ut de corpore impij vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur.

10 Et qui paulò antè sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.

11 Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus.

12 Et cùm nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, ita ait: Justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.

13 Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.

14 Et civitatem, ad quam festinans veniebat ut eam ad solum deduceret, ac sepulchrum congestorum faceret, nunc optat liberam reddere:

15 Et Judæos, quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed avibus ac feris diripiendos traditurum, & cum parvulis exterminaturum dixerat, æquales nunc Athenienſibus facturum pollicetur:

16 Templum etiam sanctum, quod priùs ex- C poliaverat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis præstaturum:

17 Super hæc, & Judæum se futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem.

18 Sed non cessantibus doloribus (supervenerat enim in eum justum Dei judicium) desperans scripsit ad Judæos in modum deprecationis epistolam hæc continentem.

19 Optimis civibus Judæis plurimam salutem, & benè valere, & esse felices, rex & princeps Antiochus.

20 Si benè valetis, & filij vestri, & ex sententia vobis cuncta sunt, maximas agimus gratias.

21 Et ego in infirmitate constitutus, vestri autem memor benignè, reversus de Persidis locis, & infirmitate gravi apprehensus, necessarium duxi pro communi utilitate curam habere:

22 Non desperans memetipsum, sed spem multam habens effugiendi infirmitatem.

23 Respiciens autem quòd & pater meus, qui- D bus temporibus in locis superioribus ducebat exercitum, ostendit qui post se susciperet principatum:

24 Ut si quid contrarium accideret, aut difficile nuntiaretur, scientes hi qui in regionibus erant, cui esset rerum summa derelicta, non turbarentur.

25 Ad hæc considerans de proximo potentes quosque & vicinos temporibus insidiantes, & eventum exspectantes, designavi filium meum Antiochum regem, quem sæpè recurrens in superiora regna multis vestrùm commendabam: & scripsi ad eum quæ subjecta sunt.

26 Oro itaque vos & peto, memores beneficiorum publicè & privatim, ut unusquisque conservet fidem ad me & ad filium meum.

27 Confido enim, eum modestè & humanè acturum, & sequentem propositum meum, & communem vobis fore.

28 Igitur homicida & blasphemus pessimè percussus, & ut ipse alios tractaverat, peregrè in montibus miserabili obitu vita functus est.

29 Transferebat autem corpus Philippus collactaneus ejus, qui metuens filium Antioch', ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abiit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput X.

Iudas Machabæus, purgatis templo ac civitate, octo diebus festivitatem celebrat, & quotannis celebrandam ordinat: Eupator Antiocho patri in regno succedens, Ptolemæo veneno extincto, Gorgiam ducem locorum constituit, Iudæos sæpius pugna molestantem: Iudæi & hunc & Timotheum variásque hostium munitiones devincunt, occisis plurimis millibus, quinque etiam equitibus de cælo apparentibus, qui Iudæis in auxilium venerant.

A 1 MAchabæus autem, & qui cum eo erant, Domino se protegente, templum quidem, & civitatem recepit:

2 Aras autem, quas alienigenæ per plateas extruxerant, itémque delubra demolitus est.

3 Et purgato templo, aliud altare fecerunt: & de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt post biennium, & incensum, & lucernas, & panes propositionis posuerunt.

4 Quibus gestis, rogabant Dominum prostrati in terram, ne ampliùs talibus malis inciderent: sed &, si quando peccassent, ut ab ipso mitiùs corriperentur, & non barbaris ac blasphemis hominibus traderentur.

5 Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri, vigesima quinta mensis, qui fuit Casleu.

B 6 Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quòd ante modicum temporis, diem sollemnem tabernaculorum in montibus & in speluncis more bestiarum egerant.

7 Propter quod thyrsos, & ramos virides, & palmas præferebant ei qui prosperavit mundari locum suum.

8 Et decreverunt communi præcepto & decreto, universæ genti Judæorum, omnibus annis agere dies istos.

9 Et Antiochi quidem, qui appellatus est Nobilis, vitæ excessus ita se habuit.

10 Nunc autem de Eupatore Antiochi impij filio, quæ gesta sunt narrabimus, breviantes mala, quæ in bellis gesta sunt.

C 11 Hic enim suscepto regno, constituit super negotia regni Lysiam quemdam, Phœnicis & Syriæ militiæ principem.

12 Nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, justi tenax erga Judæos esse constituit, & præcipuè propter iniquitatem quæ facta erat in eos, & pacificè agere cum eis.

13 Sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem, cùm frequenter proditor audiret, eò quòd Cyprum creditam sibi à Philometore deseruisset, & ad Antiochum Nobilem transiatus etiam ab eo recessisset, veneno vitam finivit.

14 Gorgias autem, cùm esset dux locorum, assumptis advenis frequenter Judæos debellabat.

15 Judæi verò, qui tenebant opportunas munitiones, fugatos ab Jerosolymis suscipiebant, & bellare tentabant.

D 16 Hi verò qui erant cum Machabæo, per orationes Dominum rogantes ut esset sibi adjutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum.

17 Multáque vi insistentes, loca obtinuerunt, occurrentes interemerunt, & omnes simul non minùs viginti millibus trucidaverunt.

18 Quidam autem, cùm confugissent in duas turres valdè munitas, omnem apparatum ad repugnandum habentes,

19 Machabæus ad eorum expugnationem, relicto Simone, & Josepho, itémque Zachæo, eisque qui cum ipsis erant satis multis, ipse ad eas, quæ ampliùs perurgebant, pugnas conversus est.

20 Hi verò qui cum Simone erant cupiditate E ducti, à quibusdam qui in turribus erant, suasi sunt pecunia: & septuaginta millibus didrachmis acceptis, dimiserunt quosdam effugere.

21 Cùm autem Machabæo nuntiatum esset quòd factum est, principibus populi congregatis, accusavit, quòd pecunia fratres vendidissent, adversariis eorum dimissis.

22 Hos igitur proditores factos interfecit, & confestim duas turres occupavit.

23 Armis autem ac manibus omnia prosperè agendo, in duabus munitionibus plus quàm viginti millia peremit.

24 At Timotheus, qui priùs à Judæis fuerat superatus, convocato exercitu peregrinæ multitudinis, & congregato equitatu Asiano, advenit quasi armis Judæam capturus.

25 Machabæus autem, & qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbósque ciliciis præcincti,

26 Ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, & adversariis adversaretur, sicut lex dicit.

27 Et ita post orationem, sumptis armis, lon- F giùs de civitate procedentes, & proximi hostibus effecti, resederunt.

28 Primo autem solis ortu utrique commiserunt: isti quidem victoriæ & prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes: illi autem ducem belli animum habebant.

29 Sed, cùm vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Judæis præstantes:

30 Ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela & fulmina jaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant.

31 Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, & equites sexcenti.

32 Timotheus verò confugit in Gazaram præsidium munitum, cui præerat Chæreas.

33 Machabæus autem, & qui cum eo erant, G lætantes obsederunt præsidium diebus quattuor.

34 At hi qui intus erant, loci firmitate confisi, supra modum maledicebant & sermones nefandos jactabant.

35 Sed cùm dies quinta illuxisceret, viginti juvenes ex his qui cum Machabæo erant, accensi animis propter blasphemiam viriliter accesserunt ad murum, & feroci animo incedentes ascendebant:

36 Sed & alij similiter ascendentes, turres portásque succendere aggressi sunt, atque ipsos maledicos vivos concremare.

37 Per continuũ autem biduũ præsidio vastato, Timotheum

Timotheum occultantem se, in quodam repertum loco peremerunt: & fratrem illius Chæream & Appollophanem occiderunt.

38 Quibus gestis, in hymnis & confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israël, & victoriam dedit illis.

Caput XI.

Iudas Machabæus ferocis Lysiæ maximum prostravit exercitum, fretus auxilio missi cælitus equitis; quod animadvertens Lysias pacem inter Iudæos & regem componit; referuntur epistolæ Lysiæ, Antiochi, ac Romanorum ad Iudæos, & Antiochi ad Lysiam pro Iudæis.

A 1 SEd parvo pòst tempore, Lysias procurator regis, & propinquus, ac negotiorum præpositus, graviter ferens de his quæ acciderant,

2 Congregatis octoginta millibus, & equitatu universo, veniebat adversus Judæos, existimans se civitatem quidem captam Gentibus habitaculum facturum,

3 Templum verò in pecuniæ quæstum, sicut cetera delubra Gentium, habiturum, & per singulos annos venale sacerdotium:

4 Nusquam recogitans Dei potestatem, sed mente effrænatus, in multitudine peditum, & in millibus equitum, & in octoginta elephantis confidebat.

5 Ingressus autem Judæam, & appropians Bethsuræ, quæ erat in angusto loco, ab Jerosolyma intervallo quinque stadiorum, illud præsidium expugnabat.

B 6 Ut autem Machabæus, & qui cum eo erant, cognoverunt expugnari præsidia, cum fletu & lacrymis rogabant Dominum, & omnis turba simul, ut bonum angelum mitteret ad salutem Israël.

7 Et ipse primus Machabæus, sumptis armis, ceteros adhortatus est simul secum periculum subire, & ferre auxilium fratribus suis.

8 Cúmque pariter prompto animo procederent, Jerosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans.

9 Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, & convaluerunt animis: non solùm homines, sed & bestias ferociſſimas, & muros ferreos parati penetrare.

10 Ibant igitur prompti, de cælo habentes adC jutorem, & miserantem super eos Dominum.

11 Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum, & equitum mille sexcentos:

12 Universos autem in fugam verterunt, plures autem ex eis vulnerati nudi evaserunt. Sed & ipse Lysias turpiter fugiens evasit.

13 Et quia non insensatus erat, secum ipse reputans, factam erga se diminutionem, & intelligens invictos esse Hebræos, omnipotentis Dei auxilio innitentes, misit ad eos:

14 Promisitque se consensurum omnibus quæ justa sunt, & regem compulsurum amicum fieri.

15 Annuit autem Machabæus precibus Lysiæ, in omnibus utilitati consulens: & quæcumque Machabæus scripsit Lysiæ de Judæis, ea rex concessit.

16 Nam erant scriptæ Judæis epistolæ à Lysia quidem hunc modum continentes:

Lysias populo Judæorum salutem. D

17 Joannes & Abesalom, qui missi fuerant à vobis tradentes scripta, postulabant ut ea, quæ per illos significabantur, implerem.

18 Quæcumque igitur regi potuerunt perferri, exposui: & quæ res permittebat, concessit.

19 Si igitur in negotiis fidem conservaveritis, & deinceps bonorum vobis causa esse tentabo.

20 De ceteris autem per singula verbo mandavi, & istis, & his qui à me missi sunt, colloqui vobiscum. E

21 Benè valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, mensis Dioscori die vigesima & quarta.

22 Regis autem epistola ista continebat: Rex Antiochus Lysiæ fratri salutem.

23 Patre nostro inter deos translato, nos volentes eos, qui sunt in regno nostro, sine tumultu agere, & rebus suis adhibere diligentiam,

24 Audivimus Judæos non consensisse patri meo ut transferrentur ad ritum Græcorum, sed tenere velle suum institutum, ac propterea postulare à nobis concedi sibi legitima sua.

25 Volentes igitur hanc quoque gentem quietam esse, statuentes judicavimus, templum restitui illis, ut agerent secundùm suorum majorum consuetudinem.

26 Benè igitur feceris, si miseris ad eos, & dexteram dederis: ut cognita nostra voluntate, bono animo sint, & utilitatibus propriis deserviant. F

27 Ad Judæos verò regis epistola talis erat:

Rex Antiochus senatui Judæorum, & ceteris Judæis salutem.

28 Si valetis, sic estis ut volumus: sed & ipsi benè valemus.

29 Adiit nos Menelaus, dicens velle vos descendere ad vestros, qui sunt apud nos.

30 His igitur, qui commeant usque ad diem trigesimum mensis Xanthici, damus dextras securitatis,

31 Ut Judæi utantur cibis & legibus suis, sicut & priùs: & nemo eorum ullo modo molestiam patiatur de his, quæ per ignorantiam gesta sunt.

32 Misimus autem & Menelaum, qui vos alloquatur.

33 Valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, Xanthici mensis quintadecima die.

34 Miserunt autem etiam Romani epistolam, ita se habentem:

Quintus Memmius & Titus Manilius, legati Romanorum, populo Judæorum salutem. G

35 De his, quæ Lysias cognatus regis concessit vobis, & nos concessimus.

36 De quibus autem ad regem judicavit referendum, confestim aliquem mittite, diligentiùs inter vos conferentes, ut decernamus, sicut congruit vobis: nos enim Antiochiam accedimus.

37 Ideóque festinate rescribere, ut nos quoque sciamus cujus estis voluntatis.

38 Benè valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, quintadecima die mensis Xanthici.

Universidad de Deusto Biblioteca

Caput XII.

Judas ac duces ipsius divino freti auxilio pugnant feliciter adversus Ioppitas, Iamnitas, Arabes, Casphin & Ephron civitates; item adversus Timotheum habentem ingentem exercitum, adversus præsidium Carnion, & Gorgiam: occisis autem quibusdam Judæis, qui de donariis idolorum sustulerant, Judas curat pro ipsorum peccatis offerri sacrificium.

A 1 HIs factis pactionibus, Lysias pergebat ad regem, Judæi autem agriculturæ operam dabant.

2 Sed hi qui resederant, Timotheus, & Apollonius Gennæi filius, sed & Hieronymus, & Demophon super hos, & Nicanor Cypriarches, non sinebant eos in silentio agere, & quiete.

3 Joppitæ verò tale quoddam flagitium perpetrarunt: rogaverunt Judæos, cum quibus habitabant, ascendere scaphas, quas paraverant, cum uxoribus & filiis, quasi nullis inimicitiis inter eos subjacentibus.

4 Secundùm commune itaque decretum civitatis, & ipsis acquiescentibus, pacísque causa nihil suspectum habentibus: cùm in altum processissent, submerserunt non minùs ducentos.

5 Quam crudelitatem Judas in suæ gentis homines factam ut cognovit, præcepit viris, qui erant cum ipso: & invocato justo judice Deo,

6 Venit adversus interfectores fratrum, & portum quidem noctu succendit, scaphas exussit, eos autem, qui ab igne refugerant, gladio peremit.

B 7 Et cùm hæc ita egisset, discessit quasi iterùm reversurus, & universos Joppitas eradicaturus.

8 Sed cùm cognovisset & eos, qui erant Jamniæ, velle pari modo facere habitantibus secum Judæis,

9 Iamnitis quoque nocte supervenit, & portum cum navibus succendit: ita ut lumen ignis appareret Jerosolymis à stadiis ducentis quadraginta.

10 Inde cùm jam abiissent novem stadiis, & iter facerent ad Timotheum, commiserunt cum eo Arabes, quinque millia viri, & equites quingenti.

11 Cúmque pugna valida fieret, & auxilio Dei prosperè cessisset, residui Arabes victi, petebant à Juda dextram sibi dari, promittentes se pascua daturos, & in ceteris profuturos.

12 Judas autem, arbitratus verè in multis eos utiles, promisit pacem: dextrísque acceptis, discessere ad tabernacula sua.

C 13 Aggressus est autem & civitatem quamdam firmam, pontibus murísque circumseptam, quæ à turbis habitabatur Gentium promiscuarum, cui nomen Casphin.

14 Hi verò qui intus erant, confidentes in stabilitate murorum, & apparatu alimoniarum, remissiùs agebant, maledictis lacessentes Judam, & blasphemantes, ac loquentes quæ fas non est.

15 Machabæus autem, invocato magno mundi Principe, qui sine arietibus & machinis *temporibus Jesu præcipitavit Jericho, irruit ferociter muris:

*Josue 6. c. 20.

16 Et capta civitate per Domini voluntatem, innumerabiles cędes fecit, ita ut adjacens stagnum stadiorum duorum latitudinis, sanguine interfectorum fluere videretur.

17 Inde discesserunt stadia septingenta quinquaginta, & venerunt in Characa ad eos, qui dicuntur Tubianæi, Judæos:

18 Et Timotheum quidem in illis locis non comprehenderunt, nullóque negotio perfecto regressus est, relicto in quodam loco firmissimo præsidio.

19 Dositheus autem & Sosipater, qui erant duces cum Machabæo, peremerunt à Timotheo relictos in præsidio, decem millia viros.

20 At Machabæus, ordinatis circum se sex millibus, & constitutis per cohortes, adversus Timotheum processit, habentem secum centum viginti millia peditum, equitúmque duo millia quingentos.

21 Cognito autem Judæ adventu, Timotheus præmisit mulieres, & filios, & reliquum apparatum, in præsidium, quod Carnion dicitur: erat enim inexpugnabile, & accessu difficile propter locorum angustias. D

22 Cúmque cohors Judæ prima apparuisset, timor hostibus incussus est, ex præsentia Dei, qui universa conspicit, & in fugam versi sunt alius ab alio, ita ut magis à suis dejicerentur, & gladiorum suorum ictibus debilitarentur.

23 Judas autem vehementer instabat puniens profanos, & prostravit ex eis triginta millia virorum.

24 Ipse verò Timotheus incidit in partes Dosithei & Sosipatris: & multis precibus postulabat ut vivus dimitteretur, eò quòd multorum ex Judæis parentes haberet, ac fratres, quos morte ejus decipi eveniret.

25 Et cùm fidem dedisset restituturum se eos secundùm constitutum, illæsum eum dimiserunt propter fratrum salutem.

26 Judas autem egressus est ad Carnion, interfectis vigintiquinque millibus. E

27 Post horum fugam, & necem, movit exercitum ad Ephron civitatem munitam, in qua multitudo diversarum gentium habitabat: & robusti juvenes pro muris consistentes fortiter repugnabant: in hac autem machinæ multæ, & telorum erat apparatus.

28 Sed, cùm omnipotentem invocassent, qui potestate sua vires hostium confringit, ceperunt civitatem: & ex eis qui intus erant, vigintiquinque millia prostraverunt.

29 Inde ad civitatem Scytharum abierunt, quæ ab Jerosolymis sexcentis stadiis aberat.

30 Contestantibus autem his, qui apud Scythopolitas erant, Judæis, quòd benignè ab eis haberentur, etiam temporibus infelicitatis quòd modestè secum egerint.

31 Gratias agentes eis, & exhortati etiam de cetero erga genus suum benignos esse, venerunt Jerosolymam die sollemni septimanarum instante. F

32 Et post Pentecosten abierunt contra Gorgiam præpositum Idumææ.

33 Exivit autem cum peditibus tribus millibus, & equitibus quadringentis.

34 Quibus

34 Quibus congressis, contigit paucos ruere Judæorum.

35 Dositheus verò quidam de Bacenoris eques, vir fortis, Gorgiam tenebat: &, cùm vellet illum capere vivum, eques quidam de Thracibus irruit in eum, humerúmque ejus amputavit: atque ita Gorgias effugit in Maresa.

36 At illis, qui cum Esdrain erant, diutiùs pugnantibus & fatigatis, invocavit Judas Dominum adjutorem & ducem belli fieri:

37 Incipiens voce patria, & cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incussit.

38 Judas autem collecto exercitu venit in civitatem Odollam: &, cùm septima dies superveniret, secundùm consuetudinem purificati, in eodem loco sabbatum egerunt.

39 Et sequenti die venit cum suis Judas, ut corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus poneret in sepulchris paternis.

G 40 Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, * à quibus lex prohibet Judæos: omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse.

*Deut. 7. d. 25.

41 Omnes itaque benedixerunt justum judicium Domini, qui occulta fecerat manifesta.

42 Atque ita ad preces conversi, rogaverunt, ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur. At verò fortissimus Judas hortabatur populum conservare se sine peccato, sub oculis videntes quæ facta sunt pro peccatis eorum qui prostrati sunt.

43 Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans.

44 (Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis.)

45 Et quia considerabat quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.

46 Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.

Caput XIII.

Menelaus Judæus transfuga jussu Antiochi extremo afficitur supplicio: Antiochus verò maximum ducens in Judæos exercitum, semel ac iterùm victus & repulsus, multísque millibus ex suis occisis, & Philippo rebellante, supplex pacem cum Judæis firmat juramento, oblato in templo sacrificio, Judáque in principem Ptolemaidis constituto.

A 1 ANno centesimo quadragesimo nono, cognovit Judas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine adversus Judæam,

2 Et cum eo Lysiam procuratorem & præpositum negotiorum, secum habentem peditum centum decem millia, & equitum quinque millia, & elephantos viginti duos, currus cum falcibus trecentos.

3 Commiscuit autem se illis & Menelaus: & cum multa fallacia deprecabatur Antiochum, non pro patriæ salute, sed sperans se constitui in principatum.

4 Sed Rex regum suscitavit animos Antiochi in peccatorem: & suggerente Lysia hunc esse causam omnium malorum, jussit (ut eis est consuetudo) apprehensum in eodem loco necari. B

5 Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris: hæc prospectum habebat in præceps.

6 Inde in cinerem dejici jussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum.

7 Et tali lege prevaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum.

8 Et quidem satis justè: nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cujus ignis & cinis erat sanctus; ipse in cineris morte damnatus est. C

9 Sed rex mente effrænatus veniebat, nequiorem se patre suo Judæis ostensurus.

10 Quibus Judas cognitis, præcepit populo ut die ac nocte Dominum invocarent, quò, sicut semper, & nunc adjuvaret eos:

11 Quippe qui lege, & patria, sanctóque templo privari vererentur: ac populum, qui nuper paululùm respirasset, ne sineret blasphemis rursus nationibus subdi.

12 Omnibus itaque simul id facientibus, & petentibus à Domino misericordiam, cum fletu & jejuniis, per triduum continuum prostratis, hortatus est eos Judas ut se præpararent. D

13 Ipse verò cum senioribus cogitavit, priùs quàm rex admoveret exercitum ad Judæam, & obtineret civitatem, exire, & Domini judicio committere exitum rei.

14 Dans itaque potestatem omnium Deo mundi creatori, & exhortatus suos ut fortiter dimicarent, & usque ad mortem pro legibus, templo, civitate, patria, & civibus starent, circa Modin exercitum constituit. E

15 Et dato signo suis Dei victoriæ, juvenibus fortissimis electis, nocte aggressus aulam regiam, in castris interfecit viros quattuor millia, & maximum elephantorum cum his qui superpositi fuerant:

16 Summóque metu ac perturbatione hostium castra replentes, rebus prosperè gestis, abierunt.

17 Hoc autem factum est die illucescente, adjuvante eum Domini protectione.

18 Sed rex, accepto gustu audaciæ Judæorum, arte difficultatem locorum tentabat:

19 Et Bethsuræ, quæ erat Judæorum præsidium munitum, castra admovebat: sed fugabatur, impingebat, minorabatur. F

20 His autem, qui intus erant, Judas necessaria mittebat.

21 Enuntiavit autem mysteria hostibus Rhodocus quidam de Judaico exercitu, qui requisitus comprehensus est, & conclusus.

22 Iterùm rex sermonem habuit ad eos qui erant in Bethsuris: dextram dedit: accepit: abiit.

23 Commisit cum Juda: superatus est. Ut autem cognovit rebellasse Philippum Antiochiæ, qui relictus erat super negotia, mente consternatus, Judæos deprecans, subditúsque eis, jurat de

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnibus quibus justum visum est : & reconciliatus obtulit sacrificium, honoravit templum, & munera posuit :

24 Machabæum amplexatus est, & fecit eum à Ptolemaïde usque ad Gerrenos ducem & principem.

25 Ut autem venit Ptolemaidam, graviter ferebant Ptolemenses amicitiæ conventionem, indignantes ne fortè fœdus irrumperent.

26 Tunc ascendit Lysias tribunal, & exposuit rationem, & populum sedavit, regressúsque est Antiochiam : & hoc modo regis profectio & reditus processit.

Caput XIV.

Suggerente Alcimo qui summo destitutus erat sacerdotio, Nicanor in Iudæos missus à rege Demetrio, auditis Iudæ præclaris facinoribus, amicitiam cum eo contrahit : quam postmodum rege cogente solvens, dum Iudam nequit comprehendere, templi minatur eversionem, & senem Raziam Iudæum magnanimum apprehendere conatur : qui dum ab hostibus jam se capiendum videret, elegit potiùs constantissimo animo sibi mortem inferre quàm indigna pati ab hostibus, in quos propriis manibus sua intestina projecit.

A 1 SEd post triennij tempus, cognovit Judas, & qui cum eo erant, Demetrium Seleuci, cum multitudine valida, & navibus, per portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna :

2 Et tenuisse regiones adversus Antiochum, & ducem ejus Lysiam.

3 Alcimus autem quidam, qui summus sacerdos fuerat, sed voluntariè coinquinatus est temporibus commistionis, considerans nullo modo sibi esse salutem, neque accessum ad altare,

4 Venit ad regem Demetrium, centesimo quinquagesimo anno, offerens ei coronam auream, & palmam super hæc & thallos, qui templi esse videbantur. Et ipsa quidem die siluit.

5 Tempus autem opportunum dementiæ suæ nactus, convocatus à Demetrio ad consilium, & interrogatus quibus rebus & consiliis Judæi niterentur,

6 Respondit : Ipsi qui dicuntur Assidæi Judæorum, quibus præest Judas Machabæus bella nutriunt, & seditiones movent, nec patiuntur regnum esse quietum.

7 Nam, & ego defraudatus parentum gloria (dico autem summo sacerdotio) huc veni :

B 8 Primò quidem utilitatibus regis fidem servans, secundò autem etiam civibus consulens : nam illorum pravitate universum genus nostrum non minimè vexatur.

9 Sed oro his singulis, ô rex, cognitis, & regioni, & generi, secundùm humanitatem tuam pervulgatam omnibus, prospice.

10 Nam, quamdiu supererit Judas, impossibile est pacem esse negotiis.

11 Talibus autem ab hoc dictis, & ceteri amici, hostiliter se habentes adversus Judam inflammaverunt Demetrium.

12 Qui statim Nicanorem præpositum elephantorum ducem misit in Judæam :

13 Datis mandatis, ut ipsum quidem Judam caperet, eos verò, qui cum illo erant, dispergeret, & constitueret Alcimum maximi templi summum sacerdotem.

14 Tunc gentes, quæ de Judæa fugerant Judam, gregatim se Nicanori miscebant ; miserias & clades Judæorum, prosperitates rerum suarum existimantes. C

15 Audito itaque Judæi Nicanoris adventu & conventu nationum, conspersi terra rogabant eum, qui populum suum constituit, ut in æternum custodiret, quique suam portionem signis evidentibus protegit.

16 Imperante autem duce, statim inde moverunt, convenerúntque ad castellum Dessau.

17 Simon verò frater Judæ commiserat cum Nicanore : sed conterritus est repentino adventu adversariorum.

18 Nicanor tamen, audiens virtutem comitum Judæ, & animi magnitudinem, quam pro patriæ certaminibus habebant, sanguine judicium facere metuebat.

19 Quam ob rem præmisit Posidonium, & Theodotium, & Matthiam, ut darent dextras atque acciperent.

20 Et cùm diu de his consilium ageretur, & ipse dux ad multitudinem retulisset, omnium una fuit sententia amicitiis annuere.

21 Itaque diem constituerunt, qua secretò inter se agerent : & singulis sellæ prolatæ sunt, & positæ.

22 Præcepit autem Judas armatos esse locis opportunis, ne fortè ab hostibus repentè mali aliquid oriretur : & congruum colloquium fecerunt.

23 Morabatur autem Nicanor Jerosolymis, nihilque iniquè agebat, gregésque turbarum, quæ congregatæ fuerant, dimisit. D

24 Habebat autem Judam semper charum ex animo, & erat viro inclinatus.

25 Rogavítque eum ducere uxorem, filiósque procreare. Nuptias fecit : quietè egit, communitérque vivebant.

26 Alcimus autem videns charitatem illorum adinvicem, & conventiones, venit ad Demetrium, & dicebat, Nicanorem rebus alienis assentire, Judámque regni insidiatorem successorem sibi destinasse.

27 Itaque rex exasperatus & pessimis hujus criminationibus irritatus, scripsit Nicanori, dicens, graviter quidem se ferre de amicitiæ conventione, jubere tamen Machabæum citiùs vinctum mittere Antiochiam.

28 Quibus cognitis, Nicanor consternabatur, & graviter ferebat, si ea, quæ convenerant, irrita faceret, nihil læsus à viro :

29 Sed quia regi resistere non poterat, opportunitatem observabat, qua præceptum perficeret.

30 At Machabæus, videns secum austeriùs agere Nicanorem, & consuetum occursum ferociùs exhibentem, intelligens non ex bono esse austeritatem istam, paucis suorum congregatis, occultavit se à Nicanore. E

31 Quod cùm ille cognovit fortiter se à viro præventum, venit ad maximum & sanctissimum templum : & sacerdotibus solitas hostias offerentibus, jussit sibi tradi virum.

32 Quibus cum juramento dicentibus nescire se ubi esset qui quærebatur, extendens manum ad templum,

33 Juravit,

33 Juravit, dicens : Nisi Judam mihi vinctum tradideritis, istud Dei fanum in planitiem deducam, & altare effodiam, & templum hoc Libero patri consecrabo.

34 Et his dictis, abiit. Sacerdotes autem protendentes manus in cælum, invocabant eum, qui semper propugnator esset gentis ipsorum, hæc dicentes :

F 35 Tu Domine universorum, qui nullius indiges, voluisti templum habitationis tuæ fieri in nobis.

36 Et nunc sancte sanctorum omnium Domine, conserva in æternum impolluram domum istam, quæ nuper mundata est.

37 Razias autem quidam de senioribus ab Jerosolymis delatus est Nicanori, vir amator civitatis, & benè audiens : qui pro affectu pater Judæorum appellabatur.

38 Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Judaismo, corpúsque & animam tradere contentus pro perseverantia.

39 Volens autem Nicanor manifestare odium, quod habebat in Judæos, misit milites quingentos, ut eum comprehenderent.

40 Putabat enim, si illum decepisset, se cladem Judæis maximam illaturam.

41 Turbis autem irruere in domum ejus, & januam disrumpere, atque ignem admovere cupientibus, cùm jam comprehenderetur, gladio se petiit ;

G 42 Eligens nobiliter mori potiùs, quàm subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis injuriis agi.

43 Sed, cùm per festinationem non certo ictu plagam dedisset, & turbæ intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitavit semetipsum viriliter in turbas :

44 Quibus velociter locum dantibus casui ejus, venit per mediam cervicem :

45 Et cùm adhuc spiraret, accensus animo, surrexit : & cùm sanguis ejus magno fluxu defluereret, & gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit :

46 Et stans supra quamdam petram præruptam, & jam exsanguis effectus, complexus intestina sua, utrisque manibus projecit super turbas, invocans dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterùm redderet : atque ita vita defunctus est.

Caput XV.

Iudas suos contra Nicanorem Dei potentiam contemnentem roborat, tum exhortatione, tum nocturnæ apparitionis manifestatione de viso Ieremia pro populo Israël orante ; qui in Deum spem habentes ingentem prosternunt exercitum, amputatis capite & manu Nicanoris, quæ Ierosolymis in memoriam divinæ protectionis suspensa sunt, lingua ejus blasphema avibus particulatim tradita, eóque die in annuam sollemnitatem instituto.

A 1 NIcanor autem, ut comperit Judam esse in locis Samariæ, cogitavit cum omni impetu die sabbati committere bellum.

1. Mach. 7. d. 26.

2 Judæis verò, qui illum per necessitatem sequebantur, dicentibus : Ne ita ferociter & barbarè feceris, sed honorem tribue diei sanctificationis, & honora eum, qui universa conspicit :

3 Ille infelix interrogavit, si est potens in cælo, qui imperavit agi diem sabbatorum.

4 Et respondentibus illis : Est Dominus vivus ipse in cælo potens, qui jussit agi septimam diem.

5 At ille ait : Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia regis impleri. Tamen non obtinuit ut consilium perficeret.

6 Et Nicanor quidem cum summa superbia erectus, cogitaverat commune trophæum statuere de Juda.

7 Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi à Deo affuturum.

8 Et hortabatur suos ne formidarent ad adventum nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de cælo, & nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam. B

9 Et allocutus eos de lege & prophetis, admonens etiam certamina quæ fecerant priùs, promptiores constituit eos :

10 Et ita animis eorum erectis, simul ostendebat Gentium fallaciam, & juramentorum prævaricationem.

11 Singulos autem illorum armavit, non clypei & hastæ munitione, sed sermonibus optimis, & exhortationibus, exposito digno fide somnio, per quod universos lætificavit.

12 Erat autem huiusmodi visus : Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum :

13 Post hoc apparuisse & alium virum, ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum : C

14 Respondentem verò Oniam dixisse : Hic est fratrum amator, & populi Israël : hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei.

15 Extendisse autem Jeremiam dextram, & dedisse Judæ gladium aureum, dicentem :

16 Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israël.

17 Exhortati itaque Judæ sermonibus bonis valdè, de quibus extolli posset impetus, & animi juvenum confortari, statuerunt dimicare & confligere fortiter, ut virtus de negotiis judicaret : eò quòd civitas sancta & templum periclitarentur. D

18 Erat enim pro uxoribus, & filiis, itémque pro fratribus, & cognatis, minor solicitudo : maximus verò & primus pro sanctitate timor erat templi.

19 Sed & eos qui in civitate erant, non minima solicitudo habebat pro his qui congressuri erant.

20 Et cùm jam omnes sperarent judicium futurum, hostésque adessent, atque exercitus esset ordinatus, bestiæ equitésque opportuno in loco compositi,

21 Considerans Machabæus adventum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem bestiarum, extendens manus in cælum, prodigia facientem Dominum invocavit, qui non secundùm armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. E

22 Dixit autem invocans hoc modo : * Tu Domine, qui misisti angelum tuum sub Ezechia

* Sup. 8. c. 19.

rege

Universidad de Deusto
Biblioteca

rege Juda, & interfeciſti de caſtris Sennacherib centum octogintaquinque millia :

23 Et nunc dominator cælorum mitte angelum tuum bonum ante nos, in timore & tremore magnitudinis brachij tui,

24 Ut metuant qui cum blaſphemia veniunt adverſus ſanctum populum tuum. Et hic quidem ita peroravit.

25 Nicanor autem, & qui cum ipſo erant, cum tubis & canticis admovebant.

26 Judas verò, & qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congreſſi ſunt :

27 Manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes, proſtraverunt non minus triginta quinque millia, præſentia Dei magnificè delectati.

F 28 Cúmque ceſſaſſent, & cum gaudio redirent, cognoverunt Nicanorem ruiſſe cum armis ſuis.

29 Facto itaque clamore, & perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant.

30 Præcepit autem Judas, qui per omnia corpore & animo mori pro civibus paratus erat, caput Nicanoris, & manum cum humero abſciſſam, Jeroſolymam perferri.

31 Quò cum perveniſſet, convocatis contribulibus, & ſacerdotibus ad altare, accerſiit & eos qui in arce erant.

32 Et oſtenſo capite Nicanoris, & manu nefaria, quam extendens contra domum ſanctam omnipotentis Dei, magnificè gloriatus eſt :

33 Linguam etiam impij Nicanoris præciſam juſſit particulatim avibus dari : manum autem dementis contra templum ſuſpendi.

34 Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum, dicentes : Benedictus, qui locum ſuum incontaminatum ſervavit.

35 Suſpendit autem Nicanoris caput in ſumma arce, ut evidens eſſet & manifeſtum ſignum G auxilij Dei.

36 Itaque omnes communi conſilio decreverunt nullo modo diem iſtum abſque celebritate præterire :

37 Habere autem celebritatem tertiadecima die menſis Adar, quod dicitur voce Syriaca, pridie Mardochæi diei.

38 Igitur his erga Nicanorem geſtis, & ex illis temporibus ab Hebræis civitate poſſeſſa, ego quoque in his faciam finem ſermonis.

39 Et ſi quidem benè, & ut hiſtoriæ competit hoc & ipſe velim : ſin autem minùs dignè, concedendum eſt mihi.

40 Sicut enim vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam, contrarium eſt ; alternis autem uti, delectabile : ita legentibus, ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus. Hîc ergo erit conſummatus.

FINIS.



SANCTUM

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

Caput Primum.

A quibus Majoribus Chriſtus ſecundùm carnem deſcenderit : Angelus inſtruit Joſeph de Maria ſponſa ſua conceptione, partúque futuro.

A LIber generationis Jeſu Chriſti filij * David, filij Abraham.

* *Luc.3. g.31.* * *Gen. 21.a.3.* * *Gen. 25.d.25.* * *Gen. 29.e.35.* * *Gen. 38.g.29.* *1. Par.2. a.4.* * *Rut.4. d.18.* *1. Par.2. a.5.* * *Num. 7.b.12.* * *Ruth. 4.d.22. 1. Reg. 16.a.1.* * *2. Reg. 12.f.24.*

2 * Abraham genuit Iſaac.

* Iſaac autem genuit Jacob.

* Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus.

3 * Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.

* Phares autem genuit Eſron.

Eſron autem genuit Aram.

4 Aram autem genuit Aminadab.

* Aminadab autem genuit Naaſſon.

Naaſſon autem genuit Salmon.

B 5 Salmon autem genuit Booz de Rahab.

* Booz autem genuit Obed ex Ruth.

Obed autem genuit Jeſſe.

* Jeſſe autem genuit David regem.

6 * David autem Rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ.

* *3. Reg. 11.g.43.* * *3. Reg. 14.g.31.* * *3. Reg. 15.b.8.* * *2. Par. 26.d.23.* * *2. Par. 27.d.9.* * *2. Par. 28.d.27.* * *2. Par. 32.f.33.* * *2. Par. 33.d.20.* * *2. Par. 33.d.25.* * *2. Par. 36.a.1.*

7 * Salomon autem genuit Roboam.

* Roboam autem genuit Abiam.

* Abias autem genuit Aſa.

8 Aſa autem genuit Joſaphat.

Joſaphat autem genuit Joram.

Joram autem genuit Oziam.

9 * Ozias autem genuit Joatham.

* Joatham autem genuit Achaz.

* Achaz autem genuit Ezechiam.

10 * Ezechias autem genuit Manaſſen.

* Manaſſes autem genuit Amon.

* Amon autem genuit Joſiam.

11 * Joſias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis.

12 Et poſt tranſmigrationem Babylonis : Jechonias genuit Salathiel.

Salathiel autem genuit Zorobabel.

13 Zorobabel autem genuit Abiud.

Abiud autem genuit Eliacim.

Eliacim autem genuit Azor.

14 Azor autem genuit Sadoc.

Sadoc autem genuit Achim.

Achim autem genuit Eliud.

C 15 Eliud autem genuit Eleazar.

Eleazar autem genuit Mathan.

Mathan autem genuit Jacob.

16 Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt JESUS, qui vocatur Chriſtus.

17 Omnes itaque generationes ab Abraham uſque ad David, generationes quattuordecim : & à David uſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quattuordecim : & à tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum, generationes quattuordecim.

18 Chriſti autem generatio ſic erat : * Cùm eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto. * *Luc.1. c.27.*

19 Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

20 Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus D Domini apparuit in ſomnis ei, dicens : Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.

21 Pariet autem filium : * & vocabis nomen ejus JESUM : ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. * *Luc.1. c.31. Act.4.c.12.*

22 Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem :

23 * Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium : & vocabunt nomen ejus Emmanuel : quod eſt interpretatum Nobiſcum Deus. * *Iſa.7. c.14.*

24 Exurgens autem Joſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei angelus Domini, & accepit conjugem ſuam.

25 Et non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum : & vocavit nomen ejus JESUM.

Caput II.

Quomodo Magi cum muneribus ad Chriſtum natum pervenerint : de Herodis in infantes ſævitia, & Chriſti in Ægyptum exilio, ipſiúſque reditu in terram Iſrael.

1 CUm ergo natus eſſet Jeſus in Bethlehem Ju- A da in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Jeroſolymam, *Luc.2.c.1. 7.*

2 Dicentes : Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum ? vidimus enim ſtellam ejus in oriente, & venimus adorare eum.

3 Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo.

4 Et congregans omnes principes ſacerdotum, & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur.

5 At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ : Sic * *Mic.5. a.2. Ioan. 7. f.42.* enim ſcriptum eſt per Prophetam :

6 * Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima

Universidad de Deusto
Biblioteca

minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël.

7 Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis :

B 8 Et mittens illos in Bethlehem, dixit : Ite, & interrogate diligenter de puero : & cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.

9 Qui cùm audissent regem, abierunt, & ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, usquedum veniens staret suprà, ubi erat puer.

10 Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valdè.

11 Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum : * & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. *Ps.71. b. 10.

12 Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

C 13 Qui cùm recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

14 Qui consurgens, accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum :

15 Et erat ibi usque ad obitum Herodis : ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem : * Ex Ægypto vocavi filium meum. *Osee 11.a.1.

16 Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infrà, secundùm tempus quod exquisierat à Magis.

17 Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : *Jer.31. c. 15.

D 18 * Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus : Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

19 Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto,

20 Dicens : Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israël : defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.

21 Qui consurgens, accepit puerum, & matrem ejus, & venit in terram Israël.

22 Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illò ire : & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.

23 Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth : ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur.

Caput III.

Ioannes Baptista (cujus vitæ austeritas describitur) pœnitentiam juxta Isaiæ vaticinium in deserto prædicat : & populo ad ipsum confluente, reprehendit Pharisæos una cum Sadducæis, docens ut dignos faciant fructus pœnitentiæ : & quantum sunt à Christi baptismo differat : super Christum autem à Ioanne baptizatum descendit Spiritus sanctus, & vox Patris celitus audita est.

A 1 IN diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ.

2 Et dicens : * Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cælorum. *Matt. 1.a.4. Luc. 3. a.3.

3 Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem : * Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini : rectas facite semitas ejus. *Is. 40. a.3. Marc. 1. a.3.

4 Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos : esca autem ejus erat locustæ, & mel silvestre. Luc. 3. a. 4.

5 * Tunc exibat ad eum Jerosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem ; *Matt. 1.a. 5.

6 Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.

7 Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum, * venientes ad baptismum suum, dixit eis : Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? B *Luc.3. b. 7.

8 Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.

9 Et ne velitis dicere intra vos : * Patrem habemus Abraham. dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. *Ioan.8. c. 39.

10 Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

C 11 * Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam : qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare : ipse vos baptizabit in spiritu sancto, & igni. *Marc. 1.a. 8. Luc.3.d. 16. Ioan.1.d. 26. Act.1. a. 5.

12 Cujus ventilabrum in manu sua : & permundabit aream suam : & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

13 * Tunc venit Jesus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. *. Marc. 1.a. 9.

D 14 Joannes autem prohibebat eum, dicens : Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?

15 Respondens autem Jesus, dixit ei : Sine modò : sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum.

16 Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua. & ecce aperti sunt ei cæli : & vidit * Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. *Luc.3. c. 22. *.Luc.9. c. 35. 2. Pet.1. d. 17.

17 Et ecce vox de cælis dicens : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Caput IV.

Christus in deserto post jejunium quadraginta dierum vincit diaboli tentationes : & capto Ioanne secedens in Capharnaum, pœnitentiam prædicat : piscatores Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem Zebedæi ad se vocat : annuntians quoque Galilæis evangelium, varias curat infirmitates, turbis ipsum comitantibus.

A 1 TUnc Jesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Mar. 1. b. 12. Luc. 4. a. 1.

2 Et cùm jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, posteà esuriit.

3 Et accedens tentator dixit ei : Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

4 Qui respondens dixit : Scriptum est : * Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. * Deut. 8. a.3. Luc. 4. a. 4.

5 Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi,

6 Et dixit ei : Si filius Dei es, mitte te deorsum.

Scriptum

*Ps.90. c. 11. Scriptum est enim : * Quia angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

*Deut.6. c. 16. 7 Ait illi Jesus : Rursum scriptum est : * Non tentabis Dominum Deum tuum.

B 8 Iterùm assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè : & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum,

9 Et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

10 Tunc dicit ei Jesus : Vade satana : Scriptum

*Deut.6. b. 13. est enim : * Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

11 Tunc reliquit eum diabolus : & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.

12 Cùm autem audisset Jesus quòd Joannes traditus esset, * secessit in Galilæam :

*Mar.1. b.14. Luc.4. b. 14. Ioan 4. f. 43. 13 Et relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim :

14 Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam :

*Isa. 9. a. 1. 15 * Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium,

C 16 Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam : & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

*Mar.1. b. 15. 17 * Exinde cœpit Jesus prædicare, & dicere : Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cælorum.

18 Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ,

*Mar.1. b. 16. Luc.5. a. 2. * vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, (erant enim piscatores)

19 Et ait illis : Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.

20 At illi continuò relictis retibus secuti sunt eũ.

21 Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua : & vocavit eos.

22 Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.

D 23 Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans evangelium regni : & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.

24 Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.

*Mar.3. a. 7. Luc. 6. c. 17. 25 * Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa & Decapoli, & de Jerosolymis, & de Judæa, & de trans Jordanem.

Caput V.

Octo tradit beatitudines : Apostolos salem terræ & lucem mundi dicit : nec venit ut solvat legem aut prophetas, sed adimpleat, docens de non irascendo fratri, sed ut ei reconciliemur, de non concupiscenda muliere, de membro scandalizante abjiciendo, de uxore extra casum adulterij non dimittenda : non jurandum, nec malo resistendum, inimicos diligendos, & de malè meritis benè merendum.

A 1 VIdens autẽ Jesus turbas, ascẽdit in montẽ, & cùm sedisset, accesserũt ad eũ discipuli ejus,

2 Et aperiens os suum docebat eos, dicens : *Luc.6. c. 20.

3 * Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cælorum.

4 * Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram. *Ps.36. b. 11.

5 * Beati, qui lugent : quoniam ipsi cõsolabuntur. *Isa.61. a. 2.

6 Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur.

7 Beati misericordes : quoniam ipsi misericordiam consequentur.

8 * Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt. *Ps.23. a. 4.

9 Beati pacifici : quoniam filij Dei vocabuntur.

10 * Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cælorum. * 1.Petr. 2.d. 20. 3.c. 14. 4. d. 14.

11 Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me :

12 Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. B

13 Vos estis sal terræ. * Quòd si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras : & conculcetur ab hominibus. *Mar.9. g. 49. Luc. 14. g. 34.

14 Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita.

15 * Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. *Mar.4. c. 21. Luc.8.b. 16. 11.

16 Sic luceat lux vestra coram hominibus, * ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. c. 33. * 1.Pet. 2.c. 12.

17 Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere.

18 * Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. *Luc.16. c. 17. C

19 * Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum : qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. *Jac.2. b. 10.

20 Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra * plus quàm Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. *Luc.11. c. 39.

21 Audistis quia dictum est antiquis : * Non occides : qui autem occiderit, reus erit judicio. * Exod. 20.c.13. Deut. 5. c. 17.

22 Ego autem dico vobis : quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca : reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue : reus erit gehennæ ignis.

23 Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te : D

24 Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo : & tunc veniens offeres munus tuum.

25 * Esto consentiens adversario tuo citò dum es in via cum eo : ne fortè tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro : & in carcerem mittaris. *Luc.14. c. 58.

26 Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.

S 27 Audistis

Universidad de Deusto
Biblioteca

*Exod. 20.c.14.

27 Audistis quia dictum est antiquis: * Non mœchaberis.

28 Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

E 29 * Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.

* Mar. 9. g. 46. Luc. 18. b. 9.

30 Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

*Deut. 24.a.1. Infr. 19. a. 7.

31 Dictum est autem: * Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudij.

* Mar. 10.b.11. Luc. 16. c. 18. 1.Cor. 7. b 10.

32 Ego autē dico vobis: * Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissā duxerit, adulterat.

* Exod. 20.b.7. Levi. 19. c.12. Deut. 5. b.11. Iac. 5. c.12.

33 Iterùm audistis quia dictum est antiquis: * Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua.

F 34 Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est:

35 Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis:

36 Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.

*Iac. 5. c.12.

37 * Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.

*Exod. 21.c.24. Levit. 24. d.20. Deut. 19. d.21. *Luc. 6. d.29. * 1.Cor. 6.b.7.

38 Audistis quia dictum est: * Oculum pro oculo, & dentem pro dente.

39 Ego autem dico vobis, non resistere malo; * sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram:

40 * Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.

41 Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.

* Deut. 15.b.8.

42 * Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne avertaris.

G 43 Audistis quia dictum est: * diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

*Levi. 19.d.18. *Luc. 6. d.17. *Rom. 12.d.20. *Luc. 23.c.34. Act. 7. g.59.

44 Ego autem dico vobis: * Diligite inimicos vestros, * benefacite his qui oderunt vos: * & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos:

45 Ut sitis filij patris vestri qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos.

46 Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedē habebitis? nónne & publicani hoc faciūt.

47 Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt?

48 Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.

Caput VI.

Docet Christus quomodo faciendæ sint eleemosyna & oratio, traditque discipulis formam orandi, & offensas aliis condonandi: item quomodo sit jejunandum: quòd non in terra sed in cælo thesaurizandum, oculus mundandus, non serviendum duobus dominis: vetat itaque solicitudinem de victu, vestitu, & de crastino.

A 1 Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est.

2 Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

3 Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua:

4 Ut sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

5 Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

6 Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

7 Orantes autem, nolite multum loqui, sicut B Ethnici. putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur.

8 Nolite ergo assimilari eis. scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.

9 Sic ergo vos orabitis: * Pater noster, qui es in cælis: sanctificetur nomen tuum. *Luc. 11. a.2.

10 Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.

11 Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.

12 Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

13 Et ne nos inducas in tentationem, Sed libera nos à malo. Amen.

14 * Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. *Eccli. 28.a.3. 4. 5. Inf. 18. d.35.1 Marc. 11.c.25.

15 Si autem non dimiseritis hominibus: nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.

16 Cùm autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17 Tu autem, cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava,

18 Ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo, qui est in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

19 Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: C ubi ærugo, & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt, & furantur.

20 * Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur: & ubi fures non effodiunt, nec furantur. * Luc. 12.c.33. 1.Tim.6. d.19.

21 Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuū.

22 * Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit. *Luc.11. c.34.

23 Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?

24 * Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & mammonæ. * Luc. 16.c.13.

*Psa. 54. d. 23. Luc. 12. c. 22. Phil. 4. b. 6. 1.Tim. 5. b. 7. 1. Pet. 5. b. 7.

D 25 * Ideò dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nónne anima plus est quàm esca: & corpus plus quàm vestimentum?

26 Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa. Nónne vos magis pluris estis illis?

27 Quis autem vestrûm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

28 Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent.

29 Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.

30 Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quantò magis vos modicæ fidei?

31 Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

32 Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.

33 Quærite ergo primùm regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.

34 Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. sufficit diei malitia sua.

Caput VII.

Docet non judicandum de festuca in oculo fratris, & trabe in proprio oculo: sanctum non dandum canibus: omnem petentem, quærentem, & pulsantem à Deo exaudiri: faciendum aliis quod nobis fieri volumus: per angustam portam ad vitam intrandum: quomodo dignoscantur falsi prophetæ, & arbor bona à mala: comparatio de audiente Christi verba, & operante aut non operante juxta illa.

A 1 Nolite judicare, ut non judicemini.

* Luc. 6. c. 37. Rom. 2. a. 1.

2 In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini: * & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

* Mar. 4. c. 24.

3 Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides?

4 Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo?

5 Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.

6 Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.

* Inf. 21. b. 22. Mar. 11. c. 24. Luc. 11. b. 9.

7 * Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.

8 Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur.

9 * Aut quis est ex vobis homo quem si petierit filius suus panem, nūquid lapidem porriget ei?

B 10 Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?

Joan. 14. b. 13. Iac. 1. b. 6 *Luc. 11. b. 11.

11 Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quantò magis pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?

12 * Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex, & Prophetæ. * Tob. 4. c. 16. Luc. 6. d. 31.

13 * Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. * Luc. 13. c. 24.

14 Quàm angusta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam.

15 Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad C vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.

16 A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?

17 Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit.

18 Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere.

19 * Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. * Sup. 3. b. 10.

20 Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

21 * Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. * Inf. 25. a. 11. Luc. 6. g. 46.

22 Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & * in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine D tuo virtutes multas fecimus? * Act 19. c. 13.

23 Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: * discedite à me qui operamini iniquitatem.

24 * Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, * Psa. 6. b. 9. Inf. 25. d. 4. Luc. 13. f. 27.

25 Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram.

26 Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam: * Luc. 6. g. 48. Rom. 2. c. 13. Iac. 1. d. 12.

27 Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.

28 Et factum est: cùm consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus.

29 * Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi. * Marc. 1.f.22. Luc. 4. c. 32.

Caput VIII.

Curatum leprosum Jesus mittit ad sacerdotes: sanat puerum Centurionis, cujus fidem commendat; item socrum Petri febricitantem, alios que plurimos malè habentes, verbo spiritus ejicit, Scribam sequi volentem rejicit, alium verò patre insepulto mox sequi jubet: navicula fluctibus periclitante excitatus a discipulis mare sedat: duos quoque dæmoniacos apud Gerasenos liberat, dæmonibus in porcos ingredi permittens; quo viso Geraseni precantur ut à suis finibus discedat.

A 1 Cùm autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ:

2 * Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. * Mar. 1. d. 40. Luc. 5. c. 12.

3 Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens. Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra ejus.

4 Et ait illi Jesus: Vide nemini dixeris: sed vade, * ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis. * Leu. 14. 1. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

*Luc.7. a. 1.

5 * Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum,

6 Et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.

7 Et ait illi Jesus: Ego veniam, & curabo eum.

*Luc.7. a. 6.

8 Et respondens Centurio, ait: * Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.

9 Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alij, Veni, & venit; & servo meo, Fac hoc, & facit.

B 10 Audiens autem Jesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.

*Malac. 1. c. 11.

11 Dico autem vobis, quòd multi * ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cælorum:

12 Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.

13 Et dixit Jesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

14 Et cùm venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, & febricitantem:

15 Et tetigit manum ejus, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis.

*Mar.1. c. 32.

16 * Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & ejiciebat spiritus verbo: & omnes malè habentes curavit:

*Isa.53. b. 4. 1. Pet.2. d. 24.

17 Ut adimpleretur quod dictum est per * Isaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit: & ægrotationes nostras portavit.

C 18 Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum.

19 Et accedens unus Scriba, ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris.

*Luc.9. g. 58.

20 Et dicit ei Jesus: * Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

21 Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum.

22 Jesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

*Mar.4. d. 36. Luc.8. c. 22.

23 * Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus:

24 Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat.

25 Et accesserunt ad eum Discipuli ejus, & suscitaverunt eum dicentes: Domine, salva nos, perimus.

26 Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.

27 Porrò homines mirati sunt, dicentes: qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?

D 28 * Et cùm venisset trans fretum in regionem

*Mar.5. a. 1. Luc. 8. d. 26.

Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.

29 Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid nobis, & tibi, Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?

30 * Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens.

*Mar.5. a. 11.

31 Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.

Luc.8. c. 32.

32 Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis.

33 Pastores autem fugerunt: & venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant.

34 Et ecce tota civitas exiit obviàm Jesu: & * viso eo rogabant, ut transiret à finibus eorum.

*Mar.5. b. 17. Luc.8. c. 37.

CAPUT IX.

Paralyticum curat, Scribis murmurantibus quòd dixisset remissa illi peccata: vocat Matthæum publicanum, & respondet Pharisæis murmurantibus quòd cum publicanis ederet, quòdque ipsius discipuli non jejunarent: mulierem à sanguinis profluvio liberat: filiam principis mortuam suscitat: visu duobus cæcis restituto, dæmoniacum mutum sanat: & ubique prædicans omnes sanat infirmitates, dicens multam esse messem, paucos verò operarios.

1 ET ascendens in naviculam, transfretavit, & A venit in civitatem suam.

2 * Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

*Mar.2. a.3. Luc. 5. d. 18.

3 Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat.

4 Et cùm vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?

5 Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, & ambula?

6 Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

7 Et surrexit, & abiit in domum suam.

8 Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

9 * Et, cùm transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum.

B *Mar.2. b. 14. Luc.5. c.27.

10 Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus.

11 Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?

12 At Jesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.

13 Euntes autem discite quid est: * Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare justos, * sed peccatores.

*Ose.6. c. 6. Inf.12.a. 7.

14 Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes: * Quare nos, & Pharisæi, jejunamus frequenter: discipuli autem tui non jejunant?

*1.Tim. 1. c.15. *Mar. 2.c.18. Luc. 5. f. 33.

15 Et ait illis Jesus: Numquid possunt filij sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus: & tunc jejunabunt.

16 Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus à vestimento, & pejor scissura fit.

17 Neque

C 17 Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conservantur.

*Mar. 5.c.22. Luc.8. f. 41.

18 * Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.

19 Et surgès Jesus, sequebatur eũ, & discipuli ejus.

*Mar. 5.c. 25. Luc.8. f. 43.

20 * Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.

21 Dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero.

22 At Jesus conversus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora.

23 Et cùm venisset Jesus in domum principis, & vidisset tibicines & turbam tumultuantem, dicebat:

24 Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum.

25 Et cùm ejecta esset turba, intravit: & tenuit manum ejus. Et surrexit puella.

26 Et exiit fama hæc in universam terram illam.

27 Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miserere nostri, fili David.

D 28 Cùm autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine.

29 Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis.

30 Et aperti sunt oculi eorum: & comminatus est illis Jesus, dicens: Videte ne quis sciat.

31 Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.

*Inf.12. b. 22. Luc. 11. b.14.

32 Egressis autem illis, * ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem.

33 Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ, dicentes: Nunquam apparuit sic in Israël.

34 Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.

*Mar. 6.a.6.

35 * Et circuibat Jesus omnes civitates & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.

36 Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, & jacentes sicut oves non habentes pastorem.

*Luc. 10.a. 2.

37 Tunc dicit discipulis suis: * Messis quidem multa, operarij autem pauci.

38 Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

CAPUT X.

Legatio ac institutio duodecim Apostolorum (quorum hic nomina recensentur) ad evangelizandum Iudæis, & dæmoniacos infirmósque curandos: qui adversus mala hic imminentia premonentur & roborantur: Christus non venit ut mittat pacem, sed gladium, ipséque coram hominibus confitendus est, neque quidquam ejus amori præponendum: honorans autem alios propter Christum, honorat Christum, & ita mercedem recipiet.

A 1 ET convocatis duodecim discipulis suis, de-

Mar. 3. b. 13.

dit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.

Luc. 6. f. 13. g. 1.

2 Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andræas frater ejus.

3 Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, & Thaddæus,

4 Simon Chananæus, & Judas Iscariotes, qui & tradidit eum.

5 Hos duodecim misit Jesus; præcipiens eis, dicens: in viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis:

*Act. 13.5.46.

6 Sed potiùs ite * ad oves, quæ perierunt domus Israël.

7 Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cælorum.

8 Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite, gratis accepistis, gratis date.

*Mare. 6.a.8. Luc.9. a. 3. 10. c. 4.

9 * Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris:

10 Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo.

B

11 In quamcumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit: & ibi manete donec exeatis.

12 Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui.

13 Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos.

14 Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.

15 Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicij, quàm illi civitati.

*Luc. 10.a.3.

16 * Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

*Luc. 12.b.11.

17 * Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos:

C

18 Et ad præsides & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis, & gentibus.

19 * Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.

20 Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

21 Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient:

22 Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

23 Cùm autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israël, donec veniat Filius hominis.

24 * Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum.

*Luc.6. f. 40.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Joan. 13. b. 16. 15. c.20.

25 Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus; & servo, sicut dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt: quanto magis domesticos ejus?

**Marc. 4. c.22. Luc.8. b. 17.12. a.2.*

26 Ne ergo timueritis eos. *Nihil enim est opertum, quod non revelabitur; & occultum, quod non scietur.

27 Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

28 Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.

** 2. Reg. c.11. Act.27. f.35.*

29 * Nonne duo passeres asse væneunt: & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?

30 Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.

31 Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.

**Mar.8. d.32. Luc.9. c.26.12. b.8. 2.Tim.2. b.12.*

32 * Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est:

33 Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.

D

34 * Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.

**Luc.12. g.51.*

35 Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam.

**Mich. 7.b.6.*

36 * Et inimici hominis, domestici ejus.

**Luc.14. f.26.*

37 * Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.

**Inf. 16. d.24. Mar.8. d.34. Luc.14. f.27.*

38 * Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.

**Luc. 9. c.24.17. g.53. Joan. 12. f.25.*

39 Qui invenit animam suam, perdet illam: & qui * perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

**Luc.10. c.16. Joan.13. c.20. * Mat.9. f.40.*

40 * Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me misit.

41 Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.

42 * Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Caput XI.

Joannes de carcere nuntios mittit ad Jesum: quibus post Christi responsum abeuntibus, ipse coram turbis laudat Joannem; Judæos vero pueris in foro invicem acclamantibus assimilat, exprobrans civitatibus obstinatis in quibus plurimas fecerat virtutes: confessio Jesu ad Patrem: oneratos ad se vocat Christus, dicens jugum suum esse suave.

A 1 ET factum est, cùm consummasset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde ut doceret & prædicaret in civitatibus eorum.

**Luc.7. c.18.*

2 * Joannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis,

3 Ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

4 Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis & vidistis.

**Isa. 35. i.5.*

5 * Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, * pauperes evangelizantur: **Isa. 61. a.1.*

6 Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

7 * Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam. **Luc.7. d.24.*

8 Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

9 Sed quid existis videre? prophetam? Etiam B dico vobis, & plus quàm prophetam.

10 Hic est enim de quo scriptum est. * Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. **Mal. 3. a.1. Mar.1. a.2. Luc.7. d.27.*

11 Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cælorum, major est illo.

12 A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

13 Omnes enim prophetæ & lex, usque ad Joannem, prophetaverunt:

14 Et si vultis recipere, * ipse est Elias, qui venturus est. **Mal. 4. b.5.*

15 Qui habet aures audiendi, audiat.

16 Cui autem similem æstimabo generationem C istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus

17 Dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentavimus, & non planxistis.

18 Venit enim Joannes neque manducans neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet.

19 Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et justificata est sapientia à filiis suis.

20 Tunc cœpit exprobrare civitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam.

21 * Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. **Luc. 10.c.13.*

22 Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die judicij, quàm vobis.

23 Et tu Capharnaum, numquid usque in cælum exaltaberis? usque in infernum descendes. D quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent usque in hanc diem.

24 Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicij, quàm tibi.

25 In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.

26 Ita pater: quoniam sic fuit placitum ante te.

27 Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. * Et nemo novit filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. **Joan.6. c.46.7. d.28.8. b.19.10. c.15.*

28 Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.

29 Tollite jugum meum super vos, & discite à me,

**Jer.6. d.16.*

me, quia mitis sum, & humilis corde: & * invenietis requiem animabus vestris.

** 1.Ioan. 5.a.3.*

30 * Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

Caput XII.

Discipulos spicas sabbato vellentes excusat, manum quoque aridam sabbato curat: Pharisæorum machinationi tacitus cedens, variosque à se curatos silere præcipiens, implet Isaiæ vaticinium: dæmoniaco cæco & muto curato, Pharisæos ipsum in Beelzebub ejicere dæmonia blasphemantes convincit falsum dicere; dicens blasphemiam in Spiritum sanctum irremissibilem, & de omni verbo otioso reddendam rationem: Scribis autem & Pharisæis signum petentibus, dandum dicit Jona signum: & quæ sint mater & fratres ipsius.

A 1 IN illo tempore abiit Jesus per sata sabbato: discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare.

Mar.2. d.23. Luc.6. a.1.

2 Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis.

3 At ille dixit eis: Non legistis * quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant:

**1.Reg. 21.b.6.*

4 Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, * nisi solis sacerdotibus?

** Lev. 14.b.9.*

5 Aut non legistis in lege, *quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt?

**Nu.28. b.9.*

6 Dico autem vobis, quia templo major est hic.

7 Si autem sciretis, quid est: * Misericordiam volo, & non sacrificium: numquam condemnassetis innocentes.

**1.Reg. 15.c.22. Eccle.4. d.17. Osee 6. c.6. Sup.9. b.13.*

8 Dominus enim est filius hominis etiam sabbati.

9 Et cùm inde transisset, venit in synagogam eorum.

**Mar.3. a.1. Luc.6. a.6.*

10 * Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare? ut accusarent eum.

** Deut. 22.a.4.*

11 Ipse autem dixit illis: * Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nónne tenebit & levabit eam?

12 Quantò magis melior est homo ove? Itaque licet sabbatis benefacere.

13 Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati sicut altera.

B 14 Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum.

15 Jesus autem sciens recessit inde: & secuti sunt eum multi, & curavit eos omnes:

16 Et præcepit eis ne manifestũ eum facerent.

17 Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem:

** Isai. 42.a.1.*

18 * Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus nuntiabit.

19 Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus:

20 Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium:

21 Et in nomine ejus Gentes sperabunt.

22 Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curavit eum ita ut loqueretur, & videret.

23 Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic est filius David?

24 * Pharisæi autem audientes, dixerunt: Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. **Sup.9. d.34. Mar.3. c.22. Luc.11. b.15.*

25 Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: * Omne regnum divisum contra se, desolabitur: & omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit. **Luc.11. b.17.*

26 Et si satanas satanam ejicit, adversus se divisus est: Quomodo ergo stabit regnum ejus?

27 Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filij vestri in quo ejiciunt? Ideò ipsi judices vestri erunt.

28 Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.

29 Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi priùs alligaverit fortem? & tunc domum illius diripiet.

30 Qui non est mecum, contra me est: & qui C non congregat mecum, spargit.

**Mar.3. d.28.29. Luc.12. b.10.*

31 * Ideò dico vobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur.

32 Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

33 Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur.

34 Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? *ex abundantia enim cordis os loquitur. **Luc.6. g.45.*

35 Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala.

36 Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij.

37 Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

38 Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis, dicentes: Magister, volumus à te signum videre.

39 Qui respondens ait illis: * Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum * Jonæ Prophetæ. **Isa.16. a.4. Luc.11. d.29. 1.Cor.1. c.22.*

40 Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. **Jon.2. a.1.*

41 * Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quàm Jonas hic. D **Jon.3. b.5.*

42 Regina austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam: * quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic. **3.Reg. 10.a.1. 2.Par.9. a.1.*

43 * Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. **Luc.11. c.24.*

44 Tunc dicit: Revertar in domum meam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam.

*2. Pet. 2. d. 20.

45 Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: *& fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ.

*Mar. 3. d. 31. Luc. 8. c. 19.

46 * Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus & fratres stabant foris, quærentes loqui ei.

47 Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.

48 At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?

49 Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.

50 Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est; ipse meus frater, & soror, & mater est.

Caput XIII.

Sedens in navicula proponit turbis parabolas seminantis ac zizaniorum, quas etiam discipulis interpretatur: item parabolas de grano sinapis, de fermento in farina occultato, de thesauro & margarita inventis; de reti in mare misso, quam parabolam etiam declarat: docens in patria, ait prophetam non esse sine honore nisi in propria patria.

A 1 IN illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare.

*Mat. 4. a. 1. Luc. 5. a. 4.

2 * Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet, & omnis turba stabat in littore:

3 Et locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui seminat seminare.

4 Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea.

5 Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam: & continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ.

6 Sole autem orto æstuaverunt: & quia non habebant radicem, aruerunt.

7 Alia autem ceciderunt in spinas: & creverunt spinæ, & suffocaverunt ea.

8 Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.

9 Qui habet aures audiendi audiat.

10 Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?

B 11 Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum.

*Infr. 25. c. 29.

12 *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.

13 Ideò in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.

14 Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: * Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis.

*Isai. 6. c. 9. Mar. 4. b. 12. Luc. 8. b. 10. Joan. 12. f. 40. Act. 28. f. 26. Rom. 11. b. 8.

15 Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauserunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.

16 Vestri autem beati oculi quia vident, & aures vestræ quia audiunt.

17 * Amen quippe dico vobis, quia multi C prophetæ & justi cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.

*Luc. 10. c. 24.

18 Vos ergo audite parabolam seminantis.

19 Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde ejus: hic est qui secus viam seminatus est.

20 Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud:

21 Non habet autem in se radicem, sed est temporalis. facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuò scandalizatur.

22 Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & solicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum, suffocat verbum, & sine fructu efficitur.

23 Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trigesimum.

24 * Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.

*Mar. 4. c. 26.

25 Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit.

26 Cùm autem crevisset herba, & fructum fe- D cisset, tunc apparuerunt & zizania.

27 Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nónne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania:

28 Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei, Vis, imus, & colligimus ea?

29 Et ait: Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.

30 Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

31 * Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo.

*Mat. 4. d. 31. Luc. 13. d. 19.

32 Quod minimum quidem est omnibus se- E minibus: cùm autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis ejus.

33 Aliam parabolam locutus est eis. * Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

*Luc. 13. d. 21.

34 Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis:

35 Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: * Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.

*Psal. 77. a. 2.

36 * Tunc, dimissis turbis, venit in domum: & *Mar. 4. accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. d. 34.

37 Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis.

38 Ager autem, est mundus. Bonum verò semen,

semen, hi sunt filij regni. Zizania autem, filij sunt nequam.

39 Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. * Messis verò, consummatio sæculi est. Messores autem, angeli sunt.

*Apoc. 14. c. 15.

40 Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi.

F 41 Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem.

42 Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium.

*Sap. 3. a. 7. Dan. 12. a. 3.

43 * Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum: Qui habet aures audiendi, audiat.

44 Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.

45 Iterùm simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

46 Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.

47 Iterùm simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.

48 Quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.

49 Sic erit in consummatione sæculi: exibunt angeli, & separabunt malos de medio justorum,

50 Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.

G 51 Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam.

52 Ait illis: Ideò omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.

53 Et factum est, cùm consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde.

*Mar. 6. a. 1. Luc. 4. c. 16. *Joan. 6. a. 42.

54 Et * veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia hæc, & virtutes?

55 * Nónne hic est fabri filius? Nónne mater ejus dicitur Maria; & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas?

56 Et sorores ejus, nónne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista?

57 Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.

58 Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.

Caput XIV.

Caput Joannis datur puellæ saltatrici: Jesus quinque virorum millia in deserto quinque panibus & duobus piscibus satiat, sic blatis duodecim reliquiarum cophinis: & super mare ambulans discipulos tempestate agitatos confortat, Petrumque à submersione liberat: in terra Genesar varij curantur languores tactu vestimenti ipsius.

A 1 IN illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu:

*Mar. 6. b. 14. Luc. 9. a. 7.

2 Et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit à mortuis, & ideò virtutes operantur in eo.

*Mar. 6. c. 17.

3 * Herodes enim tenuit Joannem, & alligavit eum: & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui.

*Luc. 3. d. 19.

4 Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.

5 Et volens illum occidere, timuit populum: * quia sicut prophetam eum habebant.

*Infr. 21. c. 26.

6 Die autem natalis Herodis saltavit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.

7 Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo.

8 At illa præmonita à matre sua, Da mihi, inquit, hîc in disco caput Joannis Baptistæ.

9 Et contristatus est rex: propter juramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, jussit dari.

10 Misitque & decollavit Joannem in carcere,

11 Et allatum est caput ejus in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ.

12 Et accedentes discipuli ejus, tulerunt cor- B pus ejus, & sepelierunt illud: & venientes nuntiaverunt Jesu.

13 * Quod cùm audisset Jesus, secessit inde in navicula, in locum desertum seorsum: & cùm audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.

*Mar. 6. d. 31. Luc. 9. a. 10. Joan. 6. a. 3.

14 Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & curavit languidos eorum.

15 Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, & hora jam præteriit: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.

16 Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare.

17 Responderunt ei: * Non habemus hîc nisi quinque panes, & duos pisces.

*Joan. 6. a. 9.

18 Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.

19 Et cùm jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.

20 Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. C Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.

21 Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.

22 * Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

*Mar. 6. f. 45.

23 Et dimissa turba, * ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.

*Joan. 6. b. 15.

24 Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.

25 Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare.

26 Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt.

27 Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere.

28 Respondens autem Petrus dixit: Domine, si D tu es, jube me ad te venire super aquas.

29 At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

30 Videns verò ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine, salvum me fac.

31 Et continuò Jesus extendens manum, apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?

32 Et cùm ascendissent in naviculam, cessavit ventus.

33 Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es.

*Mar.6. g.53. 34 * Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genesar.

35 Et cùm cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes.

36 Et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.

CAPUT XV.

Pharisæorum de lavandis manibus aliisque rebus traditiones, quas Dei mandatis præponebant: & quæ sint coinquinantia hominem: mulier Chananæa perseveranti fide ac supplicatione impetrat filiæ curationem: Jesus curatis juxta mare Galilææ variis languoribus, quattuor virorum millia septem panibus pauciſque piſciculis satiat, sublatis septem sportarum reliquiis.

A *Mar.7. a.2. *Mar.7. a.5. 1 TUnc accesserunt ad eum Jerosolymis Scribæ, & Pharisæi, dicentes:

2 * Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cùm panem manducant.

3 Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit:

*Exod. 20. c.12. Deu. 5.b.16. Ephes.6. a.2. *Exod. 21.c.17. Levi.20. b.9. Prov. 20.c.20. 4 * Honora patrem, & matrem; & : * Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

5 Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit:

6 Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram:

7 Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isaias, dicens:

B * Isai. 29.d.13. Mar. 7. a.6. 8 * Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.

9 Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.

10 Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite.

11 Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

12 Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt?

*Ioan. 15.a.2. 13 At ille respondens ait: * Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.

*Luc.6. c.39. 14 Sinite illos: * cæci sunt, & duces cæcorum. cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

*Mar. 7..17. 15 * Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.

16 At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis?

17 Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur?

18 Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem:

19 De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. C

20 Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

21 * Et egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri & Sidonis. *Mar.7. c.24.

22 Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur.

23 Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos.

24 Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi * ad oves, quæ perierunt domus Israël. *Sup.10. a.6.

25 At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me. Ioan. 10. a.3.

26 Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

27 At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

28 Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.

29 Et cùm transisset inde Jesus, venit secus Mare Galilææ: & ascendens in montem, sedebat ibi. * Isai. 35.b.5.

30 * Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos: D

31 Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israël.

32 * Jesus autem, convocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. *Mar.8. a.1.

33 Et dicunt ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?

34 Et ait illis Jesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos piſciculos.

35 Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram.

36 Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens, fregit, & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo.

37 Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.

38 Erant autem qui manducaverunt, quattuor millia hominum, extra parvulos & mulieres.

39 Et, dimissa turba, ascendit in naviculam: & venit in fines Magedan.

CAPUT

CAPUT XVI.

Jesus signi petitione ipsum tentantes arguit, quòd signa temporum non dijudicarent: jubet discipulos cavere à fermento Pharisæorum ac Sadducæorum: ipsosque interrogat quem ipsum esse dicant, & Petro post illius responsionem promittit claves regni cælorum: suam autem passionem prædicens, à Petro increpatur: propter quod satanam ipsum appellat, docens quemque propriam crucem tollere, & Deum unicuique juxta sua opera redditurum.

A *Mar.8. b.11. 1 ET accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum ut signum de cælo ostenderet eis.

*Luc.12. g.54. 2 At ille respondens, ait illis: * Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cælum;

3 Et manè: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum.

4 Faciem ergo cæli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire? * Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, * nisi signum Jonæ Prophetæ. Et relictis illis, abiit. *Sup.12. c.39. *Ion.2. a.1.

5 Et cùm venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere.

*Mar.8. b.15. Luc.12. a.1. 6 Qui dixit illis: * Intuemini, & cavete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum.

7 At illi cogitabant intra se dicentes: Quia panes non accepimus.

8 Sciens autem Jesus, dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis?

B *Sup.14. b.17. Ioan.6. a.9. *Sup.15. d.34. 9 Nondum intelligitis, neque recordamini *quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis?

10 Neque * septem panum in quattuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis?

11 Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum?

12 Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum.

*Mar.8. c.27. 13 * Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi: & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis?

C *Luc.19. b.19. 14 At illi dixerunt: *Alij Joannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Jeremiam, aut unum ex prophetis.

15 Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis?

*Ioan.6. g.70. 16 Respondens Simon Petrus dixit: * Tu es Christus, Filius Dei vivi.

17 Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.

*Ioan. 1. f.43. 18 * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

*Isai.22. f.22. *Ioan. 20.f.23. 19 *Et tibi dabo claves regni cælorum. Et *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.

20 Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus.

D 21 Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati à senioribus, & Scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

22 Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Absit à te, Domine: non erit tibi hoc.

*Mar.8. d.33. 23 Qui conversus, dixit Petro: * Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.

*Sup.10. d.38. Luc. 9. c.23.14. f.27. *Luc.17. g.33. Ioan.12. d.25. 24 Tunc Jesus dixit discipulis suis: * Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

25 * Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

26 Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

*Act.17. g.31. Rom.2. a.6. 27 Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: * & tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.

*Mar. 8. d.39. Luc.9. c.25. 28 Amen dico vobis, * sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

CAPUT XVII.

Christi in monte transfiguratio, quam jubet discipulos silentio servare, donec à mortuis resurgat: Eliam dicit venturum, imò jam venisse, sed cognitum non fuisse, nempe Joannem Baptistam: puerum lunaticum curat quem discipuli ob modicam fidem curare non potuerant; ostendens quantæ sint virtutis, fides similis grano sinapis, jejunium, & oratio: passionem suam prædicit: pro se quoque & Petro didrachma solvit, invento in ore piscis statere.

A *Mar.9. a.1. Luc.9. d.28. 1 ET post dies sex assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum:

2 Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

3 Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.

4 Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hîc esse: si vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.

*Sup.3. d.17. 2.Per.1. d.17. 5 Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. * Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite.

6 Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè.

7 Et accessit Jesus, & tetigit eos: dixitque eis: Surgite, & nolite timere.

8 Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.

B 9 Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.

10 Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: * Quid ergo Scribæ dicunt quòd Eliam oporteat primum venire? * Mar.9. b.10.

*Mal.4. b.5. 11 * At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia.

*Sup. 11.b.14. *Sup.14. a.10. 12 Dico autem vobis, * quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, * sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis.

13 Tunc

Universidad de Deusto
Biblioteca

13 Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.

*Mar. 9. c.16. Luc. 9. c.38.

14 * Et cùm venissent ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam.

15 Et obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.

16 Respondens autem Jesus, ait: O generatio incredula, & perversa, quousque ero vobiscum? usquequò patiar vos? Afferte huc illum ad me.

C 17 Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.

18 Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum?

*Luc.17. b.6.

19 Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram.* Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.

20 Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem, & jejunium.

* Inf.20. l.18. Mar. 9. c.30. Luc.9. f.44

21 Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus: *Filius hominis tradendus est in manus hominum:

22 Et occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.

D 23 Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma?

24 Ait: Etiam. Et cùm intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis?

25 Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filij.

26 Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.

Caput XVIII.

Proposito parvulo docet quisnam maior sit in regno cælorum, & quam sit à pusillorum scandalo cavendum: quomodo frater in nos peccans debeat corripi, & Ecclesiam non audiens pro ethnico haberi, potestate ligandi atque solvendi discipulis tradita: docet etiam, quàm sit apud Deum efficax duorum petitio sibi consentientium, & quoties fratri in nos peccanti sit ignoscendum, accommodata ad hoc parabola de rege rationem cum servis suis ineunte.

A 1 IN illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cælorum?

Mar.9. c.33. Luc. 9. f.46. * Inf.19. b.14.

2 * Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum,

3 Et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & * efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.

*1.Cor. 14.d.20.

4 Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum.

5 Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

*Mar.9. f.41. Luc.17. a.2.

6 * Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.

7 Væ mundo à scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.

B 8 * Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te; abscide eum, & projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.

*Sup.5. c.30. Mar. 9. f.42.

9 Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

10 Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, *quia angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.

*Ps.33. b.8.

11 * Venit enim filius hominis salvare quod perierat.

*Luc.19. b. 10.

12 * Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis: nónne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam quæ erravit?

*Luc.15. a.4.

13 Et si contigerit ut inveniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quàm super nonaginta novem, quæ non erraverunt.

14 Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis.

15 * Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

*Levit. 19.c.17. Eccli.19. b.13. Luc.17. a.3.

16 Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, * ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

Iac.5. d.19.

C 17 * Quòd si non audierit eos: dic ecclesiæ. si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

* Deut. 19.d.15. Ioan.8. b.17.

18 * Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcũque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.

2.Cor. 13.a.1. Heb.10. c.28.

19 Iterùm dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis est.

*1.Cor. 5.c.9. 2.Thes. 3. d.14.

20 Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

*Ioan. 20.f.23.

21 Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: * Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies?

*Luc.17. a.4.

22 Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies; sed usque septuagies septies.

23 Ideò assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationẽ ponere cum servis suis.

24 Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

25 Cùm autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus vænumdari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.

D 26 Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddã tibi.

27 Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

28 Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes.

29 Et

29 Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddã tibi.

30 Ille autem noluit: sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

31 Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valdè: & venerunt, & narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.

32 Tunc vocavit illum dominus suus: & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me:

33 Nónne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?

34 Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

35 Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Caput XIX.

Matrimonium docet ex sua institutione esse indissolubile, nec uxorem extra causam fornicationis posse dimitti: inter varios eunuchos laudat illos qui se castravunt propter regnum cælorum: parvulis manus imponit: adolescens qui omnia se servasse præcepta dicebat, audito Christi consilio de omnibus vendendis abit tristis: difficile ergo asserit divitem intrare regnum cælorum, & quid illis præmij sit qui omnibus relictis ipsum sequuntur.

A ET factum est, cùm consummasset Jesus sermones istos, migravit à Galilæa, & * venit

* Marc. 10.a.1.

in fines Judææ trans Jordanem,

2 Et secutæ sunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi.

*Marc. 10.a.2.

3 * Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa?

4 Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia *qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit:

*Gen.1. d.27.

5 * Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

*Gen.2. d.24. 1.Cor.6. d.16. Ephes.5. f.31.

6 Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

7 Dicunt illi: * Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudij, & dimittere?

*Deut. 24.a 1.

B 8 Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.

9 *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissã duxerit, mœchatur.

*Sup.5. c.32. Marc. 10.b.11. Luc.16. c.18. 1.Cor.7. b.10.

10 Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

11 Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.

12 Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorũ. Qui potest capere, capiat.

*Marc. 10.b.13. Luc.18. c.15.

13 *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autẽ increpabant eos.

*Sup.18. a.3.

14 Jesus verò ait eis: * Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum.

*Mar. 10.b.17. Luc.18. d.18.

15 Et cùm imposuisset eis manus, abiit inde.

16 * Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?

17 Qui dixit ei. Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.

18 Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: * Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falsum testimonium dices:

C *Iud. 20.c.13.

19 Honora patrem tuum, & matrem tuam: & diliges proximum tuum sicut teipsum.

20 Dicit illi adolescens: omnia hæc custodivi à juventute mea, quid adhuc mihi deest?

21 Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.

22 Cùm audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.

23 Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cælorum.

24 Et iterùm dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.

D 25 Auditis autem his, discipuli mirabantur valdè, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse?

26 Aspiciens autem Jesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.

27 Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?

28 Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.

29 Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

* Inf.20. b.16. Mar. 10. c.31. Luc.13. f.30.

30 * Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi.

Caput XX.

Parabolam proponit de operariis in vineam conductis, quorum ultimis idem datur denarius cum primis: Jesus discipulis passionem ac resurrectionem suam prædicit; & occasione ambitionis filiorum Zebedæi docet discipulos, quòd non potestate & ostensione dominij, sed officio ministerij debeant esse majores: egrediens verò Iericho duos cæcos illuminat.

A 1 SIMILE est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo manè conducere operarios in vineam suam.

2 Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

3 Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos,

4 Et dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit dabo vobis.

5 Illi autem abierunt. Iterùm autem exiit circa sextam & nonam horam: & fecit similiter.

6 Circa undecimam verò exiit, & invenit alios stantes, & dicit illis: Quid hîc statis tota die otiosi?

7 Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.

8 Cum serò autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedẽ, incipiens à novissimis usq; ad primos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

B 9 Cùm veniſſent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios.

10 Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios.

11 Et accipientes murmurabant adverſus patremfamilias,

12 Dicentes: Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei, & æſtus.

13 At ille reſpondens uni eorum, dixit: Amice non facio tibi injuriam: nónne ex denario conveniſti mecum?

14 Tolle quod tuum eſt, & vade: volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi.

15 Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?

*Sup.19. d.30. Mar.10. e.31. Luc.13. f.30. 16 * Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi. multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

17 * Et aſcendens Jeſus Jeroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait illis:

*Mar. 10.e.32. Luc. 18. f.31. 18 Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & Scribis,
C & condemnabunt eum morte,

19 Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandũ, & crucifigẽdum, & tertia die reſurget.

*Mar. 10 e.35. 20 *Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo.

21 Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram, in regno tuo.

22 Reſpondens autem Jeſus, dixit: Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus.

23 Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.

24 Et audientes decem, indignati ſunt de duobus fratribus.

*Mar. 10.f.41. * Luc. 22.e.25. 25 *Jeſus autem vocavit eos ad ſe, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos.

26 Non ita erit inter vos: ſed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter:

D 27 Et qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.

*Phil.2. a.7. 28 * Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, redemptionem pro multis.

*Marc. 10.g.46. Luc.18. f.35. 29 * Et egredientibus illis ab Jericho, ſecuta eſt eum turba multa:

30 Et ecce duo cæci ſedentes ſecus viam, audierunt quia Jeſus tranſiret: & clamaverunt, dicentes: Domine miſerere noſtri, fili David.

31 Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David.

32 Et ſtetit Jeſus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis.

33 Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi noſtri.

34 Miſertus autem eorum Jeſus, tetigit oculos eorum. Et confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum.

CAPUT XXI.

Jeſus ſuper aſinam Jeruſalem cum triumpho ingreſſus, negotiatores de templo ejicit, & Phariſæis de triumpho indignantibus reſpondet: diſcipulis autem de ficulnea Chriſti verbo arefacta mirantibus, declarat fidei efficaciam: interrogationem de ſua poteſtate retundit quæſtione de Joannis baptiſmo: & ex parabolis de homine duos filios habente, &. de patrefamilias, cujus vinitores poſt alios ſervos, etiam filium vineæ heredem occiderunt, prædicit regnum Dei à Judæis ad Gentes transferendum.

1 ET cùm appropinquaſſent Jeroſolymis, & veniſſent Bethphage ad Montem oliveti: tunc A
Jeſus miſit duos diſcipulos, *Marc.11. a.1. Luc.19. c.29.

2 Dicens eis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite, & adducite mihi:

3 Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos.

4 Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem:

5 * Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis. *Iſa. 62. d.11. Zach.9. b.9.

6 Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Jeſus. Joan.12. c.15.

7 Et adduxerunt aſinam, & pullum: & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.

8 Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via:

9 Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna filio David: * benedictus, qui venit in nomine Domini: hoſanna in altiſſimis. *Pſ.117. d.26.

10 Et cùm intraſſet Jeroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens: Quis eſt hic? Marc. 11. b.10. Luc.19. f.38.

11 Populi autem dicebant: Hic eſt Jeſus propheta à Nazareth Galilææ. B

12 * Et intravit Jeſus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo; & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit: *Marc. 11.b.15. Luc.19. g.45. Joan.2. c.14.

13 Et dicit eis: Scriptum eſt: * Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. *Iſa. 56. c.7. Ier.7. b.11. Luc.19. g.46.

14 Et acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in templo: & ſanavit eos.

15 Videntes autem principes ſacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna filio David: indignati ſunt,

16 Et dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt? Jeſus autem dixit eis: Utique numquam legiſtis: * Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? *Pſ.8. a.3.

17 Et relictis illis, abiit foras extra Civitatem in Bethaniam: ibique manſit.

18 Manè autem revertens in Civitatem, eſuriit.

19 * Et videns fici arborem unam ſecus viam, venit ad eam: & nihil invenit in ea niſi folia tantùm, & ait illi: Numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et arefacta eſt continuò ficulnea. *Mar. 11. b.13.

20 * Et videntes diſcipuli, mirati ſunt, dicentes: Quomodo continuò aruit? *Mar. 11.f.20.

21 Reſpondens autem Jeſus, ait eis: Amen dico vobis,

vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, non ſolùm de ficulnea facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis, Tolle, & jacta te in mare, fiet.

*Sup.7. b.7. Marc. 11.c.24. 1.Joan. 3.d.22. 22 * Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

*Marc. 11.d.28. Luc.20. a.2. 23 Et cùm veniſſet in templum, acceſſerunt ad eum docentem, principes ſacerdotum, & ſeniores populi, dicentes: * In qua poteſtate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc poteſtatem?

24 Reſpondens Jeſus dixit eis: Interrogabo vos & ego unum ſermonem: quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua poteſtate hæc facio.

C 25 Baptiſmus Joannis unde erat? è cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter ſe, dicentes:

26 Si dixerimus, è cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidiſtis illi: Si autem dixerimus, *Sup.14. a.5. ex hominibus, timemus turbam: * omnes enim habebant Joannem ſicut prophetam.

27 Et reſpondentes Jeſu, dixerunt: Neſcimus. Ait illis & ipſe: Nec ego dico vobis in qua poteſtate hæc facio.

28 Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea.

29 Ille autem reſpondens, ait: Nolo. Poſteà autem pœnitentia motus abiit.

30 Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter. At ille reſpondens, ait: Eo, domine, & non ivit.

31 Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jeſus: Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei.

32 Venit enim ad vos Joannes in via juſtitiæ, & non credidiſtis ei: publicani autem, & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuiſtis poſteà, ut crederetis ei.

D 33 Aliam parabolam audite: * Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus eſt. *Iſa.5. a.1. Ierem. 2. c.21. Mar.12. a.1. Luc.20. b.9.

34 Cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſervos ſuos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.

35 Et agricolæ, apprehenſis ſervis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt.

36 Iterùm miſit alios ſervos plures prioribus, & fecerunt illis ſimiliter.

37 Noviſſimè autem miſit ad eos filium ſuum, dicens: Verebuntur filium meum.

38 Agricolæ autem videntes filium, dixerunt *Inf.26. a.3.17. a.1. Joan.11. g.58. intra ſe: * Hic eſt hæres; venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem ejus.

39 Et apprehenſum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt.

40 Cùm ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

41 Aiunt illi: Malos malè perdet: & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.

42 Dicit illis Jeſus: Numquam legiſtis in Scripturis: * Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? A Domino fa- *Pſ.117. c.22. Act.4. b.11.

ctum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris? Rom.9. f.33. 1.Pet.2. b.7.

43 Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.

44 Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eũ.

45 Et cùm audiſſent principes ſacerdotum & Phariſæi parabolas ejus, cognoverunt quòd de ipſis diceret.

46 Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam ſicut prophetam eum habebant.

CAPUT XXII.

Parabola de rege qui fecit nuptias filio ſuo, in quibus diſcumbens abſque veſte nuptiali in tenebras ejicitur exteriores: tentatur Jeſus a Phariſæis ſuper cenſu dando Cæſari, & à Sadducæis ſuper reſurrectione, quorum redarguit inſcitiam, mortuorum evincens reſurrectionem: rurſumque à legis doctore tentatur ſuper magno legis mandato: vicißim quoque interrogat Phariſæos, cujus filius ſit Chriſtus.

1 ET reſpondens Jeſus, dixit iterùm in parabo- A
lis eis, dicens:

2 * Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. *Luc.14. d.16. Apoc.19. b.9.

3 Et miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.

4 Iterùm miſit alios ſervos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prãdium meum paravi, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias.

5 Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam:

6 Reliqui verò tenuerunt ſervos ejus, & contumeliis affectos occiderunt.

7 Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt: & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit.

8 Tunc ait ſervis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati erant, non fuerunt digni.

9 Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumque inveneritis, vocate ad nuptias.

10 Et egreſſi ſervi ejus in vias, congregaverunt B
omnes quos invenerunt, malos & bonos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.

11 Intravit autem rex ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali.

12 Et ait illi: Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit.

13 Tunc dixit rex miniſtris: * Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & ſtridor dentium. *Sup.8. b.12.13. f.42. Iſa.25. c.30.

14 Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

15 * Tunc abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt ut caperent eum in ſermone. *Marc. 12.c.13. Luc.20. d.20.

16 Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis dicentes: Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum:

17 Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non?

18 Cognita autem Jeſus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ:

19 oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium.

20 Et ait illis Jeſus: Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?

21 Dicunt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: * Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. *Rom. 13.b.7.

Universidad de Deusto Biblioteca

22 Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierũt.

C 23 In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt * non esse resurrectionem: & interrogaverunt eum,

*Act. 23.b.6.

24 Dicentes: Magister, Moyses dixit: *Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & suscitet semen fratri suo.

*Deut. 25.b.6. Mar. 12. b.19. Luc. 20. c.28.

25 Erant autem apud nos septem fratres, & primus, uxore ducta, defunctus est: & non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo.

26 Similiter secundus, & tertius, usque ad septimum.

27 Novissimè autem omnium & mulier defuncta est.

28 In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam.

29 Respondens autem Jesus, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.

30 In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in cælo.

D 31 De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis:

32 * Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.

*Exod. 3.b.6.

33 Et audientes turbę mirabãtur in doctrina ejus.

34 Pharisæi autem audientes quòd silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum:

35 * Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum:

*Marc. 12. c.28. Luc. 10. c.25.

36 Magister, quod est mandatũ magnũ in Lege?

37 Ait illi Jesus: * Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.

*Deut. 6. a.5.

38 Hoc est maximum, & primum mandatum.

39 Secundum autem simile est huic: * Diliges proximum tuum, sicut teipsum.

*Lev. 19 d.18. Mar. 12. c.31.

40 In his duobus mandatis universa lex pendet, & prophetæ.

41 Congregatis autem pharisæis, interrogavit eos Jesus,

42 Dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David.

43 Ait illis: * Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens:

*Luc. 20.f.41.

44 * Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

*Ps. 109. a.1.

45 Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?

46 Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum ampliùs interrogare.

Caput XXIII.

Scribis & Pharisæis super cathedram Moysi sedentibus præcipit Iesus obedire, ipsorum autem opera non imitari, retegens ipsorum hypocrisim & ambitionem, discipulos verò contrariam docens humilitatem: deinde multiplex væ illis ob hypocrisim ac reliquas suas iniquitates interminatur, prædicens eos patrum suorum mensuram in justorum persecutionibus impleturos, ac Ierusalem deserendam.

A 1 TUnc Jesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos,

2 Dicens: Super cathedram Moysi sederunt * Scribæ, & Pharisæi.

*2.Esd. 8.a.4.

3 Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.

4 * Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.

*Luc. 11. f.46. Act. 15. b.10.

5 Omnia verò opera sua faciunt ut videantur ab hominibus: * dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.

*Deut. 6.b.8. 22.b.12. Num. 15.d.38.

6 * Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis,

7 Et salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

8 *Vos autem nolite vocari Rabbi. unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis.

*Marc. 12.d.39. Luc. 11. f.43. 20. g.46.

9 * Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in cælis est.

*Isa. 3. a.1.

10 Nec vocemini magistri: quia Magister vester unus est, Christus.

*Mal. 1. b.6.

11 Qui major est vestrûm, erit minister vester.

12 * Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: & qui se humiliaverit, exaltabitur. B

*Luc. 14. b.11. 18. c.14.

13 Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum cælorum ante homines. vos enim non intratis, nec introëuntes sinitis intrare.

14 Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: * quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium.

*Mar. 12.d.40. Luc. 20. g.47.

15 Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.

16 Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit in auro templi, debet.

17 Stulti, & cæci: Quid enim majus est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum?

18 Et quicumque juraverit in altari, nihil est: quicumque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet.

19 Cæci: Quid enim majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum?

20 Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt. C

21 Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipso:

22 Et qui jurat in cælo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.

23 * Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, & judicium, & misericordiam, & fidem. hæc oportuit facere; & illa non omittere.

*Luc. 11. f.42.

24 Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

25 Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapina, & immunditia.

26 Pharisæe cæce, munda priùs, quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum.

27 Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes

similes estis sepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.

28 Sic & vos aforis quidem paretis hominibus justi: intus autẽ pleni estis hypocrisi, & iniquitate.

29 Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta justorum,

30 Et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum.

D 31 Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt.

32 Et vos implete mensuram patrum vestrorũ.

33 * Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ?

*Sup. 3. b.7.

34 Ideò ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem:

35 Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, * à sanguine Abel justi usque ad sanguinem * Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.

*Gen. 4. b.8. Heb. 11. a.4. *2.Par. 24.f.22.

36 Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.

37 * Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?

*Luc. 13. g.34.

38 Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

39 Dico enim vobis, non me videbitis amodò, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Caput XXIV.

Prædicit templi eversionem, monétque ut caveant à venturis seductoribus: futura prænuntians bella ac persecutiones: surgent pseudochristi & pseudoprophetæ: de adventu filij hominis, præcedentibus signis in sole, luna & stellis: omnibus ignotum dicit Christus diem judicij; & de fideli ac malo servo; propter quæ docet semper esse vigilandum.

A 1 ET egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi.

Mar. 13. a.1. Luc. 21. a.5.

2 Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, *non relinquetur hîc lapis super lapidem, qui non destruatur.

*Luc. 19.g.44.

3 Sedente autem eo super Montem oliveti, accesserunt ad eum discipuli secretò: dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?

4 Et respondens Jesus, dixit eis: * Videte ne quis vos seducat.

*Eph. 5. b.6. Coloss. 2. c.18.

5 Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: & multos seducent.

6 Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini. oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis.

7 Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca.

8 Hæc autem omnia initia sunt dolorum.

9 * Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

*Sup. 10. c.17. Luc. 21. c.12.

10 Et tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem. Ioan. 15. c.20.16. a.2.

11 Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. B

12 Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.

13 Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

14 Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.

15 * Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à * Daniele propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat: *Mar. 13.b.14. Luc. 21. d.20.

16 Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: *Dan. 9. g.27.

17 Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua:

18 Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.

19 Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.

20 Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme, * vel sabbato.

21 Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet. *Act. 1. b.12.

22 Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi.

23 * Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hîc est Christus, aut illic: nolite credere. *Mar. 13.c.21. Luc. 17. e.23.

24 Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

25 Ecce prædixi vobis.

26 Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.

27 Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem: ita erit & adventus Filij hominis.

28 * Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. *Luc. 17. g.37.

29 * Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur: C *Isa. 13. b.10. Ezec. 32. b.7.

30 Et tunc parebit signum filij hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & * videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & majestate. Ioel. 2. b.10.3. c.15. Mar. 13. c.24. Luc. 21. e.25.

31 * Et mittet angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus à quattuor ventis, à summis cælorum usque ad terminos eorum. *Apoc. 1. b.7. *1.Cor. 15.g.52. 1.Thes. 4.d.15.

32 Ab arbore autem fici discite parabolam: cùm jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas:

33 Ita & vos cùm videritis hæc omnia, scitote quia propè est in januis.

34 Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.

35 * Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. *Mar. 13.d.31.

36 De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus pater.

Universidad de Deusto
Biblioteca

*Gen.7. b.7. Luc.17. f.26.

37 * Sicut autem in diebus Noë, ita erit & adventus Filij hominis.

38 Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradẽtes, usque ad eum diem, quo intravit Noë in arcã.

D 39 Et non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus Filij hominis.

40 Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur.

41 Duæ molentes in mola: una assumetur, & una relinquetur.

42 Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.

*Mar. 13.d.33. Luc.12. c.39. 43 Illud autem scitote, * quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam.

44 Ideò & vos estote parati: quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.

45 Quis, putas, est fidelis servus, & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?

*Apoc. 16. c.15. 46 * Beatus ille servus, quem cùm venerit dominus ejus, invenerit sic facientem.

47 Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

48 Si autem dixerit malus servus in corde suo: Moram facit dominus meus venire:

49 Et cœperit percutere conservos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis:

50 Veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, & hora qua ignorat:

51 Et dividet eum, partémque ejus ponet cum *Sup.13. f.42. Inf.25. c.30. hypocritis, * illic erit fletus, & stridor dentium.

Caput XXV.

Parabolas proponit de decem virginibus, ac talentis distributis servis; quorum dominus peregrè rediens singulos præmiat aut punit juxta ipsorum merita: extremum judicium ponit ob oculos, & causas præmiationis bonorum, ac punitionis malorum.

A 1 TUnc simile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obviàm sponso, & sponsæ.

2 Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes:

3 Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum:

4 Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

5 Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes & dormierunt.

6 Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviàm ei.

7 Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades suas.

8 Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur.

9 Responderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.

10 Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua.

11 Novissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.

12 At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.

13 * Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. *Marc. 13.d.33.

14 * Sicut enim homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. *Luc.19. b.12.

15 Et uni dedit quinque talenta, alij autem B duo, alij verò unum, unicuique secundùm propriam virtutem, & profectus est statim.

16 Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque.

17 Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

18 Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.

19 Post multum verò temporis venit dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis.

20 Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.

21 Ait illi dominus ejus: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

22 Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.

23 Ait illi dominus ejus: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

24 Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & cõgregas ubi non sparsisti:

25 Et timens, abij, & abscondi talentum tuum C in terra: ecce habes quod tuum est.

26 Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male, & piger, sciebas quia meto, ubi non semino, & congrego ubi non sparsi:

27 Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.

28 Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.

29 * Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. *Sup.13. b.12. Mar.4. c.25. Luc.8. c.18.19. d.26.

30 Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.

31 Cùm autem venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ:

32 Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis:

33 Et statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

34 Tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

35 * Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: *Isa. 58. c.7. Ezech. 18.b.7. d.16.

36 Nudus, & cooperuistis me: * infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. *Eccli.7. d.39.

37 Tunc

37 Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus te: sitientem, & dedimus tibi potum?

D 38 Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te?

39 Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?

40 Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

*Psal.6. b.9. Sup.7. c.23. Luc.13. f.27. 41 Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: * Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.

42 Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum:

43 Hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me.

44 Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi?

45 Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non fecistis uni de minoribus

*Dan.2. a.2. Joan. 5. c.29. his, nec mihi fecistis.

46 * Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

Caput XXVI.

Consuliunt principes sacerdotum de occidendo Jesu; qui unguento pretioso à muliere perfunditur, murmurantibus discipulis: venditur à Juda, de cujus proditione discipulis in cœnaloquitur, in qua panem in corpus suum, & vinum in sanguinem consecrata tradidit discipulis: prædicit omnes scandalizandos, trinámque Petri negationem: & post trinam orationem capitur à Judæis; quorum uni Petrus abscidit auriculam: discipulis fugientibus, coram Caipha à falsis testibus accusatus, mortisque reus judicatus, conspuitur ac cæditur, & ter a Petro negatur.

A 1 ET factum est: cùm consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis:

*Mar.14. a.1. Luc. 22. a.1. 2 * Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

3 Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi, in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caïphas:

4 Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, & occiderent.

5 Dicebant autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.

6 Cùm autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi,

7 Accessit ad eum mulier habens alabastrum

*Mar.14. a.3. Joan. 11. a.2. 12. a.3. unguenti pretiosi, & * effudit super caput ipsius recumbentis.

8 Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Ut quid perditio hæc?

9 Potuit enim istud vænumdari multo, & dari pauperibus.

10 Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.

11 Nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habetis.

12 Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

13 Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quòd hæc fecit in memoriam ejus.

14 * Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum: *Marc. 14.b.10. Luc. 22. a.4.

15 Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta B argenteos.

16 Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet.

17 * Prima autem die azymorum accesserunt * Marc. 14.b.12. Luc. 22. a.7. discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?

18 At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicit ei: Magister dicit: Tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.

19 Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha.

20 * Vespere autem facto, discumbebat cum * Marc. 14.b.17. Luc. 22. b.14. duodecim discipulis suis.

21 Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, * quia unus vestrûm me traditurus est. * Joan. 13.c.21.

22 Et contristati valdè, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine?

23 At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. C

24 Filius quidem hominis vadit, * sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem * Ps.40. b.10. Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

25 Respondens autem Judas, qui tradidit eum dixit: Nũquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.

26 * Cœnantibus autem eis, accepit Jesus pa- * 1.Cor. 11.c.24. nem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum.

27 Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: B bite ex hoc omnes.

28 Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

29 Dico autem vobis: non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

30 Et hymno dicto, exierunt in Montem oliveti.

31 Tunc dicit illis Jesus: * Omnes vos scanda- * Marc. 14.c.27. lum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est Joan.16. d.32. enim: * Percutiam pastorem, & dispergentur oves * Zach. 13.c.7. gregis.

32 Postquam autem resurrexero, præcedam vos * Mar. 14.c.28. in Galilæam. 16.b.7.

33 Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.

34 Ait illi Jesus: * Amen dico tibi, quia in hac * Mar. 14.c.30. nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Joan.13. d.38.

35 Ait illi Petrus: * Etiam si oportuerit me * Mar. mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes 14.d.31. discipuli dixerunt. Luc.22. d.33.

36 Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ D dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem.

37 Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse.

38 Tunc ait illis : Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem : ſuſtinete hîc, & vigilate mecum :

39 Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens : Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.

40 Et venit ad diſcipulos ſuos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro : Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum ?

41 Vigilate, & orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.

42 Iterùm ſecundò abiit, & oravit, dicens : Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua.

43 Et venit iterùm, & invenit eos dormientes : erant enim oculi eorum gravati.

44 Et relictis illis, iterùm abiit, & oravit tertiò, eundem ſermonem dicens.

E 45 Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis : Dormite jam, & requieſcite : ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

46 Surgite eamus : ecce appropinquavit qui me tradet.

* *Marc.* 14. *c.* 43. *Luc.* 22. *c.* 47. *Joan.* 18. *a.* 3.

47 * Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladiis & fuſtibus, miſſi à principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi.

48 Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum, dicens : Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.

49 Et confeſtim accedens ad Jeſum : dixit : Ave Rabbi. Et oſculatus eſt eum.

50 Dixítque illi Jeſus : Amice, ad quid veniſti ? Tunc acceſſerunt, & manus injecerunt in Jeſum, & tenuerunt eum.

51 Et ecce unus ex his qui erant cum Jeſu, extendens manum, exemit gladium ſuum, & percutiens ſervum principis ſacerdotum amputavit auriculam ejus.

52 Tunc ait illi Jeſus : Converte gladium tuum in locum ſuum.

* *Gen.* 9. *b.* 6. *Apoc.* 13. *c.* 10.

53 * Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones angelorum ?

* *Iſa.* 53. *c.* 10.

54 Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri ?

55 In illa hora dixit Jeſus turbis : Tamquam ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me : quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis.

F * *Thren.* 4. *d.* 20.

56 Hoc autem totum factum eſt, * ut adimplerentur Scripturæ prophetarum. Tunc diſcipuli omnes, * relicto eo, fugerunt.

* *Marc.* 14. *c.* 50. * *Luc.* 22. *f.* 54. *Joan.* 18. *d.* 24.

57 At illi tenentes Jeſum, * duxerunt ad Caïpham principem ſacerdotum, ubi Scribæ & ſeniores convenerant.

58 Petrus autem ſequebatur eum à longè uſque in atrium principis ſacerdotum. Et ingreſſus intrò, ſedebat cum miniſtris, ut videret finem.

59 Principes autem ſacerdotum, & omne concilium, quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent :

60 Et non invenerunt, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent. Noviſſimè autem venerunt duo falſi teſtes,

61 Et dixerunt : Hic dixit : * Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.

* *Joan.* 2. *c.* 19.

62 Et ſurgens princeps ſacerdotum, ait illi : Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adverſum te teſtificantur ?

63 Jeſus autem tacebat. Et princeps ſacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei.

64 Dicit illi Jeſus. Tu dixiſti : verumtamen dico vobis, * amodò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.

* *Sup.* 16. *d.* 27. *Rom.* 14. *b.* 10. 1. *Theſſ.* 4. *d.* 15.

65 Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens : Blaſphemavit : quid adhuc egemus teſtibus ? ecce nunc audiſtis blaſphemiam :

G 66 Quid vobis videtur ? At illi reſpondentes dixerunt : Reus eſt mortis.

67 * Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem ejus dederunt,

* *Iſa.* 50. *c.* 6. *Marc.* 14. *g.* 65.

68 Dicentes : Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit ?

69 * Petrus verò ſedebat foris in atrio : & acceſſit ad eum una ancilla, dicens : Et tu cum Jeſu Galilæo eras.

* *Luc.* 22. *f.* 55. *Joan.* 18. *c.* 17.

70 At ille negavit coram omnibus, dicens : Neſcio quid dicis.

71 Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi : Et hic erat cum Jeſu Nazareno.

72 Et iterùm negavit cum juramento : Quia non novi hominem.

73 Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro : Verè & tu ex illis es : nam & loquela tua manifeſtum te facit.

74 Tunc cœpit deteſtari & jurare quia non noviſſet hominem. Et continuò gallus cantavit.

75 Et recordatus eſt Petrus verbi Jeſu, quod dixerat : Priùs quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras, flevit amarè.

Caput XXVII.

Judas, relatis argenteis, laqueo ſe ſuſpendit : Jeſus coram Pilato accuſatus, non reſpondet ; uxor autem Pilati dicit ipſum juſtum : Præeligitur tamen Barabbas : Pilatus lotis manibus Jeſum flagellatũ tradit crucifigendum : qui à militibus multipliciter illuſus ducitur ad crucifigendum ; & felleo vino potatus, inter latrones crucifigitur, diviſis ipſius veſtimentis : & à variis multa jactantur in ipſum blaſphemiæ : ſuboriuntur tenebræ ; & clamans Jeſus Eli, acetòque potatus, cum clamore expirat, ac ſigna varia fiunt : corpus Jeſu à Joſeph ſepultum, cuſtoditur à militibus.

1 MAnè autem facto, conſilium inierunt omnes principes ſacerdotum & ſeniores populi adverſus Jeſum, ut eum morti traderent. A

2 * Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.

* *Marc.* 15. *a.* 1. *Luc.* 23. *a.* 1. *Joan.* 18. *c.* 28.

3 Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet ; pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus,

4 Dicens : Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. At illi dixerunt : Quid ad nos ? tu videris.

5 Et

* *Act.* 1. *c.* 18.

5 Et projectis argentis in templo, receſſit : * & abiens laqueo ſe ſuſpendit.

6 Principes autem ſacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt : Non licet eos mittere in corbonam : quia pretium ſanguinis eſt.

7 Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum.

* *Act.* 1. *c.* 19.

8 * Propter hoc vocatus eſt ager ille, Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem.

B 9 * Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam prophetam, dicentem : * Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Iſraël :

* *Zach.* 11. *c.* 12.

10 Et dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.

11 Jeſus autem ſtetit ante præſidem, * & interrogavit eum præſes, dicens : Tu es Rex Judæorum ? Dicit illi Jeſus : Tu dicis.

* *Marc.* 15. *a.* 2. *Luc.* 23. *a* 3. *Joan.* 18. *c.* 33.

12 Et cùm accuſaretur à principibus ſacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpondit.

13 Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia ?

14 Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer.

15 Per diem autem ſollemnem conſueverat præſes populo dimittere unum vinctũ, quẽ voluiſſent.

16 Habebat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barabbas.

17 Congregatis ergo illis, dixit Pilatus : Quem vultis dimittam vobis : Barabbam, an Jeſum, qui dicitur Chriſtus ?

18 Sciebat enim quòd per invidiam tradidiſſent eum.

19 Sedente autẽ illo pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi, & juſto illi. multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.

C * *Mar.* 15. *b.* 11. *Luc.* 23. *c.* 18. *Joan.* 18. *g.* 40. *Act.* 3. *b.* 14.

20 * Principes autem ſacerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populis ut peterent Barabbam, Jeſum verò perderent.

21 Reſpondens autem præſes, ait illis : Quem vultis vobis de duobus dimitti ? At illi dixerunt : Barabbam.

22 Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus ?

23 Dicunt omnes : Crucifigatur. Ait illis præſes : Quid enim mali fecit ? At illi magis clamabant dicentes : Crucifigatur.

24 Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret : accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus : vos videritis.

25 Et reſpondens univerſus populus, dixit : Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.

26 Tunc dimiſit illis Barabbam : Jeſum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.

27 Tunc milites præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium, * congregaverunt ad eum univerſam cohortem :

* *Marc.* 15. *b.* 16. *Pſ.* 21. *c.* 17.

28 Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei :

D * *Joan.* 19. *a.* 2.

29 * Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes : Ave rex Judæorum.

30 Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.

31 Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent.

32 * Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem : hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus.

* *Marc.* 15. *b.* 21. *Luc.* 23. *d.* 26.

33 * Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod eſt Calvariæ locus.

* *Mar.* 15. *b.* 22. *Luc.* 23. *e.* 33.

34 Et dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum. Et cùm guſtaſſet, noluit bibere.

Joan. 19. *c.* 17.

35 Poſtquam autem crucifixerunt eum, * diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes : ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem : * Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

* *Marc.* 15. *c.* 24. *Luc.* 23. *e.* 34. *Joan.* 19. *d.* 23. * *Pſ.* 21. *c.* 19.

36 Et ſedentes ſervabant eum.

37 Et impoſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam : Hic est Jesus Rex Judæorum. E

38 Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones ; unus à dextris, & unus à ſiniſtris.

39 Prætereuntes autem blaſphemabant eum moventes capita ſua.

40 Et dicentes : * Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas : ſalva temetipſum : ſi filius Dei es, deſcende de cruce.

* *Joan.* 2. *c.* 19.

41 Similiter & principes ſacerdotum illudentes cum Scribis & ſenioribus dicebant :

42 Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere : * ſi rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei :

* *Sap.* 2. *d.* 18.

43 * Confidit in Deo : liberet nunc, ſi vult eum : dixit enim : Quia filius Dei ſum.

* *Pſ.* 21. *a.* 9.

44 Idipſum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

45 A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam.

46 Et circa horam nonam clamavit Jeſus voce magna, dicens : * Eli, Eli, lamma ſabacthani ? hoc eſt : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me ?

* *Pſ.* 21. *a.* 2.

47 Quidam autem illic ſtantes, & audientes, dicebant : Eliam vocat iſte.

48 Et continuò currens unus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere. F

49 Ceteri verò dicebant : Sine videamus an veniat Elias liberans eum.

50 Jeſus autem iterùm clamans voce magna, emiſit ſpiritum.

51 * Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt,

* 2. *Par.* 3. *d.* 14.

52 Et monumenta aperta ſunt : & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.

53 Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis.

54 Centurio autem, & qui cum eo erant, cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicẽtes : Verè Filius Dei erat iſte.

55 Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Jeſum à Galilæa, miniſtrantes ei :

56 Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Joſeph mater, & mater filiorum Zebedæi.

* *Mar.* 15. *d.* 42.

57 * Cùm autem ſerò factum eſſet, venit quidam

Luc. 23. g. 50. Ioan. 19. g. 38. dam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui & ipse discipulus erat Jesu.

58 Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus.

59 Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda.

60 Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.

61 Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.

62 Altera autem die, quæ est post parasceven, convenerunt principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum,

63 Dicentes: Dñe, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam.

64 Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne fortè veniant discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis. & erit novissimus error pejor priore.

65 Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis.

66 Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.

Caput XXVIII.

Facto terræ motu, exterriti que custodibus, Angelus mulieribus narrat Christi resurrectionem; qui ipsis apparens jubet (sicut & Angelus jusserat) ut discipulis nuntient, quod Dominum in Galilæa visuri sint: milites sepulchri custodes, pecunia corrupti, dicunt corpus Christi furto sublatum: discipuli videntes in Galilæa Dominum, jubentur ire ad docendas & baptizandas omnes gentes.

A 1 VEspere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre sepulchrum.

Mar. 16. a. 1. Ioan. 20. c. 11.

2 Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo: & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum:

3 Erat autem aspectus ejus sicut fulgur: & vestimentum ejus sicut nix.

4 Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.

5 Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quòd Jesum, qui crucifixus est, quæritis.

6 Non est hìc: surrexit enim, sicut dixit: venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus. B

7 Et citò euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis. ecce prædixi vobis.

8 Et exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno, currêtes nũtiare discipulis ejus.

9 Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.

10 Tunc ait illis Jesus: Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. C

11 Quæ cùm abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant.

12 Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus.

13 Dicentes: Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus.

14 Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.

15 At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernum diem.

16 Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus. D

17 Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt.

18 Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.

19 * Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: ** Marc. 16. c. 15.*

20 Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM.

Caput Primum.

Ioannes in austeritate vitæ prædicat, ac baptizat aqua, Christus verò Spiritu sancto: qui à Ioanne baptizatus, cum bestiis agens in deserto, post jejunium quadraginta dierum à Satana tentatur, & Ioanne tradito prædicare incipit in Galilæa: vocatisque Simone & Andrea, Iacobo & Ioanne Zebedæi, accedit Capharnaum, & reliqua Galilææ loca; ibique prædicans curat socrum Simonis, & leprosum quem mittit ad sacerdotes: plurimósque dæmoniacos ac malè habentes, cum magna omnium admiratione.

A 1 INitium Evangelij Jesu Christi, Filij Dei.

** Malac. 3. a. 1.*

2 Sicut scriptum est in Isaia propheta: * Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

3 * Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. ** Isa. 40. a. 3. Mat. 3. a. 3. Luc. 3. b. 4. Ioan. 1. c. 23.*

4 Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

5 * Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jerosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. ** Mat. 3. a. 5.*

6 * Et erat Joannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus, & * locustas & mel silvestre edebat. Et prædicabat dicens: ** Matt. 3. a. 4. * Levi. 11. c. 22.*

7 * Venit fortior me post me: cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. ** Matt. 3. b. 11. Luc. 3. d. 16. Ioan. 1. d. 27.*

8 * Ego

** Act. 1. a. 5. 2. a. 4. 11. b. 16. 19. a. 4.* 8 * Ego baptizavi vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu sancto.

9 Et factum est: in diebus illis venit Jesus à Nazareth Galilææ: & baptizatus est à Joanne in Jordane:

B 10 Et statim ascendens de aqua, vidit cælos apertos, * & Spiritum tamquam columbam descendentem, & manentem in ipso. ** Luc. 3. c. 22. Ioan. 1. d. 32.*

11 Et vox facta est de cælis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui.

12 * Et statim Spiritus expulit eum in desertũ. ** Matt. 4. a. 1. Luc. 4. a. 1.*

13 Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & tentabatur à satana: erátque cum bestiis, & angeli ministrabant illi.

14 * Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilęã, prędicans Evangelium regni Dei, ** Mat. 4. b. 12. Luc. 4. b. 14. Ioan. 4. f. 43.*

15 Et dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei: pœnitemini, & credite Evangelio.

16 * Et præteriens secus Mare Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare, (erant enim piscatores.) ** Mat. 4. c. 18. Luc. 5. a. 2.*

17 Et dixit eis Jesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.

18 Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum.

19 Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, & ipsos componentes retia in navi.

20 Et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eũ.

21 * Et ingrediuntur Capharnaum: & statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos. ** Matt. 4. b. 13. Luc. 4. e. 31.*

C 22 * Et stupebant super doctrina ejus: erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ. ** Matt. 7. d. 28. Luc. 4. e. 32.*

23 * Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo: & exclamavit, ** Luc. 4. e. 33.*

24 Dicens: Quid nobis, & tibi Jesu Nazarene: venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei.

25 Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine.

26 Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo.

27 Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.

28 Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ.

29 * Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Jacobo & Joanne. ** Mat. 8. b. 14. Luc. 4. g. 38.*

30 Decumbebat autem socrus Simonis febricitans: & statim dicunt ei de illa.

31 Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus: & continuò dimisit eam febris, & ministrabat eis.

32 Vespere autem facto cùm occidisset sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes:

33 Et erat omnis civitas congregata ad januam.

34 Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, * & dæmonia multa ejiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. ** Luc. 4. f. 41.*

35 Et diluculo valdè surgens, egressus abiit in desertum locum, ibíque orabat.

36 Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. D

37 Et cùm invenissent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te.

38 Et ait illis: Eamus in proximos vicos, & civitates, ut & ibi prædicem: ad hoc enim veni.

39 Et erat prædicans in synagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia ejiciens.

40 * Et venit ad eum leprosus deprecans eum: & genu flexo dixit ei: Si vis, potes me mundare. ** Matt. 8 a. 2. Luc. 5. c. 12.*

41 Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam: & tangens eum, ait illi; Volo: Mundare.

42 Et cùm dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est.

43 Et comminatus est ei, statímque ejecit illum,

44 Et dicit ei: Vide nemini dixeris: sed vade: ostende te principi sacerdotum, & offer pro emundatione tua, * quæ præcepit Moyses in testimonium illis. ** Levi. 14. a. 2.*

45 At ille egressus cœpit prædicare, & diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifestè introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, & conveniebant ad eum undique.

Caput II.

Murmurantibus Scribis quòd paralytico per tectum in grabato demisso, diceret remitti peccata, jubens ipsum ferre grabatum, sanat eum: apud Levin, quem ad se sequendum vocaverat, discumbens cum pluribus Publicanis, rationem dicit, murmurantibus Pharisæis, quare cum peccatoribus conversetur, & cur ipsius discipuli non jejunent; quos etiam spicas sabbato vellentes excusat.

1 ET iterùm intravit Capharnaum post dies, A
2 Et auditum est quòd in domo esset, & convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam, & loquebatur eis verbum. *Matt. 9. a. 1.*

3 * Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quattuor portabatur. ** Luc. 8. d. 18.*

4 Et cùm non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat: & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.

5 Cùm autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.

6 Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis:

7 Quid hic sic loquitur? blasphemat. * Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? ** Ioh. 14. a. 4. Isa. 43. d. 25.*

8 Quo statim cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris?

9 Quid est facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula? B

10 Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatẽ in terra dimittendi peccata (ait paralytico.)

11 Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.

12 Et statim surrexit ille: & sublato grabato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quia numquam sic vidimus.

13 Et egressus est rursus ad mare: omnísque turba veniebat ad eum, & docebat eos. ** Matt. 9. b. 9. Luc. 5. c. 27.*

14 * Et cùm præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem

Universidad de Deusto
Biblioteca

sedentem ad telonium, & ait illi : Sequere me. Et surgens secutus est eum.

15 Et factum est, cùm accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus : erant enim multi, qui & sequebantur eum.

C 16 Et Scribæ & Pharisæi videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis ejus : Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit Magister vester ?

17 Hoc audito Jesus ait illis : Non necesse habent sani medico, sed qui malè habent : * non enim veni vocare justos, sed peccatores. *2.Tim. 1.f.15.

18 Et erant discipuli Joannis & Pharisæi jejunantes : & veniunt, & dicunt illi : Quare discipuli Joannis & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant ?

19 Et ait illis Jesus : Numquid possunt filij nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare ? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare.

* Matt. 9.b.15. Luc.5. f.35. 20 * Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus : & tunc jejunabunt in illis diebus.

21 Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri : alioquin aufert supplementum novum à veteri, & major scissura fit.

D 22 Et nemo mittit vinum novum in utres veteres : alioquin dirumpet vinum utres, & vinum effundetur, & utres peribunt : sed vinum novum in utres novos mitti debet.

* Matt. 12.a.1. Luc.6. a.1. 23 * Et factum est iterùm cùm Dominus sabbatis ambularet per sata, & discipuli ejus cœperunt progredi, & vellere spicas.

24 Pharisæi autem dicebant ei : Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet ?

*1.Reg. 21.b.6. 25 Et ait illis : * Numquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, & esuriit ipse, & qui cum eo erant ?

26 Quomodo introïvit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare,

*Lev. 24.b.9. *nisi sacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant ?

27 Et dicebat eis : Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum.

28 Itaque Dominus est filius hominis, etiam sabbati.

CAPUT III.

Postquam manum aridam curaverat, Pharisæorum cedens machinationi secedit, turbis undique ad ipsum confluentibus, quarum infirmos curat : duodecim à se electos (qui hic recensentur) mittit ad prædicandum, data ipsis potestate super infirmitates ac dæmonia : Scribas blasphemantes ipsum in Beelzebub ejicere dæmonia convincit falsitatis, dicens blasphemiam in Spiritum sanctum irremissibilem, & quæ sint mater & fratres ejus.

A 1 ET introïvit iterùm in synagogam : & erat ibi homo habens manum aridam.

Matt.12. a.9. Luc.6. a.6. 2 Et observabant eum, si sabbatis curaret, ut accusarent illum.

3 Et ait homini habenti manum aridam : Surge in medium.

4 Et dicit eis : Licet sabbatis benefacere, an malè ? animam salvam facere, an perdere ? At illi tacebant.

5 Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini : Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illi.

6 * Exeuntes autem Pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent. * Matt. 12.b.14.

7 Jesus autē cum discipulis suis recessit ad mare : & multa turba à Galilæa & Judæa secuta est eum,

8 Et ab Jerosolymis, & ab Idumæa, & trans Jordanem : & qui circa Tyrum & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum.

9 Et dixit discipulis suis ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum.

10 Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum ut illum tangerent quotquot habebāt plagas. B

11 Et spiritus immundi, cùm illum videbant, procidebant ei : & clamabant dicentes :

12 Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum.

13 * Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse : & venerunt ad eum. * Mate. 10. a.1. Luc.6. b.13.

14 Et fecit ut essent duodecim cum illo : & ut mitteret eos prædicare.

15 Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia.

16 Et imposuit Simoni nomen Petrus :

17 Et Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filij tonitrui.

18 Et Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Jacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Cananæum, C

19 Et Judam Iscariotem, qui & tradidit illum.

20 Et veniunt ad domum : & convenit iterùm turba, ita ut non possent neque panem manducare.

21 Et cùm audissent sui, exierunt tenere eum : dicebant enim : Quoniam in furorem versus est.

22 Et Scribæ, qui ab Jerosolymis descenderant, dicebant : * Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia. *Mat. 9. d.34.

23 Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis : Quomodo potest satanas satanam ejicere ?

24 Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare.

25 Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare.

26 Et si satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, & non poterit stare, sed finē habet.

27 Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi priùs fortem alliget, & tunc domum ejus diripiet.

28 * Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blasphemiæ quibus blasphemaverint: D * Matt. 12.c.31. Luc.12. b.10. 1.Joan. 5.d.16.

29 Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.

30 Quoniam dicebant : Spiritum immundum habet.

31 * Et veniunt mater ejus & fratres : & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum, * Matt. 12.d.46. Luc.8. c.19.

32 Et sedebat circa eum turba : & dicunt ei : Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te.

33 Et

33 Et respondens eis, ait : Quæ est mater mea, & fratres mei ?

34 Et circumspiciens eos, qui in circuitu ejus sedebant, ait : Ecce mater mea, & fratres mei.

35 Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.

CAPUT IV.

Parabolam proponit seminatoris, quam discipulis declarat : lucernam dicit super candelabrum ponendam ; addens parabolas de semine in terram jacto, quod excrescit dormiente eo qui seminavit, & de grano sinapis, discipulis autem seorsim omnia interpretatur : in navi à somno excitatus, tempestatem maris sedat.

A 1 ET iterùm cœpit docere ad mare : & congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari, & omnis turba circa mare super terram erat :

Matt. 13.a.1. Luc.8. a.4.

2 Et docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua :

3 Audite : ecce exiit seminans ad seminandum.

4 Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt illud.

5 Aliud verò cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam : & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ :

6 Et quando exortus est sol, exæstuavit : & eò quòd non habebat radicem, exaruit.

7 Et aliud cecidit in spinas : & ascenderunt spinæ, & suffocaverunt illud, & fructum non dedit.

8 Et aliud cecidit in terram bonam : & dabat fructum ascendentem, & crescentem : & afferebat unum triginta, unum sexaginta, & unum centum.

9 Et dicebat : Qui habet aures audiendi, audiat.

10 Et cùm esset singularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam.

B 11 Et dicebat eis : vobis datum est nosse mysterium regni Dei : illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt :

*Isa.6. c.9. Matt.13. b.14. Joan.12. f.40. Act. 28. f.26. Rom. 11. b.8. 12 * Ut videntes videant, & non videant : & audientes audiant, & non intelligant : nequando convertantur, & dimittantur eis peccata.

13 Et ait illis : Nescitis parabolam hanc ? & quomodo omnes parabolas cognoscitis ?

14 Qui seminat, verbum seminat.

15 Hi autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum, & cùm audierint, confestim venit satanas, & aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum.

16 Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur : qui cùm audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud.

17 Et non habent radicem in se, sed temporales sunt : deinde orta tribulatione & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.

18 Et alij sunt qui in spinis seminantur : hi sunt qui verbum audiunt,

*1.Tim. 6.d.17. 19 Et ærumnæ sæculi, & * deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur.

C 20 Et hi sunt, qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, & suscipiunt & fructificant, unum triginta, unum sexaginta, & unum centum.

*Matt. 5.b.15. 21 * Et dicebat illis : Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto ? nónne ut super candelabrum ponatur ? Luc.8. b.16.11. e.33.

22 * Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur : nec factum est occultum, sed ut in palam veniat. *Matt. 10.c.26. Luc.8. b.17.

23 Si quis habet aures audiendi, audiat.

24 Et dicebat illis : Videte quid audiatis. * In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis. *Matt. 7.a.2. Luc.6. e.38.

25 * Qui enim habet, dabitur illi : & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. * Matt. 13.b.12. 25.c.29. Luc.8. c.18. 19. d.26.

26 Et dicebat : Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram,

27 Et dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat dum nescit ille.

28 Ultrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.

29 Et cùm produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.

30 Et dicebat : Cui assimilabimus regnum Dei ? aut cui parabolæ comparabimus illud ?

D 31 * Sicut granum sinapis, quod cùm seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quæ sunt in terra : * Matt. 13.d.31. Luc.13. d.19.

32 Et cùm seminatum fuerit, ascendit, & fit majus omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cæli habitare.

33 Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire :

34 Sine parabola autem non loquebatur eis : seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.

35 Et ait illis in illa die, cùm serò esset factum : Transeamus contra.

36 * Et dimittentes turbam, assumunt eum ita ut erat in navi, & aliæ naves erant cum illo. *Matt. 8.c.23. Luc.8. c.22.

37 Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.

38 Et erat ipse in puppi super cervical dormiens : & excitant eum, & dicunt illi : Magister non ad te pertinet, quia perimus ?

39 Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari : Tace, obmutesce. Et cessavit ventus : & facta est tranquillitas magna.

40 Et ait illis : Quid timidi estis ? necdum habetis fidem ? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum : Quis putas, est iste, quia & ventus & mare obediunt ei ?

CAPUT V.

In regione Gerasenorum dæmoniacum curat ferocissimum à legione dæmonum ; quibus permittit ut in porcos ingrediantur, nec sinit ut ipsum sequatur : is qui liberatus erat, curata muliere à profluvio sanguinis, venit ad domum Iairi, ejusque filiam resuscitat.

1 ET venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum. A Matt. 8.d.28. Luc.8. d.26.

2 Et exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo,

3 Qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quisquam poterat eum ligare :

4 Quoniam sæpè compedibus & catenis vinctus, dirupisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5 Et semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans, & concidens se lapidibus.

6 Videns autem Jesum à longè, cucurrit, & adoravit eum:

7 Et clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, Jesu fili Dei altissimi? adjuro te per Deum, ne me torqueas.

8 Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine.

9 Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomẽ est, quia multi sumus.

10 Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem.

11 Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens.

12 Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos ut in eos introëamus.

B 13 Et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari.

14 Qui autem pascebant eos, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in agros. Et egressi sunt videre quid esset factum:

15 Et veniunt ad Jesum: & vident illum, qui à dæmonio vexabatur, sedentem vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt.

16 Et narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei qui dæmonium habuerat, & de porcis.

17 Et rogare cœperunt eum ut discederet de finibus eorum.

18 Cúmque ascenderet navim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo:

19 Et non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui.

20 Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus: & omnes mirabantur.

21 Et cùm transcendisset Jesus in navi rursum trans fretum, convenit turba multa ad eum, & erat circa mare.

Matth. 9. c. 18. Luc. 8. f. 41. 22 * Et venit quidam de archisynagogis nomine Jairus: & videns eum, procidit ad pedes ejus.

C 23 Et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est, Veni, impone manum super eam, ut salva sit, & vivat.

24 Et abiit cum illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

25 Et mulier, quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim,

26 Et fuerat multa perpessa à compluribus medicis: & erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deteriùs habebat:

27 Cùm audisset de Jesu, venit in turba retrò, & tetigit vestimentum ejus:

28 Dicebat enim: Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero.

29 Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus: & sensit corpore quia sanata esset à plaga.

30 Et statim Jesus in semetipso cognoscens virD tutem, quæ exierat de illo, conversus ad turbam, aiebat: Quis tetigit vestimenta mea?

31 Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit?

32 Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.

33 Mulier verò timens & tremens, sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.

34 Ille autem dixit ei: *Filia, fides tua te salvam fecit: vade in pace, & esto sana à plaga tua. ** Luc. 7. g. 50. 8. g. 48.*

35 Adhuc eo loquente, veniunt ab archisynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua est; quid ultrà vexas Magistrum?

36 Jesus autem audito verbo, quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere: tãtummodo crede.

37 Et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi.

38 Et veniunt in domum archisynagogi, & videt tumultum, & flentes, & ejulantes multùm.

39 Et ingressus, ait illis: Quid turbamini, & ploratis? puella non est mortua, sed dormit.

40 Et irridebant eum. Ipse verò, ejectis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingreditur ubi puella erat jacens.

41 Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum: Puella (tibi dico) surge.

42 Et confestim surrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim: & obstupuerunt stupore magno.

43 Et præcepit illis vehementer ut nemo id sciret: & dixit dari illi manducare.

Caput VI.

Christi doctrinam in ipsius patria admirantur; ubi tamen propter illorum incredulitatem pauca edidit miracula: Apostolos mittens ad prædicandum, instruit quid observare debeant: Herodes audita Christi fama, dicit Joannem Baptistam resurrexisse; cujus caput postulanti Herodiadis filiæ saltatrici propter jusjurandum tradiderat: in deserto quinque panibus & duobus piscibus quinque millia virorum satiat: super mare ambulans, tempestatem sedat: in terra Genezareth plurimos tactu fimbriæ vestimenti sanat.

1 ET egressus inde, abiit in patriam suam: & A sequebantur eum discipuli sui: *Mat. 13. g. 54. Luc. 4. c. 16.*

2 Et facto sabbato cœpit in synagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi; & virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur?

3 * Nónne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joseph, & Judæ, & Simonis? nónne & sorores ejus hîc nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo. ** Joan. 6. c. 42.*

4 Et dicebat illis Jesus: * Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. ** Matth. 13. g. 57. Luc. 4. d. 24. Joan. 4. f. 44.*

5 Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit:

6 Et mirabatur propter incredulitatem eorum, & circuibat castella in circuitu docens.

7 * Et vocavit duodecim: & cœpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum. ** Matth. 10. a. 1. Sup. 3. b. 14. Luc. 9. a. 1.*

8 Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm; non peram, non panem, neque in zona æs,

** Act. 12. b. 8.* 9 * Sed calceatos sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.

10 Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde:

11 Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, * exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. ** Matth. 10. b. 14. Luc. 9. a. 5. Act. 13. g. 51. 18. b. 6.*

12 Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent:

13 Et dæmonia multa ejiciebant, * & ungebant oleo multos ægros, & sanabant. ** Jac. 5. d. 14.*

14 * Et audivit rex Herodes (manifestum enim factum est nomen ejus) & dicebat: Quia Joannes Baptista resurrexit à mortuis: & propterea virtutes operantur in illo. ** Matth. 14. a. 1. 2. Luc. 9. a. 7.*

15 Alij autem dicebant: Quia Elias est. Alij verò dicebant: Quia propheta est, quasi unus ex prophetis.

C 16 Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis resurrexit.

17 * Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem uxorẽ Philippi fratris sui, quia duxerat eam. ** Luc. 3. d. 19.*

18 Dicebat enim Joannes Herodi: * Non licet tibi habere uxorem fratris tui. ** Lev. 18. b. 16.*

19 Herodias autem insidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat.

20 Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum & sanctum: & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

21 Et cùm dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ.

22 Cúmque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simúlque recumbentibus; rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi:

23 Et juravit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.

D 24 Quæ cùm exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptistæ.

25 Cúmque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens: Volo ut protinus des mihi, in disco caput Joannis Baptistæ.

26 Et contristatus est rex: propter jusjurandum, & propter simul discumbentes, noluit eam contristare:

27 Sed misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere,

28 Et attulit caput ejus in disco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.

29 Quo audito discipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus: & posuerunt illud in monumento.

** Luc. 9. a. 10.* 30 * Et convenientes Apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant.

E 31 Et ait illis: * Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi: & nec spatium manducandi habebant. ** Matth. 14. b. 13. Luc. 9. a. 10. Joan. 6. a. 1.*

32 Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum.

33 Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi: & pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc: & prævenerunt eos.

34 * Et exiens vidit turbam multam Jesus: & misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa. ** Mat. 9. d. 36. b. 14.*

35 Et cùm jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, & jam hora præteriit:

36 * Dimitte illos, ut euntes in proximas villas & vicos, emant sibi cibos, quos manducent. ** Luc. 9. b. 12.*

37 Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.

38 Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, & videte. Et cùm cognovissent, dicunt: Quinque & duos pisces.

39 * Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes secundùm contubernia super viride fœnũ. ** Joan. 6. b. 10.*

40 Et discubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos.

41 Et acceptis quinque panibus, & duobus F piscibus, intuens in cælum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos: & duos pisces divisit omnibus.

42 Et manducaverunt omnes, & saturati sunt.

43 Et sustulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus.

44 Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.

45 Et statim coëgit discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaïdam, dum ipse dimitteret populum.

46 Et cùm dimisisset eos, abiit in montem orare.

47 Et cùm serò esset, erat navis in medio mari, & ipse solus in terra.

48 * Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare: & volebat præterire eos. ** Matth. 14. c. 25.*

49 At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverũt phantasma esse, & exclamaverũt.

50 Omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, & dixit eis: G Confidite, ego sum, nolite timere.

51 Et ascendit ad illos in navim, & cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant:

52 Non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.

53 * Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genesareth, & applicuerunt. ** Matth. 14. d. 34.*

54 Cúmque egressi essent de navi, continuò cognoverunt eum:

55 Et percurrentes universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui se malè habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse.

56 Et quocumque introibat, in vicos vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPUT VII.

Pharisæos redarguit, Christi arguentes discipulos quòd non lotis ederent manibus, cùm ipsi Dei mandata ob suas traditiones transgrederentur; declarans quænam possint hominem coinquinare, nempe quæ de corde exeunt: Syrophœnissæ filiam, ad perseverantem illius supplicationem, à dæmonio liberat; & surdum ac mutum sanat.

A 1 ET conveniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis, venientes ab Jerosolymis.

*Matth. 15.a.2. 2 * Et cùm vidissent quosdam ex discipulis ejus, communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperaverunt.

3 Pharisæi enim & omnes Judæi, nisi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum:

4 Et à foro nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt, & quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum:

5 Et interrogabant eum Pharisæi, & Scribæ: Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem?

*Isa.29 13.d. 6 At ille respondens, dixit eis: Benè prophetavit Isaïas de vobis hypocritis, sicut scriptum est: * Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.

7 In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.

B 8 Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum, & calicum: & alia similia his facitis multa.

9 Et dicebat illis: Benè irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis.

*Exod. 20.c.12. Deut. 5. b.16. Ephes. 6. a.2. 10 Moyses enim dixit: * Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et: * Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

*Exod. 21.c.17. Levit. 20.b.9. Prov. 20.c.20. 11 Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit:

12 Et ultrà non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri,

13 Rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis: & similia hujusmodi multa facitis.

*Matth. 15.b.10. 14 * Et advocans iterùm turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite.

15 Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem.

16 Si quis habet aures audiendi, audiat.

C 17 Et cùm introisset in domum à turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam.

18 Et ait illis: Sic & vos imprudentes estis: Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare:

19 Quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas?

20 Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem.

*Gen.6. a.5. 21 * Abintus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,

22 Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia,

23 Omnia hæc mala abintus procedunt, & communicant hominem.

*Matth. 15.c.21. 24 * Et inde surgens abiit in fines Tyri & Sidonis: & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.

25 Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, & procidit ad pedes ejus.

26 Erat enim mulier Gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus.

27 Qui dixit illi: Sine priùs saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

28 At illa respondit, & dixit illi: Utique Domine, nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. D

29 Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua.

30 Et cùm abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, & dæmonium exiisse.

31 Et iterùm exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad Mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

*Matth. d.9.32. 32 * Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.

33 Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: & expuens, tetigit linguam ejus.

34 Et suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Ephpheta, quod est adaperire.

35 Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.

36 Et præcepit illis ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabāt:

37 Et eò ampliùs admirabantur, dicentes: Benè omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.

CAPUT VIII.

Septem panibus pauciſque piſciculis ſatiat quattuor hominum millia: diſcipulos à fermento Phariſæorum cavere jubet: cæcum ſenſim curat: interrogatis Apoſtolis quem Jeſum eſſe dicerent, Petrus confitetur ipſum eſſe Chriſtum: & paulò pòſt ſatanas ab eo dicitur, quòd increparet illum dum ſuam prædiceret paſſionem: de tollenda cruce, & quòd anima nihil debet eſſe charius.

1 IN diebus illis iterùm cùm turba multa esset, nec haberent, quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis. A *Mar. 15. d.32.

2 Misereor super turbam: quiā ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent:

3 Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt.

4 Et respondерunt ei discipuli sui: Unde illos quis poterit hîc saturare panibus in solitudine?

5 Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem.

6 Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis ut apponerent, & apposuerunt turbæ.

7 Et habebant pisciculos paucos: & ipsos benedixit, & & jussit apponi.

8 Et

8 Et manducaverunt, & saturati sunt, & sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas.

9 Erant autem qui manducaverant, quasi quattuor millia: & dimisit eos.

10 Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.

B 11 * Et exierunt Pharisæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cælo, tentantes eum. *Matth. 16.a.1. Luc.11. g.54.

12 Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.

13 Et dimittens eos, ascendit iterùm navim, & abiit trans fretum.

*Matth. 16.a.5. 14 * Et obliti sunt panes sumere: & nisi unum panem non habebant secum in navi.

15 Et præcipiebat eis, dicens: Videte, & cavete à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis.

16 Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus.

17 Quo cognito, ait illis Jesus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum?

18 Oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis? * Nec recordamini,

*Sup.6. f.41. Ioan.6. b.11. 19 Quando quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim.

C 20 Quando & septem panes in quattuor millia: quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem.

21 Et dicebat eis: Quomodò nondū intelligitis?

22 Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret.

23 Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos ejus impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret.

24 Et aspiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes.

25 Deinde iterùm imposuit manus super oculos ejus: & cœpit videre, & restitutus est ita ut clarè videret omnia.

26 Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam: & si in vicum introieris, nemini dixeris.

*Matth. 16.b.13. 27 * Et egressus est Jesus, & discipuli ejus, in castella Cæsareæ Philippi: & in via interrogabat

*Luc.9. b.18. discipulos suos, dicens eis: * Quem me dicunt esse homines?

28 Qui respondерunt illi, dicentes: Joannem Baptistam, alij Eliam, alij verò quasi unum de prophetis.

29 Tunc dicit illis: Vos verò quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei: Tu es Christus.

30 Et cōminatus est eis, ne cui dicerent de illo.

D 31 Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus: & à summis sacerdotibus, & scribis, & occidi, & post tres dies resurgere.

32 Et palàm verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.

33 Qui conversus, & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retrò me satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

34 Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: * Si quis vult me sequi, deneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me. *Matth. 10.d.38. 16.d.24. Luc.9. c.23. 14 f.7.

35 * Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me & Evangelium, salvam faciet eam. *Luc.17. g.33. Ioan.12. d.25.

36 Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, & detrimētum animæ suæ faciat?

37 Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua?

38 * Qui enim me confessus fuerit, & verba mea, in generatione ista adultera & peccatrice: & filius hominis confitebitur eum, cùm venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis. *Matth. 10.c.33. Luc.9. c.26.12. b.9.

39 Et dicebat illis: * Amen dico vobis, quia sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnū Dei veniens in virtute. *Matt. 16.d.28. Luc.9. c.27.

CAPUT IX.

Transfigurato Jeſu junguntur Moyſes & Elias: dicit Eliam, dum venerit, omnia reſtituturum, imò jam veniſſe, nec fuiſſe ſuſceptum: ſurdum ac mutum ſpiritum ejicit, qui ſola oratione & jejunio ejicitur: ſuam paſſionem prædicit: diſputantes diſcipulos docet quis eorum ſit major: de ejiciente dæmonium qui non ſequebatur Jeſum: de amputando manus, pedis, vel oculi ſcandalo.

1 ET post dies sex assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem: & ducit illos in montem excelsum seorsum solos, & transfiguratus est coram ipsis. A *Matth. 17.a.1. Luc.9. d.28.

2 Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.

3 Et apparuit illis Elias cum Moyse: & erant loquentes cum Jesu.

4 Et respondens Petrus, ait Jesu: Rabbi, bonum est nos hîc esse: & faciamus tria tabernacula, Tibi unum, & Moysi unum, & Eliæ unum.

5 Non enim sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti.

6 Et facta est nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic est filius meus charissimus: audite illum.

7 Et statim circumspicientes, neminem ampliùs viderunt, nisi Jesum tantùm secum. B

8 * Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent, narrarent: nisi cùm Filius hominis à mortuis resurrexerit. *Matth. 17.c.9.

9 Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset: Cùm à mortuis resurrexerit.

10 Et interrogabant eum, dicentes: * quid ergo dicunt Pharisæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primùm? *Mal.4. b.5.

11 Qui respondens, ait illis: Elias, cùm venerit primò, restituet omnia: & quomodo * scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur. *Isa.53. a.3.b.4.

12 Sed dico vobis quia & * Elias venit (& fecerunt illi quæcumque voluerunt) sicut scriptum est de eo. C *Matt. 17.b.12.

13 Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.

14 Et confestim omnis populus videns Jesum, stupefactus

Universidad de Deusto
Biblioteca

stupefactus est, & expaverunt, & accurrentes salutabant eum.

15 Et interrogavit eos : quid inter vos conquiritis ?

*Luc.9. c.38. 16 * Et respondens unus de turba, dixit : Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum :

17 Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit : & dixi discipulis tuis ut ejicerent illum, & non potuerunt.

18 Qui respondens eis, dixit : O generatio incredula, quamdiu apud vos ero ? quamdiu vos patiar ? afferte illum ad me.

19 Et attulerunt eum. Et cùm vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum : & elisus in terram, volutabatur spumans.

20 Et interrogavit patrem ejus : Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit ? At ille ait: Ab infantia.

D 21 Et frequenter eum in ignem, & in aquas misit, ut eum perderet. sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri.

22 Jesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

23 Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat : Credo, Domine : adjuva incredulitatem meam.

24 Et cùm videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introëas in eum.

25 Et exclamans, & multùm discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent : Quia mortuus est.

26 Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit.

27 Et cùm introisset in domum, discipuli ejus secretò interrogabant eum : Quare nos non potuimus ejicere eum ?

28 Et dixit illis : Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio.

29 Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam : nec volebat quemquam scire.

E 30 * Docebat autem discipulos suos, & dice- *Matth. 17.c.21. Luc.9. b.22. f.44. bat illis : Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget.

31 At illi ignorabant verbum : & timebant interrogare eum.

32 Et venerunt Capharnaum. Qui cùm domi essent, interrogabat eos : Quid in via tractabatis ?

*Matth. 18.a.1. Luc.9. f.46. 33 At illi tacebant, siquidem in via inter se disputaverant, *quis eorum major esset.

34 Et residens vocavit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, & omnium minister.

35 Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum : quem cùm complexus esset, ait illis :

F 36 Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recepit : & quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me.

*Luc.9. f.49. 37 * Respondit illi Joannes, dicens : Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum.

38 Jesus autem ait : Nolite prohibere eum. *nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me. *1.Cor. 12.d.3.

39 Qui enim non est adversum vos, pro vobis est.

40 * Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis : Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Matt. 10.d.42.

41 * Et quisquis scandalizaverit unum ex his * Matth. pusillis credentibus in me : bonum est ei magis si 18.a.6. circumdaretur mola asinaria collo ejus, & in mare Luc.17. a.2. mitteretur.

42 * Et si scandalizaverit te manus tua, abscide G illam : bonum est tibi debilem introïre in vitam, *Matt. quàm duas manus habentem ire in gehennam, in 5.c.30. ignem inextinguibilem: 10.a.8.

43 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

44 Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: bonum est tibi claudum introïre in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis :

45 * Ubi vermis eorum non moritur, & ignis *Isa.66. non extinguitur. 5.24.

46 Quòd si oculus tuus scandalizat te, ejice eum : bonum est tibi luscum introïre in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis :

47 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

48 * Omnis enim igne salietur, & omnis victi- *Levit.2. ma sale salietur. d.13.

49 * Bonum est sal : quòd si sal insulsum fuerit: *Matt. in quo illud condietis ? Habete in vobis sal, & pa- 5.b.13. cem habete inter vos. Luc.14. g.34.

Caput X.

Nullo modo dimittendam uxorem astruit aliam ducendo: parvulos complexus, benedicit eis : dives qui præcepta à juventute observarat, non amplectitur Christi consilium de omnibus dividendis : quid referent præmij qui omnia relinquunt: rursum suam prædicit passionem : occasione ambitionis filiorum Zebedæi docet discipulos quòd non ostensione dominij, sed officio ministerij debeant esse majores: Bartimæum cæcum sanat.

1 ET inde exurgens venit in fines Judææ ultra A Jordanem : & conveniunt iterùm turbæ ad Matth. eum : & sicut consueverat, iterùm docebat illos. 19.a.1.

2 Et accedentes Pharisæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere : tentantes eum.

3 At ille respondens, dixit eis : Quid vobis præcepit Moyses ?

4 Qui dixerunt : * Moyses permisit libellum *Deut. repudij scribere, & dimittere. 24.a.1.

5 Quibus respondens Jesus, ait : Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.

6 Ab initio autem creaturæ, * masculum & fe- *Gen.1. minam fecit eos Deus. d.27.

7 Propter hoc * relinquet homo patrem suum *Gen.2. & matrem, & adhærebit ad uxorem suam : d.24.

8 Et * erunt duo in carne una. Itaque jam non Matth. sunt duo, sed una caro. 19.a.5. 1. Cor.7. b.10.

9 Quod ergò Deus conjunxit, homo non separet. Ephes. 5.

10 Et in domo iterùm discipuli ejus de eodem g.31. interrogaverunt eum. *1.Cor. 6.d.16.

11 Et

B 11 Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.

12 Et si uxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur.

13 Et offerebant illi parvulos ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus.

14 Quos cùm videret Jesus, indignè tulit, & ait illis : Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos : talium enim est regnum Dei.

15 Amen dico vobis : Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

16 Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.

17 Et cùm egressus esset in viam, procurrens *Matth. 19.b.16. quidam genu flexo ante eum, rogabat eum : *Magi- Luc. 8. d.18. ster bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam ?

18 Jesus autem dixit ei : Quid me dicis bonum ? Nemo bonus, nisi unus Deus.

C 19 * Præcepta nosti : Ne adulteres, Ne occi- *Exod. 20. c.13. das, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne faudem feceris, Honora patrem tuum & matrem.

20 At ille respondens, ait illi : Magister, hæc omnia observavi à juventute mea.

21 Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei : Unum tibi deest : vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo : & veni, sequere me.

22 Qui contristatus in verbo, abiit mœrens : erat enim habens multas possessiones.

23 Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis : Quam difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt !

24 Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens ait illis : Filioli, quàm difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire ?

D 25 Facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.

26 Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos : Et quis potest salvus fieri ?

27 Et intuens illos Jesus, ait : Apud homines impossibile est, sed non apud Deum : omnia enim possibilia sunt apud Deum.

*Matth. 19.d.27. Luc.18. c.28. 28 * Et cœpit ei Petrus dicere : Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.

29 Respondens Jesus, ait : Amen dico vobis : Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter evangelium,

30 Qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.

*Matth. 19.d.30. 31 *Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi.

E 32 Erant autem in via ascendentes Jerosolymam : & præcedebat illos Jesus, & stupebant : & *Luc.18. f.31. sequentes timebant. * Et assumens iterùm duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei eventura.

33 Quia ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & senioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus :

34 Et illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum : & tertia die resurget.

35 * Et accedunt ad eum Jacobus & Joannes *Matth. filij Zebedæi, dicentes : Magister, volumus, ut 20.c.20. quodcumque petierimus, facias nobis.

36 At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis?

37 Et dixerunt : Da nobis, ut unus ad dexte- F ram tuam, & alius ad sinistram tuam, sedeamus in gloria tua.

38 Jesus autem ait eis : Nescitis quid petatis : potestis bibere calicem, quem ego bibo ; aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari ?

39 At illi dixerunt ei : Possumus. Jesus autem ait eis : Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis ; & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini :

40 Sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est.

41 Et audientes decem, cœperunt indignari de Jacobo & Joanne.

42 Jesus autem vocans eos, ait illis : * Scitis *Luc. quia hi, qui videntur principari gentibus, domi- 22.c.25. nantur eis: & principes eorum potestatem habent ipsorum.

43 Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister :

44 Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus.

45 Nam & Filius hominis non venit ut minis- G traretur ei, sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.

46 * Et veniunt Jericho, & proficiscente eo de *Matth. Jericho, & discipulis ejus, & plurima multitudi- 20.d.29. Luc.18. ne, filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat juxta f.35. viam mendicans.

47 Qui cùm audisset quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare, & dicere : Jesu fili David, miserere mei.

48 Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multò magis clamabat : Fili David miserere mei.

49 Et stans Jesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei : Animæquior esto : surge, vocat te.

50 Qui projecto vestimento suo exiliens, venit ad eum.

51 Et respondens Jesus dixit illi : Quid tibi vis faciam ? Cæcus autem dixit ei: Raboni, ut videam.

52 Jesus autem ait illi : Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum in via.

Caput XI.

Super pullum asinæ cum honore Jerusalem ingreditur: ficum maledicendo arefacit : ementes ac vendentes de templo ejicit: efficaciam fiducia in Deum ostendit, dicens fratri remittenda quæ in nos commisit : Scribis non dicit qua potestate hæc faciat, eò quòd nec illi responderent ad propositam de Ioannis baptismo quæstionem.

1 ET cùm appropinquarent Jerosolymæ & Be- A thaniæ ad montem olivarum, mittit duos ex Matth. discipulis suis, 21.a.1. Luc.19. c.29.

2 Et ait illis : Ite in castellum, quod contra vos est, & statim introëuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit : solvite illum, & adducite.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Et si quis vobis dixerit : Quid facitis ? dicite, quia Domino necessarius est : & continuò illum dimittet huc.

4 Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio : & solvunt eum.

5 Et quidam de illic stantibus dicebant illis : Quid facitis solventes pullum ?

6 Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus, & dimiserunt eis.

*Ioan. 12.b.14. 7 *Et duxerunt pullum ad Jesum : & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum.

8 Multi autem vestimenta sua straverunt in via : alij autem frondes cædebant de arboribus,& sternebant in via.

9 Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant, dicentes : *Hosanna :

*Psl.117. d.26. Matth. 21.a.9. Luc.19. f.38. 10 Benedictus qui venit in nomine Domini : Benedictum quod venit regnum patris nostri David : Hosanna in excelsis.

B 11 * Et introivit Jerosolymam in templum : & circumspectis omnibus,cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.

* Matth. 21. b.10. 12 Et alia die cùm exirent à Bethania,esuriit.

* Matth. 21. b.19. 13 * Cúmque vidisset à longè ficum habentem folia, venit si quid fortè inveniret in ea, & cùm venisset ad eam, nihil invenit præter folia : non enim erat tempus ficorum.

14 Et respondens dixit ei : Jam non ampliùs in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli ejus.

15 Et veniunt Jerosolymam. Et cùm introisset in templum, cœpit ejicere vendentes & ementes in templo : & mensas numulariorum,& cathedras vendentium columbas evertit.

16 Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum :

C 17 Et docebat,dicens eis : Nónne scriptum est: *Isa. 56. 6.7. Jer.7. b.11. * Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus ? Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

18 Quo audito, principes sacerdotum & Scribæ quærebant quomodo eum perderent:timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus.

19 Et cùm vespera facta esset, egrediebatur de civitate.

20 Et cùm manè transirent,viderunt ficum aridam factam à radicibus.

21 Et recordatus Petrus, dixit ei : Rabbi,ecce ficus, cui maledixisti, aruit.

*Matth. 21.b.21. 22 Et respondens Jesus ait illis : *Habete fidem Dei.

23 Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : Tollere, & mittere in mare ; & non hæsitaverit in corde suo,sed crediderit quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.

*Matth. 7.a.7.21. b.22. 24 *Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis,& evenient vobis.

D 25 *Et cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem : ut & Pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra.

*Matth. 6.b.14. 18.d.35. Luc.11. b.9. 26 Quòd si vos non dimiseritis:nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra.

27 Et veniunt rursus Jerosolymam. Et cùm ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, & Scribæ, & seniores :

*Luc. 20.a.2. 28 Et dicunt ei : * In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias ?

29 Jesus autem respondens, ait illis : Interrogabo vos & ego unum verbum, & respondete mihi: & dicam vobis in qua potestate hæc faciam.

30 Baptismus Joannis,de cælo erat,an ex hominibus ? Respondete mihi.

31 At illi cogitabant secum,dicentes:Si dixerimus,de cælo,dicet : Quare ergo non credidistis ei?

32 Si dixerimus, Ex hominibus, timemus populum. omnes enim habebant Joannem quia verè propheta esset.

33 Et respondentes dicunt Jesu : Nescimus. Et respondens Jesus ait illis : Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.

Caput XII.

Parabolam narrat de vinea agricolis elocata, qui servos ac filium patrisfamilias occiderunt : tentatur à Pharisæis de censu Cæsari solvendo, & à Sadducæis de resurrectione : interrogatur à Scriba de primo mandato : ipse verò rogat quo modo Scribæ dicant Christum filium esse David, docens ab ipsis cavendum : viduam laudat ob duo minuta in gazophylacium missa.

A 1 Et cœpit illis in parabolis loqui : Vineam pastinavit homo,& circumdedit sepem, & fodit lacum,& ædificavit turrim,& locavit eam agricolis, & peregrè profectus est.

*Isai.5. a.1. Ier.2. d.21. Matt.21. d.33. Luc.20. b.9. 2 Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.

3 Qui apprehensum eum eciderunt,& dimiserunt vacuum.

4 Et iterùm misit ad illos alium servum : & illum in capite vulneraverunt, & contumeliis affecerunt.

5 Et rursum alium misit, & illum occiderunt : & plures alios : quosdam cædentes, alios verò occidentes.

6 Adhuc ergo unum habens filium charissimum : & illum misit ad eos novissimum, dicens : Quia reverebuntur filium meum.

7 Coloni autem dixerunt ad invicem : Hic est heres : venite, occidamus eum : & nostra erit hereditas.

8 Et apprehendentes eum, occiderunt : & ejecerunt extra vineam.

9 Quid ergo faciet Dominus vineæ ? Veniet,& perdet colonos : & dabit vineam aliis.

*Psl.117. c.22. Isa.28. Matth. 21.d.42. Act.4. b.11. Rom. 9. g.33. 1. Pet.2. b.7. *Matth. 22.b.15. Luc. 20. d.20. 10 Nec scripturam hanc legistis : * Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli :

B 11 A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris ?

12 Et quærebant eum tenere : & timuerunt turbam. cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt.

13 * Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis, ut eum caperent in verbo.

14 Qui venientes dicunt ei : Magister, scimus quia verax es, & non curas quemquam : nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. licet dari tributum Cæsari, an non dabimus ?

15 Qui sciens versutiam illorum, ait illis : Quid me

me tentatis ? afferte mihi denarium ut videam.

16 At illi attulerunt ei. Et ait illis : Cujus est imago hæc, & inscriptio ? Dicunt ei : Cæsaris.

*Rom. 13.b.7. 17 Respondens autem Jesus dixit illis : * Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari : & quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.

*Matth. 22.c.23. Luc.20. e.27. 18 * Et venerunt ad eum Sadducæi,qui dicunt resurrectionem non esse : & interrogabant eum dicentes :

*Deut. 25.a.5. 19 Magister,Moyses nobis scripsit,*ut si cujus frater mortuus fuerit, & dimiserit uxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo.

20 Septem ergo fratres erant : & primus accepit uxorem, & mortuus est non relicto semine.

21 Et secundus accepit eam, & mortuus est:& nec iste reliquit semen : Et tertius similiter.

22 Et acceperunt eam similiter septem:& non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est & mulier.

23 In resurrectione ergo cùm resurrexerint, cujus de his erit uxor ? septem enim habuerunt eam uxorem.

24 Et respondens Jesus, ait illis : Nónne ideò erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei ?

25 Cùm enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in cælis.

C 26 De mortuis autem quòd resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens : * Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob ?

*Exod. 3.b.5. Matth. 22.d.32. 27 Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis.

*Matth. 22.d.35. 28 * Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam benè illis respondisset, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum.

29 Jesus autem respondit ei : Quia primum

*Deut.6. a.4. omnium mandatum est : * Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est :

30 Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua ; & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum.

*Lev. 19.d.18. Matth. 22.d.39. Rom. 13. c.9. Galat.5. c.14. Iac 2. b.8. 31 * Secundum autem simile est illi : Diliges proximum tuum tamquam teipsum.Majus horum aliud mandatum non est.

32 Et ait illi Scriba : Benè Magister, in veritate dixisti,quia unus est Deus,& non est alius præter eum.

33 Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine : & diligere proximum tamquam seipsum,majus est omnibus holocautomatibus, & sacrificiis.

34 Jesus autem videns quòd sapienter respondisset,dixit illi : Non es longè à regno Dei.Et nemo jam audebat eum interrogare.

35 Et respondens Jesus dicebat,docens in templo : Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David ?

D 36 Ipse enim David dicit in Spiritu sancto : *Psl.109. a.1. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

*Matt. 22.d.44. Luc.20. g.42. 37 Ipse ergo David dicit eum Dominũ,& unde est filius ejus?Et multa turba eum libenter audivit.

38 Et dicebat eis in doctrina sua : * Cavete à Scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro,

*Matt. 23.a.5. Luc.11. f.43.20. g.46. 39 Et in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in cœnis :

40 Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis:hi accipient prolixius judicium.

*Luc. 21.a.1. 41 * Et sedens Jesus contra gazophylacium,aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, & multi divites jactabant multa.

42 Cùm venisset autem vidua una pauper,misit duo minuta, quod est quadrans.

43 Et convocans discipulos suos,ait illis : Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit,qui miserunt in gazophylacium.

44 Omnes enim ex eo,quod abundabat illis,miserunt : hæc verò de penuria sua omnia quæ habuit,misit totum victum suum.

Caput XIII.

Templum dicit evertendum,prædicitque bella & varias afflictiones ac persecutiones,abominationémque desolationis : de pseudochristis & pseudoprophetis : postquam signa in corporibus cælestibus venient, cum gloria filius hominis, & hujus signum dat a ficu : quia autem nemo tempus novit, jubet omnes vigilare.

A 1 Et cùm egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis : Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ.

*Matth. 24.a.1. 2 Et respondens Jesus, ait illi : Vides has omnes magnas ædificationes ? * Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

*Luc. 19.g.44. 21.b.6. 3 Et cùm sederet in Monte olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus,& Jacobus, & Joannes, & Andreas :

4 Dic nobis,quando ista fient ? & quod signum erit,quando hæc omnia incipient consummari ?

*Ephes. 5.b.6. 2.Thes. 2.a.3. 5 Et respondens Jesus cœpit dicere illis : * Videte ne quis vos seducat :

6 Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum : & multos seducent.

7 Cùm audieritis autem bella, & opiniones bellorum, ne timueritis : oportet enim hæc fieri : sed nondum finis.

B 8 Exurget enim gens contra gentem, & regnum super regnum, & erunt terræ motus per loca, & fames. Initium dolorum hæc.

9 Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in consiliis, & in synagogis vapulabitis, & ante præsides & reges stabitis propter me, in testimonium illis.

10 Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Evangelium.

*Matt. 10.b.19. Luc.12. b.11.21. c.14. 11 * Et cùm duxerint vos tradentes,nolite præcogitare quid loquamini : sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini. non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.

12 Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium : & consurgent filij in parentes, & morte afficient eos.

13 Et eritis odio omnibus propter nomen meũ. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.

14 * Cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

*Dan. 9. g.27. Luc. 19. f.43. & 21. f.20.

14 *Cùm autem videritis abominationem desolationis, ſtantem ubi non debet: qui legit, intelligat: tunc qui in Judæa ſunt, fugiant in montes:
15 Et qui ſuper tectum, ne deſcendat in domum, nec introëat ut tollat quid de domo ſua:
16 Et qui in agro erit, non revertatur retrò tollere veſtimentum ſuum.
17 Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.
18 Orate verò ut hieme non fiant.
C 19 Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, uſque nunc, neque fient.
20 Et niſi breviaſſet Dominus dies, non fuiſſet ſalva omnis caro: ſed propter electos, quos elegit, breviavit dies.
*Matth. 24.b.23. Luc.21. b.8. 21 *Et tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic, ne credideritis.
22 Exurgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos:
23 Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia.
*Iſa. 13. b.10. Ezech. 32.b.7. Ioel.2. b.10. 24 *Sed in illis diebus, poſt tribulationem illam, ſol contenebrabitur, & luna non dabit ſplendorem ſuum:
25 Et ſtellæ cæli erunt decidentes, & virtutes, quæ in cælis ſunt, movebuntur.
26 Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria.
D 27 *Et tunc mittet angelos ſuos, & congregabit electos ſuos à quattuor ventis, à ſummo terræ, uſque ad ſummum cæli.
*Matth. 24.c.31. 28 A ficu autem diſcite parabolam. Cùm jam ramus ejus tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoſcitis quia in proximo ſit æſtas:
29 Sic & vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quòd in proximo ſit in oſtiis.
30 Amen dico vobis, quoniam non tranſibit generatio hæc, donec omnia iſta fiant.
31 Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.
32 De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater.
*Matt. 24.d.42. 33 *Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim quando tempus ſit.
34 Sicut homo, qui peregrè profectus reliquit domum ſuam, & dedit ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis, & janitori præcepit ut vigilet.
35 Vigilate ergo, (neſcitis enim quando dominus domus veniat, ſerò, an media nocte, an galli cantu, an manè.)
36 Ne cũ venerit repẽtè, inveniat vos dormiẽtes.
37 Quod autẽ vobis dico: omnibus dico: Vigilate.

CAPUT XIV.

Conſultant principes ſacerdotum de occidendo Jeſu; qui unguento pretioſo à muliere perfunditur murmurantibus diſcipulis: venditur à Iuda; de cujus proditione diſcipulis loquitur in cœna, in qua panem in corpus ſuum & vinum in ſanguinem conſecrata tradit diſcipulis: prædicit omnes ſcandalizandos, & trinam Petri negationem: ac poſt trinam orationem capitur à Judæis; quorum unus Petrus abſcidit auriculam: & diſcipulis fugientibus, coram Caipha à falſis teſtibus accuſatus, morteſque reus judicatus, conſpuitur ac cæditur, & ter à Petro negatur.

A Matth. 26.a.2. 1 ERat autem Paſcha & Azyma poſt biduum & quærebant ſummi ſacerdotes, & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. Luc.22. a.1.
2 Dicebant autem: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo.
3 *Et cùm eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi, & recumberet: venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput ejus. *Matt. 26.a.6. Ioan.12. a.1.
4 Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos, & dicentes: Ut quid perditio iſta unguenti facta eſt?
5 Poterat enim unguentum iſtud vænumdari plus quàm trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam.
6 Jeſus autem dixit: Sinite eam, quid illi moleſti eſtis? Bonum opus operata eſt in me.
7 Semper enim pauperes habetis vobiſcum; & cùm volueritis, poteſtis illis benefacere: me autem non ſemper habetis.
8 Quod habuit hæc, fecit: prævenit ungere corpus meum in ſepulturam.
9 Amen dico vobis: Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium iſtud in univerſo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.
B 10 *Et Judas Iſcariotes unus de duodecim, abiit ad ſummos ſacerdotes, ut proderet eum illis. *Matth. 26.b.14.
11 Qui audientes gaviſi ſunt: & promiſerunt ei pecuniam ſe daturos. Et quærebat quomodo illum opportunè traderet.
12 *Et primo die Azymorum quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi ut manduces Paſcha? *Matt. 26.b.17. Luc.22. a.7.
13 Et mittit duos ex diſcipulis ſuis, & dicit eis: Ite in civitatem: & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, ſequimini eum:
14 Et quocumque introierit, dicite domino domus, quia magiſter dicit: ubi eſt refectio mea, ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem?
15 Et ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum grande, ſtratum: & illic parate nobis.
16 Et abierunt diſcipuli ejus, & venerunt in civitatem: & invenerunt ſicut dixerat illis, & paraverunt Paſcha.
17 *Veſpere autem facto, venit cum duodecim. *Matt.
18 Et diſcumbentibus eis, & manducantibus, ait Jeſus: Amen dico vobis, *quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. 26.b.20. Luc.22. b.14. *Ioan. 13.c.21.
19 At illi cœperunt contriſtari, & dicere ei ſingulatim: Numquid ego?
20 Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.
C 21 Et filius quidem hominis vadit, *ſicut ſcriptum eſt de eo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. bonum erat ei, ſi non eſſet natus homo ille. *Pſ.40. b.10. Act.1. c.16.
22 *Et manducantibus illis, accepit Jeſus panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc eſt corpus meum. *Matt. 26.c.26. 1.Cor.11. c.24.
23 Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes.
24 Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur.
25 Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam novum in regno Dei.

26 Et

26 Et hymno dicto exierunt in Montem olivarum.
*Ioan. 16.d.32. *Zach. 13.c.7. 27 Et ait eis Jeſus: *Omnes ſcandalizabimini in me in nocte iſta: quia ſcriptum eſt: *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves.
28 Sed poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.
29 Petrus autem ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ſed non ego.
30 Et ait illi Jeſus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.
D 31 At ille ampliùs loquebatur: Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.
*Matt. 26.d.36. *Luc. 22.c.40. 32 *Et veniunt in prædium, cui nomen Gethſemani. Et ait diſcipulis ſuis: *Sedete hîc donec orem.
33 Et aſſumit Petrum, & Jacobum, & Joannem ſecum: & cœpit pavere, & tædere.
34 Et ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: ſuſtinete hîc, & vigilate.
35 Et cùm proceſſiſſet paululùm, procidit ſuper terram: & orabat, ut ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora.
36 Et dixit: Abba pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem hunc à me, ſed non quod ego volo, ſed quod tu.
37 Et venit, & invenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon dormis? non potuiſti una hora vigilare?
38 Vigilate, & orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma.
39 Et iterùm abiens oravit, eumdem ſermonem dicens.
E 40 Et reverſus, denuò invenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum gravati) & ignorabant quid reſponderent ei.
41 Et venit tertiò, & ait illis: Dormite jam, & requieſcite. Sufficit: venit hora: ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.
42 Surgite, eamus. ecce qui me tradet, propè eſt.
*Matt. 26.c.47. Luc.22. c.47. Ioan.18. a.3. 43 Et, adhuc eo loquente, venit Judas Iſcariotes unus de duodecim, & *cum eo turba multa, cum gladiis & lignis, à ſummis ſacerdotibus, & Scribis, & ſenioribus.
44 Dederat autem traditor ejus ſignum eis, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè.
45 Et cùm veniſſet, ſtatim accedens ad eum, ait: Ave Rabbi: & oſculatus eſt eum.
46 At illi manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum.
47 Unus autem quidam de circumſtantibus educens gladium, percuſſit ſervum ſummi ſacerdotis: & amputavit illi auriculam.
48 Et reſpondens Jeſus, ait illis: Tamquam ad latronem exiſtis cum gladiis & lignis comprehendere me?
49 Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuiſtis. Sed ut impleantur Scripturæ.
*Matth. 26.f.56. 50 *Tunc diſcipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt.
51 Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo: & tenuerunt eum.
52 At ille rejecta ſindone, nudus profugit ab eis.
F 53 *Et adduxerunt Jeſum ad ſummum Sacerdotem: & convenerunt omnes ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores. *Matth. 26.f.57. Luc. 22. f.54.
54 Petrus autem à longè ſecutus eſt eum, uſque intrò in atrium ſummi ſacerdotis: & ſedebat cum miniſtris ad ignem, & calefaciebat ſe. Ioan. 18. c.13.
55 *Summi verò ſacerdotes, & omne concilium, quærebant adverſus Jeſum teſtimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. *Matth. 26.f.59.
56 Multi enim teſtimonium falſum dicebant adverſus eum: & convenientia teſtimonia non erant.
57 Et quidam ſurgentes, falſum teſtimonium ferebant adverſus eum, dicentes:
58 Quoniam nos audivimus eum dicentem: *Ego diſſolvam templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo. *Ioan. 2.c.19.
59 Et non erat conveniens teſtimonium illiorũ.
60 Et exurgens ſummus ſacerdos in medium, interrogavit Jeſum, dicens: Non reſpondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his?
61 Ille autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſum ſummus ſacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti?
62 Jeſus autem dixit illi: Ego ſum: *& videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli. G *Matth. 24.c.30. 26.f.64.
63 Summus autem ſacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait: Quid adhuc deſideramus teſtes?
64 Audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum eſſe reum mortis.
65 Et cœperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza: & miniſtri alapis eũ cædebant.
66 *Et cùm eſſet Petrus in atrio deorſum, venit una ex ancillis ſummi ſacerdotis: *Matt. 26.f.69. Luc.22. f.56. Ioan. 18. c.17.
67 Et cùm vidiſſet Petrum calefacientem ſe, aſpiciens illum, ait: Et tu cum Jeſu Nazareno eras.
68 At ille negavit, dicens: Neque ſcio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantavit.
69 *Rurſus autem cùm vidiſſet illum ancilla, cœpit dicere circumſtantibus: Quia hic ex illis eſt. *Matt. 26.f.71.
70 At ille iterùm negavit. *Et poſt puſillum rurſus qui aſtabant, dicebant Petro: Verè ex illis es: nam & Galilæus es. *Luc. 22.f.59. Ioan. 18. c.25.
71 Ille autem cœpit anathematizare, & jurare: Quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis.
72 Et ſtatim gallus iterùm cãtavit. *Et recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Jeſus: Priùs quàm gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere. *Matt. 26.f.75. Ioan. 13. d.38.

CAPUT XV.

Jeſus coram Pilato accuſatus, nihil reſpondet: præeligitur Barrabbas, & Jeſus traditur crucifigendus; qui multis modis illuſus à militibus, ducitur ad crucifigendum: & diviſis ipſius veſtimentis, inter latrones crucifixus, audit variorum jactatas in ſe blaſphemias: ſuborituntur tenebræ: & clamans Jeſus Eli acetoque potatus, cum clamore valido expirat; cujus corpus à Joſeph ſepelitur.

A Mat. 27.a.1. 1 ET confeſtim manè conſilium facientes ſummi ſacerdotes, cum ſenioribus, & Scribis, & univerſo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc.22. g.66. Ioan.18. c.28. universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato.

2 Et interrogavit eum Pilatus : Tu es Rex Judæorum ? At ille respondens, ait illi : Tu dicis.

**Matt. 27.b.12. Luc.23. a.2.* 3 * Et accusabant eum summi sacerdotes in multis.

**Ioan. 18.f.33.* 4 *Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens : Non respondes quidquam ? vide in quantis te accusant.

5 Jesus autem ampliùs nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus.

6 Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent.

7 Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium.

8 Et cùm ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis.

9 Pilatus autem respondit eis, & dixit : Vultis dimittam vobis regem Judæorum ?

10 Sciebat enim quòd per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.

B 11 Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis.

**Matt. 27.c.22. Luc.23. b.14. *Ioan. 18.g.40.* 12 *Pilatus autem iterùm respondens, ait illis : Quid ergo vultis faciam regi Judæorum ?

13 *At illi iterùm clamaverunt : Crucifige eum.

14 Pilatus verò dicebat illis : Quid enim mali fecit ? At illi magis clamabant : Crucifige eum.

15 Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur.

**Matth. 27.c.27. Ioan. 19. a.2.* 16 * Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij, & convocant totam cohortem,

17 Et induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam.

18 Et cœperunt salutare eum : Ave rex Judæorum.

19 Et percutiebant caput ejus arundine : & cõspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum.

20 Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis : & educunt illum ut crucifigerent eum.

** Matth. 27.d.32. Luc.23. d.26.* 21 * Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem ejus.

22 Et perducunt illum in Golgotha locum : quod est interpretatum Calvariæ locus.

23 Et dabant ei bibere myrrhatum vinum : & non accepit.

C 24 *Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.

**Matt. 27.d.35. Luc.23. e.34. Ioan. 19. d.23.* 25 Erat autem hora tertia : & crucifixerunt eum.

26 Et erat titulus causæ ejus inscriptus : Rex Judæorum.

27 Et cum eo crucifigunt duos latrones ; unum à dextris, & alium à sinistris ejus.

**Isa. 53. d.12.* 28 * Et impleta est scriptura, quæ dicit : Et cum iniquis reputatus est.

**Ioan. 2. c.19.* 29 Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua : & dicentes : *Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas :

30 Salvum fac temetipsum descendẽs de cruce.

31 Similiter & summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.

32 Christus rex Israël descendat nunc de cruce, ut videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.

33 Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam.

34 Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, D dicens : * Eloi, eloi, lamma sabacthani ? quod est interpretatum : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?

**Ps.21. a.2. Matth. 27.c.46.*

35 Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant : Ecce Eliam vocat.

36 Currens autem unus, & implens spongiam aceto, circumponénsque calamo, potum dabat ei, dicens : Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.

37 Jesus autem emissa voce magna expiravit.

38 Et velum templi scissum est in duo, à summo usque deorsum.

39 Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait : Verè hic homo Filius Dei erat.

40 *Erant autem & mulieres de longè aspi- **Matth. 27.f.55.* cientes : inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris & Joseph mater, & Salome :

41 Et cùm esset in Galilæa, sequebantur eum, **Luc.8. a.2.* & ministrabant ei, & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam.

42 *Et cùm jam serò esset factum (quia erat ** Matt. 27.g.57. Luc.23. g.50. Ioan. 19. g.38.* parasceve, quod est ante sabbatum.)

43 Venit Joseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei, & audacter introïvit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu.

44 Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito Centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset.

45 Et cùm cognovisset à Centurione, donavit corpus Joseph.

46 Joseph autem mercatus sindonem, & deponens eum involvit sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & advolvit lapidem ad ostium monumenti.

47 Maria autem Magdalene, & Maria Joseph, aspiciebant ubi poneretur.

Caput XVI.

Mulieribus ad Christi monumentum obstupescentibus, Angelus resurrectionem ipsius annuntiat, qui primùm Mariæ Magdalene apparet, deinde duobus discipulis in alia effigie : demum undecim recumbentibus apparens, exprobrata incredulitate, mittit eos ut in universo mundo prædicent ac baptizent, subjunctis signis quæ sequantur credentes, ac ita in cælum ascendit.

1 ET cùm transisset sabbatum, Maria Magdale- A *Matth. 28.a.1. Luc.24. a.1. Ioan. 20. a.1.* ne, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum.

2 Et valdè manè una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.

3 Et dicebant ad invicem : quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ?

4 Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valdè.

** Matt. 28.a.5. Luc.24. a.1. Ioan. 20. c.12.* 5 *Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt.

6 Qui

B 6 Qui dicit illis : Nolite expavescere : Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum : surrexit, non est hîc, ecce locus ubi posuerunt eum.

7 Sed ite, dicite discipulis ejus, & Petro, quia **Sup.14. c.28.* præcedit vos in Galilæam : ibi eum videbitis,* sicut dixit vobis.

8 At illæ exeuntes, fugerunt de monumento : invaserat enim eas tremor & pavor : & nemini quidquam dixerunt : timebant enim.

** Ioan. 20.d.16.* 9 Surgens autem manè, * prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia.

10 Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus.

11 Et illi audientes quia viveret, & visus esset ab ea, non crediderunt.

C 12 *Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ** Luc. 24.b.13.* ostensus est in alia effigie, euntibus in villam.

13 Et illi euntes nuntiaverunt ceteris : nec illis crediderunt.

14 Novissimè recumbentibus illis undecim apparuit : & exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis ; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

15 Et dixit eis : Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.

16 Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit : qui verò non crediderit, condemnabitur.

17 Signa autem eos, qui crediderint, hæc se- D quentur : * In nomine meo dæmonia ejicient : ** Act. 16.d.18.* * linguis loquentur novis :

18 * Serpentes tollent : & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit : * super ægros manus imponent, & benè habebunt.

** Act.2. a.4.10. g.46. * Act. 28.b.5. * Act. 28.b.8. * Luc. 24.g.51.*

19 Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, * assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.

20 Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

Caput Primum.

Zachariæ sacerdoti annuntiat Gabriel Ioannis conceptum ex Elizabeth sterili ; qui Angelo non credens, mutus efficitur : idémque Gabriel Mariæ annuntiat conceptum Jesu filij Dei de Spiritu sancto : ad Mariæ salutationem Ioannes exultat in utero, & Elizabeth prophetat, ipsáque Maria canticum gratiarum actionis Domino decantat : in nati Ioannis circumcisione, Zacharias pater, recepta loquela, canticum gratiarum actionis edit.

A 1 QUONIAM quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum :

2 Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis :

3 Visum est & mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile,

4 Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

5 Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacer- **1.Par. 24.a.10.* dos quidam nomine Zacharias, * de vice Abia ; & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elizabeth.

6 Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.

7 Et non erat illis filius, eò quòd esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.

8 Factum est autem, cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum,

9 Secundùm consuetudinem sacerdotij, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini :

10 Et * omnis multitudo populi erat orans foris **Exod. 30.a.7. Levit.16. d.17.* hora incensi.

11 Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi.

12 Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.

13 Ait autem ad illum Angelus : Ne timeas Za- B charia, quoniam exaudita est deprecatio tua : & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem :

14 Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt :

15 Erit enim magnus coram Domino : & vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ :

16 Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum :

17 Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ : * ut convertat corda patrum in filios, ** Mal.4. b.6. Matt.11. b.14.* & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.

18 Et dixit Zacharias ad Angelum : Unde hoc sciam ? ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis.

19 Et respondens Angelus dixit ei : Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum : & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.

20 Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, usque in diem quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

21 Et erat plebs expectans Zachariam : & mirabantur quòd tardaret ipse in templo.

C 22 Egressus autem non poterat loqui ad illos,& cognoverunt quòd visionem vidisset in templo.Et ipse erat innuens illis , & permansit mutus.

23 Et factum est,ut impleti sunt dies officij ejus, abiit in domum suam :

24 Post hos autem dies concepit Elizabeth uxor ejus,& occultabat se mensibus quinque,dicens :

25 Quia sic fecit mihi Dominus in diebus,quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

26 In mense autem sexto , missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ , cui nomen Nazareth ,

27 Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph , de domo David , & nomen virginis Maria.

28 Et ingressus Angelus ad eam dixit : Ave gratia plena : Dominus tecum : Benedicta tu in mulieribus.

29 Quæ cùm audisset , turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio.

30 Et ait Angelus ei : Ne timeas Maria , invenisti enim gratiam apud Deum :

*Isai.7. c.14. *Inf.2. c.21. 31 * Ecce concipies in utero, & paries filium, &*vocabis nomen ejus JESUM.

D 32 Hic erit magnus,& Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus : *& regnabit in domo Jacob in æternum,

*Dan.7. d.14. g.27. Mich. 4. b.7. 33 Et regni ejus non erit finis.

34 Dixit autem Maria ad Angelum:Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?

35 Et respondens Angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te,& virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod nascetur ex te Sanctum , vocabitur Filius Dei.

36 Et ecce Elizabeth cognata tua , & ipsa concepit filium in senectute sua : & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis :

37 Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

38 Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.

39 Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione , in civitatem Juda :

40 Et intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elizabeth.

E 41 Et factum est,ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus : & repleta est Spiritu sancto Elisabeth :

42 Et exclamavit voce magna, & dixit : Benedicta tu inter mulieres,& benedictus fructus ventris tui.

43 Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me ?

44 Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.

45 Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.

46 Et ait Maria :

Magnificat anima mea Dominum :

47 Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

48 Quia respexit humilitatem ancillæ suæ:ecce enim ex hoc beatâ me dicent omnes generationes.

49 Quia fecit mihi magna qui potens est , & sanctum nomen ejus.

50 Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.

51 Fecit potentiam in * brachio suo : * dispersit superbos mente cordis sui. *Isai.51. c.9. *Ps.32. b.10.

52 Deposuit potentes de sede , & exaltavit humiles.

F 53 * Esurientes implevit bonis : & divites dimisit inanes. *1.Reg. 2.a.5.

54 Suscepit Israël puerum suum,recordatus misericordiæ suæ. Ps. 33. c.11.

55 Sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham & semini ejus in sæcula. *Gen. 17.b.9. 22.c.16.

56 Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus : & reversa est in domum suam. Ps.131. c.11.

57 Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Isa.41. b.8.

58 Et audierunt vicini & cognati ejus,quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.

59 Et factum est in die octavo , venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam.

60 Et respondens mater ejus, dixit : Nequaquam, sed vocabitur Joannes.

61 Et dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.

62 Innuebant autem patri ejus,quem vellet vocari eum.

63 Et postulans pugillarem scripsit , * dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. *Sup. b.13.

64 Apertum est autem illicò os ejus , & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.

65 Et factus est timor super omnes vicinos eorum : & super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc :

66 Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes : Quis, putas, puer iste erit ? Etenim manus Domini erat cum illo.

67 Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto : & prophetavit, dicens : G

68 * Benedictus Dominus Deus Israël : quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ: *Ps.71. b.12.

69 * Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui. *Ps.131. d.17.

70 * Sicut locutus est per os sanctorum , qui à sæculo sunt, propherarum ejus : *Ier.23. a.6.30. b.10.

71 Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos :

72 Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris : & memorari testamenti sui sancti.

73 * Jusjurandum , quod juravit ad Abraham patrem nostrum , daturum se nobis : *Gen. 22.c.16. Ier.31. f.33. Heb.6. c.13. d.17.

74 Ut sine timore,de manu inimicorum nostrorum liberati , serviamus illi ;

75 In sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

76 Et tu puer,propheta Altissimi vocaberis:præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus :

77 * Ad

*Mal. 4. b.5. Sup.4. b.17. 77 * Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum :

78 Per viscera misericordiæ Dei nostri : in quibus visitavit nos, * oriens ex alto :

*Zach. 3.d.9. c.6.12. Mal.4. a.2. 79 Illuminare his, qui in tenebris,& in umbra mortis sedent : ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

80 Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu : & erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israël.

CAPUT II.

Ex Augusti decreto Ioseph cum Maria ascendit in Bethlehem ; ubi illa peperit Salvatorem , cujus nativitate ab Angelo audita, pastores festini veniunt illum visuri : puer circumcisus vocatur Iesus ; quem post dies purificationis in Ierusalem delatum ut Domino sisteretur, Simeon senex benedicit , ac de matris in passione doloribus prophetat , Annáque prophetissa vetula Domino confitetur : Iesus duodecim annorum plenus sapientia & gratia, perditus à parentibus,in medio doctorum invenitur ; descenditque Nazareth factus illis subditus.

A 1 FActum est autem in diebus illis,exiit edictum à Cæsare Augusto , ut describeretur universus orbis.

2 Hæc descriptio prima , facta est à præside Syriæ Cyrino :

3 Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem :

4 Ascendit autem & Joseph à Galilæa de civitate Nazareth,in Judæam in civitatem David,quæ

*Mich. 5.a.2. Matt.2. a.6. vocatur * Bethlehem : eò quòd esset de domo & familia David,

5 Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.

6 Factum est autem,cùm essent ibi,impleti sunt dies ut pareret.

7 Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit , & reclinavit eum in præsepio : quia non erat eis locus in diversorio.

8 Et pastores erant in regione eadē vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.

B 9 Et ecce angelus Domini stetit juxta illos , & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. •

10 Et dixit illis Angelus : Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum , quod erit omni populo :

11 Quia natus est vobis hodie Salvator qui est Christus Dominus, in civitate David.

12 Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.

13 Et subitò facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis , laudantium Deum , & dicentium :

14 Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

15 Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cælum : pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem , & videamus hoc verbum , quod factum est , quod Dominus ostendit nobis.

C 16 Et venerunt festinantes:& invenerunt Mariam, & Joseph, & infantem positum in præsepio.

17 Videntes autem cognoverunt de verbo , quod dictum erat illis de puero hoc.

18 Et omnes, qui audierunt,mirati sunt : & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.

19 Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

20 Et reversi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum,in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.

21 * Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer:vocatum est nomen ejus * Jesus , quod vocatum est ab Angelo priùs quàm in utero conciperetur. *Gen. 17.b.12. Levit.12. a.3. *Matt. 1.d.21.

22 Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus * secundùm legem Moysi , tulerunt illum in Jerusalem,ut sisterent eum Domino, Sup.1. d.31. *Luc. 12.c.6.

23 Sicut scriptum est in lege Domini : * Quia omne masculinum adaperiens vulvam , sanctum Domino vocabitur. *Exod. 13.a.2. Num.8. c.16.

24 Et ut darent hostiam secundùm quod dictum est * in lege Domini,par turturum,aut duos pullos columbarum. *Levit. 12.d.8.

25 Et ecce homo erat in Jerusalem,cui nomen Simeon , & homo iste justus , & timoratus, expectans consolationem Israël, & Spiritus sanctus erat in eo. D

26 Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem , nisi priùs videret Christum Domini.

27 Et venit in spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo :

28 Et ipse accepit eum in ulnas suas , & benedixit Deum, & dixit :

29 Nunc dimittis servum tuum Domine , secundùm verbum tuum in pace : E

30 Quia viderunt oculi mei salutare tuum :

31 Quod parasti ante faciem omnium populorū.

32 Lumen ad revelationem gentium,& gloriam plebis tuæ Israël.

33 Et erat pater ejus & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

34 Et benedixit illis Simeon , & dixit ad Mariam matrem ejus : * Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël : & in signum, cui contradicetur : *Is.8. c.14. Rom 9. f.33. 1.Pet.2. b.7.

35 Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

36 Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel , de tribu Aser : hæc processerat in diebus multis , & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua.

37 Et hæc vidua usque ad annos octoginta quattuor : quæ non discedebat de templo,jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die. F

38 Et hæc, ipsa hora superveniens , confitebatur Domino : & loquebatur de illo omnibus , qui expectabant redemptionem Israël.

39 Et ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini , reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth.

40 Puer autem crescebat , & confortabatur, plenus sapientia : & gratia Dei erat in illo.

41 Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem,* in die sollemni Paschæ. *Exod. 23.c.15. 34.c.18. Deut.16. a.1.

42 Et cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundùm consuetudinem diei festi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

43 Consummatísque diebus, cùm redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes ejus.

G 44 Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos.

45 Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum.

46 Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

47 Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis ejus.

48 Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

49 Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?

50 Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.

51 Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.

52 Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.

Caput III.

Ioannes mittitur à Domino impleturus sua prædicatione Isaiæ vaticinium: & turbis, publicanis, ac militibus dat consilium; dicit quid singulos facere oporteat: testatúrque Christi excellentiam & baptismi ipsius: super quem ab ipso baptizatum descendit columba, ac vox Patris auditur: texitúrque ejus genealogia à Ioseph usque ad Adam ascendens.

A 1 ANno autem quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha,

*Act.4. b.6. 2 * Sub principibus sacerdotum Anna & Caïpha: factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto.

*Matth. 3.a.1. Marc.1. a.4. 3 * Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum,

B 4 Sicut scriptum est in Libro sermonum Isaiæ propheræ: * Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus:

*Isai. 40. e.3. Joan. 1. c.23. 5 Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aspera in vias planas:

6 Et videbit omnis caro salutare Dei.

*Matt. 3.b.7. 33.d.33. 7 Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso: * Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?

8 Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

9 Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

10 Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?

C 11 Respondens autem dicebat illis: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. *Luc.2. c.15. 1.Ioan. 3.c.17.

12 Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus?

13 At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quàm quod constitutum est vobis, faciatis.

14 Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris.

15 Existimante autem populo, & cogitantibus D omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus:

16 Respondit Joannes, dicens omnibus: *Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: * ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni. *Matt. 3.b.11. Marc. 1. a.8. Ioan. 1. d.26. *Matt. 3.b.11. Act.1. a.5.11. b.16.19. a.4.

17 *Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

18 Multa quidem & alia exhortans evangelizabat populo. *Matt. 3.c.12.

19 * Herodes autem tetrarcha, cùm corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes, *Matt. 14.a.4. Marc.6. c.17.

20 Adjecit & hoc super omnia, & inclusit Joannem in carcere.

21 * Factum est autem cùm baptizaretur omnis E populus, & Jesu baptizato, & orante, apertum est cælum: *Mat.3. d.16. Marc.1. b.10.

22 Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut colúba in ipsum: & vox de cælo facta est: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. Joan.1. d.32. *Matt. 3.d.17. 17.a.5. Inf.9. c.35. 2.Pet.1. d.17.

23 Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli,

24 Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph,

25 Qui fuit Mathatiæ, qui fuit Amos, qui fuit F Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge,

26 Qui fuit Mahath, qui fuit Mathatiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda,

27 Qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,

28 Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her,

29 Qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathath, qui fuit Levi,

30 Qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim,

31 Qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit G Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David,

32 Qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson,

33 Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ,

34 Qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,

35 Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,

36 Qui fuit Caïnan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech,

37 Qui

37 Qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan,

38 Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

Caput IV.

Jesus post jejunium quadraginta dierum, ac devictas satanæ tentationes, in synagoga Nazareth legit factam de se Isaiæ prophetiam: dicitque prophetam non esse acceptum in patria propria, quapropter volunt eum de monte præcipitare: ejicit in Capharnaum dæmonium, sanátque socrum Simonis, & plures alios variis languoribus, ac dæmonia: ejicit.

A 1 JEsus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Jordane: & agebatur à Spiritu in desertum

*Matt.4. a.1. Marc.1. b.12. 2 Diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis: & consummatis illis esuriit.

3 Dixit autem illi diabdus: Si filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat.

*Deut.8. a.3. Matt.4. a.4. 4 Et respondit ad illum Jesus: Scriptum est: *Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.

5 Et duxit illum diabolas in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.

6 Et ait illi: Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt; & cui volo do illa.

7 Tu ergo si adoraveris corã me, erũt tua omnia.

B *Deut. 6.c.13. 10.d.20. 8 Et respondens Jesus, dixit illi: *Scriptum est: Dominum uum adorabis, & illi soli servies.

9 Et duxi illum in Jerusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi: Si filius Dei es, mitte te linc deorsum.

*Ps.90. c.11. 10 *Scriptum est enim quòd Angelis suis mandavit de te, u conservent te:

11 Et quia n manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

*Deut.6. c.16. 12 Et respondens Jesus, ait illi: Dictum est: * Non tentabi Dominum Deum tuum.

13 Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.

*Matt. 4.c.12. Marc.1. b.14. 14 *Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exiit per universam regionem de illo.

15 Et ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.

C 16 *Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit secundùm consuetudinem suam die sabbati in synagogan, & surrexit legere.

*Matt. 13.g.54. Marc.6. a.1. Ioan.4. f.45. 17 Et traditus est illi Liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum invenit locum ubi scriptũ erat.

*Isa.61. a.1. 18 * Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.

D 19 Prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptũ, & diem retributionis.

20 Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum.

21 Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.

22 Et omnes testimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant: Nónne hic est filius Joseph?

23 Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura te ipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua.

24 Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.

25 In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra:

*3.Reg. 17.b.9. 26 * Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.

E 27 * Et multi leprosi erant in Israël sub Elisæo propheta: & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. *4.Reg. 5.d.14.

28 Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes.

29 Et surrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.

30 Ipse autem trãsiens per medium illorũ ibat.

* Matt. 4.b.13. Marc.1. b.21. 31 * Et descendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis.

* Matth. 7.d.28. 32 * Et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius.

*Mar.1. c.23. 33 * Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magna,

F 34 Dicẽs: Sine, quid nobis, & tibi Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei.

35 Et increpavit illum Jesus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cùm projecisset illum dæmoniũ in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

36 Et factus est pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt?

37 Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

G 38 Surgens autem Jesus de synagoga, introïvit in domum Simonis. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro ea.

*Matth. 8.b.14. Marc.1. c.30. 39 Et stans super illam, imperavit febri: & dimisit illam. Et continuò surgens ministrabat illis.

40 Cùm autẽ sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

*Mar.1. c.34. 41 *Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christũ.

42 Facta autem die egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt usque ad ipsum: & detinebant illũ ne discederet ab eis.

43 Quibus ille ait: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnũ Dei: quia ideò missus sum.

44 Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

Caput V.

Vbi de navicula Petri docuisset, ille laxato ipsius jussu retia conclusit copiosam piscium multitudinem: curatum leprosum mittit ad sacerdotes: paralyticos, remissis primùm peccatis, jubet ut lectum suum tollat: discumbens cum Levi, quem ex telonio vocaverat, causam dat murmurantibus Pharisæis, quare cum peccatoribus conversetur, & cur ipsius discipuli non jejunent.

1 FActum est autem, cùm turbæ irruerent in A eum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth.

*Matth. 4. f.18. Marc.1. b.16.

2 * Et vidit duas naves ſtantes ſecus ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant, & lavabant retia.

3 Aſcendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere puſillum. Et ſedens docebat de navicula turbas.

4 Ut ceſſavit autem loqui, dixit ad ſimonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.

5 Et reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

B 6 Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, rumpebatur autem rete eorum.

7 Et annuerunt ſociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut pœnè mergerentur.

8 Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Jeſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine.

9 Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piſcium, quam ceperant:

10 Similiter autem Jacobum & Joannem, filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. Et ait ad Simonem Jeſus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens.

11 Et ſubductis ad terram navibus, relictis omnibus ſecuti ſunt eum.

C 12 *Et factum eſt, cùm eſſet in una civitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Jeſum, & procidens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare.

*Matt. 8.a.2. Marc.1. d.40.

13 Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo: Mundare. Et confeſtim lepra diſceſſit ab illo.

14 Et ipſe præcepit illi ut nemini diceret: ſed, Vade, oſtende te ſacerdoti, & offer pro emundatione tua, *ſicut præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.

*Lev. 14.a.4.

15 Perambulabat autem magis ſermo de illo: & conveniebant turbæ multæ ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus ſuis.

16 Ipſe autem ſecedebat in deſertum, & orabat.

D 17 Et factum eſt in una dierum, & ipſe ſedebat docens. Et erant Phariſæi ſedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni caſtello Galilææ, & Judææ, & Jeruſalem: & virtus Domini erat ad ſanandum eos.

*Matth. 9.a.2. Marc.2. a.3.

18 * Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum.

19 Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſupra tectum, & per tegulas ſummiſerunt eum cum lecto in medium ante Jeſum.

20 Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua.

E 21 Et cœperunt cogitare Scribæ, & Phariſæi, dicentes: Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?

22 Ut cognovit autem Jeſus cogitationes eorum, reſpondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus veſtris?

23 Quid eſt facilius dicere: dimittuntur tibi peccata; an dicere? Surge, & ambula?

24 Ut autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) Tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

25 Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat: & abiit in domum ſuam, magnificans Deum.

26 Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti ſunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

27 * Et poſt hæc exiit, & vidit publicanum nomine Levi, ſedentem ad Telonium, & ait illi: Sequere me.

*Matt. 9.b.9. Marc.2. b.14.

28 Et relictis omnibus, ſurgens ſecutus eſt eum.

29 Et fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua: & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant diſcumbentes. F

30 Et murmurabant Phariſæi & Scribæ eorum, dicentes ad diſcipulos ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?

31 Et reſpondens Jeſus, dixit ad illos: Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent.

32 Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

33 At illi dixerunt ad eum: * Quare diſcipuli Joannis jejunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum: tui autem edunt & bibunt?

*Marc. 2.c.18.

34 Quibus ipſe ait: Numquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere jejunare?

35 Venient autem dies: cùm ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc jejunabunt in illis diebus. G

36 Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos: Quia nemo commiſſuram à novo veſtimento immittit in veſtimentum vetus: alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commiſſura à novo.

37 Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin rumpet vinum novum utres, & ipſum effundetur, & utres peribunt.

38 Sed vinum novum in utres novos mittendum eſt, & utraque conſervantur.

39 Et nemo bibens vetus, ſtatim vult novum, dicit enim: Vetus melius eſt.

CAPUT VI.

Diſcipulos ſpicas ſabbato vellentes excuſat, alióque ſabbato manum curat aridam: electos duodecim nominat Apoſtolos, & cum illis ac multitudine copioſa ſtans in loco campeſtri docet beatitudines: aliáque conſilia ac præcepta evangelica: de feſtuca in oculo fratris, & arbore bona ac mali ex fructu dignoſcenda: audiens Chriſti verba cui comparetur ſua opere compleat; & cui ſi non compleat.

1 FActum eſt autem in ſabbato ſecundo, primo, cùm tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli ejus ſpicas, & manducabant confricantes manibus. A

*Matt.12. a.1. Marc.2. d.23.

2 Quidam autem Phariſæorum, dicebant illis: Quid facitis quod non licet in ſabbatis?

3 Et reſpondens Jeſus ad eos, dixit: Nec hoc legiſtis quod fecit David, cùm eſuriſſet ipſe, & qui cum illo erant:

4 * Quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis ſumpſit, & manducavit, & dedit his qui cum ipſo erant: quos non licet manducare * niſi tantùm ſacerdotibus?

*1.Reg. 21.b.6. *Exod. 29.f.32. Lev.24. b.9.

5 Et dicebat illis: Quia Dominus eſt Filius hominis, etiam ſabbati.

6 Factum eſt autem & in alio ſabbato, ut intraret in ſynagogam, & doceret. * Et erat ibi homo, & manus ejus dextra erat arida.

*Matt. 12.a.10. Marc. 3. a.1.

7 Obſervabant autem Scribæ, & Phariſæi, ſi B in ſabbato curaret: ut invenirent unde accuſarent eum.

8 Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & ſta in medium. Et ſurgens ſtetit.

9 Ait autem ad illos Jeſus: Interrogo vos, ſi licet ſabbatis benefacere, an malè; animam ſalvam facere, an perdere?

10 Et circumſpectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Ex extendit: & reſtituta eſt manus ejus.

11 Ipſi autem repleti ſunt inſipientia; & colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jeſu.

12 Factum eſt autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.

*Matth. 10.a.1. Marc.3. b.13.

13 *Et cùm dies factus eſſet, vocavit diſcipulos ſuos: & elegit duodecim ex ipſis (quos & Apoſtolos nominavit.)

14 Simonem, quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum, & Joannem, Philippum, & Bartholomæum,

C 15 Matthæum, & Thomam, Jacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes.

16 Et Judam Jacobi, & Judam Iſcariotem, qui fuit proditor.

17 Et deſcendens cum illis, ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum ejus, & multitudo copioſa plebis ab omni Judæa, & Jeruſalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis,

18 Qui venerant ut audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur.

19 Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.

*Matt. 5.a.2. 20 * Et ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos, dicebat: Beati pauperes: quia veſtrum eſt regnum Dei.

21 Beati, qui nunc eſuritis: quia ſaturabimini. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis.

*Matt. 5.a.11. 22 * Beati eritis cùm vos oderint homines, & cùm ſeparaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum, propter Filium hominis.

D 23 Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo: ſecundùm hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

*Eccl. 31.c.8. Am.6. a.1. *Iſai. 65.b.13. 24 * Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram.

25 * Væ vobis, qui ſaturati eſtis: quia eſurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.

26 Væ cùm benedixerint vobis homines: ſecundùm hæc enim faciebant pſeudoprophetis patres eorum.

*Matt. 5.f.44. 27 Sed vobis dico, qui auditis: * Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.

28 Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.

*Matt. 5.f.39. 29 * Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere.

*1.Cor. 6.b.7.

30 Omni autem petenti te, tribue: & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas. E

31 * Et prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.

*Tob.4. c.16. Matt.7. b.12.

32 * Et ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores diligentes ſe diligunt.

*Matt. 5.g.46.

33 Et ſi benefeceritis his, qui vobis benefaciunt; quæ vobis eſt gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt.

34 * Et ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere; quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.

*Deut. 15.b.8. Matt. 5. f.42.

35 Verumtamen diligite inimicos veſtros: benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filij Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos.

36 Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.

37 * Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini. F

*Matt. h. 7.a.1.

38 Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperefluentem dabunt in ſinum veſtrum. * Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.

* Mat. 7.a.2. Marc. 4. c.24.

39 Dicebat autem illis & ſimilitudinem: Numquid poteſt cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foveam cadunt?

40 * Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter ejus.

*Matt. 10.c.24. Luc.2. b.16.

41 * Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?

* Matth. 7.a.3.

42 Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, ſine ejiciam feſtucam de oculo tuo: ipſe in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo: & tunc perſpicies ut educas feſtucam de oculo fratris tui.

43 *Non eſt enim arbor bona, quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum.

* Matt. 7.c.18. 12.c.33.

44 Unaquæque enim arbor de fructu ſuo cognoſcitur. Neque enim de ſpinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam.

45 Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum: & malus homo de malo theſauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. G

46 Quid autem vocatis me * Domine, Domine: & non facitis quæ dico?

* Matt. 7.c.21. Rom 2. c.13. Iac 1. d.22.

47 Omnis qui venit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos: oſtendam vobis cui ſimilis ſit:

48 Similis eſt homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & poſuit fundamentum ſuper petram, inundatione autem facta, illiſum eſt flumen domui illi, & non potuit eam movere: fundata enim erat ſuper petram.

49 Qui autem audit, & non facit: ſimilis eſt homini ædificanti domum ſuam ſuper terram ſine fundamento: in quam illiſus eſt fluvius, & continuò cecidit: & facta eſt ruina domus illius magna.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput VII.

Admiratus Centurionis fidem, absens sanat illius servum: juxta portam civitatis Naim filium unicum viduæ resuscitat: coram discipulis Ioannis Baptistæ per eos interrogantis an esset qui venturus erat, multa edit signa: illisque abeuntibus Ioannem plurimum extollit: Iudæis nec Ioannis nec Christi vita placuit, quos puerisinvicem in foro acclamantibus assimilat: à peccatrice muliere pedes inunctus, respondet Simoni ob hoc murmuranti, proposita ad hoc parabola duorum debitorum, & remissis mulieri peccatis.

A 1 CUm autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum.
Matt. 8. a. 5.

2 Centurionis autem cujusdam servus malè habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus.

3 Et cùm audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, & salvaret servum ejus.

4 At illi cùm venissent ad Jesum, rogabant eum solicitè, dicentes ei: Quia dignus est ut hoc illi præstes.

5 Diligit enim gentem nostram: & synagogam ipse ædificavit nobis.

6 Jesus autem ibat cum illis. Et cùm jam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens:
** Matt. 8. a. 8.* * Domine noli vexari: Non enim sum dignus ut sub tectum meum intres.

7 Propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus.

B 8 Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit; & alij veni, & venit; & servo meo, fac hoc, & facit.

9 Quo audito Jesus miratus est: & conversus sequentibus se turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Israël tantam fidem inveni.

10 Et reversi, qui missi fuerant, domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum.

11 Et factum est: deinceps ibat in civitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli ejus, & turba copiosa.

12 Cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa.

13 Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.

14 Et accessit, & tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, steterunt.) Et ait: Adolescens, tibi dico, surge.

C 15 Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ.

16 Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes:
** Inf. 24. c. 19. Ioan. 4. c. 19.* * Quia propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitavit plebem suam.

17 Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, & in omnem circà regionem.

18 Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his.

19 ** Matth. 11. a. 2.* * Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, & misit ad Jesum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

20 Cùm autem venissent ad eum viri, dixerunt: Joannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

21 (In ipsa autem hora multos curavit à languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum.)

22 Et respondens, dixit illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, & vidistis: * Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur:
** Isa. 35. b. 5.* D

23 Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.

24 Et cùm discessissent nuntij Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

25 Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt & deliciis, in domibus regum sunt.

26 Sed quid existis videre? Prophetam? Utique dico vobis, & plusquam Prophetam:

27 * Hic est, de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.
** Mal. 3. a. 1. Mat. 11. b. 10. Mar. 1. a. 2.*

28 Dico enim vobis: Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est. qui autem minor est in regno Dei, major est illo.

29 Et omnis populus audiens & publicani, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis.
E

30 Pharisæi autem, & legis periti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo.

31 Ait autem Dominus: * Cui ergo similes dicam homines generationis hujus? & cui similes sunt?
** Mat. 11. c. 16.*

32 Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus adinvicem, & dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentavimus, & non plorastis.

33 * Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet.
** Mat. 3. a. 4. Mar. 1. a. 6.*

34 Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum.

35 Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

36 Rogabat autem illum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit.
F

37 * Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti:
** Matt. 26. a. 7. Mar. 14. a. 3. Ioan. 12. a. 3.*

38 Et stans retrò secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.

39 Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est.

40 Et respondens Jesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic.

41 Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.

42 Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit?

G 43 Respondens Simon dixit: Æstimo quia is cui plus donavit. At ille dixit ei: Rectè judicasti.

44 Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis tersit.

45 Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.

46 Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos.

47 Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cui autem minus dimittitur, minùs diligit.

** Matt. 9. a. 2.* 48 Dixit autem ad illam: * Remittuntur tibi peccata.

49 Et cœperunt qui simul accũbebant, dicere intra se; Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?

50 Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit: vade in pace.

Caput VIII.

Parabolam de seminante proponit, ac discipulis interpretatur: nihil occultum quod non manifestetur, quos dicat suam esse matrem, suosque fratres: in mari à somno excitatus ventum increpat; dæmoniacum ferocissimum à dæmonum legione liberat, permittens dæmonibus ut in porcos introeant: tacta fimbria vestimenti ejus mulier à fluxu sanguinis curatur, & filia Iairi archisynagogi verbo ipsius resuscitatur.

A 1 ET factum est deinceps, & ipse iter faciebat per civitates & castella, prædicans & evangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo,

2 Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus:
** Marc. 16. b. 9.* * Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septẽ dæmonia exierant.

3 Et Joanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

4 Cùm autem turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem:

** Matt. 13. a. 3. Marc. 4. a. 3.* 5 * Exiit qui seminat, seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud.

6 Et aliud cecidit super petram: & natum aruit, quia non habebat humorem.

7 Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.

8 Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

9 Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola.

B 10 Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis: * ut videntes non videant, & audientes non intelligant.
** Isa. 6. c. 9. Matth. 13 b. 14. Marc. 4. b. 12. Ioan. 12. f. 40. Act. 28. f. 26. Rom. 11. b. 8.*

11 Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei.

12 Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt; deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

13 Nam qui supra petram: qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

14 Quod autem in spinas cecidit: hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ, euntes suffocantur, & non referunt fructum.

15 Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

16 * Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.
** Matt. 5. b. 15. Marc. 4. c. 21.*

17 * Non est enim occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniat.
** Matt. 10. c. 26. Marc. 4. c. 22.*

18 Videte ergo quomodo audiatis. * Qui enim habet dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.
C ** Matt. 13. b. 12. 25. c. 29. * Marc. 12. d. 46. Marc. 3. d. 32.*

19 * Venerunt autem ad illum mater & fratres ejus, & non poterant adire eum præ turba.

20 Et nuntiatum est illi: Mater tua, & fratres tui stant foris, volentes te videre.

21 Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

22 * Factum est autem in una dierum: & ipse ascendit in naviculam, & discipuli ejus, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt.
** Matt. 8. c. 23. Marc. 4. d. 36.*

23 Et navigantibus illis, obdormivit, & descendit procella venti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur.

24 Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens, increpavit ventum, & tempestatem aquæ, & cessavit: & facta est tranquillitas.

25 Dixit autem illis: Ubi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes: Quis putas hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?
D

26 Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam.

27 Et cùm egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & vestimento non inducebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.

28 Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum: & exclamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi est Jesu Fili Dei Altissimi? obsecro te, ne me torqueas.

29 Præcipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta.

30 Interrogavit autem illum Jesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum.

31 Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent.

32 Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: & rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis.

33 Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos: & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.
E

34 Quod ut viderunt factum qui pascebant, fugerunt,

Universidad de Buenos Aires
Biblioteca

fugerunt,& nuntiaverunt in civitatem,& in villas.

35 Exierunt autem videre quod factum est, & venerunt ad Jesum: & invenerunt hominem sedentem, à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente, ad pedes ejus, & timuerunt.

36 Nuntiaverunt autem illis & qui viderant, quomodo sanus factus esset à legione:

37 Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum ut discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim, reversus est.

38 Et rogabat illum vir, à quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Jesus, dicens:

39 Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus.

40 Factum est autem cùm rediisset Jesus, excepit illum turba. erant enim omnes expectantes eum.

41 * Et ecce venit vir, cui nomen Jairus, & ipse princeps synagogæ erat: & cecidit ad pedes Jesu, rogans eum ut intraret in domum ejus, *Mat. 9. c. 18. Mar. 5. c. 22. F

42 Quia unica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, à turbis comprimebatur.

43 Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnẽ substantiam suam, nec ab ullo potuit curari:

44 Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus: & confestim stetit fluxus sanguinis ejus.

45 Et ait Jesus: Quis est, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?

46 Et dixit Jesus: Tetigit me aliquis. nam ego novi virtutem de me exiisse.

G 47 Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes ejus: & ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit.

48 At ipse dixit ei: Filia, fides tua salvam te fecit: vade in pace.

49 Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum.

50 Jesus autem audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantùm, & salva eris.

51 Et cùm venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem & matrem puellæ.

52 Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit.

53 Et deridebant eum, scientes quòd mortua esset.

54 Ipse autem tenens manum ejus clamavit, dicens: Puella, surge.

55 Et reversus est spiritus ejus, & surrexit continuò. Et jussit illi dari manducare.

56 Et stupuerunt parentes ejus, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.

Caput IX.

Discipulos ad prædicandum mittens, servanda tradit eis præcepta; Herodes audita Christi fama cupit eum videre: ex quinque panibus & duobus piscibus satiat Jesus quinque virorum millia: Petrus illum confitetur Christum Dei: suam prædicit passionem, & de propria cruce tollenda: transfigurato junguntur Moyses & Elias in majestate: ad preces patris dæmonium à filio ejicit: contentio oritur inter Apostolos de primatu: filij Zebedæi volunt igne cælesti consumi Samaritanos nolentes Jesum suscipere: volentem sequi non suscipit; alterum autem vocat, nec permittit ut primùm sepeliat patrem.

1 COnvocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent. A *Mat. 10. a. 1. Mar. 3. b. 15.

2 Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.

3 * Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. *Mat. 10. b. 9. Marc. 6. a. 8.

4 Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeatis.

5 Et quicumque non receperint vos: * exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. *Act. 13. §. 51.

6 Egressi autem circuibant per castella evangelizantes & curantes ubique.

7 * Audivit autem Herodes tetracha omnia quæ fiebant ab eo, & hæsitabat eò quòd diceretur 8 A quibusdam: Quia Joannes surrexit à mortuis: à quibusdam verò: Quia Elias apparuit: ab aliis autem: Quia propheta unus de antiquis surrexit. *Matt. 14. a. 1. Mar. 6. b. 14.

9 Et ait Herodes: Joannem ego decollavi. Quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.

10 Et reversi Apostoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt: & assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ.

11 Quod cùm cognovissent turbæ, secutæ sunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui cura indigebant, sanabat.

12 Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: * Dimitte turbas, ut euntes in castella villásque quæ circa sunt, divertant, & inveniant escas: quia hîc in loco deserto sumus. B *Matth. 14. b. 15. *Mar. 6. c. 36.

13 Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: * Non sunt nobis plus quàm quinque panes, & duo pisces: nisi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. *Joan. 6. a. 9.

14 Erant autem ferè viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per convivia quinquagenos.

15 Et ita fecerunt. Et discũbere fecerunt omnes.

16 Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in cælum, & benedixit illis: & fregit, & distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas.

17 Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

18 * Et factum est cùm solus esset orans, erant cum illo & discipuli: & interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ? *Matth. 16. b. 13. Marc. 8. c. 27.

19 At illi respondentes, & dixerunt: Joannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò quia unus propheta de prioribus surrexit.

20 Dixit

20 Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei.

21 At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc,

22 Dicens: * Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotũ, & scribis, & occidi, & tertia die resurgere. *Matth. 17. c. 21. Marc. 8. d. 31. 9. c. 30.

23 * Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. C *Matth. 10. d. 38. 16. d. 24. Mar. 8. d. 34. Inf. 14. f. 27.

24 * Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam. *Inf. 17. g. 33. Joan. 12. d. 25.

25 Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?

26 * Nam qui me erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. *Matth. 10. c. 33. Marc. 8. d. 38. 2. Tim. 2. b. 12.

27 * Dico autem vobis verè: sunt aliqui hîc stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. *Matth. 16. d. 28. Marc. 8. d. 39.

28 * Factum est autem post hæc verba ferè dies octo, & assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & ascendit in montem ut oraret. *Matth. 17. a. 1. Mar. 9. a. 1. D

29 Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera: & vestitus ejus albus & refulgens.

30 Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses & Elias,

31 Visi in majestate: & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.

32 Petrus verò, & qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, & duos viros, qui stabant cum illo.

33 Et factum est cùm discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum: Præceptor, bonum est nos hîc esse: & faciamus tria tabernacula, unum Tibi, & unum Moysi, & unum Eliæ: nesciens quid diceret.

34 Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbravit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem. E

35 Et vox facta est de nube, dicens: * Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. *2. Pet. 1. d. 17.

36 Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant.

37 Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.

38 * Et ecce vir de turba exclamavit, dicens: Magister obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi: *Matth. 17. b. 14. Marc. 9. c. 16.

39 Et ecce spiritus apprehendit eum, & subitò clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum:

40 Et rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, & non potuerunt.

41 Respondens autem Jesus, dixit: O generatio infidelis, & perversa, usquequò ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum.

42 Et cùm accederet, elisit illum dæmonium, & dissipavit.

43 Et increpavit Jesus spiritum immundum, & sanavit puerum, & reddidit illum patri ejus.

44 Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibúsque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum. F

45 At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos ut non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.

46 * Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset. *Matth. 18. a. 1. Mar. 9. c. 33.

47 At Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se,

48 Et ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est.

49 Respondens autem Joannes, dixit: Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientẽ dæmonia, & prohibuimus eũ: quia non sequitur nobiscũ.

50 Et ait ad illum Jesus: Nolite prohibere: qui enim non est adversum vos, pro vobis est.

51 Factum est autem dum complerentur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem.

52 Et misit nuntios ante conspectum suum: & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum ut pararent illi.

53 Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.

54 Cùm vidissent autem discipuli ejus Jacobus & Joannes, dixerunt: Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cælo, & consumat illos? G

55 Et conversus increpavit illos, dicens: Nescitis cujus spiritus estis:

56 * Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum. *Joan. 3. b. 17. 12. §. 47.

57 Factum est autem: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris.

58 Dixit illi Jesus: * Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. *Mat. 8. c. 20.

59 Ait autem ad alterum: Sequere me. ille autem dixit: Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum.

60 Dixitq; ei Jesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.

61 Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi sunt.

62 Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manũ suam ad aratrũ, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.

Caput X.

Septuaginta duos præmittens ad singulas civitates, tradit præcepta quæ in prædicando observent; & gaudentibus de subjectis sibi dæmonibus, dicit non esse ob hoc potissimum gaudendum: comminatur civitatibus obstinatis in quibus facta erant plurimæ virtutes, & exultans in spiritu confitetur Patri: tentanti legisperito, post recitatum præceptum de dilectione Dei & proximi, ostendit quis sit proximus per parabolam hominis à Jerusalem descendentis: Marthæ ministranti, & de sorore Maria conquerenti, dicit Mariam elegisse optimam partem.

1 POst hæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem & locum, quò erat ipse venturus. A

2 Et dicebat illis: * Messis quidem multa, operarij *Mat. 9. d. 37.

rarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

*Matth. 10. b.1.

3 Ite : * ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

*Marc. 6.a.8. *4.Reg. 4. c.29.

4 *Nolite portare sacculum,neque peram,neque calceamenta,* & neminem per viam salutaveritis.

5 In quamcumque domum intraveritis,primùm dicite : Pax huic domui :

6 Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra ; sin autem,ad vos revertetur.

B 7 In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt:*dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum.

*Deut. 24. c.14. Matt.10. b.10. 1.Tim.5. c.18.

8 Et in quamcumque civitatem intraveritis, & susceperint vos,manducate quæ apponũtur vobis:

9 Et curate infirmos,qui in illa sunt,& dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei.

10 In quamcumque autem civitatem intraveritis , & non susceperint vos , exeuntes in plateas ejus, dicite :

* Act. 13.3.51. 11 * Etiam pulverem , qui adhæsit nobis de civitate vestra,extergimus in vos : tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei.

12 Dico vobis , quia Sodomis in die illa remissius erit, quàm illi civitati.

C 13 * Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida : quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes , quæ factæ sunt in vobis,olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent.

* Matt. 11. c.21.

14 Verumtamen Tyro & Sidoni remissius erit in judicio , quàm vobis.

15 Et tu Capharnaum usque ad cælum exaltata , usque ad infernum demergêris.

*Matt. 10.d.40. Joan.13. c.20. 16 * Qui vos audit, me audit : & qui vos spernit , me spernit. Qui autem me spernit , spernit eum, qui misit me.

17 Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.

18 Et ait illis : VIdebam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.

D 19 Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes,& scorpiones,& super omnem virtutem inimici : & nihil vobis nocebit.

20 Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur : gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.

* Matt. 11.d.25. 21 * In ipsa hora exultavit Spiritu sancto,& dixit : Confiteor tibi pater , Domine cæli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus , & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Etiam pater:quoniam sic placuit ante te.

22 Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius,nisi Pater ; & quis sit Pater, nisi Filius,& cui voluerit Filius revelare.

*Matt. 13. b.16. 23 Et conversus ad discipulos suos,dixit : *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

E 24 Dico enim vobis, quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis,& non viderunt;& audire quæ auditis, & non audierunt.

* Matt. 22.d.35. Marc. 12.c.28. 25 * Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, & dicens : Magister quid faciendo vitam æternam possidebo ?

26 At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est ? quomodo legis ?

* Deut. 6.b.5. 27 Ille respondens dixit : * Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua : & proximum tuum sicut teipsum.

28 Dixitque illi : Rectè respondisti : hoc fac & vives.

29 Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum : Et quis est meus proximus ?

30 Suscipiens autem Jesus , dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum : & plagis impositis abierunt semivivo relicto.

F 31 Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via : & viso illo præterivit.

32 Similiter & Levita,cùm esset secus locum,& videret eum, pertransiit :

33 Samaritanus autem quidam iter faciens,venit secus eum:& videns eum , misericordia motus est.

34 Et appropians alligavit vulnera ejus , infundens oleum , & vinum : & imponens illum in jumentum suum , duxit in stabulum , & curam ejus egit.

35 Et altera die protulit duos denarios , & dedit stabulario , & ait : Curam illius habe,& quodcumque supererogaveris , ego cùm rediero reddam tibi.

G 36 Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi , qui incidit in latrones ?

37 At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus : Vade,& tu fac similiter.

38 Factum est autem,dum irent,& ipse intravit in quoddam castellum : & mulier quædam Martha nomine,excepit illum in domum suam:

39 Et huic erat soror nomine Maria quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbũ illius.

40 Martha autem satagebat circa frequens ministerium : quæ stetit, & ait : Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare ? dic ergo illi, ut me adjuvet.

41 Et respondens dixit illi Dominus : Martha, Martha,solicita es, & turbaris erga plurima.

42 Porrò unum est necessarium.Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Caput XI.

Docet discipulos orare, ostendens perseveranti oratione omnia impetrari: ejecto dæmonio muto , confutat dicentes quòd in Beelzebub ejiceret dæmonia : mulier quædam dicit beata ubera quæ Iesus suxerat : de signo Ionæ , de regina Austri, & Ninivitis, oculóque simplici & nequam : Pharisæum qui ipsum invitaverat reprehendit , murmurantem quòd illotis pranderet manibus : taxat hypocrisim Pharisæorum & Scribarum , dicens quòd ab hac generatione exquiretur sanguis omnium Prophetarum.

A 1 ET factum est : cùm esset in quodam loco orans , ut cessavit , dixit unus ex discipulis ejus ad eum : Domine , doce nos orare , sicut docuit & Joannes discipulos suos.

2 Et ait illis : Cùm oratis, dicite :* Pater,sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum.

*Matt. 6.b.9.

3 Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

4 Et dimitte nobis peccata nostra , siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.

5 Et ait ad illos: Quis vestrûm habebit amicum, &

& ibit ad illum media nocte, & dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes ,

6 Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.

7 Et ille deintus respondens dicat : Noli mihi molestus esse , jam ostium clausum est , & pueri mei mecum sunt in cubili , non possum surgere , & dare tibi.

B 8 Et si ille perseveraverit pulsans : dico vobis, & si non dabit illi surgens eò quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen eius surget , & dabit illi quotquot habet necessarios.

*Matth. 7. b.7. 21.b.22. Mar.11. c. 24. Ioan.14. b. 13. Iac. 1. b. 5. *Matt. 7. b.9. 9 *Et ego dico vobis : Petite,& dabitur vobis: quærite,& invenietis : pulsate, & aperietur vobis.

10 Omnis enim qui petit, accipit : & qui quærit, invenit : & pulsanti aperietur.

11 * Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi ? Aut piscem : numquid pro pisce serpentem dabit illi ?

12 Aut si petierit ovum : numquid porriget illi scorpionem ?

13 Si ergo vos cùm sitis mali , nostis bona data dare filiis vestris : quantò magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se ?

*Mat.9. b.32. 12. b. 22. 14 * Et erat ejiciens dæmonium , & illud erat mutum. Et cùm ejecisset dæmonium , locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.

*Matth. 9. d.34. Marc. 3. c. 22. 15 Quidam autem ex eis dixerunt : * In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

16 Et alij tentantes , signum de cælo quærebant ab eo.

17 Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.

18 Si autem & Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius ? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia.

C 19 Si autẽ ego in Beelzebub ejicio dæmonia:filij vestri in quo ejiciunt?Ideò ipsi judices vestri erũt.

20 Porrò si in digito Dei ejicio dæmonia : profectò pervenit in vos regnum Dei.

21 Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.

22 Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet , in quibus confidebat , & spolia ejus distribuet.

23 Qui non est mecum, contra me est : & qui non colligit mecum, dispergit.

24 Cùm immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa , quærens requiem : & non inveniens dicit : Revertar in domum meam unde exivi.

25 Et cùm venerit , invenit eam scopis mundatam, & ornatam.

26 Tunc vadit , & assumit septem alios spiritus secum , nequiores se , & ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

D 27 Factum est autem,cùm hæc diceret:extollens vocem quædam mulier de turba,dixit illi : Beatus venter, qui te portavit ; & ubera, quæ suxisti.

28 At ille dixit : Quinimmò beati , qui audiunt verbum Dei , & custodiunt illud.

29 Turbis autem concurrentibus cœpit dicere :

*Matth. 12.c.39. * Generatio hæc, generatio nequam est : signum quærit , & signum non dabitur ei , nisi signum Jonæ prophetæ.

*Ioan.2. a. 1. 30 * Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis : ita erit & Filius hominis generationi isti.

* 3.Reg. 10. a. 1. 2.Par.9. a.1. 31 * Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus , & condemnabit illos : quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hic.

32 Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac , & condemnabunt illam : * quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, & ecce plus quàm Jonas hic.

*Ioan.3. b.5. E

*Matth. 5. b. 15. Mar. 4. c. 21 *Matth. 6.c. 22. 33 * Nemo lucernam accendit: & in abscondito ponit , neque sub modio : sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur , lumen videant.

34 * Lucerna corporis tui , est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex,totum corpus tuum lucidum erit : si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.

35 Vide ergo ne lumen , quod in te est , tenebræ sint.

36 Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum,erit lucidum totum,& sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

37 Et cùm loqueretur , rogavit illum quidam Pharisæus ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit.

38 Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere , quare non baptizatus esse tante prandium.

*Matth. 23.c.25. 39 Et ait Dominus ad illum : * Nunc vos Pharisæi , quod deforis est calicis & catini, mundatis: quod autem intus est vestrûm,plenum est rapina, & iniquitate.

40 Stulti , nónne qui fecit quod deforis est , etiam id quod deintus est , fecit ?

F 41 Verumtamen quod superest , date eleemosynam : & ecce omnia munda sunt vobis.

42 Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham,& rutam,&omne olus,& præteritis judicium & charitatem Dei : hæc autem oportuit facere,& illa non omittere.

*Matth. 23. a.6. Mar.12. d. 39. Inf. 20. g. 46. 43 * Væ vobis Pharisæis quia diligitis primas cathedras in synagogis,& salutationes in foro.

44 Væ vobis , quia estis ut monumenta quæ non apparent,& homines ambulantes supra, nesciunt.

45 Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi : Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.

Matth. 23. a.4. 46 At ille ait : Et vobis Legisperitis væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas.

47 Væ vobis,qui ædificatis monumenta Prophetarum : patres autem vestri occiderunt illos.

G 48 Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt , vos autem ædificatis eorum sepulchra.

49 Propterea & sapientia Dei dixit : Mittam ad illos Prophetas , & Apostolos , & ex illis occident, & persequentur :

50 Ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione ista.

Universidad de D… Bibliotec…

* Gen. 4. b. 8. * 2. Par. 24. f. 22.

51 * A sanguine Abel, usque ad sanguinem * Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.

52 Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis.

53 Cùm autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi & Legisperiti graviter insistere, & os ejus opprimere de multis,

54 Insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

CAPUT XII.

Cavendum docet à fermento Pharisæorum, & quòd omne occultum detegetur: quis etiam timendus sit: de blasphemia in Spiritum sanctum: roborat Apostolos adversus persecutiones: non vult se immiscere in dividenda fratrum hereditate: per parabolam divitis revocat ab avaritia, vetans solicitum esse de victu & vestitu; hortatúrque ut lumbi præcingantur: & quis sit fidelis aut infidelis dispensator: venit ut mittat ignem in terram & separationem: reprehendit quòd tempus gratiæ non dijudicent: monet ut quisque conetur ab adversariis se liberare.

A 1 MUltis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: * attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.

*Matt. 16. a. 6. Mar. 8. b. 15. *Matt. 10. c. 26. Marc. 4. c. 22.

2 * Nihil autem opertum est, quod non reveletur: neque absconditum, quod non sciatur.

3 Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis.

4 Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant.

5 Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. ita dico vobis, hunc timete.

6 Nónne quinque passeres væneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione coram Deo?

B 7 Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos.

*Matt. 10. d. 32. Marc. 8. d. 38. 2. Tim. 2. b. 12.

8 Dico autem vobis. * Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei:

9 Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.

*Matth. 12. c. 32. Marc. 3. d. 29.

10 * Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur.

11 Cùm autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus & potestates, nolite soliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis.

12 Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere.

13 Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem.

14 At ille dixit illi: Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?

C 15 Dixítque ad illos: Videte, & cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est: ex his quæ possidet.

* Eccli. 11. c. 19.

16 Dixit autem similitudinẽ ad illos, dicẽs: * Hominis cujusdã divitis uberes fructus ager attulit:

17 Et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos?

18 Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea,

19 Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.

20 Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cujus erunt?

21 Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.

22 Dixítque ad discipulos suos: Ideò dico vobis: * Nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.

* Ps. 54. d. 23. Mat. 6. 1. Pet. 5. b. 7.

23 Anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum.

24 Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos. Quantò magis vos pluris estis illis?

25 Quis autem vestrûm cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum. D

26 Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris soliciti estis?

27 Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis.

28 Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quantò magis vos pusillæ fidei?

29 Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli:

30 Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis.

31 Verumtamen quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.

32 Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.

33 * Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, * thesaurum non deficientem in cælis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. E

*Matth. 19. c. 21. *Matth. 6. c. 20.

34 Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

35 Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris,

36 Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur à nuptiis: ut, cùm venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei.

37 Beati servi illi, quos cùm venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

38 Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi.

*Matth. 24. d. 43

39 * Hoc autem scitote, quoniam si sciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam.

* Apoc. 16. c. 15.

40 Et vos estote parati: * quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

41 Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? F

42 Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?

43 Beatus ille servus, quem cùm venerit dominus, invenerit ita facientem.

44 Verè dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum.

45 Quòd si dixerit servus ille in corde suo: Morã facit dominus meus venire: & cœperit percutere servos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari:

46 Veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, & hora qua nescit, & dividet eum, partémque ejus cum infidelibus ponet.

47 Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.

48 Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.

49 Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?

G 50 Baptismo autem habeo baptizari; & quomodo coarctor usque dum perficiatur?

*Matt. 10. d. 34.

51 * Putatis quia pacem veni dare in terram? Non dico vobis, sed separationem:

52 Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos, & duo in tres

53 Dividentur: pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.

*Matt. 16. a. 2.

54 * Dicebat autem & ad turbas: Cùm videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit: & ita fit.

55 Et cùm austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit: & fit.

56 Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostis probare: hoc autem tempus quo modo non probatis?

57 Quid autem & à vobis ipsis non judicatis quod justum est?

* Matt. 5. d. 25.

58 * Cùm autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.

59 Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.

CAPUT XIII.

Occasione Galilæorum in suis sacrificiis interemptorum, & eorum qui in Siloë corruerant, hortatur ad pœnitentiam, alioqui exterminandos instar ficus infructuosæ: archisynagogum redarguit, indignantem quòd sabbato curasset mulierem à spiritu infirmitatis: comparat regnum cælorum grano sinapis ac fermento: de angusta porta, & quòd quidam clauso ostio frustrà pulsabunt: Herodem dicit vulpem, & Ierusalem ob crudelitatem suam deserendam.

A 1 ADerant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.

2 Et respondens dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?

3 Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

4 Sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem?

5 Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.

6 Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructũ in illa, & non invenit.

7 Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? B

8 At ille respondens, dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora:

9 Et siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.

10 Erat autem docens in synagoga eorũ sabbatis.

11 Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.

12 Quam cùm videret Jesus, vocavit eam ad se. C
& ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua.

13 Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum.

14 Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini: & non in die sabbati.

15 Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, unusquisque vestrûm sabbato non solvit bovem suum aut asinum à præsepio & ducit adaquare?

16 Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solvi à vinculo isto die sabbati?

17 Et cùm hæc diceret, erubescebant omnes adversarij ejus: & omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriosè fiebant ab eo. D

18 Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud?

19 * Simile est grano sinapis: quod acceptum homo misit in hortum suum, & crevit, & factum est in arborem magnam: & volucres cæli requieverunt in ramis ejus. *Matth. 13. d. 31 Mar. 4. d. 31.

20 Et iterùm dixit: Cui simile æstimabo regnum Dei?

21 * Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum. *Matth. 13. c. 33.

22 Et ibat per civitates & castella, docens, & iter faciens in Jerusalem.

23 Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt, qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos:

24 * Contendite intrare per angustã portam: quia multi, dico vobis, quęrent intrare, & non poterunt. * Mat. 7. b. 13.

25 * Cùm autem intraverit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine aperi nobis: & respondens dicet vobis: Nescio vos unde sitis: *Matth. 25. a. 10.

26 Tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

27 Et dicet vobis. * Nescio vos unde sitis: * discedite à me omnes operarij iniquitatis.
*Matth. 7. c. 23. *Psal. 6. b. 9. Mat. 25. d. 41.

28 Ibi erit fletus,& stridor dentium:cùm videritis Abraham, & Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

29 Et venient ab Oriente,& Occidente,& Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei.

*Matth. 19. d. 30. 20. b. 16. Marc. 10. d. 31. 30 * Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, & sunt primi qui erunt novissimi.

31 In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere.

32 Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce ejicio dæmonia,& sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor.

33 Verumtamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare:quia non capit prophetam perire extra Jerusalem.

*Matth. 23. d. 37. 34 *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te,quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, & noluisti?

35 Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cùm dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Caput XIV.

In domo principis Pharisæorum hydropicum sabbato curat, ostendens Legisperitis ac Pharisæis hoc licere: & horum notans ambitionem, docet invitatum in novissimo loco recumbere: parabola de invitatis ad cœnam qui se excusarunt: sequens Christum debet omnibus renuntiare, sublata cruce sua, usque ad odium animæ propriæ: volens turrim ædificare computat primum sumptus: commendatio salis.

A 1 ET factum est cùm intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum.

2 Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

3 Et respondens Jesus dixit ad Legisperitos, & Pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare?

4 At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanavit eum, ac dimisit.

5 Et respondens ad illos, dixit: Cujus vestrûm asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati?

B 6 Et non poterant ad hæc respondere illi.

7 Dicebat autem & ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:

8 Cùm invitatus fueris ad nuptias,non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit invitatus ab illo;

9 Et veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum:& tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.

*Prov. 25. a. 7. *Matth. 23. b. 12. Infr. 18. c. 14. *Tob. 4. b. 7. Prov. 3. b. 9. 10 Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco: ut, cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi: * Amice, ascende superiùs. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus:

11 * Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

12 Dicebat autem & ei, qui se invitaverat: * Cùm facis prandium,aut cœnã,noli vocare amicos C tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne fortè te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio.

13 Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos:

14 Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi:retribuetur enim tibi in resurrectione justorũ.

15 Hæc cùm audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. D

*Matth. 22. a. 2. Apoc. 19. b. 9. 16 At ipse dixit ei: * Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.

17 Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

18 Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excusatum.

19 Et alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum.

20 Et alius dixit: uxorem duxi, & ideò non possum venire.

21 Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias,dixit servo suo:Exi citò E in plateas & vicos civitatis: & pauperes,ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

22 Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est.

23 Et ait dominus servo: Exi in vias, & sepes; & compelle intrare, ut impleatur domus mea.

24 Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

25 Ibant autem turbæ multæ cum eo: & conversus dixit ad illos:

*Matth. 10. d. 37. 26 * Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem,& uxorem,& filios, & fratres,& sorores,adhuc autem & animam suam,non potest meus esse discipulus. F

*Matth. 10. d. 38. 16. d. 24. Marc. 4. d. 34. 27 * Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.

28 Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non priùs sedens computat sumptus,qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum;

29 Ne, posteaquàm posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, G

30 Dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?

31 Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?

32 Alioquin adhuc illo longè agente,legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.

33 Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

*Mat. 5. b. 13. Marc. 9. g. 49. 34 * Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur?

35 Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

Caput XV.

Scribis & Pharisæis murmurantibus quòd peccatores recipiet, parabolas proponit de ove & drachma perditis ac inventis, & de filio prodigo ad patrem reverso, benignèque ab ipso suscepto, seniore filio indignè hoc ferente: & quantum sit in cælo gaudium super peccatore pœnitentiam agente.

A 1 ERant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, ut audirent illum.

2 Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ, dicentes:Quia hic peccatores recipit,& manducat cum illis.

3 Et ait ad illos parabolam istam,dicens:

*Matt. 18. b. 12. 4 * Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & si perdiderit unam ex illis, nónne dimittit nonagintanovem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?

5 Et cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens:

B 6 Et veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi,quia inveni ovem meam, quæ perierat?

7 Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanovem justis, qui non indigent pœnitentia.

8 Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nónne accendit lucernam, & evertit domum, & quærit diligenter, donec inveniat?

9 Et cùm invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram?

C 10 Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

11 Ait autem:Homo quidam habuit duos filios:

12 Et dixit adolescentior ex illis patri: Pater da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et divisit illis substantiam.

13 Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè.

14 Et postquam omnia consummasset,facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere.

D 15 Et abiit, & adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.

16 Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis,quas porci manducabant: & nemo illi dabat.

17 In se autem reversus,dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo!

18 Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cælum, & coram te:

19 Jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.

E 20 Et surgens venit ad patrem suum. Cùm autem adhuc longè esset,vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est,& accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.

21 Dixítque ei filius: Pater, peccavi in cælum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.

22 Dixit autẽ pater ad servos suos:Citò proferte stolam primam, & induite illum,& date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus:

23 Et adducite vitulum saginatum, & occidite, F & manducemus, & epulemur:

24 Quia hic filius meus mortuus erat,& revixit; perierat, & inventus est. Et cœperunt epulari.

25 Erat autem filius ejus senior in agro:& cùm veniret, & appropinquaret domui, audivit symphoniam & chorum:

26 Et vocavit unum de servis, & interrogavit quid hæc essent.

27 Ique dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit.

28 Indignatus est autem, & nolebat introire. G Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.

29 At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi,& numquam mandatum tuum præterivi, & numquam dedisti mihi hœdum ut cum amicis meis epularer:

30 Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

31 At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt:

32 Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat,& revixit; perierat, & inventus est.

Caput XVI.

Per parabolam de villico iniquitatis hortatur ad faciendas eleemosynas, docens quid mereatur fidelis aut infidelis mammonæ dispensator, quódque nemo servire potest Deo & mammonæ: Legem ac Prophetas usque ad Joannem fuisse dicit, & nihil de Lege periturum; nec dimittendam ullo modo uxorem ut alia ducatur: de divite epulone, & Lazaro mendico.

1 DIcebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat dives,qui habebat villicum:& A hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.

2 Et vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te?redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare.

3 Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

4 Scio quid faciam, ut cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.

5 Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino B meo?

6 At ille dixit: Centum cados olei. Dixítque illi: Accipe cautionem tuam: & sede citò, scribe quinquaginta.

7 Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & scribe octoginta.

8 Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset:quia filij hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

9 Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

10 Qui fidelis est in minimo, & in majori fide- C lis est, & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.

11 Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis : quod verum est, quis credet vobis ?
12 Et si in alieno fideles non fuistis : quod vestrum est, quis dabit vobis ?
*Matt.6. c.24. 13 * Nemo servus potest duobus dominis servire : aut enim unum odiet,& alterum diliget: aut uni adhærebit,& alterum contemnet: non potestis Deo servire & mammonæ.
14 Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari : & deridebant illum.
D 15 Et ait illis : Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus : Deus autem novit corda vestra : quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.
*Matth. 11.b.12. E 16 *Lex & Prophetæ, usq; ad Joannẽ: ex eo regnũ Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit.
*Matt. 5. c. 18. 17 * Facilius est autem cælum & terram præterire, quàm de Lege unum apicem cadere.
*Matt. 5. c. 32. Marc.10. b. 11. 1. Cor.7. b.10. 11. 18 *Omnis qui dimittit uxorẽ suam,& alterã ducit, mœchatur: & qui dimissã à viro ducit, mœchatur.
19 Homo quidã erat dives, qui induebatur purpura & bysso : & epulabatur quotidie splendidè.
20 Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus,
21 Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis,& nemo illi dabat : sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.
F 22 Factum est autem ut moreretur mendicus,& portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & dives,& sepultus est in inferno.
23 Elevans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu ejus :
24 Et ipse clamans dixit : Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.
G 25 Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nũc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.
26 Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.
27 Et ait : Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris mei.
28 Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.
29 Et ait illi Abraham : Habent Moysen, & Prophetas : audiant illos.
30 At ille dixit : Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.
31 Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Caput XVII.

Væ scandalizanti pusillos : frater in nos peccans increpandus est, eique pœnitenti ignoscendum : Apostolos docet fidei efficaciam ; quòdque dum omnia ipsis præcepta fecerint, se servos dicant inutiles, decem leprosi mundantur, unico qui Samaritanus erat ad agendas gratias revertente : dicit adventum filij Dei non occultum fore, sed illustrem, & inexpectato superventurum, sicut diluvium mundo, & Sodomis subversio supervenit.

A 1 ET ait ad discipulos suos : Impossibile est ut non veniant scandala : væ autem illi per quem veniunt.
*Mat. 18. a. 7. Marc. 9. 2 Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa f. 42. collum ejus, & projiciatur in mare, quàm ut scandalizet unum de pusillis istis.
3 Attendite vobis : * Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum : & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. *Lev. 19. c.17. Eccl. 19. b. 13.
4 Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me, dimitte illi. Mat.18. b. 15.
5 Et dixerunt Apostoli Domino : Adauge nobis fidem.
6 * Dixit autem Dominus : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare, & transplantare in mare : & obediet vobis. *Matth. 17.c.19. B
7 Quis autem vestrûm habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi : Statim transi, recumbe :
8 Et non dicat ei : Para quod cœnem, & præcinge te,& ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes ?
9 Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat ? C
10 Non puto. Sic & vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus.
11 Et factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam.
12 Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè :
13 Et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri.
14 Quos ut vidit, dixit : * Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. *Levit. 14. a.2.
15 Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cũ magna voce magnificãs Deum, D
16 Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens : & hic erat Samaritanus.
17 Respondens autem Jesus, dixit : Nónne decem mundati sunt ? & novem ubi sunt ?
18 Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.
19 Et ait illi : Surge, vade : quia fides tua te salvum fecit.
20 Interrogatus autem à Pharisæis : Quando venit regnum Dei ? respondens eis, dixit : Non venit regnum Dei cum observatione :
21 Neque dicent : Ecce hîc, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.
22 Et ait ad discipulos suos: Venient dies quando desideretis videre unum diem Filij hominis, & non videbitis. E
23 * Et dicent vobis : Ecce hîc, & ecce illic. Nolite ire, neque sectemini. * Matt. 24.b.23. Mar.13. c. 21.
24 Nam sicut fulgur coruscans de sub cælo, in ea quæ sub cælo sunt, fulget : ita erit Filius hominis in die sua.
25 Primùm autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac.
26 * Et sicut factum est in diebus Noë, ita erit & in diebus Filij hominis. *Gen.7. b.7. Mat.24. c. 37.
27 Edebant, & bibebant : uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usque in diem, qua F intravit

intravit Noë in arcam : & venit diluvium, & perdidit omnes.
*Gen.19. c.25. 28 * Similiter sicut factum est in diebus Lot : Edebant, & bibebant : emebant, & vendebant : plantabant, & ædificabant :
29 Qua die autem exiit Lot à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit :
30 Secundùm hæc erit qua die Filius hominis revelabitur.
G 31 In illa hora, qui fuerit in tecto, & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa; & qui in agro, similiter non redeat retrò.
32 Memores estote uxoris Lot.
*Matt. 10.d.39. Marc. 8. d.35. Sup.9. c.24. Ioan. 12. d.25. 33 * Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam : & quicumque perdiderit illam, vivificabit eam.
34 Dico vobis : * In illa nocte erunt duo in lecto uno; unus assumetur, & alter relinquetur :
*Matt. 24.d.40. 35 Duæ erunt molentes in unum; una assumetur, & altera relinquetur : duo in agro; unus assumetur, & alter relinquetur.
36 Respondentes dicunt illi : Ubi Domine?
37 Qui dixit illis : Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

Caput XVIII.

Per parabolam de judice iniquitatis & vidua importuna docet semper orandum, per parabolam verò de Pharisæo & Publicano, quomodo sit orandum : pueros à se repelli vetat : dives qui à juventute omnia se servasse præcepta dicebat, audito Christi consilio de omnibus relinquendis abiit tristis : & quid erit præmij omnia propter Christum relinquentibus : prædicit suam passionem, & prope Iericho cæcum illuminat.

A 1 DIcebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare & non deficere,
Eccli.18. c.22. 1. Thess. 5. c.17. 2 Dicens : Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur.
3 Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens : Vindica me de adversario meo.
4 Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se : Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor :
5 Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggillet me.
6 Ait autem Dominus : Audite quid judex iniquitatis dicit :
B 7 Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis ?
8 Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra ?
9 Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, & aspernabantur ceteros, parabolam istam :
10 Duo homines ascenderunt in templum ut orarent : unus Pharisæus, & alter publicanus.
C 11 Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus gratias ago tibi quia non sum sicut ceteri hominum : raptores, injusti, adulteri : velut etiam hic publicanus.
12 Jejuno bis in sabbato : decimas do omnium quæ possideo.
13 Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum levare : sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus propitius esto mihi peccatori.
14 Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo : *quia omnis qui se exaltat, humiliabitur : & qui se humiliat, exaltabitur. *Matt. 23.b.12. Sup.14. b.11.
15 * Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret. Quod cùm viderent discipuli, increpabant illos. * Matth. 19.b.13. Mar. 10. b.13.
16 Jesus autem convocans illos, dixit : Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos : talium est enim regnum Dei.
17 Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.
18 * Et interrogavit eum quidam princeps, dicens : Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo ? D * Matt. 19.b.16.
19 Dixit autem ei Jesus : Quid me dicis bonum ? nemo bonus nisi solus Deus.
20 Mandata nosti: *Non occides: Non mœchaberis : Non furtum facies : Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum & matrem. * Exod. 20.c.13.
21 Qui ait : Hæc omnia custodivi à juventute mea.
22 Quo audito, Jesus ait ei : Adhuc unum tibi deest : omnia quæcumque habes vende,& da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo : & veni, sequere me.
23 His ille auditis, contristatus est : quia dives erat valdè.
24 Videns autem Jesus illum tristem factum, E dixit : Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt.
25 Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.
26 Et dixerunt qui audiebant : Et quis potest salvus fieri ?
27 Ait illis : Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.
28 Ait autem Petrus : Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.
29 Qui dixit eis : Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei,
30 Et non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.
31 * Assumpsit autem Jesus duodecim, & ait illis : Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. *Matt. 20.b.17. Mar. 10. c.32.
32 Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur :
33 Et postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget.
34 Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & intelligebant quæ dicebantur.
35 * Factum est autem, cùm appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. *Matt. 20.d.29. Mar.10. g.46.
36 Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset.
37 Dixerunt autem ei, quòd Jesus Nazarenus transiret.

38 Et clamavit, dicens : Jesu fili David miserere mei.

G 39 Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse verò multò magis clamabat : Fili David miserere mei.

40 Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cùm appropinquasset, interrogavit illum,

41 Dicens : Quid tibi vis faciam. At ille dixit: Domine, ut videam.

42 Et Jesus dixit illi : Respice, fides tua te salvum fecit.

43 Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

Caput XIX.

Ad Zachæum plurimis murmurantibus divertit : parabolam refert de homine nobili, qui abiens ad regnum accipiendum tradidit decem servis decem mnas, quem cives super se regnare nolebant : super pullum asinæ intrans cum honore Ierosolymam, flet super illam, prædicitque evertendam, & ingressus in templum ejicit ementes ac vendentes.

A 1 ET ingressus perambulabat Jericho.

2 Et ecce vir nomine Zachæus : & hic princeps erat publicanorum, & ipse dives :

3 Et quærebat videre Jesum, quis esset : & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.

4 Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret eum : quia inde erat transiturus.

5 Et cùm venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, & dixit ad eum : Zachæe festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere.

6 Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.

7 Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicẽtes quòd ad hominem peccatorem divertisset.

B 8 Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

9 Ait Jesus ad eum : Quia hodie salus domui huic facta est : eò quòd & ipse filius sit Abrahæ.

*Matt. 18.b.11. 10 * Venit enim Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.

11 Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eò quòd esset prope Jerusalem : & quia existimarent quòd confestim regnum Dei manifestaretur.

*Matt. 25.a.14. 12 Dixit ergo : * Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti.

13 Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio.

C 14 Cives autem ejus oderant eum : & miserunt legationem post illum, dicentes : Nolumus hunc regnare super nos.

15 Et factum est ut rediret accepto regno : & jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset.

16 Venit autem primus dicens : Domine, mna tua decem mnas acquisivit.

17 Et ait illi : Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.

18 Et alter venit, dicens : Domine, mna tua fecit quinque mnas.

19 Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates.

20 Et alter venit, dicens : Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario :

21 Timui enim te, quia homo austerus es: tollis D quod non posuisti, & metis quod non seminasti.

22 Dicit ei: De ore tuo te judico serve nequã. sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminavi.

23 Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?

24 Et astantibus dixit : Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet.

25 Et dixerunt ei : Domine, habet decẽ mnas.

*Matt. 13.b.12. 25.c.29. Mar.4. c.25. Sup.8. c.18. 26 * Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit : ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.

E 27 Verumtamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.

28 Et his dictis, præcedebat ascendens Jerosolymam.

*Matt. 2 I.a.1. Mar.11. a.1. 29 Et factum est, * cùm appropinquasset ad Bethphage, & Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos,

30 Dicens : Ite in castellum, quod contrà est : in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo umquam hominum sedit: solvite illum, & adducite.

31 Et si quis vos interrogaverit: Quare solvitis? sic dicetis ei : Quia Dominus operam ejus desiderat.

32 Abierunt autem qui missi erant : & invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum.

33 Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos. Quid solvitis pullum?

34 At illi dixerunt : Quia Dominus eum necessarium habet.

*Ioan. 12.b.14. F 35 * Et duxerunt illum ad Jesum. Et jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum.

36 Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via.

37 Et cùm appropinquaret jam ad descensum Montis oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus,

38 Dicentes : Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelsis.

39 Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum : Magister, increpa discipulos tuos.

40 Quibus ipse ait : dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

41 Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens :

42 Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

43 Quia venient dies in te : & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te : & coangustabunt te undique :

*Matt. 24.a.2. Mar.13. a.2. Inf.21. b.6. 44 Et ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, * & non relinquent in te lapidem super lapidem : eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.

45 * Et

*Matt. 21.b.12. Mar.11. b.15. *Isa.56. c.7. Ier.7. b.11. 45 * Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes,

46 Dicens illis : Scriptum est : * Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.

47 Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere :

48 Et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

Caput XX.

Non dicit sacerdotibus ac Scribis qua potestate hæc faciat, quia nec illi respondebant ad propositam de Ioannis baptismo quæstionem : parabolam refert de vinitoribus, qui cæsis domini servis etiam filium ejus occiderunt : tentatur Jesus de tributo Cæsari dando, & à Sadducæis de resurrectione : quomodo dicunt Christum filium esse David : cavendum à Scribis ambitiosis.

Matt.21. b.23. Mar.11. d.27. A 1 ET factum est in una dierum, docente illo populum in templo, & evangelizante, convenerunt principes sacerdotum, & Scribæ cum senioribus.

2 Et aiunt dicentes ad illum : Dic nobis, in qua potestate hæc facis? aut : Quis est, qui dedit tibi hanc potestatem?

3 Respondens autem Jesus, dixit ad illos : Interrogabo vos & ego unum verbum. Respondete mihi :

4 Baptismus Joannis de cælo erat, an ex hominibus?

5 At illi cogitabant intra se, dicentes : Quia si dixerimus, De cælo, dicet, Quare ergo non credidistis illi?

6 Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos : certi sunt enim, Joannem prophetam esse.

7 Et responderunt se nescire unde esset.

8 Et Jesus ait illis : Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

*Isai.5. a.1. Ier. 2. c.21. Matth. 21.d.33. Mar. 12. a.1. B 9 Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc : * Homo plantavit vineam, & locavit eam colonis : & ipse peregrè fuit multis temporibus.

10 Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem.

11 Et addidit alterum servum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem :

12 Et addidit tertium mittere : qui & illum vulnerantes ejecerunt.

13 Dixit autem dominus vineæ : Quid faciam? mittam filium meum dilectum : forsitan, cùm hunc viderint, verebuntur.

14 Quem cùm vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes : Hic est heres, occidamus illum, ut nostra fiat hereditas.

C 15 Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ?

16 Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi : Absit.

*Ps.117. d.22. Isa.28. d.16. Matt.21. d.42. Act. 4. b.11. 17 Ille autem aspiciens eos, ait : Quid est ergo hoc, quod scriptum est: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?

18 Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.

19 Et quærebant principes sacerdotum, & Scribæ, mittere in illum manus in illa hora : & timuerunt populum : cognoverunt enim quòd ad ipsos dixerit similitudinem hanc. *Rom. 9.f.33. 1.Pet.2. b.7.

20 * Et observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illũ principatui & potestati præsidis. *Matt. 22.b.15. Mar.12. b.13.

21 Et interrogaverunt eum, dicentes : Magister, scimus quia rectè dicis & doces : & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces : D

22 Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?

23 Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos : Quid me tentatis?

24 Ostendite mihi denarium. Cujus habet imaginem, & inscriptionem? Respondentes dixerunt ei : Cæsaris.

25 Et ait illis : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, E Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. * Rom. 13.a.7.

26 Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe: & mirati in responso ejus, tacuerunt.

27 * Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, & interrogaverunt eum, *Matt. 22.c.23. Mar.12. b.18.

28 Dicentes : Magister, Moyses scripsit nobis : *Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, & hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, & suscitet semen fratri suo. *Deut. 25.a.5.

29 Septem ergo fratres erant : & primus accepit uxorem, & mortuus est sine filiis.

30 Et sequens accepit illam, & ipse mortuus est sine filio. F

31 Et tertius accepit illam. Similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt.

32 Novissimè omnium mortua est & mulier.

33 In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem.

34 Et ait illis Jesus : Filij hujus sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias :

35 Illi verò, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores :

36 Neque enim ultrà mori poterunt : æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis.

37 Quia verò resurgant mortui, & Moyses ostendit secus rubum, * sicut dicit Dominum, *Exod. 3.b.6. Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob.

38 Deus autem non est mortuorum, sed vivorum : omnes enim vivunt ei.

39 Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei : Magister, benè dixisti.

40 Et amplius non audebant eum quidquam interrogare.

41 Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum, filium esse David? G

*Ps.109. a.1. Matth. 22.d.44. Mar. 12. d.36. 42 Et ipse David dicit in libro Psalmorum: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis,

43 Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum?

44 David ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius ejus est?

*Matt. 23.a.6. Mar. 12. d.38. Sup. 11. f.43. 45 Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis :

46 * Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in

Universidad de Buenos Aires
Biblioteca

in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conviviis :

47 Qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

Caput XXI.

Viduam duo minuta offerentem profert divitibus multa offerentibus : subversionem templi prædicit, variáque prælia, afflictiones & persecutiones ; adversus quæ roborat Apostolos : prædicit quoque subversionem Ierusalem, & Iudæorum captivitatem ac dispersionem : de signis præcessuris judicium : cavendum à crapula, ebrietate curisque hujus vitæ, & vigilandum ac orandum.

A 1 RESpiciens autem, vidit eos, qui mittebant *Mar. 12. d.41.* munera sua in gazophylacium, divites.

2 Vidit autem & quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo.

3 Et dixit : Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes misit.

4 Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei : hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit.

5 Et quibusdam dicentibus de templo, quòd bonis lapidibus & donis ornatum esset, dixit :

B 6 Hæc quæ videtis, * venient dies, in quibus ** Matt. 24.a.2. Mar 13. a.2. Sup.19. g.44.* non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

7 Interrogaverunt autem illum, dicentes : Præceptor, quando hæc erunt, & quod signum cùm fieri incipient ?

8 Qui dixit : Videte ne seducamini : multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum : & tempus appropinquavit : nolite ergo ire post eos.

C 9 Cùm autem audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri : oportet primùm hæc fieri, sed nondum statim finis.

10 Tunc dicebat illis : Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum.

11 Et terræ motus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroréſque de cælo, & signa magna erunt.

12 Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides, propter nomen meum :

13 Continget autem vobis in testimonium.

14 Pónite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis.

D 15 Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarij vestri.

16 Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis :

17 Et eritis odio omnibus propter nomen meũ :

18 Et capillus de capite vestro non peribit.

19 In patiẽtia vestra possidebitis animas vestras.

** Dan.9. g.27. Matth. 24.b.15. Mar. 13. b.14.*

20 * Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus :

21 Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes : & qui in medio ejus, discedant : & qui in regionibus, non intrent in eam.

22 Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt.

23 Væ autem prægnantibus & nutrientibus in E illis diebus. erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic.

24 Et cadent in ore gladij : & captivi ducentur in omnes Gentes, & Jerusalem calcabitur à Gentibus : donec impleantur tempora nationum.

25 * Et erunt signa in sole, & luna, & stellis, & ** Isai.12. b.10. Ezech. 32.b.7. Joel.3. c.15.* in terris pressura Gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum :

26 Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ supervenient universo orbi. nam *Matth. 24. c.29. Mar.13. c.24.* virtutes cælorum movebuntur :

27 Et tunc videbunt filium hominis venientem F in nube cum potestate magna, & majestate.

28 His autem fieri incipientibus, respicite, & ** Rom.8. d.23.* levate capita vestra : * quoniam appropinquat redemptio vestra.

29 Et dixit illis similitudinem : Videte ficulneam, & omnes arbores :

30 Cùm producunt jam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas.

31 Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei.

32 Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.

33 Cælum & terra transibunt : verba autem mea non transibunt.

34 Attendite autem vobis, ne fortè graventur G corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ : & superveniat in vos repentina dies illa :

35 Tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.

36 Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

37 Erat autem diebus docens in templo : noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti.

38 Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

Caput XXII.

Cogitant principes sacerdotum de occidendo Iesu, quem vendit Judas : jubet parari pascha : panem in corpus suum & vinum in sanguinem consecreta tradit discipulis, præcipiens ut idem faciant : contentio discipulorum quis eorum sit major : prædicit trinam Petri negationem, jubens vendi tunicam & emi gladium : post prolixam in agonia orationem, & sudorem instar sanguinis in terram decurrentis, capitur à Iudæis : quorum uni Petrus abscidit auriculam : conqueritur quòd ad eum quasi ad latronem capiendum exierint : in domo principis sacerdotum ter à Petro negatur, & à Iudæis cæditur ac illuditur, & manè in concilio interrogatus fatetur se Dei filium.

1 APpropinquabat autem dies festus Azymo- A *Matth. 26.a.2. Mar. 14. a.1.* rum, qui dicitur Pascha :

2 Et quærebant principes sacerdotum, & Scribæ, quomodo Jesum interficerent : timebant verò plebem.

3 *Intravit autem satanas in Judam, qui cogno- ** Matt. 26.b.14. Mar 14. b.10.* minabatur Iscariotes, unum de duodecim.

4 Et abiit, & locutus est cum principibus sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis.

5 Et gavisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare.

6 Et spopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis.

7 Venit

7 Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.

8 Et misit Petrum & Joannem, dicens : Euntes parate nobis pascha, ut manducemus.

9 At illi dixerunt : Ubi vis paremus ?

B 10 Et dixit ad eos : Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans : sequimini eum in domum, in quam intrat.

11 Et dicetis patrifamilias domus : dicit tibi Magister : Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem ?

12 Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.

13 Euntes autem, invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt pascha.

** Matt. 26.b.20. Mar.14. b.17.*

14 * Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.

15 Et ait illis : Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.

16 Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

17 Et accepto calice gratias egit, & dixit : Accipite, & dividite inter vos.

18 Dico enim vobis quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

C 19 * Et accepto pane gratias egit, & fregit, & ** 1.Cor. 11. c.24.* dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meã commemorationẽ.

20 Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

** Matt. 26.b.21. Mar. 14. b.20. Ioan. 13. a.18. * Ps.40. b.9.*

21 * Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.

22 Et quidem Filius hominis, * secundùm quod definitum est, vadit : verumtamen væ homini illi, per quem tradetur.

23 Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset.

24 Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.

** Matt. 20.c.25. Mar.10. f.42.*

25 Dixit autem eis : * Reges Gentium dominantur eorum : & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.

26 Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor : & qui præcessor est, sicut ministrator.

27 Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat ? nónne qui recumbit ? Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.

28 Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis :

29 Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum.

30 Ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo : & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israël.

31 Ait autem Dominus : Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum :

D 32 Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua : & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

33 Qui dixit ei : Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.

** Matt. 26.c.34. Mar. 14. c.30. * Matt. 10.b.9.*

34 * At ille dixit : Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis :

35 * Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis ?

36 At illi dixerunt : Nihil. Dixit ergo eis : Sed nunc qui habet sacculum, tollat ; similiter & peram : & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.

37 Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me : * Et cùm iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent. ** Isai. 53. d.12.*

38 At illi dixerunt : Domine, ecce duo gladij hîc. At ille dixit eis : Satis est.

39 * Et egressus ibat secundùm consuetudinem in Montem olivarum. Secuti sunt autem illum & discipuli. ** Matt. 26.d.36. Mar. 14. d.32. Ioan.18. a.1.*

40 Et cùm perveniisset ad locum, dixit illis : Orate ne intretis in tentationem.

41 * Et ipse avulsus est ab eis quantum jactus E est lapidis : & positis genibus orabat, ** Matt. 26.d.39. Mar. 14. d.35.*

42 Dicens : Pater si vis, transfer calicem istum à me : Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

43 Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixiùs orabat.

44 Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

45 Et cùm surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, invenit eos dormiẽtes præ tristitia.

46 Et ait illis : Quid dormitis ? surgite, orate, ne intretis in tentationem.

47 * Adhuc eo loquente, ecce turba : & qui ** Matt. 26.e.47. Mar. 14. e.43. Ioan. 18. a.3.* vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos : & appropinquavit Jesu ut oscularetur eum.

48 Jesus autem dixit illi : Juda, osculo Filium hominis tradis ?

49 Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio ?

50 Et percussit unus ex illis servum principis F sacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexterã.

51 Respondens autem Jesus, ait : Sinite usque huc. Et cùm tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.

52 Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores : Quasi ad latronem existis cum gladiis & fustibus ?

53 Cùm quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me : sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.

54 * Comprehendentes autem eum, duxerunt ** Matt. 26.f.57. Mar. 14. f.53. Ioan.18. d.24.* ad domum principis sacerdotum : Petrus verò sequebatur à longè.

55 * Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. ** Matt.*

56 Quem cùm vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit. Et hic cum illo erat. *26.g.69. Mar. 14. g.66. Ioan.18. e.25.*

57 At ille negavit eum, dicens : Mulier non novi illum.

58 Et post pusillum alius videns eum, dixit : Et tu de illis es. Petrus verò ait : O homo non sum.

59 * Et intervallo facto quasi horæ unius, alius ** Ioan. 18.e.26.*

quidam

quidam affirmabat, dicens : Verè & hic cum illo erat : nam & Galilæus est.

60 Et ait Petrus : Homo, nescio quid dicis. Et continuò adhuc illo loquente cantavit gallus.

G 61 Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: *Quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis :

*Matt. 26.c.34. Mar.14. c.30. Ioan.13. d.38.

62 Et egressus foras Petrus flevit amarè.

63 Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes.

64 Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus : & interrogabant eum, dicentes : Prophetiza, quis est, qui te percussit ?

65 Et alia multa blasphemãtes dicebant in eum.

* Matt. 27.a.1. Mar. 15. a.1. Ioan. 18. e.28.

66 * Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes : Si tu es Christus, dic nobis.

67 Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi:

68 Si autem & interrogavero, non respondebitis mihi neque dimittetis.

69 Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.

70 Dixerunt autem omnes : Tu ergo es Filius Dei ? Qui ait : Vos dicitis, quia ego sum.

71 At illi dixerunt : Quid adhuc desideramus testimonium ? ipsi enim audivimus de ore ejus.

CAPUT XXIII.

Accusatus coram Pilato mittitur ad Herodem qui illum spretum illusit : Pilatus conatur ipsum dimittere, proposito Barabba homicida, & promissa castigatione : Judæis tamen instantibus morti adjudicatur ; ductúsque ad supplicium, vetat mulieres super se flere : cum latronibus crucifixus Patrem orat pro crucifigentibus : irridetur à principibus & à militibus acetum offerentibus : posita superscriptione blasphematur ab uno latronum, alteri verò promittit sui in paradiso consortium : post tenebras aliáque signa clamans exspirat, quem Centurio justum prædicat, & Ioseph corpus ejus sepelit.

A 1 ET surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.

2 Cœperunt autem illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram,

* Matt. 22.b.21. Mar. 12. g.17.

* & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.

* Matth. 27.b.11. Mar. 15. a.2. Ioan. 18. f.33.

3 * Pilatus autem interrogavit eum, dicens : Tu es rex Judæorum ? At ille respondens ait : Tu dicis.

4 Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, & turbas : Nihil invenio causæ in hoc homine.

5 At illi invalescebant, dicentes : Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens à Galilæa usque huc.

6 Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset.

7 Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Jerosolymis erat illis diebus.

B 8 Herodes autem viso Jesu, gavisus est valdè. erat enim cupiens ex multo tempore videre eum: eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.

9 Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.

10 Stabant autem principes sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum.

11 Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo : & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.

12 Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die : nam anteà inimici erant ad invicem.

13 Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe,

14 Dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans,* nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis.

*Ioan. 18.c.38. 19.a.4.

C 15 Sed neque Herodes : nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei.

16 Emendatum ergo illum dimittam.

17 Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum.

18 Exclamavit autem simul universa turba, dicens : Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.

19 Qui erat propter seditionem quandam factam in civitate, & homicidium, missus in carcerẽ.

20 Iterùm autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum.

21 At illi succlamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum.

22 Ille autem tertiò dixit ad illos : *Quid enim mali fecit iste ? nullam causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum, & dimittam.

*Matth. 27.c.23. Mar.15. b.14.

D 23 At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur : & invalescebant voces eorum.

24 Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorũ.

25 Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quẽ petebant : Jesum verò tradidit voluntati eorũ.

26 * Et cùm ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa : & imposuerunt illi crucẽ portare post Jesum.

*Matt. 27.d.32. Mar.15. b.21.

27 Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum : quæ plangebant, & lamentabantur eum.

28 Conversus autem ad illas Jesus, dixit : Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.

29 Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent : Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.

30 Tunc incipient dicere montibus : * Cadite super nos ; & collibus : Operite nos.

E *Isai.2. d.19. Osee 10. c.8. Apoc.6. d.16.

31 Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ?

32 Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, ut interficerentur.

33 * Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum, & latrones, unum à dextris, & alterum à sinistris.

*Matt. 27.d.33. Mar.15. b.22. Ioan. 19. c.17.

34 Jesus autem dicebat : Pater dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. Dividentes verò vestimenta ejus, miserunt sortes.

35 Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes : Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus.

36 Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei,

37 Et dicentes : Si tu es rex Judæorum, salvum te fac.

38 Erat autem & superscriptio scripta super

F eum

eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis : Hic est rex Judæorum.

39 Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos.

40 Respondens autem alter increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es.

41 Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus : hic verò nihil mali gessit.

42 Et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.

43 Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso.

44 Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam.

45 Et obscuratus est sol : & velum templi scissum est medium.

*Ps.30. a.6.

46 Et clamans voce magna Jesus ait : * Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit.

47 Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens. Verè hic homo justus erat.

G 48 Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.

49 Stabant autem omnes noti ejus à longè, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.

*Matth. 27.b.57. Mar.15. d.43. Ioan. 19. g.38.

50 * Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus & justus :

51 Hic non consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat & ipse regnum Dei.

52 Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu:

53 Et depositum involvit sindone, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.

54 Et dies erat parasceves, & sabbatum illucescebat.

55 Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus ejus.

56 Et revertentes paraverunt aromata, & unguenta : & sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum.

CAPUT XXIV.

Mulieribus ad Christi monumentum consternatis quòd ejus corpus non invenirent, Angeli ipsum resurrexisse nuntiant, & illæ Apostolis, qui id tamquam deliramentum accipiunt : Petrus ad monumentum currens & ipse admiratur quòd corpus non invenerit : duobus in Emmaus euntibus, Jesus Scripturas interpretatur, & in fractione panis ab eis agnoscitur : congregatis discipulis palpandum se præbet, & cum eis edens aperit sensum ut Scripturas intelligant, ac promisso Spiritu sancto in cælum ascendit.

A 1 UNA autem sabbati valdè diluculò venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata :

*Matth. 28.a.1. Mar.16. a.2. Ioan.20. a.1.

2 Et invenerunt lapidẽ revolutũ à monumento.

3 Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu.

4 Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti.

5 Cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas : Quid quæritis viventem cum mortuis ?

6 Non est hîc, sed surrexit : recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset,

7 Dicens : * Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.

*Mart. 16. .21. 17.c.21. Mar.8. d.31.9. e.30. Sup.9. b.22.

8 Et recordatæ sunt verborum ejus.

9 Et regressæ à monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & ceteris omnibus.

B 10 Erat autem Maria Magdalene, & Joanna, & Maria Jacobi, & ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc.

11 Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista : & non crediderunt illis.

12 Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum : & procumbens vidit linteamina sola posita : & abiit secum mirans quod factum fuerat.

13 * Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus.

* Marc. 16.c.12.

14 Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant.

15 Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent : & ipse Jesus appropinquans ibat cum illis.

16 Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.

17 Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones, quos C confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes ?

18 Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus ?

19 Quibus ille dixit : Quæ ? Et dixerunt : De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo :

20 Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.

21 Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël : & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quòd hæc facta sunt.

22 Sed & mulieres quædã ex nostris terruerunt D nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum.

23 Et non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere.

24 Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum : & ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non invenerunt.

25 Et ipse dixit ad eos : O stulti, & tardi corde ad credendũ, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ :

26 Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam ?

27 Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.

28 Et appropinquaverunt castello quò ibant : & ipse se finxit longiùs ire.

29 Et coëgerunt illum, dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies. Et intravit cum illis.

30 Et factum est, dum recũberet cum eis, accepit

Z panem,

panem,& benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.
31 Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipse evanuit ex oculis eorum.
32 Et dixerunt ad invicem: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?
33 Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem: & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant,
34 Dicentes: Quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.
35 Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.
Marc. 14. c.16. Joan. 20. c.19. 36 * Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere.
37 Conturbati verò, & conterriti, existimabant se spiritum videre.
F 38 Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?
39 Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.
40 Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes.
41 Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid, quod manducetur?
42 At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis.
43 Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.
44 Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.
45 Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.
46 Et dixit eis: * Quoniam sic scriptum est, & G sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: *Psal. 18. b. 6.*
47 Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma.
48 * Vos autem testes estis horum. *Act. 1. b. 8.*
49 * Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. *Joan. 14. d. 26.*
50 Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & elevatis manibus suis benedixit eis.
51 * Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. *Marc. 16. d. 19. Act. 1.*
52 Et ipsi adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno: *b. 9.*
53 Et erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Amen.

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM JOANNEM.

Caput Primum.

Verbum est Deus, vita, & lux omnem hominem illuminans, per quod omnia facta sunt, & quod homo factum est, cui testimonium perhibet Joannes, dicens se vocem, & indignum qui illius solvat corigiam calceamenti, eúmque esse agnum Dei qui tollit peccatum mundi: Andreas alter duorum Ioannis discipulorum qui Jesum secuti sunt, adducit ad illum etiam Simonem fratrem suum: Philippus quoque à Jesu vocatus, adducit ad eum Nathanael.

A 1 IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.
2 Hoc erat in principio apud Deum.
3 Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est,
4 In ipso vita erat, & vita erat lux hominum:
5 Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.
Matt. 3. a. 1. Mar. 1. a. 2. 6 * Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.
7 Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.
8 Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.
Isai. 5. c.19. 9 * Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
B 10 In mundo erat, * & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. *Heb. 11. a. 3.*
11 In propria venit, & sui eum non receperunt.
12 Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus:
13 Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.
14 * Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. *Matt. 1. c.16. Luc. 2. a. 7.*
15 Joannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.
16 * Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. *1. Tim. 6. d. 17.*
17 Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.
C 18 * Deum nemo vidit umquam: unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit: *1 Tim. 6. d. 16. 1. Joan. 4. c. 12.*
19 Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?

20 Et

20 Et confessus est, & non negavit: & confessus est: Quia non sum ego Christus.
21 Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.
22 Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de teipso?
Isai. 40. a. 3. Matth. 3. a. 3. Mar. 1. a. 3. Luc. 3. b. 4. 23 Ait: * Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.
24 Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.
D 25 Et interrogaverunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?
Matth. 3. c.11. 26 Respondit eis Joannes, dicens: * Ego baptizo in aqua: medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis.
Mar. 1. a. 7. Luc. 3. d. 16. Act. 1. a. 5. 11. c. 16. 19. a. 4. 27 * Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corigiam calceamenti.
28 Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.
29 Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.
30 Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat.
31 Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans.
32 Et testimonium perhibuit Joannes, dicens:
Matth. 3. d. 16. Mar. 1. b. 10. Luc. 3. c. 22. * Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum.
33 Et ego nesciebam eum: sed qui misit me
E baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.
34 Et ego vidi: & testimonium perhibui quia hic est Filius Dei.
35 Altera die iterùm stabat Joannes, & ex discipulis ejus duo.
36 Et respiciens Jesum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei.
37 Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum.
38 Conversus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, (quod dicitur interpretatum Magister) ubi habitas?
F 39 Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima.
40 Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant à Joanne, & secuti fuerant eum.
41 Invenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: Invenimus Messiam. (quod est interpretatum Christus.)
42 Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas. (quod interpretatur Petrus.)
43 In crastinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum. Et dicit ei Jesus: sequere me.
44 Erat autem Philippus à Bethsaida, civitate Andreæ & Petri.
G 45 Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit * Moyses in lege, & * Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth. *Gen. 49. b. 10. Deut. 18. d. 18. Isai. 40. c. 10. 45. b. 8. Ier. 23. a. 5. Ezech. 34. f. 23. 37. g. 24. Dan. 9. f. 24. 25.*
46 Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, & vide.
47 Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.
48 Dicit ei Nathanael: Unde me nosti? Respondit Jesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te.
49 Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël.
50 Respondit Jesus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: majus his videbis.
51 Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium hominis.

Caput II.

Iesus ad nuptias invitatus, aquam in vinum convertit, & à Capharnaum veniens Ierosolymam, ejicit de templo negotiatores; ac signo à Iudæis petito, dicit, Solvite templum hoc, &c. multi propter signa crediderunt in nomine Iesu, quibus ipse non se credebat.

1 ET die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Ga- A
lilææ: & erat mater Jesu ibi.
2 Vocatus est autem & Jesus, & discipuli ejus, ad nuptias.
3 Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent.
4 Et dicit ei Jesus: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea.
5 Dicit mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.
6 Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas.
7 Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.
8 Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt.
9 Ut autem gustavit architriclinus aquam vi- B
num factam, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus.
10 Et dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.
11 Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ: & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.
12 Post hoc descendit Capharnaum ipse, & C
mater ejus, & fratres ejus, & discipuli ejus: & ibi manserunt non multis diebus.
13 Et propè erat Pascha Judæorum, & ascendit Jesus Ierosolymam:
14 Et invenit in templo vendentes, boves, & oves, & columbas, & numularios sedentes.
15 Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves, & numulariorum effudit æs, & mensas subvertit.
16 Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.
17 Recordati sunt verò discipuli ejus quia scriptum

Universidad de Sevilla Biblioteca

*Pſ.68. b.10. ſcriptum eſt : * Zelus domus tuæ comedit me.
18 Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt ei : Quod ſignum oſtendis nobis quia hæc facis?
*Matt. 26.f.61. 27.e.40. Mar.14. f.58.15. c.29. 19 Reſpondit Jeſus, & dixit eis : *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.
20 Dixerunt ergo Judæi : Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus
D diebus excitabis illud ?
21 Ille autem dicebat de templo corporis ſui.
22 Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati
*Pſal.3. b.6.56. b.9. ſunt diſcipuli ejus, quia hoc dicebat, & * crediderunt ſcripturæ, & ſermoni quem dixit Jeſus.
23 Cùm autem eſſet Jeroſolymis in paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus quæ faciebat.
24 Ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis, eò quòd ipſe noſſet omnes.
25 Et quia opus ei non erat ut quis teſtimonium perhiberet de homine : ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.

Caput III.

Nicodemum nocte edocet de renaſcendo ex aqua & Spiritu, ac de ſui inſtar anei ſerpētis exaltatione, quòdque Deus filium ſuum miſit ad ſalvandum mundum : facta quæſtione de purificatione Ioannes ſuis diſcipulis de Chriſto murmurantibus, laudat ipſum dicens illum creſcere oportere, ſe autem minui, & quòd pater omnia dederit in manu ejus ; ut qui in eum credit, habeat vitam æternam ; qui verò non credit, maneat ira dei ſuper eum.

A 1 ERat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum.
2 Hic venit ad Jeſum nocte, & dixit ei : Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter : nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.
3 Reſpondit Jeſus, & dixit ei : Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.
4 Dicit ad eum Nicodemus : Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci?
5 Reſpondit Jeſus : Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.
6 Quod natum eſt ex carne, caro eſt : & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.
7 Non mireris quia dixi tibi : oportet vos naſci denuò.
8 Spiritus ubi vult ſpirat : & vocem ejus audis,
*Pſ.134. b.7. * ſed neſcis unde veniat, aut quò vadat : ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu.
9 Reſpondit Nicodemus, & dixit ei : Quomodo poſſunt hæc fieri?
B 10 Reſpondit Jeſus, & dixit ei : Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?
11 Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis.
12 Si terrena dixi vobis, & non creditis : quomodo, ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?
13 Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo.
*Num. 21.c.9. 14 * Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet Filium hominis :
15 Ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.
16 * Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium *1. Ioan. 4. b.9. ſuum unigenitum daret : ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.
17 Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.
18 Qui credit in eum, non judicatur : qui au- C tem non credit, jam judicatus eſt : quia non credit in nomine unigeniti Filij Dei.
19 Hoc eſt autem judicium : *quia lux venit in *Sup.1. a.9. mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem : erant enim eorum mala opera.
20 Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.
21 Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta.
22 Poſt hæc venit Jeſus, & diſcipuli ejus, in terram Judæam : & illic demorabatur cum eis, * & *Inf.4. a.1. baptizabat.
23 Erat autem & Joannes baptizans in Aennon, juxta Salim : quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.
24 Nondum enim miſſus fuerat Joannes in carcerem.
25 Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Joannis cum Judæis de Purificatione.
26 Et venerunt ad Joannem, & dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, *cui tu te- *Sup.1.a c.19. ſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.
27 Reſpondit Joannes, & dixit : Non poteſt ho- D mo accipere quidquã, niſi fuerit ei datum de cælo.
28 Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, *quòd *Sup.1. c.20. dixerim : Non ſum ego Chriſtus : ſed quia miſſus ſum ante illum.
29 Qui habet ſponſam, ſponſus eſt : amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.
30 Illum oportet creſcere, me autem minui.
31 Qui deſurſum venit ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur. Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt.
32 Et quod vidit, & audivit, hoc teſtatur : & teſtimonium ejus nemo accipit.
33 Qui accepit ejus teſtimonium, ſignavit quia *Deus verax eſt. *Rom. 3.a.4.
34 Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur : non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.
35 Pater diligit Filium : & omnia dedit in manu ejus.
36 * Qui credit in Filium, habet vitam æter- *1.Ioan. 5.c.10. nam : qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

Caput IV.

Ieſus cum muliere Samaritana loquitur de aqua viva, & adorando Deo in ſpiritu, manifeſtans ei ſe eſſe Meſſiam promiſſum : & diſcipulis dicit ſe cibum habere quem illi neſciunt, nempe Patris obedientiam : de meſſe & metente ac ſeminante : multi Samaritanorum credunt in eum : filium reguli ſanitati reſtituit.

1 UT ergo cognovit Jeſus, quia audierunt Pha- A riſæi quòd Jeſus plures diſcipulos facit, * & *Sup. c.22. baptizat, quàm Joannes.

2 (Quam

2 (Quamquam Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus)
3 Reliquit Judæam, & abiit iterùm in Galilæam.
4 Oportebat autem eum tranſire per Samariam.
5 Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dici-
* Gen. 33.d.19. 48.d.22. Ioſ.24. g.32. tur Sichar juxta prædium, * quod dedit Jacob Joſeph filio ſuo.
6 Erat autem ibi fons Jacob. Jeſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Hora erat quaſi ſexta.
7 Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jeſus : Da mihi bibere.
8 (Diſcipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent.)
9 Dicit ergo ei mulier illa Samaritana : Quomodo tu Judæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coütuntur Judæi Samaritanis.
10 Reſpondit Jeſus, & dixit ei : Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi : Da mihi bibere : tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivã.
11 Dicit ei mulier : Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt : unde ergo habes aquam vivam?
12 Numquid tu major es patre noſtro Jacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filij ejus, & pecora ejus?
13 Reſpondit Jeſus, & dicit ei : Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterùm : qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum:
14 Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.
C 15 Dicit ad eum mulier : Domine da mihi hanc aquam, ut non ſitiam, neque veniam huc haurire.
16 Dicit ei Jeſus : Vade, voca virum tuum, & veni huc.
17 Reſpondit mulier, & dixit : Non habeo virum. Dicit ei Jeſus : Benè dixiſti, quia non habeo virum :
18 Quinque enim viros habuiſti; & nunc quem habes, non eſt tuus vir : hoc verè dixiſti.
19 Dicit ei mulier : Domine, video quia Propheta es tu.
20 Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, &
* Deut. 12.a.5. vos dicitis, * quia Jeroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet.
21 Dicit ei Jeſus : Mulier crede mihi quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem.
*4.Reg. 17.g.41. 22 * Vos adoratis quod neſcitis : nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Judæis eſt.
D 23 Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.
*1.Cor. 3.d.17. 24 *Spiritus eſt Deus : & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.
25 Dicit ei Mulier : Scio quia Meſſias venit (qui dicitur Chriſtus) cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.
26 Dicit ei Jeſus : Ego ſum, qui loquor tecum.
27 Et continuò venerunt diſcipuli ejus : & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit : Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?
28 Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus :
29 Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci : nũquid ipſe eſt Chriſtus?
30 Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum.
31 Intereà rogabant eum diſcipuli, dicentes : Rabbi, manduca.
32 Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.
33 Dicebant ergo diſcipuli ad invicem : Num- E quid aliquis attulit ei manducare?
34 Dicit eis Jeſus : Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiã opus ejus.
35 Nónne vos dicitis, quòd adhuc quattuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis : Levate oculos veſtros, & videte regiones, * quia albæ *Matt. 9.d.37. Luc 10. a.2. ſunt jam ad meſſem.
36 Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam : ut, & qui ſeminat ſimul gaudeat, & qui metit.
37 In hoc enim eſt verbum verum : quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit.
38 Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis : alij laboraverunt, & vos in labores eorũ introiſtis.
39 Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis. Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.
40 Cùm veniſſent ergo ad illũ Samaritani, roga- F verunt eum ut ibi maneret. Et mãſit ibi duos dies.
41 Et multò plures crediderunt in eum propter ſermonem ejus.
42 Et mulieri dicebant : Quia jam non propter tuam loquelam credimus : ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Salvator mundi.
43 Poſt duos autem dies exiit inde : & abiit in Galilæam.
*Matt. 13.g.57. Mar.6. a.4 Luc.4. d.24. 44 * Ipſe enim Jeſus teſtimonium perhibuit, quia Propheta in ſua patria honorem non habet.
45 * Cùm ergo veniſſet in Galilæam, excepe- *Matt. 4.b.12. Mar.1. b.14. Luc.4. b.14. *Sup.2. b.9. runt eum Galilæi, cùm omnia vidiſſent quæ fecerat Jeroſolymis in die feſto : & ipſi enim venerant ad diem feſtum.
46 Venit ergo iterùm in Cana Galilææ, * ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.
47 Hic cùm audiſſet quia Jeſus adveniret à Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus : incipiebat enim mori.
48 Dixit ergo Jeſus ad eum : Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.
49 Dicit ad eum regulus : Domine, deſcende priùs quàm moriatur filius meus.
50 Dicit ei Jeſus : Vade, filius tuus vivit. Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Jeſus, & ibat.
51 Jam autem eo deſcendente, ſervi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret.
52 Interrogabat ergo horam ab eis, in qua meliùs habuerit. Et dixerunt ei : Quia heri hora ſeptima reliquit eum febris.
53 Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jeſus : Filius tuus vivit : & credidit ipſe, & domus ejus tota.

54 Hoc iterùm secundum signum fecit Jesus, cùm venisset à Judæa in Galilæam.

CAPUT V.

Jesus ad piscinam sanato ægroto qui 38. annis languerat, jubet sabbato tollere grabatum; & Judæis id calumniantibus respondet se omnia sua simul cum Patre operari, mortuósque vivificare, ac judicem ab illo constitutum esse omnium, cui & Joannes & propria opera ac Pater, imò & Moyses ipse, testimonium perhibent.

A 1 POst hæc erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam.

Leu. 23. b. 1. Deut. 16. a. 1.

2 Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens.

3 In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.

4 Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinã: & movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

5 Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua.

6 Hunc cùm vidisset Jesus jacentem, & cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri?

B 7 Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.

8 Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

9 Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.

Exod. 20. b. 11. Ierem. 17. d. 24.

10 Dicebant ergo Judæi illi qui sanatus fuerat: * Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatũ tuum.

11 Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.

12 Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuũ, & ambula.

13 Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Jesus enim declinavit à turba constituta in loco.

C 14 Postea invenit eum Jesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

15 Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis: quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.

16 Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato.

17 Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modò operatur, & ego operor.

18 Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non solùm solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, & dixit eis:

19 Amen, amen dico vobis: non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.

D 20 Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.

21 Sicut enim pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius, quos vult, vivificat.

22 Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio,

23 Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.

24 Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me; habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transiit à morte in vitam.

25 Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei: & qui audierint, vivent:

26 Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: E
sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.

27 Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.

28 Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei:

29 * Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem judicij. **Matt. 25. d. 46.*

30 Non possum ego à me ipso facere quidquam. Sicut audio, judico: & judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.

31 Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.

32 * Alius est qui testimonium perhibet de me: * *Matt. 3. d. 17. Sup. 1. b. 15.*
& scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me.

33 Vos misistis ad Joannem: & testimonium F
perhibuit veritati.

34 Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico ut vos salvi sitis.

35 Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus.

36 Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me:

37 Et qui misit me Pater, * ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem ejus umquam audistis, * neque speciem ejus vidistis. **Matt. 3. d. 17. 17. a. 5. *Deut. 4. b. 12.*

38 Et verbum ejus non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis.

39 Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in G
ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me:

40 Et non vultis venire ad me ut vitã habeatis.

41 Claritatem ab hominibus non accipio.

42 Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

43 Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

44 Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis: & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?

45 Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.

46 Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan *Gen. 3. c. 15 22. d. 18. 49. b. 10. Deut. 18. c. 15.*
& mihi: * de me enim ille scripsit.

47 Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis.

CAPUT

CAPUT VI.

Quinque panibus & duobus piscibus satiat quinque virorum millia: fugit volentes ipsum facere regem: super mare ad discipulos vento agitatos ambulat: de pane cæsti docet, quódque ipse sit panis vitæ, & caro ejus cibus quem oporteat manducare, sanguisque ejus potus quem oporteat bibere: quidam discipuli offensi ejus sermone deserunt ipsum, Apostoli autem cum eo permanent; quorum tamen unum dicit esse diabolum.

Matt. 14. b. 13. Marc. 6. d. 32. Luc. 9. a. 10.

1 POst hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis:

2 Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur.

3 Subiit ergo in montem Jesus: & ibi sedebat cum discipulis suis.

4 Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum.

5 Cùm sublevasset ergo oculos Jesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eũ, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?

6 Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.

7 Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

8 Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri:

9 Est puer unus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos?

B 10 Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.

11 Accepit ergo Jesus panes: & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant.

12 Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereãt.

13 Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverãt.

14 Illi ergo homines cùm vidissent quòd Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum.

15 Jesus ergo cùm cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, * fugit iterùm in montem ipse solus. **Matth. 14. c. 23. Mar. 6. f. 46.*

16 Ut autem serò factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare.

17 Et cùm ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ jam factæ erant, & non venerat ad eos Jesus.

18 Mare autem, vento magno flante, exurgebat.

C 19 Cùm remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, & proximum navi fieri, & timuerunt.

20 Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere.

21 Voluerunt ergo accipere eum in navim: & statim navis fuit ad terram, in quam ibant.

22 Altera die, turba quæ stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, & quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim, sed soli discipuli ejus abiissent:

23 Aliæ verò supervenerunt naves à Tiberiade, juxta locum ubi manducaverant panem, gratias agente Domino.

24 Cùm ergo vidisset turba quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum quærentes Jesum.

25 Et cùm invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?

26 Respondit eis Jesus, & dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.

27 Operamini non cibum qui perit, sed qui per- D
manet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. *Hunc enim Pater signavit Deus. ** Matt. 3. d. 17. 17. a. 5. Sup. 1. d. 32.*

28 Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei?

29 Respondit Jesus, & dixit eis: * Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. ** 1. Ioan. 3. d. 23.*

30 Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum ut videamus, & credamus tibi? quid operaris?

31 Patres nostri manducaverunt manna in de- **Exod. 16 d. 14. Num. 11. b. 7. Psal. 77. c. 24. Sap. 16. c. 20.*
serto, sicut scriptum est: * Panem de cælo dedit eis manducare.

32 Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.

33 Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.

34 Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc.

35 Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitæ: **Ecc. 24. c. 29.*
* qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet umquam.

36 Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & nõ creditis.

37 Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras:

38 Quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.

39 Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex E
eo, sed resuscitem illud in novissimo die.

40 Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.

41 Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.

42 Et dicebant: * Nónne hic est Jesus filius Jo- ** Matt. 13. g. 55. Marc. 6. a. 3.*
seph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo descendi?

43 Respondit ergo Jesus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem:

44 Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in novissimo die.

45 Est scriptum in Prophetis: * Et erunt omnes **Isa. 54. f. 13.*
docibiles Dei. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.

46 * Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui F
est à Deo, hic vidit Patrem. ** Matt. 11. d. 27*

47 Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam.

48 Ego sum panis vitæ.

49 * Patres vestri manducaverunt manna in de- ** Exod. 16. c. 13.*
serto, & mortui sunt.

50 Hic est panis de cælo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.

51 Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

52 Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

53 Litigabant ergo Judæi ad invicem,dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ?

54 Dixit ergo eis Jesus : Amen,amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filij hominis,& biberitis ejus sanguinem,non habebitis vitam in vobis.

55 Qui manducat meam carnem,& bibit meum sanguinem,habet vitam æternam : & ego resuscitabo eum in novissimo die.

* 1. Cor. 11 f.27. 56 * Caro enim mea, verè est cibus : & sanguis meus, verè est potus.

57 Qui manducat meam carnem,& bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.

58 Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem : & qui manducat me, & ipse vivet propter me.

59 Hic est panis,qui de cælo descendit.Non sicut manducaverũt patres vestri mãna,& mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

60 Hæc dixit in synagoga docẽs,in Capharnaum.

61 Multi ergo audientes ex discipulis ejus,dixerunt:Durus est hic sermo,& quis potest eũ audire?

G 62 Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus,dixit eis : Hoc vos scandalizat ?

63 Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs ?

64 Spiritus est, qui vivificat : caro non prodest quidquam. verba quæ ego locutus sum vobis,spiritus & vita sunt?

65 Sed sunt quidam ex vobis,qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.

66 Et dicebat : Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me,nisi fuerit ei datũ à Patre meo.

67 Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retrò : & jam non cum illo ambulabant.

68 Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid & vos vultis abire ?

69 Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes.

*Matth. 16.c.16. Mar. 8. c. 29. Luc. 9. b. 20. 70 * Et nos credidimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.

71 Respondit eis Jesus : Nónne ego vos duodecim elegi : & ex vobis unus diabolus est ?

72 Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem : hic enim erat traditurus eum, cùm esset unus ex duodecim.

Caput VII.

Ad Scenopegia festum quasi in occulto ascendens convincit de ipsius doctrina Judæos,quòd ipsum injustè calumniarentur de curato homine sabbato : sitientes ad se vocat ; & de ipso turba varièloquitur:ministri qui ad eum apprehendendum missi erant, audita ejus prædicatione collaudant ipsum, sed & Nicodemus ipsum defendens, malè audit à Pontificibus & Pharisæis.

A 1 POst hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.

2 Erat autem in proximo dies festus Judæorum,

* Lev. 23. f.34. * Scenopegia.

3 Dixerunt autem ad eum fratres ejus : Transi hinc, & vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.

4 Nemo quippe in occulto quid facit,& quærit ipse in palàm esse: si hæc facis,manifesta teipsũ mundo.

5 Neque enim fratres ejus credebant in eum.

6 Dicit ergo eis Jesus : Tempus meum nondum advenit:tẽpus autem vestrum semper est paratum.

7 Non potest mundus odisse vos : me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera ejus mala sunt.

8 Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum : quia B meum tempus nondum impletum est.

9 Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæa,

10 Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto.

11 Judæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant : Ubi est ille ?

12 Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant : Quia bonus est. Alij autem dicebant : Non, sed seducit turbas.

13 Nemo tamen palàm loquebatur de illo,propter metum Judæorum.

14 Jam autem die festo mediante,ascendit Jesus in templum, & docebat.

15 Et mirabantur Judæi, dicentes : Quomodo hic litteras scit,cùm non didicerit ?

16 Respondit eis Jesus, & dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.

17 Si quis voluerit voluntatem ejus facere : C cognoscet de doctrina,& utrùm ex Deo sit,an ego à meipso loquar.

18 Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum,hic verax est, & injustitia in illo non est.

19 * Nónne Moyses dedit vobis legem : & nemo ex vobis facit legem? * Exod. 24. a.3.

20 * Quid me quæritis interficere ? Respondit turba, & dixit : Dæmonium habes : quis te quærit interficere ? * Sup. 5. c. 18.

21 Respondit Jesus, & dixit eis : Unum opus feci, & omnes miramini.

22 Propterea * Moyses dedit vobis circumcisionem :(non quia ex Moyse est,*sed ex patribus) & in sabbato circumciditis hominem. * Levit 12. a. 3. *Gen.17. b. 10.

23 Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi :mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato ? D

24 * Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate. *Deut.1. c. 16.

25 Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis: Nónne hic est, quem quærunt interficere ?

26 Et ecce palàm loquitur : & nihil ei dicunt. Numquid verè cognoverunt principes quia hic est Christus ?

27 Sed hunc scimus unde sit : Christus autem cùm venerit, nemo scit unde sit.

28 Clamabat ergo Jesus in templo docens,& dicens:Et me scitis,& unde sim scitis:& à me ipso nõ veni,sed est verus,qui misit me,quem vos nescitis.

29 Ego scio eũ:quia ab ipso sum,& ipse me misit.

30 Quærebant ergo eum apprehendere:& nemo E misit in illũ manus,quia nondũ venerat hora ejus.

31 De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant : Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet quàm quæ hic facit ?

32 Audierunt

32 Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc : & miserunt Principes & Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum.

33 Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum : & vado ad eum qui me misit.

*Inf.13. d.33. 34 * Quæretis me, & non invenietis : & ubi ego sum, vos non potestis venire.

35 Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos : Quò hic iturus est, quia non inveniemus eum ? numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes ?

F 36 Quis est hic sermo, quem dixit : Quæretis me, & non invenietis : & ubi sum ego, vos non potestis venire ?

* Lev. 23 f.27. 37 In novissimo autem * die magno festivitatis, stabat Jesus, & clamabat, dicens : Si quis sitit, veniat ad me,& bibat.

*Deut. 18.c.15. Ioel. 2. f. 28. Act.2.c. 17. 38 * Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.

39 Hoc autem dixit de Spiritu,quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.

40 Ex illa ergo turba cùm audissent hos sermones ejus, dicebant : Hic est verè propheta.

41 Alij dicebant:Hic est Christus.Quidam autem dicebant:Numquid à Galilæa venit Christus?

* Mich. 5.a.2. Mat.2. a.6. 42 * Nónne Scriptura dicit : Quia ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus ?

43 Dissensio itaque facta est in turba propter eũ.

44 Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum : sed nemo misit super eum manus.

G 45 Venerũt ergo ministri ad Pontifices,& Phariseos.Et dixerũt eis illi:Quare non adduxistis illũ?

46 Responderunt ministri : Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.

47 Responderunt ergo eis Pharisæi : Numquid & vos seducti estis ?

48 Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis ?

49 Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.

* Sup.3. .2. a 50 Dixit Nicodemus ad eos, * ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis :

51 Numquid lex nostra judicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso, * & cognoverit quid faciat?

* Deut. 17.b.8. 19.d.15. 52 Responderunt, & dixerunt ei : Numquid & tu Galilæus es ? Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæa propheta non surgit.

53 Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

Caput VIII.

Mulierem in adulterio deprehensam,scribens in terra absolvit ab accusatoribus : dicit se lucem mundi, & Pharisæos in peccato suo morituros : qui etiam verè sint ejus discipuli,quive servi aut liberi : dicit illos neque ex Deo neque ex Abraham, sed ex patre diabolo esse, qui veritatem dicenti non crederent:blasphemantibus dicit se dæmonium non habere, sed Patrem honorificare,& antequam Abraham fieret, se esse ; volentibúsque eum lapidare, auferens sui prospectum exit de templo.

A 1 JEsus autem perrexit in montem Oliveti :

2 Et diluculò iterùm venit in templum, & omnis populus venit ad eum,& sedẽs docebat eos.

3 Adducunt autem Scribæ,& Pharisæi,mulierem in adulterio deprehensã:& statuerunt eã in medio,

4 Et dixerunt ei : Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.

5 * In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare, Tu ergo quid dicis ? * Levit. 20.b.10.

6 Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.

7 Cùm ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis : * Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. * Deut. 17.b.7.

8 Et iterùm se inclinans, scribebat in terra.

9 Audientes autem unus post unum exibant, incipientes à senioribus : & remansit solus Jesus, & mulier in medio stans.

10 Erigens autem se Jesus, dixit ei : Mulier,ubi sunt, qui te accusabant ? nemo te condemnavit ?

11 Quæ dixit : Nemo, Domine. Dixit autem B Jesus : Nec ego te condemnabo : Vade, & jam ampliùs noli peccare.

12 Iterùm ergo locutus est eis Jesus, dicens : * * Joan. 1.b.5. Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

13 Dixerunt ergo ei Pharisæi : Tu de te ipso testimonium perhibes : testimonium tuum non est verum.

14 Respondit Jesus, & dixit eis : Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum : quia scio unde veni, & quò vado : vos autem nescitis unde venio, aut quò vado.

15 Vos secundùm carnem judicatis : ego non judico quemquam :

16 Et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum:sed ego,& qui misit me,Pater.

17 Et in lege vestra scriptum est, * quia duo- * Deut. 17.b.6. rum hominum testimonium verum est. 19.d.15. Mat.18. c.16. 2. Cor. 13.c.1. Hebr. 10. c. 28.

18 Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso : & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.

19 Dicebant ergo ei:Ubi est Pater tuus?Respondit Jesus : Neque me scitis, neque Patrem meum : si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.

20 Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, C docens in templo : & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus.

21 Dixit ergo iterùm eis Jesus : Ego vado, & quæretis me,& in peccato vestro moriemini. Quò ego vado,vos non potestis venire.

22 Dicebant ergo Judæi : Numquid interficiet semetipsum, quia dixit : Quò ego vado, vos non potestis venire ?

23 Et dicebat eis : Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

24 Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris : si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

25 Dicebant ergo ei : Tu quis es ? Dixit eis Jesus : Principium,qui & loquor vobis.

26 Multa habeo de vobis loqui, & judicare,sed qui me misit,* verax est : & ego quæ audivi ab eo, * Rom. 3.a.4. hæc loquor in mundo.

27 Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum.

28 Dixit ergo eis Jesus : Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum,& à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor :

29 Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

D 29 Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.
30 Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.
31 Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis:
32 Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.
33 Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus umquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis?
34 Respondit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: * quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.
*Rom. 6. c. 15. 16. 2. Pet. 2. d. 19.
35 Servus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum.
36 Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis.
E 37 Scio quia filij Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.
38 Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: & vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.
39 Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.
40 Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi à Deo: hoc Abraham non fecit.
41 Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habemus Deum.
42 Dixit ergo eis Jesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me. ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.
43 Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.
* 1. Joan. 3. b. 8.
44 * Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo, cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax est, & pater ejus.
F 45 Ego autem si veritatẽ dico, non creditis mihi.
46 Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?
* 1. Joan. 4. b. 6.
47 * Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.
48 Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Nónne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?
49 Respondit Jesus: Ego dæmonium non habeo: sed honorifico Patrẽ meũ, & vos inhonorastis me.
50 Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & judicet.
51 Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternũ.
G 52 Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.
53 Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis?
54 Respondit Jesus: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est,
55 Et non cognovistis eum: ego autem novi eum: Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem ejus servo.
56 Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.
57 Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?
58 Dixit eis Jesus. Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.
59 Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.

CAPUT IX.

Cæcum à nativitate sabbato illuminat; cujus miraculi gloriam Pharisæi multis technis laborant Christo detrahere; & quia is qui cæcus fuerat Christum tuetur, extra synagogam ejicitur; sed à Christo edoctus credit, & adorat ipsum, qui in judicium se in mundum venisse ait.

1 ET præteriens Jesus vidit hominem cæcum à A nativitate:
2 Et interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?
3 Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo.
4 Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.
5 Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.
6 Hæc cùm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus.
7 Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloë B (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, & lavit, & venit videns.
8 Itaque vicini, & qui viderant eum priùs quia mendicus erat, dicebant: Nónne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic est.
9 Alij autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat: Quia ego sum.
10 Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?
11 Respondit: ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, & lava. Et abij, lavi, & video.
12 Et dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio.
13 Adducunt eum ad Pharisæos, qui cęcus fuerat.
14 Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus, & aperuit oculos ejus.
15 Iterùm ergo interrogabant eum Pharisæi C quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & lavi, & video.
16 Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos.
17 Dicunt ergo cæco iterùm: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: quia propheta est.
18 Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocaverunt parentes ejus qui viderat:
19 Et interrogaverunt eos, dicentes: Hic est D filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt?
20 Responderunt eis parentes ejus, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est:

21 Quomodo

21 Quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur.
E 22 Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos: jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.
23 Propterea parentes ejus dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate.
24 Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo. nos scimus quia hic homo peccator est.
25 Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: unum scio, quia cæcus cùm essem, modò video.
26 Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?
27 Respondit eis: Dixi vobis jam, & audistis: quid iterùm vultis audire? numquid & vos vultis discipuli ejus fieri?
F 28 Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus.
29 Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit.
30 Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos.
31 Scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.
32 A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.
33 Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.
34 Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerũt eum foras.
G 35 Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras: & cùm invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?
36 Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum?
37 Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.
38 At ille ait: Credo Domine. Et procidens adoravit eum.
39 Et dixit Jesus: In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.
40 Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci sumus?
41 Dixit eis Jesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc verò dicitis: Quia videmus: Peccatum vestrum manet.

CAPUT X.

Christus verum describens pastorem & mercenarium, dicit se ostium ovium & bonum pastorem, qui & alias habeat oves ad idem ovile adducendas: animam suam ponit, ut iterùm sumat eam: Judæi lapidare ipsum volunt, quia se ad opera sua referens, dicebat unum esse cum Patre, & Filium Dei; quod tamen ostendit non esse blasphemiam.

A 1 AMen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.
2 Qui autẽ intrat per ostium, pastor est ovium.
3 Huic ostiarius aperit, & oves vocẽ ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas.
4 Et cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit: & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.
5 Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum.
6 Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem B non cognoverunt quid loqueretur eis.
7 Dixit ergo eis iterùm Jesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.
8 Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones, & non audierunt eos oves.
9 Ego sũ ostiũ. Per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.
10 Fur non venit nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.
11 Ego sum pastor bonus. * Bonus pastor ani- * Isa. 40. c. 11. Ezec. 34. f. 23. 37. g. 24.
mam suam dat pro ovibus suis.
12 Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves.
13 Mercenarius autem fugit, quia mercenarius C est, & non pertinet ad eum de ovibus.
14 Ego sum pastor bonus: & cognosco meas, & cognoscunt me meæ.
15 * Sicut novit me Pater, & ego cognosco Pa- * Matth. 11. d. 27. Luc. 10.
trem: & animam meam pono pro ovibus meis.
16 Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc d. 22.
ovili: & illas oportet me adducere, & vocem D
meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.
17 Propterea me diligit Pater: * quia ego pono * Isa. 53. c. 7.
animam meam, ut iterùm sumam eam.
18 Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam: Hoc mandatum accepi à Patre meo.
19 Dissensio iterùm facta est inter Judæos propter sermones hos.
20 Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis?
21 Alij dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis: numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?
22 * Facta sunt autem Encænia in Jerosolymis: * 1. Mac. 4. 5. 56. 59.
& hiems erat.
23 Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis. E
24 Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palàm.
25 Respondit eis Jesus: Loquor vobis, & non creditis opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me:
26 Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.
27 Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me:
28 Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. F
29 Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei.
30 Ego & Pater unum sumus.
31 Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarẽt eũ.
32 Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi

ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?

33 Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum.

34 Respondit eis Jesus: Nónne scriptum est in lege vestra: * quia Ego dixi, dij estis? * Ps. 81. b. 6.

35 Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura:

G 36 Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum?

37 Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.

38 Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.

39 Quærebant ergo eum apprehendere: & exivit de manibus eorum.

40 Et abiit iterùm trans Jordanem, in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primùm: & mansit illic.

41 Et multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Joannes quidem signum fecit nullum.

42 Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

Caput XI.

Jesus Lazarum quattuor diebus mortuum resuscitat, præfatus multa cum discipulis & cum Martha: quapropter dum propter hoc miraculum multi in Christum crederent, Pontifices & Pharisæi inito consilio statuerunt eum occidere, Caipha pontifice prophetante oportere Iesum mori, ne totus populus periret: Iesus autem secedit in civitatem Ephrem.

A 1 Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ sororis ejus.

* Matth. 26. a. 7. Luc. 7. f. 37. Inf. 12. a. 3. 2 (Maria autem erat, * quæ unxit Dominum unguento, & exterfit pedes ejus capillis suis: cujus frater Lazarus infirmabatur.)

3 Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.

4 Audiens autem Jesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

5 Diligebat autem Jesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum.

6 Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

7 Deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Judæam iterùm.

8 Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterùm vadis illuc?

B 9 Respondit Jesus: Nónne duodecim sunt horæ diei: Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt:

10 Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

11 Hæc ait, & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut à somno excitem eum.

12 Dixerunt ergo discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit.

13 Dixerat autem Jesus de morte ejus: illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret.

14 Tunc ergo Jesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est:

15 Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. sed eamus ad eum.

16 Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo.

17 Venit itaque Jesus: & invenit eum quattuor C dies jam in monumento habentem.

18 (Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim.)

19 Multi autem ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

20 Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat.

21 Dixit ergo Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus:

22 Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.

23 Dicit illi Jesus: Resurget frater tuus.

24 Dicit ei Martha: Scio quia resurget * in resurrectione in novissimo die.

25 Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio, & vita: * Luc. 14. c. 14. * qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Sup. 5. c. 29.

26 Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? * Sup. 6. c. 40.

27 Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia D tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

28 Et cùm hæc dixisset, abiit, & vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.

29 Illa ut audivit, surgit citò, & venit ad eum:

30 Nondum enim venerat Jesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.

31 Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cùm vidissent Mariam quia citò surrexit & exiit, secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.

32 Maria ergo, cùm venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, & dicit ei: Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus.

33 Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbavit seipsum,

E 34 Et dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide.

35 Et lacrymatus est Jesus.

36 Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum.

37 Quidam autem ex ipsis dixerunt: * Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? * Sup. 9. a. 6.

38 Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. erat autem spelunca: & lapis superpositus erat ei.

39 Ait Jesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim.

40 Dicit ei Jesus: Nónne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei.

41 Tulerunt ergo lapidem: Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi F quoniam audisti me.

42 Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant quia tu me misisti.

43 Hæc cùm dixisset, voce magna clamavit: Lazare veni foras.

44 Et

44 Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit ei Jesus: Solvite eum, & sinite abire.

45 Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum,

46 Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Jesus.

47 Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

48 Si dimittimus eum, sic omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.

* Inf. 18. c. 14. 49 * Unus autem ex ipsis Caiphas nomine cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam,

50 Nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.

G 51 Hoc autem à semetipso non dixit: sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit, quòd Jesus moriturus erat pro gente,

52 Et non tantùm pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.

53 Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.

54 Jesus ergo jam non in palàm ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.

55 Proximum autem erat Pascha Judæorum: & ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos.

56 Quærebant ergo Jesum: & colloquebantur ad invicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

Caput XII.

Apud Martham & Lazarum receptus, unguento à Maria ungitur, murmurante Iuda fure: cogitarunt autem principes sacerdotum etiam Lazarum occidere: Jesus asello vectus cum honore Ierusalem ingreditur; & gentilibus eum videre cupientibus, dicit horam sua clarificationis instare, sed granum frumenti prius mortificandum: vox Patris auditur de clarificando nomine suo: princeps hujus mundi foras ejiciendus: de excæcatione Iudæorum prophetata ab Isaia: in Christo honoratur aut spernitur Pater.

A 1 Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. Mat. 26. a. 6. Mar. 14. a. 3.

2 Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus verò unus erat ex discumbentibus cum eo.

3 Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, & unxit pedes Jesu, & exterfit pedes ejus capillis suis: & domus impleta est ex odore unguenti.

4 Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus:

5 Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis.

6 Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.

7 Dixit ergo Jesus: Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. B

8 Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis.

9 Cognovit ergo turba multa ex Judæis quia illic est: & venerunt, non propter Jesum tantùm, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit à mortuis.

10 Cogitaverunt autem principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerent:

11 Quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jesum.

12 In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cùm audissent quia venit Jesus Jerosolymam:

13 Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviàm ei, & clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israël.

14 * Et invenit Jesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est: * Zac. 9. b. 9. Mat. 21. a. 7. Mar. 11. a. 7. Luc. 19. f. 15.

15 Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. C

16 Hæc non cognoverunt discipuli ejus primùm: sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei.

17 Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum à mortuis.

18 Propterea & obviàm venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum.

19 Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.

20 Erant autem quidam Gentiles, ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo.

21 Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jesum videre.

22 Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andræas rursum & Philippus dixerunt Jesu.

23 Jesus autem respondit eis, dicens: Venit hora ut clarificetur Filius hominis.

24 Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; D

25 Ipsum solum manet. si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. * Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. * Matt. 10. d. 39. 16. d. 25. Mar. 8. d. 35. Luc. 9. c. 24. 17. g. 33.

26 Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

27 Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc.

28 Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo: Et clarificavi, & iterùm clarificabo.

29 Turba ergo quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant: Angelus ei locutus est.

30 Respondit Jesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.

31 Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.

Universidad de Deusto
Biblioteca

E 32 Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia
traham ad meipsum.

33 (Hoc autem dicebat, significans qua morte
esset moriturus.)

*ps.109. b.4.116. n. 2. Isa.40. b.8. Ezec.37. b.25. 34 Respondit ei turba : Nos audivimus * ex lege, quia Christus manet in æternum : & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis ? Quis est iste Filius hominis ?

35 Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant : & qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.

36 Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis. Hæc locutus est Jesus, & abiit, & abscondit se ab eis.

* Isa. 53.a.1. Rom.10. c. 16. 37 Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.

F 38 Ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem
* Isa.6. c. 9. Mat. 13. b. 14. Mar.4. b. 12. Luc 8. b. 10. Act. 28. f.26. Rom. 11. b. 8. dixit : * Domine, quis credidit auditui nostro ? & brachium Domini cui revelatum est ?

39 Propterea non poterant credere, quia iterùm dixit Isaias :

40 * Excæcavit oculos eorum & induravit cor eorum : ut non videant oculis, & non intelligant corde : & convertantur, & sanem eos.

41 Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.

42 Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum : sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è synagoga non ejicerentur.

43 Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.

44 Jesus autem clamavit, & dixit : Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.

45 Et qui videt me, videt eum, qui misit me.

G 46 Ego lux in mundum veni : ut omnis qui
credit in me, in tenebris non maneat.

47 Et si quis audierit verba mea, & non custodierit : ego non judico eum, non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.

* Mar. 1 16. d. 16. 48 Qui spernit me, & non accipit verba mea : habet qui judicet eum. * sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.

49 Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar.

50 Et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

Caput XIII.

Jesus à cœna linteo præcinctus, lavat pedes discipulorum, renuente primùm Petro, exhortans ut idem invicem faciant : proditorem suum Ioanni indicat, quo post buccellam egresso, dicit se clarificatum : de novo mandato dilectionis : Petro trinam prædicit sui abnegationem.

A 1 ANte diem festum Paschæ, sciens Jesus quia
Matth. 26.a.2. Mar.14. a.1. Luc. 22. a.1. venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem : cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

2 Et cœna facta, cùm diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ.

3 Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit :

4 Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua : & cùm accepisset linteum, præcinxit se.

5 Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

6 Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus : Domine, tu mihi lavas pedes ?

7 Respondit Jesus, & dixit ei : Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem posteà.

8 Dicit ei Petrus : Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus : Si non lavero te, non habebis partem mecum.

9 Dicit ei Simon Petrus : Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput.

B 10 Dicit ei Jesus : Qui lotus est, non indiget
nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.

11 Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum : propterea dixit : Non estis mundi omnes.

12 Postquam ergo lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua : cùm recubuisset iterùm, dixit eis : Scitis quid fecerim vobis ?

13 Vos vocatis me Magister, & Domine : & benè dicitis : sum etenim.

14 Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, & Magister : & vos debetis alter alterius lavare Pedes.

15 Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

16 * Amen, amen dico vobis : Non est servus major domino suo : neque Apostolus major est eo, qui misit illum. * Mat. 10.c.24. Luc.6. f. 40.

17 Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Inf. 15. c. 20.

18 Non de omnibus vobis dico : ego scio quos elegerin : sed ut adimpleatur Scriptura : * Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. * Ps.40. b. 10.

19 Amodò dico vobis, priusquam fiat : ut cùm factum fuerit, credatis quia ego sum.

C 20 * Amen, amen dico vobis : Qui accipit si
quem misero, me accipit : qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. * Matt. 10.d.40. Luc. 10. c.16.

21 Cùm hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu : & protestatus est, & dixit : * Amen, amen dico vobis ; Quia unus ex vobis tradet me. * Matt. 26.b.21. Mar.14. b.18. Luc. 22. c.21.

22 Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret.

23 Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesus, quem diligebat Jesus.

24 Innuit ergo huic Simon Petrus : & dixit ei : Quis est, de quo dicit ?

25 Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei : Domine quis est ?

26 Respondit Jesus : Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ.

27 Et post buccellam, introivit in eum satanas. Et dixit ei Jesus : Quod facis, fac citiùs.

28 Hoc autem nemo scivit discumbentium ad D
quid dixerit ei.

29 Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quòd dixisset ei Jesus : Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum : aut egenis ut aliquid daret.

30 Cùm ergo accepisset ille buccellam, exivit continuò. Erat autem nox.

31 Cùm

31 Cùm ergo exisset, dixit Jesus : Nunc clarificatus est filius hominis : & Deus clarificatus est in eo.

32 Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso : & continuò clarificabit eum.

33 Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.
*Sup.7. c.34. * Quæretis me : & sicut dixi Judæis : Quò ego vado, vos non potestis venire : & vobis dico modò.

*Lev. 19.d.18. Matth. 22.d.39. Inf.15. b.12. 34 * Mandatum novum do vobis : Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.

35 In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

36 Dicit ei Simon Petrus : Domine, quò vadis ? Respondit Jesus : Quò ego vado, non potes me modò sequi : sequêris autem posteà.

37 Dicit ei Petrus : Quare non possum te sequi modò ? * animam meam pro te ponam.

* Matth. 26. c.35. Mar. 14. c.29. Luc. 22. d.33. 38 Respondit ei Jesus : Animam tuam pro me pones ? Amen, amen dico tibi : Non cantabit gallus, donec ter me neges.

Caput XIV.

Consolando discipulos ait multas in domo Patris esse mansiones, séque rursum illos assumpturum : Thomæ dicit, se esse viam, veritatem, & vitam ; Philippo autem, Patrem in se videri ; illósque accepturos quidquid suo nomine petierint, & se alium Paraclitum à Patre eis missurum : docet quis ipsum diligere dicendus sit, & qualem pacem relinquat discipulis, qui de ipsius discessu meritò gaudere deberent.

A 1 NOn turbetur cor vestrum. Creditis in
Deum, & in me credite.

2 In domo Patris mei mansiones multæ sunt. si quò minùs dixissem vobis : Quia vado parare vobis locum.

3 Et si abiero, & præparavero vobis locum : iterùm venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.

4 Et quò ego vado, scitis, & viam scitis.

5 Dicit ei Thomas : Domine, nescimus quò vadis : & quomodo possumus viam scire ?

6 Dicit ei Jesus : Ego sum via, & veritas, & vita. nemo venit ad Patrem, nisi per me.

7 Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis : & amodò cognoscetis eum, & vidistis eum.

8 Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

9 Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum : & non cognovistis me ? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis : Ostende nobis Patrem ?

B 10 Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in
me est ? Verba, quę ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.

11 Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est ?

12 Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet : quia ego ad Patrem vado.

*Matth. 7. b.7. 21.b.22. Mar. 11. c.24. Inf 16. c.23. 13 * Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam : ut glorificetur Pater in Filio.

14 Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciã.

15 Si diligitis me, mandata mea servate.

16 Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.

17 Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. vos autem cognoscetis eum ; quia apud vos manebit, & in vobis erit.

18 Non relinquam vos orphanos : veniam ad vos.

19 Adhuc modicum : & mundus me jam non C
videt. Vos autem videtis me : quia ego vivo, & vos vivetis.

20 In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

21 Qui habet mandata mea, & servat ea : ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo : & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.

22 Dicit ei Judas, non ille Iscariotes : Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo ?

23 Respondit Jesus, & dixit ei : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus :

24 Qui non diligit me, sermones meos non ser- D
vat. Et sermonem quem audistis, non est meus : sed ejus, qui misit me, Patris.

25 Hæc locutus sum vobis, apud vos manens.

26 Paraclitus autem Spiritus sanctus, quē mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.

27 Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

28 Audistis quia ego dixi vobis : Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem : quia Pater major me est.

29 Et nunc dixi vobis priùs quàm fiat : ut cùm factum fuerit, credatis.

30 Jam non multa loquar vobiscum. venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.

31 Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & * sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc. * Act.2. c.23.

Caput XV.

Christus vitis, Pater agricola, discipuli verò palmites : præceptum Christi de mutua dilectione frequenter iteratum : Apostoli amici Christi, quibus secreta sua communicavit & elegit eos ut fructum perpetuum afferrent ; quos roborat adversus mundi odium ac persecutiones, dicens Iudæos excusationem non habere de peccato suo.

1 EGo sum vitis vera : & Pater meus agricola est. A

2 Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum : & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.

3 * Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. *Sup.13. b.10.

4 Manete in me : & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite ? sic nec vos, nisi in me manseritis.

5 Ego sum vitis : vos palmites : qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere.

6 Si quis in me non manserit : mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

7 Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.

B 8 In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.

9 Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.

10 Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.

11 Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.

Sup. 13. d. 34. Eph. 5. a. 2. 1. Thess. 4. b. 9. 12 * Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

13 Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

14 Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

15 Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.

C 16 Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & * Matt. 28. d. 19. posui vos * ut eatis, & fructum afferatis; & fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

* 1. Joan. 3. a. 11. 4. b. 7. 17 * Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

18 Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.

19 Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

20 Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: * Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, * & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt.

*Sup. 13. b. 16. Matth. 10. c. 24. * Matth. 24. a. 9.*

21 Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me.

D 22 Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

23 Qui me odit: & Patrem meum odit.

24 Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.

25 Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: * Quia odio habuerunt me gratis.

** Psal. 24. d. 19. * Luc. 24. g. 49.* 26 * Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me:

27 Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

Caput XVI.

Discipulis prædicit futuras persecutiones, & quòd eis expediat ut ipse vadat, quò veniat Paraclitus qui mundum arguat, ipsósque doceat, & Christum clarificet: declarat quod dixerat, modicum & jam non videbitis me, *&c. addens similitudinem de muliere pariente: hortatur ut à Patre petant ipsius nomine; prædicitque ipsorum fugam.*

A 1 HÆc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.

2 Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.

3 Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.

4 Sed hæc locutus sum vobis: ut cùm venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.

5 Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram: Et nunc vado ad eum, qui misit me; & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis?

6 Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.

7 Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.

8 Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.

9 De peccato quidem, quia non crediderunt in me:

10 De justitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me:

11 De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est.

B 12 Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò.

13 Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis.

14 Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

15 Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

16 Modicum, & jam non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem.

17 Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem?

18 Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur.

C 19 Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, & non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me.

20 Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

21 Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cùm autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

22 Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

** Matt. 7. a. 7. 21. b. 22. Mar. 11. c. 24. Luc. 11. b. 9. Sup. 14. b. 13. Iac. 1. A. 5.*

D 23 Et in illo die me non rogabitis quidquam. * Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

24 Usque modò non petistis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

25 Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cùm jam non in proverbiis loquar vobis, sed palàm de Patre annuntiabo vobis.

26 In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis:

27 Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia ego à Deo exivi.

28 Exivi à Patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem.

29 Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palàm loqueris, & proverbium nullum dicis.

30 Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo existi.

31 Respondit eis Jesus: Modò creditis?

** Matt. 26. c. 31. Mar. 14. c. 27.* 32 * Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non solus, quia Pater mecum est.

33 Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

Caput XVII.

Oratio Christi ad Patrem pro utriusque clarificatione, pro discipulis & iis qui per illos in ipsum essent credituri, ut serventur à malo, & omnes sint unum, mundúsque cognoscat ipsum fuisse à Patre missum.

A 1 HÆc locutus est Jesus: & sublevatis oculis in cælum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te:

** Matt. 28. d. 18.* 2 * Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.

3 Hæc est autem vita æterna: Ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.

4 Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam:

5 Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui priùs, quàm mundus esset, apud te.

6 Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum servaverunt.

7 Nunc cognoverunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt:

8 Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognoverunt verè quia à te exivi, & crediderunt quia tu me misisti:

B 9 Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt:

10 Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis.

11 Et jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut & nos.

12 Cùm essem cum eis: ego servabam eos in

** Inf. 18. b. 9. * Psal. 108. a. 8.* nomine tuo. * Quos dedisti mihi, custodivi: &

C nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, * ut Scriptura impleatur.

13 Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

14 Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.

15 Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.

16 De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo.

17 Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.

18 Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.

19 Et pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint & ipsi sanctificati in veritate.

20 Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me:

21 Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti.

22 Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi D eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus.

23 Ego in eis, & tu in me: ut sint consummati in unum: & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti.

24 Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi.

25 Pater juste, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi: & hi cognoverunt, quia tu me misisti.

26 Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Caput XVIII.

Jesus à Judæis capitur, illis primùm ad ipsius verbum in terram cadentibus: ad Annam & Caipham ducitur: respondens interroganti Pontifici, alapa caditur: ter à Petro negatur: ductus in prætorium, dicit Pilato suum regnum non esse de hoc mundo: Judæi Jesum mori cupiunt, soluto Barabba.

A 1 HÆc cùm dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, & discipuli ejus.

2. Reg. 15. c. 23. Matt. 26. d. 36. Mar. 14. d. 32. Luc. 22. d. 39.

2 Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.

** Matt. 26. c. 47. Mar. 14. e. 43. Luc. 22. e. 47.* 3 * Judas ergo cùm accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus, & armis.

4 Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis?

5 Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis.

6 Ut ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.

B 7 Iterùm ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum.

8 Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire.

** Sup. 17. b. 12.* 9 Ut impleretur sermo, quem dixit: * Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

10 Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit pontificis servum: & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus.

C 11 Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?

12 Cohors ergo, & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum:
*Luc. 3. a. 2.
13 Et adduxerunt eum ad * Annam primùm, erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius.
*Sup. 11. f. 49.
14 Erat autem Caiphas, * qui consilium dederat Judæis: Quia expedit, unum hominem mori pro populo.

15 Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introivit cum Jesu in atriũ pontificis.
*Matt. 26. f. 58. Mar. 14. f. 54. Luc. 22. f. 55.
16 Petrus autem stabat ad ostium foris. * Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.
17 Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum:

D 18 Stabant autem servi & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se.

19 Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, & de doctrina ejus.

20 Respondit ei Jesus: Ego palàm locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo, quò omnes Judæi conveniunt: & in occulto locutus sum nihil.

21 Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego.

22 Hæc autem cùm dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes pontifici?

23 Respondit ei Jesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis?
* Matt. 26. f. 57. Mar. 14. f. 53. Luc. 22. f. 54.
24 * Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.

E 25 Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. * Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, & dixit: non sum.
* Matth. 26. g. 69. Mar. 14. g. 67. Luc. 22. f. 56.
26 Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: Nónne ego te vidi in horto cum illo?

27 Iterùm ergo negavit Petrus: & statim gallus cantavit.

*Matth. 27. a. 2. Mar. 15. a. 1. Luc. 23. a. 1. * Act. 10. d. 28. 11. a. 3.
28 * Adducunt ergo Jesum à Caipha in prætorium. Erat autem manè: & ipsi non intrpierunt in prætorium, * ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.
29 Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?

F 30 Respondérunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.

31 Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quemquam.
*Matth. 20. c. 19.
32 * Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.
*Matth. 27. b. 11. Mar. 15. a. 2. Luc. 23. a. 3.
33 * Introivit ergo iterùm in prætoriũ Pilatus, & vocavit Jesum, & dixit ei: Tu es rex Judæorum?
34 Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me?
35 Respondit Pilatus: Numquid ego Judæus sum? Gens tua, & pontifices tradiderunt te mihi: quid feciſti?

36 Respondit Jesus: Regnum meum non est de G hoc mundo. si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc.

37 Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.

38 Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterùm exivit ad Judæos, & dicit eis, Ego nullam invenio in eo causam.

39 * Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum?
*Matt. 27. b. 15. Mar. 15. a. 6. Luc. 23. c. 17.
40 Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autẽ Barabbas latro.

CAPUT XIX.

A Pilato flagellatus, variisque modis afflictus, & spinis coronatus, ad mortem deposcitur: rursúmque à Pilato examinatus, ostendit illum desuper tantum habere in ipsum potestatem: Pilatus meticulosus, Jesum, quem regem dicit Judæorum, morti adjudicat: Jesus bajulans sibi crucem, inter latrones crucifigitur, posito à Pilato super crucem titulo, divisisque à militibus vestimentis, & sorte de tunica missa: Jesu matri Joannem, matrémque Joanni commendat; & sitiens aceto potatur consummatisque omnibus tradit spiritum: fractis latronum cruribus, ex aperto Christi latere sanguis & aqua profluit; ejúsque corpus myrrha & aloë conditum sepelitur.

1 TUnc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit. A
*Matth. 27. c. 27. Mar. 15. b. 16.
2 Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: & veste purpurea circumdederunt eum.
3 Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave rex Judæorum: & dabant ei alapas.
4 Exivit ergo iterùm Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam.
5 (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentũ.) Et dicit eis: Ecce homo.
6 Cùm ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant dicentes. Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo causam.
7 Respondérunt ei Judæi: Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit. B
8 Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.
9 Et ingressus est prætorium iterùm: & dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei.
10 Dicit ergo ei Pilatus: mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?
11 Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.
12 Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari.

C 13 Pilatus autẽ cùm audisset hos sermones, adduxit foras Jesum: & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraïcè autem Gabbatha.

14 Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Judæis: Ecce rex vester.

15 Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Respondérunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem.

16 Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt.
*Matth. 27. d. 33. Mar. 15. b. 22. Luc. 23. c. 33.
17 * Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locũ, Hebraïcè autem Golgotha:
18 Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Jesum.

19 Scripsit autem & titulum Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus, Rex Judæorum.

D 20 Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum Hebraïcè, Græcè, & Latinè.

21 Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli scribere, Rex Judæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum.

22 Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.
*Matth. 27. d. 35. Mar. 15. c. 24. Luc. 23. c. 34.
23 Milites ergo cùm crucifixissent eum, * acceperunt vestimenta ejus, (& fecerunt quattuor partes: unicuique militi partem) & tunicam: Erat autẽ tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.

E 24 Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleretur, dicens: * Partiti sunt vestimenta mea sibi: & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.
*Ps. 12. c. 19.
25 Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.

26 Cùm vidisset ergo Jesus matrem & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus.

27 Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

F 28 Posteà sciens Jesus quia omnia consummata *Ps. 68. c. 22. sunt, * ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.

29 Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.

30 Cùm ergo accepisset Jesus acetũ, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritũ.

31 Judæi ergo, (quoniam parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.

32 Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo.

33 Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura:

34 Sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua.

G 35 Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit: ut & vos credatis.

36 Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: * Os non comminuetis ex eo.
*Exod. 12. g. 46. Num. 9. b. 12.
37 Et iterùm alia Scriptura dicit: * Videbunt in quem transfixerunt.
*Zach. 12. c. 10.
38 * Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa, (eò quòd esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Jesu.
*Matth. 27. g. 57. Mar. 15. d. 43. Luc. 23. c. 50.
39 Venit autem & Nicodemus, * qui venerat ad Jesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum.
*Sup. 3. a. 2.
40 Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire.

41 Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat.

42 Ibi ergo propter Parascevem Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

CAPUT XX.

Maria Magdalene prima venit ad monumentum, deinde Petrus & Joannes: illa plorans ad monumentum videt Angelos, tandémque Jesum agnoscit: qui apparens Apostolis, pacem illis optat; & ostensis manibus ac latere, dat eis Spiritum sanctum, ut peccata remittant ac retineant: rursúmque non credenti Thomæ apparens cum reliquis discipulis, corpus præbet palpandum, beatos dicens qui in ipso non viso crediderunt: multa Christi signa non sunt in hoc libro scripta.

1 UNa autem sabbati, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum: & vidit lapidem sublatum à monumẽto. A
*Matth. 28. a. 1. Mar. 16. a. 1. Luc. 24. a. 2.
2 Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Jesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum.
3 Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum.
4 Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum.
5 Et cùm se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit.
6 Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentũ, & vidit linteamina posita. B
7 Et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.
8 Tunc ergo introivit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumẽtum: & vidit, & credidit:
9 Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere.
10 Abierunt ergo iterùm discipuli ad semetipsos.
11 * Maria autem stabat ad monumentum foris, C plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum.
*Matt. 28. a. 1. Mar. 16. a. 5. Luc. 24. a. 4.
12 Et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.
13 Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.
14 Hæc cùm dixisset, conversa est retrorsum, & vidit Jesum stantem: & non sciebat quia Jesus est.
15 Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? quem D quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei:

Universidad de Deusto
Biblioteca

ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum : & ego eum tollam.
16 Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa, dicit ei : Rabboni (quod dicitur Magister.)
E 17 Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrũ.
18 Venit Maria Magdalene annuntians discipulis : Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.
Marc. 16.c.14. Luc.24. e.36. 1.Cor.15. a.5. 19 * Cùm ergo serò esset die illo, una sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum : venit Jesus, & stetit in medio, & dixit eis : Pax vobis.
20 Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.
21 Dixit ergo eis iterùm : Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.
22 Hæc cùm dixisset, insufflavit : & dixit eis : Accipite Spiritum sanctum :
F 23 * Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : & quorum retinueritis, retenta sunt.
Matth. 18.c.18.
24 Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus.
25 Dixerunt ergo ei alij discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.
26 Et post dies octo, iterùm erant discipuli ejus intus; & Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit : Pax vobis.
G 27 Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum : & noli esse incredulus, sed fidelis.
28 Respondit Thomas, & dixit ei : Dominus meus, & Deus meus.
29 Dixit ei Jesus : Quia vidisti me Thoma, credidisti : beati qui non viderunt, & crediderunt.
Inf. 21. d.25. 30 * Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.
31 Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei : & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.

CAPUT XXI.

Piscantibus discipulis comprehendere facit Iesu copiosam piscium multitudinem; quo signo Petrus per Ioannem Dominum agnoscens, mittit se in mare; & facto prandio, de amore in Christum ter interrogatus, ter accipit pascendas ipsius oves, & de futura passione sua admonetur, frustrà de Ioannis morte curiosè scrutatus : non omnia Christi facta scripta sunt.

A 1 POsteà manifestavit se iterùm Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic.
2 Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis ejus duo :
3 Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in navim : & illa nocte nihil prendiderunt.
4 Manè autem facto stetit Jesus in littore: non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est.
5 Dixit ergo eis Jesus : Pueri numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei : Non.
6 Dicit eis : Mittite in dexteram navigij rete; & invenietis. Miserunt ergo : & jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.
7 Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat B Jesus, Petro : Dominus est. Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.
8 Alij autem discipuli navigio venerunt, (non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium.
9 Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem.
10 Dicit eis Jesus : Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.
11 Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti essent, non est scissum rete.
12 Dicit eis Jesus : Venite, prandete. Et nemo C audebat discumbentium interrogare eum : Tu quis es? scientes, quia Dominus est.
13 Et venit Jesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter.
14 Hoc jam tertiò manifestatus est Jesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis.
15 Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos.
16 Dicit ei iterùm : Simon Joannis, diligis me? Ait illi : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos.
17 Dicit ei tertiò : Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? & dixit ei : Domine tu omnia nosti : tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce oves meas.
18 * Amen, amen dico tibi : cùm esses junior, *2.Per. 1.c.14.* cingebas te, & ambulabas ubi volebas : cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.
19 Hoc autem dixit, significans qua morte D clarificaturus esset Deum. Et cùm hoc dixisset, dicit ei : Sequere me.
20 Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, *qui & recubuit *Sup.13. c.23.* in cœna super pectus ejus, & dixit : Domine quis est qui tradet te?
21 Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dixit Jesu: Domine, hic autem quid?
22 Dicit ei Jesus : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.
23 Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus : Non moritur; sed : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?
24 Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc : & scimus, quia verum est testimonium ejus.
25 * Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus: *Sup.20. g.30.* quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

ACTUS

ACTUS APOSTOLORUM.

CAPUT PRIMUM.

Iesus promittens Apostolis Spiritum sanctum, dicit non esse ipsorum scire secreta rerum futurarum tempora : & post ipsius in cœlum ascensum dicitur ab Angelis similiter venturus : nomina Apostolorum : oratio Petri de uno in locum Iudæ proditoris sufficiendo; ubi præmissis precibus eligitur sorte Mathias.

A 1 PRIMUM quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jesus facere, & docere,
2 Usque in diem, qua, præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est :
3 Quibus & præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.
Luc. 24.g.49. Ioan. 14. d.26. Matth. 3.b.11. Marc.1. a.8. Luc.3. d.16. Ioan.1. d.26. 4 Et convescens, * præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, * quam audistis (inquit) per os meum :
5 Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.
6 Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes : Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël?
B 7 Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tẽpora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate:
Infr.2. a.2. Luc. 24.g.48. 8 * Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & * eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.
9 Et cùm hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est : & nubes suscepit eum ab oculis eorum.
10 Cúmque intuerentur in cælum euntem illũ, ecce duo viri astiterũt juxta illos in vestibus albis.
11 Qui & dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.
12 Tunc reversi sunt Jerosolymam, à monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter.
13 Et cùm introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus & Joannes, Jacobus & C Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Judas Jacobi.
14 Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Jesu, & fratribus ejus.
15 In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul, ferè centum viginti.)
Ps.40. b.10. Ioan.13. b.18. 16 Viri fratres, oportet impleri Scripturam * quã prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum:
17 Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij hujus.
Matt. 27.a.7. 18 * Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius : & diffusa sunt omnia viscera ejus.
19 Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis.
20 Scriptum est enim in libro Psalmorum: * Fiat D commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea : * & episcopatum ejus accipiat alter.
*Ps.68. c.26. *Ps.108. a.8.*
21 Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus.
22 Incipiens à baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.
23 Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, & Mathiã.
24 Et orantes dixerunt : Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum,
25 Accipere locum ministerij hujus, & apostolatus, de quo prævaricatus est Judas ut abiret in locum suum.
26 Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.

CAPUT II.

Effuso super discipulos Spiritu sancto die Pentecostes, admirantur Iudæi quòd omnium loquantur linguis: dicentes autem mustò plenos esse confutat Petrus; citata inter alia suæ concionis prophetia Ioel, compunctique Iudæi audito Petri consilio : convertuntur ad Christum tria circiter millia; similque perseverant in doctrina Apostolorum, fractione panis & orationibus, habentes omnia communia.

1 ET cùm complerentur dies Pentecostes, erant A omnes pariter in eodem loco :
2 Et factus est repentè de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes.
3 Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, sedítque supra singulos eorum :
Matt. 3.c.11. Mar. 1. a.8. Luc.3. d.16. Ioan.7. f.39. Sup.1. a.8. Infr.11. b.16.19. a.6. 4 * Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.
5 Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.
6 Facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confusa est, quo...am audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.
7 Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes : Nónne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt,
8 Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? B
9 Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam.
10 Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, & advenæ Romani.

11 Judæi

Universidad de Deusto
Biblioteca

11 Judæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes : audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

12 Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes : Quidnam vult hoc esse ?

13 Alij autem irridentes dicebant : quia musto pleni sunt isti.

14 Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, & locutus est eis : Viri Judæi, & qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea.

15 Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia :

16 Sed hoc est, quod dictum est per prophetam Joël :

C 17 *Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem : & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ : & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. *Isai. 44.a.3. Ioel. 2. g.28.

18 Et quidem super servos meos, & super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt :

19 Et dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.

20 Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus.

*Ioel. 2. g.32. Rom. 10. c.13. 21 *Et erit : omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

22 Viri Israëlitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis :

23 Hunc definito consilio & præscietia Dei traditum, per manus iniquorũ affigentes interemistis:

D 24 Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illũ ab eo.

*Psal. 15. b.8. 25 David enim dicit in eum : *Providebam Dominum in conspectu meo semper : quoniam à dextris est mihi ne commovear :

26 Propter hoc lętatum est cor meũ, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe:

27 Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

28 Notas mihi fecisti vias vitæ : & replebis me jucunditate cum facie tua.

29 Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, *quoniam defunctus est, & sepultus : & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. *3. Reg. 2.b.10.

E 30 Propheta igitur cùm esset, & sciret quia jurejurando* jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus : *Psal. 131. c.11.

31 Providens locutus est de resurrectione Christi, quia *neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. *Psal. 15. b.10. Instr. 13. c.35.

32 Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus.

33 Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.

34 Non enim David ascendit in cælum : dixit autem ipse : *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. *Psal. 109. a.1.

35 Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

36 Certissimè sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis.

37 His autem auditis, compuncti sunt corde, & F dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos : Quid faciemus, viri fratres ?

38 Petrus verò ad illos : Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum : & accipietis donum Spiritus sancti.

39 Vobis enim est repromissio, & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster.

40 Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos, dicens : Salvamini à generatione ista prava.

41 Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt : & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.

42 Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.

43 Fiebat autem omni animæ timor : multa quo- G que prodigia & signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, & metus erat magnus in universis.

44 Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.

45 Possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

46 Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebãt cibum cum exultatione, & simplicitate cordis,

47 Collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum.

Caput III.

Petrus cum Ioanne claudum à matris utero sanat, ac docet ipsos id fecisse per fidem nominis Christi quem ostendit esse Messiam promissum per Moysen & prophetas, ipsique Abrahæ.

1 PEtrus autem & Joannes ascendebant in tem- A plum, ad horam orationis nonam.

2 Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur : quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.

3 Is cùm vidisset Petrum & Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet.

4 Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit : Respice in nos.

5 At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.

6 Petrus autem dixit : Argentum & aurum non est mihi : quod autem habeo, hoc tibi do : In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula.

7 Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt bases ejus & plantæ.

8 Et exiliens stetit, & ambulabat : & intravit cum

cum illis in templum ambulans & exiliens, & laudans Deum.

9 Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.

B 10 Cognoscebant autem illum, quòd ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi : & impleti sunt stupore & extasi, in eo quod contigerat illi.

11 Cùm teneret autem Petrum & Joannem, cucurrit omnis populus ad eos, ad porticum quæ appellatur Salomonis, stupentes.

12 Videns autem Petrus, respondit ad populum : Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare ?

13 Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.

*Matth. 27.c.20. Mar. 15. b.11. Luc. 23. c.18. Ioan. 18. g.40. 14 *Vos autem sanctum & justum negastis, & C petistis virum homicidam donari vobis :

15 Authorem verò vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus.

16 Et in fine nominis ejus, hunc, quem vos vidistis, & nostis, confirmavit nomen ejus : & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrûm.

17 Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.

18 Deus autem, quę prænuntiavit per os omniũ prophetarum, pati Christum suum, sic implevit.

19 Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra :

20 Ut cùm venerint tempora refrigerij à conspectu Domini, & miserit eum, qui prædicatus est vobis, Jesum Christum.

21 Quem oportet quidem cælum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum à sæculo prophetarum.

D 22 Moyses quidem dixit : *Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fra- *Deut. 18. c.15. tribus vestris, tamquam meipsum audietis juxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis.

23 Erit autem : omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.

24 Et omnes prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos.

25 Vos estis filij prophetarum, & testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad *Gen. 22.a.3. Abraham : *Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.

26 Vobis primùm Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis : ut convertat se unusquisque à nequitia sua.

Caput IV.

Apostoli post reclusionem in custodia examinati de claudi curatione, ostendunt in solo Christo lapide angulari esse salutem, nec principibus contra Dei jussum obtemperant cessando à doctrina nominis Christi : dimissi verò, & orantes, accipiunt signa dati Spiritus sancti : nullus ipsorum quidquam proprium habebat, sed suis divenditis faciebat pretium esse commune, sicut fecit Barnabas divendito agro suo.

D 1 LOquentibus autem illis ad populum, super- venerunt sacerdotes, & magistratus templi, & Sadducæi,

2 Dolentes quòd docerent populum, & annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis :

3 Et injecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum : erat enim jam vespera.

4 Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt : & factus est numerus virorum quinque millia.

5 Factum est in crastinum, ut congregarentur principes eorum, & seniores, & Scribæ in Jerusalẽ.

6 Et Annas princeps sacerdotum, & Caiphas, & B Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali.

7 Et statuentes eos in medio, interrogabant : In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos ?

8 Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos : Principes populi, & seniores audite :

9 Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est.

10 Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël : quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis, in hoc iste astat corã vobis sanus.

*Psal. 117. d.22. Isai. 28. d.16. Matt. 21. d.42. Mar. 12. a.10. Luc. 20. e.17. Rom. 9. g.33. 1. Petr. 2. f.7. 11 *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli : C

12 Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

13 Videntes autem Petri constantiam & Joannis, comperto quòd homines essent sine litteris, & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos quoniam cum Jesu fuerant :

14 Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.

15 Jusserunt autem eos foras extra concilium secedere : & conferebant ad invicem,

16 Dicentes : Quid faciemus hominibus istis ? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Jerusalem : manifestum est, & non possumus negare.

17 Sed ne ampliùs divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultrà loquantur in nomine hoc ulli hominum.

18 Et vocantes eos, denuntiaverunt ne omnino D loquerentur, neque docerent in nomine Jesu.

19 Petrus verò & Joannes respondentes, dixerunt ad eos : Si justum est in conspectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, judicate :

20 Non enim possumus quæ vidimus & audivimus non loqui.

21 At illi comminantes dimiserunt eos : non invenientes quomodo punirent eos, propter populum, quia omnes clarificabant id quod factum fuerat in eo quod acciderat.

22 Annorum enim erat ampliùs quadraginta E homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.

23 Dimissi autem venerunt ad suos : & annuntiaverunt eis, quanta ad eos principes sacerdotum & seniores dixissent.

24 Qui cùm audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt : Domine, tu es qui fecisti cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt :

25 Qui Spiritu sancto per os patris nostri David, pueri tui, dixisti : * Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania ? *Psal. 2. a.1.

26 Astiterunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

26 Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus:

F 27 Convenerunt enim verè in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Israël,

28 Facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri.

29 Et nunc Domine respice in minas eorum, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuũ.

30 In eo quòd manum tuam extendas ad sanitates & signa & prodigia fieri per nomen sancti filij tui Jesu.

31 Et cùm orassent, motus est locus, in quo erant congregati: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.

G 32 Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

33 Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri: & gratia magna erat in omnibus illis.

34 Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant.

35 Et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.

36 Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum Filius consolationis) Levites, Cyprius genere.

37 Cùm haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.

Caput V.

Ananias & uxor sua Saphira agro divendito pretij partem sibi servant; quod tamen interrogante Petro factum esse negant: quam ob causam ad verbum Petri uxor post maritum subita morte percutitur: multa per Apostolos, & maximè per Petrum fiunt signa; ipsique in custodia recluſi ab Angelo educuntur, & rursum apprehensi non consentiunt ut a prædicatione nominis Christi cessent: Gamalielis autem consilio easi dimittuntur, gaudentes quod pro Christi nomine cædi meruissent, quem continuè annuntiant.

A 1 VIr autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua, vendidit agrum.

2 Et fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua: & afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit.

3 Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?

4 Nónne manens tibi manebat, & venumdatũ in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, sed Deo.

5 Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expiravit. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt.

6 Surgentes autem juvenes amoverunt eum, & efferentes sepelierunt.

B 7 Factum est autem quasi horarum trium spatium, & uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introivit.

8 Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti.

9 Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium; & efferent te.

10 Confestim cecidit ante pedes ejus, & expiravit. Intrantes autem juvenes, invenerunt illam mortuã, & extulerunt, & sepelierunt ad virũ suum.

11 Et factus est timor magnus in universa ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc.

12 Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.

13 Ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis: sed magnificabat eos populus. C

14 Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum,

15 Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.

16 Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes.

17 Exurgens autem princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo:

18 Et injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica.

19 Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, & educens eos, dixit: D

20 Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus.

21 Qui cùm audissent, intraverunt diluculò in templum, & docebant. Adveniens autem princeps sacerdotum, & qui cum eo erant, convocaverunt concilium, & omnes seniores filiorum Israël: & miserunt ad carcerem ut adducerentur.

22 Cùm autem venissent ministri, & aperto carcere non invenissent illos, reversi nuntiaverunt,

23 Dicentes: Carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante januas: aperientes autem neminem intus invenimus.

24 Ut autem audierunt hos sermones magistratus templi, & principes sacerdotum, ambigebant E de illis quidnam fieret.

25 Adveniens autem quidam nuntiavit eis: Quia ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes, & docentes populum.

26 Tunc abiit magistratus cum ministris, & adduxit illos sine vi: timebant enim populum ne lapidarentur.

27 Et cùm adduxissent illos, statuerunt in concilio: & interrogavit eos princeps sacerdotum,

28 Dicens: Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto: & ecce replestis Jerusalem doctrina vestra: & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.

29 Respondens autem Petrus, & Apostoli, dixerũt: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. F

30 Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.

31 Hunc principem & salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israëli, & remissionem peccatorum.

32 Et

32 Et nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.

33 Hæc cùm audissent, dissecabantur, & cogitabant interficere illos.

34 Surgens autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legisdoctor honorabilis universæ plebi, jussit foras ad breve homines fieri.

35 Dixítque ad illos: Viri Israëlitæ, attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis.

G 36 Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est: & omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum.

37 Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, & avertit populum post se, & ipse periit: & omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.

38 Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur:

39 Si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne fortè & Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi.

40 Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt ne omnino loquerentur in nomine Jesu, & dimiserunt eos.

41 Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

42 Omni autem die non cessabant, in templo & circa domos docentes, & evangelizantes Christum Jesum.

Caput VI.

Electio septem diaconorum, crescente indies credentium numero: Stephani vehementia cum signis & prodigiis, in quem plurimi insurgunt Judæi: cúmque eum non possent convincere, falsis testibus nituntur opprimere.

A 1 IN diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.

2 Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.

3 Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus.

4 Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus.

B 5 Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum.

6 Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus.

7 Et verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valdè: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.

8 Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo.

C 9 Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano:

10 Et non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur.

11 Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, & in Deum.

12 Commoverunt itaque plebem, & seniores, & D Scribas: & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium,

13 Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum, & legem.

14 Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jesus Nazarenus hic, destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.

15 Et intuentes eũ omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquã faciem Angeli.

Caput VII.

Stephanus, data respondendi facultate, multa refert de pacto Dei cum Abraham ejúsque minoribus, de Moyse & egressione filiorum Israël ex Ægypto, de tabernaculo testimonij & templo per Salomonem ædificato; Judæos reprehendens quòd ipsi & patres eorum Spiritui sancto semper restiterint: cum autem diceret se Jesum a dextris Dei videre, lapidatur, testibus vestimenta ad pedes Sauli deponentibus: orátque pro lapidantibus.

1 DIxit autem princeps sacerdotum: Si hæc A ita se habent?

2 Qui ait: Viri fratres, & patres, audite: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cùm esset in Mesopotamia, priùs quàm moraretur in Charan,

3 Et dixit ad illum: * Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi. *Gen. 12.a.1.

4 Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.

5 Et non dedit illi hereditatem in ea, nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini ejus post ipsum, cùm non haberet filium.

6 Locutus est autem ei Deus: * Quia erit semen * Gen. ejus accola in terra aliena, & servituti eos subjicient, & malè tractabunt eos annis quadringentis: 15.c.13.

7 Et gentem cui servierint, judicabo ego, dixit Dominus. & post hæc exibunt, & servient mihi in loco isto.

8 * Et dedit illi testamentum circumcisionis: * & * Gen. sic genuit Isaac, & circumcidit eum die octavo: & 17.b.10.
* Isaac, Jacob: & * Jacob, duodecim Patriarchas. * Gen.

9 Et Patriarchæ æmulantes, * Joseph vendide- 21.a.24.
runt in Ægyptum, & erat Deus cum eo: * Gen. 25.d.25.

10 Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus * Gen.
ejus: & * dedit ei gratiam & sapientiã in conspectu 29.d.32.
Pharaonis regis Ægypti, & constituit eũ præpositũ * Gen. 35.d.22.
super Ægyptum, & super omnem domum suam. 37.f.28. B

11 Venit autem fames in universam Ægyptum *Gen.
& Chanaan, & tribulatio magna: & non invenie- 41.c.37.
bant cibos patres nostri.

12 * Cùm audisset autem Jacob esse frumentum *Gen.
in Ægypto: misit patres nostros primùm: 42.a.2.

13 * Et in secundo cognitus est Joseph à fratribus * Gen.
suis, & manifestatum est Pharaoni genus ejus. 45.a.3.

14 Mittens autem Joseph accersivit Jacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuagintaquinque.

Universidad de Deusto
Biblioteca

*Gen. 46.a.5. *Gen. 49.d.32. *Gen. 23.c.16. 50.a.5. b.13. Ios.24. g.32.

15 *Et descendit Jacob in Ægyptum, & *defunctus est ipse, & patres nostri.

16 Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, * quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filij Sichem.

17 Cùm autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat Deus Abrahæ,* crevit populus, & multiplicatus est in Ægypto,

*Exod. 1.a.7.

18 Quoadusque surrexit alius rex in Ægypto, qui non sciebat Joseph.

19 Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut exponerent infantes suos ne vivificarentur.

*Exod.2. a.2. Heb.11. a.23.

20 *Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.

21 Expósito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis,& nutrivit eum sibi in filium.

22 Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorũ,& erat potens in verbis,& in operibus suis.

23 Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ejus ut visitaret fratres suos filios Israël.

*Exod.2. b.12.

24 *Et cùm vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum: & fecit ultionem ei qui injuriam sustinebat,percusso Ægyptio.

25 Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt.

*Exod.2. b.13.

26 *Sequenti verò die apparuit illis litigantibus: & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum?

D 27 Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem & judicem super nos?

28 Numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium?

29 Fugit autem Moyses in verbo isto:& factus est advena in terra Madian, ubi generavit filios duos.

*Exod.3. a.2.

30 Et expletis annis quadraginta,* apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.

31 Moyses autem videns, admiratus est visum. & accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens:

32 Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare.

33 Dixit autem illi Dominus: Solve calceamentum pedum tuorum: locus enim in quo stas, terra sancta est.

34 Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto,& gemitum eorum audivi,& descendi liberare eos. Et nunc veni,& mittam te in Ægyptũ.

35 Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes: Quis te constituit principem & judicem? hunc Deus principem & redemptorem misit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.

E 36 *Hic eduxit illos, faciens prodigia & signa in terra Ægypti, & in rubro mari, & in deserto annis quadraginta.

*Exod. 7.8.9. 10 11. 14. *Deut. 18.c.15.

37 Hic est Moyses, qui dixit filiis Israël: *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me, ipsum audietis.

*Exod. 19.a.3.

38 *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis.

39 Cui noluerunt obedire patres nostri: sed repulerunt, & aversi sunt cordibus suis in Ægyptum,

40 Dicentes ad Aaron: * Fac nobis deos, qui præcedant nos: Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei.

*Exod. 32.a.1.

41 Et vitulum fecerunt in diebus illis,& obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum.

42 Convertit autem Deus, & tradidit eos servire militiæ cæli sicut scriptum est in Libro Prophetarum: * Numquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israël?

*Amos. 5.f.25.

43 Et suscepistis tabernaculum Moloch,& sidus Dei vestri Rempham, figuras, quas feciſtis,adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem.

44 Tabernaculum testimonij fuit cum patri- F
bus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, * loquens ad Moysen, ut faceret illud secundùm formam quam viderat.

*Exod. 25.d.40.

45 * Quod & induxerunt, suscipientes patres nostri cum Jesu in possessionem Gentium, quas expulit Deus à facie patrum nostrorum, usque in diebus David,

*Ios.3. c.14. Heb.8. a.9.

46 * Qui invenit gratiam ante Deum, * & petiit ut inveniret tabernaculum Deo Jacob,

*1.Reg. 16.c.13. *Ps.131. a.5.

47 * Salomon autem ædificavit illi domum.

*3.Reg. 6.a.1. 1.Par. 17.b.12.

48 * Sed non excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit:

*Inf.17. c.24. * Isai. 66.a.1.

49 * Cælum mihi sedes est:terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ est?

50 Nónne manus mea fecit hæc omnia?

51 Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis,sicut patres vestri, ita & vos.

52 Quem Prophetarum non sunt persecuti pa- G
tres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis:

53 Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.

54 Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.

55 Cùm autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video cælos apertos,& Filium hominis stantem à dextris Dei.

56 Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.

57 Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant: & testes deposuerunt vestimenta sua, secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.

58 Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem:Domine Jesu suscipe spiritum meum.

59 Positis autem genibus,clamavit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci ejus.

CAPUT

CAPUT VIII.

In persecutione dispergantur omnes præter Apostolos, Saulo devastante Ecclesiam: Philippus plurimos in Samaria convertit, & in his Simonem magum baptizat: missi ab Apostolis Petrus & Ioannes, oratione ac manuum impositione impetrant credentibus Samaritanis Spiritum sanctum: Simon autem volens Spiritus sancti dationem pecunia emere, durè à Petro corripitur: Philippus ab Angelo mittitur ad Eunuchum; quem ubi credentem baptizasset, à Spiritu raptus defertur in Azotum.

A 1 FActa est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ,præter Apostolos.

2 Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.

3 Saulus autem devastabat Ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam.

4 Igitur qui dispersi erant pertransibant,evangelizantes verbum Dei.

5 Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum.

6 Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes signa quæ faciebat.

B 7 Multi enim eorum,qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant.

8 Multi autem paralytici & claudi curati sunt.

9 Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam nomine Simon,qui antè fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum:

10 Cui auscultabant omnes à minimo usque maximum, dicentes: Hic est virtus Dei,quæ vocatur magna.

11 Attendebant autem eum, propter quòd multo tempore magiis suis dementasset eos.

12 Cùm verò credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei,in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres.

C 13 Tunc Simon & ipse credidit:& cùm baptizatus esset,adhærebat Philippo. Videns etiã signa & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

14 Cùm autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem.

15 Qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum:

16 Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu.

17 Tunc imponebant manus super illos,& accipiebant Spiritum sanctum.

18 Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam,

D 19 Dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum:

20 Pecunia tua tecum sit in perditionem:quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.

21 Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. cor enim tuum non est rectum coram Deo.

22 Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.

23 In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.

24 Respondens autem Simon,dixit:Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis.

25 Et illi quidem testificati & locuti verbum E
Domini, redibant Jerosolymam, & multis regionibus Samaritanorum evangelizabant.

26 Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra meridianum, ad viam quæ descendit ad Jerusalem in Gazam: hæc est deserta.

27 Et surgens abiit. Et ecce vir Æthiops,eunuchus,potens Candacis reginæ Æthiopũ, qui erat super omnes gazas ejus,venerat adorare in Jerusalẽ:

28 Et revertebatur sedens super currum suum, legénsque Isaiam prophetam.

29 Dixit autem Spiritus Philippo: Accede,& adjunge te ad currum istum.

30 Accurrens autem Philippus, audivit eum F
legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Putásne intelligis quæ legis?

31 Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavítque Philippum ut ascenderet, & sederet secum.

32 Locus autem Scripturæ, quam legebat,erat hic: * Tanquam ovis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.

*Isai. 53.c.7.

33 In humilitate judicium ejus sublatum est. generationem ejus quis enarrabit, quoniam tollétur de terra vita ejus?

34 Respondens autem eunuchus Philippo,dixit: Obsecro te,de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo?

35 Aperiens autem Philippus os suum,& incipiens à Scriptura ista,evangelizavit illi Jesum.

36 Et dum irent per viam, venerunt ad quam- G
dam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?

37 Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde,licet. Et respondens ait: Credo,Filium Dei esse Jesum Christum.

38 Et jussit stare currum:& descenderunt uterq; in aquã,Philippus,& Eunuchus,& baptizavit eum.

39 Cùm autẽ ascendissent de aqua,Spiritus Domini rapuit Philippum,& ampliùs non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens.

40 Philippus autem inventus est in Azoto, & pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

CAPUT IX.

Admiranda Sauli persecutoris conversio, Domino ei apparente, & Anania ad ipsum misso, à quo baptizatus cœpit Damasci acerrimè tueri Iesum esse Christum: discipuli vero ipsum demittunt per murum propter Iudæorum insidias: quem Barnabas Ierosolymis ducit ad Apostolos, unde rursum propter insidias dimittitur Tarsum: Petrus Lydda sanat Æneam paralyticum, & in Ioppe Tabitham resuscitat.

1 SAulus autem adhuc spirans minarum, & cæ- A
dis in discipulos Domini, accessit ad Principem sacerdotum, Gal. 1. c.13.

2 Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: ut si quos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem.

3 *Et cùm iter faceret, contigit ut appropin- *Inf.22. b.6.
quaret

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Cor.15. b.8. 2.Cor. 12.n.1.

quaret Damasco: & subitò circumfulsit eum lux de cælo.

4 Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?

5 Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris. durum est tibi contra stimulum calcitrare.

6 Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?

B 7 Et Dominus ad eum: Surge, & ingredére civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.

8 Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat, Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum.

9 Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit.

10 Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: & dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine.

11 Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur rectus: & quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat.

12 (Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem sibi manus ut visum recipiat.)

C 13 Respondit autem Ananias: Domine, audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem:

14 Et hic habet potestatē à principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum.

15 Dixit autem ad eum Dominus: Vade quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël.

16 Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

17 Et abiit Ananias, & introivit in domum: & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesu, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu sancto.

18 Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est.

D 19 Et cùm accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot.

20 Et continuò in synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei.

21 Stupebant autem omnes qui audiebant; & dicebant: Nónne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud: & huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum?

22 Saulus autem multò magis convalescebat, & confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans, quoniam hic est Christus.

23 Cùm autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Judæi ut eum interficerēt.

*2.Cor. 11.g.32. 24 Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. * Custodiebant autem & portas die ac nocte, ut eum interficerent.

25 Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.

E 26 Cùm autem venisset in Jerusalem, tentabat se jungere discipulis, & omnes timebant eum, non credentes quòd esset discipulus.

27 Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos: & narravit illis quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu.

28 Et erat cum illis intrans & exiens in Jerusalem, & fiducialiter agens in nomine Domini.

29 Loquebatur quoque Gentibus, & disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum.

30 Quod cùm cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tarsum.

31 Ecclesia quidem per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam, habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur. F

32 Factum est autem, ut Petrus dum pertransiret universos, deveniret ad sanctos, qui habitabant Lyddæ.

33 Invenit autem ibi hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus.

34 Et ait illi Petrus: Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus: surge, & sterne tibi. Et continuò surrexit.

35 Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ & Saronæ: qui conversi sunt ad Dominum.

36 In Joppe autem fuit quædam discipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat.

37 Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cùm lavissent, posuerunt eam in cœnaculo.

38 Cùm autem propè esset Lydda ad Joppen, discipuli audientes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire usque ad nos. G

39 Exurgens autē Petrus venit cum illis: Et cùm advenisset, duxerunt illum in cœnaculum: & circūsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas.

40 Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit: & conversus ad corpus, dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos: & viso Petro, resedit.

41 Dans autem illi manum, erexit eam. Et cùm vocasset sanctos, & viduas, assignavit eam vivam.

42 Notum autem factum est per universam Joppen: & crediderunt multi in Domino.

43 Factum est autem, ut dies multos moraretur in Joppe, apud Simonem quemdam coriarium.

Caput X.

Jussu Angeli accersit Cornelius Centurio Petrum, qui per lintei visionem admonitus Gentes ad Evangelium admittendas esse, venit ad illum: clamque super omnes verbum ejus de Christo audientes Spiritus sanctus descendisset, jussit eos baptizari.

1 VIr autem quidā erat in Cęsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis quę dicitur Italica, A

2 Religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper:

3 Is vidit in visu manifestè, quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli.

4 At

4 At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine: Dixit autem illi: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ, ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.

5 Et nunc mitte viros in Joppen, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus:

6 Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere.

7 Et cùm discessisset Angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum, ex his qui illi parebant.

B 8 Quibus cùm narrasset omnia, misit illos in Joppen.

9 Postera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora ut oraret circa horam sextam.

10 Et cùm esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus:

11 Et vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quattuor initiis submitti de cælo in terram,

12 In quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli.

13 Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca.

14 Ait autem Petrus: Absit Domine, quia numquam manducavi omne commune & immundum.

15 Et vox iterùm secundò ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.

16 Hoc autem factum est per ter: & statim receptum est vas in cælum.

C 17 Et dum intra se hæsitaret Petrus, quidnam esset visio, quam vidisset: ecce viri, qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad januam.

18 Et cùm vocassent, interrogabāt, si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium.

19 Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te.

20 Surge itaque, descende, & vade cum eis nihil dubitans: quia ego misi illos.

21 Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum, quem quæritis: quæ causa est propter quam venistis?

22 Qui dixerunt: Cornelius Cēturio, vir justus, & timens Deum, & testimonium habens ab universa gente Judęorū, responsū accepit ab Angelo sancto, accersire te in domum suā, & audire verba abs te.

D 23 Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequēti autem die surgens profectus est cum illis: & quidam ex fratribus ad Joppe comitati sunt eum.

24 Altera autem die introivit Cæsaream. Cornelius verò expectabat illos, convocatis cognatis suis, & necessariis amicis.

25 Et factū est cùm introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes ejus adoravit.

26 Petrus verò elevavit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum.

27 Et loquens cum illo intravit, & invenit multos qui convenerant

28 Dixítque ad illos: Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo, conjungi aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem.

29 Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quā ob causam accersistis me?

30 Et Cornelius ait: A nudiusquarta die usque ad hanc horā, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste candida, & ait: E

31 Corneli, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.

32 Mitte ergo in Joppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarij juxta mare.

33 Confestim ergo misi ad te: & tu benefecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt à Domino.

34 Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, * quia non est personarum acceptor Deus: F

35 Sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.

36 Verbum misit Deus filiis Israël, annuntians pacem per Jesum Christum: (hic est omnium Dominus.)

37 Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim à * Galilæa, post baptismum quod prędicavit Joannes,

38 Jesum à Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute, qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.

39 Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, & Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno.

40 Hunc Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri,

41 Non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo: nobis, qui manducavimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis.

42 Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo judex vivorum & mortuorum. G

43 * Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

44 Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbū.

45 Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est.

46 Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.

47 Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos?

48 Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. Tunc rogaverunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus.

*Deut. 10.d.17. 2.Par. 19.b.7. Jo.34.b.19. Sap. 6. b.8. Eccli.35. b.15. Rom.2. b.11. Gal. 2. b.6. Ephes. 6. b.9. Col.3. d.25. 1.Pet.1. c.17. *Luc.4. b.14.

*Jer.31. f.34. Mich.7. d.18.

Caput XI.

Petrus disceptantibus fratribus quòd ad Gentes accessisset, rei ordinem exponit: multis Antiochiæ conversis prædicatione discipulorum, mittitur ad eos Barnabas ab Ecclesia Jerosol. mitana, qui multis conversis adducit eò & Saulum à Tarso: cum quo mittitur Jerusalem, ut in famem ab Agabo prophetā prædictam ferant fratribus eleemosynam.

1 AUdierunt autem Apostoli, & fratres, qui A erant in Judæa: quoniam & Gentes receperunt verbum Dei.

2 Cùm autem ascendisset Petrus Jerosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione,

3 Dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?

4 Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens:

5 Ego eram in civitate Joppe orans, & vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum quattuor initiis summitti de cælo, & venit usque ad me.

6 In quod intuens considerabam, & vidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia, & volatilia cæli.

7 Audivi autem & vocem dicentem mihi: Surge Petre, occide, & manduca.

B 8 Dixi autem: Nequaquam Domine, quia commune aut immundum numquam introivit in os meum.

9 Respondit autem vox secundò de cælo: Quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris.

10 Hoc autem factum est per ter: & recepta sunt omnia rursum in cælum.

11 Et ecce viri tres confestim astiterunt in domo, in qua eram, missi à Cæsarea ad me.

12 Dixit autem Spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum & sex fratres isti, & ingressi sumus in domum viri.

13 Narravit autem nobis, quomodo vidisset Angelum in domo sua, stantem & dicentem sibi: Mitte in Joppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus.

14 Qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu, & universa domus tua.

15 Cùm autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut & in nos in initio.

16 Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat: * Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.

*Matt. 3. b. 11. Mar. 1. a. 8. Luc. 3. c. 16. Joan. 1. c. 26. Supr. 1. a. 5. Infr. 19. a. 4.

17 Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere Deum?

C 18 His auditis, tacuerunt: & glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.

19 Et illi quidem, qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis.

20 Erant autem quidam ex eis viri Cyprij, & Cyrenęi, qui cùm introissent Antiochiam, loquebãtur & ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum.

21 Et erat manus Domini cum eis: multúsque numerus credentium conversus est ad Dominum.

22 Pervenit autem sermo ad aures ecclesiæ, quæ erat Jerosolymis, super istis: & miserunt Barnabam usque ad Antiochiam.

D 23 Qui cùm pervenisset, & vidisset gratiam Dei, gavisus est: & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino:

24 Quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto, & fide. Et appositа est multa turba Domino.

25 Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum: quem cùm invenisset, perduxit Antiochiam.

26 Et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia: & docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli, Christiani.

27 In his autem diebus supervenerunt ab Jerosolymis prophetæ Antiochiam:

28 Et surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.

29 Discipuli autem prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus:

30 Quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli.

Caput XII.

Herodes occiso Iacobo Petrum retrudit in carcerem, cupiens post Paschæ eum tradere populo occidendum; sed orante pro eo sine intermissione Ecclesia, Angelico eductus auxilio, fratribus magnum attulit gaudium: facta autem de carceris custodibus inquisitione, Herodes proficiscitur Cæsaream; Cúmque divinos honores à populo oblatos non respueret, percussus est ab Angelo, & consumptus à vermibus expiravit.

A 1 EOdem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia.

2 Occidit autem Jacobum fratrẽ Joannis gladio.

3 Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet & Petrum. Erant autem dies Azymorum.

4 Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem, tradens quattuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo.

5 Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

6 Cùm autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem.

7 Et ecce Angelus Domini astitit: & lumen refulsit in habitaculo: percussóque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus.

8 Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & B calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me.

9 Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre.

10 Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem: quæ ultrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum: & continuò discessit Angelus ab eo.

11 Et Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum.

12 Consideránsque venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes.

13 Pulsante autem eo ostium januæ, processit C puella ad audiendum, nomine Rhode.

14 Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intrò currens nuntiavit stare Petrum ante januam.

15 At

15 At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus ejus est.

16 Petrus autem perseverabat pulsans. Cùm autem aperuissent, viderunt eum, & obstupuerunt.

17 Annuens autem eis manu ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixítque: Nuntiate Jacobo & fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum.

18 Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro.

D 19 Herodes autem cùm requisisset eum, & non invenisset, inquisitione facta de custodibus, jussit eos duci: descendénsque à Judæa in Cæsaream, ibi commoratus est.

20 Erat autem iratus Tyriis, & Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eò quòd alerentur regiones eorum ab illo.

21 Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos.

22 Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis.

23 Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo: & consumptus à vermibus, expiravit.

24 Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur.

25 Barnabas autem & Saulus reversi sunt ab Jerosolymis* expleto ministerio, assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus.

*Supr. 11. d. 29.

Caput XIII.

Saulus & Barnabas jubentur à Spiritu sancto segregari ad opus prædicationis inter gentes, & Bar-jesu sive Elyma magο, qui eorum prædicationi resistebat, ad Pauli verbum excæcato, credit Sergius Paulus: in Antiochia Pisidiæ Paulus in synagoga latius de Christo disserit: sed Iudæis blasphemantibus, & persecutionem in eos excitantibus, convertuntur ad Gentes juxta Isaiæ vaticinium.

A 1 ERant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ, & doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus.

2 Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos.

3 Tunc jejunantes, & orantes, imponentésque eis manus, dimiserunt illos.

4 Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto abierunt Seleuciam; & inde navigaverunt Cyprum.

5 Et cùm venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in synagogis Judæorum. Habebant autem & Joannem in ministerio.

B 6 Et cùm perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pseudoprophetam, Judæum, cui nomen erat Bar-jesu.

7 Qui erat cum Proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accersitis Barnaba & Saulo, desiderabat audire verbum Dei.

8 Resistebat autem illis Elymas magus, (sic enim interpretatur nomen ejus) quærens avertere Proconsulem à fide.

9 Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum,

10 Dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas.

11 Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret.

12 Tunc Proconsul cùm vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini.

13 Et cùm à Papho navigassent Paulus & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Joannes autem discedens ab eis, reversus est Jerosolymam.

14 Illi verò pertranseuntes Pergen, venerunt C Antiochiam Pisidiæ: & ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt.

15 Post lectionem autem legis, & Prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.

16 Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri Israëlitæ, & qui timetis Deum, audite:

17 Deus plebis Israël elegit patres nostros, & plebem exaltavit cùm essent incolæ * in terra Ægypti,* & in brachio excelso eduxit eos ex ea,

*Exod. 1. a. 1. *Exod. 13. d. 21. 22. *Exod. 16. a. 3.

18 * Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto.

19 Et destruens gentes septem in terra Chanaan, * sorte distribuit eis terram eorum,

*Ios. 14. a. 2.

20 Quasi post quadringentos & quinquaginta annos: * & post hæc dedit judices usque ad Samuel Prophetam.

*Judic. 3. b. 9.

21 Et exinde * postulaverunt regem: & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta.

*1. Reg. 8. a. 5 9. c. 16 10. a. 1.

22 Et amoto illo,* suscitavit illis David regem: D cui testimonium perhibens, dixit: * Inveni David filium Jesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

*1. Reg. 13. c. 14. 16. c. 13. *Ps. 88. b. 21.

23 Hujus Deus ex semine * secundùm promissionem eduxit Israël salvatorem Jesum.

*Isa. 11. a. 1.

24 * Prædicante Joanne ante faciem adventus ejus baptismum pœnitentiæ omni populo Israël.

*Matt. 3. a. 1. Mar. 1. a. 4. Luc. 3. a. 3.

25 Cùm impleret autem Joannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, * non sum ego, sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum solvere.

*Matth. 3. b. 11. Mar. 1. a. 7. Ioan. 1. d. 27.

26 Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum: vobis verbum salutis hujus missum est.

27 Qui enim habitabant Jerusalem, & principes ejus, hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt: E

*Matt. 27. c. 20. 23. Mar. 15. b 13. Luc. 23. c. 21. d 23. Ioan. 19. c. 15.

28 Et nullam causam mortis invenientes in eo, * petierunt à Pilato, ut interficerent eum.

*Matt. 28. Mar. 16. Luc 24. Ioan. 20.

29 Cúmque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.

30 * Deus verò suscitavit eum à mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his,

31 Qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Jerusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

32 Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est:

33 Quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: * Filius meus es tu, ego hodie genui te. * Ps.2.b.7.

34 Quod autem suscitavit eum à mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: * Quia dabo vobis sancta David fidelia. * Isa.55.b.3.

35 Ideóque & aliàs dicit: * Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. * Ps. 15.b.10.

36 David enim in sua generatione cùm administrasset, voluntati Dei * dormivit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem. * 3. Reg. 2.b.10.

37 Quem verò Deus suscitavit à mortuis, non vidit corruptionem.

F 38 Notum igitur sit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moïsi justificari.

39 In hoc omnis, qui credit justificatur.

40 Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis: * Habac. 1.b.5.

41 *Videte contemptores, & admiramini, & disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis.

42 Exeuntibus autem illis, rogabant ut sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc.

43 Cúmque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Judæorum, & colentium advenarum, Paulum & Barnabam: qui loquentes suadebant eis ut permanerent in gratia Dei.

44 Sequenti verò sabbato pœnè universa civitas convenit audire verbum Dei.

G 45 Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes.

46 Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.

47 Sic enim præcepit nobis Dominus: * Posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. * Isa.49.b.6.

48 Audientes autem Gentes gavisæ sunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

49 Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem.

50 Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas, & honestas, & primos civitatis, & excitaverunt persecutionem in Paulum & Barnabam: & ejecerunt eos de finibus suis.

51 * At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. * Matt. 10.b.14. Mar.6.b.11. Luc.9.a.5.

52 Discipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu sancto.

Caput XIV.

Multis Judæorum ac Ethnicorum Iconij fidem in Christum suscipientibus, concitatur à Judæis tumultus in Apostolos, qui Lystram fugiunt, ubi Paulus claudum à matris utero curat; populúmque ac sacerdotes ob id ipsis tamquam diis sacrificare volentes agrè compescunt: sed concitata à Judæis supervenientibus turba, Paulus lapidatur, & pro mortuo relinquitur: cúmque surrexisset, ipse & Barnabas discipulos per varia loca exhortantes, & presbyteros ordinantes, revertuntur Antiochiam.

1 FActum est autem Iconij, ut simul introirent A in synagogam Judæorum, & loquerẽtur, ita ut crederet Judæorũ & Græcorũ copiosa multitudo.

2 Qui verò increduli fuerunt Judæi, suscitaverunt, & ad iracundiam concitaverunt animas Gentium adversus fratres:

3 Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum.

4 Divisa est autem multitudo civitatis: & quidam quidem erant cum Judæis, quidam verò cum Apostolis,

5 Cùm autem factus esset impetus Gentilium & Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent, & lapidarent eos,

6 Intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ, Lystram, & Derben, & universam in circuitu B regionem, & ibi evangelizantes erant.

7 Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ, qui numquam ambulaverat.

8 Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet ut salvus fieret,

9 Dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit, & ambulabat.

10 Turbæ autem cùm vidissent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam, Lycaonicè dicentes: Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos.

11 Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi.

12 Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros & coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare.

13 Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas & Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, C clamantes

14 Et dicentes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis, homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, * qui fecit cælum, & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt: * Gen.1.a.1. Ps. 145.a.6. Apoc.14.b.7.

15 Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.

16 Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluvias & tempora fructifera, implẽs cibo & lætitia corda nostra.

17 Et hæc dicentes, vix sedaverunt turbas ne sibi immolarent.

18 Supervenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Judæi: & persuasis turbis lapidantésque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse.

19 Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, & postera die profectus D est cum Barnaba in Derben.

20 Cúmque

20 Cúmque evangelizassent civitati illi, & docuissent multos, reversi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam,

21 Confirmantes animas discipulorum, exhortantésque ut permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

22 Et cùm constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum jejunationibus, cõmendaverunt eos Domino, in quem crediderũt.

23 Transeuntésque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam,

24 Et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam:

25 * Et inde navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleverunt. * Sup.13 a.1.

26 Cùm autem venissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei.

27 Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.

Caput XV.

Orta Antiochiæ seditione propter Iudæos, volentes Gentes ad Deum conversas circumcidi, Paulus & Barnabas rem ad Apostolos referunt: qui post Petri & Iacobi suffragia, communi decreto per litteras statuunt, Gentes conversas non ligari lege Moysi: Paulus cupiens ab Antiochia invisere loca in quibus prædicaverat, separatur à Barnaba, eò quòd nollet Ioannem assumi.

A 1 ET quidam descendentes de Judæa, docebant fratres: * Quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari. * Gal.5.a.2.

2 Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex aliis, ad Apostolos & presbyteros in Jerusalem, super hac quæstione.

3 Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœnicem & Samariam, narrantes conversionem Gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.

4 Cùm autem venissent Jerosolymam, susceptí sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis.

5 Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet B circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi.

6 Convenerúntque Apostoli & seniores videre de verbo hoc.

7 Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: * Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelij, & credere. * Sup.10. c.20.

8 Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, * dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, * Sup.10. c.45.

9 Et nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.

10 Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?

C 11 Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.

12 Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant Barnabam & Paulum, narrantes quanta Deus fecisset signa & prodigia in Gentibus per eos.

13 Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens: Viri fratres, audite me.

14 Simon narravit quemadmodum primùm Deus visitavit sumere ex Gentibus populũ nomini suo.

15 Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est:

16 * Post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David, quod decidit: & diruta ejus reædificabo, & erigam illud: * Amos 9.a.11.

17 Ut requirant ceteri hominum Dominum, & D omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.

18 Notum à sæculo est Domino opus suum.

19 Propter quod ego judico, non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum,

20 Sed scribere ad eos ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.

21 Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.

22 Tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus,

23 Scribentes per manus eorum APOSTOLI & seniores fratres, his, qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex Gentibus, salutem.

24 Quoniam Audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus:

25 Placuit nobis collectis in unum eligere viros, E & mittere ad vos, cum charissimis nostris Barnaba & Paulo,

26 Hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi.

27 Misimus ergo Judam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem.

28 Visum est enim Spiritui sancto, & nobis, nihil F ultrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria:

29 Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione; à quibus custodientes vos, benè agetis. Valete.

30 Illi ergo dimissi, descenderunt Antiochiam: & congregata multitudine tradiderunt epistolam.

31 Quam cùm legissent, gavisi sunt super consolatione.

32 Judas autem & Silas, & ipsi cùm essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmaverunt.

33 Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace à fratribus, ad eos qui miserãt illos.

34 Visum est autem Silæ ibi remanere: Judas autem solus abiit Jerusalem.

35 Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, & evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini.

36 Post aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes visitemus fratres per universas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant.

37 Barnabas autem volebat secum assumere & Joannem, qui cognominabatur Marcus.

38 Paulus

Universidad de Deusto
Biblioteca

38 Paulus autem rogabat eum(ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus) non debere recipi.

39 Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem, & Barnabas quidem assumpto Marco navigaret Cyprum.

40 Paulus verò electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus.

41 Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum.

Caput XVI.

Paulus Lystris assumptum Timotheum circumcidit, & per varias civitates tradit servanda Apostolorum dogmata: vetantur à Spiritu sancto prædicare in Asia & Bithinia: vocato autem per visionem Paulo in Macedoniam, proficiscuntur: primúmque Philippis prædicantes, hospitio excipiuntur apud Lydiam: sed ejecto per Paulum spiritu Pythone, virgis cæsi mittuntur in carcerem: ubi facto terræmotu, solutisque eorum vinculis, custos carceris convertitur: posteróque die magistratus orant ut civitatem egrediantur.

A 1 PErvenit autem Derben, & Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis, patre Gentili.

2 Huic testimonium bonum reddebant, qui in Lystris erant & Iconio fratres.

3 Hunc voluit Paulus secum proficisci: & assumens circumcidit eum, propter Judæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quòd pater erat Gentilis.

4 Cùm autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus, qui erant Jerosolymis.

5 Et Ecclesiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.

6 Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia.

B 7 Cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bythiniã: & non permisit eos Spiritus Jesu.

8 Cùm autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem:

9 Et visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam, adjuva nos.

10 Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quòd vocasset nos Deus evangelizare eis.

11 Navigantes autem à Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim;

12 Et inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas, colonia. Eramus autem in hac Urbe diebus aliquot, conferentes.

C 13 Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio esse: & sedentes loquebamur mulieribus, quę convenerãt.

14 Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo.

15 Cùm autem baptizata esset, & domus ejus, deprecata est dicens: si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, & manete. Et coëgit nos.

16 Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando.

17 Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat D dicens: Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis.

18 Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conversus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora.

19 Videntes autem domini ejus quia exivit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes:

20 Et offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant civitatem nostram, cùm sint Judæi:

21 Et annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cùm simus Romani.

22 Et cucurrit plebs adversus eos: & magistratus, scissis tunicis eorum, *jusserunt eos virgis cædi. *2.Cor. 11.f.25. Philip.1. b.13. 1.Thess. 2.a.2.

23 Et cùm multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi ut diligenter custodiret eos.

24 Qui cùm tale præceptum accepisset, misit E eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno.

25 Media autem nocte, Paulus & Silas orantes, laudabant Deum: & audiebant eos, qui in custodia erant.

26 Subitò verò terræmotus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia: & universorum vincula soluta sunt.

27 Expergefactus autem custos carceris, & videns januas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos.

28 Clamavit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris: universi enim hîc sumus.

29 Petitóque lumine, introgressus est: & tre- F mefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes:

30 Et producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam?

31 At illi dixerunt: Crede in Dominum Jesum: & salvus eris tu, & domus tua.

32 Et locuti sunt ei verbum Domini, cum omnibus qui erant in domo ejus.

33 Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum: & baptizatus est ipse, & omnis domus ejus continuò.

34 Cúmque perduxisset eos in domum suam, appositit eis mensam, & lætatus est cum omni domo sua credens Deo.

35 Et cùm dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos.

36 Nuntiavit autem custos carceris verba hæc G Paulo: Quia miserunt magistratus ut dimittamini: nunc igitur exeuntes, ite in pace.

37 Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publicè, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos ejiciunt? Non ita: sed veniant,

38 Et ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem magistratibus lictores verba hæc. Timuerúntque audito quòd Romani essent:

39 Et venientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant ut egrederentur de Urbe.

40 Exeuntes

40 Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam: & visis fratribus consolati sunt eos, & profecti sunt.

Caput XVII.

Facto Thessalonicæ magno fructu per Pauli prædicationem, concitatur adversus eum à Judæis seditio, similiter & Beræa: Paulus Athenis cum Judæis & philosophis disseritsac Dionysium Areopagitam ad Christum convertit cum quibusdam aliis.

A 1 CUm autem perambulassent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum.

2 Secundùm consuetudinem autem Paulus introivit ad eos, & per sabbata tria disserebat eis de Scripturis,

3 Adaperiens & insinuans quia Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis: & quia hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vobis.

4 Et quidam ex eis crediderunt, & adjuncti sunt Paulo & Silæ, & de colentibus Gentilibúsque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.

B 5 Zelantes autem Judæi, assumentésque de vulgo viros quosdam malos, & turba facta, concitaverunt civitatem: & assistentes domui Jasonis quærebant eos producere in populum.

6 Et cùm non invenissent eos, trahebant Jasonem & quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes: Quoniam hi, qui Urbem concitant, & huc venerunt,

7 Quos suscepit Jason, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, Jesum.

8 Concitaverunt autem plebem, & principes civitatis audientes hæc.

9 Et accepta satisfactione à Jasone, & à ceteris, dimiserunt eos.

C 10 Fratres verò confestim per noctem dimiserunt Paulum & Silam in Beræam. Qui cùm venissent, in Synagogam Judæorum introierunt.

11 Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.

12 Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honestarum, & viri non pauci.

13 Cùm autem cognovissent in Thessalonica Judæi, quia & Berææ prædicatum est à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc commoventes & turbantes multitudinem.

14 Statímque tunc Paulum dimiserunt fratres, ut iret usque ad mare: Silas autem & Timotheus remanserunt ibi.

D 15 Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum usque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum, ut quàm celeriter venirent ad illum, profecti sunt.

16 Paulus autem cùm Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem.

17 Disputabat igitur in synagoga cum Judæis, & colentibus, & in foro, per omnes dies, ad eos qui aderant.

18 Quidam autem Epicurei, & Stoici philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiverbius hic dicere? Alij verò: Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: quia Jesum, & resurrectionem annuntiabat eis.

19 Et apprehensum eum ad Areopagum duxe- E runt, dicentes: Possumus scire quæ est hæc nova, quæ à te dicitur, doctrina?

20 Nova enim quædam infers auribus nostris: Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse.

21 (Athenienses autem omnes, & advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.)

22 Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video.

23 Præteriens enim, & videns simulachra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.

24 * Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ *Gen.1. a.1. in eo sunt, hic cæli & terræ cùm sit Dominus, * non in manufactis templis habitat, *Sut.7. f.48.

25 Nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia:

26 Fecítque ex uno omne genus hominum in- F habitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum,

27 Quærere Deum, si fortè attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longè sit ab unoquoque nostrûm.

28 In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus.

29 Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare, auro, aut argento, aut lapidi, sculpturę artis & cogitationis hominis, Divinum esse simile.

30 Et tempora quidem hujus ignorantiæ des- G piciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant,

31 Eò quòd statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.

32 Cùm audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterùm.

33 Sic Paulus exivit de medio eorum.

34 Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.

Caput XVIII.

Paulus Corinthi suum exercet artificium apud Aquilam, & quamquam ad ejus prædicationem blasphemarent Iudæi, audit tamen in visione multum ibi populum ad fidem convertendum: verùm post sesquiannum accusatur à Iudæis apud Gallionem proconsulem, & post multos dies venit Ephesum, ac variis regionibus fratres confirmat. Apollo vehementer Iudæos convincit, ostendens ex Scripturis Iesum esse Christum, quamquam tantum nosset baptisma Ioannis.

1 POst hæc egressus ab Athenis, venit Corin- A thum:

2 Et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam uxorem ejus, (eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos à Roma) accessit ad eos.

3 Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur: (erant autem scenofactoriæ artis.)

4 Et disputabat in synagoga per omne sabbatum,

tum, interponens nomen Domini Jesu, suadebátque Judæis, & Græcis.

B 5 Cùm venissent autem de Macedonia Silas & Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Judæis esse Christum Jesum.

6 Contradicentibus autem eis, & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam.

7 Et migrans inde, intravit in domum cujusdam, nomine Titi Justi, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta synagogæ.

C 8 Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.

9 Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas:

10 Propter quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi ut noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac civitate.

11 Sedit autem ibi annum & sex menses, docens apud eos verbum Dei.

D 12 Gallione autem proconsule Achaiæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal,

13 Dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum.

14 Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judæos: Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, ô viri Judæi, rectè vos sustinerẽ.

15 Si verò quæstiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestra, vos ipsi videritis: Judex ego horum nolo esse.

E 16 Et minavit eos à tribunali.

17 Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat.

18 Paulus verò cùm adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam,
* Num. 6. c. 18. Inf. 21. d. 24. (& cum eo Priscilla, & Aquila) qui sibi * totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum.

19 Devenítque Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse verò ingressus synagogam, disputabat cum Judæis.

20 Rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non consensit.

21 Sed valefaciens, & dicens, Iterùm revertar ad vos Deo volente, profectus est ab Epheso.

F 22 Et descendens Cæsaream, ascendit, & salutavit Ecclesiam, & descendit Antiochiam.

23 Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos.

24 Judæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in scripturi.

25 Hic erat edoctus viam Domini: & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Jesu, sciens tantum baptisma Joannis.

G 26 Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cùm audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentiùs exposuerunt ei viam Domini.

27 Cùm autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres, scripserunt discipulis ut susciperent eum. Qui cùm venisset, contulit multum his qui crediderant.

28 Vehementer enim Judæos revincebat publicè, ostendens per Scripturas, esse Christum Jesum.

Caput XIX.

Paulus Ephesi quosdam discipulos Ioannis tantùm baptismate baptizatos, jubet in Iesu nomine baptizari, ac manuum impositione Spiritum sanctum ipsis impetrat, ibique prædicans multa edit signa: de Iudeis qui non credentes conabantur nomine Iesu à Paulo prædicati adjurare dæmonia: multi peccata confitentes libros superstitiosos exurunt; Demetrius argentarius gravem adversus Paulum seditionem excitat, quam ægrè tandem sedat Alexander.

1 FActum est autẽ, cùm Appollo esset Corinthi, A ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inveniret quosdã discipulos:

2 Dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus.

3 Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis Baptismate.

4 Dixit autem Paulus: * Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum.

* Mat. 3. b. 11. Mar. 1. a. 8. Luc. 3. d. 16. Ioan. 1. d. 26. Sup. 1. n. 5. 11. b. 16.

5 His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu.

6 Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. B

7 Erant autem omnes viri ferè duodecim.

8 Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de regno Dei.

9 Cùm autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cujusdam.

10 Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judæi atque Gentiles.

11 Virtutésque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli:

12 Ita ut etiam super languidos deferrentur à C corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.

13 Tentaverunt autem quidam & de circumeuntibus Judæis exorcistis, invocare super eos, qui habebant Spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat.

14 Erant autem quidam Judæi Scevæ principis sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant.

15 Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Jesum novi, & Paulum scio: vos autem qui estis?

16 Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa.

17 Hoc autem notum factum est omnibus D Judæis, atque Gentibus, qui habitabant Ephesi: & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Jesu,

18 Multíque

18 Multíque credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos.

19 Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.

20 Ita fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur.

21 His autem expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia & Achaia ire Jerosolymam, dicens: Quoniam postquam fuero ibi, oportet me ad Romam videre.

E 22 Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.

23 Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini.

24 Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum:

25 Quos convocans, & eos qui hujusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio:

26 Et videtis, & auditis, quia non solùm Ephesi, sed pœnè totius Asiæ, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dij, qui manibus fiunt.

27 Non solùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia, & orbis colit.

F 28 His auditis, repleti sunt ira, & exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum.

29 Et impleta est civitas confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gaio & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli.

30 Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli.

31 Quidam autem & de Asiæ principibus, qui erant amici ejus, miserunt ad eum rogantes ne se daret in theatrum:

32 Alij autem aliud clamabant. Erat enim Ecclesia confusa: & plures nesciebant qua ex causa convenissent.

33 De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo.

34 Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox facta una est omnium, quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum.

35 Et cùm sedasset scriba turbas, dixit: Viri Ephesij, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Jovísque prolis?

G 36 Cùm ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temerè agere.

37 Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram.

38 Quòd si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, & proconsules sunt, accusent invicem.

39 Si quid autem alterius rei quæritis: in legitima Ecclesia poterit absolvi.

40 Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ: cùm nullus obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius. Et cùm hæc dixisset, dimisit Ecclesiam.

Caput XX.

Paulus peragratis variis partibus Macedoniæ & Græciæ, concionatur Troade in mediam noctem: cúmque adolescens Eutychus cadens à tertio cœnaculo mortuus esset, Paulus eum resuscitavit: & variis locis peragratis, advocatos ex Epheso presbyteros exhortatur ut vigilantes sint in regenda Ecclesia, prædicens quòd non essent amplius eum visuri.

1 POstquam autem cessavit tumultus, vocatis A Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est ut iret in Macedoniam.

2 Cùm autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam:

3 Ubi cùm fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ à Judæis navigaturo in Syriam: habuítque consilium ut reverteretur per Macedoniam.

4 Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Beræensis, Thessalonicensium verò Aristarchus, & Secundus, & Gaius Derbeus, & Timotheus: Asiani verò Tychicus & Trophimus.

5 Hi cùm præcessissent, sustinuerũt nos Troade:

6 Nos verò navigavimus post dies azymorum à B Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem.

7 Una autem Sabbati cùm convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxítque sermonem usque in mediam noctem.

8 Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati.

9 Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cùm mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus.

10 Ad quem cùm descendisset Paulus, incubuit C super eum: & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est.

11 Ascendens autem, frangénsque panem, & gustans, satísque allocutus usque in lucem, sic profectus est.

12 Adduxerunt autem puerum viventem, & consolati sunt non minimè.

13 Nos autem ascendentes navem, navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum: sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus.

14 Cùm autem convenisset nos in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenen.

15 Et inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium, & alia applicuimus Samum, & sequenti die venimus Miletum.

16 Proposuerat enim Paulus transnavigare D Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Jerosolymis.

17 A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit Majores natu Ecclesiæ.

18 Qui cùm venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Asiam qualiter vobiscum per omne tẽpus fuerim,
19 Serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis,& tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum:
20 Quomodo nihil subtraxerim utilium, quò minùs annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos,
21 Testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.
E 22 Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem; quæ in ea ventura sint mihi,ignorans:
23 Nisi quòd Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula, & tribulationes Jerosolymis me manent.
24 Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosiorem quàm me,dummodò consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Dño Jesu, testificari Evãgeliũ gratię Dei.
25 Et nunc ecce ego scio, quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes,per quos transivi prædicans regnum Dei.
26 Quapropter contestor vos hodierna die,quia mundus sum à sanguine omnium.
27 Non enim subterfugi, quò minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis.
F 28 Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.
29 Ego scio quoniam intrabunt post discessionẽ meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.
30 Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.
31 Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrûm.
32 Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hereditatem in sanctificatis omnibus.
33 Argentum & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut
* 1.Cor. 4. c. 12. 1 Thess. 2.b.9. 2. Thes. 3.b.8. 34 Ipsi scitis*quoniã ad ea,quæ mihi opus erant & his qui mecum sunt, ministraverũt manus istæ.
35 Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes,oportet susci pere infirmos,ac meminisse verbi
G Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quàm accipere.
36 Et cùm hæc dixisset,positis genibus suis oravit cum omnibus illis.
37 Magnus autem fletus factus est omnium: & procũbentes super collum Pauli,osculabantur eũ,
38 Dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam ampliùs faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

Caput XXI.

Paulo Ierosolymam tendenti post varias navigationes, vaticinatur Agabus propheta afflictiones quas passurus erat Ierosolymis: nec tamen amicorum lacrymis averti potest ne ascendat Ierusalem, paratus pro Christo etiam mortem subire: cumque Ierusalem perveniisset, Iacobus ipsi suadet ut cum quinque viris votũ habentibus se sanctificet: quod cum faceret, rapitur à Judæis, sed ex eorum manibus eripitur à tribuno, à quo catenis alligatus ducitur in castra: impetrat tamen facultatẽ loquendi ad populũ.

A 1 CUm autem factum esset ut navigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodum, & inde Pataram.
2 Et cùm invenissemus navem transfretantem in Phœnicem,ascendentes navigavimus.
3 Cùm apparuissemus autem Cypro,relinquentes eam ad sinistram, navigavimus in Syriam, & venimus Tyrum: ibi enim navis expositura erat onus.
4 Inventis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem: qui Paulo dicebant per Spiritum ne ascenderet Jerosolymam.
5 Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus & filiis usq; foras civitatem: & positis genibus in littore, oravimus. B
6 Et cùm valefecissemus invicem, ascendimus navem: illi autem redierunt in sua.
7 Nos verò navigatione expleta à Tyro descendimus Ptolemaidam: & salutatis fratribus, mansimus die una apud illos.
8 Alia autem die profecti, venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi evangelistæ, * qui erat unus de septem, mansimus apud eum. * Sup.6.b.5.
9 Huic autem erant quattuor filiæ virgines prophetantes.
10 Et cùm moraremur per dies aliquot,supervenit quidam à Judæa propheta, nomine Agabus.
11 Is cùm venisset ad nos,tulit zonam Pauli: & alligans sibi pedes & manus, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus: Virum, cujus est zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi,&tradent in manus Gentium.
12 Quod cùm audissemus,rogabamus nos,& qui C loci illius erant, ne ascenderet Jerosolymam.
13 Tunc respondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu.
14 Et cùm ei suadere non possemus,quievimus, dicentes: Domini voluntas fiat.
15 Post dies autem istos præparati, ascendebamus in Jerusalem.
16 Venerunt autem & ex discipulis à Cæsarea nobiscum,adducentes secum apud quem hospitaremur Mnasonem quemdam Cyprium,antiquum discipulum.
17 Et cùm venissemus Jerosolymam, libenter D exceperunt nos fratres.
18 Sequenti autem die introibat Paulus nobiscũ ad Jacobum, omnésque collecti sunt seniores.
19 Quos cùm salutasset,narrabat per singula,quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius.
20 At illi cùm audissent,magnificabant Deum, dixerúntque ei: Vides frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis.
21 Audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt Judæorũ: dicens non debere eos circumcidere filios suos,neque secundùm consuetudinem ingredi.
22 Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem: audient enim te superveniss e.
23 Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quattuor, votum habentes super se.
24 His assumptis,sanctifica te cum illis: & impende in illis * ut radant capita: & scient omnes quia * Num. 6. c. 18. Sup. 18. c. 18.

quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem.
E 25 De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, * nos scripsimus, judicantes ut abstineant se ab idolis, immolato,& sanguine, & suffocato, & fornicatione. *Sup.15. d. 10. f.29.
26 Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio,
27 Dum autem septem dies consummarentur, hi qui de Asia erant Judæi, cùm vidissent eum in templo, concitaverunt omnem populum, & injecerunt ei manus, clamantes:
28 Viri Israëlitæ, adjuvate: hic est homo, qui adversus populum,& legem,& locum hunc omnes ubique docens, insuper & Gentiles induxit in templum, & violavit sanctum locum istum.
F 29 Viderant enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem æstimaverunt quoniam in templum introduxisset Paulus.
30 Commotáque est civitas tota,& facta est concursio populi.Et apprehendentes Paulũ,trahebant eum extra templum: & statim clausæ sunt januæ.
31 Quærentibus autem eum occidere, nuntiatum est tribuno cohortis: Quia tota confunditur Jerusalem.
32 Qui statim assumptis militibus, & centurionibus, decurrit ad illos. Qui cùm vidissent tribunum, & milites, cessaverunt percutere Paulum.
33 Tunc accedens tribunus apprehendit eum, & jussit eum alligari catenis duabus: & interrogabat quis esset,& quid fecisset.
G 34 Alij autem aliud clamabant in turba.Et cùm non posset certum cognoscere præ tumultu, jussit duci eum in castra.
35 Et cùm venisset ad gradus, contigit ut portaretur à militibus propter vim populi.
36 Sequebatur enim multitudo populi,clamans: Tolle eum.
37 Et cùm cœpisset induci in castra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Græcè nosti?
38 Nónne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti,& eduxisti in desertum quattuor millia virorum sicariorum?
39 Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem Judæus à Tarso Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps. Rogo autem te,permitte mihi loqui ad populum.
40 Et cùm ille permisisset, Paulus stans in gradibus,annuit manu ad plebem: & magno silentio facto, allocutus est lingua Hebræa, dicens:

Caput XXII.

Vbi Paulus in sui excusationem narrasset suæ conversionis ordinem, vociferantur Judæi ipsum de terra tollendum, eò quòd diceret se à Deo missum fuisse ad prædicandum Gentibus, à tribuno autem iussus flagellis cædi & torqueri, liberatus est dicendo se civem Romanum esse.

A 1 VIri fratres, & patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem.
2 Cùm audissent autem quia Hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium.
3 Et dicit: Ego sum vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ,nutritus autem in ista civitate,secus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut & vos omnes estis hodie:
4 * Qui hanc viam persecutus sum usque ad mortem, alligans & tradens in custodias viros ac mulieres, * Sup.8. a. 3.
5 Sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, & omnes majores natu, * à quibus & epistolas accipiens, ad fratres Damascum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jerusalem ut punirentur. * Sup. 9. a. 2. B
6 Factum est autem,eunte me,& appropinquante Damasco media die, subitò de cælo circumfulsit me lux copiosa:
7 Et decidens in terram audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris?
8 Ego autem respondi: Quis es Domine? Dixítque ad me: Ego sum Jesus Nazarenus,quem tu persequeris.
9 Et qui mecum erant,lumen quidem viderunt, C vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum.
10 Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damascum: & ibi tibi dicetur de omnibus quę te oporteat facere.
11 Et cùm non viderem præ claritate luminis illius,ad manum deductus à comitibus, veni Damascum.
12 Ananias autem quidam,vir secundùm legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Judæis,
13 Veniens ad me, & astans dixit mihi: Saule D frater respice.Et ego eadem hora respexi in eum.
14 At ille dixit: Deus patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus,& videres justum,& audires vocem ex ore ejus:
15 Quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti & audisti.
16 Et nunc quid moraris? Exurge,& baptizare, & ablue peccata tua,invocato nomine ipsius.
17 Factum est autem revertenti mihi in Jerusalem,& oranti in templo,fieri me in stupore mẽtis,
18 Et videre illum dicentem mihi: Festina, & E exi velociter ex Jerusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me.
19 Et ego dixi: Domine ipsi sciunt * quia ego eram concludens in carcerem,& cædens per synagogas eos qui credebant in te: * Sup. 8. a. 3.
20 Et cùm funderetur sanguis Stephani testis tui, * ego astabam,& consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum. *Sup.7. g. 57.
21 Et dixit ad me: Vade,quoniam ego in nationes longè mittam te.
22 Audiebant autem eum usque ad hoc verbum, & levaverunt vocem suam dicentes: Tolle de terra hujusmodi: non enim fas est eum vivere.
23 Vociferantibus autem eis, & projicientibus vestimenta sua,& pulverem jactantibus in aërem, F
24 Jussit tribunus induci eum in castra,& flagellis cædi,& torqueri eum, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei.
25 Et cùm astrinxissent eum loris: dicit astanti sibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?

Universidad de Deusto
Biblioteca

26 Quo audito, Centurio accessit ad tribunum, & nuntiavit ei : dicens : Quid acturus es ? hic enim homo , civis Romanus est.

27 Accedens autem tribunus, dixit illi : Dic mihi si tu Romanus es ? At ille dixit : Etiam.

G 28 Et respondit tribunus : Ego multa summa civilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait : Ego autem & natus sum.

29 Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit postquam resciv it, quia civis Romanus esset, & quia alligasset eum.

30 Postera autem die volens scire diligentiùs, qua ex causa accusaretur à Judæis, solvit eum , & jussit sacerdotes convenire, & omne concilium, & producens Paulum , statuit inter illos.

Caput XXIII.

Paulus coram sacerdotibus & toto concilio principem sacerdotum qui ipsum jusserat in faciem percuti , dicit parietem dealbatum, sed excusat se quòd nesciisset esse principem sacerdotum : cúmque ibidem dixisset se Pharisæum , & de resurrectione mortuorum judicari , orta est inter Pharisæos & Sadducæos magna dissensio: Dominus nocte Paulum confortat, prædicens, quòd etiam Romæ esset de ipso testificaturus: detecta multorũ de occidẽdo Paulo conjuratione , tribunus mittit eum Cæsaream militibus stipatum ad Felicem præsidem, scriptis ad eum litteris quæ hic referuntur.

A 1 Intendens autem in concilium Paulus ait: Viri fratres , ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem.

2 Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere os ejus.

3 Tunc Paulus dixit ad eum : Percutiet te Deus , paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundùm legem , & contra legem jubes me percuti ?

4 Et qui astabant dixerunt : Summum sacerdotem Dei maledicis ?

B 5 Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim : * Principem populi tui non maledices.

* *Exod. 22. d. 28.*

6 Sciens autem Paulus , quia una pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamavit in concilio : Viri fratres , * ego Pharisæus sum , filius Pharisæorum , de spe & resurrectione mortuorum ego judicor.

* *Phil. 3. a. 5.*

7 Et cùm hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos , & soluta est multitudo.

8 * Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum : Pharisæi autem utraque confitentur.

* *Matt. 22. c. 23.*

C

9 Factum est autem clamor magnus. Et surgentes quidam Pharisæorum, pugnabant, dicentes : Nihil mali invenimus in homine isto : quid si Spiritus locutus est ei, aut Angelus ?

10 Et cùm magna dissensio facta esset , timens tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis , jussit milites descendere , & rapere eum de medio eorum , ac deducere eum in castra.

11 Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait : Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari.

D 12 Facta autem die collegerunt se quidam ex Judæis, & devoverunt se dicentes , neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderẽt Paulum.

13 Erant autem plus quàm quadraginta viri, qui hanc conjurationem fecerant.

14 Qui accesserunt ad principes sacerdotum , & seniores , & dixerunt : Devotione devovimus nos nihil gustaturos , donec occidamus Paulum.

15 Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio , ut producat illum ad vos, tamquam aliquid certius cognituri de eo. Nos verò priùs quàm appropiet , parati sumus interficere illum.

16 Quod cùm audisset filius sororis Pauli insidias, venit, & intravit in castra, nuntiavitq; Paulo.

17 Vocans autem Paulus ad se unum ex Centurionibus , ait : Adolescentem hunc perduc ad tribunum, habet enim aliquid indicare illi.

18 Et ille quidem assumens eum duxit ad tribunum , & ait : Vinctus Paulus rogavit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi.

19 Apprehendens autem tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, & interrogavit illum, Quid est , quòd habes indicare mihi ? E

20 Ille autem dixit : Judæis convenit rogare te, ut crastina die producas Paulum in concilium , quasi aliquid certius inquisituri sint de illo :

21 Tu verò ne credideris illis, insidiantur enim ei ex eis viri ampliùs quàm quadraginta , qui se devoverunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum : & nunc parati sunt expectantes promissum tuum.

22 Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ne cui loqueretur, quoniam hæc nota sibi fecisset. F

23 Et vocatis duobus Centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos , ut eant usque Cæsaream, & equites septuaginta , & lancearios ducentos à tertia hora noctis :

24 Et jumenta præparate , ut imponentes Paulum , salvum perducerent ad Felicem præsidem.

25 (Timuit enim ne fortè raperent eum Judæi, & occiderent , & ipse posteà calumniam sustineret , tamquam accepturus pecuniam)

26 Scribens epistolam continentem hæc: Claudius Lysias optimo præsidi , Felici , salutem.

27 Virum hunc comprehensum à Judæis , & incipientem interfici ab eis superveniens cum exercitu eripui , cognito quia Romanus est :

28 Volénsque scire causam , quam objiciebant illi , deduxi eum in concilium eorum. G

29 Quem inveni accusari de quæstionibus legis ipsorum , nihil verò dignum morte aut vinculis habentem criminis.

30 Et cùm mihi perlatum esset de insidiis, quas paraverant illi , misi eum ad te, denuntians & accusatoribus ut dicant apud te. Vale.

31 Milites ergo , secundùm præceptum sibi , assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem,

32 Et postera die dimissis equitibus ut cum eo irent, reversi sunt ad castra.

33 Qui cùm venissent Cæsaream, & tradidissent epistolam præsidi, statuerunt ante illum & Paulum.

34 Cùm legisset autem, & interrogasset de qua provincia esset : & cognoscens quia de Cilicia,

35 Audiam te, inquit, cùm accusatores tui venerint. Jussítque in prætorio Herodis custodiri eum.

Caput

Caput XXIV.

Accusatus Paulus coram Felice præside à Tertullo Judæorum oratore , respondet negans imposita sibi crimina, confitens tamen se Christianum , & dixisse se de resurrectione mortuorum judicari : Felix & ipsius uxor Judæa audiunt Paulum de fide Christiana : cúm autem non acciperet à Paulo pecuniam , reliquit eum vinctum , accipiens successorem Portium Festum.

A 1 Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum , Ananias , cum senioribus quibusdam : & Tertullo quodam oratore , qui adierunt præsidem adversus Paulum.

2 Et citato Paulo cœpit accusare Tertullus, dicens : Cùm in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam providentiam ;

3 Semper & ubique suscipimus , optime Felix; cum omni gratiarum actione.

4 Ne diutiùs autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia.

B 5 Invenimus hunc hominem pestiferum , & concitantẽ seditiones omnibus Judæis in universo orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum:

6 Qui etiam templum violare conatus est , quem & apprehensum voluimus secundùm legem nostram judicare.

7 Superveniens autem tribunus Lysias , cum vi magna eripuit eum de manibus nostris ,

C 8 Jubens accusatores ejus ad te venire : à quo poteris ipse judicans, de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum.

9 Adjecerunt autem & Judæi , dicentes hæc ita se habere.

10 Respondit autem Paulus , (annuente sibi Præside dicere :) Ex multis annis te esse judicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam.

11 Potes enim cognoscere , quia non plus sunt mihi dies, quàm duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem :

D 12 Et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem , aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis ,

13 Neque in civitate : neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant.

14 Confiteor autem hoc tibi, quòd secundùm sectam quam dicunt hæresim, sic deservio Patri & Deo meo , credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt :

15 Spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram justorum, & iniquorum.

16 In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper.

E 17 Post annos autem plures , eleemosynas facturus in gentem meam , veni , & oblationes , & vota.

* *Sup. 21. c. 26.* 18 * In quibus invenerunt me purificatum in templo ; non cum turba, neque cum tumultu.

19 Quidam autem ex Asia Judæi , quos oportebat apud te præstò esse , & accusare si quid haberent adversum me :

20 Aut hi ipsi dicant si quid invenerunt in me iniquitatis , cùm stem in concilio ,

F 21 Nisi de una hac solummodò voce , qua clamavi inter eos stans: * Quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie à vobis ,

* *Sup. 23. b. 6.*

22 Distulit autem illos Felix , certissimè sciens de via hac, dicens : Cùm tribunus Lysias descenderit , audiam vos.

23 Jussítque Centurioni custodire eum , & habere requiem , nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.

24 Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa , vocavit Paulum, & audivit ab eo fidem, quæ est in Christum Jesum.

25 Disputante autem illo de justitia , & castitate , & de judicio futuro , tremefactus Felix respondit : Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te. G

26 Simul & sperans, quòd pecunia ei daretur à Paulo ; propter quod & frequenter accersens eum , loquebatur cum eo.

27 Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Judæis Felix , reliquit Paulum vinctum.

Caput XXV.

Festus non obsequitur Judæis insidiosè petentibus ut Paulus Jerosolymam ducatur : sed Cæsaream audit ejus accusatores & Pauli responsionem : qui à Festo requisitus an vellet de his judicari Jerosolymis , appellat Cæsarem : Festus Pauli causam regi Agrippæ indicat , qui ipsum audire cupit , posteróque die jubente Festo adducitur coram Agrippa & Bernice.

1 Festus ergo cùm venisset in provinciam, post A triduum ascendit Jerosolymam à Cæsarea.

2 Audierúntque eum principes sacerdotum, & primi Judæorum, adversus Paulum : & rogabant eum ,

3 Postulantes gratiam adversus eum ut juberet perduci eum Jerusalem , insidias tendentes ut interficerent eum in via.

4 Festus autem respondit , servari Paulum in Cæsarea : se autem maturiùs profecturum.

5 Qui ergo in vobis, ait, potentes sunt, descendentes simul , si quod est in viro crimen, accusent eum. B

6 Demoratus autem inter eos dies non ampliùs quàm octo , aut decem , descendit Cæsaream , & altera die sedit pro tribunali, & jussit Paulum adduci.

7 Qui cùm perductus esset , circumsteterunt eum, qui ab Jerosolyma descenderant Judæi, multas & graves causas objicientes, quas non poterant probare ,

8 Paulo rationem reddente : Quoniam neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccavi.

9 Festus autem volens gratiam præstare Judæis, C respondens Paulo, dixit : Vis Jerosolymam ascendere, & ibi de his judicari apud me ?

10 Dixit autem Paulus : Ad tribunal Cæsaris sto , ibi me oportet judicari : Judæis non nocui , sicut tu meliùs nosti.

11 Si enim nocui , aut dignum morte aliquid feci , non recuso mori : si verò nihil est eorum , quæ hi accusant me , nemo potest me illis donare. Cæsarem appello.

12 Tunc Festus cum concilio locutus, respondit: Cæsarem appellasti ? ad Cæsarem ibis.

13 Et cùm dies aliquot transacti essent, Agrippa rex & Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

D 14 Et cùm dies plures ibi demorarentur, Festus regi indicavit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus à Felice vinctus,

15 De quo cùm essem Jerosolymis, adierunt me principes sacerdotum, & seniores Judæorum, postulantes adversus illum damnationem.

16 Ad quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priùs quàm is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.

E 17 Cùm ergo huc convenissent sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, jussi adduci virum.

18 De quo, cùm stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malũ:

19 Quæstiones verò quasdam de sua superstitione habebant adversus eum, & de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere.

F 20 Hæsitans autem ego de hujusmodi quæstione, dicebam si vellet ire Jerosolymam, & ibi judicari de istis.

21 Paulo autem appellante ut servaretur ad Augusti cognitionem, jussi servari eum, donec mittam eum ad Cæsarem.

22 Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum.

23 Altera autem die, cùm venisset Agrippa, & Bernice, cum multa ambitione, & introissent in auditorium cum tribunis, & viris principalibus civitatis, jubente Festo, adductus est Paulus.

24 Et dicit Festus: Agrippa rex, & omnes, qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me Jerosolymis, petentes & acclamantes non oportere eum vivere ampliùs.

G 25 Ego verò comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, judicavi mittere.

26 De quo quid certum scribam domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, & maximè ad te rex Agrippa, ut interrogatione facta habeam quid scribam.

27 Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, & causas ejus non significare.

Caput XXVI.

Paulus coram Agrippa suam causam defendit, referens suæ ad Christum conversionis ordinem, & se Judæis ac Gentibus sub divina protectione fradicasse ostendens; Festoque ipsum ex nimia scientia insanire dicenti respondet, omnésque optat esse Christianos: Agrippa dicit eum potuisse dimitti, nisi Cæsarem appellasset.

A 1 AGrippa verò ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere.

2 De omnibus, quibus accusor à Judæis, rex Agrippa, æstimo me beatum, apud te cùm sim defensurus me hodie,

3 Maximè te sciente omnia, & quæ apud Judæos sunt consuetudines, & quæstiones: propter quod obsecro patienter me audias.

4 Et quidem vitam meam à juventute, quæ ab initio fuit in gente mea in Jerosolymis, noverunt omnes Judæi:

B 5 Præscientes me ab initio (si velint testimonium perhibere) quoniam secundùm certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.

6 Et nunc in spe, quæ ad patres nostros repromissionis facta est à Deo, sto judicio subjectus:

7 In quam duodecim tribus nostræ, nocte ac die deservientes, sperant devenire. De qua spe accusor à Judæis, rex.

8 Quid incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?

9 Et ego quidem existimaveram, me adversus nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere.

10 * Quod & feci Jerosolymis, & multos sanctorum ego in carceribus inclusi, à principibus sacerdotum potestate accepta: & cùm occiderentur, detuli sententiam. C *Sup. 8. a. 3.

11 Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare: & ampliùs insaniẽs in eos, persequebar usque in exteras civitates.

12 In quibus *dum irem Damascum cum potestate & permissu principum sacerdotum, *Sup. 9. a. 2.

13 Die media in via, vidi, rex, de cælo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, & eos qui mecum simul erant.

14 Omnésque nos cùm decidissemus in terram, audivi vocem loquentem mihi Hebraïca lingua: Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare. D

15 Ego autem dixi: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Jesus, quem tu persequeris.

16 Sed exurge, & sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum, & testem eorum quæ vidisti, & eorum quibus apparebo tibi,

17 Eripiens te de populo, & gentibus, in quas nunc ego mitto te,

18 Aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & de potestate satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos, per fidem, quæ est in me. E

19 Unde rex Agrippa, non fui incredulus cælesti visioni:

20 *Sed his, qui sunt Damasci primùm, & Jerosolymis, & in omnem regionem Judææ, & Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. *Sup. 13. c. 14.

21 Hac ex causa me Judæi, cùm essem in templo, * comprehensum tentabant interficere. F *Sup. 22. f. 31.

22 Auxilio autem adjutus Dei, usque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque majori, nihil extra dicens quàm ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses:

23 Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo, & Gentibus.

24 Hæc loquente eo, & rationem reddente, Festus magna voce dixit: Insanis Paule: multæ te litteræ ad insaniam convertunt.

25 Et Paulus: Non insanio (inquit) optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor.

26 Scit enim de his rex, ad quem & constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum gestum est.

27 Credis

27 Credis rex Agrippa prophetis? Scio quia credis.

G 28 Agrippa autem ad Paulum: In modico suades me Christianum fieri.

29 Et Paulus: Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te, sed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.

30 Et exurrexit rex, & præses, & Bernice, & qui assidebant eis.

31 Et cùm secessissent, loquebantur ad invicem, dicentes: Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid fecit homo iste.

32 Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

Caput XXVII.

Paulus à centurione Iulio ducitur Romam versus, navigans per varia loca: adversante autem ipsis vento, vix perveniunt ad quemdam in Creta locum: à quo licet prædiceret Paulus periculosam esse navigationem, discedentes, patiuntur ingentem tempestatem: tandémque post Pauli consolationem, qui narrans factam sibi de omnium salute revelationem, hortabatur eos ad cibum sumendum, passi naufragium omnes evadunt incolumes.

A 1 UT autem judicatum est navigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodiis centurioni nomine Julio cohortis Augustę,

*2. Cor. 11. c. 25. 2 * Ascendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Asiæ loca, sustulimus, perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi.

3 Sequenti autem die devenimus Sidonem. humanè autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui agere.

4 Et inde cùm sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quòd essent venti contrarij.

B 5 Et pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ navigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ:

6 Et ibi inveniens centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam.

7 Et cùm multis diebus tardè navigaremus, & vix devenissemus contra Gnidum: prohibente nos vento, adnavigavimus Cretæ, juxta Salmonem:

8 Et vix juxta navigantes, venimus in locum quemdam, qui vocatur Boniportus, cui juxtà erat civitas Thalassa.

9 Multo autem tempore peracto, & cùm jam non esset tuta navigatio, eò quòd & jejunium jam præteriisset, consolabatur eos Paulus,

10 Dicens eis: Viri, video quoniam cum injuria & multo damno, non solùm oneris & navis, sed etiam animarum nostrarum, incipit esse navigatio.

C 11 Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quàm his quæ à Paulo dicebãtur.

12 Et cùm aptus portus non esset ad hiemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quomodo possent, devenientes Phœnicem, hiemare, portum Cretæ respicientem ad Africum, & ad Corum,

13 Aspirante autem Austro, æstimantes propositum se tenere, cùm sustulissent de Asson, legebant Cretam.

14 Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo.

15 Cúmque arrepta esset navis, & non posset conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur.

16 In insulam autem quamdam decurrentes, quę vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham. D

17 Qua sublata, adjutoriis utebantur, accingentes navem, timentes ne in Syrtim inciderent, summisso vase sic ferebantur.

18 Valida autem nobis tempestate jactatis, sequenti die jactum fecerunt:

19 Et tertia die suis manibus armamenta navis projecerunt.

20 Neque autem sole, neque sideribus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, jam ablata erat spes omnis salutis nostrę.

21 Et cùm multa jejunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, ô viri, audito me, non tollere à Creta, lucrique facere injuriam hanc & jacturam.

22 Et nunc suadeo vobis bono animo esse. amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis.

23 Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus sum ego, & cui deservio,

24 Dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.

25 Propter quod bono animo estote viri: credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi. E

26 In insulam autem quamdam oportet nos devenire.

27 Sed posteaquam quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem.

28 Qui & summittentes bolidem, invenerunt passus viginti: & pusillum inde separati, invenerunt passus quindecim.

29 Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quattuor, optabant diem fieri.

30 Nautis verò quærentibus fugere de navi, cùm misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent à prora anchoras extendere,

31 Dixit Paulus Centurioni, & militibus: Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.

32 Tunc absciderunt milites funes scaphæ, & passi sunt eam excidere.

33 Et cùm lux inciperet fieri, rogabat Paulus F omnes sumere cibum, dicens: Quartadecim a die hodie expectantes jejuni permanetis, nihil accipientes.

34 Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrûm capillus de capite peribit.

35 Et cùm hæc dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium: & cùm fregisset, cœpit manducare.

36 Animæquiores autem facti omnes, & ipsi sumpserunt cibum.

37 Eramus verò universæ animæ in navi ducentæ septuaginta sex.

38 Et satiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum in mare.

G 39 Cùm autem dies factus esset, terram non agnoscebant: sinum verò quemdam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent, ejicere navem.

40 Et cùm anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes juncturas gubernaculorum: & levato artemone secundùm auræ flatum tendebat ad littus.

41 Et cùm incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem: & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis verò solvebatur à vi maris.

42 Militum autem consilium fuit ut custodias occiderent: ne quis cùm enatasset, effugeret.

43 Centurio autem volens servare Paulum, prohibuit fieri: jussitque eos, qui possent natare, emittere se primos, & evadere, & ad terram exire:

44 Et ceteros alios in tabulis ferebant: quosdam super ea, quæ de navi erant. Et sic factum est, ut omnes animæ evaderent ad terram.

Caput XXVIII.

Paulus ceterique ipsius comites humanè à Barbaris excipiuntur in insula Melita: in qua percussus à vipera Paulus nihil mali patitur, patrémque Publij principis insulæ sanitati restituit, ac alios multos curat: & ab eo loco navigantes tandem Romam perveniunt, ubi Paulus convocatis primis Judæorum causam exponit cur Cæsarem appellaverit: diéque ab ipsis constituto prædicat de Christo, cujus verbis multi non credunt, quod Paulus ostendit ab Isaia prædictum esse; & per biennium de fide in Christum prædicat omnibus ad ipsum accedentibus.

A 1 ET cùm evasissemus, tunc cognovimus quia Melita insula vocabatur. Barbari verò præstabant non modicam humanitatem nobis.

2 Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes, propter imbrem, qui imminebat, & frigus.

3 Cùm congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera à calore cùm processisset, invasit manum ejus.

B 4 Ut verò viderunt Barbari pendentem bestiam de manu ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida est homo hic, qui cùm evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere.

5 Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est.

6 At illi existimabant eum in tumorem convertendum, & subitò casurum, & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se, dicebant eum esse Deum.

7 In locis autem illis erant prædia principis insulæ, nomine Publij, qui nos suscipiens, triduò benignè exhibuit.

8 Contigit autem, patrem Publij febribus & dysenteria vexatum jacère. Ad quem Paulus intravit: & cùm orasset, & imposuisset ei manus, salvavit eum.

C 9 Quo facto, omnes, qui in insula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur:

10 Qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, & navigantibus imposuerunt quæ necessaria erant.

11 Post menses autem tres, navigavimus in navi Alexandrina, quæ in insula hiemaverat, cui erat insigne Castorum.

12 Et cùm venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo.

13 Inde circumlegentes devenimus Rhegium: & post unum diem flante Austro, secunda die venimus Puteolos;

14 Ubi inventis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem: & sic venimus Romam.

15 Et inde cùm audissent fratres, occurrerunt D nobis usque ad Appij forum, ac tres Tabernas. Quos cùm vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam.

16 Cùm autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.

17 Post tertium autem diem convocavit primos Judæorum. Cúmque convenissent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil adversus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Jerosolymis traditus sum in manus Romanorum:

18 Qui cùm interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eò quòd nulla esset causa mortis in me.

19 Contradicentibus autem Judæis, coactus E sum appellare Cæsarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare.

20 Propter hanc igitur causam rogavi vos videre, & alloqui. Propter spem enim Israël catena hac circumdatus sum.

21 At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te à Judæa, neque adveniens aliquis fratrum, nuntiavit, aut locutus est quid de te malum.

22 Rogamus autem à te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur.

23 Cùm constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadénsque eis de Jesu ex Lege Moysi & Prophetis, à manè usque ad vesperam.

24 Et quidam credebant his quæ dicebantur: F quidam verò non credebant.

25 Cúmque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia benè Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros,

26 dicens: * Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis. *Isa.6. c.9. Matth. 13.b.14. Mar.4. b.12.

27 Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt: ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos. Luc.8. b.10. Ioan. 12. f.40. Rom.11. b.8.

28 Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient. G

29 Et cùm hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstionem.

30 Mansit autem biennio toto in suo conducto: & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum,

31 Prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.

EPISTOLA

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

Caput Primum.

Paulus commendato suo munere Evangelico, ob magnum prædicandi Evangelij zelum, optabat Romanos invisere, ostendens Ethnicos, qui ex creaturis Deum cognoscentes, illius cultum à se abjecerant, colendo creaturarum imagines, meritò à Deo desertos: & in pœnam illius in abominanda, quæ hic recensentur incidisse scelera.

A 1 PAulus, servus Jesu Christi, *Act.13. n.2. vocatus Apostolus,* segregatus in Evangelium Dei,

2 Quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis.

3 De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem,

4 Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri:

5 Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus,

6 In quibus estis & vos vocati Jesu Christi.

7 Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

8 Primùm quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis; quia fides B vestra annuntiatur in universo mundo.

9 Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio filij ejus, quòd sine intermissione memoriam vestri facio

10 Semper in orationibus meis: obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.

11 Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratię spiritualis ad confirmādos vos:

12 Id est, simul consolari in vobis, per eam quæ invicem est, fidem vestram atque meam.

13 Nolo autem vos ignorare fratres: quia sæpè proposui venire ad vos, (& prohibitus sum usque adhuc) ut aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in ceteris gentibus.

14 Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum:

15 Ita (quod in me) promptum est & vobis, qui Romæ estis, evangelizare.

16 Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, & Græco.

17 Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in *Habac. 2.a.4. Gal. 3. b.11. Hebr.10. g.30. fidem: sicut scriptum est: *Justus autē ex fide vivit.

18 Revelatur enim ira Dei de cælo, super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, C qui veritatem Dei in injustitia detinent:

19 Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit.

20 Invisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles.

21 * Quia cùm cognovissent Deum, non sicut *Eph.4. d.17. Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum:

22 Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.

23 Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, volucrum, & quadrupedum, & serpentium.

24 Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis:

25 Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & servierunt creaturæ potius quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen.

26 Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalē usum, in eum usum qui est contra naturā.

27 Similiter autem & masculi, relicto natura- D li usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes.

28 Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt,

29 Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones,

30 Detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes,

31 Insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.

32 Qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Caput II.

Judæos redarguit qui ex data sibi lege Gentes condemnabant, eadem ipsi patrantes, cùm Deus unicuique redditurus sit juxta ipsius opera: adeò ut etiam Gentes, ea quæ legis sunt naturali lumine præstantes, pro circumcisis habendæ sint, eósque judicaturæ, qui ex sola legis cognitione & carnis circumcisione gloriantur, contraria legi operantes.

1 PRopter quod inexcusabilis es ô homo omnis, A qui judicas. * In quo enim judicas alterum, *Matt. 7.a.2. teipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.

2 Scimus enim quoniam judicium Dei est secundùm veritatem in eos qui talia agunt.

3 Existimas

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Existimas autem hoc ô homo, qui judicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei?

4 An divitias bonitatis ejus,& patientiæ,& longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

5 Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicij Dei,

*Matth. 16.d.27. B 6 *Qui reddet unicuique secundùm opera ejus.

7 Iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem,& incorruptionem quærunt, vitam æternam:

8 Iis autem, qui sunt ex contentione,& qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.

9 Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm, & Græci:

10 Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primùm,& Græco:

*Deut. 10.d.17. 2. Par. 19.b.7. Iob. 34. b.19. Sap.6. b.8. Eccl.35. b.15. Act.10. e.34. Gal.2. b.6. Col. 3. d.25. 11 * Non enim est acceptio personarum apud Deum.

12 Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.

13 * Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.

14 Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex:

15 Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus,

C *Matth. 7.c.21. Iac. 1. d.22. 16 In die, cùm judicabit Deus occulta hominum, secundùm Evangelium meum, per Jesum Christum.

17 Si autem tu Judæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo,

18 Et nosti voluntatem ejus, & probas utiliora, instructus per legem,

19 Confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt,

20 Eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formã scientiæ & veritatis in lege.

21 Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris:

22 Qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis:

23 Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.

D *Isa. 52. b.5. Ezech. 36.d.20. 24 (* Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est.)

25 Circumcisio quidem prodest, si legem observes: si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est.

26 Si igitur præputium justitias legis custodiat: nónne præputium illius in circumcisionem reputabitur?

27 Et judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram & circumcisionem prævaricator legis es?

28 Non enim qui in manifesto, Judæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio:

29 Sed qui in abscondito, Judæus est: & circumcisio cordis in spiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Caput III.

Quodam modo præcellunt Judæi propter factas illis à Deo promissiones; quæ complebuntur, quamquam nonnulli eorum fuerint increduli: omnes autem & Judæi & Gentiles peccato sunt obnoxij: à quo non liberat lex, sed fides in Christum propitiatorem, ut non sit cuiquam de legis operibus gloriandum.

A 1 QUid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis?

2 Multum per omnem modum. Primùm quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.

3 Quid enim si quidam illorum non crediderunt? * Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. *2. Tim. 2.b.13.

4 * Est autem Deus verax: * omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: * Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris. *Joan. 3.d.33. *Ps.115. a.11. *Ps.50. a.6.

5 Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram?

6 (Secundùm hominem dico.) Absit. alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?

7 Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tamquam peccator judicor?

8 Et non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio justa est.

B 9 Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. * Causati enim sumus, Judæos & Græcos omnes sub peccato esse, *Gal.3. d.22.

10 Sicut scriptum est: * Quia non est justus quisquam: *Ps.13. a.3.

11 Non est intelligens, non est requirens Deum.

12 Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum,

13 * Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant: * Venenum aspidum sub labiis eorum: *Ps.5. c.11. *Ps.139. a.4.

14 * Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est: *Psal. 9. b.7.

15 * Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: *Isa. 59. b.7. Prov.1. b.16.

16 Contritio, & infelicitas in viis eorum:

17 Et viam pacis non cognoverunt:

18 * Non est timor Dei ante oculos eorum. *Ps.35. a.2.

19 * Scimus autem, quoniam quæcumque lex C loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur: ut omne os obstruatur,& subditus fiat omnis mundus Deo: *Gal.2. d.16.

20 Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.

21 Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est; testificata à lege & Prophetis.

22 Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio:

23 Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei:

24 Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu,

25 Quem

25 Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.

26 In sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore: ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.

D 27 Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei.

28 Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.

29 An Judæorum Deus tantùm? nónne & Gentium? Immò & Gentium.

30 Quoniam quidem unus est Deus qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.

31 Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.

Caput IV.

Non ex legis operibus contingit justificatio, sed ex fide in Deum, quæ Abrahæ reputata fuit ad justitiam ante datam ipsi circumcisionem, quam postea accepit; futurus, non lege, sed justitia fidei, pater omnium qui ipsius fidem imitarentur: credidit autem Deo se patrem fore multarum gentium per promissum sibi semen, cùm tam ipse quàm uxor ejus Sara annos excessissent aptos ad generandum.

A 1 QUid ergo dicemus inveniſſe Abraham patrem nostrum secundùm carnem?

2 Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.

*Gen. 15.b.6. Gal. 3. a.6. Iac. 2. d.23. 3 Quid enim dicit Scriptura? * Credidit Abraham Deo: & reputatum est illi ad justitiam.

4 Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.

5 Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundùm propositum gratiæ Dei.

6 Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus:

*Ps.31. a.1. 7 * Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

8 Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.

B 9 Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantùm manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam.

10 Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio.

* Gen. 17.b.10. 11. 11 * Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio: ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad justitiam:

12 Et sit pater circumcisionis, non iis tantùm qui sunt ex circumcisione, sed & iis qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.

C 13 Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut heres esset mundi: sed per justitiam fidei.

14 Si enim qui ex lege, heredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio.

15 Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio.

16 Ideò ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrùm.

17 (Sicut scriptum est: *Quia patrem multarum gentium posui te) ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt. *Gen. 17.a.4.

18 Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundùm quod dictum est ei: * Sic erit semen tuum.

19 Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm jam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. *Gen. 15 b.5. D

20 In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo:

21 Plenissimè sciens quia quęcumque promisit, potens est & facere.

22 Ideò & reputatum est illi ad justitiam.

23 Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam:

24 Sed & propter nos quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum à mortuis;

25 Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.

Caput V.

Ex fide, inquit, justificati non solùm spe gloriamur, verùm etiam in adversitatibus: nam si Christus pro nobis adhuc impiis mortuus est, multò magis salvabit jam justificatos per sanguinem ipsius: & sicut per unam Adæ inobedientiam omnes peccavimus, ac mortui sumus; ita per unius Christi obedientiam, ex multis delictis justificamur ad vitam.

A 1 JUstificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christũ:

*Ephes. 2.d.18. 2 * Per quem & habemus accessum, per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.

3 Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus: * scientes quòd tribulatio patientiam operatur: *Iac.1. a.3.

4 Patientia autem probationem, probatio verò spem,

5 Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

6 Ut quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundùm tempus *pro impiis mortuus est? B *Heb.9. d.14. 1. Petr. 3.d.18.

7 Vix enim pro justo quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori.

8 Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus.

9 Christus pro nobis mortuus est: multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.

10 Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij ejus: multò magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.

11 Non solùm autem: sed & gloriamur in Deo C per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

12 Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

13 Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset.

14 Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.

15 Sed non sicut delictum, ita & donum. si enim unius delicto multi mortui sunt: multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.

D 16 Et non sicut per unum peccatum, ita & donum. nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem.

17 Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.

18 Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.

19 Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem, justi constituentur multi.

20 Lex autem subintravit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.

21 Ut sicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

Caput VI.

In Christo baptizati sumus: ut mortui peccato deinceps in novitate vitæ ambulemus; sicut Christus semel mortuus ac sepultus, ad novam vitam, non amplius moriturus, resurrexit: non ergo jam obediamus peccato aut concupiscentiis; sed soluti à lege liberatique per Christi gratiam à peccato, servi facti justitiæ, tradamus membra nostra in obsequium justitiæ ad vitam, quæ prius tradideramus immunditiæ ad mortem.

A 1 QUid ergo dicemus? permanebimus in peccato ut gratia abundet?

2 Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?

3 An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.

*Gal. 3. d. 27. Col. 2. c. 12. *Ephes. 4. c. 23. Hebr. 12. a. 1.* 4 * Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, * ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

5 Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus.

1. Pet. 2. a. 1. 4. a. 2. 6 Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultrà non serviamus peccato.

B 7 Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato.

8 Si autem mortui sumus cum CHRISTO: credimus quia simul etiam vivemus cum Christo:

9 Scientes quòd Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.

10 Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo.

11 Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro.

12 Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.

13 Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes: & membra vestra arma justitiæ Deo.

14 Peccatum enim vobis non dominabitur: non C enim sub lege estis, sed sub gratia.

15 Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.

16 * Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam? *Joan. 8. d. 34. 2. Pet. 2. d. 19.

17 Gratias autem Deo, quòd fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis.

18 Liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ.

19 Humanum dico, propter infirmitatem car- D nis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

20 Cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.

21 Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.

22 Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.

23 Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.

Caput VII.

In similitudinem mulieris cujus vir defunctus est, nos per Christum soluti sumus à lege, qua peccatorum affectus reddebantur vehementiores, ut serviamus Christo in novitate spiritus: occasione autem legis peccatum judicantis, magis se exeruit & crevit peccatum, quamquam lex sancta esset ac spiritualis: imò & nunc adversante carnis fomite allicimur, quantumvis repugnantes, ad ea quæ secundùm rationem detestamur, legique sunt contraria.

1 AN ignoratis fratres (scientibus enim legem A loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit?

2 * Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. *1 Cor. 7. g. 39.

3 Igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri: ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.

4 Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi: ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo.

5 Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.

6 Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate litteræ.

7 Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit. B Sed peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: *Non concupisces. * Exod. 20. c. 17. Deut. 5. c. 21.

8 Occasione

8 Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.

9 Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit.

10 Ego autem mortuus sum: & inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.

11 Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.

C 12 * Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. *1. Tim. 1. b. 8.

13 Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.

14 Scimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.

15 Quod enim operor, non intelligo. non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio.

16 Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam bona est.

17 Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.

18 Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio.

19 Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.

D 20 Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.

21 Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet:

22 Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem:

23 Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

24 Infelix ego homo, quis me liberabit, de corpore mortis hujus?

25 Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei; carne autem legi peccati.

Caput VIII.

Concludit, Christo per baptismum insitos ab omni damnatione esse liberos, qui non carnem sectantur, sed spiritum quem acceperunt: spiritum inquam adoptionis, qui Dei filios ac futuræ gloriæ cum Christo coheredes efficit; ad cujus gloria revelationem non solùm universa aspirat creatura, vanitati interim subjecta; sed & bi qui spiritus acceperunt primitias, illam certa spe expectant, spiritu eos roborante, & quid orandum sit insruente. Declarat etiam incomparabilem Dei erga suos exhibitam in Christo charitatem, asserens nihil posse eos à charitate Dei separare quæ est in Christo Iesu.

A 1 NIhil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant.

2 Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis.

3 Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne,

4 Ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.

5 Qui enim secundùm carnem sunt: quæ carnis sunt sapiunt. qui verò secundùm spiritum sunt: quæ sunt spiritus, sentiunt.

6 Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax.

7 Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta: nec enim potest. B

8 Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

9 Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.

10 Si autem Christus in vobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò vivit propter justificationem.

11 Quòd si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à C mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.

12 Ergo fratres debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus.

13 Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

14 Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.

15 * Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis spiritum * adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) *2. Tim. 2. b. 7. *Gal. 4. a. 5.

16 Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.

17 Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur.

18 Existimo enim, quòd non sunt condignæ D passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

19 Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat.

20 Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe:

21 Quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.

22 Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc.

23 Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes; & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.

24 Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ E videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?

25 Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus.

26 Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

27 Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus: quia secundùm Deum postulat pro sanctis.

28 Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti.

29 Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.

F 30 Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.

31 Quid ergo dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos?

32 Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?

33 Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat,

34 Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

35 Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an

G periculum? an persecutio? an gladius?

*Psal.43. d.22. 36 (Sicut scriptũ est: *Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.)

37 Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.

38 Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo,

39 Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

CAPUT IX.

Propter Judæorum ruinam, de qua vehementer dolet, promissiones non frustrari asserit, Israëlitis factas à Deo Abrahæ filiis: nimirum cum illa non pertineant ad omnes carnales Abrahæ filios, sed tantùm ad eos qui ex Judæis & Gentilibus gratuita Dei electione filij Abrahæ per fidem constituuntur: Deus autem cujus vult miseretur, & quem vult indurat: Judæi verò quia non ex fide Christi quem rejecerant, sed ex legis operibus justitiam quærebant, sunt in sua iniquitate relicti, Gentibus per fidem Christi justificatis.

A 1 VEritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto:

2 Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.

*Act.9. d.2. 1.Cor. 15.b.9. 3 * Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem,

4 Qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa:

B 5 Quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

6 Non autem quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israël sunt, ij sunt Israëlitæ:

7 Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: *Gen. 21.b.12. * sed in Isaac vocabitur tibi semen:

*Gal.4. d.28. 8 Id est, non qui filij carnis, hi filij Dei; sed *qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.

C 9 Promissionis enim verbum hoc est: *Secundùm hoc tempus veniam; & erit Saræ filius. *Gen.18. b.10.

10 Non solùm autem illa: * sed & Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac patris nostri. *Gen. 25.c.24.

11 Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundùm electionem propositum Dei maneret)

12 Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei:

13 *Quia major serviet minori, sicut scriptum est: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui. *Gen. 25.c.23. *Mal.1. a.2.

14 Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit.

15 Moysi enim dicit: * Miserebor cujus misereor: & misericordiam præstabo cujus miserebor. D *Exod. 33.d.19.

16 Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.

17 Dicit enim Scriptura Pharaoni: * Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam: & ut annuntietur nomen meum in universa terra. *Exod. 9.d.16.

18 Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat.

19 Dicis itaque mihi: quid adhuc quæritur? voluntati enim ejus quis resistit?

20 O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? E * Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? *Sap. 15.b.7. Isa.45. b.9. Ier.18. a.6.

21 An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?

22 Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum,

23 Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.

24 Quos & vocavit nos non solùm ex Judæis, sed etiam ex Gentibus,

25 Sicut in Osee dicit: * Vocabo non plebem F meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. *Osee 2. d.24. 1.Petr. 2.b.10.

26 Et erit: In loco, ubi dictum est eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei vivi. *Osee 1.d.10.

27 Isaias autem clamat pro Israël: * Si fuerit numerus filiorum Israël tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. *Isa. 10.c.22.

28 Verbum enim consummans, & abbrevians in æquitate: quia verbum breviatum faciet Dominus super terram.

29 Et sicut prædixit Isaias: * Nisi Dominus G sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus. *Isa.1. c.9.

30 Quid ergo dicemus? Quòd gentes, quæ non sectabantur justitiam apprehenderunt justitiam: justitiam autem, quæ ex fide est.

31 Israël verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit.

32 Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis,

33 Sicut scriptum est: * Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis, qui credit in eum, non confundetur. *Isa.8. c.14.28. d.16. 1.Pet.2. b.7.

CAPUT

CAPUT X.

Orat Apostolus pro Judæis, quos Zelum Dei & legis habere asserit non secundùm scientiam: nam Christum finem legis ignorantes, ex legis operibus justitiam quærebant: de diversitate justitiæ ex operibus legis ab ea quæ ex fide est, quæ tam Judæo quàm Græco in Christum credenti communis est: ubique autem terrarum prædicata est Christi fides; quam repellentibus Judæis, susceperunt Gentes.

A 1 FRatres, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem.

2 Testimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam.

3 Ignorantes enim justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.

4 Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti.

*Lev. 18.a.5. Ezech. 20.b.11. 5 Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quę ex lege est, *qui fecerit homo, vivet in ea.

B 6 Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: *Ne *Deut. 30.c.14. dixeris in corde tuo: quis ascendet in cælum? id est, Christum deducere:

7 Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis revocare.

*Deut. 30.c.14. 8 Sed quid dicit Scriptura? * Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus.

9 Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.

10 Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.

*Isa. 28. d.16. 11 Dicit enim Scriptura: * Omnis, qui credit in illum, non confundetur.

C 12 Non enim est distinctio Judæi & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.

*Joel 2. g.33. Act.2. f.21. 13 *Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

14 Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?

*Isa. 52. b.7. Nah.1. d.15. 15 Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: * Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!

*Isa. 53. a.1. Joan.12. f.38. 16 Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: * Domine quis credidit auditui nostro?

17 Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.

D 18 Sed dico: Numquid non audierunt? * Et *Psal.18. a.5. quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum:

*Deut. 32.d.21. 19 Sed dico: Numquid Israël non cognovit? Primus Moyses dicit: * Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam.

*Isa. 65. a.1. 20 Isaias autem audet, & dicit: * Inventus sum à non quærentibus me: palàm apparui iis, qui me non interrogabant.

*Isa. 65. a.2. 21 Ad Israël autem dicit: * Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.

CAPUT XI.

Deus quosdam ex populo Judaïco gratuita sua electione sibi servavit, per fidem in Christum salvandos, reliquos ob incredulitatem in sua excitate juxta Prophetarum vaticinia relictis, ac Gentibus in locum ipsorum ex gratuita Dei bonitate assumptis: quas monet Apostolus ne adversus Judæos glorientur: quòdque Judæi ad tempus deserti tandem ad Christum convertentur; exclamans ob divinæ sapientiæ incomprehensibilitatem.

A 1 DIco ergo: Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israëlita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin:

2 Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodũ interpellat Deum adversum Israël?

*3.Reg. 19.b.10. 3 * Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.

*3.Reg. 19.d.18. 4 Sed quid dicit illi divinum responsum? *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.

5 Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt.

6 Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.

B 7 Quid ergo? quod quærebat Israël, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est: ceteri verò excæcati sunt:

*Isa.6. c.9. Matt.13. b.14. Joan.12. f.40. Act.28. f.26. *Psal.68. c.23. 8 Sicut scriptum est: * Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem.

9 Et David dicit: * Fiat mensa eorum in laqueum & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis.

10 Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurva.

11 Dico ergo: Numquid sic offenderunt ut caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus est Gentibus ut illos æmulentur.

12 Quòd si delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium: quantò magis plenitudo eorum?

13 Vobis enim dico Gentibus: Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo,

14 Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, & salvos faciam aliquos ex illis.

15 Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi: quæ assumptio, nisi vita ex mortuis?

16 Quòd si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami.

C 17 Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis olivæ factus es.

18 Noli gloriari adversus ramos. Quòd si gloriaris: non tu radicem portas, sed radix te.

19 Dices ergo: Fracti sunt rami ut ego inserar.

20 Benè: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.

21 Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat.

22 Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excidêris.

23 Sed & illi, si non permãserint in incredulitate,

inserentur : potens est enim Deus iterùm inserere illos.

24 Nam si tu ex naturali excisus es oleastro,& contra naturam insertus es in bonam olivam : quantò magis ij, qui secundùm naturam inserentur suæ olivæ ?

D 25 Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc, (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret,

*Isaiæ 59.d.20. 26 Et sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum est : * Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem à Jacob.

27 Et hoc illis à me testamentum : cùm abstulero peccata eorum.

28 Secundùm Evangelium quidem, inimici propter vos : secundùm electionem autem, charissimi propter patres.

29 Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei.

30 Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum :

31 Ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur.

32 Conclusit enim Deus omnia in incredulitate : ut omnium misereatur.

33 O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei : quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus !

*Sap.9. c.13. Isai.40. c.13. 1. Cor.2. d.16. 34 * Quis enim cognovit sensum Domini ? Aut quis consiliarius ejus fuit ?

35 Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei ?

36 Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. Amen.

Caput XII.

Instruit Romanos ut à sæculi vanitate abstracti totos se Deo dedant, de susceptis donis non se efferentes, aut illorum limites transgredientes ; sed in modum membrorum ejusdem corporis omnia ad proximi utilitatem ordinantes, ipsis quoque inimicis benefaciant.

A 1 OBsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei,* ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

*Phil. 4. d.18. 2 Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri:*ut probetis quę sit voluntas Dei bona,& beneplacens,& perfecta.

*Ephes. 5.d.17. 1.Thess. 4.a.3. 3 Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos : Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem : *& unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.

*1.Cor. 12.b.11. Ephes. 4. b.7. 4 Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent :

B 5 Ita multi unum corpus sumus in Christo,singuli autem alter alterius membra.

6 Habentes autem donationes secundùm gratiam,quæ data est nobis,differentes ; sive prophetiam secundùm rationem fidei,

7 Sive ministerium in ministrando,sive qui docet in doctrina,

8 Qui exhortatur in exhortando,qui tribuit in simplicitate,qui præest in solicitudine,qui miseretur in hilaritate.

9 Dilectio sine simulatione.*Odientes malum, adhærentes bono. *Amos 5.d.15.

10 * Charitate fraternitatis invicem diligentes : Honore invicem prævenientes : *Ephes. 4.d.3. 1. Pet.2. c.17.

11 Solicitudine non pigri : Spiritu ferventes: Domino servientes :

12 Spe gaudentes : In tribulatione patientes ; Orationi instantes :

13 Necessitatibus sanctorum communicantes: *Hospitalitatem sectantes. *Hebr. 13.a.2. 1.Pet.4. b.9.

14 Benedicite persequentibus vos : benedicite, & nolite maledicere.

15 Gaudere cum gaudẽtibus,flere cum flẽtibus: C

16 Idipsum invicem sentientes : Non alta sapientes: sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos : D

17 Nulli malum pro malo reddentes : * providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. *2.Cor. 8.d.21.

18 * Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes : *Heb.12. d.14.

19 * Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim : * Mihi vindicta ; ego retribuam, dicit Dominus. *Eccli. 28.a.1.2. 3. *Matt. 5.f.39. *Deut. 32.e.35 & Heb.10. f.30.

20 * Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi. hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. *Prov. 25.e.21.

21 *Noli vinci à malo,sed vince in bono malũ.

Caput XIII.

Hortatur ut superioribus obtemperent inferiores, etiam propter conscientiam, quamquam civilem tantùm gerant magistratum, omnibúsque debita reddant de proximi dilectione, ad quam universa lex reducitur : & de tempore gratiæ, ut transactis legis tenebris, relictis vitiis, amplectantur Christi virtutes.

1 OMnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : Non est enim potestas nisi à Deo:quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. A *Sap.6. a.4. 1.Pet.2. c.13.

2 Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt :

3 Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem ? Bonum fac ; & habebis laudem ex illa :

4 Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est : vindex in iram ei, qui malum agit. B

5 Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.

6 Ideò enim tributa præstatis : ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.

7*Reddite ergo omnibus debita:cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem. *Matt. 22.b.21. C *Exod. 20.c.14. Deut.5. b.18. *Lev. 19.d.18. Matth. 22.d.39. Mar.12. c.31. Gal.5. c.14. Iac.1. b.8.

8 Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit.

9 Nam :*Non adulterabis : Non occides: Non furaberis : Non falsum testimonium dices : Non concupisces:& si quod est aliud mandatum,in hoc verbo instauratur : * Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

10 Dilectio

10 Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

11 Et hoc scientes tempus:quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus.

12 Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Adjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

*Luc. 21.g.34. 13 Sicut in die honestè ambulemus, * non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis,non in contentione & æmulatione:

*Gal.5. c.16. 1.Petr. 2.c.11. 14*Sed induimini Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.

Caput XIV.

Fide firmiores debent eos qui adhuc infirmi sunt fovere, & non contemnere,& nec hi nec illi judicare quemquam ob ciborum aut dierum discrimen, scientes quòd omnes eumdem habeamus Dominum, cui & vivimus & morimur, cui etiam rationem quisque pro se redditurus est : & quamquam nullus cibus jam sit immundus, nemo tamen quidquam edere debet aut cum fratris offendiculo, aut contra suam conscientiam.

A 1 INfirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum.

2 Alius enim credit se manducare omnia : qui autem infirmus est, olus manducet.

3 Is qui manducat, non manducantem non spernat : & qui non manducat,manducantem non judicet : Deus enim illum assumpsit.

*Iac.4. c.13. 4 *Tu quis es,qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit : stabit autem : potens est enim Deus statuere illum.

5 Nam alius judicat diem inter diem : alius autem judicat omnem diem : unusquisque in suo sensu abundet.

B 6 Qui sapit diem, Domino sapit : Et qui manducat,Domino manducat : gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.

7 Nemo enim nostrùm sibi vivit, & nemo sibi moritur.

8 Sive enim vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur,Domini sumus.

9 In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit : ut & mortuorum & vivorum dominetur.

*2.Cor. 5.b.10. 10 Tu autem quid judicas fratrem tuum ? aut tu quare spernis frarrem tuum? *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.

*Isaiæ 45.d.24. Phil.2. b.10. 11 Scriptum est enim ? * Vivo ego, dicit Dominus,quoniam mihi flectetur omne genu:& omnis lingua confitebitur Deo.

12 Itaque unusquisque nostrùm pro se rationem reddet Deo.

C 13 Non ergo ampliùs invicem judicemus : sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.

14 Scio, & confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.

*1.Cor. 8.d.11. 15 Si enim propter cibũ frater tuus contristatur: jam non secundùm charitatẽ ambulas. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.

16 Non ergo blasphemetur bonum nostrum.

17 Non est enim regnum Dei,esca & potus:sed justitia,& pax, & gaudium in Spiritu sancto :

18 Qui enim in hoc servit Christo,placet Deo, & probatus est hominibus.

19 Itaque quæ pacis sunt, sectemur : & quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus.

20 Noli propter escam destruere opus Dei. D *Omnia quidem sunt munda : sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. *Tit.1. d.15.

21 * Bonum est non manducare carnem,& non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur,aut scandalizatur, aut infirmatur. *1.Cor. 8.d.13.

22 Tu fidem habes ? penes temetipsum habe coram Deo : Beatus, qui non judicat semetipsum in eo quod probat.

23 Qui autem discernit, si manducaverit,damnatus est ; quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

Caput XV.

Firmiores debent infirmorum ferre & sublevare imperfectiones, non sua,sed proximorum utilitati ac mutuæ paci studentes : Christus juxta factas patribus promissiones prædicavit Judæis ; Gentibus verò ex misericordia Apostoli, non præviis promissionibus. Excusat se Paulus quòd liberius Romanis scripserit, tamquam Gentium Apostolus, ostendens quomodo sit hoc munus executus : dicens quòd ad ipsos quoque sit venturus ; ubi datam à Macedonibus eleemosynam elargitus fuerit Ierosolymitanæ Ecclesiæ, petens ut pro se interim orent.

1 DEbemus autem nos firmiores imbecillitares infirmorum sustinere,& non nobis placere. A

2 Unusquisque vestrùm proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.

3 Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est : * Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. *Ps.68. b.10.

4 Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam, & consolationem Scripturarum,spem habeamus.

5 Deus autem patientiæ & solatij, * det vobis idipsum sapere in alterutrum secundùm Jesum Christum : *1.Cor. 1.b.10.

6 Ut unanimes, uno ore honorificetis Deum,& patrem Domini nostri Jesu Christi. B

7 Propter quod suscipite invicem,sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei.

8 Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum :

9 Gentes autem super misericordia honorare Deum,sicut scriptum est : * Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine,& nomini tuo cantabo. *2.Reg. 22.d 50. Psal. 17. d.50.

10 Et iterùm dicit : Lætamini Gentes cum plebe ejus.

11 Et iterùm : * Laudate omnes Gentes Dominum : & magnificate eum omnes populi. *Ps.116. a.1.

12 Et rursus Isaias ait : * Erit radix Jesse, & qui exurget regere Gentes,in eum Gentes sperabunt. * Isai. 11.c.10.

13 Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo : ut abundetis in spe, & virtute Spiritus sancti.

14 Certus sum autem fratres mei,& ego ipse de vobis,quoniam & ipsi pleni estis dilectione,repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere.

15 Audaciùs autem scripsi vobis,fratres,ex parte, tamquam in memoriam vos reducens : propter gratiam, quæ data est mihi à Deo, C

16 Ut sim minister Christi Jesu in Gentibus,

sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto.

17 Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum.

18 Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium, verbo & factis:

19 In virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti: ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi.

E 20 Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est:

*Isai.52. d.15. 21 * Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.

22 Propter quod & impediebar plurimùm venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc.

23 Nunc verò ulteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis:

F 24 Cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero.

25 Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis.

26 Probaverunt enim Macedonia, & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem:

27 Placuit enim eis: & debitores sunt eorum.

*1.Cor. 9.d.11. * Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent & in carnalibus ministrare illis.

28 Hoc igitur cùm consummavero, & assignavero eis fructum hunc: per vos proficiscar in Hispaniam.

G 29 Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelij Christi veniam.

30 Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum,

31 Ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa, & obsequij mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis,

32 Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum.

33 Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

Caput XVI.

Commendat Apostolus quosdam apud Romanos, propter nonnullas eorum præeminentias nominatim salutandos. quosdam verò vitandos hortatur, & de aliis dicit quòd salutant Romanos.

A 1 COmmendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris:

2 Ut eam suscipiatis in Domino dignè sanctis: & assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque astitit multis: & mihi ipsi.

*Act.18. a.2. g.26. 3 Salutate * Priscam & Aquilam adjutores meos in Christo Jesu;

4 (Qui pro anima mea suas cervices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium.)

5 Et domesticam Ecclesiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo.

6 Salutate Mariam, quæ multùm laboravit in vobis.

7 Salutate Andronicum & Juniam, cognatos & concaptivos meos: qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo.

8 Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino.

9 Salutate Urbanum adjutorem nostrum in B Christo Jesu, & Stachyn dilectum meum.

10 Salutate Appellen probum in Christo.

11 Salutate eos, qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino.

12 Salutate Tryphænam & Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidem charissimam, quæ multùm laboravit in Domino.

13 Salutate Rufum electum in Domino, & matrem ejus, & meam.

14 Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt, fratres.

15 Salutate Philologum & Juliam, Nereum & C sororem ejus, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis sunt, sanctos.

16 Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.

17 Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.

18 Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri & per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentium.

19 Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.

20 Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum.

21 * Salutat vos Timotheus adjutor meus, & D Lucius, & Jason, & Sosipater, cognati mei. *Act.16. a.1.

22 Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino.

23 Salutat vos Caius hospes meus, & universa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius civitatis, & Quartus, frater.

24 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

25 Ei autem, qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicationem Jesu Christi, secundùm revelationem mysterij temporibus æternis, taciti.

26 (Quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum secundùm præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti.

27 Soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS PRIMA.

Caput Primum.

Paulus Deo gratias agit de donis datis Corinthiis: ceterùm dolet quòd de baptizatoribus essent inter ipsos schismata, gaudens quòd missus ad prædicandum Evangelium paucos baptizaverit: ostendens etiam reprobatam mundi sapientiam, & electos simplices: sicut & sita est salus in Christi morte, cujus prædicatio judicatur mundo stultitia, credentibus verò virtus ac sapientia: ideo enim contemptibilia mundi elegit Deus, ne quis in se glorietur.

A 1 PAulus vocatus Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei, & Sosthenes frater,

2 Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum, & nostro.

3 Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

4 Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu:

5 Quòd in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia:

6 Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis:

7 Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, expectantibus revelationẽ Domini nostri Jesu Christi,

B 8 Qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi.

*1.Thes. 5.d.24. 9 * Fidelis Deus: per quem vocati estis in societatem filij ejus Jesu Christi Domini nostri.

10 Obsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi: ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.

11 Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos.

12 Hoc autem dico, quòd unusquisque vestrûm dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem

*Act.18 f.24. * Apollo: ego verò Cephæ: ego autem Christi.

13 Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?

C 14 Gratias ago Deo, quòd neminem vestrûm

*Act.18. c.8. baptizavi * nisi Crispum & Caium:

15 Ne quis dicat quòd in nomine meo baptizati estis.

16 Baptizavi autem & Stephanæ domum: ceterùm nescio si quem alium baptizaverim.

17 Non enim misit me Christus baptizare, sed

*2.Petr. 1.c.16. Infr.2. a.1.4. d.13. evangelizare: * non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.

18 Verbum enim crucis, pereuntibus quidem

*Rom.1. b.16. stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis,

*Isa. 29. c.14. * Dei virtus est.

19 Scriptum est enim: * Perdam sapientiam sapientium, & prudẽtiam prudentium reprobabo.

*Isa. 33. c.18. 20 * Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nónne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?

21 Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes:

22 Quoniam & Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt:

23 Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam;

24 Ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, D Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam:

25 Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

26 Videte enim vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles:

27 Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia:

28 Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret:

29 Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.

30 Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & *justitia, & sanctificatio, & redemptio: *Ier.23. a.5.

31 Ut quemadmodum scriptum est: * Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Ier.9. g.23.24. 2.Cor. 10.d.17.

Caput II.

Ostendit Paulus se Christum & hunc crucifixum magna modestia verbisque simplicibus prædicasse Corinthiis, quamquam perfectis loqueretur etiam sapientiam mundo absconditam, quæ solo Dei spiritu cognosci potest: animalis enim non percipit quæ Dei sunt.

1 ET ego, cùm venissem ad vos, fratres, veni A *non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, *Sup.1. c.17. annuntians vobis testimonium Christi.

2 Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.

3 * Et ego in infirmitate, & timore, & tremore *Act.18. a.1. multo fui apud vos:

4 Et sermo meus, & prædicatio mea, * non in *1.Per. 1.c.16. persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis:

5 Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.

6 Sapientiam autem loquimur inter perfectos: B sapientiam verò non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur:

7 Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram,

8 Quam nemo principum hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.

9 Sed sicut scriptum est: * Quod oculus non C vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum: * 64. b.4.1

10 Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.

11 Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.

12 Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis:

D 13 * Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.

* Sup. 1. c. 17 2. a. 1. 4. 2. Pet. 1. d. 16.

14 Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur.

15 Spiritualis autem judicat omnia: & ipse à nemine judicatur.

* Sap. 9. c. 13. Is. 40. c. 13. Rom. 11. d. 34.

16 * Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.

Caput III.

Corinthiis adhuc carnalibus non potuit Paulus prædicare recondita fidei mysteria; contendebant enim de his qui tantùm ministri erant, cùm solus Deus possit gratiæ ac virtutum dare incrementa, soliúsque Christus sit fidei fundamentum: super quod quis benè aut malè superædificaverit, patebit in die examinis. Non est violandum Dei templum quod sumus nos, nec in Dei ministris gloriandum.

A 1 ET ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo,

2 Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis.

3 Cùm enim sit inter vos zelus, & contentio: nónne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis.

4 Cùm enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli: alius autem: Ego Apollo: nónne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus?

5 Minister ejus, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit.

6 Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit.

B 7 Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus.

8 Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt.

* Psal. 61. d. 13. Matt. 16. d. 27. Rom. 2. a. 6. Gal. 6. b. 5.

* Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.

9 Dei enim sumus adjutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.

10 Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet.

C 11 Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.

12 Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam:

13 Uniuscujusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.

14 Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet.

15 Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.

16 Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?

17 Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. * Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. D

* Inf. 6. d. 19. 2. Cor. 6. d. 16.

18 Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens.

19 Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: * Comprehendam sapientes in astutia eorum.

* Iob. 5. c. 13.

20 Et iterùm: * Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt.

* Ps. 93. b. 11.

21 Nemo itaque glorietur in hominibus.

22 Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt:

23 Vos autem Christi: Christus autem Dei.

Caput IV.

Non temerè judicandum est de Dei ministris: reprehenduntur Corinthij qui de ministris & acceptis donis gloriabantur, ac si illa à se haberent; & se extollentes contemnebant etiam Apostolos, quamquam Paulus illos in Christo genuerat: dicit se brevi venturum Corinthum, quò Pseudoapostolos redarguat.

1 SIC nos existimet homo ut ministros Christi, A & dispensatores mysteriorum Dei. 2. Cor. 6. a. 4.

2 Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.

3 Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer: aut ab humano die: sed neque meipsum judico.

4 Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est.

5 Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.

6 Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & B Apollo, propter vos: ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio.

7 Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

8 Jam saturati estis, jam divites facti estis: sine nobis regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus.

9 Puto enim quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus:

10 Nos stulti propter Christum, vos autem D prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles.

11 Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus,

12 Et * laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus:

* Act. 20. f. 34. 1. Thess. 2. b. 9. 2. Thes. 3. b. 8.

13 Blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.

14 Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo.

15 Nam

D 15 Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

16 Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

17 Ideò misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo.

18 Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam.

19 Veniam autem ad vos citò, si Dominus voluerit: & cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem.

20 Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.

21 Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?

Caput V.

Corinthios reprehendit, quòd in incestu publicè viventem tolerarent; quem absens tradit satanæ, monens ut expurgato vitiorum fermento, puri Pascha celebrent: nec vult eos commiscri Christianis palam criminosis.

A 1 OMnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.

Lev. 18. a. 7. 8. 20. b. 11.

2 Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrûm qui hoc opus fecit.

* Col. 2. a. 5.

3 * Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est:

B 4 In nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu,

5 Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

* Gal. 5. b. 9.

6 Non est bona gloriatio vestra. * Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?

C 7 Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.

8 Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis & veritatis.

9 Scripsi vobis in epistola: Ne commisceamini fornicariis.

10 Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiisse.

D 11 Nunc autem scripsi vobis non commisceri; si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum eiusmodi nec cibum sumere.

12 Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Nónne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?

13 Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.

Caput VI.

Corripit eos quòd judicio contenderent coram judice ethnico, enumerans quædam peccata, quibus involuti regnum Dei non possidebunt: quædam licere dicit quæ non expediant: & varias ob causas ostendit vitandam fornicationem.

1 AUdet aliquis vestrûm habens negotium A adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud sanctos?

2 An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis?

3 Nescitis quoniam angelos judicabimus? quantò magis sæcularia?

4 Sæcularia igitur judicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.

5 Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?

6 Sed frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles?

7 * Jam quidem omnino delictum est in vobis, B quòd judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?

* Mat. 5. c. 39. Luc. 6. d. 29. Rom. 12. d. 17. 1. Thes. 4. b. 6.

8 Sed vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus.

9 An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarij, neque idolis servientes, neque adulteri,

10 Neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.

11 Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed C sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.

12 Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.

13 Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori.

14 Deus verò & Dominum suscitavit: & nos suscitabit per virtutem suam.

15 Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.

16 An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, D unum corpus efficitur? * Erunt enim (inquit) duo in carne una.

* Gen. 2. d. 24. Matt. 19. a. 5. Mar. 10. a. 8. Eph. 5. g. 31.

17 Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.

18 Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.

* Sup. 3. d. 17. 2. Cor. 6. c. 16. * Inf. 7. d. 23. 1. Per. 1. d. 18.

19 An nescitis quoniam * membra vestra, templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri?

20 * Empti enim, estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.

CAPUT

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput VII.

Corinthios instruit de matrimonio, eiúsque usu & indissolubili vinculo, innuptis commendans celibatum, & quomodo fidelis cum conjuge infideli se habere debeat: quódque unusquisque in quo vitæ statu ad fidem vocatus est, permaneat: virginitatem matrimonio præfert; uxorem mortuo marito liberam dicens, ut cui velit in Domino nubat.

A 1 DE quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere:

2 Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.

* 1.Pet. 3.b.7. 3 * Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro.

4 Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

5 Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterùm revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.

6 Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.

B 7 Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic.

8 Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.

9 Quòd si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm uri.

10 Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, * uxorem à viro non discedere:

* Mat.5. c.32. 19. b. 9. Marc. 10.a.7. Luc. 16. c. 18. 11 Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.

12 Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.

13 Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.

C 14 Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.

15 Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus.

16 Unde enim scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies?

17 Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus Ecclesiis doceo.

D 18 Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur.

19 Circumcisio nihil est, & præputium nihil est: sed observatio mandatorum Dei.

* Eph.4. a. 1. 20 * Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.

21 Servus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis utere.

22 Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.

23 * Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. * Sup. 6. d. 20. 1.Pet. 1. d. 18.

24 Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. E

25 De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis.

26 Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.

27 Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.

28 Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit. tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco.

29 Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint:

30 Et qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes:

31 Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. F

32 Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.

33 Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.

34 Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt; ut sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.

35 Porrò hoc ad utilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.

36 Si quis autem turpem se videri existimat G super virgine sua, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, si nubat.

37 Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, benè facit.

38 Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.

39 * Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit. quòd si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantùm in Domino. * Rom. 7.a. 2.

40 Beatior autem erit si sic permanserit, secundùm meum consilium: puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam.

Caput VIII.

Quamquam idolothytis vesci non sit ex se illicitum, cùm idolum nullius sit efficaciæ aut potestatis, non sunt tamen illa edenda aut repugnante conscientia, aut cum infirmorum offendiculo; neque ea edere, aut non edere, hominem efficit meliorem.

1 DE iis autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas verò ædificat. A

2 Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.

3 Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo.

B 4 De esci autem, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, & quòd nullus est Deus, nisi unus.

5 Nam etsi sunt qui dicantur dij, sive in cælo, sive in terra (siquidem sunt dij multi, & domini multi:)

6 Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.

C 7 Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorum cùm sit infirma, polluitur.

8 Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deficiemus.

9 Videte autem ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.

D 10 Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nónne conscientia ejus, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?

* Rom. 14.c.15. 11 * Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?

12 Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.

* Rom. 14.d. 21. 13 * Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

Caput IX.

Non accipiebat Paulus victum à Corinthiis quibus concionabatur, ut omnem amputaret offendiculi occasionem, licet hoc sibi fuisse licitum multis probet argumentis: sed in omnem formam se vertit, quò plures ad Dei cultum adducat: Corinthios exhortando ad imitationem eorum qui in stadio currunt, aut in agone certant, suum quoque ait se domare corpus.

A 1 NOn sum liber? Non sum Apostolus? Nónne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nónne opus meum vos estis in Domino?

2 Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum: nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino.

3 Mea defensio apud eos, qui me interrogant, hæc est.

4 Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi?

5 Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?

6 Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi?

7 Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?

8 Numquid secundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit?

* Deut. 25.a.4. 1.Tim. 5.c.18. 9 Scriptum est enim in lege Moysi: * Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo?

B 10 An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi.

* Rom. 15.f. 27. 11 * Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?

12 Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? sed non usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.

* Deut. 18.a.1. 13 * Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deserviunt, cum altari participant?

14 Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.

15 Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc ut ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet. C

16 Nam si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizavero.

17 Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est.

18 Quæ est ergo merces mea? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.

19 Nam cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.

20 Et factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer.

21 Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse non essem sub lege) ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem. iis qui sine lege erant, tamquam sine lege essem (cùm sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. D

22 Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.

23 Omnia autem facio propter Evangelium: ut particeps ejus efficiar.

24 Nescitis quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis.

25 Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.

26 Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans:

27 Sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

Caput X.

Commemoratione ingratorum Iudæorum frequenter ob varia peccata à Deo punitorum, hos à similibus abstcrret de tentatione humana, & Dei in tentationibus auxilio: non solùm idololatria fugienda est, sed & mensa eorum qui idolothytis vescuntur: tum quòd per hoc videantur aliquid idolis deferre, tum quòd scandalo sint infirmioribus.

A 1 NOlo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes * sub nube fuerunt, & omnes * mare transierunt; * Exod. 13.d.23. Num. 9. d.21.

2 Et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari: * Exod. 14.c.22.

3 * Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, * Exod. 16.d.15.

4 * Et omnes eumdem potum spiritalem biberunt: (bibebant autem de spirituali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus) * Exod. 17.b.6. Num. 20.b.11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5 Sed non in pluribus eorum beneplacitum est
Deo: * nam prostrati sunt in deserto.
* Num. 26.g.64. 65.
6 Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non
B simus concupiscentes malorum, * sicut & illi con-
* Psl.105. f. 14. cupierunt.
* Exod. 32.b.6.
7 Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam
ex ipsis; quemadmodum scriptum est: * Sedit po-
* Num. 25.a.1. pulus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.
8 Neque fornicemur, * sicut quidam ex ipsis
fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria
millia.
* Num. 21.b.5. 6.
9 Neque tentemus Christum: * sicut quidam
corum tentaverunt, & à serpentibus perierunt.
* Num. 11.a.1. 34.a.1.
10 *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum
C murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.
11 Hæc autem omnia in figura contingebant
illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram,
in quos fines sæculorum devenerunt.
12 Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.
13 Tentatio vos non apprehendat nisi humana:
fidelis autem Deus est, qui non patietur vos ten-
tari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum
tentatione proventum ut possitis sustinere.
14 Propter quod charissimi mihi fugite ab ido-
lorum cultura:
15 Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate
quod dico.
D 16 Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est?
17 Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.
18 Videte Israël secundùm carnem: nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris?
19 Quid ergo? dico quòd idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum, sit aliquid?
E 20 Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum:
21 Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.
22 An æmulamur Dominum? Numquid for-
* Sup. 6. c. 12. tiores illo sumus? * Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.
23 Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.
24 Nemo quod suũ est quærat, sed quod alterius.
F 25 Omne, quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.
* Ps. 23. a.1. 26 * Domini est terra, & plenitudo ejus.
Eccli. 17. d. 31. 27 Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.
G 28 Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis, nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam:
29 Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?
30 Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quòd gratias ago?
* Col. 3. f. 17. 31 * Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.
32 Sine offensione estote Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei:
33 Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

Caput XI.

Vir aperto, mulier autem velato debet orare capite: Corinthios reprehendit quòd ad celebrandam cœnam Dominicam invicem non expectarent, sed inter se dissiderent: referens interim Sacramenti Eucharistiæ à Christo institutionem, & scelus ac pœnam indignè ad illud accedentium.

1 IMitatores mei estote, sicut & ego Christi. A
2 Laudo autem vos, fratres, quòd per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.
3 Volo autem vos scire, * quòd omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris, vir: caput verò Christi, Deus. *Eph.5. c.23.
4 Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.
5 Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum: unum enim est ac si decalvetur.
6 Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum. B
7 Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam * imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. * Gen.1. c.26.
8 Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.
9 * Etenim non est creatus vir propter mulie- * Gen. 2.d.23.
rem, sed mulier propter virum.
10 Ideò debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos.
11 Verumtamen neque vir sine muliere, neque C mulier sine viro, in Domino.
12 Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo.
13 Vos ipsi judicate: decet mulierem non velatam orare Deum?
14 Nec ipsa natura docet vos, quòd vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi:
15 Mulier verò si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.
16 Si quis autem videtur contentiosus esse: nos D talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.
17 Hoc autem præcipio: non laudans, quòd non in melius, sed in deterius convenitis.
18 Primùm quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo.
19 Nam oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.
20 Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare.
21 Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.
22 Numquid domos non habetis ad manducan- E dum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

23 Ego

23 Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem,
* Mat. 26.c.26. Mar.14. c.22. Luc. 22. b.17. 24 Et gratias agens fregit, & dixit: * Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.
F 25 Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.
26 Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat.
* Ioan. 6. f. 59. 27 * Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & sanguinis Domini.
28 Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat.
G 29 Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini.
30 Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.
31 Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.
32 Dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.
33 Itaque fratres mei, cùm convenitis ad manducandum, invicem expectate.
34 Si quis esurit, domi manducet: ut non in judicium conveniatis. Cetera autem, cùm venero, disponam.

Caput XII.

Variis dantur varia eiusdem Spiritus sancti charismata, ut in modum humani corporis quisque suo fungatur officio, & mutua se opera omnes indigere cognoscentes, mutuò se foveant, & ita Christus suæ providit Ecclesiæ de variis hominum statibus.

A 1 DE spiritualibus autem, nolo vos ignorare, fratres.
2 Scitis quoniam cùm Gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini euntes.
* Marc. 9. f. 38. 3 Ideo notum vobis facio, * quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.
4 Divisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus:
5 Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus:
6 Et divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.
7 Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.
8 Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum.
B 9 Alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in uno Spiritu:
10 Alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.
* Rom. 12.a.3. b. 6. Eph.4. b. 7. 11 * Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.
12 Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, unũ tamen corpus sunt: ita & Christus.
13 Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi: & omnes in uno Spiritu potati sumus.
14 Nam & corpus non est unum membrum, sed multa.
15 Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideò non est de corpore?
16 Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideò non est de corpore?
17 Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si to- G tum auditus: ubi odoratus?
18 Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit.
19 Quòd si essent omnia unum membrum, ubi corpus?
20 Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.
21 Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterùm caput pedibus: Non estis mihi necessarij.
22 Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt:
23 Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.
24 Honesta autem nostra nullius egent: sed Deus temperavit corpus ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem:
25 Ut non sit schisma in corpore, sed idipsum D pro invicem solicita sint membra.
26 Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.
27 Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.
28 * Et quosdam quidem posuit Deus in Ec- * Eph.4. b. 11. clesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.
29 Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?
30 Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

Caput XIII.

Ostendit charitatis necessitatem, ipsius officia, perpetuitatem, ac præcellentiam supra fidem & spem, reliquáque Dei dona.

1 SI linguis hominum loquar, & angelorum, A charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.
2 Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.
3 Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

4 Charitas patiens est, benigna est : Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur,

5 Non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum,

6 Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati :

7 Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

C 8 Charitas numquam excidit ; sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.

9 Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus.

10 Cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

D 11 Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.

12 Videmus nunc per speculam in ænigmate : tunc autẽ facie ad faciem. Nũc cognosco ex parte : tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.

13 Nunc autem manent, fides spes, charitas, tria hæc : major autem horum est charitas.

Caput XIV.

Donum linguarum inferius esse dicit dono prophetiæ ; imò inutile, si desit qui interpretetur : tradit ergo eis normam qua his donis ordinatè utantur : & mulieres in Ecclesiis silere jubet.

A 1 Sectamini charitatem, æmulamini spiritalia : magis autem ut prophetetis.

2 Qui enim loquitur, lingua, non hominibus loquitur, sed Deo : nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria.

3 Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.

4 Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat : qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat.

5 Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare. Nam major est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis : nisi fortè interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat.

B 6 Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens ; quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina ?

7 Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, sive tibia sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur ?

8 Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum ?

C 9 Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis ; quomodo scietur id quod dicitur ? eritis enim in aëra loquentes.

10 Tam multa, utputa, genera linguarum sunt in hoc mundo : & nihil sine voce est.

11 Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus : & qui loquitur, mihi barbarus.

12 Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis.

13 Et ideò qui loquitur lingua, oret ut interpretetur.

14 Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.

15 Quid ergo est ? Orabo spiritu, orabo & mente : psallam spiritu, psallam & mente. D

16 Ceterùm si benedixeris spiritu : qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem ? quoniam quid dicas, nescit.

17 Nam tu quidem benè gratias agis : sed alter non ædificatur.

18 Gratias ago Deo meo, quòd omnium vestrûm lingua loquor.

19 Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios instruam : quàm decem millia verborum in lingua.

20 Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote : sensibus autem perfecti estote.

21 In lege scriptum est : * Quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic : & nec sic exaudient me, dicit Dominus. * Isa. 28. c. 11.

22 Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus : prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus.

23 Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles : nónne dicent quod insanitis ?

24 Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus :

25 Occulta cordis ejus manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quòd verè Deus in vobis sit.

26 Quid ergo est, fratres ? cùm convenitis, E unusquisque vestrûm psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet : omnia ad ædificationem fiant.

27 Sive lingua quis loquitur, secundùm duos, aut ut multùm tres, & per partes, & unus interpretetur.

28 Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur, & Deo.

29 Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & ceteri dijudicent.

30 Quòd si alij revelatum fuerit sedenti, prior taceat.

31 Potestis enim omnes per singulos prophetare : ut omnes discant, & omnes exhortentur :

32 Et spiritus prophetarũ prophetis subjecti sunt.

33 Non enim est dissensionis Deus, sed pacis : F sicut & in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo.

34 Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut * & lex dicit. * Gen. 3. c. 16.

35 Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.

36 An à vobis verbum Dei processit ? aut in vos solos pervenit ?

37 Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.

38 Si quis autem ignorat, ignorabitur.

39 Itaque fratres, æmulamini prophetare : &

& loqui linguis nolite prohibere.

40 Omnia autem honestè, & secundùm ordinem fiant.

Caput XV.

Christum docet à mortuis resurrexisse, multisque ac demum Paulo qui se minimum dicit Apostolorum apparuisse ; ac nostram hìc astruit resurrectionem, & ordinem ac modum ejus, unà cum diversa resuscitatorum gloria, non in anima solùm, sed etiam in corpore : mors autem in resurrectione absorbebitur.

A 1 Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepistis, in quo & statis, Gal. 1. b. 11.

2 Per quod & salvamini : qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustrà credidistis.

3 Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi : quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris * secundùm Scripturas :

4 * Et quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundùm Scripturas : * Isa. 53. b. 5. * Jon. 2. a. 1. * Joan. 20. c. 19.

5 Et quia visus est Cephæ, & post hoc * undecim:

6 Deinde visus est plus quàm quingentis fratribus simul : ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt :

7 Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus :

8 Novissimè autem omnium tamquam abortivo, * visus est & mihi. * Act. 9. a. 3. * Eph. 3. b. 8.

9 * Ego enim sum minimus Apostolorum, qui B non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.

10 Gratia autem Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum :

11 Sive enim ego, sive illi ; sic prædicamus, & sic credidistis.

12 Si autem Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est ?

13 Si autem resurrectio mortuorum non est : neque Christus resurrexit.

14 Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra:

C 15 Invenimur autem & falsi testes Dei : quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum : quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.

16 Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.

17 Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris.

18 Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt.

19 Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

20 Nunc autem Christus resurrexit à mortuis * Col. 1. c. 18. Apoc. 1. b. 5. * primitiæ dormientium :

21 Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.

22 Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.

23 * Unusquisque autem in suo ordine, primi- *1. Thes. 4. d. 15. tiæ Christus : deinde ij, qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt.

24 Deinde finis : cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum & potestatem, & virtutem.

25 Oportet autem illum regnare, * donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. D * Psa. 109. a. 1. Heb. 1. d. 13. 10. c. 13.

26 Novissima autem inimica destruetur mors: * Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cùm autem dicat : * Psal. 8. b. 8. Hebr. 2. b. 8.

27 Omnia subjecta sunt ei : sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia.

28 Cùm autem subjecta fuerint illi omnia : tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.

29 Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt ? ut quid & baptizantur pro illis ?

30 Ut quid & nos periclitamur omni hora ?

31 Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.

32 Si (secundùm hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt ? * manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. * Sap. 2. b. 6. Isai. 22. d. 13. 56. d. 12.

33 Nolite seduci : Corrumpunt mores bonos E colloquia mala.

34 Evigilate justi, & nolite peccare : ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor.

35 Sed dicet aliquis : Quomodo resurgunt mortui ? qualive corpore venient ?

36 Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur.

37 Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, utputa tritici, aut alicujus ceterorum.

38 Deus autem dat illi corpus sicut vult : & unicuique seminum proprium corpus.

39 Non omnis caro eadem caro : sed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.

40 Et corpora cælestia, & corpora terrestria : sed alia quidem cælestium gloria, alia autem terrestrium.

41 Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia F claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate :

42 Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.

43 Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute.

44 Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Si est corpus animale, est & spiritale, sicut scriptum est :

45 * Factus est primus homo Adam in animam * Gen. 2. viventem, novissimus Adam in spiritum vivifi- d. 7. cantem.

46 Sed non priùs quod spiritale est, sed quod animale : deinde quod spiritale.

47 Primus homo de terra, terrenus : secundus homo de cælo, cælestis.

48 Qualis terrenus, tales & terreni : & qualis cælestis, tales & cælestes.

49 Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.

50 Hoc autem dico, fratres : quia caro & sanguis

guis regnum Dei possidere non possunt : neque corruptio incorruptelam possidebit.

G 51 Ecce mysterium vobis dico : Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.

52 In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti : & nos immutabimur.

53 Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.

54 Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est : * Absorpta est mors in victoria.

Osee 13.d.14. Hebr.2. d. 14.

55 Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?

56 Stimulus autem mortis peccatum est : virtus verò peccati lex.

1.Ioan. 5. a.5.

57 * Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.

58 Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Dño.

Caput XVI.

Vbi de colligenda pro Christianis qui Ierosolymis agebant eleemosyna hortatus esset, commendat eis Timotheum ac Stephanæ familiam : deinde salutationes subjungit.

A 1 De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite.

2 Per unam sabbati unusquisque vestrûm apud se seponat, recondens quod ei benè placuerit : ut non, cùm venero, tunc collectæ fiant.

3 Cùm autem præsens fuero : quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem.

4 Quòd si dignum fuerit ut & ego eam, mecum ibunt.

5 Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertransiero : nam Macedoniam pertransibo.

B 6 Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo : ut vos me deducatis quocumque iero.

7 Nolo enim vos modò in transitu videre, spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit.

8 Permanebo autem Ephesi, usque ad Pentecosten.

9 Ostium enim mihi apertum est magnum, & evidens : & adversarij multi.

10 Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos : opus enim Domini operatur, sicut & ego.

11 Ne quis ergo illum spernat : deducite autem illum in pace, ut veniat ad me : expecto enim illum cum fratribus.

C 12 De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multùm rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus: & utique non fuit voluntas ut nunc veniret: veniet autem, cùm ei vacuum fuerit.

13 Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini.

14 Omnia vestra in charitate fiant.

15 Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici : quoniam sunt primitiæ Achaiæ, & in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos :

16 Ut & vos subditi sitis eiusmodi, & omni cooperanti, & laboranti.

17 Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, & D Fortunati, & Achaici : quoniam id, quod vobis deerat, ipsi suppleverunt :

18 Refecerunt enim & meum spiritum, & vestrum. Cognoscite ergo qui hujusmodi sunt.

19 Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multùm, Aquila & Priscilla, cum domestica sua Ecclesia : apud quos & hospitor.

20 Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto.

21 Salutatio, mea manu Pauli.

22 Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran Atha.

23 Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum.

24 Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen.

EPISTOLA
BEATI PAULI APOSTOLI
AD CORINTHIOS SECUNDA.

Caput Primum.

Ostendit Apostolus ex quantis in Asia ortis adversitatibus eripuerit eum Dominus, ut & ipse alios consolaretur : deinde manifestans cordis sui ac doctrinæ sinceritatem, ostendit quòd, licet juxta id quod proposuerat, ad eos non venerit, nulla ipsius id actum est levitate, asserens firmam esse suæ prædicationis veritatem.

1 Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei, A quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia.

2 Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

3 * Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, ** Eph.1. a. 3. 1.Pet. 1. a. 3.*

4 Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra; ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo.

5 Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christũ abundat consolatio nostra.

6 Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione B & salute, sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur :

7 Ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes quòd sicut socij passionũ estis, sic eritis & consolationis.

8 Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.

9 Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos :

10 Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus quoniam & adhuc eripiet,

11 Adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis: ut ex multorum personis, ejus quæ in nobis est donationis,

C donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

12 Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo : abundantiùs autem ad vos.

13 Non enim alia scribimus vobis, quàm quæ legistis, & cognovistis. Spero autem quòd usque in finem cognoscetis,

14 Sicut & cognovistis nos ex parte quòd gloria vestra sumus, sicut & vos nostra, in die Domini nostri Jesu Christi.

15 Et hac confidentia volui priùs venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis :

16 Et per vos transire in Macedoniam, & iterùm à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Judæam.

17 Cùm ergo hoc voluissem, numquid levitate usus sum? Aut quæ cogito, secundùm carnem cogito, ut sit apud me Est & Non?

D 18 Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est & Non.

19 Dei enim filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me & Silvanum, & Timotheum, non fuit Est & Non, sed Est in illo fuit.

20 Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est : ideò & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.

21 Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus :

22 Qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

23 Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quòd parcens vobis, non veni ultrà Corinthum : non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudij vestri : nam fide statis.

Caput II.

Ostendit quòd ad ipsos non venerit ne majoris esset causa tristitiæ, exhortans ut fornicarium illum recipiant in gratiam : simul indicans quòd magno quidem labore, magno tamen etiam fructu prædicaverit, licet prædicationis suæ fragrantia quibusdam mortis occasio fuerit.

A 1 Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterùm in tristitia venirem ad vos.

2 Si enim ego contristo vos : & quis est, qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?

3 Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non cùm venero, tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium vestrûm est.

4 Nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas : non ut contristemini : sed ut sciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis.

B 5 Si quis autem contristavit, non me contristavit : sed ex parte, ut non onerem omnes vos.

6 Sufficit illi, qui eiusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus :

7 Ita ut econtrariò magis donetis, & consolemini, ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est.

8 Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem.

9 Ideò enim, & scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. C

10 Cui autem aliquid donastis, & ego : nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi,

11 Ut non circumveniamur à satana : non enim ignoramus cogitationes ejus.

12 Cùm venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino,

13 Non habui requiem spiritui meo, eò quòd D non invenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam.

14 Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco:

15 Quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, & & in iis qui pereunt :

16 Aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus?

17 Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.

Caput III.

Non eget Apostolus hominum commendatione, cùm fructus sui prædicationis eum commendet : multò enim majori in honore esse debent ministri novi testamenti ac Spiritus, quàm veteris testamenti ac litteræ : & quòd Iudæi velamen adhuc habebant super cor suum in lectione Scripturarum, quod fidei in Christum auferetur.

A 1 Incipimus iterùm nosmetipsos commendare? aut numquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis?

2 Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus :

B 3 Manifestati quòd epistola estis Christi, ministrata à nobis & scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi : non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

4 Fiduciam autem talem habemus, per Christum ad Deum :

5 Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est :

6 Qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti; non littera, sed Spiritu : littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.

7 Quòd si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent intendere filij Israël in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur :

8 Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?

C 9 Nam si ministratio damnationis gloria est : multò magis abundat ministerium justitiæ in gloria.

10 Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.

11 Si enim quod evacuatur, per gloriam est : multò magis quod manet, in gloria est.

12 Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur :

13 * Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filij Israël in faciem ejus, quod evacuatur, ** Exod. 34.d.33.*

14 Sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum, (quoniam in Christo evacuatur.)

15 Sed usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.

16 Cùm autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.

Exod. 34. d.34. 17 * Dominus autem Spiritus est: Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.

18 Nos verò omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu.

Caput IV.

Quòd sincera Apostolorum prædicatione verbum Dei omnibus manifestatum est, præterquam iis quorum mentes excæcatæ sunt: quòd multa adversa patiantur Apostoli, nunquam tamen succumbant: momentanea autem tribulatio parit magnam æternamque gloriam.

A 1 IDeò habentes administrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus,

2 Sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo.

3 Quòd si etiam opertum est Evangelium nostrum; in iis, qui pereunt, est opertum:

4 In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.

B 5 Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Jesum:

6 Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.

7 Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.

C 8 In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur:

9 Persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus:

10 Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris,

11 Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum: ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.

12 Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.

13 Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur:

Ps. 115. a. 10.

14 Scientes quoniam qui suscitavit Jesum, & nos cum Jesu suscitabit, & constituet vobiscum.

D 15 Omnia enim propter vos, ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.

16 Propter quod non deficimus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.

17 Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

18 Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quę enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.

Caput V.

Ex certa spe futuræ gloriæ desiderant Apostoli absolvi à corpore, cùm aliter ea frui non possint: semper autem cupientes Christo omnium justo judici placere, dant suis discipulis occasionem de ipsis gloriandi coram adversariis: & legatione pro Christo fungentes, ne ipsum quidem Christum, quem prædicant, & cujus morte reconciliatus est Deo mundus, jam secundum carnem noverunt.

1 SCimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. A

2 Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes.

3 * Si tamen vestiti, non nudi inveniamur. **Apoc. 16. f. 15.*

4 Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eò quòd nolumus expoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur quod mortale est, à vita.

5 Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus.

6 Audentes igitur semper, scientes quoniam B dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino:

7 (Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.)

8 Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.

9 Et ideò contendimus, sive absentes, sive præsentes, placere illi.

10 * Omnes enim nos manifestari oportet ante **Rom. 14. b. 10.* Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

11 Scientes ergo timorem Domini, hominibus C suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse.

12 Non iterùm commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde.

13 Sive enim mente excedimus, Deo: sive sobrij sumus, vobis.

14 Charitas enim Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt:

15 Et pro omnibus mortuus est Christus: ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.

16 Itaque nos ex hoc neminem novimus se- D cundùm carnem. Et si cognovimus secundùm carnem Christum: sed nunc jam non novimus.

17 Si qua ergo in Christo nova creatura: vetera transierunt: * ecce facta sunt omnia nova. **Isai. 43. c. 19. Apoc. 21. b. 5.*

18 Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis.

19 Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbũ reconciliationis.

20 Pro

20 Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.

21 Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.

Caput VI.

Exhortatur ne acceptam negligant gratiam, ostendens quantum laboravit ut probatum se Dei ministrum exhiberet, & admonens ut à convictu & consortio infidelium separentur.

A 1 ADjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

**Isai. 49. c. 8.*

2 Ait enim: * Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

**1. Cor. 10. g. 32.*

3 * Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum:

**1. Cor. 4. a. 1.*

4 Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos * sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis,

B 5 In plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis,

6 In castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta,

7 In verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris, & à sinistris;

8 Per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam: ut seductores, & veraces; sicut qui ignoti, & cogniti:

9 Quasi morientes, & ecce vivimus: ut castigati, & non mortificati:

C 10 Quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.

11 Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est.

12 Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris:

13 Eamdem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico, dilatamini & vos.

14 Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras?

15 Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?

16 Qui autem consensus templo Dei cum idolis? D

**1. Cor. 3. c. 16. d. 17. 6. d. 19. *Levit. 26. b. 12. *Isa. 52. c. 11.*

* Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: * Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.

17 * Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis:

18 Et ego recipiam vos: * & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.

**Jer. 31. b. 9.*

Caput VII.

Ostendit Apostolus quanto amore Corinthios prosequatur, & quantum de correcta ipsorum vita in magnis suis tribulationibus gaudium acceperit, quantumve bonum pepererit tristitia, quam ex sua acceperant epistola.

A 1 HAs ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.

2 Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.

3 Non ad condemnationem vestram dico. prædiximus enim quòd in cordibus nostris estis, ad commoriendum, & ad convivendum.

4 Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.

5 Nam & cùm venissemus in Macedoniam, B nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationẽ passi sumus: foris pugnę, intus timores.

6 Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi.

7 Non solùm autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem.

8 Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet: etsi pœniteret, videns quòd epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit;

9 Nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed C quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex vobis.

10 * Quæ enim secundùm Deum tristitia est, **1. Pet. 2. d. 19.* pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.

11 Ecce enim hoc ipsum, secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. in omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio.

12 Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum D qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est: sed ad manifestandam solicitudinem nostram, quam habemus pro vobis

13 Coram Deo: ideò consolati sumus. In consolatione autem nostra, abundantiùs magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis.

14 Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus: sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est,

15 Et Viscera ejus abundantiùs in vobis sunt: reminiscentis omnium vestrùm obedientiã, quomodo cum timore & tremore excepistis illum.

16 Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis.

Caput VIII.

Hortatur eos ad eleemosynam pauperibus qui Jerosolymis agebant prompto animo tribuendam, tum Macedonum commendatione, tum Christi exemplo; admonens, ut quod jam dudum facere proposuerant, id nunc pro cujusque facultate præstent: & mittit fratres quos ad eam mittit colligendam.

A 1 NOtam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ:

2 Quòd in multo experimento tribulationis, abundantia gaudij ipsorum fuit; & altissima paupertas eorum, abundavit in divitias simplicitatis eorum:

3 Quia secundùm virtutem testimonium illis reddo, & supra virtutem voluntarij fuerunt,

4 Cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, & communicationem ministerij, quod fit in Sanctos.

5 Et non sicut speravimus, sed semetipsos dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei;

B 6 Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istã.

7 Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia, & omni solicitudine, insuper & charitate vestra in nos, ut & in hac gratia abundetis.

8 Non quasi imperans dico: sed per aliorum solicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans.

9 Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.

10 Et consilium in hoc do: hoc enim vobis utile est, qui non solùm facere, sed & velle cœpistis ab anno priore:

11 Nunc verò & facto perficite: ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis.

C 12 Si enim voluntas prompta est; secundùm id quod habet, accepta est, non secundùm id quod non habet.

13 Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate.

14 In præsenti tempore vestra abundantia eorum inopiam suppleat: ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est:

15 * Qui multum, non abundavit: & qui modicum, non minoravit.

*Exod. 16. e. 18.

16 Gratias autem Deo, qui dedit eamdem solicitudinem pro vobis in corde Titi.

17 Quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cùm solicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos.

D 18 Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias:

19 Non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam, quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram:

20 Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis.

21 * Providemus enim bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.

*Rom. 12. d. 17.

22 Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpè solicitum esse: nunc autem multò solicitiorem, confidentia multa in vos,

23 Sive pro Tito, qui est socius meus, & in vos adjutor, sive fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi.

24 Ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro vobis in illos ostendite in faciem Ecclesiarum.

CAPUT IX.

Prosequitur hortando ad eleemosynam promptè & abundanter tribuendam; admonens ne ex hoc inopiam metuant, sed divinæ fidant providentiæ: variosque recenset illius eleemosynæ fructus.

1 NAm de ministerio, quod fit in sanctos, ex A abundanti est mihi scribere vobis.

2 Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaia parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio provocavit plurimos.

3 Misi autem fratres: ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati sitis:

4 Ne cùm venerint Macedones mecum, & B invenerint vos imparatos, erubescamus nos (ut non dicamus vos) in hac substantia.

5 Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tanquam avaritiam.

6 Hoc autem dico: Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

7 Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: * hilarem enim datorem diligit Deus.

*Eccl. 35. b. 11.

8 Potens est autem Deus omnem gratiam abun- C dare facere in vobis: ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum,

9 Sicut scriptum est: * Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi.

*Ps. 111. b. 9.

10 Qui autem administrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ:

11 Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. D

12 Quoniam ministerium hujus officij, non solùm supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino,

13 Per probationem ministerij hujus, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ, in Evangelium Christi, & simplicitate communicationis in illos, & in omnes,

14 Et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.

15 Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.

CAPUT X.

Incipit suam aperire potestatem, & exantlatos pro Christo labores propter pseudoapostolos, qui ipsum deprimentes & abjectum prædicantes, fructum prædicationis ejus impediebant.

1 IPse autem ego Paulus obsecro vos, per man- A suetudinem & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis.

2 Rogo autem vos ne præsens audeam, per eam confidentiam qua existimor audere, in quosdam, qui arbitrantur nos tamquam secundùm carnem ambulemus.

3 In carne enim ambulantes, non secundùm carnem militamus. B

4 Nam

B 4 Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes,

5 Et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi,

6 Et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia.

7 Quæ secundùm faciem sunt, videte. Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterùm apud se: quia sicut ipse Christi est, ita & nos.

8 Nam, & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram: non erubescam.

9 Ut autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas:

C 10 Quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graves sunt & fortes: præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis:

11 Hoc cogitet qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales & præsentes in facto.

12 Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis.

D 13 Nos autem non in immensum gloriabimur, *Eph. 4. b. 7. * sed secundùm mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos.

14 Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos: usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi.

15 Non in immensum gloriantes in alienis laboribus: spem autem habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari secundùm regulam nostram in abundantiam,

16 Etiam in illa, quæ ultra vos sunt, evangelizare, non in aliena regula in iis quæ præparata sunt gloriari.

*Ier. 9. g. 23. 1. Cor. 1. d. 31. 17 * Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.

18 Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat.

CAPUT XI.

Propter pseudoapostolos pervertentes Pauli prædicationem metuens Corinthios, ostendit quare nihil subsidii ab eis acceperit: deinde ut ostendat plus fidei sibi restituendum esse, quàm illis, sua recenset encomia; & primùm adversa quæ perpessus est; prædicando Christi fidem, & labores ac solicitudines.

A 1 UTinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me:

2 Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.

*Gen. 3. a. 4. 3 Timeo autem, ne * sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.

4 Nam si is qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicavimus; aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis; aut aliud Evangelium, quod non recepistis: rectè pateremini.

5 Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis.

B 6 Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia: in omnibus autem manifestati sumus vobis.

7 Aut numquid peccatum feci, me ipsum humilians, ut vos exaltemini? quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis:

8 Alias Ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.

9 Et cùm essem apud vos, & egerem; nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt à Macedonia: & in omnibus sine onere me vobis servavi, & servabo.

10 Est veritas Christi in me, quoniam hæc glo- C riatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ.

11 Quare? Quia non diligo vos? Deus scit.

12 Quod autem facio, & faciam: ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut & nos.

13 Nam ejusmodi pseudoapostoli, sunt operarij subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi.

14 Et non mirum: ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis.

15 Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ: quorum finis erit secundùm opera ipsorum. D

16 Iterùm dico, (ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier.)

17 Quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ.

18 Quoniam multi gloriantur secundùm carnem: & ego gloriabor.

19 Libenter enim suffertis insipientes: cùm sitis ipsi sapientes.

20 Sustinetis enim si quis vos in servitutem re- E digit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.

21 Secundùm ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego:

22 Hebræi sunt, & ego: Israëlitæ sunt, & ego: Semen Abrahæ sunt, & ego: F

23 Ministri Christi sunt, (ut minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.

24 A Judæis quinquies, * quadragenas, una minus, accepi. *Deut. 25. a. 3.

25 * Ter virgis cæsus sum, * semel lapidatus sum, * ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, *Act. 16. d. 22. *Act. 14. c. 18. * Act. 27. §. 41.

26 In itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus:

27 In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate:

28 Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.

29 Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? G

30 Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.

31 Deus & pater Domini nostri Jesu Christi, qui

qui est benedictus in sæcula, scit quòd non mentior.

* Act. 9. d. 24. 32 * Damasci præpositus Gentis Aretæ regis, custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet:

33 Et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus ejus.

Caput XII.

Narrat facta sibi ante annos quattuordecim, divinas visiones, & de dato sibi carnis stimulo, ostendens quod eum compulerint ut se laudaret, cùm ab illis potiùs debuisset commendari propter accepta ab ipso beneficia, pro quorum salute adhuc immolari paratus est: sed metuit ne ad eos veniens inveniat aliquos dissensionibus aliisque vitiis adhuc involutos.

A 1 SI gloriari oportet (non expedit quidem:) veniam autem ad visiones & revelationes Dñi.

* Act. 9. a. 3. 2 * Scio hominem in Christo ante annos quattuordecim, (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium cælum.

3 Et scio hujusmodi hominem, (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit)

B 4 Quoniam raptus est in Paradisum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

5 Pro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis.

6 Nam, & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.

C 7 Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet.

8 Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet à me:

9 Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

10 Propter quod placeo mihi in infirmitatibus

D meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: Cùm enim infirmor, tunc potens sum.

11 Factus sum insipiens, vos me coëgistis. Ego enim à vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum:

12 Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus.

13 Quid est enim, quod minus habuistis præ ceteris Ecclesiis, nisi quòd ego ipse non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam.

14 Ecce, tertio hoc paratus sum venire ad vos: & non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.

E 15 Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar.

16 Sed esto: ego vos non gravavi: sed cùm essem astutus, dolo vos cepi.

17 Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos?

18 Rogavi Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? nónne eodem

E spiritu ambulavimus? nónne iisdem vestigiis?

19 Olim putatis quòd excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur: omnia autem charissimi propter ædificationem vestram.

G 20 Timeo enim, ne fortè cum venero, non quales volo, inveniam vos: & ego inveniar à vobis, qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos:

21 Ne iterùm cùm venero, humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex iis qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.

Caput XIII.

Comminatur iis qui peccaverunt, quò ad pœnitentiam provocet, ne ad ipsos veniens cogatur severè eos castigare data sibi à Christo potestate, cujus virtutem meritò deberent in seipsis agnoscere, additque generalem exhortationem, & salutationes.

1 ECce tertio hoc venio ad vos: * In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. A

* Deut. 19. d. 15. Matt. 18. c. 16. Ioan. 8. b. 17. Heb. 10. c. 28.

2 Prædixi, & prædico, ut præsens, & nunc absens iis qui antè peccaverunt, & ceteris omnibus, quoniam si venero iterùm, non parcam.

3 An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?

4 Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in B illo: sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.

5 Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi fortè reprobi estis.

6 Spero autem quòd cognoscetis, quia nos non sumus reprobi.

7 Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, C non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis: nos autem ut reprobi simus.

8 Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.

9 Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc & oramus vestram consummationem.

10 Ideò hæc absens scribo, ut non præsens duriùs agam, secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.

11 De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, D exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.

12 Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti.

13 Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

EPISTOLA

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD GALATAS.

Caput Primum.

Reprehendit Galatas Apostolus quòd abduci se permiserint à veritate quam ab ipso acceperant, cùm sola hæc tenenda sit, eámque non ab homine, sed per Christi revelationem ipse didicerit, & tanta solertia postea illam docuerit, quanta ipsam anteà impugnabat: addens quomodo ipsum Deus ad evangelizandum segregaverit.

A 1 PAulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitavit eum à mortuis:

2 Et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ.

3 Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo,

4 Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundùm voluntatem Dei & Patris nostri,

5 Cui est gloria in sæcula sæculorum: Amen.

B 6 Miror quòd sic tam citò transferimini, ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium:

7 Quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi.

8 Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.

C 9 Sicut prædiximus, & nunc iterùm dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.

10 Modò enim hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

*1. Cor. 15. a. 1. 11 * Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod Evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem:

*Eph. 3. a. 3. 12 * Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.

13 Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo: quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam,

14 Et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator existens paternarũ mearum traditionũ.

15 Cùm autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam,

16 Ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuò non acquievi carni & sanguini.

D 17 Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abij in Arabiam: & iterùm reversus sum Damascum:

18 Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim:

19 Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.

20 Quæ autem scribo vobis; ecce coram Deo, quia non mentior.

21 Deinde veni in partes Syriæ, & ciliciæ.

22 Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo:

23 Tantùm autem auditum habebant: Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat:

24 Et in me clarificabant Deum.

Caput II.

Paulus Evangelij veritatem liberè semper docuit inter Gentes, approbantibus id primis Apostolis, & nihil ad id addentibus, sed Paulum in socium recipientibus: qui etiam palàm reprehendit Cepham, ostendens quòd non ex legis operibus quisquam justificetur, sed per fidem in Christum.

1 DEinde post annos quattuordecim, iterùm ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. A

2 Ascendi autem secundùm revelationem: & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse: ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.

3 Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm esset Gentilis, compulsus est circumcidi.

4 Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent.

5 Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelij permaneat apud vos:

6 Ab iis autem, qui videbantur esse aliquid, B (quales aliquando fuerint, nihil mea interest. *Deus personam hominis non accipit) mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.

*Deut. 10. d. 17. Iob. 34. b. 19. Sap. 6. b. 8. Eccli. 35. b. 15. Act. 10. c. 34. Rom. 2. b. 11. Ephes. 6. b. 9. Col. 3. d. 25. 1. Pet. 1. c. 17.

7 Sed econtrà cum vidissent quòd creditum est mihi Evangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis:

8 (Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes.)

9 Et cùm cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis: ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem:

10 Tantùm ut pauperum memores essemus: quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere.

11 Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.

12 Priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat: cùm autem venissent, C subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant.

13 Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.

14 Sed cùm vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelij, dixi Cephæ coram omnibus. Si tu, cùm Judæus sis, gentiliter vivis, & non Judaicè: quomodo Gentes cogis Judaizare?

15 Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores.

16 Scientes autem quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex

fide

Universidad de Deusto
Biblioteca

fide Christi, & non ex operibus legis: * propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. *Rom. 3. c.20.

D 17 Quòd si quærentes justificari in Christo, inventi sumus & ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est? Absit.

18 Si enim quæ destruxi, iterùm hæc ædifico: prævaricatorem me constituo.

19 Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci.

20 Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Christus. Quòd autem nunc vivo in carne: in fide vivo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

21 Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.

Caput III.

Sicut Abraha, ita & posteris, non ex legis operibus, sed ex fide in Christum datus est Spiritus sanctus: subditi autem legi, cum nemo præstet legem, maledicti sunt: sed hanc maledictionem Christus in se suscipiens, nos ab ea liberavit: promissiones verò factæ Abrahæ per fidem complentur, licet interim lex tamquam pædagogus data fuerit, quæ non poterat justificare.

A 1 O Insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus?

2 Hoc solum à vobis volo discere: Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?

3 Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?

4 Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.

5 Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei?

*Gen. 15. b.6. Rom. 4. a.3. Jac. 2. d.23. 6 Sicut scriptum est: * Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam.

7 Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ.

B 8 Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ: * Quia benedicentur in te omnes Gentes. * Gen. 12. a.3. Eccli. 44. c.20.

9 Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.

10 Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: * Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quę scripta sunt in Libro legis, ut faciat ea. *Deut. 27.d.26.

11 Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est: * quia justus ex fide vivit. *Hab. 2. a.4. Rom. 1. b.17.

12 Lex autem non est ex fide, sed, * Qui fecerit ea, vivet in illis. *Levit. 18.a.5.

13 Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: *Maledictus omnis qui pendet in ligno: *Deut. 21.d.23.

14 Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.

C 15 Fratres (secundùm hominem dico) *Tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. *Hab. 9. d.17.

16 Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus.

17 Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo: quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem.

18 Nam si ex lege hereditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus.

19 Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris.

20 Mediator autem unius non est: Deus autem unus est.

21 Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia.

22 * Sed concluśit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. D *Rom. 3.b.9.

23 Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ revelanda erat.

24 Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.

25 At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.

26 Omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.

27 * Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. *Rom. 6.a.3.

28 Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.

29 Si autem vos Christi: ergo semen Abrahæ estis, secundùm promissionem heredes.

Caput IV.

Ante Christum natum, Judæi, in modum heredis adhuc parvuli, sub lege continebantur, tamquam sub tutore: conatur autem eos à legis servitute revocare, cùm fide acceperint filiorum adoptionem, commemorans quanto fervore ipsum ac prædicationem ipsius anteà acceperant: & simul ad hoc typum adferens de duobus Abrahæ filiis, duo testamenta designantibus: per quod docet legis amulatores à Christi hereditate ejiciendos.

A 1 Dico autem: Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium:

2 Sed sub tutoribus & actoribus est, usque ad præfinitum tempus à patre:

3 Ita & nos cùm essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.

4 At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege,

5 Ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

6 Quoniam autem estis filij, misit Deus Spiritũ filij sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater.

7 Itaque jam non est servus, sed filius. Quòd si filius: & heres per Deum.

B 8 Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt dij, serviebatis.

9 Nunc autem cùm cognoveritis Deum, immò cogniti sitis à Deo: quomodo convertimini iterùm ad infirma & egena elementa, quibus denuò servire vultis?

10 Dies observatis, & mẽses, & tẽpora & annos.

11 Timeo vos, ne fortè sine causa laboraverim in vobis.

12 Estote

12 Estote sicut ego, quia & ego sicut vos: fratres obsecro vos: Nihil me læsistis.

13 Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem: & tentationem vestram in carne mea.

14 Non sprevistis, neque respuistis: sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christũ Jesum.

15 Ubi est ergo beatitudo vestra? testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.

16 Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?

17 Æmulantur vos non benè: sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini.

C 18 Bonum autem æmulamini in bono semper: & non tantùm cùm præsens sum apud vos.

19 Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis.

20 Vellem autem esse apud vos modò, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis.

21 Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis?

22 Scriptum est enim: Quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla,* & unum de libera. *Gen. 16.d.15.

23 Sed qui de ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem:

D 24 *Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans: quæ est Agar: *Gen. 21.a.2.

25 Sina enim mõs est in Arabia, qui conjũctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis.

26 Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est; quæ est mater nostra.

*Isa. 54. a.1. 27 Scriptum est enim: *Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quę non parturis: quia multi filij desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum.

*Rom. 9. b.8. 28 * Nos autem fratres, secundùm Isaac promissionis filij sumus.

29 Sed quomodo tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum: ita & nunc.

*Gen. 21.a.10. 30 Sed quid dicit Scriptura? * Ejice ancillam, & filium ejus: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ.

31 Itaque, fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberavit.

Caput V.

Qui legis operibus justificari cupit, expers est fructus Christi, in quo nec prodest circumcisio nec præputium, sed fides viva: hortatur ergo ut caveant à seductoribus, studeántque mutuæ dilectioni: caro autem semper repugnans spiritui, trahit ad carnis opera, quæ separant à regno cælorum: spiritus autem adfert fructus quibus illud consequimur, etiam si legis opera non præstemus.

A 1 State, & nolite iterùm jugo servitutis contineri.

*Act. 15. a.1. 2 *Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.

3 Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.

4 Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini: à gratia excidistis.

5 Nos enim spiritu ex fide, spem justitiæ expectamus.

6 Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur.

7 Currebatis benè: quis vos impedivit veritati non obedire?

8 Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos.

9 *Modicum fermentum totam massam corrũpit. *1. Cor. 5. b.6.

10 Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis: qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille. B

11 Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico: quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis.

12 Utinam & abscindantur qui vos conturbant.

13 Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritus servite invicem.

14 Omnis enim lex in uno sermone impletur: C
*Diliges proximum tuum sicut te ipsum. *Levit. 19.d.18. Matth. 22.d.39. Rom. 13. c.8.

15 Quòd si invicem mordetis, & comeditis: videte ne ab invicem consumamini. *1. Pet. 2.c.11.

16 Dico autem: * Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.

17 Caro enim concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis.

18 Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege.

19 Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,

20 Idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ,

21 Invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. D

22 Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas,

23 Mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex.

24 Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.

25 Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.

26 Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

Caput VI.

Cum humilitate juvandus est proximus, nec aliorum laudes curandæ: sempérque benè operandum est, ut tempore suo metamus vitam æternam: rursum monet ut caveant à seductoribus, qui cùm legem suadeant, ipsi illam non observant: Paulus autem in solo Christo crucifixo gloriatur, ad quem nec circumcisio, nec præputium quidquam faciunt.

A 1 Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.

2 Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

3 Nam si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.

4 Opus autem suum probet unusquisque, & sic B in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero.

5 * Unusquisque enim onus suum portabit. *1 Cor. 3.b.8.

6 Communicet autem, is qui catechizatur verbo

Universidad de Deusto Biblioteca

ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis.

7 Nolite errare: Deus non irridetur.

8 Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.

C 9 *Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes. *2.Theſſ. 3.c.13.

10 Ergo dum tempus habemus, operemur bonũ ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.

11 Videte qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu.

12 Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantùm ut crucis Chriſti perſecutionem non patiantur.

13 Neque enim qui circumciduntur, legem cuſtodiunt: ſed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtra glorientur.

D 14 Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.

15 In Chriſto enim Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura.

16 Et quicumque hanc regulã ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſraël Dei.

17 De cetero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.

18 Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum ſpiritu veſtro, fratres. Amen.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD EPHESIOS.

CAPUT PRIMUM.

Deum benedicit Apoſtolus, qui prædeſtinatos plurimis, iiſque maximis per Chriſtum filium affecit beneficiis: agitque Deo gratias ob fidem ac dilectionem Epheſiorum erga proximos, orans ut perfectam adipiſcantur ſapientiam: oſtendens etiam Chriſti à mortuis ſuſcitati exaltationem, qui conſtitutus eſt caput ſuper omnem Eccleſiam.

A 1 PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, omnibus ſanctis, qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Jeſu.

2 Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

3 * Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, *2.Cor. 1.a.3. 1.Petr.1. a.3.

4 Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate.

B 5 Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ,

6 In laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo.

7 In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundùm divitias gratiæ ejus,

8 Quæ ſuperabundavit in nobis, in omni ſapientia & prudentia:

9 Ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo,

10 In diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt in ipſo:

11 In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ:

12 Ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui antè ſperavimus in Chriſto:

13 In quo & vos, cùm audiſſetis verbum veritatis, (Evangelium ſalutis veſtræ) in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, C

14 Qui eſt pignus hereditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius.

15 Proptereà & ego audiens fidem veſtram, quę eſt in Domino Jeſu, & dilectionem in omnes ſanctos,

16 Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis:

17 Ut Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ, & revelationis, in agnitione ejus;

18 Illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in ſanctis,

19 Et quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus * ſecundùm operationem potentiæ virtutis ejus, D *Inf.3. b.7.

20 Quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cæleſtibus,

21 Supra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.

22 *Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus: & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, *Pſ.8. b.8.

23 Quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.

CAPUT II.

Peccatis anteà mortui, per Chriſtum vivificati ſunt, non ſuis operibus, ſed gratis per fidem: oſtendit Gentes quæ priùs alienæ erant à Dei promiſſionibus, jam per Chriſtum & fidem, quæ Dei donum eſt, factas eſſe ſanctorum concives; idémque habere fundamentum cum Patriarchis ac Prophetis.

1 ET vos, cùm eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, A *Col. 2. c.13.*

2 In quibus aliquando ambulaſtis ſecundùm ſæculum mundi hujus, ſecundùm principem poteſtatis aëris hujus, ſpiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ:

3 In quibus & nos omnes aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ, ſicut & ceteri:

4 Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos,

5 Et cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, (cujus gratia eſtis ſalvati) B

6 Et conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Jeſu:

7 Ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu.

8 Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc

hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt;

9 Non ex operibus, ut ne quis glorietur.

10 Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.

C 11 Propter quod memores eſtote, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea quæ dicitur circumciſio in carne, manu facta:

12 Quia eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à converſatione Iſraël, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo.

13 Nunc autem in Chriſto Jeſu, vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti.

14 Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens inimicitias in carne ſua:

15 Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem,

D 16 Et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.

17 Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem iis, qui propè.

18 * Quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in uno Spiritu ad Patrem. *Rom.5. a.2.

19 Ergo jam non eſtis hoſpites, & advenæ: ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei:

20 Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu:

21 In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino:

22 In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

CAPUT III.

Paulus docuit hoc myſterium, Prophetis & Apoſtolis revelatum, quòd Gentes eſſent per Chriſtum participes promiſſionum Dei; quem orat ut ſpiritu corroborentur, & in charitate radicati, ad plenum in divinis myſteriis edoceantur.

A 1 HUjus rei gratia, ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu, pro vobis Gentibus,

2 Si tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis:

3 Quoniam ſecundùm revelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, ſicut ſuprà ſcripſi in brevi:

4 Prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti:

5 Quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicuti nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus, & Prophetis in Spiritu.

6 Gentes eſſe coheredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Jeſu per Evangelium:

B 7 Cujus factus ſum miniſter, ſecundùm donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi * ſecundùm operationem virtutis ejus. *Sup.1. d.19.

8 * Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, In Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, *1.Cor. 15.b.9.

9 Et illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creavit,

10 Ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiã, multiformis ſapientia Dei,

11 Secundùm præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro:

12 In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem ejus. C

13 Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ eſt gloria veſtra.

14 Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti,

15 Ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur,

16 Ut det vobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem,

17 Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris: in charitate radicati, & fundati,

18 Ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum:

19 Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. D

20 Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus, ſecundùm virtutem, quæ operatur in nobis:

21 Ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Jeſu, in omnes generationes ſæculi ſæculorum. Amen.

CAPUT IV.

Ad unitatem ſpiritus hortatur, oſtendens Chriſtum diverſa diverſis dediſſe chariſmata, & ad ſui corporis ædificationem varios in Eccleſia inſtituiſſe ordines ad finem uſque mundi: monet igitur ut exuto veteri homine novum induant, utriuſque partes explicans: rurſúmque monet ut in hoc corpore manentes, ſeparentur ab iis qui mente excæcati ſequuntur effrenè carnis deſideria, & novos induant mores damnatis prioribus.

1 OBſecro itaque vos ego vinctus in Dño, *ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, A *1.Cor. 7.d.27. Philip.1. d.27.

2 Cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate,

3 * Soliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis. *Rom. 12.b.10.

4 Unum corpus, & unus Spiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.

5 Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.

6 * Unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. B *Mal.2. b.10.

7 * Unicuique autem noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. *Rom. 12.a.3. 1.Cor. 12.b.11. 2.Cor. 10.d.13.

8 Propter quod dicit: *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. *Pſ.67. c.19.

9 Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?

10 Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia.

11 Et ipſe dedit quoſdam quidem * Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores, *1.Cor. 12.d.28.

12 Ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti:

13 Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. C

Universidad de Deusto
Biblioteca

14 Ut jam non simus parvuli fluctuantes,& circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.

15 Veritatem autem facientes in charitate,crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.

D 16 Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

*Rom.1. c.21. 17 * Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui,

E 18 Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum,

19 Qui desperantes,semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.

20 Vos autem non ita didicistis Christum.

21 Si tamen illum audistis,& in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu.

*Col.3. b.8. 22 * Deponere vos secundùm pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris.

*Rom.6. a.4. *Col.3. b.12. 23 * Renovamini autem spiritu mentis vestræ,

24 * Et induite novum hominem,qui secundùm Deum creatus est in justitia,& sanctitate veritatis.

*1.Pet. 2.a.1. * Za h. 8.c.16. 25 * Propter quod deponentes mendacium, * loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.

F 26 * Irascimini, & nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram.

* Psal.4. a.1. *Jac.4. b.7. 27 * Nolite locum dare diabolo:

28 Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

29 Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei,ut det gratiam audientibus.

G 30 Et nolite contristare spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis.

31 Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.

* Col.3. c.13. 32 * Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis.

Caput V.

Hortatur ut Christum imitentur, longè separati ab omni vitio ac scelerato, & redimentes tempus, assumunt Spiritualia quæ tradit, exercitia: uxores vult subditas esse viris, viros autem diligere uxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam.

A 1 Estote ergo imitatores Dei sicut filij charissimi:

*Joan. 13.d.34. 15.b.12. 1. Joan. 4.d.21. * Col.3. a.5. 2 * Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos,& tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.

3 * Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos;

4 Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio.

5 Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis B fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei.

*Matth. 24.a.4. Mar. 13. a.5. 6 * Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.

7 Nolite ergo effici participes eorum.

Luc.21. b.8. 8 Eratis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Ut filij lucis ambulate:

2.Thess. 2.a.3. 9 Fructus enim lucis est in omni bonitate,& justitia, & veritate:

C 10 Probantes quid sit beneplacitum Deo:

11 Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.

12 Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis,turpe est & dicere.

13 Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine manifestantur: omne enim, quod manifestatur, lumen est.

D 14 Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis,& illuminabit te Christus.

15 Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis: * non quasi insipientes,

*Col.4. a.5. 16 Sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

* Rom. 12. a.2. 1.Thess. 4.a.3. 17 * Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.

18 Et nolite inebriari vino in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto,

19 Loquentes vobismetipsis in psalmis,& hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino,

20 Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri.

21 Subjecti invicem in timore Christi.

*Gen.3. c.16. Col. 3. c.18. 1.Pet.3. a.1. 22 * Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino:

23 * Quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ipse, salvator corporis ejus.

E 24 Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo,ita & mulieres viris suis in omnibus.

*1.Cor. 11.a.3. 25 * Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea,

*1.Col. 3.c.19. 26 Ut illam sanctificaret,mundans lavacro aquæ in verbo vitæ,

27 Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, F non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi,sed ut sit sancta & immaculata.

28 Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit,seipsum diligit.

29 Nemo enim umquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam:

30 Quia membra sumus corporis ejus,de carne ejus & de ossibus ejus.

G 31 * Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & * erunt duo in carne una.

*Gen.2. d.24. Matth. 19.a.5. Mar.10. a.7. *1. Cor. 6.d.16. 32 Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

33 Verumtamen & vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.

Caput

Caput VI.

Filij parentibus,servique dominis obediant:rursùmque parentes erga filios,& domini erga servos sui memores sint officij:monet Dei armaturam, cujus partes explicat, induendam, adresistendum spiritualibus inimicis, petens etiam ut pro se orent.

A 1 Filij, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est.

*Exod. 20.c.12. Deut.5. b.16. Eccli.3. b.9. Matth. 15.a.4. Mar.7. b.10. Col.3. d.20. *Col.3. d.22. Tit.2. c.9. 1.Pet.2. c.18. 2 * Honora patrem tuum, & matrem tuam. quod est mandatum primum in promissione:

3 Ut benè sit tibi,& sis longævus super terram.

4 Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina & correptione Domini.

5 * Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo:

6 Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo,

7 Cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus:

B 8 Scientes quoniam unusquisque,quodcumque fecerit bonum,hoc recipiet à Domino,sive servus, sive liber.

9 Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cælis: * & personarum acceptio non est apud eum.

*Deut. 18.d.17. 2.Par. 19.b.7. Jov. 34. b.19. Sap.6. b.8. Eccli.35. b.15. Act.10. c.34. Rom.2. b.11. Col.3. d.25. 1.Pet.1. c.17. 10 De cetero fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus.

11 Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.

12 Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem; sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ,in cælestibus.

C 13 Propterea accipite armaturam Dei,ut possitis resistere in die malo,& in omnibus perfecti stare.

14 State ergo succincti lumbos vestros in veritate,& induti loricam justitiæ,

15 Et calceati pedes in præparatione Evangelij pacis:

16 In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere:

*Isa. 59. d.17. 1.Thess. 5.b.8. 17 * Et galeam salutis assumite; & gladium spiritus, (quod est verbum Dei)

D 18 Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso * vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis;

*Col.4. a.2. *Col.4. a.3. 2.Thess. 3.a.1. 19 * Et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelij:

20 Pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui.

21 Ut autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater,& fidelis minister in Domino:

22 Quem misi ad vos in hoc ipsum,ut cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra.

23 Pax fratribus, & charitas cum fide, à Deo Patre, & Domino Jesu Christo.

24 Gratia cum omnibus,qui diligunt Dominum nostrũ Jesum Christum in incorruptione. Amen.

Epistola Beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

Caput Primum.

Ex magno affectu quem habet erga Philippenses, manifestat eis quod pressuræ sue in majorem Evangelij fructum cesserint: quam utilitatem si non spectaret, omnino dissolvi cuperet, & esse cum Christo: eósque adhortatur ut dignè ad Christi Evangelium conversentur, dicens quòd pro ipso jam afflictiones sustinuerint.

A 1 Paulus & Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis, & diaconibus.

2 Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

3 Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri,

4 Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis,cum gaudio deprecationem faciens,

5 Super communicatione vestra in Evangelio Christi à prima die usque nunc.

6 Confidens hoc ipsum,quia qui cœpit in vobis opus bonum,perficiet usque in diem Christi Jesu.

B 7 Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis: eò quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Evangelij, socios gaudij mei omnes vos esse.

8 Testis enim mihi est Deus,quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.

9 Et hoc oro ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu:

10 Ut probetis potiora, ut sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi,

11 Repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam & laudem Dei.

12 Scire autem vos volo fratres,quia quæ circa me sunt,magis ad profectum venerunt Evangelij:

13 Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in ceteris omnibus;

14 Et plures à fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantiùs auderent sine timore verbum Dei loqui.

C 15 Quidam quidem & propter invidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant.

16 Quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelij positus sum.

17 Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.

18 Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur; & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.

19 Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem,& subministrationem Spiritus Jesu Christi,

20 Secundùm expectationem & spem meam, quia in nullo confundar: sed in omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam,sive per mortem.

21 Mihi enim vivere Christus est,& mori lucrum.

22 Quòd si vivere in carne, hic mihi fructus D operis est, & quid eligam ignoro.

23 Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multò magis meliùs:
24 Permanere autem in carne, necessarium propter vos.
25 Et hoc confidens scio quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum, & gaudium fidei:
26 Ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterùm ad vos.
27 * Tantùm dignè Evangelio Christi conversamini: ut sive cùm venero, & videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelij:
28 Et in nullo terreamini ab adversariis: quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo:
29 Quia vobis donatũ est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini:
30 Idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me.

*Eph. 4. a. 1. Col. 1. b. 10. 1. Thess. 2. c. 12.

Caput II.

Ad mutuam dilectionem & concordiam, animique modestiam miro affectu eos hortatur, exemplo Christi, in cujus nomine omne genu nunc flectitur, itaque suam in timore operentur salutem: congratulatur tum illis quòd inter malos sanctè vivant, tum sibi quod tales habeat discipulos: Timotheum laudat à sincera Evangelij prædicatione & obedientia; similiter & Epaphroditum, quem ad eos mittit, post quam ab ægritudine convaluit.

A 1 SI qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis:
2 Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes,
3 Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes,
4 Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.
5 Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu:
6 Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo:
7 Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.
8 * Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.
B 9 Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen:
10 * Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum;
11 Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.
12 Itaque charissimi mei, (sicut semper obedistis) non ut in præsentia mei tantùm, sed multò magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini.
13 Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.
14 * Omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus:
15 Ut sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ & perversæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo,
16 Verbum vitæ continentes ad gloriam meam C in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.
17 Sed & si immolor supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis.
18 Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.
19 Spero autem in Domino Jesu, * Timotheum me citò mittere ad vos: ut & ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt.
20 Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis solicitus sit.
21 * Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.
22 Experimentum autem ejus cognoscite, quia sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio.
23 Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me sunt.
24 Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos citò.
25 Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem: & cooperatorem, & commilitonem D meum, vestrum autem apostolum, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos:
26 Quoniam quidem omnes vos desiderabat: & mœstus erat, propterea quòd audieratis illum infirmatum.
27 Nam & infirmatus est usque ad mortem; sed Deus misertus est ejus; non solùm autem ejus, verùm etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.
28 Festinantiùs ergo misi illum, ut viso eo iterùm gaudeatis, & ego sine tristitia sim.
29 Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & ejusmodi cum honore habetote.
30 Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

* Act. 16. a. 1.

* 1. Cor. 13. b. 5.

* Act. 23. b. 6.

Caput III.

Nemo in legalibus gloriari potest, alioqui Paulo id maximè conveniret: qui tamen omnia hæc detrimentum arbitratus est, quò Dei justitiam ex fide in Christum adipisceretur, semper proficiens ut tandem perfectionem consequeretur: quapropter Philippenses hortatur ut ipsum, & non dyscolos, crucis Christi, inimicos, imitentur.

1 DE cetero fratres mei gaudete in Domino. A Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.
2 Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.
3 Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Jesu, & non in carne fiduciam habentes:
4 Quamquam ego habeam confidentiam & in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis.
5 Circumcisus octavo die, ex genere Israël, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, * secundùm legem Pharisæus,
6 Secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundùm justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela.
7 Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus B sum propter Christum detrimenta.

8 Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Dñi mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam,
9 Et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justitia in fide,
C 10 Ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis ejus, & societatem passionum illius: configuratus morti ejus:
11 Si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.
12 Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Jesu.
13 Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum;
14 Ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.
15 Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus
D revelabit.
16 Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus; & in eadem permaneamus regula.
17 Imitatores mei estote fratres, & observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.
* Rom. 16. c. 17. 18 * Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens) dico inimicos crucis Christi:
19 Quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.
20 Nostra autem conversatio in cælis est: unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum,
21 Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia.

Caput IV.

Ad perseverantiam & spirituale gaudium, modestiam, preces & gratiarum actiones eos componi, pacem Dei ipsis exoptans, itaque mordicus teneant quæcumque Dei sunt, laudans ipsos, quòd per Epaphroditum necessaria ad ipsum miserint.

A 1 ITaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum & corona mea: sic state in Domino, charissimi.
2 Evodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino.
3 Etiam rogo & te germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & ceteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.
4 Gaudete in Domino semper: iterùm dico gaudete.
5 Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus propè est.
B 6 Nihil soliciti sitis: sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.
7 Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu.
8 De cetero fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.
9 Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit C vobiscum.
10 Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire: sicut & sentiebatis: occupati autem eratis.
11 Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse.
12 Scio & humiliari, scio & abundare; (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati.
13 Omnia possum in eo, qui me confortat.
14 Verumtamen benè feci stis, communicantes tribulationi meæ.
15 Scitis autem & vos Philippenses, quòd in D principio Evangelij, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati & accepti, nisi vos soli:
16 Quia & Thessalonicam semel & bis in usum mihi misistis.
17 Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.
18 Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, * hostiam acceptam, placentem * Rom. 12. a. 1. Deo.
19 Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum, secundùm divitias suas, in gloria in Christo Jesu.
20 Deo autem & Patri nostro gloria in sæcula sæculorum: Amen.
21 Salutate omnem sanctum in Christo Jesu.
22 Salutant vos, qui mecum sunt fratres. Salutant vos omnes sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt.
23 Gratia Domini nostri Jesu Christi, cum spiritu vestro. Amen.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD COLOSSENSES.

Caput Primum.

Audita fide, charitate ac spe Colossensium, orat pro ipsis Apostolus, quò in scientia Dei bonisque operibus perficiantur: Christum Dei imaginem dicit, per quem omnia creata sunt, & qui caput est Ecclesiæ, quo omnia pacificata sunt: hortatur ergo ut immobiles in fide permaneant: seque dicit effectum Christi ministrum, ad prædicandum mysterium à sæculis absconditum, & nunc manifestatum.

1 PAULUS Apostolus Jesu Christi per A voluntatem Dei, & Timotheus frater:
2 Eis, qui sunt Colossis, sanctis, & fidelibus fratribus in Christo Jesu.
3 Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Dño Jesu Christo. Gratias agimus Deo, & Patri Dñi nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes:
4 Audientes fidem vestram in Christo Jesu, & dilectionem quam habetis in sanctos omnes,
5 Propter spem, quæ reposita est vobis in cælis:

quàm audistis in verbo veritatis Evangelij:
6 Quod pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat, & crescit, sicut in vobis, ex ea die, qua audistis, & cognovistis gratiam Dei in veritate,
7 Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu,
B 8 Qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu.
9 Ideò & nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia & intellectu spirituali:
10 Ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei:
11 In omni virtute confortati secundùm potentiam claritatis ejus, in omni patientia & longanimitate cum gaudio,
12 Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine:
13 Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ;
14 In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum:
15 Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ:
* Joan. 1. a. 3. C 16 * Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis, & in terra, visibilia, & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt:
17 Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.
* 1. Cor. 15. c. 20. Apoc. 1. b. 5. 18 Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, * qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens.
19 Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare:
20 Et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.
21 Et vos cùm essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis:
22 Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso:
D 23 Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Evangelij, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cælo est, cujus factus sum ego Paulus minister.
24 Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia:
25 Cujus factus sum ego minister secundùm dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei:
26 Mysterium, quod abscónditum fuit à sæculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus,
27 Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ,
28 Quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.
29 In quo & laboro, certando secundùm operationem ejus, quam operatur in me in virtute.

CAPUT II.

Hortatur ut caveant ne ullis aut persuasionibus aut impostúris philosophorum, seu legem inducere volentium, seducantur à Christi fide: per quem à peccatis, à potestate diaboli, & ab adverso ipsis chirographo liberati sunt, ut nunc legalia decreta nullo in pretio sint habenda.

1 VOlo enim vos scire qualem solicitudinem A habeam pro vobis, & pro iis qui sunt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne:
2 Ut consolentur corda ipsorum, instructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterij Dei Patris & Christi Jesu:
3 In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscónditi.
4 Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.
5 * Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu *1. Cor. 5. a. 3. vobiscum sum: gaudens, & videns ordinem vestrum, & firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ.
6 Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate,
7 Radicati, & superædificati in ipso, & confir- B mati fide, sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione.
8 Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum:
9 Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:
10 Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis:
11 In quo & circumcisi estis circumcisione non C manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi:
12 Consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis.
13 * Et vos, cùm mórtui essetis in delictis, & * Eph. 2. a. 1. præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta:
14 Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci:
15 Et expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.
16 Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum:
17 Quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi:
18 * Nemo vos seducat, volens in humilitate, * Mat. & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, 24. a. 4. frustrà inflatus sensu carnis suæ, D
19 Et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus & conjunctiones subminístratum & constructum, crescit in augmentum Dei.

20 Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi: quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?
21 Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis:
22 Quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundùm præcepta & doctrinas hominum:
23 Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

CAPUT III.

In moribus eos informat, ut exuto veteri homine cum actibus suis, quos hic explicat, novum induant; in quo non est distinctio nationis aut conditionis; assumántque virtutes, ac variis modis Deum laudent, cuncta ad ipsum referentes: docet deinde quomodo se habere debeant uxores & mariti, filij & patres, servi ac domini.

A 1 IGitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens:
2 Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.
3 Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.
4 Cùm Christus apparuerit, vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.
* Eph. 5. a. 3. 5 Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram; * fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simulacrorum servitus:
6 Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis:
7 In quibus & vos ambulastis aliquando, cùm B viveretis in illis.
* Rom. 6. a. 4. Eph. 4. c. 22. Heb. 12. a. 1. 1. Pet. 2. a. 14. c. 2. * Gen. 1. c. 26. 8 * Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.
9 Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis,
10 Et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundùm * imaginem ejus qui creavit illum.
11 Ubi non est Gentilis, & Judæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, servus, & liber: sed omnia, & in omnibus Christus.
12 Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam:
C 13 Supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.
14 Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis:
15 Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore: & grati estote.
16 Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos, *psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cãtantes in cordibus vestris Deo.
* in * 1. Cor. 10. a. 31. * Eph. 5. d. 22. 1 Pet. 3. a. 1. 17 * Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.
18 * Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino.
19 Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.
* Eph. 6. a. 1. 20 * Filij obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino.
* Eph. 6 a. 4. 21 * Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.
* Tit. 2. c. 9. 1. Pet. 2. c. 18. 22 *Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum.
D 23 Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus:
24 Scientes quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo servite.
* Rom. 2. a. 6. 25 * Qui enim injuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit, & non est personarum acceptio apud Deum.

CAPUT IV.

Pro se cupit ipsos precari, & cautè ac discretè cum infidelibus conversari: mittítque qui manifestent eis quæ apud ipsum aguntur, & variorum salutationes adscribit, cupiens ut & hæc & similiter Laodicensium epistola apud utramque legatur Ecclesiam.

1 DOmini, quod justum est & æquum, servis A præstate: scientes quòd & vos Dominum habetis in cælo.
* Luc. 18. a. 1. 1. Thes. 5. c. 17. 2 * Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione:
* Eph. 6. d. 19. 2. Thes. 3. a. 1. Col. 4. a. 3. 3 * Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum)
4 Ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.
* Eph. 5. d. 15. 5 * In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt; tempus redimentes.
B 6 Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, & ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.
7 Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tichicus, charissimus frater, & fidelis minister, & conservus in Domino:
8 Quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra,
9 Cum Onesimo charissimo, & fideli fratre qui ex vobis est. Omnia, quæ hîc aguntur, nota facient vobis.
C 10 Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite illum.
11 Et Jesus qui dicitur Justus: qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.
12 Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper solícitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.
D 13 Testimonium enim illi perhibeo, quòd habet multum laborem pro vobis, & pro iis qui sunt Laodiciæ, & qui Hierapoli.
* 2. Tim. 4. c. 11. 14 Salutat vos * Lucas medicus charissimus, & Demas.
15 Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo ejus est, Ecclesiam.
16 Et cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur: & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.
17 Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod

quod accepisti in Domino, ut illud impleas.
18 Salutatio, mea manu Pauli. Memores este-
te vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES.

PRIMA

CAPUT PRIMUM.

Thessalonicenses commendat, actis Deo gratiis, quòd susceptam semel fidem servaverint, Pauli, imo ipsius Domini imitatores effecti, ac forma reliquis credentibus, palàm ostendentes, quem apud ipsos fructum Pauli prædicatio habuerit.

A 1 PAULUS, & Silvanus, & Timotheus,
Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo
* nostro Patre *, & Domino Jesu Christo.
B 2 Gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo
semper pro omnibus vobis, memoriam vestri fa-
cientes in orationibus nostris sine intermissione,
3 Memores operis fidei vestræ, & laboris, &
charitatis, & sustinentiæ spei Domini nostri Jesu
Christi, ante Deum & patrem nostrum:
4 Scientes fratres, dilecti à Deo, electionem
vestram:
5 Quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in
C sermone tantùm, sed & in virtute, & in Spiritu
sancto, & in plenitudine multa, sicut scitis quales
fuerimus in vobis propter vos.
6 Et vos imitatores nostri facti estis, & Domi-
ni, excipientes verbum in tribulatione multa, cum
gaudio Spiritus sancti:
7 Ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in
Macedonia, & in Achaïa.
8 A vobis enim diffamatus est sermo Domini,
D non solùm in Macedonia, & in Achaïa, sed & in
omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta
est, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui.
9 Ipsi enim de nobis annuntiant qualem introi-
tum habuerimus ad vos: & quomodo conversi estis
ad Deum à simulacris, servire Deo vivo, & vero,
10 Et expectare Filium ejus de cælis (quem sus-
citavit ex mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab ira
ventura.

CAPUT II.

Ostendit quàm sincerum se exhibuerit in prædicando ipsis Evangelio, gratias Deo agens quòd susceptum Dei verbum sedulò servaverint, passi multa à contribulibus, sicut Ecclesiæ Judææ à Judæis, qui una cum Christo etiam pios omnes persequuntur: declarat etiam quàm ardentem gerat erga ipsos affectum.

A 1 NAm ipsi scitis, fratres, introitum nostrum
ad vos, quia non inanis fuit:
2 Sed ante passi, & * contumeliis affecti (sicut
* Act. 16. d. 19. scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo
nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa
solicitudine.
3 Exhortatio enim nostra non de errore, neque
de immunditia, neque in dolo,
4 Sed sicut probati sumus à Deo ut crederetur
nobis Evangelium: ita loquimur, non quasi homi-
nibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.
5 Neque enim aliquando fuimus in sermone
adulationis, sicut scitis: neque in occasione avari-
tiæ: Deus testis est:
6 Nec quærentes ab hominibus gloriam, ne-
que à vobis, neque ab aliis.
7 Cùm possemus vobis oneri esse ut Christi B
Apostoli: sed facti sumus parvuli in medio ve-
strûm, tamquam si nutrix foveat filios suos.
8 Ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere
vobis non solùm Evangelium Dei, sed etiam ani-
mas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis.
9 Memores enim estis fratres laboris nostri, & * Act.
fatigationis: * nocte ac die operantes, ne quem 20. f. 34.
vestrûm gravaremus, prædicavimus in vobis 1. Cor. 4.
Evangelium Dei. c. 12.
10 Vos testes estis, & Deus, quàm sanctè, & ju- * 2. Thes.
stè, & sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus: 3. b. 8.
C
11 Sicut scitis, qualiter unumquemque vestrûm
(sicut pater filios suos)
12 Deprecantes vos & consolantes, testificati
sumus, ut ambularetis dignè Deo, qui vocavit vos
in suum regnum & gloriam.
13 Ideò & nos gratias agimus Deo sine inter-
missione: quoniam cùm accepissetis à nobis ver-
bum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum
hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui
operatur in vobis, qui credidistis.
14 Vos enim imitatores facti estis fratres Eccle-
siarum Dei, quæ sunt in Judæa in Christo Jesu;
quia eadem passi estis & vos à contribulibus ve-
stris, sicut & ipsi à Judæis:
15 Qui & Dominum occiderunt Jesum, & D
Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non pla-
cent, & omnibus hominibus adversantur;
16 Prohibentes nos Gentibus loqui ut salvæ
fiant, ut impleant peccata sua semper: pervenit
enim ira Dei super illos usque in finem.
17 Nos autem fratres desolati à vobis ad tem-
pus horæ, aspectu, non corde, abundantiùs festi-
navimus faciem vestram videre cum multo desi-
derio:
18 Quoniam voluimus venire ad vos: ego
quidem Paulus, & semel, & iterùm, sed impedi-
vit nos satanas.
19 Quæ est enim nostra spes aut gaudium, aut
corona gloriæ? Nónne vos ante Dominum no-
strum Jesum Christum estis in adventu ejus?
20 Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

CAPUT III.

Metuens ne propter suas afflictiones à fide moverentur, misit ad eos Timotheum, qui ipsos roboraret: illo autem reverso gratias Deo agit, quòd in fide ac dilectione firmi permanserint: ostendens quantum cupiat illos invisere, ut suppleat quod deest fidei ipsorum.

1 PRopter quod non sustinentes ampliùs, pla- A
cuit nobis remanere Athenis, solis:
2 * Et misimus Timotheum fratrem nostrum, * Act.
& ministrum Dei in Evangelio Christi, ad con- 16. a. 14.
firmados vos, & exhortandos pro fide vestra:
3 Ut nemo moveatur in tribulationibus istis:
ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus.
4 Nam & cùm apud vos essemus, prædice- B
bamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & fa-
ctum est, & scitis.
5 Propterea & ego ampliùs non sustinens, mi-
si ad cognoscendam fidem vestram: ne fortè ten-
taverit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster.

6 Nunc

6 Nunc autem veniente Timotheo ad nos à
vobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem
vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam
semper, desiderantes nos videre, sicut & nos quo-
que vos:
C 7 Ideò consolati sumus fratres in vobis, in omni
necessitate & tribulatione nostra, per fidem vestrã,
8 Quoniam nunc vivimus, si vos statis in Do-
mino.
9 Quam enim gratiarum actionem possumus
Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo
gaudemus propter vos ante Deum nostrum,
10 Nocte ac die abundantiùs orantes, ut videa-
mus faciem vestram, & compleamus ea quæ de-
sunt fidei vestræ?
D 11 Ipse autem Deus & Pater noster, & Do-
minus noster Jesus Christus, dirigat viam nostram
ad vos.
12 Vos autem Dominus multiplicet, & abun-
dare faciat charitatem vestram in invicem, & in
omnes, quemadmodum & nos in vobis:
13 Ad confirmanda corda vestra sine querela in
sanctitate, ante Deum & Patrem nostrum, in ad-
ventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus
sanctis ejus. Amen.

CAPUT IV.

Hortatur ut tradita sibi præcepta observent, abstinentes à fornicatione, ac se mutuò diligentes, manibúsque operantes, quò nullius quidquam desiderare cogantur: docet modum nostræ resurrectionis, ne inordinata tristitia se crucient propter eos qui moriuntur.

A 1 DE cetero ergo, fratres, rogamus vos & obse-
cramus in Domino Jesu, ut quemadmodum
accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambu-
lare, & placere Deo, sic & ambuletis, ut abunde-
tis magis.
2 Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per
Dominum Jesum.
* Rom. 12. a. 2. Eph. 5. d. 17. 3 * Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio
vestra: ut abstineatis vos à fornicatione,
4 Ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possi-
dere in sanctificatione & honore;
5 Non in passione desiderij, sicut & Gentes quæ
ignorant Deum:
B 6 Et ne quis supergrediatur, neque circumve-
niat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est
Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vo-
bis, & testificati sumus.
7 Non enim vocavit nos Deus in immunditiam,
sed in sanctificationem.
8 Itaque qui hæc spernit, non hominem sper-
nit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum
sanctum in nobis.
9 De charitate autem fraternitatis non necesse
habemus scribere vobis: * ipsi enim vos à Deo
* Joan. 13. d. 34. a 5. b. 12. c. 17. 1. Joan. 2. b. 10. 4. c. 12. didicistis ut diligatis invicem.
C 10 Etenim illud facitis in omnes fratres in uni-
versa Macedonia. Rogamus autem vos fratres ut
abundetis magis,
11 Et operam detis ut quieti sitis, & ut vestrum
negotium agatis, & operemini manibus vestris;
sicut præcepimus vobis: & ut honestè ambuletis
ad eos qui foris sunt: & nullius aliquid desideretis.
12 Nolumus autem vos ignorare fratres de dor-
mientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri
qui spem non habent.
13 Si enim credimus quòd Jesus mortuus est,
& resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per
Jesum, adducet cum eo.
14 Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini,
* quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in ad- * 1. Cor. 15. c. 23.
ventum Domini, non præveniemus eos, qui dor-
mierunt.
15 Quoniam ipse Dominus in jussu, & in vo- D
ce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo:
& mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.
16 Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur,
simul rapiemur cum illis in nubibus obviàm Chri-
sto in aëra, & sic semper cum Domino erimus.
17 Itaque consolamini invicem in verbis istis.

CAPUT V.

Diem judicij dicit insperatum adfuturum, qui tamen ipsos non potest incautos opprimere, cùm semper ad illum se præparent, ad quod illos etiam hortatur: monet quoque de obedientia erga suos præfectos, & quomodo erga invicem & erga Deum se habere debeant: orat pro ipsis, utque pro se orent precatur.

1 DE temporibus autem, & momentis, fratres
non indigetis ut scribamus vobis. A
2 * Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Do-
mini, sicut fur in nocte, ita veniet. * 2. Pet. 3. c. 10. Apoc. 3. a. 3. 16. c. 15.
3 Cùm enim dixerint pax, & securitas; tunc
repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor
in utero habenti, & non effugient.
4 Vos autem fratres non estis in tenebris, ut
vos dies illa tamquam fur comprehendat:
5 Omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei:
non sumus noctis, neque tenebrarum.
6 Igitur non dormiamus sicut & ceteri, sed vi-
gilemus, & sobrij simus.
7 Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui
ebrij sunt, nocte ebrij sunt.
8 Nos autem, qui diei sumus, sobrij simus, *
induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem * Is. 59. c. 17. Eph. 6. c. 13. 17.
salutis: B
9 Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in
acquisitionem salutis per Dominum nostrum Je-
sum Christum,
10 Qui mortuus est pro nobis: ut sive vigile-
mus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus.
11 Propter quod consolamini invicem, & ædi-
ficate alterutrum, sicut & facitis.
12 Rogamus autem vos fratres, ut noveritis
eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in C
Domino, & monent vos,
13 Ut habeatis illos abundantiùs in charitate
propter opus illorum: pacem habete cum eis.
14 Rogamus autem vos fratres, corripite inquie-
tos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos,
patientes estote ad omnes.
15 * Videte ne quis malum pro malo alicui
reddat: sed semper quod bonum est sectamini in * Prov. 17. c. 13. 20. d. 22. Rom. 12. d. 17. 1. Pet. 3. b. 9. * Eccli. 18. c. 22. Luc. 18. d. 1. Col. 4. a. 2.
invicem, & in omnes.
16 Semper gaudete.
17 * Sine intermissione orate.
18 In omnibus gratias agite: hæc est enim vo-
luntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis.
19 Spiritum nolite extinguere.
20 Prophetias nolite spernere.
21 Omnia autem probate: quod bonũ est tenete.

22 Ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

22 Ab omni specie mala abstinete vos.
D 23 Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia; ut integer spiritus vester,& anima,& corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.
* 1. Cor. 1. b. 9. 24 * Fidelis est,qui vocavit vos:qui etiam faciet.
25 Fratres orate pro nobis.
26 Salutate fratres omnes in osculo sancto.
27 Adjuro vos per Dominum,ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.
28 Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES SECUNDA.

Caput Primum.

Gratias Deo agit pro fide ac tolerantia Thessalonicensium in persecutionibus,propter quas dicit illos gloriam, adversarios verò ultionem in die judicij recepturos,orans ut digni habeantur vocatione Dei.

A 1 PAulus, & Silvanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.
2 Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro,& Domino Jesu Christo.
3 Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est,quoniam supercrescit fides vestra,& abundat charitas uniuscujusque vestrûm in invicem:
B 4 Ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra, & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis.
5 In exemplum justi judicij Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.
6 Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos tribulant.
C 7 Et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cælo cum angelis virtutis ejus,
8 In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.
9 Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie
D Domini, & à gloria virtutis ejus:
10 Cùm venerit glorificari in sanctis suis,& admirabilis fieri in omnibus qui crediderûnt:quia creditû est testimonium nostrum super vos in die illo.
11 In quo etiam oramus semper pro vobis: ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis *,& opus fidei
* sua in virtute,
12 Ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, & vos in illo,secundùm gratiam Dei nostri, & Domini Jesu Christi.

Caput II.

De die Domini monet ne credant seductoribus,ostendens venturum prius filium perditionis, qui varia edet prodigia fallacia, quibus reprobi seducentur:de electione & fide Thessalonicensium gratias agit,monens ut fervent acceptas ab ipso traditiones,& pro eorum consolatione ac confirmatione orat.

A 1 ROgamus autem vos fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum:
2 Ut non citò moveamini à vestro sensu,neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini.
3 * Nequis vos seducat ullo modo: quoniam * Eph. 5. b. 4.
nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,
4 Qui adversatur,& extollitur supra omne quod B
dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.
5 Non retinetis quòd cùm adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?
6 Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore.
7 Nam mysterium jam operatur iniquitatis:tantùm ut qui tenet nunc,teneat donec de medio fiat.
8 Et tunc revelabitur ille iniquus, * quem Do- * Is. 11.
minus Jesus interficiet Spiritu oris sui, & destruet a. 4.
C illustratione adventus sui eum:
9 Cujus est adventus secundùm operationem satanæ, in omni virtute,& signis,& prodigiis mendacibus.
10 Et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt: eò quòd charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. Ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio,
11 Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.
12 Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritus, & in fide veritatis:
13 In qua & vocavit vos per Evangelium nostrũ, D
in acquisitionem gloriæ Dñi nostri Jesu Christi.
14 Itaque fratres state: & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.
15 Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam,& spem bonam in gratia,
16 Exhortetur corda vestra,& confirmet in omni opere & sermone bono.

Caput III.

Cupit ut pro se precentur,confidens quòd servaturi sint ipsius præcepta: monétque ut subtrahant se à Christianis nolentibus servare quæ ipse instituerat, nec manibus laborare, quod tamen ipsemet Paulus apud eos fecerat: cavet tamen ne tales ut inimicos existiment, sed ut fratres corripiant.

1 DE cetero fratres orate pro nobis, ut sermo A
Dei currat,& clarificetur,sicut & apud vos: * Eph. 6. d. 19. Col. 4. a. 3.
2 Et ut liberemur ab importunis,& malis hominibus: non enim omnium est fides.
3 Fidelis autem Deus est,qui confirmabit vos, & custodiet à malo.
4 Confidimus autem de vobis, in Domino,quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis.
5 Dominus autem dirigat corda vestra in cha- B
ritate Dei, & patientia Christi.
6 Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem,quam acceperunt à nobis.
7 Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari

tari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos:
* Act. 20. f. 34. 1. Cor. 4. c. 12. 1. Thes. 2. b. 9. 8 * Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrûm gravaremus:
9 Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.
C 10 Nam & cùm essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet.
11 Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes,sed curiosè agentes.
12 Iis autem qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo,ut cum silentio operantes, suum panem manducent.
* Gal. 6. b. 9. 13 * Vos autem fratres nolite deficere benefacientes.
D 14 Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam,hunc notate,& ne commisceamini cum illo, ut confundatur.
15 Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.
16 Ipse autem Dominus pacis, det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis.
17 Salutatio,mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola. ita scribo.
18 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM PRIMA.

Caput Primum.

Præceptum revocat quod Timotheo tradiderat,de retrahendis quibusdam à perversa doctrina & tradenda sana:lex ob injustos posita est: Deo gratias agit, quòd eum ab Ecclesiæ persecutione ad Apostolatum vocaverit:qui misericordiam consecutus est, ut ostendatur Dei longanimitas ad peccatorum informationem: Timotheum monet ut strenuum agat militem.

A 1 PAulus Apostolus Jesu Christi secundùm imperium Dei Salvatoris nostri, & Christi Jesu spei nostræ:
* Act. 16. a. 1. 2 * Timotheo dilecto filio in fide. Gratia,misericordia, & pax à Deo Patre, & Christo Jesu Domino nostro.
3 Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi cùm irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent,
* Inf. 4. b. 7. 2 Tim. 2. d. 23. Tit. 3. c. 9 4 Neque * intenderent fabulis, & genealogiis interminatis: quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei,quæ est in fide.
B 5 Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.
6 A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium,
7 Volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.
* Rom. 7. c. 12. 8 * Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitimè utatur:
9 Sciens hoc quia lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis,
10 Fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris,& si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur,
11 Quæ est secundùm Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.
12 Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo C
Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit,ponens in ministerio:
13 Qui priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.
14 Superabundavit autem gratia Domini nostri, cum fide, & dilectione, quæ est in Christo Jesu,
15 Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: * * Mat. 9. b. 13. Mar. 2. c. 17.
quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.
16 Sed ideò misericordiam consecutus sum:ut D
in me primò ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui crediturí sunt illi, in vitam æternam.
17 Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.
18 Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee,secundùm præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.
19 Habens fidem, & bonam conscientiam,quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt:
20 Ex quibus est Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.

Caput II.

Vult pro regibus & magistratibus fieri orationes ac gratiarum actiones; unumque dicit esse Deum & unum mediatorem: quomodo orare debeant vir ac mulier, & quomodo hic ornari debeat, cujus non est docere, sed in silentio discere.

1 OBsecro igitur primùm omnium fieri obse- A
crationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus:
2 Pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate.
3 Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo,
4 Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad B
agnitionem veritatis venire.
5 Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus:
6 Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis:
7 In quo positus sum ego prædicator & Apostolus (veritatem dico,non mentior) doctor Gentium in fide, & veritate.
8 Volo ergo viros orare in omni loco, levantes C
puras manus sine ira & disceptatione.
9 * Similiter & mulieres in habitu ornato, cum * 1. Pet. 3 a. 3.
verecũdia & sobrietate ornantes se,& non in tortis crinibus,aut auro,aut margaritis,vel veste pretiosa:
10 Sed quod decet mulieres,promittentes pietatem per opera bona.
11 Mulier in silẽtio discat cum omni subjectione.
12 * Docere autem mulieri non permitto,neque * 1. Cor. 14. f. 34.
dominari

Universidad de Deusto
Biblioteca

dominari in virum ; sed esse in silentio.
* Gen. 1. d. 27. 13 * Adam enim primus formatus est, deinde Heva :
* Gen. 3. a. 6. 14 * Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.
15 Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.

Caput III.

Docet Timotheum quales esse debeant episcopi, diaconi, ac mulieres : ut sciat quomodo conversari debeat in Ecclesia quæ est columna veritatis : simúlque commendat Dominicæ incarnationis sacramentum.

A 1 Fidelis sermo : Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.
* Tit. 1. b. 7. 2 * Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem,
3 Non vinolentum, non percussorem, sed modestum ; non litigiosum, non cupidum, sed
4 Suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate.
B 5 Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit ?
6 Non neophytum : ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.
7 Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.
C 8 Diaconos similiter pudicos, non bilingues. multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes.
9 Habentes mysterium fidei in conscientia pura.
10 Et hi autem probentur primùm : & sic ministrent, nullum crimen habentes.
11 Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.
12 Diaconi sint unius uxoris viri : qui filiis suis benè præsint, & suis domibus.
13 Qui enim benè ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu.
14 Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire citò.
15 Si autem tardavero, ut scias quo modo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.
16 Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

Caput IV.

Prædicit quosdam falsam tradituros doctrinam, potissimùm de nuptiis ac cibis : discipulum autem monet ut spreta vana doctrina, exerceat se ad pietatem, quæ corporali exercitationi præfertur : & quamquam sit adolescens, præbeat se reliquis exemplum.

A 1 Spiritus autem manifestè dicit, quia * in novissimis temporibus discedent quidam à fide,
* 2. Tim. 3. a. 1. 2. Pet. 3. a. 3. Jud. d. 18. attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum,
2 In hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam,
B 3 Prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem.
4 Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarũactione percipitur:
5 Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.
6 Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assecutus es.
7 * Ineptas autem, & aniles fabulas devita : exerce autem teipsum ad pietatem.
* Sup. 1. b. 4. 2. Tim. 2. d. 23. Tit. 3. c. 9.
8 Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est : pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.
C 9 Fidelis sermo, & omni acceptione dignus.
10 In hoc enim laboramus & maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.
11 Præcipe hæc, & doce.
12 Nemo adolescentiam tuam contemnat : sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.
13 Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ,
14 Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ D data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.
15 Hæc meditare, in his esto : ut profectus tuus manifestus sit omnibus.
16 Attende tibi, & doctrinæ : insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.

Caput V.

Docet quomodo seniores, anus, ac juvenculas gubernare debeat, rursùm seniores ac juniores viduas : & de conditionibus in eligenda vidua requisitis : presbyteri probè suo fungentes munere dupliciter honorentur : nec facilè adversùs presbyterum accusationem suscipiat, sed peccantes publicè arguat : hos mandata servet, nemini citò manus imponens : modico vino utatur : & de variis hominum peccatis.

1 Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut pa- A trem ; juvenes, ut fratres ;
2 Anus, ut matres ; juvenculas, ut sorores in omni castitate :
3 Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.
4 Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet : discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus : hoc enim acceptum est coram Deo.
5 Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die.
6 Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est.
7 Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint.
8 Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.
9 Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, B
10 In operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.
11 Adolescentiores autem viduas devita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt:
12 Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.
13 Simul

13 Simul autem & otiosæ discunt circuire domos : non solùm otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet.
C 14 Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.
15 Jam enim quædam conversę sunt retro satanã.
16 Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non gravetur Ecclesia : ut iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat.
17 Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur : maximè qui laborant in verbo & doctrina.
* Deut. 25. a. 4. 1. Cor. 9. b. 9. 18 Dicit enim Scriptura : * Non alligabis os bovi trituranti. Et : * Dignus est operarius mercede sua.
* Mat. 10. b. 10. Luc. 10. b. 7. 19 Adversùs presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.
D 20 Peccantes coram omnibus argue : ut & ceteri timorem habeant.
21 Testor coram Deo & Christo Jesu, & electis angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.
22 Manus citò nemini imposueris, neque cõmunicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi.
23 Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.
24 Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium : quosdam autem & subsequuntur.
25 Similiter & facta bona manifesta sunt : & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

Caput VI.

Servi dominis suis obsequantur, sive fidelibus sive infidelibus : fugiendi sunt qui his relictis vana docent : quantum mali inducat avaritia ; qua devitata hortatur Timotheum ad virtutes amplectendas, servata fide quam in Baptismo confessus est, usque in finem usque servet hoc mandatum : divites autem reprimat à superbia, inducens ad eleemosynas.

A 1 Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur.
2 Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt : sed magis serviant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficij participes sunt. Hæc doce, & exhortare.
3 Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ :
4 Superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum : ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ,
B 5 Conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.
6 Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia.
* Job. 1. d. 21. Eccle. 5. c. 14. * Prov. 27 d. 26. 7 * Nihil enim intulimus in hunc mundum : haud dubium quòd nec auferre quid possumus.
8 * Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.
9 Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.
10 Radix enim omnium malorum est cupiditas : quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.
11 Tu autem ô homo Dei hæc fuge : sectare C verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.
12 Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus.
13 Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Christo Jesu, qui testimonium reddidit * sub Pontio Pilato, bonam confessionem : * Matth. 27. b. 11. Joan. 18. c. 33. g. 37.
14 Ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi :
15 Quem suis temporibus ostendet * beatus & solus potẽs, Rex regum, & Dominus dominantium : * Apoc. 17. d. 14. 19. c. 16.
16 Qui solus habet immortalitatem, & lucem D inhabitat inaccessibilem : * quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest : cui honor, & imperium sempiternum. Amen. * Joan. 1. c. 18. 1. Joan. 4. c. 12.
17 Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, * neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) * Luc. 12. c. 15.
18 Benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare,
19 Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.
20 O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ,
21 Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM SECUNDA.

Caput Primum.

Gratias Deo agit ob fidem Timothei, quam intrepida prædicatione jubet exeri : Christus mortem destruxit, & Paulum in Gentium doctorem elegit, servans ei debitum ipsius laboribus præmium : dicit quòd omnes Asiani ipsum reliquerint, laudans Onesiphori familiam quòd inde multa receperit obsequia.

1 Paulus Apostolus Jesu Christi per A voluntatem Dei, secundùm promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu :
2 Timotheo charissimo filio, gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & Christo Jesu Domino nostro.
3 Gratias ago Deo, cui servio à progenitoribus in conscientia pura, quòd sine intermissione habeã tui memoriã in orationibus meis, nocte ac die
4 Desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear,
5 Recordationem accipiens ejus fidei, quæ est B in te non ficta, quæ & habitavit primùm in avia tua Loïde, & matre tua Eunice, certus sum autem quòd & in te.
6 Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.
7 * Non

Universidad de Deusto
Biblioteca

* Rom. 8. c. 15.
7 * Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.
8 Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus: sed collabora Evangelio secundùm virtutem Dei:
C
* Tit. 3. b. 5.
9 Qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, * non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia.
10 Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium:
* 1. Tim. 2. b. 7.
11 In quo * positus sum ego prædicator, & Apostolus, & magister Gentium.
12 Ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.
D
13 Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Jesu.
14 Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.
15 Scis hoc, quòd aversi sunt à me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus, & Hermogenes.
* Inf. 4. d. 19.
16 Det misericordiam Dominus * Onesiphori domui: quia sæpè me refrigeravit, & catenam meam non erubuit:
17 Sed cùm Romam venisset, solicitè me quæsivit, & invenit.
18 Det illi Dominus invenire misericordiam à Domino in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu meliùs nosti.

CAPUT II.

Hortatur Timotheum ad alios sincerè docendum & patiendum pro Christo, facta mentione futuri præmij ac resurrectionis Christi: utque contentiones & profana vaniloquia devitet, stultasque legis quæstiones: de magna domo varia habente vasa, & quas virtutes servus Dei sectari debeat.

A
1 TU ergo fili mi confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu:
2 Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.
3 Labora sicut bonus miles Christi Jesu.
4 Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus: ut ei placeat, cui se probavit.
5 Nam & qui certat in agone, non coronatur nisi legitimè certaverit.
6 Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere.
7 Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.
8 Memor esto Dominum JESUM CHRISTUM resurrexisse à mortuis ex semine David, secundùm Evangelium meum,
B
9 In quo laboro usque ad vincula, quasi malè operans: sed verbum Dei non est alligatum.
10 Ideò omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cælesti.
11 Fidelis sermo: Nam si commortui sumus, & convivemus:
12 Si sustinebimus, & conregnabimus: * si negaverimus, & ille negabit nos:
* Matth. 10. c. 33. Mar. 8. d. 18.
13 Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.
* Rom. 3. a. 3.
14 Hæc commone, testificans coram Domino. Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.
15 Solicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.
16 Profana autem, & vaniloquia devita: multùm enim proficiunt ad impietatem:
C
17 Et sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus, & Philetus,
18 Qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, & subverterunt quorumdam fidem.
19 Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt ejus; & discedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini.
20 In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.
21 Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas
D
in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.
22 Juvenilia autem desideria fuge, sectare verò justitiam, fidem, charitatem, & pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro.
23 * Stultas autem, & sine disciplina quæstiones devita: sciens quia generant lites.
* 1. Tim. 1. b. 4. 7. Tit. 3. c. 9.
24 Servum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem,
25 Cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati: nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem,
26 Et resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

CAPUT III.

Prædicit homines futuros variis involutos peccatis, qui mulierculas seducentes veritati resistant: Timotheum autem hortatur ut suo exemplo virtutes amplectatur, ac toleramiam in persecutionibus: & de sacrarum litterarum utilitate.

A
1 HOc autem scito, quòd in * novissimis diebus instabunt tempora periculosa:
* 1. Tim. 4. a. 1. 2. Pet. 3. a. 3. Iud. d. 18.
2 Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti,
3 Sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate,
4 Proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei:
5 Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita:
B
6 Ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis:
7 Semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis pervenientes.
8 Quemadmodum autem * Iannes & Mambres restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati,
* Exod. 7. b. 11.

homines

homines corrupti mente, reprobi circa fidem,
9 Sed ultrà non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.
C
10 Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam,
11 Persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, & Lystris: quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dñs.
12 Et omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.
13 Mali autem homines, & seductores, proficient in pejus; errantes, & in errorem mittentes.
D
14 Tu verò permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens à quo didiceris.
15 Et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu.
* 2. Pet. 1. d. 20.
16 * Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia:
17 Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

CAPUT IV.

Timotheum per Christum judicem obtestatur, ut adversus falsos doctores, & eos qui tales sibi coacervant, constanter prædicet, tolerando quæcumque infligentur adversa: prædicitque suam passionem & futurum præmium; advocans Timotheum, eò quòd à multis desertus sit, & ab Alexandro multa passus: in prima sui defensione ab omnibus desertus fuit, sed à Domino liberatus.

A
1 TEstificor coram Deo, & Jesu Christo, qui judicaturus est vivos, & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus:
2 Prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.
3 Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus:
4 Et veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.
B
5 Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto.
6 Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.
7 Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.
8 In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus. Festina ad me venire citò.
9 Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, & abiit Thessalonicam:
10 Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.
* Col. 4. d. 14.
C
11 * Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium.
12 Tychicum autem misi Ephesum.
13 Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.
D
14 Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundùm opera ejus:
15 Quem & tu devita: valdè enim restitit verbis nostris.
16 In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.
17 Dominus autem mihi astitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: & liberatus sum de ore Leonis.
18 Liberavit me Dominus ab omni opere malo: & salvum faciet in regnum suum cæleste, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.
19 Saluta Priscam, & Aquilam, & * Onesiphori domum.
* Sup. 1. d. 16.
20 Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.
21 Festina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.
22 Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo, Gratia vobiscum. Amen.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD TITUM.

CAPUT PRIMUM.

Facta in salutatione mentione spei vitæ æternæ quæ jam manifestata est, ostendit quales debeat ordinare presbyteros ac episcopos: & de quibusdam quòd ob varia vitia durè sunt increpandi: mundis omnia munda: quidam facto Deum negant.

1 PAulus servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi secundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundùm pietatem est.
A
2 In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus ante tempora sæcularia:
3 Manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundùm præceptum Salvatoris nostri Dei:
B
4 Tito dilecto filio secundùm communem fidem, gratia & pax a Deo Patre, & Christo Jesu Salvatore nostro.
5 Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.
6 * Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.
* 1. Tim. 3. a. 2.
7 Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum:
8 Sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem,
9 Amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.
C
10 Sunt enim multi etiã inobedientes, vaniloqui, & seductores; maximè qui de circumcisione sunt:
11 Quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.
12 Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.
13 Testimonium hoc verum est. Quam ob cau-
D

sam increpa illos durè, ut sani sint in fide,
14 Non intendentes Judaicis fabulis,& mandatis hominum aversantium se à veritate.
*Rom. 14.d.20. 15 * Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia.
16 Confitentur se nosse Deum,factis autem negant: cùm sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

Caput II.

Quomodò docere debeat senes, anus, adolescentulas ac juvenes, præbendo se omnibus vitæ exemplum: & in quibus nos erudiat gratia Dei quæ apparuit, beneficia etiam per Christum nobis exhibita ostendit.

A 1 TU autem loquere quæ decent sanam doctrinam:
2 Senes, ut sobrij sint,pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia:
3 Anus similiter in habitu sancto,non criminatrices,non multo vino servientes, benè docentes:
4 Ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant,
B 5 Prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei.
6 Juvenes similiter hortare ut sobrij sint.
7 In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate,
8 Verbum sanum, irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.
C 9 * Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes,
*Ephes. 6.a.5. Coloss. 3. d.22. 1. Pet.2. c.18. * Infr.à 3.a.4. 10 Non fraudantes: sed in omnibus fidem bonam ostendentes: ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.
11 * Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus,
D 12 Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo,
13 Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei,& Salvatoris nostri Jesu Christi:
14 Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.
15 Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

Caput III.

Ad quas virtutes suos debeat adhortari, & à quibus vitiis dehortari: & quod à peccatis prioribus sola Dei benignitate salvati simus per Lavacrum regenerationis, facti in spe heredes vitæ æternæ: monétque, ut hæc docens vanam devitet doctrinam, similiter & hæreticos.

A 1 ADmone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse:
2 Neminem blasphemare,non litigiosos esse,sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.
3 Eramus enim aliquando & nos insipientes,incredduli, errantes,servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes,odibiles, odientes invicem.
*Sup.2. c.11. 4 Cùm * autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei;
B 5 * Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, *2.Timo 1.c.9. sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti,
6 Quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum:
7 Ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundùm spem vitæ æternæ.
C 8 Fidelis sermo est: & de his volo te confirmare: ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona & utilia hominibus.
*1.Tim. 1.b.4. 4.b.7. 2.Tim.2. d.23. 9 * Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita,sunt enim inutiles, & vanæ.
10 Hæreticum hominem, post unam & secundam correptionem devita:
11 Sciens quia subversus est,qui ejusmodi est,& delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.
D 12 Cùm misero ad te Artemam,aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim: ibi enim statui hiemare.
13 Zenam legisperitum, & Apollo solicitè præmitte, ut nihil illis desit:
14 Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios,ut non sint infructuosi.
15 Salutant te qui mecum sunt omnes: saluta eos, qui nos amant in fide.Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM.

Philemoni, cujus charitatem ac fidem collaudat, Onesimum servum ipsius remittit; quem illi commendat, & ejus culpam in se recipit; indicans se cupere ipsum habere, ut sibi ministret in Evangelij prædicatione.

1 PAulus vinctus Christi Jesu,& Timotheus frater; Philemoni dilecto, & adjutori nostro, A
2 Et Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ,quæ in domo tua est.
3 Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.
4 Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis,
5 Audiens charitatem tuam, & fidem,quam habes in Domino Jesu,& in omnes sanctos:
6 Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in B agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu.
7 Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tua: quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater.
9 Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet:
9 Propter charitatem magis obsecro, cùm sis talis, ut Paulus senex, nunc autem & vinctus Jesu Christi:
10 Obsecro

10 Obsecro te pro meo filio,quem genui in vinculis, Onesimo,
11 Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi utilis,
C 12 Quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe:
13 Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelij:
14 Sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.
15 Forsitan enim ideò discessit ad horam à te, ut æternum illum acciperes:
D 16 Jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maximè mihi; quantò autem magis tibi, & in carne, & in Domino?
17 Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me:
18 Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet; hoc mihi imputa.
19 Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam, ut non dicam tibi,quod & teipsum mihi debes:
20 Ita frater. Ego te fruar in Domino: Refice viscera mea in Domino.
21 Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam & super id, quod dico, facies.
22 Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.
23 Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu,
24 Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas, adjutores mei.
25 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

EPISTOLA BEATI LAULI APOSTOLI AD HEBRÆOS.

Caput Primum.

Tantum veteri testamento per Angelos dato novum per Christum datum præfertur, quantum Christus Angelis dignior est, quos origine, dominio, potentia & honore antecellit.

A 1 MUltifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissimè,
2 Diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit sæcula.
*Sup.7. d.26. 3 * Qui cùm sit splendor gloriæ,& figura substantiæ ejus,portánsque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis:
B 4 Tantò melior Angelis effectus, quantò differentiùs præ illis, nomen hereditavit.
*Ps.2. b.7. *1.Reg. 7.b.14. 5 Cui enim dixit aliquando Angelorum: *Filius meus es tu,ego hodie genui te? Et rursum: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium?
*Ps.96. b.7. 6 Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: * Et adorent eum omnes Angeli Dei.
C *Ps.103. a.4. *Ps.44. b.7. 7 Et ad Angelos quidem dicit: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammã ignis.
8 Ad filium autem: * Thronus tuus Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui.
9 Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.
10 Et: * Tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli. *Ps.101. d.26.
11 Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent:
12 Et velut amictum mutabis eos,& mutabũtur: D tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.
13 Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: * Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? *Psal. 109.a.1. 1.Cor. 15.d.25.
14 Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?

Caput II.

Cum Angelicorum præceptorum transgressio dignam acceperit ultionem, multò magis ea sequetur transgressores præceptorum Christi: qui per susceptam humanitatem & crucem mineratus est ab Angelis, & ex eo factus auctor salutis in ipsum credentium.

1 PRopterea abundantiùs oportet observare nos A ea quæ audivimus, ne fortè pereffluamus.
2 Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus,& omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem:
3 Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est.
*Matt. 16.d.20. 4 * Contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundùm suam voluntatem.
5 Non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum de quo loquimur.
B *Psal. 8. a.5. 6 Testatus est autem in quodam loco quis, dicens:* Quid est homo quòd memor es ejus,aut filius hominis quoniam visitas eum?
7 Minuisti eum paulò minùs ab Angelis:gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum.
*Matt. 28.d.18 1.Cor.15. d.26. 8 * Omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim quòd omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei.
C *Phil. 2.a.8. 9 * Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum: ut gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem.
10 Decebat enim eum, propter quem omnia,& per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.
11 Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens:
*Ps.21. c.23. 12 * Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.
D *Ps.17. a.3. 13 Et iterùm: *Ego ero fidens in eum. Et iterùm: *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus.
*Isa.8. d.18. * Osee 13.d.14. 1. Cor. 15.g.54. 14 Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini,& ipse similiter participavit eisdem: *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum:

Universidad de Deusto
Biblioteca

15 Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant servituti.

16 Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.

17 Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.

18 In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.

Caput III.

Longè excellentior est Christus, utpote filius, quàm Moyses, qui famulus fidelis erat in domo Dei; curandum igitur ut huic in omnibus obtemperemus, ne in modum incredulorum Iudæorum ab ejus requie repellamur.

A 1 UNde fratres sancti, vocationis cælestis participes, considerate Apostolorum & pontificem confessionis nostræ Jesum:

2 Qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut & *Num. 12. v. 7. *Moyses in omni domo ejus.

3 Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quantò ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam.

4 Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est.

B 5 Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant:

6 Christus verò tamquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei usque ad finem, firmam retineamus.

*Ps. 94. b. 8. Isa. 4. b. 7. 7 Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: *Hodie si vocem ejus audieritis,

8 Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto,

9 Ubi tentaverunt me patres vestri; probaverunt, & viderunt opera mea

C 10 Quadraginta annis: Propter quod infensus fui generationi huic, & dixi: Semper errant corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas,

11 Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.

12 Videte fratres, ne fortè sit in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis, discedendi à Deo vivo:

13 Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

D 14 Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus.

15 Dum dicitur: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione.

16 Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen.

17 Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nónne illis, qui peccaverunt, *quorum ca- * Num. 14. v. 17. davera prostrata sunt in deserto?

18 Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt?

19 Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

Caput IV.

Quandoquidem Iudæi ob incredulitatem non introierunt in promissam requiem, & reliquum est ut alij ingrediantur, curandum est ne ea frustremur, sed credentes, in ipsam admittamur: de vivo & efficaci Dei verbo quod omnia conspicit, déque ejus infirmitate, ut nostris compateretur infirmitatibus.

A 1 TImeamus ergo ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse.

2 Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis qui audierunt.

3 Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: * Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis. *Ps. 94. b. 11.

B 4 Dixit enim in quodam loco de die septima sic: * Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. *Gen. 2. a. 2.

5 Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam.

6 Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ij, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem:

7 Iterùm terminat diem quemdam, Hodie, in David dicendo, post tantum temporis, sicut suprà dictum est: * Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Sup. 3. b. 7.

8 Nam si eis Jesus requiem præstitisset, numquam de alia loqueretur, post hac, die.

C 9 Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.

10 Qui enim ingressus est in requiem ejus, & etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus.

11 Festinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.

12 Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.

D 13 * Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo. *Ps. 33. c. 16. Eccli. 15. d. 20.

14 Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jesum filium Dei: teneamus confessionem.

15 Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

16 Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

Caput V.

Christus debito ordine factus noster Pontifex, precésque Patri offerens, exauditus est: & discens ex iis quæ passus est obedientiam, factus est obtemperantibus causa salutis æternæ: sed reconditorum de ipso mysteriorum capaces non erant ij ad quos hic scribebat Apostolus.

A 1 OMnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis:

2 Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant:

errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate:

3 Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.

B *Exod. 28. a. 1. 2. Par. 26. c. 18. 4 * Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.

5 Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: * Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Psal. 2. b. 7.

*Ps. 109. b. 4. 6 Quemamodum & in alio loco dicit: * Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.

7 Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum facere C à morte, cùm clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.

8 Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam:

9 Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ,

10 Appellatus à Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech.

11 De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.

12 Etenim cùm deberetis magistri esse propter D tempus: rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.

13 Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ: parvulus enim est.

14 Perfectorum autem est solidus cibus; eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

Caput VI.

Non intendit de primis fidei initiis tractare, quandoquidem rebaptizari nequeunt qui post susceptum baptismum rursum in peccata relabuntur, imo timenda illis est æterna maledictio: consolando autem Hebræos hortatur ut Abrahæ longanimitatem imitantes, reddant se participes eorum quæ jurejurando promisit illi Deus.

A 1 QUapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fide ad Deum,

2 Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicij æterni.

B 3 Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus.

*Matth. 12. d. 45. Infr. 10. c. 26. 2. Pet. 2. d. 20. 4 * Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti,

5 Gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutésque sæculi venturi,

6 Et prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.

7 Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur; accipit benedictionem à Deo.

8 Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima: cujus consummatio in combustionem.

9 Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, & viciniora saluti: tametsi ita loquimur.

10 Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.

11 Cupimus autem unumquemque vestrûm C eamdem ostentare solicitudinem ad expletionem spei usque in finem:

12 Ut non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientia hereditabunt promissiones.

13 Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum,

*Gen. 22. c. 16. 14 Dicens: * Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.

15 Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem.

16 Homines enim per majorem sui jurant: & D omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum.

17 In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilij sui, interposuit jusjurandum:

18 Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.

19 Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis:

20 Ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundùm ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.

Caput VII.

Cùm Melchisedech sacerdotium, ex decimarum acceptione & benedictione Leviticum excelleret, Christi sacerdotium necessitate quadam secundùm ordinem Melchisedech in perpetuum institutum, ac juramento firmatum præcellit Leviticum: & ipsum unà cum lege evacuat.

A *Gen. 14. d. 18. 1 HIc enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit ei:

2 Cui & decimas omnium divisit Abraham: primùm quidem qui interpretatur rex justitiæ: deinde autem & rex Salem, quod est, rex pacis,

3 Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuũ.

4 Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha.

5 Et quidem de filiis Levi sacerdotium acci- *Deut. 18. a. 3. Ios. 14. b. 4. pientes, * mandatum habent decimas sumere à populo secundùm legem, id est, à fratribus suis: quamquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ.

6 Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit.

7 Sine ulla autem contradictione, quod minus B est, à meliore benedicitur.

8 Et hîc quidem, decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur, quia vivit.

9 Et (ut ita dictum sit) per Abraham, & Levi, qui decimas accepit, decimatus est:

10 Adhuc enim in lumbis patris erat quando obvia vit ei Melchisedech.

11 Si

Universidad de Deusto
Biblioteca

11 Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat: (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit, secundùm ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundùm ordinem Aaron dici?

12 Translato enim sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat.

13 In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præstò fuit.

C 14 Manifestum est enim quòd ex Juda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.

15 Et ampliùs adhuc manifestum est; si secundùm similitudinem Melchisedech exsurgat alius sacerdos,

16 Qui non secundùm legem mandati carnalis factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis.

*Ps.109. b.4. 17 Contestatur enim: * Quoniam tu es sacerdos in æternum, secũdùm ordinem Melchisedech.

18 Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem:

19 Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum.

20 Et quantum est non sine jurejurando (alij quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt;

*Ps.109. b. 4. 21 Hic autem cum jurejurando, per eum, qui dixit ad illum: * Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum.)

D 22 In tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus.

23 Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere:

24 Hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.

25 Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis.

26 Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus:

27 Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, * priùs pro suis delictis *Levi. 16. b. 6. hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.

28 Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

Caput VIII.

Excellentius est Christi sacerdotium Leviticosciũ ipse in dextera Patris sedeat in cælis, & majorum sacramentorum minister fuerit quàm sacerdotes veteris legis: ostendit etiam novi testamenti necessitatem ex imperfectione veteris, & ex promissione Dei per Ieremiam.

A 1 CApitulum autem super ea quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis,

2 Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.

3 Omnis enim pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: unde necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat:

B 4 Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cùm essent qui offerrent secundùm legem munera,

5 Qui exemplari & umbræ deserviunt cælestium. Sicut responsum est Moysi, cùm consummaret tabernaculum: * Vide (inquit) omnia facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in monte. *Exod. 25.d.40. Act.7. f. 44.

6 Nunc autem melius sortitus est ministerium, C quantò & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.

7 Nam si illud prius culpa vacasset: non utique secundi locus inquireretur.

8 Vituperans enim eos dicit: * Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super domum Israël, & super domum Juda, testamentum novum: *Jer.31. f. 31.

9 Non secundùm testamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem illos de Terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.

10 Quia hoc est testamentum, quod disponam D domui Israël post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum:

11 Et non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me à minore usque ad majorem eorum.

12 Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor.

13 Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & senescit, propè interitum est.

Caput IX.

Ex his quæ in veteri erant testamento & imperfectione illarum hostiarum, ostendit novi perfectionem, in quo Christus Pontifex & hostia semel oblata emundat conscientiam à peccatis: quem ad testamenti sui confirmationem mori fuit necesse.

1 HAbuit quidem & prius, justificationes cul- A turæ, & Sanctum sæculare.

2 * Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum quæ dicitur Sancta. *Exod. 26. a. 1. 36. a.8.

3 Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum:

4 Aureum habens * thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, * & tabulæ testamenti, *Lev.16. Nu. 16. * 3.Reg. 8. a. 9. 2.Par.5. b. 10.

5 Supérque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non est modò dicendum per singula.

6 His verò ita compositis; in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: B

7 In secundo autem * semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua & populi ignorantia: *Exod. 30.b.10. Lev. 16. a. 2.

8 Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.

9 Quæ parabola est temporis instantis: juxta C quam

quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodò in cibis, & in potibus,

10 Et variis baptismatibus, & justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.

11 Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non hujus creationis;

12 Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.

D 13 * Si enim sanguis hircorum & taurorum, *Levit. 16. c.15. & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis:

*1.Pet. 1. d. 19. 1.Ioan.1. c.7. Apoc. 1. b. 5. 14 * Quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?

*Gal. 3. c.15. 15 Et ideò novi testamenti mediator est; * ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis.

16 Ubi enim testamentum est; mors necesse est intercedat testatoris.

17 Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est.

18 Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.

E 19 Lecto enim omni mandato legis à Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo; ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit,

*Exod. 24. b. 8. 20 Dicens: * Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.

21 Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit.

F 22 Et omnia pænè in sanguine secundùm legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio.

23 Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium his mundari: ipsa autem cælestia melioribus hostiis quàm istis.

24 Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

25 Neque ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno:

G 26 Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.

27 Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium:

*Rom.5. b.9. 1.Pet.3. d. 18. 28 * Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundò sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem.

Caput X.

Propter imperfectionem hostiarum veteris testamenti necessarium fuit novum induci, cujus unica hostia auferrentur universa peccata: cui nisi fide, spe, charitate, ac bonis operibus adhæserimus, acerbius puniemur quàm veteris testamenti transgressores: laudat interim Hebræos quòd & multa passi sint, & patientibus assterint.

1 UMbram enim habens lex futurorum bono- A rum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere:

2 Alioquin cessassent offerri: ideò quòd nullam haberent ultrà conscientiam peccati, cultores semel mundati:

3 Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit.

4 Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. B

5 Ideò ingrediens mundum dicit: * Hostiam, * Psal. 39 b. 7. & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi:

6 Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt.

7 Tunc dixi: Ecce venio: * in capite libri * Psal. 39. b. 8. scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

8 Superiùs dicens: Quia hostias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundùm legem offeruntur,

9 Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat.

10 In qua voluntate sanctificati sumus per obla- C tionem corporis Iesu Christi semel.

11 Et omnis quidem sacerdos præstò est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata:

12 Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei,

13 De cetero exspectans * donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. *Ps.109. a. 2. 1.Cor. 15.d.25.

14 Una enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos.

15 Contestatur autem nos & Spiritus sanctus. Postquam enim dixit:

16 * Hoc autem testamentum, quod testabor * Ier.31. 33. Sup.8. c. 8. ad illos post dies illos, dicit Dominus, Dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas:

17 Et peccatorum, & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius.

18 Ubi autem horum remissio: jam non est oblatio pro peccato.

19 Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, D

20 Quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id est, carnem suam,

21 Et sacerdotem magnum super domum Dei:

22 Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda,

23 Teneamus spei nostræ confessionem indeE clinabilem, (fidelis enim est qui repromisit)

24 Et consideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum:

25 Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis

Universidad de Deusto
Biblioteca

consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantē diē.
*Sup.6. a.4. 26 * Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia,
27 Terribilis autem quædā expectatio judicij, & ignis æmulatio, quæ consūptura est adversarios.
*Deut. 17.a.6. Matth. 18.c.16. Ioan. 8. b.17. 2.Cor. 13.a.1. 28 Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione * duobus vel tribus testibus moritur:
29 Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?
F 30 Scimus enim qui dixit: *Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterùm: Quia judicabit Dominus populum suum.
*Deut. 32.c.35. Rom.12. d.19. 31 Horrendum est incidere in manus Dei viventis.
32 Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum:
33 Et in altero quidem, opprobriis & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem, socij taliter conversantium effecti.
G 34 Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.
35 Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.
36 Patientia enim vobis necessaria est: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.
37 Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit.
*Hab. 2. a.4. Rom.1. b.17. Gal.3. b.11. 38 *Justus autem meus ex fide vivit: quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.
39 Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.

CAPUT XI.

Fidem magnificè commendat ex actis patrum, à mundi exordio usque ad David ac Prophetas: & in universum quanta patrarint ac passi sint per fidem: nec tamen plenam adhuc acceperunt retributionem.

A 1 Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.
2 In hac enim testimonium consecuti sunt senes.
*Gen.1. a.3. 3 * Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.
*Gen. 4. a.4. *Matth. 23.d.35. 4 *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo, * per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur.
*Gen.5. c.24. Eccli.44. c.16. 5 *Fide Henoch translatus est ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.
B 6 Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.
*Gen.6. c.14. Eccli.44. c.17. 7 *Fide Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum: & justitiæ, quæ per fidem est, heres est institutus.
*Gen. 12.a.1. 8 * Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: & exiit, nesciens quò iret.
9 Fide demoratus est in Terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac & Jacob coheredibus repromissionis ejusdem.
10 Expectabat enim fundamenta habentem C civitatem: cujus artifex & conditor Deus.
*Gen. 17.c.19. 11 * Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat.
12 Propter quod & ab uno orti sunt (& hoc emortuo) tamquam sidera cæli in multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis.
13 Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram.
14 Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.
15 Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi:
16 Nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem.
D 17 *Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones;
*Gen. 22. a.1. Eccli.44. d. 21. 18 Ad quem dictum est: *Quia in Isaac vocabitur tibi semen:
*Gen. 21.b.12. Rom. 9. b.7. 19 Arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus: unde eum & in parabolam accepit.
*Gen. 27.d.27. f.36. 20 *Fide & de futuris benedixit Isaac Jacob, & Esau.
*Gen. 48. c.19. 21 * Fide Jacob, moriens, singulos filiorum Joseph benedixit: * & adoravit fastigium virgæ ejus.
*Gen. 47.f.31. * Gen. 50.d.23. 22 *Fide Joseph, moriens, de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandavit.
E 23 * Fide Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis; eò quòd vidissent elegantem infantem, * & non timuerunt regis edictum.
*Exod.2. a.2. *Exod.1. c. 17. 24 * Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis,
* Exod. 2.b.11. 25 Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem,
26 Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.
27 Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis: invisibilem enim tamquam videns sustinuit.
* Exod. 12.d.21. 28 * Fide celebravit Pascha, & sanguinis effusionem: ne qui vastabat primitiva, tangeret eos.
F * Exod. 14. c.22. 29 * Fide transierunt Mare rubrum tamquam per aridam terram: quod experti Ægyptij, devorati sunt.
*Ios.6. c.20. 30 * Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum septem.
*Ios.2. a.3. 31 * Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.
32 Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, & Prophetis:
33 Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam,

justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum,
34 Extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum:
G 35 Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.
36 Alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres:
37 Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti:
38 Quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.
39 Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem,
40 Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.

CAPUT XII.

Priscorum imò Christi exemplo inducit ad tolerandas viriliter afflictiones, revocans à peccatis: & ex novi testamenti super vetus excellentia deterret ab inobedientia, ne majora quam Judæi pati cogamur supplicia.

A 1 Deóque & nos tantam habentes impositam nubem testium, * deponentes omne pondus,
*Rom. 6. a.4. Ephes. 4. c.22. Col.3. b.7. 1.Pet. 2. a.1.4. a.2. & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen:
2 Aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.
B 3 Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.
4 Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes:
*Prov. 3.b.11. Apoc.3. d.19. 5 Et obliti estis consolationis, quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens: * Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris.
6 Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.
7 In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater?
C 8 Quòd si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filij estis.
9 Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multò magis obtemperabimus Patri spirituum, & vivemus?
10 Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundùm voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id, quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus.
D 11 Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.
12 Propter quod, remissas manus, & soluta genua, erigite,

13 Et gressus rectos facite pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.
*Rom. 12.d.18. 14 * Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum:
15 Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.
E 16 Ne quis fornicator, aut profanus * ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua.
*Gen. 25.d.33. *Gen. 27.f.38. 17 Scitote enim quoniam * & posteà cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.
*Exod. 19.c.12. 20.c.21. 18 * Non enim accessistis ad tractabilem montem: & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam,
19 Et tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbū.
*Exod. 19. c.13. 20 Non enim portabant quod dicebatur: *Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur.
F 21 Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum, & tremebundus.
22 Sed accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam,
23 Et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis, & judicem omnium Deum, & spiritus justorum perfectorum,
24 Et testamenti novi mediatorem Jesum, & sanguinis asperſionē meliùs loquentē quàm Abel.
G 25 Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur: multò magis nos, qui de cælis loquentem nobis avertimus.
26 Cujus vox movit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens: * Adhuc semel; & ego movebo non solùm terram, sed & cælum.
*Agg.2. b.7. 27 Quòd autem, Adhuc semel, dicit: declarat mobilium translationem tamquam factorum, ut maneant ea quæ sunt immobilia.
28 Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam serviamus placentes Deo, cum metu & reverentia.
*Deut. 4.d.24. 29 *Etenim Deus noster ignis consumens est.

CAPUT XIII.

Ad varias hortatur virtutes, jubens cavere ab extranea doctrina, ac memoriam refricans altaris & hostiarum veteris novique testamenti, & subinde monens ut præpositis obtemperent: orat ut pro se precentur, idem vicissim pro illis agens, additis mutuis salutationibus.

A 1 Charitas fraternitatis maneat in vobis.
*Rom. 12. c.13. 1.Pet.4. b.9. 2 * Et hospitalitatem nolite obliviſci, per hanc enim * latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.
*Gen. 18.a.3. 19.a.2. 3 Mementote vinctorum, tamquam simul vincti; & laborantium, tamquam & ipsi in corpore morantes.
4 Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus.
5 Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus: ipse enim dixit: * Non te deseram, neque derelinquam.
*Ios.1. a.5. *Ps.117. a.6. 6 Ita ut confidenter dicamus: *Dominus mihi

Universidad de Deusto
Biblioteca

adjutor : non timebo quid faciat mihi homo.
B 7 Mementote præpositorum vestrorum,qui vobis locuti sunt verbumDei:quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.
8 Jesus Christus heri,& hodie:ipse & in sæcula.
9 Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor,non escis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis.
10 Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.
* Lev. 16. f.27. 11 * Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem,horum corpora cremantur extra castra.
C 12 Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populũ, extra portam passus est.
13 Exeamus igitur ad eum extra castra improperium ejus portantes.
* Mich. 2. c. 10. 14 * Non enim habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus.
15 Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.
16 Beneficentiæ autem,& communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus.
17 Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes : hoc enim non expedit vobis.
D 18 Orate pro nobis : confidimus enim quia bonam conscientiam habemus in omnibus benè volentes conversari.
19 Ampliùs autem deprecor vos hoc facere,quò celeriùs restituar vobis.
20 Deus autem pacis,qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni,Dominum nostrum Jesum Christum,
21 Aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem : faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum : cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.
22 Rogo autem vos fratres,ut sufferatis verbum solatij. Etenim perpaucis scripsi vobis.
23 Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum:cum quo(si celerius venerit)videbo vos.
24 Salutate omnes præpositos vestros,& omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres.
25 Gratia cum omnibus vobis. Amen.

EPISTOLA CATHOLICA BEATI JACOBI APOSTOLI.

Caput Primum.

Docet tentationum utilitatem,& sapientiam à Deo cum confidentia postulandam:Deus tentator non est aut auctor peccati,sed ab eo procedit omnis bona donatio : hortatur ut ad audiendum veloces, ad loquendum verò & ad iram tardi sint : nec satis est veritatem audire, nisi illa opere compleatur : subdit etiam quænam sit vera & immaculata religio.

A 1 JACOBUS Dei & Domini nostri Jesu Christi servus,duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.
2 Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis :
* Rom. 5. a. 3. 3 * Scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur.
4 Patientia autem opus perfectum habet : ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.
5 Si quis autem vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat : & dabitur ei.
B * Mat. 7. b. 7. 21. b. 22. Mar. 11. c. 24. Luc. 11. b. 9. Ioan. 14. b. 15. 16. c. 23. 24. * Eccli. 14. c. 18. Isa. 40. b. 6. 1. Pet. 1. d. 24. 6 * Postulet autem in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur.
7 Non ergo æstimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino.
8 Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.
9 Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua ;
10 Dives autem in humilitate sua, * quoniam sicut flos fœni transibit.
11 Exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit : ita & dives in itineribus suis marcescet.
* Iob. 5. c. 17. 12 * Beatus vir, qui suffert tentationem : quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.
C 13 Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur : Deus enim intentator malorum est:ipse autem neminem tentat.
14 Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.
15 Deinde concupiscentia cùm conceperit,parit peccatum : peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.
16 Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi.
17 Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio,nec vicissitudinis obumbratio.
18 Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.
* Prov. 17. d. 27. 19 Scitis fratres mei dilectissimi. * Sit autem omnis homo velox ad audiendum ; tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.
D 20 Ira enim viri,justitiam Dei non operatur.
21 Propter quod abjicientes omnem immunditiã & abundantiam malitię,in mansuetudine suscipite insitum verbũ,quod potest salvare animas vestras.
* Mat. 7. c. 21. 24. Rom. 2. c. 13. 22 * Estote autem factores verbi ; & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.
23 Quia si quis auditor est verbi,& non factor: hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo :
24 Consideravit enim se,& abiit,& statim oblitus est qualis fuerit.
25 Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis : hic beatus in facto suo erit.
26 Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam,sed seducens cor suum, hujus vana est religio.
27 Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est : Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

Caput

Caput II.

Monet ne personarum respectu moveantur : qui enim unicum legis præceptum transgreditur, legis transgressor est : hortatur ut operibus misericordiæ incumbant, ostendens quòd homo per opera justificetur : nam fides sine operibus mortua est.

A 1 FRatres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.
Lev. 19. c. 15. Deut. 1. c. 17. 16. d. 19. Prov. 24. c. 23. Eccli. 42. a. 1. 2 Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu,
3 Et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei : Tu sede hîc benè : pauperi autem dicatis : Tu sta illic ; aut sede sub scabello pedum meorum :
4 Nónne judicatis apud vosmetipsos, & facti estis judices cogitationum iniquarum ?
B 5 Audite fratres mei dilectissimi, nónne Deus elegit pauperes in hoc mũdo,divites in fide, & heredes regni,quod repromisit Deus diligentibus se?
6 Vos autem exhonorastis pauperem. Nónne divites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad judicia ?
7 Nónne ipsi blasphemant bonum nomen,quod invocatum est super vos?
* Lev. 19. d. 18. Matth. 22. d. 39. Mar. 12. c. 31. Rom. 13. c. 9. Gal. 5. c. 14. 8 Si tamen legem perficitis regalem secundùm scripturas : * Diliges proximum tuum sicut teipsum : benè facitis:
9 * Si autem personas accipitis,peccatum operamini,redarguti à lege quasi transgressores.
10 * Quicumque autem totam legem servaverit,offendat autem in uno,factus est omnium reus.
* Sup. a. 1. * Matth. 5. c. 19. 11 Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides. Quòd si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.
C 12 Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari.
13 Judicium enim sine misericordia illi,qui non fecit misericordiam:superexaltat autem misericordia judicium.
14 Quid proderit fratres mei,si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? Numquid poterit fides salvare eum.
* 1. Ioan. 3. c. 17. 15 * Si autem frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano,
16 Dicat autem aliquis ex vobis illis:Ite in pace, calefacimini & saturamini : non dederitis autem eis,quæ necessaria sunt corpori,quid proderit?
17 Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.
18 Sed dicet quis:Tu fidem habes,& ego opera habeo. ostende mihi fidem tuam sine operibus : & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam :
D 19 Tu credis quoniam unus est Deus : Benè facis : & dæmones credunt, & contremiscunt.
20 Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est ?
* Gen. 22. b. 9. 21 * Abraham pater noster, nónne ex operibus justificatus est,offerens Isaac filiũ suũ super altare?
22 Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius : & ex operibus fides consummata est ?
* Gen. 15 b. 6. Rom. 4. a. 3. Gal. 3. a. 6. 23 Et suppleta est Scriptura, dicens :*Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est.
24 Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm?
* Ios. 2. a. 4. 25 Similiter * & Rahab meretrix, nónne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios,& alia via ejiciens ?
26 Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.

Caput III.

Lingua mala recensetur, quam difficillimum est rectè gubernare ; subditque differentiam inter sapientiam terrenam & cælestem.

1 NOlite plures magistri fieri fratres mei,sciA entes quoniam majus judicium sumitis.
Matt. 23. a. 8. 2 In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit : hic perfectus est vir. potest etiam fræno circumducere totum corpus.
3 Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus.
4 Ecce & naves, cùm magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo ubi impetus dirigentis voluerit.
5 Ita & lingua modicum quidem membrum B est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quàm magnam silvam incendit ?
6 Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehenna.
7 Omnis enim natura bestiarum,& volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur,& domita sunt à natura humana :
8 Linguam autem nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero.
9 In ipsa benedicimus Deum & Patrem : & in C ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.
10 Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.
11 Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam ?
12 Numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere,aut vitis ficus ? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam.
13 Quis sapiens, & disciplinatus inter vos ? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.
14 Quòd si zelum amarum habetis,& contenD tiones sint in cordibus vestris : nolite gloriari, & mendaces esse adversus veritatem.
15 Non est enim ista sapientia desursum descendens ; sed terrena, animalis, diabolica.
16 Ubi enim zelus & contentio : ibi inconstantia, & omne opus pravum.
17 Quæ autem desursum est sapientia,primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta,suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.
18 Fructus autem justitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem.

Caput IV.

Concupiscentiis non est obsequendum, sed diabolo resistendum, & Deo appropinquandum, mutuæque dilectioni studendum, rebus incertis Divinæ providentiæ commissis.

A 1 UNde bella & lites in vobis? Nónne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?

2 Concupiscitis, & non habetis: occiditis, & zelatis: & non potestis adipisci: litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non postulatis.

3 Petitis, & non accipitis: eò quòd malè petatis: ut in concupiscentiis vestris insumatis.

B 4 Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.

5 An putatis quia inaniter scriptura dicat: Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis?

Prov. 3.d.34. 1.Pet.5. b.5. 6 Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: * Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

7 Subditi ergo estote Deo: resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.

8 Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo.

C 9 Miseri estote, & lugete, & plorate: risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem.

1.Pet. 5. b.6. 10 * Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.

11 Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem. Si autem judicas legem: non es factor legis, sed judex.

12 Unus est legislator, & judex, qui potest perdere, & liberare.

D *Rom. 14.d.4,* 13 * Tu autem quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus:

14 Qui ignoratis quid erit in crastino.

15 Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit; &: Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.

16 Nunc autem exultatis in superbiis vestris. Omnis exultatio talis, maligna est.

17 Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.

Caput V.

Divitibus pauperum oppressoribus gravem comminatur ultionem, pauperes vero ad longanimitatem hortatur: juramentum fugiendum, & infirmi à presbyteris oleo ungendi, ac peccata invicem confitenda: quam efficax sit justi oratio: errantes ad veritatem sunt reducendi.

A 1 AGite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis.

2 Divitiæ vestræ putrefactæ sunt: & vestimenta vestra à tineis comesta sunt.

3 Aurum & argentum vestrum æruginavit: & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.

4 Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit.

5 Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra, in die occisionis.

6 Addixistis, & occidistis justum, & non restitit vobis.

7 Patientes igitur estote fratres, usque ad ad- B ventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, & serotinum.

8 Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit.

9 Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, ut non judicemini. Ecce judex ante januam assistit.

10 Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas: qui locuti sunt in nomine Domini.

11 Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Suf- C ferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, & miserator.

Matt. 5.c.34. 12 Ante omnia autem fratres mei * nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non: ut non sub judicio decidatis.

13 Tristatur aliquis vestrûm? oret: Æquo animo est? psallat. D

14 Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini:

15 Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.

16 Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.

3.Reg. 17.a.1. Luc.4. d.25. 17 Elias homo erat similis nobis passibilis: * & oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex.

18 Et rursum oravit: & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.

19 Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum:

20 Scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

EPISTOLA BEATI PETRI APOSTOLI PRIMA.

Caput Primum.

Gratias Deo agit de vocatione ad fidem & vitam æternam, quæ tamen per multas tribulationes acquiritur, de qua Prophetæ vaticinati sunt: hortatur eos ad vitæ munditiam, ut qui Christi sanguine redempti sunt.

1 PEtrus Apostolus Jesu Christi, electis A advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ,

2 Secundùm præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aspersionem

aspersionem sanguinis Jesu Christi: Gratia vobis & pax multiplicetur.

2. Cor. 1.a.3. Eph.3 .1. a.3. 3 * Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis,

4 In hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in cælis in vobis,

B 5 Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.

6 In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus:

7 Ut probatio vestræ fidei multò pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in revelatione Jesu Christi:

8 Quem cùm non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autē exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata.

9 Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.

10 De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt:

11 Scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias:

C 12 Quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de cælo, in quem desiderant Angeli prospicere.

13 Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrij perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi:

14 Quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis.

15 Sed secundùm eum, qui vocavit vos, Sanctum; & ipsi in omni conversatione sancti sitis:

*Levit.11. g.44.19. a.2.20. a.7. *Deut. 10.d.17. Rom. 2. b.11. Gal.2. b.6.* 16 Quoniam scriptum est: * Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum.

17 Et si patrem invocatis eum, qui * sine acceptione personarum judicat secundùm uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini.

18 Scientes quòd non corruptibilibus auro vel D argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis:

1.Cor. 6. d.20. 7.d.23. Heb 9. d.14. 1.Joan.1. c.7. Apoc.1. b.5. 19 *Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati:

20 Præcogniti quidem ante mundi constitutionē, manifestati autē novissimis tēporibus propter vos,

21 Qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides vestra, & spes esset in Deo:

22 Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentiùs:

23 Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum.

Eccli. 14.c.8. Isa. 40. b.6. Iac. 1. a.10. 24 * Quia omnis caro ut fœnum: & omnis gloria ejus tamquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos ejus decidit.

25 Verbum autem Domini manet in æternum. hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos.

Caput II.

Exclusa omni fictione, regenerati ad Christum lapidem vivum accedant credentes, qui sunt genus electum, cum prius essent populus abjectus: hortatur ut tamquam peregrini ab omnibus mundanis abstineant, superioribus obtemperent, afflictionesque ad Christi imitationem ferant.

1 DEponentes igitur omnem malitiam, & A omnem dolum, & simulationes, & invidias, & omnes detractiones,

Rom. 6. a.4. Eph.4. c.22. Col.3. b.8. Hab.2. a.1. 2 Sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite; ut in eo crescatis in salutem:

3 Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.

4 Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum:

5 Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.

6 Propter quod continet Scriptura: * Ecce po- B *Isa. 28. d.16. Rom.9. f.33.* no in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur.

7 Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem,* lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli,

Ps.117. c.22. Isa.8. c.14. Matth. 21.d.42. Act.4. b.11. 8 Et lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt.

9 Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.

Osee 2. d. 24. Rom.9. f.25. 10 * Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.

C 11 * Charissimi, obsecro vos tamquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam,

Rom. 13.d.14. Gal.5. c.16. 12 Conversationem vestram inter gentes habentes bonam: ut in eo, quòd detrectant de vobis tamquā de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerātes, glorificent Deum in die visitationis.

Rom. 13.a.1. 13 * Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi, quasi præcellenti:

14 Sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum:

15 Quia sic est voluntas Dei, ut benè facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

16 Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.

Rom. 12.b.10. 17 Omnes honorate: * fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate.

Ephes. 6.a.5. Col.3. d.22. Tit.2. c.9. 18 * Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.

19 Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè.

20 Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si benè facientes patienter sustinetis; hæc est gratia apud Deum.

21 In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.

*Isa. 53. c.9. 22 * Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus:

23 Qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injustè:

*Isa. 53. b. 5. 1 Ioan. 3.a.5. 24 * Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis.

25 Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum.

Caput III.

De mutua inter conjuges conversatione, & mulierum ornatu: hortatur ad varias virtutes, utque Christi exemplo ferant adversa: & quòd per Baptismum salvamur in similitudinem eorum qui in arca Noë salvabantur.

A 1 Similiter & mulieres subditæ sint viris suis: ut *Ephes. 5. c.22. Col.3. c.18. & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant,

2 Considerantes in timore castam conversationem vestram.

*1.Tim. 2.c.9. 3 *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus:

4 Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.

5 Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris.

*Gen.18. b.12. 6 * Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cujus estis filiæ benefacientes, & B non pertimentes ullam perturbationem.

*1.Cor. 7.c.3. 7 * Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes vestræ.

8 In fine autem, omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles:

*Prov. 17 b.13. Rom. 12. d.17. 1.Thess. 5.c.15. *Ps.33. c.13. 9 * Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed econtrariò benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis.

10 * Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia ejus ne loquantur dolum.

*Isa.1. d.16. C 11 * Declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam:

12 Quia Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum: Vultus autem Domini super facientes mala.

* Matt. 5.c.10. 13 Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?

14 * Sed & si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.

15 Dominum autem Christũ sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.

*Sup.2. c.12. 16 * Sed cum modestia, & timore conscientiam habentes bonam: ut in eo, quòd detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.

17 Melius est enim benefacientes (si voluntas D Dei velit) pati, quàm malefacientes.

*Rom. 5.b.6. Hebr.9. g.28. 18 * Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.

19 In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit:

*Gen.7. b.7. Matth. 24.c.37. Luc.17. f.26. 20 Qui increduli fuerant aliquando, * quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca: in qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.

21 Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.

22 Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem ut vitæ æternæ heredes efficeremur: profectus in cælum, subjectis sibi angelis, & potestatibus, & virtutibus.

Caput IV.

Christi morte redemptos hortatur ut pergant præterita devitare peccata; incumbentes orationibus ac mutuæ dilectioni, semper omnia in Dei gloriam referentes, & gaudentes si propter Christum pati oporteat.

1 Christo igitur passo in carne, & vos eadem A cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desiit à peccatis:

*Eph.4. c.23. 2 *Ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis.

3 Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorũ cultibus.

4 In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes.

5 Qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos & mortuos.

6 Propter hoc enim & mortuis evangelizatum B est: ut judicentur quidem secundùm homines in carne, vivant autem secundùm Deum in Spiritu.

7 Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.

*Prov. 10.b.12. * Rom. 12. c.13. Hebr.13 a 2. 8 Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia * charitas operit multitudinem peccatorum.

9 Hospitales invicem sine murmuratione.

C *Philipp. 2.b. 14. * Rom. 12.b.6. *1. Cor. 4.a.2. 10 Unusquisque, sicut accipit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni * dispensatores multiformis gratiæ Dei.

11 Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum: cui est gloria, & imperium in sæcula sæculorum: Amen.

12 Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat:

13 Sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.

D 14 Si exprobramini in nomine Christi, beati

critis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescit.

15 Nemo autem vestrûm patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.

16 Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.

17 Quoniam tempus est ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem primùm à nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?

*Prov. 11.d.31. 18 * Et si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?

19 Itaque & hi, qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

Caput V.

Seniores orat ut verbo & exemplo pascant gregem Dei, juniores autem illis subditi sint: hortatur omnes ut sese demittant, divinæ curæ totos se tradentes, & in sobrietate ac fide diabolo resistentes.

A 1 Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis Christi passionum: qui & ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ cõmunicator:

2 Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè:

3 Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

B 4 Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

*Rom. 12.b.10. *Iac.4. b.6. 5 Similiter adolescentes subditi estote senioribus. * Omnes autem invicem humilitatem insinuate, *quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

*Iac.4. c.10. 6 * Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis:

*Ps.54. d.23. Matt.6. c.25. Luc.12. c.22. 7 * Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

C 8 Sobrij estote, & vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret:

9 Cui resistite fortes in fide: scientes eamdẽ passionẽ ei, quæ in mũdo est, vestræ fraternitati fieri.

10 Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.

11 Ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

D 12 Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi: obsecrans & contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.

13 Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coëlecta, & Marcus filius meus.

14 Salutate invicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Jesu. Amen.

EPISTOLA BEATI PETRI APOSTOLI SECUNDA.

Caput Primum.

Hortatur ut memores maximorum quæ à Deo acceperunt donorum, per varias scandant virtutes, ut sic introitus in regnum Domini illis ministretur: dicitque se brevi moriturum, & suæ doctrinæ certitudinem ostendit ex Christo doctore, quem & vox Patris & Prophetæ commendarunt.

A 1 Simon Petrus, servus & Apostolus Jesu Christi, iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia Dei nostri, & Salvatoris Jesu Christi.

2 Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Jesu Domini nostri:

3 Quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos, propria gloria & virtute,

4 Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.

5 Vos autem curam omnem subinferentes, mi- B nistrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam,

6 In scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem,

7 In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.

8 Hęc enim si vobiscum adsint, & superent; non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione.

9 Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.

10 Quapropter fratres magis satagite, ut per C bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.

11 Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi.

12 Propter quod incipiam vos semper commonere de his; & quidem scientes & confirmatos vos in præsenti veritate.

13 Justum autem arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione:

14 Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster Jesus Christus * significavit mihi.

*Ioan. 21.c.19. 15 Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

*1.Cor. 1.c.17. 16 * Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis.

D 17 Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum hujusmodi à magnifica gloria: * Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.

* Matt. 17.c.5. 18 Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto.

19 Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus vestris:

*2.Tim. 3.d.16. 20 Hoc primùm intelligentes, *quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.

21 Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

Caput II.

Pseudoprophetæ multos seducent, verùm acriter punientur, sicut de malis actum est tempore diluvij, & de Sodomitis: prosequitur autem prævos mores horum, quos admodum effusos dicit in libidinem.

A 1 Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem.

2 Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur:

3 Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus judicium jam olim non cessat; & perditio eorum non dormitat.

* *Iob.4. d.18. Ind. b.6.* 4 * Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.

* *Gen.7. a.1.* 5 Et originali mundo non pepercit, * sed octavum Noë justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens.

* *Gen. 19 c.25.* B 6 * Et civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit: exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens:

7 Et justum Lot oppressum à nefandorum injuria ac luxuriosa conversatione eripuit:

8 Aspectu enim, & auditu justus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.

9 Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem judicij reservare cruciandos:

10 Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes:

11 Ubi angeli fortitudine & virtute cùm sint majores, non portant adversùm se execrabile judicium.

12 Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribũt.

C 13 Percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias: coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum,

14 Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti. Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filij:

* *Iud. b. 11.* 15 Derelinquentes rectam viam erraverunt, * secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit:

16 Correptionem verò habuit suæ vesaniæ: subjugale mutum animal, * hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam.

* *Num. 22.c.28.* * *Iud. c. 12.* 17 * Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur.

D 18 Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululùm effugiunt, qui in errore conversantur:

* *Ioan. 8 d.34. Rom.6. c.16.b. 20.* 19 Libertatem illis promittentes, cùm ipsi servi sint corruptionis: *à quo enim quis superatus est, hujus & servus est.

20 Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi, * his rursus implicati superantur: facta sunt eis * posteriora deteriora prioribus. * *Heb.6. a.4.* * *Mat. 12.d.45.*

21 Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.

22 Contigit enim eis illud veri proverbij: * Canis reversus ad suum vomitum; &, Sus lota in volutabro luti. * *Pr.v. 26.b.11.*

Caput III.

Propter quosdam illusores secundum Domini adventum negantes, astruit futuram mundi renovationem, cùm brevi & insperatò Dominus adveniet: ad cujus adventum monet ut se præparent, laudans Pauli scripta quæ indocti depravant.

1 Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem: A

2 Ut memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum à sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini & Salvatoris.

3 Hoc primùm scientes, quòd venient * in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, * *1.Tim. 4.a.1. 2. Tim. 3.a.1. Iud.d. 18.*

4 Dicentes: * ubi est promissio, aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ. * *Exec. 12.g.27.* B

5 Latet enim eos hoc volentes, quòd cæli erant priùs, & terra, de aqua & per aquam consistens Dei verbo:

6 Per quæ, ille tunc mundus aqua inundatus periit.

7 Cæli autem qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicij, & perditionis impiorum hominum.

8 Unum verò hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus.

9 Non tardat Dominus promissionem suam: sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. C

10 * Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore solventur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. * *1.Thes. 5.a.2. Apoc. 3. a.3.16. c.15.*

11 Cùm igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus,

12 Expectantes & properantes in adventum diei Domini, per quem cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent?

13 * Novos verò cælos, & novam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat. * *Is.65. c.17.66. g.32. Apoc.21. a.1.*

14 Propter quod charissimi hæc exspectantes, satagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace.

15 Et * Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini: sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis. * *Rom. 2.a.4.* D

16 Sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his: in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.

17 Vos igitur fratres præscientes custodite: ne

ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.

18 Crescite verò in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.

EPISTOLA B. IOANNIS APOSTOLI PRIMA

Caput Primum.

Ioannes quod de Christo vidit & audivit, aliis annuntiat, ut unà cum ipso societur Deo & Christo ejus filio, cujus sanguine hominum peccata mundantur: porrò qui se peccasse negat, Deum mendacem facit.

A 1 Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ:

2 Et vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis:

3 Quod vidimus & audivimus, annuntiamus vobis, ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo.

B 4 Et hæc scribimus vobis ut gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum.

* *Ioan. 8. b.12.* 5 Et hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis: * Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.

6 Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus.

* *Heb.9. d.14. 1. Pet.1. d.19. Apoc.1. b.5.* 7 Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce; societatem habemus ad invicem, * & sanguis Jesu Christi, Filij ejus, emundat nos ab omni peccato.

* *3.Reg. 8.c.46. 2. Par. 6. f.36. Prov.20. b.9. Eccle.7. c.21.* 8 * Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

9 Si confiteamur peccata nostra; fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.

10 Si dixerimus quoniam non peccavimus; mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.

Caput II.

Iesus Christus advocatus noster est apud Patrem, & propitiatio pro peccatis totius mundi: observatione autem mandatorum Dei comprobatur vera Dei notitia ac dilectio: quod sit vetus ac novum mandatum: quis sit in luce & in tenebris: variis scribit ætatibus, revocans à mundi dilectione & ab hereticis, ac monens ut semel acceptæ fidei adhæreant, sequentes ductum Spiritus sancti.

A 1 Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum:

2 Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

3 Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus.

4 Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.

5 Qui autem servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est: & in hoc scimus quoniam in ipso sumus.

6 Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.

7 Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio: Mandatum vetus, est verbum quod audistis: B

* *Ioan. 13.d.34. 15.b.12.* 8 * Iterùm mandatum novum scribo vobis, quod verum est & in ipso, & in vobis: quia tenebræ transierunt, & verum lumen jam lucet.

9 Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.

* *Inf. 3. c.14.* 10 * Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est.

11 Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.

12 Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.

13 Scribo vobis patres, quoniam cognovistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum.

14 Scribo vobis infantes, quoniam cognovistis patrem. Scribo vobis juvenes, quoniam fortes estis, & verbũ Dei manet in vobis, & vicistis malignũ.

15 Nolite diligere mundum, neque ea quæ in C mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo:

16 Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.

17 Et mundus transit, & concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

18 Filioli, novissima hora est: & sicut audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus, quia novissima hora est.

19 Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis.

20 Sed vos unctionem habetis à Sancto, & nostis omnia.

21 Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam: & quoniam omne mendacium ex veritate non est.

22 Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam D Jesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.

23 Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.

24 Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat: Si in vobis permanserit quod audistis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis.

25 Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam

26 Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos.

27 Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et

sicut

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut docuit vos : manete in eo.

28 Et nunc filioli manete in eo : ut cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus.

29 Si scitis quoniam justus est, scitote quoniam & omnis qui facit justitiam, ex ipso natus est.

Caput III.

De Dei erga nos charitate, & quomodo distinguantur qui ex Deo sunt & qui ex diabolo : de dilectione & odio fratrum : qui mentis puritate & fide in Christum quippiam à Deo petit, impetrat.

A 1 Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur & simus. Propter hoc mundus non novit nos : quia non novit eum.

2 Charissimi, nunc filij Dei sumus : & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est.

3 Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.

4 Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit : & peccatum est iniquitas.

5 Et scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret : * & peccatum in eo non est. * *Is.53. c.9. 1 Pet.2. d.22.*

B 6 Omnis qui in eo manet, non peccat : & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.

7 Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est : sicut & ille justus est.

* *Ioan. 8.f.44.* 8 * Qui facit peccatum, ex diabolo est : quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.

9 Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit : quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.

10 In hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum :

* *Ioan. 13.d.34. 15.b.12.* 11 Quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, * ut diligatis alterutrum.

* *Gen.4. b.8.* 12 Non sicut * Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant : fratris autem ejus, justa.

C 13 Nolite mirari fratres, si odit vos mundus.

* *Lev. 19.d.17. Sup.2. b.10. Luc.3. c.11.* 14 Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. * Qui non diligit, manet in morte :

15 Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.

* *Ioan. 15.b.13.* 16 * In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit : & nos debemus pro fratribus animas ponere.

* *Luc.3. c.11. Iac.2.c.15.* 17 * Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo : quomodo charitas Dei manet in eo?

D 18 Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.

19 In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus : & in conspectu ejus suadebimus corda nostra.

20 Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum : major est Deus corde nostro, & novit omnia.

21 Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum :

* *Mat. 21.b.22.* 22 * Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo : quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.

* *Ioan. 6.d.29. 17.a.3.* 23 * Et hoc est mandatum ejus : Ut credamus in nomine Filij ejus Jesu Christi : & * diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.

* *Ioan. 11.d.34. 15.b.12.* 24 Et qui servat mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo : & in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis.

Caput IV.

Qui spiritus ex Deo sint, & qui non : cùm Deus sua nos dilectione prævenerit, dato pro nobis Filio suo, debemus & nos Deum ac proximum diligere : perfecta autem charitas foras mittit timorem.

A 1 Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint : quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.

2 In hoc cognoscitur spiritus Dei : omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est :

3 Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est ; & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc jam in mundo est.

4 Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum, quoniam major est qui in vobis est, quàm qui in mundo.

* *Ioan. 8.f.47.* 5 * Ipsi de mundo sunt : Ideò de mundo loquuntur, & mundus eos audit.

B 6 Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos : qui non est ex Deo, non audit nos : in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & spiritum erroris.

7 Charissimi, diligamus nos invicem : quia charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum.

8 Qui non diligit, non novit Deum : quoniam Deus charitas est.

* *Ioan. 3.b.16.* 9 In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam * Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.

10 In hoc est charitas : non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

11 Charissimi, si sic Deus dilexit nos : & nos debemus alterutrum diligere.

C 12 * Deum nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est.

* *Ioan.1. c.18. 2.Tim.6. d.16.*

13 In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis : quoniam de Spiritu suo dedit nobis.

14 Et nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi.

15 Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.

16 Et nos cognovimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus Charitas est : & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

D 17 In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum : ut fiduciam habeamus in die judicij : quia sicut

sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.

18 Timor non est in charitate : sed perfecta charitas foras mittit timorem : quoniam timor pœnam habet. qui autem timet, non est perfectus in charitate.

19 Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.

20 Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?

* *Ioan. 13.d.34. 15.b.12. Eph.5. a.2.* 21 * Et hoc mandatum habemus à Deo : ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

Caput V.

De natis ex Deo, veráque erga ipsum charitate : fides mundum vincit : tres in terra testantur Christum verum hominem, & tres in cælo verum Dei filium, in quem credens habet vitam æternam : de peccato ad mortem, & non ad mortem.

A 1 Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo.

2 In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata ejus faciamus.

3 Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus : & mandata ejus gravia non sunt.

4 Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum : & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.

* *1.Cor. 15.f.57.* 5 * Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est filius Dei?

B 6 Hic est qui venit per aquam & sanguinem, Jesus Christus : non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.

7 Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo : Pater, Verbum, & Spiritus sanctus : & hi tres unum sunt.

8 Et tres sunt, qui testimonium dant in terra : Spiritus, & aqua, & sanguis : & hi tres unum sunt.

9 Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est : quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo.

* *Ioan.3. d.36.* 10 * Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum : quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.

C 11 Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus est.

12 Qui habet Filium, habet vitam : qui non habet Filium, vitam non habet.

13 Hæc scribo vobis : ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei.

14 Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum : Quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos.

15 Et scimus quia audit nos quidquid petierimus : scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.

D 16 Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.

17 Omnis iniquitas, peccatum est : & est peccatum ad mortem.

18 Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat : sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum.

19 Scimus quoniam ex Deo sumus : & mundus totus in maligno positus est.

20 Et scimus quoniam Filius Dei venit, * & dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna. * *Luc. 24 f.45.*

21 Filioli, custodite vos à simulacris. Amen.

EPISTOLA B. IOANNIS APOSTOLI SECUNDA.

Electam hanc ejusque filios in charitate & fide confirmat, ne ab hæreticis seducantur ; idque paucis ; cetera servans donec ad eos veniat.

1 Senior Electæ dominæ, & natis ejus, A quos ego diligo in veritate, & non ego solus, sed & omnes qui cognoverunt veritatem,

2 Propter veritatem quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum.

3 Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Christo Jesu Filio Patris, in veritate & charitate.

4 Gavisus sum valdè, quoniam inveni de filiis B tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus à Patre.

5 Et nunc rogo te domina, non tamquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, * ut diligamus alterutrum.

* *Ioan. 13.d.34. 15.b.12.*

6 Et hæc est charitas, ut ambulemus secundùm C mandata ejus. Hoc est enim mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis :

7 Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem : hic est seductor, & antichristus.

8 Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis : sed ut mercedem plenam accipiatis.

9 Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet : qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet.

10 Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non D affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis.

11 Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.

12 Plura habens vobis scribere, nolui per chartã & atramentum : spero enim me futurum apud vos & os ad os loqui : ut gaudium vestrum plenum sit.

13 Salutant te filij sororis tuæ Electæ.

EPISTOLA B. IOANNIS APOSTOLI TERTIA.

Gaium collaudat quòd in veritate ambulet, & peregrinos humanè excipiat, subdens de Diotrephis calumniis & inhumanitate, ac Demetrio optimum perhibens testimonium, subjungens se illum brevi invisurum.

1 Senior Gaio charissimo, quem ego A diligo in veritate.

2 Charissime,

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 Charissime, de omnibus orationem facio prosperè te ingredi, & valere, sicut prosperè agit anima tua.

3 Gavisus sum valdè venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas.

B 4 Majorem horum non habeo gratiam, quàm ut audiam filios meos in veritate ambulare.

5 Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos,

6 Qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ: quos, benefaciens, deduces dignè Deo.

C 7 Pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes à Gentibus.

8 Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis.

9 Scripsissem forsitan Ecclesiæ: sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, nō recipit nos.

10 Propter hoc si venero, cōmonebo ejus opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant; neque ipse suscipit fratres; & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia ejicit.

11 Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est: qui ma-
D lefacit, non vidit Deum.

12 Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate, sed & nos testimonium perhibemus: & nosti quoniam testimonium nostrum verum est.

13 Multa habui tibi scribere: sed nolui per atramentum & calamum scribere tibi.

14 Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

EPISTOLA CATHOLICA BEATI JUDÆ APOSTOLI.

Monet, ut firmi sint in tradita semel fide adversus insurgentes impios ac lascivos, subdens de horum supplicio in modum Judæorum ac Sodomorum: nam & hi nullum veriti, effrenè feruntur in omnem carnis concupiscentiam, quos diversis rebus comparat: & istos ad Enoch ac Apostolorum de illis vaticinia revocat.

A 1 JUDAS Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, his qui sūt in Deo Patre dilectis, & Christo Jesu conservatis, & vocatis.

2 Misericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur.

3 Charissimi, omnem solicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei.

4 Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem & Dominum nostrum Jesum Christum negantes.

B 5 Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra Ægypti
* Num. 14. f. 37. salvans, * secundò eos, qui nō crediderūt, perdidit:

6 Angelos verò, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.

7 Sicut * Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes. * Gen. 19. c. 24.

8 Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant.

9 * Cùm Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ: sed dixit: Imperet tibi Dominus. * Zach. 3. b. 2.

10 Hi autem, quæcumque quidem ignorant, blasphemant: quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.

11 Væ illis, quia in * via Cain abierunt, & * errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione * Core perierunt. * Gen. 4. b. 8. * Num. 22. c. 23.

12 Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, * nubes sine
C aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, * Num. 16. c. 32. * 2. Pet. 2. c. 17.

13 Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in æternum.

14 Prophetavit autem & de his septimus ab Adam Enoch, dicens: * Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis * Apoc. 1. b. 7.

15 Facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij.

16 Hi sunt murmuratores querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, * & os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa. * Ps. 16. c. 20.

17 Vos autem charissimi, memores estote verborum, * quæ prædicta sunt ab Apostolis Domi-
D ni nostri Jesu Christi, * 1. Tim. 4. a. 1. 2. Tim. 3. a. 1. 2. Pet. 3 a. 3.

18 Qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus.

19 Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.

20 Vos autem charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes,

21 Vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam,

22 Et hos quidem arguite judicatos:

23 Illos verò salvate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.

24 Ei autem, qui potens est vos conservare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in adventu Domini nostri Jesu Christi;

25 Soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum, gloria & magnificentia, imperium & potestas ante omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

APOCALYPSIS BEATI JOANNIS APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM.

Joannes in Patmos insula relegatus jubetur scribere quæ viderit septem Asiæ Ecclesiis, per septem candelabra designatis, quæ vidit in circuitu filij hominis; modum describens quo hic ipsi demonstratus sit.

A 1 APOCALYSIS Jesu Christi, quam dedit illi Deus palàm facere servis suis, quæ oportet fieri citò: & significavit, mittens per Angelum suum servo suo Joanni.

2 Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit.

3 Beatus, qui legit & audit verba prophetiæ hujus: & servat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim propè est.

4 Joannes septem ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis & pax ab eo, * qui est, & qui erat, & qui venturus est; & à septem spiritibus, qui in
* Exod. 3. d. 14. conspectu throni ejus sunt;

B 5 Et à Jesu Christo, qui est testis fidelis, * primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ: qui
* 1. Cor. 15. c. 20. Col. 1. c. 18. * Heb. 9. d. 14. 1. Pet. 1. d. 19. 1. Joan. 1. c. 7. dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris * in sanguine suo,

6 Et fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri suo: ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum: Amen.

7 * Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ: Etiā: Amen.
* Is. 3. c. 13. Matt. 24. c. 30. Jud. c. 14.

8 * Ego sum α & ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens.
* Is. 41. a. 4. 44. a. 6. 48. b. 12. Inf. 21. b. 6. 22. c. 13.

9 Ego Joannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Jesu; fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & testimonium Jesu:

C 10 Fui in spiritu in Dominica die, & audivi post me vocem magnam tamquam tubæ,

11 Dicentis: Quod vides, scribe in libro: & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.

12 Et conversus sum, ut viderem vocem quæ loquebatur mecum: Et conversus vidi septem candelabra aurea:

13 Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podêre, & præcinctum ad mamillas zona aurea:

D 14 Caput autem ejus & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix, & oculi ejus tamquam flamma ignis,

15 Et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti, & vox illius tamquam vox aquarum multarum:

16 Et habebat in dextera sua stellas septem: & de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat: & facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.

17 Et cùm vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me, dicens: Noli timere: * ego sum primus, * Is. 41. a. 4. 44. a. 6. 48.
& novissimus;

18 Et vivus, & fui mortuus; & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis, & b. 12. Inf. 22. c. 13.
inferni.

19 Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.

20 Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea: septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.

CAPUT II.

Jubetur Joannes varia scribere Ecclesiis Ephesi, Smyrnæ, Pergami & Thyatiræ: collaudans eos qui Nicolaitarum doctrinam non admiserant, alios autem minis ad pœnitentiam revocans: tepidum quoque detestans, & vincenti præmium pollicens.

1 ANgelo Ephesi Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, A
qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum:

2 Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & invenisti eos mendaces:

3 Et patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.

4 Sed habeo adversum te, quòd charitatem tuam B
primam reliquisti.

5 Memor esto itaque unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.

6 Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.

7 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.

8 Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit C
primus, & novissimus, qui fuit mortuus, & vivit:

9 Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, sed dives es: & blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ.

10 Nihil horū timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini: & habebitis tribulationem diebus decē:

Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

D 11 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.

12 Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui habet romphæam utraque parte acutam:

13 Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi satanas habitat.

14 Sed habeo adversus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam * Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere, & fornicari: * Num. 24.n.3. 25.n.2.

15 Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.

E 16 Similiter pœnitentiam age: si quo minùs veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.

17 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.

18 Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, & pedes ejus similes aurichalco:

F 19 Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua novissima plura prioribus.

20 Sed habeo adversus te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit propheten, docere, & seducere servos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.

21 Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere à fornicatione sua.

22 Ecce mittam eam in lectum: & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint.

G 23 Et filios ejus interficiam in morte, & scient omnes Ecclesiæ, * quia ego sum scrutans renes & corda: & dabo unicuique vestrûm secundùm opera sua. Vobis autem dico, * 1. Reg. 16. b. 7. Psal. 7. b. 10. Ier. 11. d. 20. 17. b. 10. 20. e. 12.

24 Et ceteris qui Thyatiræ estis: Quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognoverunt altitudines satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus:

25 Tamen id, quod habetis, tenete donec veniã.

26 Et qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes,

27 Et reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringentur,

28 Sicut & ego accepi à Patre meo: & dabo illi stellam matutinam.

29 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

Caput III.

Iubetur scribere Ecclesiis Sardis, Philadelphiæ & Laodiciæ, errantes ad pœnitentiam minis revocans, sed alios collaudans, & vincenti præmium pollicens: Deum dicens ad ostium pulsare, ut ingrediatur ad illum qui aperuerit.

A 1 ET Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei, & septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes quòd vivas, & mortuus es.

2 Esto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.

3 In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris, & serva, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, * Veniam ad te tamquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. * 1. Thes. 5. n. 2. 2. Pet. 3. c. 10. Inf. 16. c. 15.

4 Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua: & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.

5 Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & B non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram angelis ejus.

6 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

7 Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Sanctus & Verus, * qui habet clavem David: * qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit: * Isa. 22. f. 22. * Job. 12. c. 14.

8 Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, & servasti verbum meum, & non negasti nomen meum.

9 Ecce dabo de synagoga satanæ, qui dicunt se Judæos esse, & non sunt, sed mentiuntur: Ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos: & scient quia ego dilexi te.

10 Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, C & ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbẽ universum tentare habitantes in terra.

11 Ecce venio citò: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

12 Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo, & nomen meum novum.

13 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

14 Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe: * Hæc dicit: Amen, testis fidelis, & verus, qui est principium creaturæ Dei. * Ioan. 14. n. 6.

15 Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses, aut calidus:

16 Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec ca- D lidus, incipiam te evomere ex ore meo.

17 Quia dicis: Quòd dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

18 Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos ut videas.

19 * Ego quos amo, arguo, & castigo. Æmulare ergo, & pœnitentiam age. * Prov. 3. b. 12. Hebr. 12. b. 6.

20 Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecũ.

21 Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum patre meo in throno ejus.

22 Qui

22 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

Caput IV.

Aperto in cælo ostio videt sedentem in throno, & in hujus circuitu viginti quattuor seniores sedentes; & quæ hic describit, quattuor animalia, quæ sedentem in throno assiduè una cum viginti quattuor senioribus glorificabant.

A 1 POst hæc vidi: & ecce ostium apertum in cælo; & vox prima, quam audivi, tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc.

2 Et statim fui in spiritu: & ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens.

3 Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis & sardinis: & iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ.

B 4 Et in circuitu sedis sedilia viginti quattuor: & super thronos viginti quattuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.

5 Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: & septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.

C 6 Et in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo: & in medio sedis, & in circuitu sedis, quattuor animalia plena oculis antè & retrò.

7 Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti.

8 Et quattuor animalia, singula eorum habebant alas senas: & in circuitu, & intus plena sunt oculis: & requiem non habebant die ac nocte, di- * Isa. 6. b. 3. centia: * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.

9 Et cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum,

D 10 Procidebant viginti quattuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes:

11 Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.

Caput V.

Flente Ioanne quòd librum septem sigillis signatum nemo posset aperire, agnus primum occisus illum aperuit; quo facto quattuor animalia & viginti quattuor seniores, cum innumera Angelorum multitudine omnique creatura illum maximè glorificarunt.

A 1 ET vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.

2 Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus?

3 Et nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum.

4 Et ego flebam multùm, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum.

5 Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fle- B veris: ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & solvere septem signacula ejus.

6 Et vidi: & ecce in medio throni & quattuor animalium, & in medio seniorum, agnum stantem tamquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem: qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.

7 Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum.

8 Et cùm aperuisset librum, quattuor animalia, & viginti quattuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum: C

9 Et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione:

10 Et fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes: & regnabimus super terram.

11 Et vidi, & audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum * millia millium, * Dan. 7. c. 10.

12 Dicentium voce magna: Dignus est Agnus, D qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

13 Et omnem creaturam quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.

14 Et quattuor animalia dicebant: Amen. Et viginti quattuor seniores ceciderunt in facies suas: & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.

Caput VI.

Apertis quattuor sigillis varij adversus terram sequuntur effectus: quinto verò aperto, animæ martyrum petunt acceleravi judicium: ad sexti autem apertionem ostenduntur signa futuri judicij. A

1 ET vidi quòd aperuisset Agnus unum de septem sigillis, & audivi unum de quattuor animalibus, dicens, tamquam vocem tonitrui: Veni, & vide.

2 Et vidi: & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret.

3 Et cùm aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal, dicens: Veni, & vide.

4 Et exivit alius equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus. B

5 Et cùm aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens: Veni, & vide. Et ecce equus niger: & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua.

6 Et audivi tamquam vocem in medio quattuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum & oleum ne læseris.

7 Et cùm aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis: Veni, & vide.

Universidad de Deusto
Biblioteca

8 Et ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen illi Mors, & infernus sequebatur eum; & data est illi potestas super quattuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.

C 9 Et cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant,

10 Et clamabant voce magna, dicentes: Usquequò Domine, (sanctus, & verus) non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra?

11 Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi.

D 12 Et vidi cùm aperuisset sigillum sextum: & ecce terræ motus magnus factus est, & sol factus est niger tamquam saccus cilicinus: & luna tota facta est sicut sanguis:

13 Et stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno movetur.

14 Et cælum recessit sicut liber involutus: & omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt.

15 Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus, & liber, absconderunt se in speluncis, & in petris montium:

Isa. 2. d. 19. Ose. 10. e. 8. Luc. 23. e. 30. 16 Et dicunt montibus, & petris: * Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni:

17 Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare?

CAPUT VII.

Dum puniénda est terra; jubentur absque nocumento servari signum in fronte gerentes: qui describuntur tam ex Judæis quàm ex Gentibus, benedicemes Deum: & de his qui amicti erant stolis albis.

A 1 POst hæc vidi quattuor Angelos stantes super quattuor angulos terræ, tenentes quattuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem.

2 Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi: & clamavit voce magna quattuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari,

3 Dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.

4 Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quattuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israël.

B 5 Ex tribu Juda duodecim millia signati: Ex tribu Ruben duodecim millia signati: Ex tribu Gad duodecim millia signati:

6 Ex tribu Aser duodecim milla signati: Ex tribu Nephthali duodecim millia signati: Ex tribu Manasse duodecim millia signati:

7 Ex tribu Simeon duodecim millia signati: Ex tribu Levi duodecim millia signati: Ex tribu Issachar duodecim millia signati:

8 Ex tribu Zabulon duodecim millia signati: Ex tribu Joseph duodecim millia signati: Ex tribu Benjamin duodecim millia signati:

9 Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tri- C
bubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum:

10 Et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.

11 Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quattuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt Deum,

12 Dicentes, Amen. Benedictio, & charitas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum, Amen.

13 Et respondit unus de senioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & unde venerunt? D

14 Et dixi illi: Domine mi, tu scis: & dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.

15 Et ideò sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui sedet in throno, habitabit super illos.

16 * Non esurient, neque sitient ampliùs, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: *Isa. 49. c. 10.*

17 Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, * & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. *Isa. 25. c. 8. Infr. 21. b. 4.*

CAPUT VIII.

Aperto septimo sigillo septem Angeli cum tubis ostenduntur; effusoque in terram igne altaris ab alio Angelo fiunt variæ tempestates: similiter quattuor Angelis tuba canentibus producuntur variæ plagæ adversus homines. A

1 ET cùm aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo, quasi media hora.

2 Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei: & datæ sunt illis septem tubæ.

3 Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. B

4 Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.

5 Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus magnus.

6 Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tuba canerent.

7 Et primus Angelus tuba cecinit, & facta est grando, & ignis, mista in sanguine, & missum est in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est. C

8 Et secundus Angelus tuba cecinit: & tamquam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis,

9 Et mortua est tertia pars creaturæ eorum quæ

habebant animas in mari, & tertia pars navium interiit.

10 Et tertius Angelus tuba cecinit: & cecidit de cælo stella magna ardens tamquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum:

D 11 Et nomen stellæ dicitur Absinthium, & facta est tertia pars aquarum in absinthium: & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.

12 Et quartus Angelus tuba cecinit: & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum: ita ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter.

13 Et vidi, & audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cæli, dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in terra, de ceteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canituri.

CAPUT IX.

Quinto Angelo tuba canente stella cadit, & locusta à fumo putei egressa describuntur, qua homines cruciant: sexto verò Angelo canente solvuntur quattuor Angeli, qui ingenti equestri exercitu tertiam hominum partem occidant.

A 1 ET quintus Angelus tuba cecinit: & vidi stellam de cælo cecidisse in terram, & data est ei clavis putei abyssi.

2 Et aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ: & obscuratus est sol & aër de fumo putei:

3 Et de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ:

4 Et præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis:

5 Et datum est illis ne occiderent eos; sed ut cruciarent mensibus quinque: & cruciatus eorum, ut cruciatus scorpij cùm percutit hominem.

Isai. 2. d. 19. Ose. 10. e. 8. Luc. 23. e. 30. 6 * Et in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

Sap. 16. b. 9. 7 * Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium: & super capita earum tamquam coronæ similes auro: & facies earum tamquam facies hominum.

8 Et habebant capillos sicut capillos mulierum; & dentes earum, sicut dentes leonum erant:

9 Et habebant loricas sicut loricas ferreas, & vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum:

10 Et habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum: & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque: & habebant super se

C 11 Regem angelum abyssi, cui nomen Hebraïcè Abaddon, Græcè autem Appollyon, Latinè habens nomen Exterminans.

12 Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ post hæc.

13 Et sextus Angelus tuba cecinit: & audivi vocem unam ex quattuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei,

14 Dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam: Solve quattuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.

15 Et soluti sunt quattuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & mensem, & annum, ut occiderent tertiam partem hominum.

16 Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Et audivi numerum eorum.

17 Et ita vidi equos in visione: & qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas, & capita equorum erant tanquam capita leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur.

18 Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars D
hominum, de igne, & de fumo, & sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum.

19 Potestas enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum. nam caudæ eorum similes serpentibus habentes capita: & in his nocent.

20 Et ceteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia, & simulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare:

21 Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque à veneficiis suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis.

CAPUT X.

Clamante alio forti Angelo loquuntur septem tonitrua: porrò Angelus jurat non ampliùs fore tempus, sed consummandum ad vocem septimi Angeli mysterium: datque librum Joanni devorandum.

1 ET vidi alium Angelum fortem descen- A
dentem de cælo amictum nube, & iris in capite ejus, & facies ejus erat ut sol, & pedes ejus tamquam columnæ ignis:

2 Et habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram:

3 Et clamavit voce magna, quemadmodum cùm B
leo rugit. Et cùm clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.

4 Et cùm locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram: & audivi vocem de cælo dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere.

5 * Et angelus, quem vidi stantem super mare, & *Dan. 12. v. 7.*
super terram, levavit manum suam ad cælum:

6 Et juravit per viventem in sæcula sæculorum, C
qui creavit cælum, & ea quæ in eo sunt; & terram, & ea quæ in ea sunt; & mare, & ea quæ in eo sunt: Quia tempus non erit ampliùs:

7 Sed in diebus vocis septimi angeli, cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas.

8 Et audivi vocem de cælo iterùm loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu angeli stantis super mare, & super terram.

9 Et abij ad angelum, dicens ei, ut daret mihi D
librum. Et dixit mihi: * Accipe librum, & devora *Ezech. 3. a. 1.*
illum: & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel.

Universidad de Deusto
Biblioteca

10 Et accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum: & erat in ore meo tamquam mel dulce, & cùm devorassem eum, amaricatus est venter meus:

11 Et dixit mihi: Oportet te iterùm prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.

CAPUT XI.

Ioannes templum metiens audit prædicaturos duos testes, quos bestia à mari ascendens occidet: at illi resurgentes in cælum ascendunt, ac terræmotu occiduntur 7000. hominum, & ad cantum septimi Angeli viginti quattuor seniores Deo gratias agunt.

A 1 ET datus est mihi calamus similis virgæ, & dictum est mihi: Surge & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.

2 Atrium autem quod est foris templum, ejice foras, & metiaris illud: quoniam datum est Gentibus, & civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus:

3 Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.

4 Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes.

5 Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.

B 6 Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint.

7 Et cùm finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.

8 Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est.

9 Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumentis.

C 10 Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, & jucundabuntur: & munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant super terram.

11 Et post dies tres & dimidium, spiritus vitæ à Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.

12 Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cælum in nube: & viderunt illos inimici eorum.

13 Et in illa hora factus est terræmotus magnus, & decima pars civitatis cecidit: & occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia: & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cæli.

14 Væ secundum abiit: & ecce væ tertium veniet citò.

D 15 Et septimus angelus tuba cecinit: & factæ sunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum: Amen.

16 Et viginti quattuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Deum, dicentes:

17 Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti.

18 Et iratæ sunt Gentes, & advenit ira tua, & tempus mortuorum judicari, & reddere mercedem servis tuis Prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum pusillis, & magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terram.

19 Et apertum est templum Dei in cælo: & visa est arca testamenti ejus in templo ejus, & facta sunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.

CAPUT XII.

Cùm mulier cernente dracone filium peperisset, raptus est ab ea filius eius ad Deum: tunc facto in cælo prælio, lapsus draco cæpit mulieris semen persequi.

A 1 ET signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim:

2 Et in utero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat.

3 Et visum est aliud signum in cælo: & ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem: & in capitibus ejus diademata septem:

4 Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram: & draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura: ut cùm peperisset, filium ejus devoraret.

5 Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea: & raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus:

6 Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat B locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.

7 Et factum est prælium magnum in cælo: Michaël, & angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli ejus:

8 Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo.

9 Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit universum orbem: & projectus est in terram, & angeli ejus cum illo missi sunt.

10 Et audivi vocem magnam in cælo dicentem: C Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.

11 Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonij sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem.

12 Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis, Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet.

13 Et postquam vidit draco quòd projectus esset D in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum:

14 Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum: ubi alitur

alitur per tempus & tempora & dimidium temporis, à facie serpentis.

15 Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tamquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.

16 Et adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.

17 Et iratus est draco in mulierem: & abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Jesu Christi.

18 Et stetit supra arenam maris.

CAPUT XIII.

Bestia de mari ascendens septem capitum & decem cornuum decémque diadematum, cujus plaga curatur, Deum blasphemat, & sanctos debellat: alteraque bestia duorum cornuum de terra ascendens illi maximè favet, cogens fieri, & adorari ejus imaginem, haberique characterem nominis ejus.

A 1 ET vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua ejus decem diademata, & super capita ejus nomina blasphemiæ.

2 Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, & pedes ejus sicut pedes ursi, & os ejus sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam, & potestatem magnam.

3 Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem: & plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam.

B 4 Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ: & adoraverunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea?

5 Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias: & data est ei potestas facere menses quadraginta duos.

6 Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in cælo habitant.

7 Et est datum illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem:

8 Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram: quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.

9 Si quis habet aurem, audiat.

C 10 Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: * qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hîc est patientia, & fides Sanctorum.

*Gen. 9. b. 6. Matth. 26. c. 52.

11 Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia Agni, & loquebatur sicut draco.

12 Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus: & fecit terram, & habitantes in ea, adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis.

13 Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum.

D 14 Et seduxit habitantes in terra, propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit.

15 Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, & ut loquatur imago bestiæ: & faciat ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur.

16 Et faciet omnes pusillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.

17 Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.

18 Hîc sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est: & numerus ejus sexcenti sexaginta sex.

CAPUT XIV.

Virgines cum Agno cantantes ambulant, Angelo uno Evangelium annuntiante, altero Babylonis lapsum, tertio verò cruciatum eorum qui bestiam adorarunt prædicante: porrò duo habentes falces jubentur, ille messem, hic autem vineam terræ demetere.

A 1 ET vidi: & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quattuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.

2 Et audivi vocem de cælo, tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitrui magni: & vocem, quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.

3 Et cantabant quasi canticum novum, ante sedem, & ante quattuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quattuor millia, qui empti sunt de terra.

4 Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.

5 Et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei.

6 Et vidi alterum Angelum volantem per me- B dium cæli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum:

7 Dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicij ejus: & adorate eum, * qui fecit cælum & terram, mare, & fontes aquarum.

* Psal. 145. v. 6. Act. 14. v. 14.

8 Et alius Angelus secutus est dicens: * Cecidit, cecidit Babylon illa magna: quæ à vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes.

* Isa. 21. v. 9. Jer. 51. v. 8.

9 Et tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna: Si quis adoraverit bestiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua:

10 Et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni:

11 Et fumus tormentorum eorum ascendet in C sæcula sæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam, & imaginem ejus, & si quis acceperit characterem nominis ejus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

12 Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei & fidem Jesu.

13 Et audivi vocem de cælo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.

14 Et vidi, & ecce nubem candidam: & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.

15 Et alius Angelus exivit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: * Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ. *Joel 3. c.13. Matth. 13. c.39.

D 16 Et misit qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, & demessa est terra.

17 Et alius Angelus exivit de templo, quod est in cælo, habens & ipse falcem acutam.

18 Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem: & clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ sunt uvæ ejus.

19 Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum:

20 Et calcatus est lacus extra civitatem, & exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.

Caput XV.

Qui bestiam vicerant & ejus imaginem ac numerum nominis ejus, Deum glorificant; & septem Angelis habentibus septem plagas novissimas dantur septem phialæ iræ Dei plenæ.

A 1 ET vidi aliud signum in cælo magnum & mirabile, Angelos septem, habentes plagas septem novissimas: Quoniam in illis consummata est ira Dei.

B 2 Et vidi tamquam mare vitreum mistum igne, & eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem ejus, & numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei:

3 Et cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum Agni, dicentes: Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.

C 4 * Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt. *Jer.10. 4.7.

5 Et post hæc vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonij in cælo:

6 Et exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.

D 7 Et unum de quattuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum.

8 Et impletum est templum fumo à majestate Dei, & de virtute ejus: & nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum.

Caput XVI.

Ad septem phialarum effusionem in terram, mare, fontes, solem, bestiæ sedem, Euphraten & aërem, multa in terra plagæ oriuntur.

1 ET audivi vocem magnam de templo, dicentem septem Angelis: Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram. A

2 Et abiit primus, & effudit phialam suam in terram, & factum est vulnus sævum & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ; & in eos, qui adoraverunt imaginem ejus.

3 Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tamquam mortui: & omnis anima vivens mortua est in mari.

4 Et tertius effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis.

5 Et audivi Angelum aquarum dicentem: Justus es Domine, qui es, & qui eras sanctus, qui hæc judicasti: B

6 Quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt.

7 Et audivi alterum ab altari dicentem: Etiam Domine Deus omnipotens, vera & justa judicia tua.

8 Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem, & datum est illi æstu affligere homines, & igni:

9 Et æstuaverunt homines æstu magno, & blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam ut darent illi gloriam.

10 Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ: & factum est regnum ejus tenebrosum, & commanducaverunt linguas suas præ dolore:

11 Et blasphemaverunt Deum cæli, præ doloribus & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. C

12 Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten: & siccavit aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu solis.

13 Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum.

14 Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.

15 * Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. *Matth. 24.d.43. Luc.12. c.39.

16 Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon. Sup.3. a.3.

17 Et septimus Angelus effudit phialam suam in aërem, & exivit vox magna de templo à throno, dicens: Factum est. D

18 Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus factus est magnus, qualis numquam fuit ex quo homines fuerunt super terram: talis terræmotus sic magnus.

19 Et facta est civitas magna in tres partes: & civitates

civitates Gentium ceciderunt. & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.

20 Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi.

21 Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines: & blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta est vehementer.

Caput XVII.

Mulier fornicaria sive Babylon variis induta ornamentis, & ebria martyrum sanguine, sedet super bestiam septem capitum & decem cornuum: quæ omnia hic declarat Angelus.

A 1 ET venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & locutus est mecum, dicens: Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas,

2 Cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus.

3 Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem.

B 4 Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus.

5 Et in fronte ejus nomen scriptum: Mysterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.

6 Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Jesu. Et miratus sum cùm vidissem illam admiratione magna.

7 Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, & bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem.

C 8 Bestia, quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de abysso, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ à constitutione mundi) videntes bestiam, quæ erat, & non est.

9 Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt.

10 Quinque ceciderunt, unus est, & alius nondum venit: & cùm venerit, oportet illum breve tempus manere.

11 Et bestia, quæ erat, & non est: & ipsa octava est: & de septem est, & in interitum vadit.

12 Et decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt: qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tamquam reges una hora accipient post bestiam.

D 13 Hi unum consilium habent, & virtutem & potestatem suam bestiæ tradent.

14 Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos: * quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum, & qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles. *1. Tim. 6. c.15. Infr. 19. c.16.

15 Et dixit mihi: Aquæ, quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, & Gentes, & linguæ.

16 Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igni concremabunt.

17 Deus enim dedit in corda eorum ut faciant quod placitum est illi: ut dent regnum suum bestiæ donec consummentur verba Dei.

18 Et mulier, quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.

Caput XVIII.

Babylonis lapsus, judicium, plagæ, & ultiones: propter quas reges ac negotiatores terræ olim ipsi adhærentes amarè lugebunt; cælum verò, Apostoli ac Prophetæ exultabunt.

1 ET post hæc vidi alium Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam: & terra illuminata est à gloria ejus. A

2 Et exclamavit in fortitudine, dicens: * Cecidit, cecidit Babylon magna: facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ & odibilis: *Isa. 21. c.9. Ier.51. n.8. Sup.14. b.8.

3 Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes: & reges terræ cum illa fornicati sunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.

4 Et audivi aliam vocem de cælo, dicentem: Exite de illa populus meus: ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis. B

5 Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum ejus.

6 Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia secundùm opera ejus: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.

7 Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum & luctum: quia in corde suo dicit: * Sedeo regina: & vidua non sum: & luctum non videbo. C *Isa. 47. c.8.

8 Ideò in una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis est Deus, qui judicabit illam.

9 Et flebunt, & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt, cùm viderint fumum incendij ejus:

10 Longè stantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes: Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis: quoniam una hora venit judicium tuum.

11 Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam: quoniam merces eorum nemo emet amplius; D

12 Merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci, (& omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso, & æramento, & ferro, & marmore,

13 Et cinnamomum) & odoramentorum, & unguenti, & thuris, & vini, & olei, & similæ, & tritici, & jumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum.

14 Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa jam non invenient.

15 Mercatores

Universidad de Deusto
Biblioteca

15 Mercatores horum, qui divites facti sunt, ab ea longè stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes, ac lugentes,

16 Et dicentes: Væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis:

F 17 Quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ. Et omnis gubernator, & omnis qui in lacum navigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longè steterunt,

18 Et clamaverunt videntes locum incendij ejus, dicentes: Quæ similis civitati huic magnæ?

19 Et miserunt pulverem super capita sua, & clamaverunt flentes & lugentes, dicentes: Væ, væ civitas illa magna; in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus: quoniam una hora desolata est.

20 Exulta super eam cælum, & sancti Apostoli, & Prophetæ: quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa.

G 21 Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultrà jam non invenietur.

22 Et vox citharœdorum, & musicorum, & tibia canentium, & tuba non audietur in te ampliùs: & omnis artifex omnis artis non invenietur in te ampliùs: & vox molæ non audietur in te ampliùs:

23 Et lux lucernæ non lucebit in te ampliùs: & vox sponsi & sponsæ non audietur adhuc in te: quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.

24 Et in ea sanguis prophetarum & sanctorum inventus est; & omnium qui interfecti sunt in terra.

CAPUT XIX.

Sanctis de judicio meretricis Deum glorificantibus, parantur nuptiæ Agni, & Angelus à Ioanne adorari recusat: apparens autem quidam equo insidens cum exercitu, qui est Verbum Dei & Rex regum ac Dominus dominantium, pugnat adversus bestiam & reges terræ ac eorum exercitus, vocatis interim avibus cæli ad edendas eorum carnes.

A 1 POst hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluia: Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est:

2 Quia vera & justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus.

3 Et iterùm dixerunt: Alleluia. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum.

4 Et ceciderunt seniores viginti quattuor, & quattuor animalia, & adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen: Alleluia.

5 Et vox de throno exivit, dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus: & qui timetis eum, pusilli & magni.

6 Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia. quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.

B 7 Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se.

8 Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim, justificationes sunt Sanctorum.

9 Et dixit mihi: Scribe: * Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. & dicit mihi: Hæc verba Dei vera sunt. *Matt. 22.a.2. Luc.14. d.16.

10 Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris: conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu, est spiritus prophetiæ.

11 Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis, & Verax, & cum justitia judicat, & pugnat.

12 Oculi autem ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse.

13 * Et vestitus erat veste aspersa sanguine: & vocatur nomen ejus, Verbum Dei. C *Isa. 63. a.1.

14 Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo.

15 Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus: ut in ipso percutiat Gentes: * Et ipse reget eas in virga ferrea: & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. *Psal. 2.c.9.

16 Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: * Rex regum, & Dominus dominantium. *1.Tim. 6.c.1. Sup.17. d.14.

17 Et vidi unum Angelum stantem in sole, & clamavit voce magna, dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium cæli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei:

18 Ut manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & servorum, & pusillorum, & magnorum. D

19 Et vidi bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, & cum exercitu ejus.

20 Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure:

21 Et ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius: & omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.

CAPUT XX.

Ligatum draconem sive diabolum mittit Angelus in abyssum ad mille annos, quibus animæ martyrum in resurrectione prima regnabunt cum Christo: post quos solutus Satanas excitabit Gog & Magog innumerum exercitum adversus civitatem dilectam, sed igni cælesti devorabuntur: deinde apertis libris, à sedente super thronum judicabuntur omnes mortui secundùm opera ipsorum.

1 ET vidi Angelum descendentem de cælo, ha- A bentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua.

2 Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligavit eum per annos mille:

3 Et

3 Et misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solvi modico tempore.

B 4 Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis: & animas decollatorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus suis, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis.

5 Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.

6 Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.

C 7 * Et cùm consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, & exibit, & seducet Gentes, quæ sunt super quattuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. *Ezech. 39.a.2.

8 Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra sanctorum, & civitatem dilectam.

9 Et descendit ignis à Deo de cælo, & devoravit eos: & Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia

10 Et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.

D 11 Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra & cælum, & locus non est inventus eis.

12 Et vidi mortuos, magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius Liber apertus est qui est vitæ: & judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum.

13 Et dedit mare mortuos, qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant: & judicatum est de singulis secundùm opera ipsorum.

14 Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.

15 Et qui non inventus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

CAPUT XXI.

Cælo ac terra renovatis, nova civitas Ierusalem in Agni sponsam à Deo parata ostenditur, justis glorificatis, impiisque in stagnum ignis detrusis; cujus civitatis murus & portæ ac fundamenta describuntur & mensurantur, quæ universa sunt aurum ac vitrum mundum, lapides pretiosi ac margaritæ.

A 1 ET vidi cælum novum, & terram novam. Pri- *Isa 65. c.17. 66. g.2. 2.Pet. 3. c.13.
mum enim cælum, & prima terra abiit, & mare jam non est.

2 Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cælo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.

3 Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & B habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. *Isa. 25. c.8. Sup.7. d.17.

4 * Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt.

5 Et dixit qui sedebat in throno: * Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera. *Isa. 43. c.19. 2. Cor. 5. d.17.

6 Et dixit mihi: Factum est. ego sum a & initium, & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis.

7 Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.

8 Timidis autem, & incredulis, & execratis, & C homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idolatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure: quod est mors secunda.

9 Et venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, & locutus est mecum, dicens: Veni, & ostendam tibi sponsam, uxorem Agni.

10 Et sustulit me in spiritu in montem magnum & altum, & ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cælo à Deo,

11 Habentem claritatem Dei: & lumen ejus si- D mile lapidi pretioso tamquam lapidi jaspidis, sicut crystallum.

12 Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israël.

13 Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab Occasu portæ tres.

14 Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.

15 Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, & portas ejus, & murum.

16 Et civitas in quadro posita est, & longitudo E ejus tanta est quanta & latitudo: & mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia: & longitudo, & altitudo, & latitudo ejus, æqualia sunt.

17 Et mensus est murum ejus centum quadraginta quattuor cubitorum, mensura hominis, quæ est angeli.

18 Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide: ipsa verò civitas, aurum mundum simile vitro mundo.

19 Et fundamenta muri civitatis, omni lapide F pretioso ornata. Fundamentum primum, jaspis: secundum, sapphirus: tertium, chalcedonius: quartum, smaragdus:

20 Quintum, sardonix: sextum, sardius: septimum, chrysolithus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysoprasus: undecimum, hyacinthus: duodecimum, amethystus.

21 Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt, per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis. & platea civitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum.

22 Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & Agnus. G *Isai. 60.d.19.

23 * Et civitas non eget sole, neque luna, ut

lucent

Universidad de Deusto
Biblioteca

luceant in ea. nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus.

24 Et ambulabunt gentes in lumine ejus: & reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam.

*Isa. 60. b.11. 25 *Et portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic.

26 Et afferent gloriam & honorem gentium in illam.

27 Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

CAPUT XXII.

Lignum vitæ fluvio aquæ vivæ irrigatum singulis mensibus reddit fructum suum: nec maledictum nec ulla nox est in civitate: Angelus autem qui hæc citò ventura Ioanni ostendebat, non vult ab eo adorari, dicitque justos in civitatem intraturos, impios autem foras ejiciendos: contestatur etiam de non addendo aut minuendo ad hanc prophetiam.

A 1 ET ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni.

2 In medio plateæ ejus,& ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim,per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem Gentium.

3 Et omne maledictum non erit ampliùs: sed sedes Dei & Agni in illa erunt, & servi ejus servient illi.

4 Et videbunt faciem ejus: & nomen ejus in frontibus eorum.

*Isa. 60. d.19. 5 *Et nox ultrà non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum.

B 6 Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima sunt,& vera. Et Dominus Deus spirituum prophetarum misit Angelum suum ostendere servis suis quæ oportet fieri citò.

7 Et ecce venio velociter. Beatus, qui custodit verba prophetiæ libri hujus.

8 Et ego Joannes, qui audivi, & vidi hæc. Et postquam audissem, & vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc ostendebat:

9 Et dixit mihi: Vide ne feceris: conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui servant verba prophetiæ libri hujus: Deum adora.

10 Et dicit mihi: Ne signaveris verba prophe- C
tiæ libri hujus: tempus enim propè est.

11 Qui nocet,noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc.

12 Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua.

13 *Ego sum α, & ω: primus, & novissimus, *Isa.41. a.4.44. a.6.48. b.12. Sup.1. b.8.d.17. 21.b.6.
principium, & finis.

14 Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni: ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem.

15 Foris canes, & venefici,& impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium.

16 Ego Jesus misi Angelum meum, testificari D
vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix & genus David, stella splendida & matutina.

17 Et spiritus & sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit,veniat: * & qui vult, *Isa. 55. a.1.
accipiat aquam vitæ, gratis.

18 Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.

19 Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto.

20 Dicit qui testimonium perhibet istorum. Etiam venio citò: Amen. Veni Domine Jesu.

21 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

FINIS.

Oratio

ORATIO MANASSÆ, NECNON LIBRI DUO, QUI sub libri Tertij & Quarti Esdræ nomine circumferuntur, hoc in loco, extra scilicet seriem Canonicorum Librorum, quos sancta Tridentina Synodus suscepit, & pro Canonicis suscipiendos decrevit, sepositi sunt, ne prorsus interirent, quippe qui à nonnullis sanctis Patribus interdum citantur, & in aliquibus Bibliis Latinis tam manuscriptis quàm impressis reperiuntur.

ORATIO MANASSÆ REGIS JUDA, CUM CAPTUS TENERETUR IN BABYLONE.

DOmine omnipotens, Deus patrum nostrorum, Abraham, & Isaac, & Jacob, & seminis eorum justi, qui fecisti cælum & terram cum omni ornatu eorum, qui ligasti mare verbo præcepti tui, qui conclusisti abyssum, & signasti eam terribili & laudabili nomine tuo: quem omnia pavent, & tremunt à vultu virtutis tuæ, quia importabilis est magnificentia gloriæ tuæ, & insustentabilis ira comminationis tuæ super peccatores: immensa verò & investibilis misericordia promissionis tuæ: quoniam tu es Dominus, altissimus, benignus, longanimis, & multùm misericors, & pœnitens super malitias hominum. Tu Domine,secundùm multitudinem bonitatis tuæ, promisisti pœnitentiam & remissionem iis, qui peccaverunt tibi, & multitudine miserationum tuarum decrevisti pœnitentiam peccatoribus in salutem. Tu igitur Domine Deus justorum, non posuisti pœnitentiam justis, Abraham, & Isaac, & Jacob, iis qui tibi non peccaverunt: sed posuisti pœnitentiam propter me peccatorem: quoniam peccavi super numerum arenæ maris: multiplicatæ sunt iniquitates meæ Domine, multiplicatæ sunt iniquitates meæ, & non sum dignus intueri & aspicere altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatum mearum. Incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut non possim attollere caput meum, & non est respiratio mihi: quia excitavi iracundiam tuam, & malum coram te feci: non feci voluntatem tuam, & mandata tua non custodivi: statui abominationes, & multiplicavi offensiones. Et nunc flecto genu cordis mei, precans à te bonitatem. Peccavi Domine,peccavi,& iniquitates meas agnosco. Quare peto rogans te,remitte mihi Domine,remitte mihi, & ne simul perdas me cum iniquitatibus meis,neque in æternum, iratus, reserves mala mihi, neque damnes me in infima terræ loca: quia tu es Deus,Deus inquam,pœnitentium: & in me ostendes omnem bonitatem tuam, quia indignum salvabis me secundùm magnam misericordiam tuam, & laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ: quoniam te laudat omnis virtus cælorum, & tibi est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER ESDRÆ TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Magnificum Phasc, quod Josias immolavit, celebrando septem diebus festum Azymorum, cui successerunt in regno Judæ Iechonias, Ioacim, Ioachin, & Sedecias: eorúmque ac populi captivitas propter sua scelera,urbisque subversio describuntur.

1 ET fecit Josias Pascha in Jerosolymis Domino, & immolavit Phasc quarta decima luna primi mensis:

2 Statuens sacerdotes per vices dierum stolis amictos in templo Domini.

3 Et dixit Levitis sacris servis Israël, ut sanctificarent se Domino in positione sanctæ arcæ Domini, in Domo, quam ædificavit Salomon filius David rex.

4 Non erit vobis tollere super humeros eam. Et nunc deservite Domino vestro, & curam agite gentis illius Israël ex parte secundùm pagos & tribus vestras,

5 Secundùm scripturam David regis Israël, & secundùm magnificentiam Salomonis filij ejus, omnes in templo, & secundùm particulam principatus paternam vestram, eorum qui stant in conspectu fratrum filiorum Israël.

6 Immolate Pascha, & sacrificia parate fratribus vestris, & facite secundùm præceptum Domini quod datum est Moysi.

7 Et donavit Josias in plebem quæ inventa est, ovium, agnorum, & hœdorum, & caprarum triginta millia,vitulos tria millia.

8 Hæc de regalibus data sunt secundùm promissionem populo: & sacerdotibus in Pascha, oves numero duo millia, ac vituli centum.

9 Et Jechonias, & Semeias, & Nathanaël fratres, & Hasabias, & Oziel, & Coraba, in Phasc, oves quinque millia, vitulos quingentos.

10 Et hæc cùm fierent eleganter, steterunt sacerdotes & Levitæ habentes azyma per tribus.

11 Et secundùm partes principatus patrum, in conspectu populi offerebant Domino, secundùm ea quæ in libro Moysi scripta sunt:

12 Et assaverunt Phasc igni prout oportebat, & hostias coxerunt in emolis, & in ollis cum benevolentia:

13 Et attulerunt omnibus qui erant ex plebe:& post hæc paraverunt sibi & sacerdotibus:

14 Sacerdotes enim offerebant adipes, usque dum finita esset hora: & Levitæ paraverunt sibi, & fratribus suis filiis Aaron.

15 Et sacri cantores filij Asaph erant per ordinem,secundùm præceptum David, & Asaph, & Zacharias, & Jeddimus, qui erat à rege.

16 Et ostiarij per singulas januas, ita ut non prævaricaretur unusquisque suam:fratres enim illorum paraverunt illis.

17 Et consummata sunt quæ pertinebant ad sacrificium Domini.

18 In illa die egerunt Phasc,& offerebant hostias super Domini sacrificium, secundùm præceptum regis Josiæ.

19 Et egerunt filij Israël,qui inventi sunt in tempore illo, Phasc: & diem festum azymorum per dies septem:

20 Et non est celebratum Phasc tale in Israël, à temporibus Samuelis Prophetæ:

21 Et omnes reges Israël non celebraverunt tale Pascha quale egit Josias, & Sacerdotes,& Levitæ,& Judæi, & omnis Israël, qui inventi sunt in commoratione Jerosolymis.

22 Octavo decimo anno, regnante Josia celebratum est Phasc.

23 Et directa sunt opera Josiæ in conspectu Domini sui in corde pleno metuentis:

24 Et quæ circa illum quidem conscripta sunt, in pristinis temporibus, de eis qui peccaverunt,quique irreligiosi fuerunt in Dominum præ omni gente, & qui non quæsierunt verba Domini super Israël.

25 Et post omnem actum hunc Josiæ,ascendit Pharao rex Ægypti, veniens in Carchamis ab itinere super Euphratem, & exiit obviàm illi Josias.

Universidad de Deusto
Biblioteca

26 Et misit rex Ægypti ad Josiam, dicens: Quid mihi & tibi est rex Judæ?

27 Non sum missus à Domino ut pugnem contra te: super Euphratem enim bellum meum est, festinans descende.

28 Et non est reversus Josias super currum: sed expugnare eum conabatur, non attendens verbum prophetæ ex ore Domini:

29 Sed constituit ad eum bellum in campo Mageddo. Et descenderunt principes ad regem Josiam.

30 Et dixit rex pueris suis, Amovete me à prælio, infirmatus sum enim valdè. Et statim amoverunt eum pueri ipsius de acie.

31 Et ascendit super currum secundarium suum: & perveniens Jerosolymam, vita functus est, & sepultus est in paterno sepulchro.

32 Et in tota Judæa lugebant Josiam: & qui præsidebant, cum uxoribus lamentabant eum, usque in hunc diem. Et datum est hoc fieri semper in omne genus Israël.

33 Hæc autem præscripta sunt in libro historiarum regum Judæ: & singula gesta actus Josiæ, & ejus gloria & intellectus ejus in lege Domini: quæque gesta sunt ab eo, & quæ non scripta sunt in libro regum Israël & Judæ.

34 Et assumentes, qui erant ex gente, Jechoniam filium Josiæ, constituerunt regem pro Josia patre suo, cùm esset annorum trigintatrium.

35 Et regnavit super Israël mensibus tribus. Et amovit eum rex Ægypti, ne regnaret in Jerosolymis:

36 Et mulctavit gentem argenti talenta centum, & auri talentum unum.

37 Et constituit rex Ægypti Joacim fratrem ipsius, regem Judæ & Jerusalem:

38 Et alligavit magistratus Joacim, & Zaracelem fratrem suum, & apprehendens reduxit in Ægyptum.

39 Annorum erat Joacim vigintiquinque, cùm regnare cœpisset in terra Juda & Jerusalem: & fecit malum in conspectu Domini.

40 Post hunc autem ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, & alligans eum in æreo vinculo, perduxit in Babyloniam:

41 Et sacra vasa Domini accepit Nabuchodonosor, & tulit & consecravit in templo suo in Babylonia.

42 Nam de immunditia illius & irreligiositate scriptum est in libro temporum regum.

43 Et regnavit Joachin filius ejus pro eo. Cùm autem constitutus esset rex, erat annorum decem & octo.

44 Regnavit autem menses tres & dies decem in Jerusalem, & fecit malum in conspectu Domini:

45 Et post annum mittens Nabuchodonosor, transmigrauit eum in Babyloniam simul cum sacris vasis Domini.

46 Et constituit Sedeciam regem Juda & Jerusalem, cùm esset annorum viginti unius: regnavit autem annis undecim.

47 Et fecit malum in conspectu Domini, & non est veritus à verbis quæ dicta sunt ab Jeremia propheta ex ore Domini:

48 Et adjuratus à rege Nabuchodonosor, perjurans discessit: & indurata cervice sua, & corde suo, transgressus est legitima Domini Dei Israël.

49 Et duces populi Domini multa iniquè gesserunt, & impiè egerunt super omnes immunditias gentium: & polluerunt templum Domini quod sanctum erat in Jerosolymis.

50 Et misit Deus patrum ipsorum per angelum suum revocare eos, propter quod parceret illis, & tabernaculo suo.

51 Ipsi verò subsannabant in angelis suis: & qua die locutus est Dominus, erant illudentes prophetis ejus.

52 Qui usque ad iracundiam concitatus est super gentem suam, propter irreligiositatem suam, & præcepit ascendere reges Chaldæorum.

53 Hi occiderunt juvenes eorum in gladio, in circuitu sancti templi eorum, & non pepercerunt juveni, & seni, & virgini, & adolescenti:

54 Sed omnes traditi sunt in manus ipsorum: & omnia sacra vasa Domini, & regales apothecas resumentes, tulerunt in Babyloniam,

55 Et incenderunt domum Domini, & demolierunt muros Jerusalem: & turres ejus incenderunt igne,

56 Et consummaverunt omnia honorifica ejus, & ad nihilum redegerunt: & reliquos à gladio duxerunt in Babylonem.

57 Et erant servi illius usque dum regnarent Persæ, in replerione verbi Domini in ore Jeremiæ:

58 Quousque benignè ageret terra sabbata sua, omni tempore desertionis suæ sabbatizavit, in applicatione annorum septuaginta.

Caput II.

Cyrus rex Persarum Iudæos in regno suo captivos remittit in terram suam: quicum restaurarent Jerusalem, prohibiti sunt ab Artaxerxe propter quorundam delationem.

1 REgnante Cyro rege Persarum, in consummatione verbi Domini in ore Jeremiæ,

2 Suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, & prædicavit in toto regno suo simul per scripturam,

3 Dicens: Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Me constituit regem orbis terrarum Dominus Israël, Dominus excelsus,

4 Et significavit mihi ædificare domum sibi in Jerusalem, quæ est in Judæa.

5 Si quis est ex genere vestro, dominus ipsius ascendat cum eo in Jerusalem.

6 Quotquot ergo circa loca habitant, adjuvent eos qui sunt in loco ipso, in auro & argento,

7 In dationibus, cum equis & jumentis, cúmque aliis quæ secundùm vota apponuntur in ædem Domini quæ est in Jerusalem.

8 Et stantes principes tribuum, pagorum, & Judææ, ex tribu Benjamin, & Sacerdotes & Levitæ, quos excitavit Dominus ascendere & ædificare Domum Domini quæ est in Jerusalem, & qui erant in circuitu eorum,

9 Adjuverunt in omni auro & argento ejus, & jumentis, & votis compluribus multi quorum sensus excitatus est.

10 Et Cyrus rex protulit vasa sacra Domini, quæ transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis ex Jerusalem, & consecravit ea idolo suo.

11 Et proferens ea Cyrus rex Persarum, tradidit Mithridato, qui erat super thesauros ipsius.

12 Per hunc autè tradita sunt Salmanasaro præsidi Judææ.

13 Horum autem hic numerus. Libatoria argentea duo millia quadringenta: athiscæ argenteæ triginta: phialæ aureæ triginta, item argenteæ duo millia quadringentæ: & alia vasa mille.

14 Omnia autem vasa aurea & argentea, quinque millia octingenta sexaginta.

15 Et enumerata sunt Salmanasaro simul cum his qui ex captivitate Babyloniæ venerant in Jerosolymam.

16 In Artaxerxis autem Regis Persarum temporibus scripserunt ei de his qui habitabant in Judæa & Jerusalem, Ballamus, & Mithridatus, & Sabellius, & Rathimus, Balthemus, Samelius scriba, & reliqui habitantes in Samaria, & ceteris locis, subjectam epistolam Regi Artaxerxi.

17 DOMINE, pueri tui Rathimus ab accidentibus, & Sabellius scriba, & reliqui curiæ tuæ judices in Cœlesyria & Phœnice.

18 Et nunc notum sit domino regi, quoniam Judæi qui ascenderunt à vobis ad nos, venientes in Jerusalem civitatem refugam & pessimam, ædificant furnos ejus, & statuunt muros, & templum suscitant.

19 Quòd si civitas ista & muri consummati fuerint, non tantùm tributa non sustinebunt pendere, sed etiam regibus resistent.

20 Et quia id agitur circa templum, rectè habere arbitrati sumus non despicere hoc ipsum:

21 Sed notum facere domino regi, ut si videbitur, rex, quæratur in libris patrum tuorum,

22 Et invenies in admonitionibus scripta de his, & scies quoniã civitas ista fuit refuga, & reges & civitates concutiẽs,

23 Et Judæi refugæ, & prælia committentes in ea ab æterno, ob quam causam civitas ista deserta est.

24 Nunc ergo notum facimus, domine rex, quoniam si civitas hæc ædificata fuerit, & hujus muri erecti fuerint, descensus tibi non erit in Cœlesyriam & Phœnicen:

25 Tunc scripsit rex Rathimo, qui scribebat accidentia & Balthemo, & Sabellio scribæ, & ceteris constitutis, & habitan

habitantibus in Syria & Phœnice, ea quæ subjecta sunt.

26 LEGI epistolam quam misistis mihi. Præcepi ergo inquiri, & inventum est, quoniam civitas illa est ab ævo regibus resistens,

27 Et homines refugæ, & prælia in ea efficientes, & reges fortissimi erant in Jerusalem dominantes, & tributa exigentes à Cœlesyria & Phœnice.

28 Nunc ergo præcepi prohibere homines illos ædificare civitatem, & prohibere ne quid ultra hæc fiat:

29 Sed nec procedant in plurimum ea quæ sunt malitiæ, ita ut regibus molestia importetur.

30 Tunc recitatis his quæ à rege Artaxerxe scripta fuerant, Rathimus, & Sabellius scriba, & qui cum his constituti erant, jungentes festinanter venerunt in Jerusalem cum equitatu, & turba, & agmine;

31 Cœperúntque ædificantes prohibere, & vacabant ab ædificatione templi in Jerusalem, usque secundo anno regni Darij regis Persarum.

Caput III.

Dario post splendidam cœnam omnibus suis præfectis factam, dormiente, tres corporis ejus custodes problema moverunt, Nam vinum, rex, mulier, an veritas præstent: & primum de vino probatur.

1 REx Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis, & omnibus magistratibus Mediæ & Persidis,

2 Et omnibus purpuratis, & prætoribus, & consulibus, & præfectis sub illo, ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciis.

3 Et cùm manducassent, & bibissent, & satiati revertentur, tunc Darius rex ascendit in cubiculum suum, & dormivit, & expergefactus est.

4 Tunc illi tres juvenes corporis custodes, qui custodiebant corpus regis, dixerunt alter alteri.

5 Dicamus unusquisque nostrûm sermonem qui præcellat: & cujuscumque apparuerit sermo sapientior alterius, dabit illi rex Darius dona magna,

6 Purpura cooperiri, & in auro bibere, & super aurum dormire, & currum aureo fræno, & cydarim byssinam, & torquem circa collum:

7 Et secundo loco sedebit à Dario propter sapientiam suam, & cognatus Darij vocabitur.

8 Tunc scribentes singuli suum verbum signaverunt, & posuerunt subtus cervical Darij regis,

9 Et dixerunt, Cùm surrexerit rex, dabimus illi scripta nostra: & quodcumque judicaverit rex è tribus, & magistratus Persidis, quoniam verbum ejus sapientius est, ipsi dabitur victoria sicut scriptum est.

10 Unus scripsit, Forte est vinum.

11 Alius scripsit, Fortior est rex.

12 Tertius scripsit, Fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas.

13 Et cùm surrexisset rex, acceperunt scripta sua, & dederunt illi, & legit.

14 Et mittens vocavit omnes magistratus Persarum, & Medos, & purpuratos, & prætores, & præfectos:

15 Et sederunt in concilio: & lecta sunt scripta corã ipsis.

16 Et dixit, Vocate adolescentes, & ipsi indicabunt verba sua. Et vocati sunt, & introierunt.

17 Et dixit illis, Indicate nobis de his quæ scripta sunt. Et cœpit prior, qui dixerat de fortitudine vini,

18 Et dixit, Viri, quàm prævalet vinum omnibus hominibus qui bibunt illud! seducit mentem.

19 Itémque regis & orphani facit mentem vanam. Item servi ac liberi, pauperis ac divitis,

20 Et omnem mentem convertit in securitatem & jucunditatem, & non meminit omnem tristitiam & debitum,

21 Et omnia præcordia facit honesta, & non meminit regem nec magistratum, & omnia per talenta loqui facit.

22 Et non meminerunt, cùm biberunt, amicitiam, nec fraternitatem: sed non multùm pòst sumunt gladios.

23 Et cùm à vino merserint & surrexerint, non meminerunt quæ gesserunt.

24 O viri, num præcellit vinum? quis sic cogitat facere? Et tacuit hoc dicto.

Caput IV.

Probatur excellens fortitudo regis, mulieris, & veritatis, sed data veritati palma. Darius ad petitionem Zorobabel reddit sacra vasa, scribens ut Iudæis detur libertas, & impensæ ad extructionem Jerusalem.

1 ET inchoavit sequens dicere, qui dixit de fortitudine regis.

2 O viri, num præcellunt homines, qui terram & mare obtinent, & omnia quæ in eis sunt?

3 Rex autem super omnia præcellit, & dominatur eorum: & omne quodcumque dixerit suis, faciunt.

4 Et si miserit illos ad bellatores, vadunt, & demoliuntur montes, & muros, & turres.

5 Jugulantur & jugulant, & regis verba non prætereunt. nam si vicerint, afferunt regi omnia quæcumque prædati fuerint.

6 Similiter & alij omnes, & quotquot non militant nec pugnant, sed colunt terram: rursum cùm fuerint metentes, afferunt tributa regi:

7 Et ipse unus solus si dixerit occidite, occidunt: dixerit remittite, remittunt:

8 Dixerit percutite, percutiunt: dixerit exterminate, exterminant: dixerit ædificate, ædificant:

9 Dixerit excidite, excidunt: dixerit plantate, plantant:

10 Et omnis plebs, & virtutes eum obaudiunt, & super hoc ipse recumbit & bibit, & dormit.

11 Hi autem custodiunt in circuitu eum, & non possunt ire singuli, & facere opera sua, sed in dicto obaudiẽtes sunt ei.

12 Viri, quomodo non præcellit rex qui sic diffamatur? Et tacuit.

13 Tertius qui dixerat de mulieribus & veritate, hic est Zorobabel, cœpit loqui.

14 Viri, non magnus rex, & multi homines, nec vinum præcellit. Quis est ergo qui dominatur eorum?

15 Nónne mulieres genuerunt regem, & omnem populum, qui dominatur mari & terræ:

16 Et ex illis nati sunt, & ipsæ educaverunt eos qui plantaverunt vineas ex quibus vinum fit?

17 Et ipsæ faciunt stolas omnium hominum, & ipsæ faciunt gloriam hominibus, & non possunt homines separari à mulieribus.

18 Si congregaverint aurum & argentum, & omnem rem speciosam, & viderint mulierem unam bono habitu & bona specie,

19 Omnia hæc relinquentes in eam intendunt, & aperto ore conspiciunt, & eam alliciunt magis quàm aurum & argentum, & omnem rem pretiosam.

20 Homo patrem suum relinquit qui enutriit illum, & suam regionem, & ad mulierem se conjungit.

21 Et cum muliere remittit animam: & neque patrem meminit, neque matrem, neque regionem.

22 Et hinc oportet vos scire: quoniam mulieres dominantur vestri. Nónne doletis?

23 Et accipit homo gladium suum, & vadit in viam facere furta, & homicidia, & mare navigare & flumina,

24 Et leonem videt, & in tenebris ingreditur: & cùm furtum fecerit, & fraudes, & rapinas, amabili suæ affert.

25 Et iterùm, diligit homo uxorem suam magis quàm patrem aut matrem.

26 Et multi dementes facti sunt propter uxores suas: & servi facti sunt propter illas:

27 Et multi perierunt & jugulati sunt, & peccaverunt propter mulieres.

28 Et nunc credite mihi, quia magnus est rex in potestate sua: quoniam omnes regiones verentur tangere eum.

29 Videbam tamen Apemen filiam Bezacis, mirifici concubinam regis, sedentem juxta regem ad dexteram,

30 Et auferentem diadema de capite ejus, & imponentem sibi, & palmis cædebat regem de sinistra manu.

31 Et super hæc aperto ore intuebatur eam: & si arriserit ei, ridet. nam si indignata ei fuerit, blanditur, donec reconcilietur in gratiam.

32 O viri, cur non sunt fortiores mulieres? Magna est terra, & excelsum est cælum: quis ista agit?

Universidad de Deusto
Biblioteca

33 Et tunc rex, & purpurati intuebantur in alterutrum. Et inchoavit loqui de veritate.

34 O viri, nónne fortes sunt mulieres? Magna est terra, & excelsum est cælum: & velox cursus solis convertit in gyro cælum in locum suum in una die.

35 Nónne magnificus est qui hæc facit, & veritas magna, & fortior præ omnibus?

36 Omnis terra veritatem invocat, cælum etiam ipsam benedicit, & omnia opera moventur, & tremunt eam, & non est cum ea quidquam iniquum.

37 Vinum iniquum, iniquus rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filij hominum, & iniqua illorum omnia opera, & non est in ipsis veritas, & in sua iniquitate peribunt:

38 Et veritas manet & invalescit in æternum, & vivit & obtinet in sæcula sæculorum.

39 Nec est apud eam accipere personas, neque differentias: sed quæ justa sunt facit omnibus, injustis ac malignis, & omnes benignantur in operibus ejus.

40 Et non est in judicio ejus iniquum, sed fortitudo, & regnum, & potestas, & majestas omnium ævorum. Benedictus Deus veritatis.

41 Et desiit loquendo. Et omnes populi clamaverunt, & dixerunt, Magna est veritas, & prævalet.

42 Tunc rex ait illi, Pete, si quid vis amplius, quàm quæ scripta sunt, & dabo tibi, secundùm quod inventus es sapientior proximis, & proximus mihi sedebis, & cognatus meus vocaberis.

43 Tunc ait regi, Memor esto voti tui, quod vovisti, ædificare Jerusalem, in die qua regnum accepisti:

44 Et omnia vasa quæ accepta sunt ex Jerusalem, remittere, quæ separavit Cyrus, quando mactavit Babyloniam, & voluit remittere ea ibi.

45 Et tu vovisti ædificare templum quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Judæa à Chaldæis.

46 Et nunc hoc est, quod postulo Domine, & quod peto, hoc est majestas quod à te postulo, ut facias votum quod vovisti regi cæli ex ore tuo.

47 Tunc surgens Darius rex, osculatus est illum: & scripsit epistolas ad omnes dispensatores, & præfectos, & purpuratos, ut deducerent eum, & eos qui cum illo erant, omnes ascendentes ædificare Jerusalem.

48 Et omnibus præfectis, qui erant in Syria, & Phœnice, & Libano, scripsit epistolas, ut traherent ligna cedrina à Libano in Jerusalem, ut ædificarent cum eis civitatem.

49 Et scripsit omnibus Judæis qui ascendebant à regno in Judæam pro libertate, omnem potentem, & magistratum, & præfectum non supervenire ad januas ipsorum,

50 Et omnē regionem, quam obtinuerant immunem esse eis, & Idumæi relinquant castella quæ obtinent Judæorum,

51 Et in structuram templi dare per singulos annos talenta viginti, usque dum perædificaretur:

52 Et super sacrarium holocautomata ustulare quotidie, sicut habent præceptum: alia talenta decem offerre per singulos annos,

53 Et omnibus qui procedunt à Babylonia condere civitatem: ut esset libertas tam ipsis quàm filiis eorum, & omnibus sacerdotibus qui præcedunt:

54 Scripsit autem & quantitatem, & sacram stolam jussit dari, in qua deservirent;

55 Et Levitis scripsit dare præcepta, usque in diem qua consummabitur domus, & Jerusalem extruetur:

56 Et omnibus custodientibus civitatem scripsit dari ei sortes & stipendia.

57 Et dimisit omnia vasa quæcumque separaverat Cyrus à Babylonia, & omnia quæcumque dixit Cyrus, & ipse præcepit fieri, & mitti Jerusalem.

58 Et cùm processisset ille adolescens, elevans faciem in Jerusalem, benedixit regem cæli.

59 Et dixit, Abs te est victoria, & abs te est sapientia & claritas. Et ego servus tuus sum.

60 Benedictus es qui dedisti mihi sapientiam, & tibi confitebor: Domine Deus patrum nostrorum.

61 Et accepit epistolas, & profectus est in Babyloniā. Et venit, & nūtiavit fratribus suis omnibus qui fuerūt in Babylonia:

62 Et benedixerunt Deum patrum suorum, quoniam dedit illis remissionem & refrigerium,

63 Ut ascenderent & ædificarent Jerusalem, & templum ubi nominatum est nomen ejus in ipso, & exultaverunt cum musicis & lætitia diebus septem.

Caput V.

Redeuntes à Babylonica captivitate in Ierusalem & Iudæam recensentur, & restituunt Dei cultum, sed tandem à cœpto opere ad tempus impediuntur.

1 POst hæc autem electi sunt, ut ascenderent principes pagorum per domos & tribus suas, & uxores illorum, & filij & filiæ eorum, & servi & ancillæ ipsorum, & pecora eorū.

2 Et Darius rex misit unà cum eis equites mille, donec deducerent eos in Jerusalem cum pace, & cum musicis & cum tympanis & tibiis.

3 Et omnes fratres erant ludentes, & fecit eos ascendere simul cum eis.

4 Et hæc sunt nomina virorum, qui ascenderunt per pagos suos in tribus, & in partem principatus ipsorum.

5 Sacerdotes: Filij Phinees, filij Aaron, Jesus filius Josedec, Joacim filius Zorobabel filij Salathiel de domo David, ex progenie Phares, de tribu Juda,

6 Qui locutus est sub Dario rege Persarum sermones mirificos in secundo anno regni ipsius mense Nisan primo.

7 Sunt autem hi, qui ascenderunt ex Judæa de captivitate transmigrationis, quos transmigravit Nabuchodonosor rex Babyloniæ in Babylonem, & reversus est in Jerusalem.

8 Et requisivit partem Judææ unusquisque in civitatem suam, qui venerunt cum Zorobabel & Jesu, Nehemias, Areores, Elimeo, Emmanio, Mardocheo, Beelsuro, Mechpsatochor, Olioro. Emonia unus de principibus eorum.

9 Et numerus à gentilibus eorum, ex præpositis eorum, filij Phares, duo millia centum septuagintaduo:

10 Filij Ares, tria millia centum quinquaginta septem:

11 Filij Phœmo centum quadragintaduo: in filiis Jesu & Joabes, mille trecenti duo:

12 Filij Demu, duo millia quadringenti septuaginta: filij Choraba, ducentiquinque: filij Banica, centum sexagintaocto:

13 Filij Bebech quadringenti tres: filij Archad, quadringenti vigintiseptem:

14 Filij Cham, trigintaseptem: filij Zoroar, duo millia sexagintaseptem: filij Adin, quadringentisexaginta unus:

15 Filij Aderectis, centum octo: filij Ciaso & Zelas, centum septem: filij Azoroc, quadringenti trigintanovem:

16 Filij Jedarbone, centum trigintaduo: filij Ananiæ, centum triginta: filij Asoni, nonaginta:

17 Filij Marsar, quadringenti vigintiduo; filij Zabarus, nonagintaquinque: filij Sepolemon, centum vigintitres:

18 Filij Nepopas quinquagintaquinque: filij Nechanatus, centum quinquagintaocto: filij Cebethamus, centum trigintaduo:

19 Filij Crearpatros, qui Enocadies, & Modiæ, quadringenti vigintitres: qui ex Gramas & Gabea, centū vigintiunus.

20 Qui ex Bessēlon & Ceagge, sexagintaquinque: qui ex Bastaro, centum vigintiduo:

21 Qui ex Bechenobes, quinquagintaquinque: filij Liptis, centum quinquagintaquinque: filij Labonni, trecenti quinquagintaseptem:

22 Filij Sichem, trecenti septuaginta: filij Suadon & Cliomus, trecenti septuagintaocto:

23 Filij Ericus, duo millia centum quadragintaquinque: filij Anaas, trecenti septuaginta. Sacerdotes:

24 Filij Jeddus, filij Euther, filij Eliasib, trecenti septuagintaduo: filij Emerus, ducentiquinquagintaduo:

25 Filij Phasurij, trecenti quinquaginta septem: filij Caree, ducenti vigintiseptem.

26 Levitæ: Filij Jesu in Caduhel, & Bamis, & Serebias, & Edias, septuagintaquatuor. omnis numerus à duodecimo anno, triginta millia quadringenti sexagintaduo,

27 Filij, & filiæ, & uxores, omnis computatio, quadraginta millia ducenti quadragintaduo.

28 Filij sacerdotum, qui psallebant in templo: filij Asaph, centum vigintiocto.

29 Ostiarij verò: filij Esmenni, filij Aser, filij Amon, filij Accuba, Topa filij Tobi, omnes centum trigintanovem.

30 Sacerdotes servientes in templo: filij Sel, filij Gaspha, filij

filij Toblocth, filij Cariæ, Filij Su, filij Hellu, filij Labana, filij Armacha, filij Accub, filij Utha, filij Cetha, filij Aggab,

31 filij Obai, filij Anani, filij Canna, filij Geddu,

31 Filij An, filij Radin, filij Desanon, filij Nachoba, filij Caseba, filij Gaze, filij Ozni, filij Sinone, filij Attre, filij Hastem, filij Asiana, filij Manei, filij Nasissim, filij Accusu, filij Agista, filij Azui, filij Favon, filij Phasalon,

32 Filij Meedda, filij Phusa, filij Caree, filij Barcus, filij Saree, filij Coesi, filij Nasit, filij Agisti, filij Pedon,

33 Salomon filij ejus, filij Asophot, filij Phasida, filij Celi, filij Dedon, filij Gaddahel, filij Sephegi,

34 Filij Aggia, filij Sachareth, filij Sabathen, filij Caroneth, filij Malsith, filij Amæ, filij Sasus, filij Addus, filij Suba, filij Eura, filij Rahotis, filij Phasphat, filij Malmon.

35 Omnes sacro servientes, & pueri Salomonis, quadringenti octogintaduo.

36 Hi sunt filij qui ascenderunt à Thelmela, Telharsa; principes eorum Carmellham, & Careth:

37 Et non poterant edicere civitates suas, & progenies suas, quemadmodum sint ex Israël. Filij Dalari, filij Tubal, filij Nechodaici.

38 Ex Sacerdotibus, qui fungebantur Sacerdotio: & non sunt inventi filij Obia, filij Achisos, filij Addin, qui accepit uxorem ex filiabus Phargeleü:

39 Et vocati sunt nomine ejus, & horum quæsita est generis scriptura in prædatura, & non est inventa, & prohibiti sunt Sacerdotio fungi.

40 Et dixit illis Nehemias & Astharas, Ne participentur sancta, donec exurgat Pontifex doctus in ostensionem & veritatem.

41 Omnis autem Israël erat: exceptis servis & ancillis, quadraginta duo millia trecenti quadraginta.

42 Servi horum & ancillæ, septem millia trecenti trigintaseptem. Cantores & cantatrices, ducenti sexagintaquinque.

43 Cameli, quadringinti trigintaquinque. Equi septem millia trigintasex. Muli, ducenta millia quadragintaquinque. Subjugalia, quinque millia vigintiquinque.

44 Et de præpositis ipsis per pagos, dum venirent in templum Dei, quod erat in Jerusalem, voverunt suscitare templum in loco suo, secundùm suam virtutem:

45 Et dare in templum thesaurum operum sacrum auri mnas duodecim millia, & mnas argenti quinque millia, & stolas sacerdotales centum.

46 Et habitaverunt sacerdotes & Levitæ, & qui exierant de plebe, in Jerusalem & in regione, & sacri cantores, & ostiarij, & omnis Israël in regionibus suis.

47 Instante autem septimo mense, cúmque essent filij Israël unusquisque in suis rebus, convenerunt unanimes in atrium, quod erat ante januam Orientalem.

48 Et stantes Jesus filius Josedec & fratres ejus sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel & hujus fratres, paravetunt altare,

49 Ut offerrent super illud holocautomata, secundùm quæ in libro Moysi hominis Dei scripta sunt.

50 Et convenerunt ibi ex aliis nationibus terræ, & erexerunt sacrarium in loco suo omnes gentes terræ, & offerebant hostias, & holocautomata Domino matutina.

51 Et egerunt scenopegiam, & diem solemnem, sicut præceptum est in lege: & sacrificia quotidie, sicut oportebat:

52 Et post hæc oblationes institutas, & hostias sabbatorum, & neomeniarum, & dierum solemnium omnium sanctificatorum.

53 Et quotquot vovebant Domino à neomenia septimi mensis, cœperunt hostias offerre Deo, & templum Domini nondum erat ædificatum.

54 Et dederunt pecuniam lapidariis & fabris, & potum & pabula, cum gaudio.

55 Et dederunt carra Sidoniis & Tyriis, ut transveherent illis de Libanos trabes cedrinas, & facerent rates in Joppe portu, secundùm decretum quod scriptum erat eis à Cyro rege Persarum.

56 Et in secundo anno venientes in templum Dei in Jerusalem, mense secundo, inchoavit Zorobabel filius Salathiel, & Josue filius Josedēc, & fratres ipsorum, & sacerdotes & Levitæ, & omnes qui venerant de captivitate in Jerusalem:

57 Et fundaverunt templum Dei, novilunio secundi mensis secundi anni cùm venissent in Judæam & Jerusalem.

58 Et statuerunt Levitas à viginti annis, super opera Domini: & stetit Jesus & filius ejus, & fratres omnes Levitæ conspirantes, & executores legis, facientes opera in domo Domini.

59 Et steterunt sacerdotes habentes stolas cum tubis: & Levitæ filij Asaph, habentes cymbala,

60 Collaudantes Dominum, & benedicentes secundùm David regem Israël.

61 Et cantabant canticum Domino, quoniam dulcedo ejus, & honor in sæcula super omnem Israël.

62 Et omnis populus tuba cecinerunt, & proclamaverunt voce magna, collaudantes Dominum in susceptatione domus Domini.

63 Et venerunt ex sacerdotibus & Levitis, & præsidentibus secundùm pagos senioribus, qui viderant pristinam domum,

64 Et ad hujus ædificationem cum clamore & planctu magno, & multi cum tubis & gaudio magno:

65 In tantum ut populus non audiret tubas propter planctum populi. Turba enim erat tubis canens magnificè, ita ut longè audiretur.

66 Et audierunt inimici tribus Judæ, & Benjamin, & venerunt scire quæ esset vox tubarum.

67 Et cognoverunt quoniam qui erant ex captivitate, ædificant templum Domino Deo Israël.

68 Et accedentes ad Zorobabel & Jesum, præpositos pagorum, dixerunt eis: Ædificabimus unà vobiscum:

69 Similiter enim audivimus Dominum vestrum, & ipsi pariter incedimus à diebus Asbazareth regis Assyriorum, qui transmigravit nos huc.

70 Et dixit illis Zorobabel, & Jesus, & principes pagorum Israël.

71 Non est nobis & vobis ædificare domum Dei nostri. nos enim soli ædificabimus Domino Israël, secundùm ea quæ præcepit nobis Cyrus rex Persarum.

72 Gentes autem terræ incumbentes his qui sunt in Judæa, & levantes opus ædificationis & insidias, & populos adducentes prohibebant eos ædificare,

73 Et aggressuras exercentes, impedierunt, ne consummaretur ædificium omni tempore vitæ Cyri regis, & protraxerunt structuram per biennium usque ad Darij regnum.

Caput VI.

Iudæi annuente Dario, templum Dei extruunt in Ierusalem.

1 IN secundo autem anno regni Darij prophetavit Aggæus & Zacharias filius Addin Prophetæ apud Judæam & Jerusalem in nomine Dei Israël super eos.

2 Tunc stans Zorobabel filius Salathiel, & Jesus filius Josedec, inchoaverūt ædificare domū Domini, quæ est in Jerusalē:

3 Cùm adessent eis prophetæ Domini, & adjuvarent eos. In ipso tempore venit ad illos Sisennes subregulus Syriæ & Phœnicis, & Satrabuzanes, & sodales ejus,

4 Et dixerunt eis, Quo præcipiente vobis domum hanc ædificatis, & tectum istud, & alia omnia perficitis: & qui sunt structores qui hæc ædificant?

5 Et habuerunt gratiam visitatione facta super eos, qui erant ex captivitate à Domino seniores Judæorum.

6 Et non sunt impediti ædificare, donec significaretur Dario de omnibus istis, & responsum acciperetur.

7 Exemplum epistolæ, quam miserunt Dario. Sisennes subregulus Syriæ & Phœnicis, & Satrabuzanes, & sodales ejus in Syria & Phœnice præsides, regi Dario salutem.

8 Omnia nota sint Domino regi, quòd cùm venissemus in regionem Judææ, & introissemus in Jerusalem, invenimus ædificantes domum Dei magnam:

9 Et templum ex lapidibus politis, & magnis & pretiosis materiis in parietibus,

10 Et opera illa instāter fieri, & suffragare, & prosperare in manibus eorū, & in omni gloria quàm diligentissimè perfici.

11 Tunc interrogavimus seniores, dicentes, Quo permittente, vobis ædificatis domum istam, & opera hæc fundatis?

12 Ideò autem interrogavimus eos, ut notum faceremus tibi homines & præpositos, & nominum scripturam præpositorum postulavimus illos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

13 At illi respondérunt nobis, dicentes, Nos sumus servi Domini, qui fecit cælum & terram,
14 Et ædificabatur hæc domus ante annos istos multos à rege Israël magno & fortissimo, & consummata est.
15 Et quoniam patres nostri exacerbantes erant & peccaverunt in Deum Israël, tradidit eos in manus Nabuchodonosor regis Babyloniæ, regis Chaldæorum,
16 Et domum istam demolientes incenderunt, & populum captivum duxerunt in Babylonem.
17 In primo anno regnante Cyro rege Babyloniæ, scripsit Cyrus rex domum hanc ædificare,
18 Et illa sacra vasa aurea & argentea quæ extulerat Nabuchodonosor de domo quæ est in Jerusalem, & consecraverat ea in suo templo, rursus protulit ea Cyrus rex de templo quod erat in Babylonia, & tradita sunt Zorobabel & & Salmanasaro subregulo:
19 Et præceptum est eis ut offerrent hæc vasa, & reponerent in templo quod erat in Jerusalem, & ipsum templum Dei ædificare in loco suo.
20 Tunc Salmanasarus subjecit fundata domus Domini, quæ est in Jerusalem: & exinde usque nunc ædificatur, & non accepit consummationem.
21 Nunc ergo si judicatur à te ô rex, perquiratur in regalibus bibliothecis Cyri regis, quæ sunt in Babylonia.
22 Et si inventum fuerit consilio Cyri regis cœptam esse structuram domus Domini, quæ est in Jerusalem, & judicatur à Domino rege nostro, scribat de his nobis.
23 Tunc Darius rex præcepit inquiri in Bibliothecis: & inventus est in Ecbathanis oppido, quod est in media regione, locus unus, in quo scripta erant ista.
24 Anno primo regnante Cyro, rex Cyrus præcepit domum Domini quæ est in Jerusalem ædificare, ubi incendebant igni assiduo,
25 Cujus altitudo sit cubitorum decem, & latitudo cubitorum sexaginta, quadratum lapidibus politis tribus, & meniano ligneo ejusdem regionis, & meniano vno novo, & impendia dari de domo Cyri regis:
26 Et sacra vasa domus Domini tam aurea quàm argentea, quæ extulit Nabuchodonosor in domum Domini, quæ est in Jerusalem, ubi erant posita, ut ponantur illic.
27 Et præcepit curam agere Sisennem subregulum Syriæ & Phœnicis, & Satrabuzanem, & sodales ejus, & qui ordinati erant in Syria & Phœnice præsides, ut abstinerent se ab eodem loco.
28 Et ego quoque præcepi in totum ædificare: & prospexi, ut adjuvent eos qui sunt ex captivitate Judæorum, donec consummetur templum ædis Domini:
29 Et à vexatione tributorum Cœlesyriæ & Phœnicis, diligenter quantitatem dari his hominibus ad sacrificium Domini, Zorobabel præfecto, ad tauros, & arietes, & agnos,
30 Similiter autem & frumentum, & sal, & vinum, & oleum instanter per singulos annos, prout sacerdotes qui sunt in Jerusalem, dictaverunt consumi quotidie, sine ulla dilatione,
31 Ut offerantur libationes summo Deo pro rege & pueris ejus, & orent pro ipsorum vita:
32 Et denuntietur, ut quicunque transgressi fuerint aliquid ex his quæ scripta sunt, aut spreverint, accipiatur lignum de suis propriis, & suspendantur, & bona ipsorum regis asscribantur.
33 Propterea & Dominus, cujus nomen invocatum est ibi, exterminet omnem regem & gentem, qui manum suam extenderit prohibere, aut malè tractare domum Domini illam quæ est in Jerusalem.
34 Ego Darius rex decrevi quàm diligentissimè secundùm hæc fieri.

Caput VII.

Domus Dei extructa dedicatur & consecratur, in eáque festum Azymorum celebratur.

1 TUnc Sisennes subregulus Cœlesyriæ & Phœnicis, & Satrabuzanes, & sodales, obsecuti his quæ à Dario rege erant decreta,
2 Insistebant sacrosanctis operibus diligentissimè, cooperantes cum senioribus Judæorum principibus Syriæ.
3 Et prosperata sunt sacrosancta opera prophetantibus Aggæo & Zacharia prophetis.
4 Et consummaverunt omnia per præceptum Domini Dei Israël, & ex consilio Cyri, & Darij, & Artaxerxis regis Persarum.
5 Et consummata est domus nostra usque ad tertiam & vigesimam diem mensis Adar, sexto anno Darij regis.
6 Et fecerunt filij Israël & sacerdotes & Levitæ, & ceteri qui erant ex captivitate, qui appositi sunt secundùm ea quæ scripta sunt in libro Moysi.
7 Et obtulerunt in dedicationem templi Domini, tauros centum, arietes ducentos, agnos quadringentos,
8 Et hœdos pro peccatis universi Israël, duodecim secundùm numerum tribuum Israël.
9 Et steterunt sacerdotes & Levitæ amicti stolis per tribus, super omnia opera Domini Dei Israël, secundùm librum Moysi, & ostiarij per singulas januas.
10 Et egerunt filij Israël cum his qui erant ex captivitate, illud Phase quartadecima luna mensis primi, quando sanctificati sunt sacerdotes & Levitæ.
11 Omnes filij captivitatis non sunt simul sanctificati, quia Levitæ omnes simul sanctificati sunt.
12 Et immolaverunt Phase universi filij captivitatis, & fratribus suis sacerdotibus, & sibimetipsis.
13 Et manducaverunt filij Israël, qui erant ex captivitate, omnes qui remanserant ab omnibus execrationibus gentium terræ quærentes Dominum,
14 Et celebraverunt diem festum azymorum, septem diebus epulantes in conspectu Domini,
15 Quoniam convertit consilium regis Assyriorum in eos, confortare manus eorum ad opera Domini Dei Israël.

Caput VIII.

Ascendenti Esdræ à Babylonia Ierosolymam traduntur Artaxerxis litteræ, quæ beneficia Iudæis præstita continent: recensentur qui simul ascenderunt, & auro ac argento sacerdotibus commisso, Esdras, facta oratione, commonet populum ad pœnitentiam quòd ab alienigenis se non separassent.

1 ET post hunc regnante Artaxerxe Persarum rege, accessit Esdras filius Azariæ, filij Helciæ, filij Solome,
2 Filij Sadoc, filij Achitob, filij Ameri, filij Azahel, filij Bocci, filij Abisue, filij Phinees, filij Eleasari, filij Aaron primi sacerdotis:
3 Hic Esdras ascendit de Babylonia, cùm esset scriba & ingeniosus in lege Moysi, quæ data est à Domino Deo Israël docere & facere.
4 Et dedit ei rex gloriam, quòd invenisset gratiam in omni dignitate & desiderio in conspectu ejus.
5 Et ascenderunt simul cum ipso ex filiis Israël, & sacerdotibus, & Levitis, & sacris cantoribus templi, & ostiariis, & servis templi, in Jerusalem.
6 Anno septimo regnante Artaxerxe, in quinto mense, hic annus septimus est regni, exeuntes de Babylonia novilunio quinti mensis,
7 Venerunt Jerosolymam juxta præceptum illius, secundùm prosperitatem itineris à Domino ipsorum datam eis.
8 In his enim Esdras magnam disciplinam obtinebat, ne prætermitteret quidquam eorum, quæ essent ex lege Domini & præceptis, & docendo universum Israël omnem justitiam & judicium.
9 Accedentes autem qui scribebant scripta Artaxerxis regis, tradiderunt scriptum quod obvenerat ab Artaxerxe rege ad Esdram sacerdotem, & lectorem legis Domini, cujus exemplum subjectum est.
10 Rex Artaxerxes Esdræ sacerdoti, & lectori legis Domini salutem.
11 Humanior ego judicans in beneficiis, præcepi eis qui desiderant ex genre Judæorum, sua sponte, & ex sacerdotibus & Levitis, qui sunt in regno meo, comitari tecum in Jerusalem.
12 Si qui ergo cupiunt ire tecum, conveniant, & proficiscantur, sicut placuit mihi & septem amicis meis consiliariis,
13 Ut visitent ea quæ aguntur secundùm Judæam & Jerusalem, observantes sicut habes in lege Domini,
14 Et ferant munera Domino Deo Israël, quæ vovi ego & amici Jerusalem, & omne aurum & argentum, quod inventum fuerit in regione Babyloniæ Domino in Jerusalem cum illo,
15 Quod est donatum pro ipsa gente in templum Domini eorum quod est in Jerusalem: ut colligatur hoc aurum & argentum ad tauros, & arietes, & agnos, & hœdos, & quæ his sunt congruentia,
16 Ut offerant hostias Domino super altare Domini ipsorum quod est in Jerusalem.
17 Et omnia quæcumque volueris cum fratribus tuis facere auro & argento, perfice pro voluntate tua, secundùm præceptum Domini Dei tui:
18 Et sacrosancta vasa, quæ data sunt tibi ad opera domus Domini Dei tui, quæ est in Jerusalem:
19 Et cetera quæcumque tibi subvenerint ad opera templi Dei tui, dabis de regali gazophylacio:
20 Cùm volueris cum fratribus tuis facere auro & argento, perfice secundùm voluntatem Domini.
21 Et ego quidem rex Artaxerxes præcepi custodibus thesaurorum Syriæ & Phœnicis, ut quæcumque scripserit Esdras sacerdos, & lector legis Domini, diligenter detur ei usque ad argenti talenta centum, similiter & auri:
22 Et usque ad frumenti modios centum, & vini amphoras centum, & alia quæcumque abundant sine taxatione.
23 Omnia secundùm legem Dei fiant Deo altissimo, ne fortè exurgat ira in regno regis, & filij, & filiorum ejus.
24 Vobis autem dicitur, ut omnibus sacerdotibus & Levitis, & sacris cantoribus, & servis templi, & scribis templi hujus,
25 Nullum tributum, neque ulla alia indictio irrogetur, nec habeat quisquam potestatem objicere eis quidquam.
26 Tu autem Esdra, secundùm sapientiam Dei, constitue judices & arbitros in tota Syria & Phœnice: & omnes qui legem Dei tui non noverunt, doce:
27 Ut quotquot transgressi fuerint legem, diligenter plectantur, sive morte, sive cruciatu, sive etiam pecuniæ multatione vel abductione.
28 Et dixit Esdras scriba: Benedictus Deus patrum nostrorum, qui dedit hanc voluntatem in cor regis, clarificare domum suam quæ est in Jerusalem,
29 Et me honorificavit in conspectu regis & consiliariorum, & amicorum, & purpuratorum ejus.
30 Et ego constans animo factus sum secundùm opitulationem Domini Dei mei, & congregavi ex Israël viros, ut simul ascenderent mecum.
31 Et hi sunt præpositi secundùm suas patrias, & principatus portionales, eorum qui mecum ascenderunt de Babylonia in regno Artaxerxis.
32 Et ex filiis Phares, Gersomus: ex filiis Siemarith, Amenus: filiorum David, Acchus filius Sceciliæ:
33 Ex filiis Phares, Zacharias, & cum eo reversi sunt viri centum quinquaginta:
34 Ex filiis ductoris Moabilionis Zaræi, & cum ipso viri ducenti quinquaginta:
35 Ex filiis Zachues, Jechonia Zecholei, & cum ipso viri ducenti quinquaginta.
36 Ex filiis Sala, Maasias Gotholiæ, & cum ipso viri septuaginta:
37 Ex filiis Saphatiæ, Zarias Micheli, & cum ipso viri octoginta:
38 Ex filiis Job, Abdias Jeheli, & cum ipso viri ducenti duodecim:
39 Ex filiis Baniæ, Salimoth, filius Josaphiæ, & cum ipso viri centum sexaginta:
40 Ex filiis Beer, Zacharias Bebei, & cum ipso viri ducenti octo:
41 ex filiis Ezead, Joannes Eccetan, & cum ipso viri centum decem:
42 Ex filiis Adonicam ipsis postremis, & hæc sunt nomina eorum, Eliphalam filius Gebel, & Semeias, & cum ipso viri septuaginta.
43 Et congregavi eos ad fluvium qui dicitur Thia, & metati fuimus illic triduo, & recognovi eos.
44 Et ex filiis sacerdotum & Levitarum non inveni illic.
45 Et misi ad Eleazarum, & Eccelon, & Masman, & Maloban, & Enaathan, & Samea, & Jotibum, Nathan, Enuagam, Zachariam, & Mosolamum, ipsos ductores & peritos:
46 Et dixit eis ut venirent ad Loddeum, qui erat apud locum gazophylacij.
47 Et mandavi eis ut dicerent Loddeo, & fratribus ejus, & illis qui erant in gazophylacio, ut mitterent nobis eos qui sacerdotio fungerentur in domo Domini Dei nostri:
48 Et adduxerunt nobis secundùm manum validam Domini Dei nostri viros peritos: ex filiis Moholi, filij Levi, filij Israël, Sebebian, & filios & fratres, qui erant decē & octo:
49 Asbiam, & Amin ex filiis filiorum Chananæi, & filij eorum viri viginti.
50 Et ex his qui templo serviebant, quos dedit David, & ipsi principes ad operationem Levitis templo servientium ducenti viginti. Omnia nomina significata sunt in scripturis.
51 Et vovi illic jejunium juvenibus in conspectu Dei, ut quærerem ab eo bonum iter nobis, & qui nobiscum erant, & filiis, & pecoribus, propter insidias.
52 Erubui enim petere à rege pedites & equites in comitatu, tutelæ gratia, contra adversarios nostros.
53 Diximus enim regi, quoniam virtus Domini erit cum eis qui inquirunt eum in omni affectu.
54 Et iterùm deprecati sumus Dominum Deum nostrum secundùm hæc: quem & propitium habuimus, & compotes facti sumus Deo nostro.
55 Et separavi ex plebis præpositis, & sacerdotibus templi, viros duodecim, & Sedebiam, & Asannam, & cum eis ex fratribus eorum viros decem.
56 Et appendi eis aurum & argentum & vasa sacerdotalia domus Dei nostri, quæ donaverat rex, & consiliarij ejus, & principes, & omnis Israël.
57 Et cùm appendissem, tradidi argenti talenta centum quinquaginta, & vasa argentea talentorum centum, & auri talenta centum,
58 Et vasorum aureorum septies viginti, & vasa ærea de bono æramento splendentia, duodecim, auri speciem reddētia.
59 Et dixi eis: Et vos sancti estis Domino, & vasa sunt sancta, & aurum, & argentum votum est Domino Deo patrum nostrorum.
60 Vigilate & custodite, donec tradatis ex plebis præpositis, & sacerdotibus & Levitis, & principibus civitatum Israël, in Jerusalem, in pastophorio domus Dei nostri.
61 Et hi qui susceperunt Sacerdotes & Levitæ aurum & argentum & vasa, intulerunt in Jerusalem in templū Domini.
62 Et promovimus à fluvio Thia, die duodecima mensis primi, usquequò introivimus in Jerusalem.
63 Et cùm factus fuisset tertius dies, quarta autem die ponderatum aurum, & argentum traditum est in domo Domini Dei nostri, Marimoth filio Jori sacerdoti:
64 t cum ipso erat Eleazar filius Phinees: & erant cum ipsis Josadus filius Jesu, & Medias, & Banni filius Levitæ: ad numerum, & ad pondus universa.
65 Et scriptum est pondus ipsorum eadem hora.
66 Qui autem venerunt ex captivitate, obtulerunt sacrificium Domino Deo Israel, tauros duodecim pro omni Israël, arietes octoginta sex,
67 Agnos septuaginta duos, hircos pro peccato duodecim, & pro salute vaccas duodecim, omnia in sacrificium Domini.
68 Et relegerunt præcepta regis regalibus dispensatoribus, & subregulis Cœlesyriæ & Phœnicis: & honorificaverunt gentem, & templum Domini.
69 Et consummatis his, accesserunt ad me præpositi, dicentes: Non segregaverunt genus Israël, & principes, & sacerdotes & Levitæ,
70 Et alienigenæ gentes & nationes terræ, immunditias suas à Chananæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Jebusæis, & Moabitis, & Ægyptiis, & Idumæis.
71 Conjuncti enim sunt filiabus eorum & ipsi, & filij eorum. & mistum est semen sanctum alienigenis gentibus terræ: & participes erant præpositi, & magistratus, iniquitatis ejus ab initio ipsius regni.
72 Et mox ut audivi ista, conscidi vestimenta & sacram tunicam: & lacerans capillos capitis, & barbam, sedi dolens & mœstus.

Universidad de Deusto Biblioteca

73 Et convenerunt quotquot tunc movebantur in verbo Domini Dei Iſraël, ad me lugentem ſuper iniquitatem iſtam, & ſedebam triſtis uſque ad ſacrificium veſpertinum.
74 Et conſurgens à jejunio, conſciſſa habens veſtimenta & ſacram tunicam, ingeniculans, & extendens manus ad Dominum,
75 Dicebam: Domine confuſus ſum, & reveritus ſum ante faciem tuam.
76 Peccata enim noſtra multiplicata ſunt ſuper capita noſtra, & iniquitates noſtræ exaltatæ ſunt uſque ad cælum.
77 Quoniam à temporibus patrum noſtrorum ſumus in magno peccato uſque ad diem hunc.
78 Et propter peccata noſtra, & patrum noſtrorum, ſumus traditi cum fratribus noſtris, & cum ſacerdotibus noſtris, regibus terræ in gladium & captivitatem & deprædationem, cum confuſione uſque in hodiernum diem.
79 Et nunc quantum eſt hoc quod contigit nobis miſericordia abs te Domine Deus, & relinque nobis radicem & nomen in locum ſanctificationis tuæ,
80 Detegere luminare noſtrum in domo Domini Dei noſtri, dare nobis cibum in omni tempore ſervitutis noſtræ.
81 Et cùm ſerviremus, non fuimus derelicti à Domino Deo noſtro; ſed conſtituit nos in gratia, ponens nobis reges Perſarum dare cibum,
82 Et clarificare templum Domini Dei noſtri, & ædificare deſerta Sion, dare nobis ſtabilitatem in Judæa & Jeruſalem.
83 Et nunc quid dicimus Domine habentes hæc? Tranſgreſſi enim ſumus præcepta tua, quæ dediſti in manus puerorum tuorum prophetarum,
84 Dicens: Quoniam terra, in quam introiſtis poſſidere hereditatem ejus, terra polluta eſt coinquinationibus alienigenarum terræ, & immunditiæ illorum repleverunt eam totam immunditia ſua.
85 Et nunc filias veſtras non conjungetis filiis eorum, & filias eorum non accipietis filiis veſtris,
86 Et non inquiretis pacem habere cum illis omni tempore, ut invaleſcentes manducetis optima terræ, & hereditatem diſtribuatis filiis veſtris uſque in ævum.
87 Et quæ contingunt nobis, omnia fiunt propter opera noſtra maligna, & magna peccata noſtra.
88 Et dediſti nobis talem radicem; & rurſum reverſi ſumus tranſgredi legitima tua, uti commiſceremur immunditiæ alienigenarum gentium terræ hujus.
89 Nónne iraſcéris nobis perdere nos, quoad uſque non relinquatur radix & nomen noſtrum?
90 Domine Deus Iſraël verax es. Derelicta eſt enim radix uſque in hodiernum diem.
91 Ecce nunc ſumus in conſpectu tuo in iniquitatibus noſtris. Non eſt enim adhuc ſtare ante te in his.
92 Et cùm adorando confiteretur Eſdras, flens, humi proſtratus ante templum, congregati ſunt ante eum ex Jeruſalem turma magna valde, viri, & mulieres, & juvenes, & juvenculæ. Fletus enim erat magnus in ipſa multitudine.
93 Et cùm clamaſſet Jechonias Jeheli ex filiis Iſraël, dixit Eſdræ: Nos in Dominũ peccavimus, quòd collocavimus nobis in matrimonium mulieres alienigenas ex gentibus terræ.
94 Et nunc es ſuper omnem Iſraël. In his ergo ſit jusjurandum à Domino, expellere omnes uxores noſtras quæ ex alienigenis ſunt cum filiis earum.
95 Sicut tibi decretum eſt à majoribus ſecundùm legem Domini exurgens explica.
96 Ad te enim ſpectat negotium, & nos tecum ſumus: viriliter fac.
97 Et exurgens Eſdras adjuravit principes ſacerdotum & Levitas, & omnem Iſraël, facere ſecundùm hæc; & juraverũt.

Caput IX.

Jubentur abjicere uxores alienigenas cum filiis, & recenſentur qui ex ſacerdotibus ac Levitis juncti illis erant. Eſdras legit legem Domini coram populo. quibus peractis, jubentur ut ad propria digreſſi, lætum diem agant.

1 ET exurgens Eſdras ab ante atrium templi, abiit in paſtophorium Jonathæ filij Naſabi,
2 Et hoſpitatus illic non guſtavit panem, nec aquam bibit, ſuper iniquitatem multitudinis.
3 Et facta eſt prædicatio in omni Judæa, & in Jeruſalem omnibus qui erant ex captivitate in Jeruſalem congregati,
4 Ut quicumque non occurrerit biduo vel triduo diei, ſecundùm judicium aſſidentium ſeniorum, tollerentur facultates ſuæ, & ipſe alienus judicaretur à multitudine captivitatis.
5 Et congregati ſunt omnes qui erant ex tribu Juda, & Benjamin in tribus diebus in Jeruſalem. hic menſis eſt nonus, dies menſis vigeſimus.
6 Et ſedit omnis multitudo in area templi trementes, propter hyemem præſentem.
7 Et exurgens Eſdras, dixit illis: Vos iniquè feciſtis collocantes vobis in matrimonium uxores alienigenas, ut adderetis ad peccata Iſraël.
8 Et nunc date confeſſionem, & magnificentiam Domino Deo patrum noſtrorum.
9 Et perficite voluntatem ipſius, & diſcedite à gentibus terræ, & ab uxoribùs alienigenis.
10 Et clamavit omnis multitudo, & dixerunt voce magna: Sicut dixiſti, faciemus.
11 Sed quoniam multitudo magna eſt, & tempus hybernum, & non poſſumus inſubſidiati ſtare: & hoc opus non eſt nobis unius diei, neque bidui: multum enim in his peccavimus:
12 Stent præpoſiti multitudinis, & omnes qui nobiſcum inhabitant, & quotquot habent uxores apud ſe alienigenas,
13 Et aſſiſtant accepto tempore ex omni loco presbyteri, & judices, uſquequò ſolvant iram Domini negotij huius.
14 Jonathas autem filius Ezeli, & Ozias Thecam ſuſceperunt ſecundùm hæc: & Boſoramus, & Levis, & Sabbathæus ſimul cooperati ſunt cum illis.
15 Et ſteterunt ſecundùm hæc omnia univerſi qui erant ex captivitate.
16 Et elegit ſibi viros Eſdras ſacerdos, principes magnos de patribus eorum ſecundùm nomina: & conſederunt novilunio menſis decimi examinare negotium iſtud.
17 Et determinatum eſt de viris qui habebant uxores alienigenas, uſque ad neomeniam primi menſis:
18 Et inventi ſunt ex ſacerdotibus permiſti, qui habebant alienigenas uxores.
19 Ex filiis Jeſu filij Joſedec, & fratribus ejus: Maſeas, & Eliozerus, & Joribus, & Joadæus,
20 Et injecerunt manus ut expellerent uxores ſuas: & ad litandum in exorationem, arietem pro ignorantia ſua.
21 Et ex filiis Semmeri: Maſeas & Eſſes & Jeelec, Azarias.
22 Et ex filiis Foſere: Limoſias, Hiſmaenis, & Nathanee, Juſſio, Reddus, & Thalſas.
23 Et ex Levitis: Jorabdus, & Semeis, & Colnis, & Calitas, & Facteas, & Coluas, & Elionas,
24 Et ex ſacris cantoribus, Eliaſib, Zaccarus.
25 Et ex oſtiariis: Salumus, & Tolbanes.
26 Et ex Iſraël: ex filiis Foro, Ozi, & Remias, & Geddias, & Melchias, & Michelus, Eleazarus, & Jamnebias, & Bannas.
27 Et ex filiis Jolaman Chamas, & Zacharias, & Jerrelus, & Joddius, & Erimoth, & Helias.
28 Et ex filiis Zatoim, Eliadas, & Liaſumus, Zochias, & Larimoth, & Zabdis, & Tebedias.
29 Et ex filiis Zebes: Joannes, & Amanias, & Zabdias, & Emeus.
30 Et ex filiis Banni: Olamus, & Maluchus, & Jeddeus, & Jaſub, & Azabus, & Jerimoth.
31 Et ex filiis Addin: Naathus, & Mooſias, & Caleus, & Raanas, Maaſeas, Mathathias, & Beeſel, & Bonnus, & Manaſſes.
32 Et ex filiis Nuae: Noneas, & Aſeas, & Melchias, & Sameas, & Simon, Benjamin, & Malchus, & Marras.
33 Et ex filiis Aſon: Carianeus, Mathathias, & Bannus, & Eliphalach, & Manaſſes, & Semei.
34 Et ex filiis Banni: Jeremias, & Maodias, & Abramus, & Johel, & Baneas, & Pelias, & Jonas, & Marimoth, & Eliaſib, & Mathaneus, & Eliaſis, & Orizas, & Dielus, & Semedius, & Zambris, & Joſephus.
35 Et ex filiis Nobei: Idelus & Mathathias, & Sabadus, & Zecheda, Sedemi & Jeſſei, Baneas.

36 Omnes

36 Omnes iſti conjunxerunt ſibi uxores alienigenas, & dimiſerunt eas cum filiis.
37 Et inhabitaverunt ſacerdotes & Levitæ, & qui erant ex Iſraël, in Jeruſalem, & in tota una regione, novilunio menſis ſeptimi. Et erant filij Iſraël in commorationibus ſuis.
38 Et congregata eſt omnis multitudo ſimul in aream, quæ eſt ab oriente portæ ſacræ:
39 Et dixerunt Eſdræ pontifici & lectori, ut afferret legem Moyſi, quæ tradita eſt à Domino Deo Iſraël.
40 Et attulit Eſdras Pontifex legem omni multitudini eorum, à viro uſque ad mulierem, & omnibus ſacerdotibus, audire legem novilunio menſis ſeptimi.
41 Et legebat in area, quæ eſt ante ſacram portam templi, à prima luce uſque ad veſperam, coram viris, & mulieribus. Et dederunt omnes ſenſum ad legem.
42 Et ſtetit Eſdras ſacerdos, & lector legis, ſuper ligneum tribunal quod fabricatum erat.
43 Et ſteterunt ad eum Mathathias, & Samus, Ananias, Azarias, Urias, Ezechias, & Balſamus ad dexteram:
44 Et ad ſiniſtram Faldeus, Miſael, Malachias, Abuſthas, Sabus, Nabadias, & Zacharias.
45 Et aſſumpſit Eſdras librum coram omni multitudine: præſidebat enim in gloria in conſpectu omnium.
46 Et cùm abſolviſſet legem, omnes erecti ſteterunt: & benedixit Eſdras Dominum Deum altiſſimum, Deum ſabaoth omnipotentem.
47 Et reſpondit omnis populus, Amen. Et elevatis ſurſum manibus procidentes in terram, adoraverunt Dominum.
48 Jeſus, & Banaeus, & Sarebias, & Jaddimus, & accubus, & Sabbathæus, & Calithes, & Azarias, & Joradus, & Ananias, & Philias Levitæ.
49 Qui docebant legem Domini, & in multitudine legebant legem Domini, & præferebant ſinguli eos, qui intelligebant lectionem.
50 Et dixit Atharathes Eſdræ pontifici & lectori, & Levitis qui docebant multitudinem,
51 Dicens, Dies hic ſanctus eſt Domino. Et omnes flebant, cùm audiſſent legem.
52 Et dixit Eſdras, Digreſſi ergo manducate pinguiſſima quæque, & bibite dulciſſima quæque, & mittite munera his qui non habent.
53 Sanctus enim eſt hic dies Domini, & nolite mœſti eſſe. Dominus enim clarificabit vos.
54 Et Levitæ denuntiabant in publico omnibus, dicentes, Dies hic ſanctus eſt, nolite mœſti eſſe.
55 Et abierunt omnes manducare, & bibere, & epulari, & dare munera his qui non habebant, ut epularentur. Magnificè enim ſunt exaltati verbis quibus edocti ſunt.
56 Et congregati ſunt univerſi in Jeruſalem celebrare lætitiam, ſecundùm teſtamentum Domini Dei Iſraël.

LIBER ESDRÆ QUARTUS.

Caput Primum.

Mittitur Eſdras à Domino multa ingratis Judæis exhibita beneficia exprobraturus.

1 LIBER Eſdræ prophetæ ſecundus, filij Sarei, filij Azarei, filij Helciæ, filij Sadaniæ, filij Sadoch, filij Achitob,
2 Filij Achiæ, filij Phinees, filij Heli, filij Ameriæ, filij Aſiel, filij Marimoth, filij Arna, filij Oziæ, filij Borith, filij Abiſei, filij Phinees, filij Eleazar,
3 Filij Aaron ex tribu Levi, qui fuit captivus in regione Medorum in regno Artaxerxis regis Perſarum.
4 Et factum eſt verbum Domini ad me dicens,
5 Vade, & nuntia populo meo facinora ipſorum, & filiis eorum iniquitates, quas in me admiſerunt, ut nuntient filiis filiorum:
6 Quia peccata parentum ipſorum in illis creverunt. Obliti enim mei ſacrificaverunt diis alienis.
7 Nónne ego eduxi eos de terra Ægypti de domo ſervitutis? Ipſi autem irritaverunt me, & conſilia mea ſpreverunt.
8 Tu autem excute comam capitis tui, & projice omnia mala ſuper illos: quoniam non obedierunt legi meæ. Populus autem eſt indiſciplinatus.
9 Uſquequò eos ſuſtinebo, quibus tanta beneficia contuli?
10 Reges multos propter eos ſubverti, Pharaonem cum pueris ſuis, & omnem exercitum ejus percuſſi.
11 Omnes gentes à facie eorum perdidi, & in Oriente provinciarum duarum populos Tyri & Sidonis diſſipavi, & omnes adverſarios eorum interfeci.
12 Tu verò loquere ad eos, dicens: Hæc dicit Dominus:
13 Nempe ego vos per mare tranſmeavi, & plateas vobis initio munitas exhibui, ducem vobis dedi Moyſen & Aaron ſacerdotem:
14 Lucẽ vobis per columnam ignis præſtiti, & magna mirabilia feci in vobis: vos autem mei obliti eſtis, dicit Dominus.
15 Hæc dicit Dominus omnipotens: Coturnix vobis in ſigno fuit, caſtra vobis ad tutelam dedi, & illic murmuraſtis:
16 Et non triumphaſtis in nomine meo de perditione inimicorum veſtrorum, ſed adhuc nunc uſque murmuraſtis.
17 Ubi ſunt beneficia, quæ præſtiti vobis? Nónne in deſerto cum eſuriretis, proclamaſtis ad me,
18 Dicentes, Ut quid nos in deſertum iſtud adduxiſti interficere nos? melius nobis fuerat ſervire Ægyptiis, quàm mori in deſerto hoc.
19 Ego dolui gemitus veſtros, & dedi vobis manna in eſcam. Panem angelorum manducaſtis.
20 Nónne cum ſitiretis, petram excîdi, & fluxerunt aquæ in ſaturitate? propter æſtus foliis arborum vos texi.
21 Diviſi vobis terras pingues: Chananæos, & Pherezæos, & Philiſthæos à facie veſtra projeci: quid faciam vobis adhuc: dicit Dominus?
22 Hæc dicit Dominus omnipotens, In deſerto cùm eſſetis in flumine Amorrhæo ſitientes, & blaſphemantes nomen meum,
23 Non ignem vobis pro blaſphemiis dedi, ſed mittens lignum in aquam, dulce feci flumen.
24 Quid tibi faciam Jacob? Noluiſti obedire Juda. Transferam me ad alias gentes, & dabo eis nomen meum, ut cuſtodiant legitima mea.
25 Quoniam me dereliquiſtis, & ego vos derelinquam, Petentibus vobis à me miſericordiam, non miſerebor.
26 Quando invocabitis me, ego non exaudiam vos. Maculaſtis enim manus veſtras ſanguine, & pedes veſtri impigri ſunt ad committenda homicidia.
27 Non quaſi me dereliquiſtis, ſed vos ipſos, dicit Dominus.
28 Hæc dicit Dominus omnipotens, Nónne ego vos rogavi, ut pater filios, & ut mater filias, & ut nutrix parvulos ſuos,
29 Ut eſſetis mihi in populum, & ego vobis in Deum, & vos mihi in filios, & ego vobis in patrem?
30 Ita vos collegi, ut gallina pullos ſuos ſub alas ſuas. Modò autem quid faciam vobis? Projiciam vos à facie mea.
31 Oblationem cùm mihi attuleritis, avertam faciem meam à vobis. Dies enim feſtos veſtros, & neomenias & circumciſiones repudiavi.
32 Ego miſi pueros meos prophetas ad vos, quos acceptos interfeciſtis, & laniaſtis corpora eorum, quorum ſanguinem exquiram, dicit Dominus.
33 Hæc dicit Dominus omnipotens, Domus veſtra deſerta eſt: Projiciam vos ſicut ventus ſtipulam,
34 Et filij procreationem non facient: quoniam mandatum meum neglexerunt, & quod malum eſt coram me fecerunt.

35 Tradam

Universidad de Deusto
Biblioteca

35 Tradam domos vestras populo venienti, qui me non audientes credunt: quibus signa non ostendi, facient quæ præcepi.

36 Prophetas non viderunt, & memorabuntur iniquitatum eorum.

37 Testor populi venientis gratiam, cujus parvuli exultant cum lætitia, me non videntes oculis carnalibus, sed spiritu credentes quæ dixi.

38 Et nunc frater aspice, quæ gloria: & vide populum venientem ab Oriente,

39 Quibus dabo ducatum Abraham, Isaac, & Jacob, & Oscee, & Amos, & Michææ, & Joel, & Abdiæ, & Jonæ,

40 Et Nahum, & Habacuc, Sophoniæ, Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ, qui & angelus Domini vocatus est.

Caput II.

Synagoga sub figura matris revocatur à malis suis ad vitam rectiorem.

1 Hæc dicit Dominus: Ego eduxi populum istum de servitute, quibus mandata dedi per pueros meos prophetas, quos audire noluerunt, sed irrita fecerunt mea consilia.

2 Mater quæ eos generavit, dicit illis, Ite filij, quia ego vidua sum & derelicta.

3 Educavi vos cum lætitia, & amisi vos cum luctu & tristitia, quoniam peccastis coram Domino Deo vestro, & quod malum est coram eo fecistis.

4 Modò autem quid faciam vobis? ego vidua sum & derelicta: ite filij, & petite à Domino misericordiam.

5 Ego autem te pater testem invoco super matrem filiorum, qui noluerunt testamentum meum servare.

6 Ut des eis confusionem, & matrem eorum in direptionem, ne generatio eorum fiat.

7 Dispergantur in gentes nomina eorum, deleantur à terra: quoniam spreverunt sacramentum meum.

8 Væ tibi Assur, qui abscondis iniquos penes te. Gens mala, memorare quid fecerim Sodomæ & Gomorrhæ.

9 Quorum terra jacet in piceis glebis & aggeribus cinerum: sic dabo eos, qui me non audierunt, dicit Dominus omnipotens.

10 Hæc dicit Dominus ad Esdram, Nuntia populo meo, quoniam dabo eis regnum Jerusalem, quod daturus eram Israël.

11 Et sumam mihi gloriam illorum, & dabo eis tabernacula æterna, quæ præparaveram illis.

12 Lignum vitæ erit illis in odore unguenti, & non laborabunt, neque fatigabuntur.

13 Ite, & accipietis. Rogate vobis dies paucos, ut immorentur. Jam paratum est vobis regnum: vigilate.

14 Testare cælum & terram. Contrivi enim malum, & creavi bonum, quia vivo ego, dicit Dominus.

15 Mater amplectere filios tuos, educa illos cum lætitia. Sicut columba confirma pedes eorum, quoniam te elegi, dicit Dominus.

16 Et resuscitabo mortuos de locis suis, & de monumentis educam illos, quoniam cognovi nomen meum in Israël.

17 Noli timere mater filiorum: quoniam te elegi, dicit Dominus.

18 Mittam tibi adjutorium pueros meos Isaiam & Jeremiam, ad quorum consilium sanctificavi & paravi tibi arbores duodecim gravatas variis fructibus,

19 Et totidem fontes fluentes lac & mel, & montes immensos septem, habentes rosam & lilium, in quibus gaudio implebo filios tuos.

20 Viduam justifica, pupillos judica, egenti da, orphanum tuere, nudum vesti,

21 Confractum & debilem cura, claudum irridere noli, tutare mecum, & cæcum ad visionem claritatis meæ admitte.

22 Senem & juvenem intra muros tuos serva:

23 Mortuos ubi inveneris, signans commenda sepulchro, & dabo tibi primam sessionem in resurrectione mea.

24 Pausa & quiesce populus meus, quia veniet requies tua.

25 Nutrix bona nutri filios tuos, confirma pedes eorum.

26 Servos quos tibi dedi, nemo ex eis interiet: eos ego enim requiram de numero tuo.

27 Noli fatigari. Cùm enim venerit dies pressuræ & angustiæ, alij plorabunt, & tristes erunt: tu autem hilaris & copiosa eris.

28 Zelabunt gentes, & nil adversus te poterunt, dicit Dominus.

29 Manus meæ tegent te, ne filij tui gehennam videant.

30 Jucundare mater cum filiis tuis, quia ego te eripiam, dicit Dominus.

31 Filios tuos dormientes memorare, quoniam ego eos educam de lateribus terræ, & misericordiam cum illis faciam: quoniam misericors sum, dicit Dominus omnipotens.

32 Amplectere natos tuos usque dum venio, & præstem illis misericordiam: quoniam exuberant fontes mei, & gratia mea non deficiet.

33 Ego Esdras præceptum accepi à Domino in monte Oreb, ut irem ad Israël: ad quos cùm venirem, reprobaverunt me, & respuerunt mandatum Domini:

34 Ideóque vobis dico gentes, quæ auditis, & intelligitis, Expectate pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis: quoniam in proximo est ille qui in fine sæculi adveniet.

35 Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis.

36 Fugite umbram sæculi hujus: accipite jucunditatem gloriæ vestræ. Ego testor palàm salvatorem meum.

37 Commendatum donum accipite & jucundamini, gratias agentes ei qui vos ad cælestia regna vocavit.

38 Surgite & state & videte numerum signatorum in convivio Domini.

39 Qui se de umbra sæculi transtulerunt, splendidas tunicas à Domino acceperunt.

40 Recipe Sion numerum tuum, & conclude candidatos tuos qui legem Domini compleverunt.

41 Filiorum tuorum, quos optabas, plenus est numerus. Roga imperium Domini, ut sanctificetur populus tuus qui vocatus est ab initio.

42 Ego Esdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum.

43 Et in medio eorum erat juvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur: Ego autem miraculo tenebar.

44 Tunc interrogavi angelum, & dixi: Qui sunt hi, Domine?

45 Qui respondens dixit mihi: Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, & immortalem sumpserunt, & confessi sunt nomen Dei: Modò coronantur, & accipiunt palmas.

46 Et dixi Angelo: Ille juvenis quis est, qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit?

47 Et respondens dixit mihi: Ipse est filius Dei, quem in sæculo confessi sunt: ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini steterunt.

48 Tunc dixit mihi angelus: Vade: annuntia populo meo, qualia & quanta mirabilia Domini Dei vidisti.

Caput III.

In omnibus Adæ posteris, & maximè in Gentibus infidelibus, abundat malitia.

1 Anno trigesimo ruinæ civitatis, eram in Babylone, & conturbatus sum super cubiculo meo recumbens, & cogitationes meæ ascendebant super cor meum:

2 Quoniam vidi desertionem Sion, & abundantiam eorum qui habitabant in Babylone.

3 Et ventilatus est spiritus meus valdè, & cœpi loqui ad Altissimum verba timorata,

4 Et dixi: O dominator Domine, tu dixisti ab initio, quando plantasti terram, & hoc solus, & imperasti populo,

5 Et dedisti Adam corpus mortuum: sed & ipsum figmentum manuum tuarum erat, & insufflasti in eum spiritum vitæ, & factus est vivens coram te:

6 Et induxisti eum in paradiso, quem plantaverat dextera tua, antequam terra adventaret.

7 Et huic mandasti diligere viam tuam, & præterivit eam, & statuisti in eo mortem, & in nationibus ejus, & natæ sunt gentes, & tribus, & populi, & cognationes, quarum non est numerus.

8 Et

8 Et ambulavit unaquæque gens in voluntate sua, & mira agebant coram te, & spernebant præcepta tua.

9 Iterùm autem in tempore induxisti diluvium super inhabitantes sæculum, & perdidisti eos.

10 Et factum est in unoquoque eorum, sicut Adæ mori, sic his diluvium.

11 Dereliquisti autem unum ex his Noe cum domo sua, & ex eo justi omnes.

12 Et factum est cùm cœpissent multiplicari, qui habitabant super terram, & multiplicaverunt filios & populos & gentes multas: & cœperunt iteratò impietatem facere plus quàm priores.

13 Et factum est cùm iniquitatem facerent coram te, elegisti tibi virum ex his, cui nomen erat Abraham.

14 Et dilexisti eum, & demonstrasti ei soli voluntatem tuam:

15 Et disposuisti ei testamentum æternum, & dixisti ei ut non umquam derelinqueres semen ejus. Et dedisti ei Isaac, & Isaac dedisti Jacob & Esau.

16 Et segregasti tibi Jacob, Esau autem separasti. Et factus est Jacob in multitudine magna.

17 Et factum est cùm educeres semen ejus ex Ægypto, adduxisti super montem Sina.

18 Et inclinasti cælos, & statuisti terram, & commovisti orbem, & tremere fecisti abyssos, & conturbasti sæculum,

19 Et transiit gloria tua portas quattuor, ignis, & terræmotus, & spiritus, & gelu, ut dares semini Jacob legem, & generationi Israël diligentiam.

20 Et non abstulisti ab eis cor malignum, ut faceret lex tua in eis fructum.

21 Cor enim malignum bajulans primus Adam, transgressus & victus est, sed & omnes qui de eo nati sunt.

22 Et facta est permanens infirmitas, & lex cum corde populi, cum malignitate radicis: & discessit quod bonum est, & man sit malignum.

23 Et transierunt tempora, & finiti sunt anni: & suscitasti tibi servum nomine David,

24 Et dixisti ei ædificare civitatem nominis tui, & offerre tibi in eadem thus & oblationes.

25 Et factum est hoc annis multis, & deliquerunt qui habitabant civitatem,

26 In omnibus facientes sicut fecit Adam, & omnes generationes ejus. utebantur enim & ipsi corde maligno.

27 Et tradidisti civitatem tuam in manibus inimicorum tuorum.

28 Numquid meliora faciunt, qui habitant Babylonem? Et propter hoc dominabitur Sion?

29 Factum est cùm venissem huc, & vidissem impietates, quarum non est numerus: & delinquentes multos vidit anima mea hoc trigesimo anno, & excessit cor meum:

30 Quoniam vidi quomodo sustines eos peccantes, & pepercisti impiè agentibus, & perdidisti populum tuum, & conservasti inimicos tuos, & non significasti.

31 Nihil memini quomodo debeat derelinqui via hæc. Numquid meliora facit Babylon quàm Sion?

32 Aut alia gens cognovit te præter Israël? aut quæ tribus crediderunt testamentis tuis, sicut Jacob?

33 Quarum merces non comparuit, neque labor fructificavit. Pertransiens enim pertransivi in gentibus, & vidi abundantes eas, & non memorantes mandatorum tuorum.

34 Nunc ergo pondera in statera nostras iniquitates, & eorum qui habitant in sæculo: & non invenietur nomen tuum, nisi in Israël.

35 Aut quando non peccaverunt in conspectu tuo, qui habitant terram? aut quæ gens sic observavit mandata tua?

36 Hos quidem per nomina invenies servasse mandata tua, gentes autem non invenies.

Caput IV.

Retunditur curiosi scrutatoris præsumptio, adductis variis similitudinibus.

1 Et respondit ad me angelus, qui missus est ad me, cui nomen Uriel.

2 Et dixit mihi, Excedens excessit cor tuum in sæculo hoc, & comprehendere cogitas viam Altissimi.

3 Et dixi: Ita Domine meus. Et respondit mihi, & dixit: Tres vias missus sum ostendere tibi, & tres similitudines proponere coram te.

4 De quibus mihi si renuntiaveris unam ex his, & ego tibi demonstrabo viam, quam desideras videre, & docebo te, unde sit cor malignum.

5 Et dixi: Loquere Domine meus. Et dixit ad me: Vade pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem quæ præteriit.

6 Et respondit, & dixit: Quis natorum poterit facere, ut me interroges de his?

7 Et dixit ad me: Si essem interrogans te, dicens: Quantæ habitationes sunt in corde maris, aut quantæ venæ sunt in principio abyssi, aut quantæ venæ sunt super firmamentum, aut qui sunt exitus paradisi:

8 Diceres mihi fortassis, in abyssum non descendi, neque in infernum adhuc, neque in cælum umquam ascendi.

9 Nunc autem non interrogavi te, nisi de igne, & vento, & die, per quem transisti, & à quibus separari non potes: & non respondisti mihi de eis.

10 Et dixit mihi: Tu quæ tua sunt tecum coadolescentia, non potes cognoscere:

11 Et quomodo poterit vas tuum capere Altissimi viam, & jam exteriùs corrupto sæculo intelligere corruptionem evidentem in facie mea?

12 Et dixi illi: Melius erat nos non esse, quàm adhuc viventes vivere in impietatibus, & pati, & non intelligere de qua re.

13 Et respondit ad me, & dixit: Proficiscens profectus sum ad silvam lignorũ campi, & cogitaverunt cogitationem.

14 Et dixerunt: Venite & eamus, & faciamus ad mare bellum, ut recedat coram nobis, & faciamus nobis alias silvas.

15 Et similiter fluctus maris & ipsi cogitaverunt cogitationem, & dixerunt: Venite ascendentes, debellemus silvas campi, ut & ibi consummemus nobismetipsis aliam regionem.

16 Et factus est cogitatus silvæ in vanum: venit enim ignis, & consumpsit eam.

17 Similiter & cogitatus fluctuum maris: stetit enim arena, & prohibuit eos.

18 Si enim esses judex horum, quem inciperes justificare, aut quem condemnare?

19 Et respondi, & dixi: Utique vanam cogitationem cogitaverunt. terra enim data est silvæ, & mari locus portare fluctus suos.

20 Et respondit ad me, & dixit: Benè tu judicasti, & quare non judicasti tibimetipsi?

21 Quemadmodum enim terra silvæ data est, & mare fluctibus suis: sic qui super terram inhabitant, quæ sunt super terram intelligere solummodò possunt: & qui super cælos, quæ super altitudinem cælorum.

22 Et respondi, & dixi: Deprecor te Domine, ut mihi detur sensus intelligendi.

23 Non enim volui interrogare de superioribus tuis, sed de his quæ pertranseunt per nos quotidie. propter quid Israël datus in opprobrium gentibus: quem dilexisti populum, datus est tribubus impiis, & lex patrum nostrorum in interitum deducta est, & dispositiones scriptæ nusquam sunt:

24 Et pertransivimus de sæculo, ut locustæ, & vita nostra stupor & pavor, & nec digni sumus misericordiam consequi.

25 Sed quid faciet nomini suo quod invocatum est super nos? & de his interrogavi.

26 Et respondit ad me, & dixit: Si fueris plurimum scrutatus, frequenter miraberis: quoniam festinans festinat sæculum pertransire.

27 Et non capit portare quæ in futuris temporibus justis repromissa sunt: quoniam plenum injustitia est sæculum hoc & infirmitatibus.

28 De quibus autem interrogas, dicam: seminatum enim est malum, & necdum venit destructio ipsius.

29 Si ergo non inversum fuerit quod seminatum est, & discesserit locus ubi seminatum est malum, non veniet ubi seminatum est bonum.

30 Quoniam gramen seminis mali seminatum est in corde Adam ab initio: & quantum impietatis generavit usque nunc, & generat usque cùm veniat area?

31 Æstima

Universidad de Deusto
Biblioteca

31 Æstima autem apud te gramen mali seminis, quantum fructum impietatis generavit:
32 Quando secatæ fuerint spicæ, quarum non est numerus, quàm magnam aream incipient facere:
33 Et respondi, & dixi: Quomodo, & quando hæc? Quare modici & mali anni nostri?
34 Et respondit ad me, & dixit mihi: Non festines tu super Altissimum. Tu enim festinas inaniter esse super ipsum, nam excessus tuus multus.
35 Nónne de his interrogaverunt animæ justorum in promptuariis suis, dicentes, Usquequò spero sic? & quando veniet fructus aræ mercedis nostræ?
36 Et respondit ad ea Jeremiel Archangelus, & dixit: Quando impletus fuerit numerus seminum in vobis, quoniàm in statera ponderavit sæculum,
37 Et mensura mensuravit tempora, & numero numeravit tempora, & non commovit nec excitavit usquedum impleatur prædicta mensura.
38 Et respondi, & dixi: O Dominator Domine, sed & nos omnes pleni sumus impietate.
39 Et ne fortè propter nos non impleantur justorum aræ, propter peccata inhabitantium super terram.
40 Et respondit ad me, & dixit: Vade, & interroga prægnantem, si quando impleverit novem menses suos, adhuc poterit matrix ejus retinere partum in semetipsa? Et dixi,
41 Non potest Domine. Et dixit ad me, In inferno promptuaria animarum matrici assimilata sunt.
42 Quemadmodum enim illa festinat quæ parit effugere necessitatem partus: sic & hæc festinat reddere ea quæ commendata sunt.
43 Ab initio tibi demonstrabitur de his quæ concupiscis videre.
44 Et respondi, & dixi: Si inveni gratiam ante oculos tuos, & si possibile est, & si idoneus sum,
45 Demonstra mihi, si plusquam præteritum sit habet venire, aut plura pertransierunt suprà quàm futurum est.
46 Quid pertransivit scio: quid autem futurum sit, ignoro.
47 Et dixit ad me: Sta super dexteram partem, & demonstrabo tibi interpretationem similitudinis.
48 Et steti, & vidi: & ecce fornax ardens transiit coram me. & factum est, cùm transiret flamma, vidi, & ecce superavit fumus.
49 Post hæc transiit coram me nubes plena aquæ, & immisit pluviam impetu multam: & cùm transiisset impetus pluviæ, superaverunt in ea guttæ.
50 Et dixit ad me: Cogita tibi: sicut crescit pluvia ampliùs quàm guttæ, & ignis quàm fumus: sic superabundavit quæ transivit mensura. Superaverunt autem guttæ, & fumus:
51 Et oravi, & dixi, Putas vivo usque in diebus illis? vel quid erit in diebus illis?
52 Respondit ad me, & dixit, De signis, de quibus me interrogas, ex parte possum tibi dicere: de vita autem tua non sum missus dicere tibi, sed nescio.

Caput V.

Varia signa de futuris rebus Esdræ per Angelum ostenduntur pro captivorum spe ac consolatione.

1 DE signis autem: ecce dies venient, in quibus apprehendentur qui inhabitant terram in censu multo: & absconditur veritatis via, & sterilis erit à fide regio:
2 Et multiplicabitur injustitia super hanc quam ipse tu vides, & super quam audisti olim:
3 Et erit impositio vestigio quam nunc vides regnare regionem, & videbunt eam desertam.
4 Si autem tibi dederit Altissimus vivere, videbis post tertiam tubam, & relucescet subitò sol noctu, & luna ter in die,
5 Et de ligno sanguis stillabit, & lapis dabit vocem suam, & populi commovebuntur.
6 Et regnabit, quem non sperant qui inhabitant super terram, & volatilia commigrationem facient:
7 Et mare Sodomiticum pisces rejiciet, & dabit vocem noctu, quam non noverant multi, omnes autem audient vocem ejus,
8 Et chaos fiet per loca multa, & ignis frequenter remittetur, & bestiæ agrestes transmigrabunt, & mulieres menstruatæ parient monstra,
9 Et in dulcibus aquis salsæ invenientur, & amici omnes semetipsos expugnabunt: & absconditur tunc sensus, & intellectus separabitur in promptuarium suum:
10 Et quæretur à multis, & non invenietur, & multiplicabitur injustitia, & incontinentia super terram.
11 Et interrogabit regio proximam suam, & dicet, Numquid per te pertransiit justitia justum faciens? Et hoc negabit.
12 Et erit in illo tempore, & sperabunt homines, & non impetrabunt: laborabunt, & non dirigentur viæ eorum.
13 Hæc signa dicere tibi permissum est mihi: & si oraveris iterùm & ploraveris, sicut & nunc, & jejunaveris septem diebus, audies iteratò horum majora.
14 Et evigilavi, & corpus meum horruit valdè: & anima mea laboravit, ut deficeret:
15 Et tenuit me qui venit angelus, qui loquebatur in me, & confortavit me, & statuit me super pedes.
16 Et factum est in nocte secunda, & venit ad me Salathiel dux populi, & dixit mihi, Ubi eras? & quare vultus tuus tristis?
17 An nescis, quoniam tibi creditus est Israël in regione transmigrationis eorum:
18 Exurge ergo, & gusta panem, & non derelinquas nos, sicut pastor gregem suum in manibus luporum malignorum.
19 Et dixi ei, Vade à me, & non appropies ad me. Et audivit, ut dixi: & recessit à me.
20 Et ego jejunavi diebus septem ululans & plorans, sicut mihi mandavit Uriel Angelus.
21 Et factum est post dies septem, & iterùm cogitationes cordis mei molestæ erant mihi valdè,
22 Et resumpsit anima mea spiritum intellectus: & iterùm cœpi loqui coram Altissimo sermones,
23 Et dixi, Dominator Domine, ex omni silva terræ, & omnibus arboribus ejus, elegisti vineam unicam:
24 Et ex omni terra orbis, elegisti tibi foveam unam: & ex omnibus floribus orbis, elegisti tibi lilium unum:
25 Et ex omnibus abyssis maris, replesti tibi rivum unum: & ex omnibus ædificatis civitatibus, sanctificasti tibimetipsi Sion.
26 Et ex omnibus creatis volatilibus nominasti tibi columbam unam: & ex omnibus plasmatis pecoribus, providisti tibi ovem unam:
27 Et ex omnibus multiplicatis populis, acquisivisti tibi populum unum: & ab omnibus probatam legem, donasti huic quem desiderasti populo.
28 Et nunc Domine, ut quid tradidisti unum pluribus? Et præparasti super unam radicem alias, & dispersidisti unicum tuum in multis:
29 Et conculcaverunt eum, qui contradicebant sponsionibus tuis, quique tuis testamentis non credebant.
30 Et si odiens odisti populum tuum, tuis manibus debet castigari.
31 Et factum est, cùm locutus essem sermones, & missus est angelus ad me, qui antè venerat ad me præterita nocte,
32 Et dixit mihi, Audi me, & instruam te: & intende mihi, & adjiciam coram te.
33 Et dixi, Loquere Domine meus. Et dixit ad me, Valdè tu in excessu mentis factus es pro Israël: an plus dilexisti eum, quàm qui eum fecit?
34 Et dixi ad eum, Non Domine, sed dolens locutus sum. Torquent enim me renes mei per omnem horam, quærentem apprehendere semitam Altissimi, & investigare partem judicij ejus.
35 Et dixit ad me, Non potes, Et dixi, Quare Domine? ad quid nascebar, aut quare non fiebat matrix matris meæ mihi sepulchrum, ut non viderem laborem Jacob, & defatigationem generis Israël?
36 Et dixit ad me, Numera mihi quæ necdum venerant, & collige mihi dispersas guttas, & revirida mihi aridos flores,
37 Et aperi mihi clausa promptuaria, & produc mihi inclusos in eis flatus; demonstra mihi vocis imaginem: & tunc ostendam tibi laborem quem rogas videre.

38 Et dixi, Dominator, Domine, quis enim est qui potest hæc scire, nisi qui cum hominibus habitationem non habet?
39 Ego autem insipiens: & quomodo potero dicere de his quibus me interrogasti?
40 Et dixit ad me, Quomodò non potes facere unum de his quæ dicta sunt: sic non poteris invenire judicium meum, aut in fine charitatem quam populo promisi.
41 Et dixi, Sed ecce, Domine tu propè es his qui in finem sunt: & quid facient qui ante me fuerunt, aut nos, aut hi qui post nos?
42 Et dixit ad me, Coronæ assimilabo judicium meum. Sicut non novissimorum tarditas, sic nec priorum velocitas.
43 Et respondi, & dixi, Nec poteras facere eos qui facti sunt, & qui sunt, & qui futuri sunt, in unum, ut celeriùs judicium tuum ostendas?
44 Et respondit ad me, & dixit, Non potest festinare creatura super creatorem, nec sustinere sæculum eos qui in eo creandi sunt, in unum.
45 Et dixi, Quomodo dixisti servo tuo, quoniam vivificans vivificasti à te creatam creaturam in unum, & sustinebat creatura, poterit & nunc portare præsentes in unum.
46 Et dixit ad me, Interroga matricem mulieris, & dices ad eam, Et si paris, quare per tempus? Roga ergo eam, ut det decem in unum.
47 Et dixi, Non utique poterit: sed secundùm tempus.
48 Et dixit ad me, & ego dedi matricem terræ his qui seminati sunt super eam per tempus.
49 Quemadmodum enim infans non parit ea, quæ semum sunt: sic ego disposui à me creatum sæculum.
50 Et interrogavi & dixi, Cùm jam dederis mihi viam, loquar coram te: nam mater nostra, de qua dixisti mihi, adhuc juvenis est: jam senectuti appropinquat.
51 Et respondit ad me, & dixit, Interroga eam quæ parit, & dicet tibi.
52 Dicet enim ei, Quare quos peperisti, nunc non sunt similes his qui ante te, sed minores statura?
53 Et dicet tibi & ipsa, Alij sunt qui in juventute virtutis nati sunt: & alij qui sub tempore senectutis deficiente matrice sunt nati.
54 Considera ergo & tu quoniam minori statura estis præ his qui ante vos:
55 Et qui post vos, minori quàm vos, quasi jam senescentes creaturæ, & fortitudinem juventutis prætereuntes. Et dixi, Rogo Domine, si inveni gratiam ante oculos tuos, demonstra servo tuo, per quem visites creaturam tuam.

Caput VI.

Deus omnia novit antequam fiant, & omnia creavit propter hominem, omniumque fines considerat.

1 ET dixit ad me, Initio terreni orbis & antequam starent exitus sæculi, & antequam spirarent conventiones ventorum.
2 Et antequam sonarent voces tonitruum, & antequam splenderent nitores coruscationum, & antequam confirmarentur fundamenta paradisi,
3 Et antequam viderentur decori flores, & antequam confirmarentur motæ virtutes, & antequam colligerentur innumerabiles militiæ angelorum,
4 Et antequam extollerentur altitudines aëris, & antequam nominarentur mensuræ firmamentorum, & antequam æstuarent camini in Sion,
5 Et antequam investigarentur præsentes anni, & antequam abalienarentur eorum qui nunc peccant adinventiones, & consignati essent qui fidem thesaurizaverunt:
6 Tunc cogitavi, & facta sunt per me solum, & non per alium: & finis per me, & non per alium.
7 Et respondi, & dixi, Quæ erit separatio temporum? aut quando prioris finis, & sequentis initium?
8 Et dixit ad me, Ab Abraham usque ad Isaac, quando nati sunt ab eo Iacob & Esau, manus Jacob tenebat ab initio calcaneum Esau,
9 Finis enim hujus sæculi Esau & principium sequentis Jacob.
10 Hominis manus inter calcaneum & manum. Aliud noli quærere Esdra.

11 Et respondi, & dixi, O Dominator Domine, si inveni gratiam ante oculos tuos,
12 Oro ut demonstres servo tuo finem signorum tuorum, quorum partem mihi demonstrasti nocte præcedenti.
13 Et respondit, & dixit ad me, Surge super pedes tuos, & audi vocem plenissimam sonitus.
14 Et erit sicut commotio, nec commovebitur locus, in quo stes super eum.
15 Ideò cùm loquitur, tu non expaveas, quoniam de fine verbum & fundamentum terræ intelligitur,
16 Quoniam de ipsis sermo tremiscit & commovetur, scit enim quoniam finem eorum oportet commutari.
17 Et factum est, cùm audissem, surrexi super pedes meos, & audivi: & ecce vox loquens, & sonus ejus sicut sonus aquarum multarum,
18 Et dixit, Ecce dies veniunt, & erit quando appropinquare incipiam, ut visitem habitantes in terra:
19 Et quando inquirere incipiã ab eis qui injustè nocuerunt injustitia sua, & quando suppleta fuerit humilitas Sion.
20 Et cùm supersignabitur sæculum quod incipient pertransire, hæc signa faciam, Libri aperientur ante faciem firmamenti, & omnes videbunt simul,
21 Et annieuli infantes loquentur vocibus suis, & prægnantes immaturos parient infantes trium & quatuor mensium, & vivent, & suscitabuntur.
22 Et subitò apparebunt seminata loca non seminata. & plena promptuaria subitò invenientur vacua:
23 Et tuba canet cum sono, quam cùm omnes audierint, subitò expavescent.
24 Et erit in illo tempore, debellabunt amici amicos ut inimici, & expavescet terra cum his & venæ fontium stabunt, & non decurrent in horis tribus:
25 Et erit, omnis qui derelictus fuerit ex omnibus istis quibus prædixi tibi, ipse salvabitur, & videbit salutare meum, & finem sæculi vestri.
26 Et videbunt qui recepti sunt homines, qui mortem non gustaverunt à nativitate sua, & mutabitur cor inhabitantium, & convertetur in sensum alium.
27 Delebitur enim malum, & extinguetur dolus.
28 Florebit autem fides, & vincetur corruptela, & ostendetur veritas quæ sine fructu fuit diebus tantis.
29 Et factum est, cùm loqueretur mihi, & ecce paulatim intuebat super eum ante quem stabam,
30 Et dixit ad me hæc, Veni tibi ostendere tempus venturæ noctis.
31 Si ergo iterùm rogaveris, & iterùm jejunaveris septem diebus, iterùm tibi renuntiabo horum majora per diem quàm audivi.
32 Audita est enim vox tua apud Altissimum. Vidit enim fortis directionem tuam, & providit pudicitiam, quam à juventute tua habuisti:
33 Et propter hoc misit me demonstrare tibi hæc omnia, & dicere tibi, Confide, & noli timere,
34 Et noli festinare cum prioribus temporibus cogitare vana; & non properes à noviissimis temporibus.
35 Et factum est post hæc, & flevi iterùm: & similiter jejunavi septem diebus, ut suppleam tres hebdomadas, quæ dictæ sunt mihi.
36 Et factum est in octavâ nocte, & cor meum turbabatur iteratò in me, & cœpi loqui coram Altissimo.
37 Inflammabatur enim spiritus meus valdè, & anima mea anxiabatur.
38 Et dixi, O Domine, loquens locutus es ab initio creaturæ, in primo die dicens, Fiat cælum & terra: & tuum verbum opus perfectum.
39 Et erat tunc spiritus, & tenebræ circumferebantur, & silentium, sonus vocis hominis nondum erat abs te.
40 Tunc dixisti de thesauris tuis proferri lumen luminosum, quo appareret opus tuum.
41 Et die secundo creasti spiritum firmamenti, & imperasti ei ut divideret & divisionem faceret inter aquas, ut pars quædam sursum recederet, pars verò deorsum maneret.
42 Et tertia die imperasti aquis congregari in septima parte terræ: sex verò partes siccasti & conservasti, ut ex his sunt coram te ministrantia seminata à Deo, & culta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

43 Verbum enim tuum processit, & opus statim fiebat.
44 Processit enim subitò fructus multitudinis immensus, & concupiscentiæ gustus multiformes, & flores colore immutabili, & odores odoramenti investigabilis, & die tertia hæc facta sunt.
45 Quarta autem die imperasti fieri solis splendorem, lunæ lumen, stellarum dispositionem:
46 Et imperasti eis, ut deservirēt futuro plasmato homini.
47 Quinto autem die dixisti septimæ parti, ubi erat aqua congregata, ut procrearet animalia, & volatilia, & pisces: & ita fiebat.
48 Aqua muta, & sine anima quæ Dei nutu jubebantur, animalia faciebat, ut ex hoc mirabilia tua nationes enarrent.
49 Et tunc conservasti duas animas: nomen uni vocasti Henoch, & nomen secundæ vocasti Leviathan.
50 Et separasti ea ab alterutro. Non enim poterat septima pars, ubi erat aqua congregata, capere ea.
51 Et dedisti Henoch unam partem, quæ siccata est tertio die, ut habitet in ea ubi sunt montes mille.
52 Leviathan autem dedisti septimam partem humidam, & servasti eam, ut fiat in devorationem quibus vis, & quando vis.
53 Sexto autem die imperasti terræ, ut crearet coram te jumenta, & bestias, & reptilia:
54 Et super his Adam, quem constituisti ducem super omnibus factis quæ fecisti, & ex eo educimur nos omnes, quémque elegisti populum.
55 Hæc autem omnia dixi coram te Domine, quia propter nos creasti sæculum.
56 Residuas autem gentes ab Adam natas dixisti eas nil esse, & quoniam salivæ assimilatæ sunt, & quasi stillicidium de vase similasti abundantiam eorum.
57 Et nunc Domine, ecce istæ gentes quæ in nihilum deputatæ sunt, cœperunt dominari nostri, & devorare:
58 Nos autem populus tuus, quem vocasti primogenitum unigenitum æmulatorem tuum, traditi sumus in manibus eorum:
59 Et si propter nos creatum est sæculum, quare non hereditatem possidemus cum sæculo? Usquequò hæc?

Caput VII.

Absque tribulationibus non pervenitur ad immortalem vitam: & nunc quidem profunt orationes justorum, post extremum autem judicium nihil immutabitur. Variis vitiis subjiciunt se homines, sed Dominus est misericors.

1 ET factum est, cùm finissem loqui verba hæc, missus est ad me angelus qui missus fuerat ad me primis noctibus,
2 Et dixit ad me, Surge Esdra, & audi sermones quos veni loqui ad te.
3 Et dixi, Loquere Deus meus. Et dixit ad me, Mare positum est in spatioso loco, ut esset altum & immensum:
4 Erit autem ei introitus in angusto loco positus, ut esset similis fluminibus.
5 Quis enim volens voluerit ingredi mare, & videre eum, vel dominari ejus: si non transierit angustum, in latitudinem quomodo venire poterit?
6 Item aliud. Civitas est ædificata, & posita in loco campestri: est autem plena omnium bonorum.
7 Introitus ejus angustus & in præcipiti positus, ut esset à dextris quidem ignis, à sinistris aqua alta:
8 Semita autem est una sola inter eos posita, hoc est, inter ignem & aquam, ut non capiat semita, nisi solummodò vestigium hominis.
9 Si autem dabitur civitas homini in hereditatem, si numquam antepositum periculum pertransierit, quomodo accipiet hereditatem suam?
10 Et dixi, Sic Domine. Et dixit ad me, Sic est & Israël pars.
11 Propter eos enim feci sæculum, & quando transgressus est Adam constitutiones meas, judicatum est quod factum est.
12 Et facti sunt introitus hujus sæculi angusti, & dolentes, & laborioſi: pauci autem & mali, & periculorum pleni: & labore magnopere fulti.
13 Nam majoris sæculi introitus spatioſi & securi, & facientes immortalitatis fructum.
14 Si ergo ingredientes non fuerunt ingressi qui vivunt, angusta & vana hæc: non poterunt recipere quæ sunt reposita.
15 Nunc ergo quare tu conturbaris, cùm sis corruptibilis? Et quid moveris tu, cùm sis mortalis?
16 Et quare non accepisti in corde tuo quod est futurum, sed quod in præsenti?
17 Respondi & dixi, Dominator Domine, ecce disposuisti lege tua, quoniam justi hereditabunt hæc, impij autem peribunt.
18 Justi autem ferent angusta, sperantes spatioſa. qui enim impiè gesserūt, & angusta passi sunt, & spatioſa non videbūt.
19 Et dixit ad me, Non est judex super Deum, neque intelligens super Altissimum.
20 Pereunt enim multi præsentes, quia negligitur quæ anteposita est Dei lex.
21 Mandans enim mandavit Deus venientibus, quando venerunt, quid facientes viverent, & quid observantes non punirentur.
22 Hi autem non sunt persuasi, & contradixerunt ei, & constituerunt sibi cogitamen vanitatis.
23 Et proposuerunt sibi circumventiones delictorum, & superdixerunt Altissimo non esse, & vias ejus nō cognoverūt,
24 Et legem ejus spreverunt, & sponsiones ejus abnegaverunt, & in legitimis ejus fidem non habuerunt, & opera ejus non perfecerunt.
25 Propter hoc Esdra vacua vacuis, & plena plenis.
26 Ecce tempus veniet, & erit quando venient signa quæ prædixi tibi, & apparebit sponsa, & appareſcens ostendetur quæ nunc subducitur terra:
27 Et omnis qui liberatus est de prædictis malis, ipse videbit mirabilia mea.
28 Revelabitur enim filius meus Jesus cum his qui cum eo sunt, & jucundabuntur qui relicti sunt in annis quadringentis.
29 Et erit post annos hos, & morietur filius meus Christus, & omnes qui spiramentum habent homines.
30 Et convertetur sæculum in antiquum silentium diebus septem, sicut in prioribus judiciis, ita ut nemo derelinquatur.
31 Et erit post dies septem, & excitabitur quod nondum vigilat sæculum, & morietur corruptum:
32 Et terra reddet quæ in ea dormiunt, & pulvis qui in eo silentio habitant, & promptuaria reddent quæ eis commendatæ sunt animæ.
33 Et revelabitur Altissimus super sedem judicij, & pertransibunt miseriæ, & longanimitas congregabitur.
34 Judicium autem solum remanebit, veritas stabit, & fides convalescet,
35 Et opus subsequetur, & merces ostendetur, & justitiæ vigilabunt, & injustitiæ non dominabuntur.
36 Et dixi, Primus Abraham propter Sodomitas oravit, & Moyses pro patribus qui in deserto peccaverunt,
37 Et qui post eū pro Israël in diebus Achaz & Samuelis,
38 David pro contractione, & Salomon pro eis qui venerunt in sanctificationem.
39 Et Elias pro his qui pluviam acceperunt, & pro mortuo ut viveret,
40 Et Ezechias pro populo in diebus Sennacherib, & multi pro multis.
41 Si ergo modò quando corruptibile increvit, & injustitia multiplicata est, & oraverunt justi pro impiis: quare & nunc sic non erit?
42 Et respondit ad me, & dixit, Præsens sæculum non est finis, gloria in eo frequens manet: propter hoc oraverunt pro invalidis.
43 Dies enim judicij erit finis temporis hujus, & initium temporis futuræ immortalitatis, in quo transivit corruptela:
44 Soluta est intemperantia, abscissa est incredulitas: crevit autem justitia, orta est veritas.
45 Tunc enim nemo poterit salvare eum qui periit, neque demergere qui vicit. Et respondi,
46 Et dixi, Hic est sermo meus primus & novissimus, quoniam melius erat non dare terram Adam, vel cùm jam dedisset, coërcere eum ut non peccaret.
47 Quid enim prodest hominibus, in præsenti vivere in tristitia, & mortuos sperare punitionem?
48 O tu quid fecisti Adam? Si enim tu peccasti, non est factus solius tuus casus, sed & noster qui ex te advenimus.
49 Quid enim prodest nobis, si promissum est nobis immortale tempus; nos autem mortalia opera egimus?
50 Et quoniam prædicta est nobis perennis spes, nos verò pessimi vani facti sumus.
51 Et quoniam reposita sunt nobis habitacula sanitatis & securitatis: nos verò malè conversati sumus.
52 Et quoniam reposita est gloria Altissimi, protegere eos qui tardè conversati sunt: nos autem pessimis viis ambulavimus.
53 Et quoniam ostendetur paradisus, cujus fructus incorruptus perseverat, in quo est securitas & medela:
54 Nos verò non ingrediemur. in ingratis enim locis conversati sumus.
55 Et quoniam super stellas fulgebunt facies eorum qui abstinentiā habuerūt: nostræ autē facies super tenebras nigræ.
56 Non enim cogitavimus viventes quando iniquitatem faciebamus, quòd incipiemus post mortem pati.
57 Et respondit, & dixit, Hoc est cogitamentum certaminis quod certabit qui super terram natus est homo,
58 Ut si victus fuerit, patiatur quod dixisti: si autem vicerit, recipiet quod dico:
59 Quoniam hæc est vita quam Moyses dixit cùm viveret, ad populum, dicens, Elige tibi vitam, ut vivas,
60 Non crediderunt autem ei, sed nec post eum prophetis: sed nec mihi qui locutus sum ad eos.
61 Quoniam non esset tristitia in perditionem eorum, sicut futurum est gaudium super eos, quibus persuasa est salus.
62 Et respondi, & dixi, Scio Domine, quoniam vocatus est Altissimus misericors in eo, quòd misereatur his qui nondum in sæculo advenerunt,
63 Et quòd miseretur illis qui conversionem faciunt in lege eius:
64 Et longanimis est, quoniam longanimitatem præstat his qui peccaverunt quasi suis operibus:
65 Et munificus est, quoniam quidem donare vult pro exigentiis:
66 Et multæ misericordiæ, quoniam multiplicat magis misericordias his qui præsentes sunt, & qui præterierunt, & qui futuri sunt.
67 Si enim non multiplicaverit misericordias suas, non vivificabitur sæculum cum his qui inhereditabunt in eo.
68 Et donat: quoniam si non donaverit de bonitate sua, ut alleventur hi qui iniquitatem fecerunt, de suis iniquitatibus non poterit decies millesima pars vivificari hominum.
69 Et judex si non ignoverit his qui curati sunt verbo ejus, & deleverit multitudiné contentionū: non forassis derelinquerentur in innumerabili multitudine, nisi pauci valdè.

Caput VIII.

Deus in hoc sæculo misericors agnoscitur propter peccatores; plurimi tamen damnantur: at justis præmia sunt reposita.

1 ET respondit ad me, & dixit: Hoc sæculum fecit Altissimus propter multos, futurum autem propter paucos.
2 Dicam autem coram te similitudinem Esdra. Quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis unde fiat fictile, parvum autem pulverem unde aurum fit: sic & actus præsentis sæculi.
3 Multi quidem creati sunt, pauci autem salvabuntur.
4 Et respondi, & dixi: Absorbe ergo anima sensum, & devora quod sapit.
5 Convenisti enim obaudire, & prophetare volens. Nec enim tibi datum est spatium, nisi solummodò vivere.
6 O Domine, si non permittes servo tuo, ut oremus coram te, & des nobis semen cordi, & sensui culturam, unde fructus fiat, unde vivere possit omnis corruptus, qui portabit locum hominis?
7 Solus enim es, & una plasmatio nos sumus manuum tuarum, sicut locutus es:
8 Et quomodo nunc in matrice plasmatum est corpus: & præstas membra: conservatur in igne & aqua tua creatio: & novem mensibus patitur tua plasmatio tuam creaturam quæ in ea creata est:
9 Ipsum autem quod servat, & quod servatur, utraque servabuntur: servatáque quandoque iterùm reddit matrix, quæ in ea creverunt.

10 Imperasti enim ex ipsis membris, hoc est mamillis præbere lac fructui mamillarum,
11 Ut nutriatur id quod plasmatum est usque in tempus aliquod, & postea disponas eum tuæ misericordiæ.
12 Enutristi eum tua justitia, & erudisti eum in lege tua, & corripuisti eum tuo intellectu:
13 Et mortificabis eum, ut tuam creaturam: & vivificabis eum, ut opus tuum.
14 Si ergo perdideris eū qui tantis laboribus plasmatus est: tuo jussu facile est ordinari, ut & id quod fiebat servaretur.
15 Et nunc Domine dicam, de omni homine tu magis scis: de populo autem tuo, ob quem doleo:
16 Et de hereditate tua, propter quam lugeo: & propter Israël, propter quē tristis sum: & de Jacob, propter quē doleo:
17 Ideò incipiam orare coram te pro me, & pro eis: quoniam video lapsus nostros qui inhabitamus terram.
18 Sed audivi celeritatem judicis qui futurus est.
19 Ideò audi vocem meam & intellige sermonem meum, & loquar coram te.
20 Initium verborum Esdræ priusquam assumeretur: & dixi, Domine, qui inhabitas sæculum, cujus oculi elevati in superna & aëre:
21 Et cujus thronus inæstimabilis, & gloria incomprehensibilis: cui astat exercitus angelorum cum tremore,
22 Quorum servatio in vento & igni convertitur: cujus verbum verum, & dicta perseverantia:
23 Cujus jussio fortis, & dispositio terribilis: cujus aspectus arefacit abyssos, & indignatio tabescere facit montes, & veritas testificatur:
24 Exaudi orationem servi tui, & auribus percipe precationem figmenti tui.
25 Dum enim vivo, loquar: & dum sapio, respondebo:
26 Nec respicias populi tui delicta, sed qui tibi in veritate serviunt.
27 Nec intendas impia gentium studia, sed qui tua testimonia cum doloribus custodierunt.
28 Nec cogites qui in conspectu tuo falsè conversati sunt, sed memorare qui ex voluntate tua timorem cognoverunt.
29 Neque volueris perdere, qui pecudum mores habuerunt: sed respicias eos qui legem tuam splendidè docuerunt.
30 Nec indigneris eis qui bestiis pejores judicati sunt: sed diligas eos qui semper in tua justitia confidunt, & gloria.
31 Quoniam nos & patres nostri talibus morbis languemus: tu autem propter nos peccatores misericors vocaberis.
32 Si enim desideraveris ut nostri misereāris, tunc misericors vocaberis, nobis autem non habentibus opera justitiæ.
33 Justi enim, quibus sunt opera multa reposita, ex propriis operibus recipient mercedem.
34 Quid est enim homo, ut ei indigneris: aut genus corruptibile, ut ita amarus sis de ipso?
35 In veritate enim, nemo de genitis est, qui non impiè gessit; & de confitentibus, qui non deliquit.
36 In hoc enim annuntiabitur justitia tua, & bonitas tua Domine, cùm misertus fueris eis qui non habent substantiam bonorum operum.
37 Et respondit ad me, & dixit: Rectè locutus es aliqua: & juxta sermones tuos, sic & fiet,
38 Quoniam non verè cogitabo super plasma eorum qui peccaverunt ante mortem, ante judicium, ante perditionem:
39 Sed jucundabor super justorū figmētum, & memorabor peregrinationis quoque, & salvationis, & mercedis receptionis.
40 Quomodo ergo locutus sum, sic & est.
41 Sicut enim agricola serit super terram semina multa, & plantationes multitudinis plantat, sed non in tempore omnia quæ seminata sunt, salvantur, sed nec omnia quæ plantata sunt, radicabunt; sic & qui in sæculo seminati sunt, non omnes salvabuntur.
42 Et respondi, & dixi: Si inveni gratiam, loquar.
43 Quomodo semen agricolæ si non ascenderit aut non acceperit pluviam tuam in tempore, aut si corruptum fuerit multitudine pluviæ,
44 Sic perit: & similiter homo qui manibus tuis plasmatus est, & tu ei imago nominatus: quoniam simulatus es ei, propter quem omnia plasmasti, & similasti semini agricolæ.
45 Non irascaris super nos, sed parce populo tuo, & misere-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rere hereditati tuæ. Tu autem creaturæ tuæ misereris.
46 Et respondit ad me, & dixit: Quæ sunt præsentia præsentibus, & quæ futura futuris.
47 Multum enim tibi restat, ut possis diligere meam creaturam super me: tibi autem frequenter & ipsi proximavi, injustis autem nunquam.
48 Sed & in hoc mirabilis es coram Altissimo,
49 Quoniam humiliasti te sicut decet te: & non judicasti te, ut inter justos plurimum glorificeris.
50 Propter quod miseriæ multæ & miserabiles efficientur eis qui habitant sæculum in novissimis: quia in multa superbia ambulaverunt.
51 Tu autem pro te intellige, & de similibus tuis inquire gloriam.
52 Vobis enim apertus est paradisus, plantata est arbor vitæ, præparatum est futurum tempus, præparata est abundantia, ædificata est civitas, probata est requies, perfecta est bonitas & perfecta sapientia.
53 Radix mali signata est à vobis: infirmitas, & tinea à vobis absconsa est: & in infernũ fugit corruptio in oblivione.
54 Transierunt dolores, & ostensus est in fine thesaurus immortalitatis.
55 Noli ergo adjicere inquirendo de multitudine eorum qui pereunt.
56 Nam & ipsi accipientes libertatem, spreverunt Altissimum, & legẽ ejus contempserunt, & vias ejus dereliquerunt.
57 Adhuc autem justos ejus conculcaverunt,
58 Et dixerunt in corde suo non esse Deum, & quidem scientes quoniam moriuntur.
59 Sicut enim vos suscipient quæ prædicta sunt: sic eos sitis, & cruciatus, quæ præparata sunt. non enim voluit hominem disperdi.
60 Sed & ipsi qui creati sunt, coinquinaverunt nomen ejus qui fecit eos: & ingrati fuerunt ei qui præparavit eis vitã.
61 Quapropter judicium meum modò appropinquat.
62 Quæ non omnibus demonstravi, nisi tibi, & tibi similibus paucis. Et respondi, & dixi:
63 Ecce nunc Domine demonstrasti mihi multitudinem signorum, quæ incipies facere in novissimis, sed non demonstrasti mihi quo tempore.

Caput IX.

Judicia Dei, sicut & alia ejus opera egregia, præcedent aliqua signa.

1 Et respondit ad me, & dixit, Metiens metire tempus in semetipso: & erit cùm videris, quando transierit pars quædam signorum quæ prædicta sunt,
2 Tunc intelliges quoniam ipsum est tempus, in quo incipiet Altissimus visitare sæculum quod ab eo factum est.
3 Et quando videbitur in sæculo motio locorum & populorum turbatio,
4 Tunc intelliges quoniam de his erat Altissimus locutus à diebus qui fuerunt ante te ab initio.
5 Sicut enim omne quod factum est in sæculo, initium habet, pariter & consummationé, & consũmatio est manifesta:
6 Sic & Altissimi tempora initia habent manifesta in prodigiis & virtutibus, & consummationes in actu & in signis.
7 Et erit, omnis qui salvus factus fuerit, & qui poterit effugere per opera sua, & per fidem in qua credidistis,
8 Relinquetur de prædictis periculis, & videbit salutare meum in terra mea, & in finibus meis, quoniam sanctificavi me à sæculo.
9 Et nunc miserebuntur qui nunc abusi sunt vias meas: & in tormentis commorabuntur hi qui eas projecerunt in contemptu.
10 Qui enim non cognoverunt me, viventes beneficia consecuti:
11 Et qui fastidierunt legem meam, cùm adhuc erant habentes libertatem:
12 Et cùm adhuc esset eis apertus pœnitentiæ locus, non intellexerunt, sed spreverunt: hos oportet post mortem in cruciamento cognoscere.
13 Tu ergo noli adhuc curiosus esse, quomodo impij cruciabuntur: sed inquire quomodo justi salvabuntur, & quorum sæculum, & propter quos sæculum, & quando.
14 Et respondi, & dixi,
15 Olim locutus sum, & nunc dico, & posteà dicam quoniam plures sunt qui pereunt, quàm qui salvabuntur:
16 Sicut multiplicatur fluctus super guttam. Et respondit ad me, & dixit.
17 Qualis ager, talia & semina: & quales flores, tales & tincturæ: & qualis operator, talis & creatio: & qualis agricola, talis cultura: quoniam tempus erat sæculi.
18 Et nunc cùm essem parans eis, his qui nunc sunt, antequam fieret sæculũ, in quo habitarẽt: & nemo mihi cõtradixit:
19 Tunc enim quisque, & nunc creator in mundo hoc parato, & messe indeficienti, & lege investigabili corrupti sunt mores eorum.
20 Et consideravi sæculum, & ecce erat periculum propter cogitationes quæ in eo advenerunt.
21 Et vidi, & peperci ei valde: & servavi mihi acinum de botro, & plantationem de tribu multa.
22 Pereat ergo multitudo quæ sine causa nata est, & servetur acinus meus, & plãtatio mea: quia cum multo labore perfeci.
23 Tu autem si adhuc intromittas septem dies alios, sed non jejunabis in eis:
24 Ibis in campum florum, ubi domus non est ædificata: & manducabis solummodò de floribus campi, & carnem non gustabis, & vinum non bibes, sed solummodò flores.
25 Deprecare Altissimum sine intermissione, & veniam, & loquar tecum.
26 Et profectus sum, sicut dixit mihi in campum, qui vocatur Ardath, & sedi ibi in floribus. Et de herbis agri manducavi, & facta est esca earum mihi in saturitatem.
27 Et factum est post dies septem, & ego discumbebam supra fœnum, & cor meum iterùm turbabatur sicut antè.
28 Et apertum est os meum, & inchoavi dicere coram Altissimo, & dixi:
29 O Domine, te nobis ostendens; ostensus ex patribus nostris in deserto, quod non calcatur, & infructuoso, quando erant exeuntes de Ægypto, & dicens dixisti,
30 Tu Israël audi me, & semẽ Jacob intẽde sermonibus meis.
31 Ecce enim ego semino in vobis legem meam, & faciet in vobis fructum, & glorificabimini in eo per sæculum.
32 Nam patres nostri accipientes legem, non servaverunt, & legitima mea non custodierunt, & factus est fructus legis non parens: nec enim poterat, quoniam tuus erat.
33 Nam qui acceperunt, perierunt, non custodientes quod in eis seminatum fuerat.
34 Et ecce, consuetudo est, ut, cùm acceperit terra semen, vel navem mare, vel vas aliquod escam vel potum: cùm fuerit exterminatũ id, in quo seminatum est, vel in quod missum est.
35 Simul id quod seminatum, vel missum est, vel quæ susceptа sunt, exterminantur, & susceptа jam non manent apud nos: sed nobis sic non factum est.
36 Nos quidem qui legem accepimus peccantes perivimus, & cor nostrum quod susceptа eam:
37 Nam lex non periit, sed permansit in suo labore.
38 Et cùm loquerer hæc in corde meo, respexi oculis meis, & vidi mulierem in dextera parte, & ecce hæc lugebat & plorabat cum voce magna, & animo dolebat valdè, & vestimenta ejus discissa, & cinis super caput ejus.
39 Et dimisi cogitatus, in quibus eram cogitans, & conversus sum ad eam, & dixi ei,
40 Ut quid fles? & quid doles animo? Et dixit ad me,
41 Dimitte me Domine meus ut defleam me, & adjiciam dolorẽ quoniã valdè amaro sum animo, & humiliata sũ valdè.
42 Et dixi ei, Quid passa es? dic mihi. Et dixit ad me,
43 Sterilis fui ego famula tua, & non peperi, habens maritum annis triginta.
44 Ego enim per singulas horas, & per singulos dies, & annos hos triginta deprecor Altissimum nocte ac die.
45 Et factum est, post triginta annos exaudivit me Deus ancillam tuam, & vidit humilitatem meam, & attendit tribulationi meæ, & dedit mihi filium, & jucundata sum super eum valdè ego, & vir meus, & omnes cives mei, & honorificabamus valdè Fortem.
46 Et nutrivi eum cum labore multo.
47 Et factum est cùm crevisset, & venisset accipere uxorem, feci diem epuli.

Caput

Caput X.

Per mulierem flentem, rursúsque refulgentem, ostenditur figurari Jerusalem.

1 Et factum est, cùm introisset filius meus in thalamo suo, cecidi, & mortuus est:
2 Et evertimus omnes lumina, & surrexerunt omnes cives mei ad consolandum me, & quievi usque in alium diem usque nocte.
3 Et factum est, cùm omnes quievissent ut me consolarentur ut quiescerem: & surrexi nocte, & fugi: & veni sicut vides in hoc campo:
4 Et cogito jam non reverti in civitatem, sed hîc consistere: & neque manducare, neque bibere, sed sine intermissione lugere, & jejunare usquedum moriar.
5 Et dereliqui sermones in quibus eram, & respondi cum iracundia ad eam, & dixi,
6 Stulta super omnes mulieres, non vides luctum nostrum, & quæ nobis contingunt?
7 Quoniam Sion mater nostra omni tristitia contristatur, & humilitate humiliata est, & luget validissimè.
8 Et nunc quoniam omnes lugemus, & tristes sumus: quoniam omnes contristati sumus, tu autem contristaris in uno filio?
9 Interroga enim terram, & dicet tibi: quoniam hæc est quæ debeat lugere casum tantorum super eam germinantium.
10 Et ex ipsa ab initio omnes nati & alij venient: & ecce, pænè omnes in perditionem ambulant, & exterminium fit multitudo eorum.
11 Et quis ergo debet lugere magis, nisi hæc quæ tam magnam multitudinem perdidit, quàm tu quæ pro uno doles? Si autem dicis mihi,
12 Quoniam non est planctus meus similis terræ: quoniam fructum ventris mei perdidi, quem cum mœroribus peperi, & cum doloribus genui:
13 Terra autem secundùm viam terræ, abitque in ea multitudo præsens, quo modo evenit; & ego tibi dico,
14 Sicut tu cum labore peperisti, sic & terra dat fructum suum homini ab initio ei qui fecit eam.
15 Nunc ergo retine apud temetipsam dolorem tuum, & fortiter fer qui tibi contigerunt casus.
16 Si enim justificaveris terminum Dei, & consilium suum recipies in tempore, & in talibus collaudaberis:
17 Ingredere ergo in civitatem ad virum tuum. Et dixit ad me.
18 Non faciam, neque ingrediar civitatem, sed hìc moriar.
19 Et apposui adhuc loqui ad eam, & dixi,
20 Noli facere hunc sermonem, sed consenti persuadenti. Quot enim casus Sion? Consolare propter dolorem Jerusalem.
21 Vides enim quoniam sanctificatio nostra deserta effecta est, & altare nostrum demolitum est, & templum nostrum destructum est,
22 Et psalterium nostrum humiliatum est, & hymnus conticuit, & exultatio nostra dissoluta est, & lumen candelabri nostri extinctum est, & arca testamenti nostri direpta est, & sancta nostra contaminata sunt, & nomen quod invocatum est super nos, pænè profanatum est: & liberi nostri contumeliam passi sunt, & sacerdotes nostri succensi sunt, & Levitæ nostri in captivitatem abierunt, & virgines nostræ coinquinatæ sunt, & mulieres nostræ vim passæ sunt, & justi nostri rapti sunt, & parvuli nostri perditi sunt, & juvenes nostri servierunt, & fortes nostri invalidi facti sunt:
23 Et quod omnium majus, signaculum Sion, quoniam resignata est de gloria sua. nam & tradita est in manibus eorum qui nos oderunt.
24 Tu ergo excute tuam tristitiam multam, & depone abs te multitudinem dolorum, ut tibi repropitietur Fortis, & requiem faciet tibi Altissimus, requietionem laborum.
25 Et factum est, cùm loquebar ad eam, facies ejus fulgebat subitò & species, coruscus fiebat visus ejus, ut essem pavens valdè ad eam, & cogitarem quid esset hoc.
26 Et ecce, subitò emisit sonitum vocis magnum timore plenum, ut commoveretur terra à mulieris sono, & vidi:
27 Et ecce, ampliùs mulier non comparebat mihi, sed civitas ædificabatur, & locus demonstrabatur de fundamentis magnis: & timui, & clamavi voce magna, & dixi,
28 Ubi est Uriel angelus, qui à principio venit ad me? quoniam ipse me fecit venire in multitudine in excessu mentis hujus, & factus est finis meus in corruptionem, & oratio mea in improperium.
29 Et cùm essem loquens ego hæc, ecce venit ad me, & vidit me.
30 Et ecce eram positus ut mortuus, & intellectus meus alienatus erat, & tenuit dexteram meam, & confortavit me, & statuit me super pedes meos, & dixit mihi,
31 Quid tibi est? & quare conturbatus est intellectus tuus, & sensus cordis tui? & quare conturbaris? Et dixi,
32 Quoniam dereliquisti me, & ego quidem feci secundùm sermones tuos, & exivi in campum: & ecce vidi, & video quòd non possum enarrare. Et dixit ad me,
33 Sta ut vir, & commonebo te.
34 Et dixi, Loquere Domine meus tu in me, noli me derelinquere, ut non frustrà moriar:
35 Quoniam vidi quæ non sciebam, & audio quæ non scio.
36 Aut numquid sensus meus fallitur, & anima mea somniat?
37 Nunc ergo deprecor te, ut demonstres servo tuo de excessu hoc. Et respondit ad me, & dixit,
38 Audi me & doceam te, & dicam tibi de quibus times: quoniam Altissimus revelavit tibi mysteria multa.
39 Vidi rectam viam tuam, quoniam sine intermissione contristabaris pro populo tuo, & valdè lugebas propter Sion:
40 Hic ergo intellectus visionis quæ tibi apparuit ante paululum.
41 Quam vidisti lugentem, & inchoasti consolari eam.
42 Nunc autem jam speciem mulieris non vides, sed apparuit tibi civitas ædificari:
43 Et quoniam enarrabat tibi de casu filij sui, hæc absolutio est.
44 Hæc mulier quam vidisti, hæc est Sion; & quoniam dixit tibi, quam & nunc conspicies, ut civitatem ædificatam.
45 Et quoniam dixit tibi, quia sterilis fuit triginta annis: propter quod erant anni scilicet triginta, quando non erat in ea adhuc oblatio oblata.
46 Et factum est post annos triginta, ædificavit Salomon civitatem, & obtulit oblationes: tunc fuit quando peperit sterilis filium.
47 Et quod tibi dixit, quoniam nutrivit eum cum labore, hoc erat, habitatio in Jerusalem.
48 Et quoniam dixit tibi, quòd filius meus veniens in suo thalamo mortuus esset, & contigisset ei casus, hoc erat, quæ facta est ruina Jerusalem.
49 Et ecce, vidisti similitudinem ejus: & quoniam filium lugeret, inchoasti consolari eam: & de his quæ contigerunt, hæc erant tibi aperienda.
50 Et nunc videt Altissimus, quoniam ex animo contristatus es, & quoniam ex toto corde pateris pro ea, ostendit tibi claritatem gloriæ ejus, & pulchritudinem decoris ejus.
51 Propterea enim dixi tibi, ut maneres in campo ubi domus non est ædificata.
52 Sciebam enim ego, quoniam Altissimus incipiebat tibi ostendere hæc:
53 Propterea dixi tibi ut venires in agrum ubi non est fundamentum ædificij.
54 Nec enim poterat opus ædificij hominis sustineri in loco, ubi incipiebatur Altissimi civitas ostendi.
55 Tu ergo noli timere, neque expavescat cor tuum: sed ingredere, & vide splendorem & magnitudinem ædificij, quantum capax est tibi visus oculorum videre:
56 Et post hæc audies quantum capit auditus aurium tuarum audire.
57 Tu enim beatus es præ multis, & vocatus es apud Altissimum sicut & pauci.
58 Nocte autem quæ in crastinum futura est, manebis hîc:
59 Et ostendet tibi Altissimus eas visiones supremorum, quæ faciet Altissimus his qui habitant super terram à novissimis diebus.
60 Et dormivi illam noctem & aliam, sicut dixerat mihi:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput XI.

Apparet Esdræ in visione aquila principatum universi usurpans.

1 ET vidi somnium, & ecce ascendebat de mari aquila, cui erant duodecim alæ pennarum & capita tria.

2 Et vidi, & ecce expandebat alas suas in omnem terram, & omnes venti cæli insufflabant in eam, & colligebantur.

3 Et vidi, & de pennis ejus nascebantur contrariæ pennæ, & ipsæ fiebant in pennaculis minutis & modicis.

4 Nam capita ejus erant quiescentia, & dimidium caput erat majus aliorum capitum, sed ipsa quiescebat cum eis.

5 Et vidi, & ecce aquila volavit in pennis suis, & regnavit super terram, & super eos qui habitant in ea.

6 Et vidi, quoniam subjecta erant ei omnia sub cælo, & nemo illi contradicebat, neque unus de creatura quæ est super terram.

7 Et vidi, & ecce surrexit aquila super ungues suos, & misit vocem pennis suis, dicens,

8 Nolite omnes simul vigilare, dormite unusquisque in loco suo, & per tempus vigilate.

9 Capita autem in novissimo serventur.

10 Et vidi, & ecce vox non exibat de capitibus ejus, sed de medietate corporis ejus.

11 Et numeravi contrarias pennas ejus, & ecce ipsæ erant octo.

12 Et vidi, & ecce à dextera parte surrexit una penna, & regnavit super omnem terram.

13 Et factum est cùm regnaret, venit ei finis, & non apparuit locus ejus: & sequens exurrexit, & regnabat, ipsa multum tenuit tempus.

14 Et factum est cùm regnaret, & veniebat finis ejus, ut non appareret sicut prior.

15 Et ecce, vox emissa est illi, dicens,

16 Audi tu quæ tanto tempore tenuisti terram. hæc annuntio tibi antequam incipias non apparere.

17 Nemo post te tenebit tempus tuum, sed nec dimidium ejus.

18 Et levavit se tertia, & tenuit principatum sicut & priores: & non apparuit & ipsa.

19 Et sic contingebat omnibus aliis singulatim principatum gerere, & iterùm nusquam comparere.

20 Et vidi, & ecce in tempore sequentes pennæ erigebantur à dextera parte, ut tenerent & ipsæ principatum: & ex his erant quæ tenebant, sed tamen statim non cõparebant.

21 Nam & aliquæ ex eis erigebantur, sed non tenebant principatum.

22 Et vidi post hæc, & ecce non comparuerunt duodecim pennæ, & duo pennacula:

23 Et nihil supererat in corpore aquilæ, nisi duo capita quiescentia & sex pennacula.

24 Et vidi, & ecce sex pennaculis divisæ sunt duæ, & manserunt sub capite quod est ad dexteram partem. Nam quatuor manserunt in loco suo.

25 Et vidi, & ecce subalares cogitabant se erigere, & tenere principatus.

26 Et vidi, & ecce una erecta est, sed statim non comparuit.

27 Et secundæ velociùs quàm priores, non comparuerunt.

28 Et vidi, & ecce duæ quæ superaverunt, apud semetipsas cogitabant & ipsæ regnare.

29 Et in eo cùm cogitarent, ecce unum quiescentium capitum quod erat medium, evigilabat; hoc enim erat duorum capitum majus.

30 Et vidi quoniam completa sunt duo capita secum:

31 Et ecce conversum est caput cum his qui cum eo erant, & comedit duas subalares quæ cogitabant regnare.

32 Hoc autem caput perconterruit omnem terram, & dominabatur in ea his qui habitant terram cum labore multo, & potentatum tenuit orbis terrarum super omnes alas quæ fuerunt.

33 Et vidi post hæc, & ecce medium caput subitò non comparuit, & hoc sicut alæ.

34 Superaverunt autem duo capita, quæ & ipsa similiter regnaverunt super terram, & super eos qui habitant in ea.

35 Et vidi, & ecce devoravit caput à dextera parte illud quod à læva.

36 Et audivi vocem dicentem mihi, Conspice contra te, & considera quod vides.

37 Et vidi, & ecce sicut leo concitatus de silva rugiens: & vidi quoniam emittebat vocem hominis ad aquilam. Et dixit, dicens:

38 Audi tu, & loquar ad te, & dicet Altissimus tibi,

39 Nónne tu es qui superasti de quatuor animalibus, quæ feceram regnare in sæculo meo, & ut per eos veniret finis temporum eorum.

40 Et quartus veniens devicit omnia animalia quæ transierunt, & potentatu tenuit sæculum cum tremore multo, & omnem orbem cum labore pessimo, & inhabitavit tot temporibus orbem terrarum cum dolo.

41 Et judicasti terram non cum veritate.

42 Tribulasti enim mansuetos, & læsisti quiescentes, & dilexisti mendaces, & destruxisti habitationes eorum qui fructificabant, & humiliasti muros eorum qui te nocuerunt.

43 Et ascendit contumelia tua usque ad Altissimum, & superbia tua ad fortem.

44 Et respexit Altissimus superba tempora, & ecce finita sunt, & scelera ejus completa sunt.

45 Propterea non appareas tu aquila, & alæ tuæ horribiles, & pennacula tua pessima, & capita tua maligna, & ungues tui pessimi, & omne corpus tuum vanum;

46 Uti refrigeretur omnis terra, & revertatur liberata de tua vi, & speret judicium & misericordiam ejus qui fecit eam.

Caput XII.

Ad Esdræ orationem hujus visionis datur explicatio cum membris ipsius.

1 ET factum est, dum loqueretur leo verba hæc ad aquilam: & vidi,

2 Et ecce quod superaverat caput, & non comparuerunt quatuor alæ illæ quæ ad eum trãsierunt, & erectæ sunt ut regnarent: & erat regnum eorum exile, & tumultu plenum.

3 Et vidi, & ecce ipsa non apparebant, & omne corpus aquilæ incendebatur, & expavescebat terra valdè, & ego à tumultu & excessu mentis, & à magno timore vigilavi, & dixi spiritui meo,

4 Ecce tu præstitisti mihi hoc in eo, quòd scrutaris vias Altissimi.

5 Ecce adhuc fatigatus sum animo, & spiritu meo invalidus sum valdè, & nec modica est in me virtus à multo timore, quam expavi nocte hac.

6 Nunc ergo orabo Altissimum, ut me confortet usque in finem.

7 Et dixi, Dominator Domine, si inveni gratiam ante oculos tuos, & si justificatus sum apud te præ multis, & si certè ascendit deprecatio mea ante faciem tuam,

8 Conforta me, & ostende servo tuo mihi interpretationem & distinctionem visus horribilis hujus, ut plenissimè consoleris animam meam.

9 Dignum enim me habuisti ostendere mihi temporum novissima. Et dixit ad me,

10 Hæc est interpretatio visionis hujus.

11 Aquilam quam vidisti ascendentem de mari, hoc est regnum quod visum est in visione Danieli fratri tuo.

12 Sed non est illi interpretatum, quoniam ego nunc tibi interpretor.

13 Ecce dies veniunt, & exurget regnum super terram, & erit timor acrior omnium regnorum quæ fuerunt ante eum.

14 Regnabunt autem in ea reges duodecim, unus post unum.

15 Nam secundus incipiet regnare, & ipse tenebit amplius tempus præ duodecim.

16 Hæc est interpretatio duodecim alarum quas vidisti.

17 Et quam audisti vocem quæ locuta est, non de capitibus ejus exeuntem, sed de medio corporis ejus,

18 Hæc est interpretatio quoniam post tempus regni illius nascentur contentiones non modicæ, & periclitabitur ut cadat: & non cadet tunc, sed iterùm constituetur in suum initium.

19 Et

19 Et quoniam vidisti subalares octo cohærentes alis ejus,

20 Hæc est interpretatio. exurgent in ipso octo reges, quorum erunt tempora levia, & anni citati, & duo quidem ex ipsis perient.

21 Appropinquante autem tempore medio, quatuor servabuntur in tempore, cùm incipiet appropinquare tempus ejus ut finiatur: duo verò in finem servabuntur.

22 Et quoniam vidisti tria capita quiescentia,

23 Hæc est interpretatio in novissimis ejus suscitabit Altissimus tria regna, & revocabit in ea multa. & dominabuntur terram,

24 Et qui habitant in ea, cum labore multo super omnes qui fuerunt ante hos. propter hoc ipsi vocati sunt capita aquilæ.

25 Isti enim erunt qui recapitulabunt impietates ejus, & qui perficient novissima ejus.

26 Et quoniam vidisti caput majus non apparens, hæc est interpretatio ejus. quoniam unus ex eis super lectum suum morietur, & tamen cum tormentis.

27 Nam duo qui perseveraverint, gladius eos comedet.

28 Unius enim gladius comedet qui cum eo: sed tamen hic gladio in novissimis cadet.

29 Et quoniam vidisti duas subalares trajicientes super caput quod est in dextera parte,

30 Hæc est interpretatio. hi sunt quos conservavit Altissimus in finem suum, hoc est regnum exile & turbationis plenum.

31 Sicut vidisti & leonem, quem vidisti de silva evigilantem, & rugientem, & loquentem ad aquilam, & arguentem eã, & injustitias ipsius, per omnes sermones ejus sicut audisti:

32 Hic est ventus quem servavit Altissimus in finem ad eos, & impietates ipsorum: & arguet illos, & incutiet coram ipsis disceptiones eorum.

33 Statuet enim eos in judicio vivos: & erit, cùm arguerit eos, tunc corripiet eos.

34 Nam residuum populum meum liberabit cum misericordia, qui salvati sunt super fines meos, & jucundabit eos quoadusque veniet finis, dies judicij, de quo locutus sum tibi ab initio.

35 Hoc somnium quod vidisti, & hæ interpretationes.

36 Tu ergo solus dignus fuisti scire Altissimi secretum hoc.

37 Scribe ergo omnia ista in libro quæ vidisti, & pone ea in loco abscondito:

38 Et docebis ea sapientes de populo tuo, quorum corda scis posse capere, & servare secreta hæc.

39 Tu autem adhuc sustine hîc alios dies septem, ut tibi ostendatur, quidquid visum fuerit Altissimo ostendere tibi.

40 Et profectus est à me. Et factum est, cùm audisset omnis populus quoniam pertransierunt septem dies, & ego non fuissem reversus in civitatem, & congregavit se omnis à minimo usque ad maximum: & venit ad me, & dixerunt mihi dicentes:

41 Quid peccavimus tibi, & quid injustè egimus in te, quoniam derelinquens nos sedisti in loco hoc.

42 Tu enim nobis superes solus ex omnibus populis, sicut botrus de vinea, & sicut lucerna in loco obscuro, & sicut portus & navis salvata à tempestate.

43 Aut non sufficiunt nobis mala quæ contingunt?

44 Si ergo tu nos dereliqueris, quantò nobis erat melius si essemus succensi & nos cum incendio Sion?

45 Nec enim nos sumus meliores eorum qui ibi mortui sunt. Et ploraverunt voce magna. Et respondi ad eos, & dixi:

46 Confide Israël, & noli tristari tu domus Jacob.

47 Est enim memoria vestri coram Altissimo, & fortis non est oblitus vestri in tentatione.

48 Ego enim non dereliqui vos, neque excessi à vobis: sed veni in hunc locum ut deprecarer pro desolatione Sion, ut quærerem misericordiam pro humilitate sanctificationis vestræ.

49 Et nunc ite unusquisque vestrûm in domum suam, & ego veniam ad vos post dies istos.

50 Et profectus est populus, sicut dixi ei, in civitatem:

51 Ego autem sedi in campo septem diebus, sicut mihi mandavit: & manducabam de floribus solummodò agri, & de herbis facta est esca mihi in diebus illis.

Caput XIII.

Altera visio Esdræ ostenditur cum ipsius interpretatione.

1 ET factum est post dies septem, & somniavi somnium nocte.

2 Et ecce de mari ventus exurgebat, ut conturbaret omnes fluctus ejus.

3 Et vidi, & ecce convalescebat ille homo cum millibus cæli: & ubi vultum suum vertebat ut consideraret, tremebant omnia quæ sub eo videbantur:

4 Et ubicunque exibat vox de ore ejus, ardescebant omnes qui audiebant voces ejus, sicut quiescet terra quando senserit ignem.

5 Et vidi post hæc, & ecce congregabatur multitudo hominum, quorum non erat numerus de quatuor ventis cæli, ut debellarent hominem qui ascenderat de mari.

6 Et vidi, & ecce sibimetipsi sculpserat montem magnum, & volavit super eum.

7 Ego autem quæsivi videre regionem vel locum unde sculptus esset mons; & non potui.

8 Et post hæc vidi, & ecce omnes qui congregati sunt ad eum, ut expugnarent eum, timebant valdè, tamen audebant pugnare.

9 Et ecce, ut vidit impetum multitudinis venientis, non levavit manum suam, neque frameam tenebat neque aliquod vas bellicosum, nisi solummodò ut vidi,

10 Quoniam emisit de ore suo sicut flatum ignis, & de labiis ejus spiritus flammæ, & de lingua ejus emittebat scintillas & tempestates, & commista sunt omnia simul, hic flatus ignis, & spiritus flammæ, & multitudo tempestatis:

11 Et concidit super multitudinem in impetu, quæ præparata erat pugnare, & succendit omnes, ut subitò nihil videretur de innumerabili multitudine, nisi solummodò pulvis, & fumi odor: & vidi, & extimui.

12 Et post hæc vidi ipsum hominem descendentem de monte, & vocantem ad se multitudinem aliam pacificam,

13 Et accedebat ad eum vultus hominum multorum, quorumdam gaudentium, quorumdam tristantium: aliqui verò alligati, aliqui adducentes ex eis qui offerebantur, & ægrotavi à multitudine pavoris, & expergefactus sum, & dixi,

14 Tu ab initio demonstrasti servo tuo mirabilia hæc, & dignum me habuisti ut susciperes deprecationem meam:

15 Et nunc demonstra mihi adhuc interpretationem somnij hujus.

16 Sicut enim existimo in sensu meo, væ qui derelicti fuerunt in diebus illis: & multò plus væ his qui non sunt derelicti.

17 Qui enim non sunt derelicti, tristes erant.

18 Intelligo nunc quæ sunt reposita in novissimis diebus, & occurrent ei, sed & his qui derelicti sunt.

19 Propter hoc venerunt enim in pericula magna, & necessitates multas, sicut ostendunt somnia hæc.

20 Attamen facilius est periclitantem venire in hunc, quàm pertransire, sicut nubem à sæculo, & nunc videre quæ contingunt in novissimo. Et respondit ad me, & dixit:

21 Et visionis interpretationem dicam tibi: & de quibus locutus es adaperiam tibi.

22 Quoniam de his dixisti qui derelicti sunt: hæc est interpretatio,

23 Qui aufert periculum illo tempore, hic se custodivit. qui in periculo inciderunt, hi sunt qui habent opera & fidem ad Fortissimum.

24 Scito ergo quoniam magis beatificati sunt qui derelicti, super eos qui mortui sunt.

25 Hæ interpretationes visionis, quia vidisti virum ascendentem de corde maris,

26 Ipse est quem conservat Altissimus multis temporibus, qui per semetipsum liberabit creaturam suam: & ipse disponet, qui derelicti sunt.

27 Et quoniam vidisti de ore ejus exire, ut spiritum, & ignem, & tempestatem:

28 Et Quoniam non tenebat frameam, neque vas bellicosum: corrupit enim impetus ejus multitudinem, quæ venerat expugnare eum, hæc est interpretatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

29 Ecce dies veniunt, quando incipiet Altissimus liberare eos qui super terram sunt:
30 Et veniet in excessu mentis super eos qui inhabitant terram.
31 Et alij alios cogitabunt debellare; civitas civitatem, & locus locum, & gens adversus gentem, & regnum adversus regnum.
32 Et erit, cùm fient hæc, & contingent signa quæ antè ostendi tibi: & tunc revelabitur filius meus, quem vidisti, ut virum ascendentem.
33 Et erit quando audierint omnes gentes vocem ejus: & derelinquet unusquisque in regione sua bellum suum, quod habent ad alterutrum:
34 Et colligetur in unum multitudo innumerabilis, sicut volentes venire, & expugnare eum.
35 Ipse autem stabit super cacumen montis Sion.
36 Sion autem veniet, & ostendetur omnibus parata & ædificata, sicut vidisti montem sculpi sine manibus.
37 Ipse autem filius meus arguet quæ adinvenerunt Gentes, impietates eorum has quæ tempestati appropinquaverunt propter mala cogitamenta eorum, & cruciamenta quibus incipient cruciari:
38 Quæ assimilatæ sunt flammæ, & perdet eos sine labore per legem quæ igni assimilata est.
39 Et quoniam vidisti eum colligentem ad se aliam multitudinem pacificam,
40 Hæ sunt decem tribus, quæ captivæ factæ sunt de terra sua in diebus Osee regis, quem captivum duxit Salmanasar rex Assyriorum: & transtulit eos trans flumen, & translati sunt in terram aliam.
41 Ipsi autem sibi dederunt consilium hoc, ut derelinquerent multitudinem gentium, & proficiscerentur in ulteriorem regionem, ubi numquam inhabitavit genus humanum:
42 Vel ibi observare legitima sua, quæ non fuerant servantes in regione sua.
43 Per introitus autem angustos fluminis, Euphratem introierunt.
44 Fecit enim eis tunc Altissimus signa, & statuit venas fluminis usquequò transirent.
45 Per eam enim regionem erat via multa itineris, anni unius & dimidij: nam regio illa vocatur Arsareth.
46 Tunc inhabitaverunt ibi usque in novissimo tempore: & nunc iterùm cùm cœperint venire,
47 Iterùm Altissimus statuet venas fluminis, ut possint transire: propter hæc vidisti multitudinem cum pace.
48 Sed & qui derelicti sunt de populo tuo, hi sunt qui inveniuntur intra terminum meum.
49 Factum erit ergo, quando incipiet perdere multitudinem earum, quæ collectæ sunt gentes, proteget eos qui superaverunt populum:
50 Et tunc ostendet eis multa plurima portenta.
51 Et dixi ego, Dominator Domine, hoc mihi ostende, propter quod vidi virum ascendentem de corde maris. Et dixit mihi,
52 Sicut non potes hæc vel scrutari, vel scire quæ sunt in profundo maris, sic non poterit quisque super terram videre filium meum, vel eos qui cum eo sunt, nisi in tempore diei.
53 Hæc est interpretatio somnij quod vidisti, & propter quod illuminatus es hîc solus.
54 Dereliquisti enim tuam, & circa meam vacasti legem, & quæsisti.
55 Vitam enim tuam disposuisti in sapientia, & sensum tuum vocasti matrem:
56 Et propter hoc ostendi tibi merces apud Altissimum. erit enim post alios tres dies, ad te alia loquar, & exponam tibi gravia & mirabilia.
57 Et profectus sum, & transij in campum, multùm glorificans & laudans Altissimum, de mirabilibus quæ per tempus faciebat:
58 Et quoniam gubernat ipsum, & quæ sunt in temporibus illata: & sedi ibi tribus diebus.

Caput XIV.

Apparet Dominus Esdræ in rubo, & futura quadam arcana revelat.

1 Et factum est tertio die, & ego sedebam sub quercu.
2 Et ecce, vox exivit contra me de rubo, & dixit: Esdra Esdra. Et dixi: Ecce ego Domine, & surrexi super pedes meos. Et dixit ad me:
3 Revelans revelatus sum super rubum, & locutus sum Moysi, quando populus meus serviebat in Ægypto,
4 Et misi eum, & eduxi populum meum de Ægypto, & adduxi eum super montem Sina, & detinebam eum apud me diebus multis.
5 Et enarravi ei mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta & finem, & præcepi ei, dicens:
6 Hæc in palàm facies verba, & hæc abscondes.
7 Et nunc tibi dico:
8 Signa quæ demonstravi, & somnia quæ vidisti, & interpretationes quas tu vidisti, in corde tuo repone ea:
9 Tu enim recipieris ab omnibus, convertèris residuus cum consilio meo & cum similibus tuis, usquequò finiantur tempora.
10 Quoniam sæculum perdidit juventutem suam, & tempora appropinquant senescere.
11 Duodecim enim partibus divisum est sæculum, & transierunt ejus decima & dimidium decimæ partis.
12 Supersunt autem ejus post medium decimæ partis.
13 Nunc ergo dispone domum tuam, & corripe populum tuum, & consolare humiles eorum, & renuntia jam corruptelæ,
14 Et dimitte abs te mortales cogitationes, & projice abs te pondera humana, & exue te jam infirmam naturam, & repone in unam partem modestissima tibi cogitamenta, & festina transmigrare à temporibus his:
15 Quæ enim vidisti nunc contigisse mala, iterùm horum deteriora facient:
16 Quantum enim invalidum fiet sæculum à senectute, tantum multiplicabuntur super inhabitantes mala.
16 Prolongavit enim se magis veritas, & appropinquavit mendacium. Jam enim festinat venire, quam vidisti visionem.
18 Et respondi, & dixi coram te Domine:
19 Ecce enim ego abibo, sicut præcepisti mihi, & corripiam' præsentem populum. Qui autem iterùm nati fuerint, quis commonebit?
20 Positum est ergo sæculum in tenebris, & qui inhabitant in eo sine lumine.
21 Quoniam lex tua incensa est, propter quod nemo scit quæ à te facta sunt, vel quæ incipient opera.
22 Si enim inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum sanctum, & scribam omne quod factum est in sæculo ab initio, quæ erant in lege tua scripta, ut possint homines invenire semitam, & qui voluerint vivere in novissimis, vivant.
23 Et respondit ad me, & dixit: Vadens congrega populum, & dices ad eos, ut non quærant te diebus quadraginta.
24 Tu autem præpara tibi buxos multos, & accipe tecum Sarcam, Dabriam, Salemiam, Echanum, & Asiel, quinque hos qui parati sunt ad scribendum velociter.
25 Et venias huc, & ego accendam in corde tuo lucernam intellectus, quæ non extinguetur quoadusque finiantur quæ incipies scribere.
26 Et tunc perfectis quædam palàm facies, quædam sapientibus absconsè trades. in crastinum enim hac hora incipies scribere.
27 Et profectus sum, sicut mihi præcepit, & congregavi omnem populum, & dixi:
28 Audi Israël verba hæc:
28 Peregrinati sunt patres nostri ab initio in Ægypto, & liberati sunt inde:
30 Et acceperunt legem vitæ quam non custodierunt, quam & vos post eos transgressi estis:
31 Et data est vobis terra in sortem, & terra Sion, & patres vestri, & vos iniquitatem feceristis, & non servastis vias quas præcepit vobis Altissimus:
32 Et justus judex cùm sit, abstulit à vobis in tempore quod donaverat.

33 Et

33 Et nunc vos hîc estis, & fratres vestri introrsum vestrùm sunt.
34 Si ergo imperaveritis sensui vestro, & erudieritis cor vestrum, vivi conservati eritis, & post mortem misericordiam consequemini.
35 Judicium enim post mortem veniet, quando iterùm revivíscemus: & tunc justorum nomina parebunt, & impiorum facta ostendentur.
36 Ad me igitur nemo accedat nunc, neque requirat me usque dies quadraginta.
37 Et accepi quinque viros sicut mandavit mihi, & profecti sumus in campum, & mansimus ibi.
38 Et factus sum in crastinum, & ecce vox vocavit me dicens: Esdra aperi os tuum, & bibe quo te potavero.
39 Et aperui os meum, & ecce calix plenus porrigebatur mihi. Hoc erat plenum sicut aqua: color autem ejus ut ignis similis.
40 Et accepi, & bibi: & in eo cùm bibissem, cor meum cruciabatur intellectu, & in pectus meum increscebat sapientia. Nam spiritus meus conservabatur memoria.
41 Et apertum est os meum, & non est clausum ampliùs.
42 Altissimus dedit intellectum quinque viris, & scripserunt quæ dicebantur excessiones noctis, quas non sciebant.
43 Nocte autem manducabam panem, ego autem per diem loquebar, & per noctem non tacebam.
44 Scripti sunt autem per quadraginta dies libri ducenti quatuor.
45 Et factum est cùm complevissent quadraginta dies, locutus est Altissimus dicens: Priora quæ scripsisti, in palàm pone, & legant digni & indigni:
46 Novissimos autem septuaginta conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo.
47 In his enim est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen. Et feci sic.

Caput XV.

Prædicuntur multæ calamitates sæculo superventuræ.

1 Ecce loquere in aures plebis meæ sermones prophetiæ, quos immisero in os tuum, dicit Dominus:
2 Et fac ut in charta scribantur, quoniam fideles & veri sunt.
3 Ne timeas à cogitationibus adversùm te, nec turbent te incredulitates dicentium.
4 Quoniam omnis incredulus in incredulitate sua morietur.
5 Ecce ego induco, dicit Dominus, super orbem terrarum mala, gladium, & famem, & mortem, & interitum:
6 Propter quod superpolluit iniquitas omnem terram, & adimpleta sunt opera nociva illorum.
7 Propterea dicit Dominus!
8 Jam non silebo de impietatibus eorum quæ irreligiosè agunt, nec sustinebo in his quæ iniquè exercent. ecce sanguis innoxius & justus clamat ad me, & animæ justorum clamant perseverantes.
9 Vindicans vindicabo illos, dicit Dominus, & accipiam omnem sanguinem innoxium ex illis ad me.
10 Ecce populus meus quasi grex ad occisionem ducitur, jam non patiar illum habitare in terra Ægypti:
11 Sed educam eum in manu potenti & brachio excelso, & percutiam plaga sicut priùs, & corrumpam omnem terram ejus.
12 Lugebit Ægyptus, & fundamenta ejus plaga verberata, & castigatione quas inducet ei Deus.
13 Lugebunt cultores operantes terram, quoniam deficient semina eorum ab uredine, & grandine, & à sidere terribili.
14 Væ sæculo, & qui habitant in eo:
15 Quia appropinquavit gladius & contritio eorum, & exurget gens contra gentem ad pugnam, & romphæa in manibus eorum.
16 Erit enim inconstabilitio hominibus, & alij aliis invalescentes non curabunt regem suum, & principes viæ gestorum suorum in potentia sua.
17 Concupiscet enim homo in civitatem ire, & non poterit.
18 Propter superbiam enim eorum civitates turbabuntur, domus exterentur, homines metuent.
19 Non miserebitur homo proximum suum, ad irritum faciendum domos eorum in gladium, ad diripiendas substantias eorum, propter famem panis & tribulationem multã.
20 Ecce, ego convoco, dicit Deus, omnes reges terræ ad me verendum, qui sunt ab Oriente, & ab Austro, & ab Euro, & à Libano, ad convertendos in se, & reddere quæ dederunt illis:
21 Sicut faciunt usque hodie electis meis, sic faciam & reddam in sinu eorum. Hæc dicit Dominus Deus.
22 Non parcet dextera mea super peccatores, nec cessabit romphæa super effundentes sanguinẽ innoxium super terrã.
23 Exiit ignis ab ira ejus & devoravit fundamenta terræ, & peccatores quasi stramen incensum.
24 Væ eis qui peccant, & non observant mandata mea, dicit Dominus.
25 Non parcam illis. Discedite filij à potestate. Nolite contaminare sanctificationem meam,
26 Quoniam novit Dominus omnes qui delinquunt in illum; propterea tradidit eos in mortem, & in occisionem.
27 Jam enim venerunt super orbem terrarum mala, & manebitis in illis. non enim liberabit vos Deus propter quòd peccastis in eum.
28 Ecce visio horribilis, & facies illius ab Oriente.
29 Et exient nationes draconum Arabum in curribus multis, & sicut flatus, eorum numerus feretur super terram, ut jam timeant & trepident omnes qui illos audient
30 Carmonij insanientes in ira, & exient ut apri de silva, & advenient in virtute magna, & constabunt in pugnam cum illis, & vastabunt portionem terræ Assyriorum.
31 Et post hæc supervalescent dracones nativitatis suæ memores, & convertent se conspirantes in virtute magna ad persequendos eos.
32 Isti turbabuntur, & silebunt in virtute illorum, & convertent pedes suos in fugam,
33 Et à territorio Assyriorum subsessor obsidebit eos, & consumet unum ex illis, & erit timor & tremor in exercitu illorum, & contentio in reges ipsorum.
34 Ecce nubes ab oriente & septemtrione usque ad meridianum, & facies earum horrida valdè, plena iræ & procellæ,
35 Et collident se invicem, & collident sidus copiosum super terram. Et sidus illorum, & erit sanguis à gladio usque ad ventrem,
36 Et simus hominis usque ad substramen cameli, & erit timor & tremor multus super terram.
37 Et horrebunt qui videbunt iram illam, & tremor apprehendet illos: & post hæc movebunt nimbi copiosi
38 A meridiano & septemtrione, & portio alia ab occidente:
39 Et superinvalescent venti ab oriente, & recludent eam, & nubem quam suscitavi in ira, & sidus ad faciendam exterritationem ad orientalem ventum, & occidentem violabitur:
40 Et exaltabuntur nubes magnæ & validæ plenæ iræ, & sidus, ut exterreant omnem terram, & inhabitantes eam, & infundent super omnem locum altum & eminentem sidus terribile,
41 Ignem & grandinem & romphæas volantes, & aquas multas, ut etiam impleantur omnes campi, & omnes rivi plenitudinem aquarum multarum.
42 Demolientur civitates, & muros, & montes, & colles, & ligna silvarum, & fœnum pratorum, & frumenta eorum.
43 Et transibunt constantes usque ad Babylonem, & exterent eam:
44 Convenient ad ipsam, & circuibunt eam, & effundent sidus, & omnem iram super eam, & subibit pulvis & fumus usque in cælum, & omnes in circuitu lugebunt eam:
45 Et qui sub ea remanserint, servient his qui exterruerunt.
46 Et tu Asia concors in spem Babylonis, & gloria personæ ejus,
47 Væ tibi misera propter quòd assimilasti ei, & ornasti filias tuas in fornicatione, ad placendum & gloriandum

in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in amatoribus tuis, qui tecum cupierunt semper fornicari.
48 Odibilem imitata es in omnibus operibus ejus, & in adinventionibus ejus: propterea dicit Deus,
49 Immittam tibi mala, viduitatem, paupertatem, & famem, & gladium, & pestem, ad devastandas domos tuas à violatione, & morte, & gloria virtutis tuæ,
50 Sicut flos siccabitur, cùm exurget ardor qui emissus est super te,
51 Infirmaberis ut paupercula plagata & castigata à mulieribus, ut non possint te suscipere potentes & amatores.
52 Numquid ego sic zelabor te, dicit Dominus,
53 Nisi occidisses electos meos in omni tempore, exaltans percussionem manuum, & dicens super mortem eorum, cùm inebriata esses.
54 Exorna speciem vultus tui?
55 Merces fornicationis tuæ in sinu tuo, propter hoc redditionem accipies.
56 Sicut facies electis meis, dicit Dominus, sic faciet tibi Deus, & tradet te in malum.
57 Et nati tui fame interient: & tu romphæa cades, & civitates tuæ conterentur, & omnes tui in campo gladio cadent.
58 Et qui sunt in montibus, fame peribunt, & manducabunt carnes suas, & sanguinem bibent, à fame panis & siti aquæ.
59 Infelix per maria venies, & rursum accipies mala.
60 Et in transitu allident civitatem occisam, & exterent aliquam portionem terræ tuæ, & partem gloriæ tuæ exterminabunt, rursum revertentes ad Babylonem subversam.
61 Et demolita eris illis pro stipula, & ipsi erunt tibi ignis:
62 Et devorabunt te, & civitates tuas, terram tuam, & montes tuos, omnes silvas tuas & lignum fructiferum igni comburent.
63 Filios tuos captivos ducent, & censum tuum in prædam habebunt, & gloriam faciei tuæ exterminabunt.

CAPUT XVI.

Horrenda universo orbi desolatio in fine futura.

1 VÆ tibi Babylon & Asia, væ tibi Ægypte & Syria.
2 Præcingite vos saccis & ciliciis, & plangite filios vestros, & dolete: quoniam appropinquavit contritio vestra.
3 Immissus est vobis gladius, & quis est qui avertat illum?
4 Immissus est in vobis ignis, & quis est qui extinguat illū?
5 Immissa sunt vobis mala, & quis est qui repellat ea?
6 Numquid repellet aliquis leonem esurientem in silva, aut extinguet ignem in stipula, mox quando cœperit ardere?
7 Numquid repellet aliquis sagittam à sagittario forti missam?
8 Dominus fortis immittit mala, & quis est qui repellat ea?
9 Exiit ignis ex iracundia ejus, & quis est qui extinguat eum?
10 Coruscabit, & quis non timebit? Tonabit, & quis non pavebit?
11 Dominus comminabitur, & quis non funditus conteretur à facie ipsius?
12 Terra tremuit & fundamenta ejus, mare fluctuat de profundo, & fluctus ejus disturbabuntur, & pisces ejus à facie Domini, & à gloria virtutis ejus:
13 Quoniam fortis dextera ejus quæ arcum tendit: sagittæ ejus acutæ quæ ab ipso mittuntur, non deficient, cùm cœperint mitti in fines terræ.
14 Ecce mittuntur mala, & non revertentur, donec veniant super terram.
15 Ignis succenditur, & non extinguetur, donec consumat fundamenta terræ.
16 Quemadmodum non redit sagitta missa à valido sagittario, sic non revertentur mala quæ missa fuerint in terrā.
17 Væ mihi, væ mihi: quis me liberabit in illis diebus?
18 Initium dolorum & multi gemitus, initium famis & multi interitus, initium bellorum & formidabunt potestates, initium malorum & trepidabunt omnes.
19 In his quid faciam, cùm venerint mala?
20 Ecce fames & plaga, & tribulatio & angustia, missa sunt flagella in emendatione,
21 Et in his omnibus se non convertent ab iniquitatibus suis, neque flagellorum memores erunt semper.
22 Ecce, erit annonæ vilitas super terram, sic ut putent sibi esse directam pacem, & tunc germinabunt mala super terram, gladius, fames, & magna confusio.
23 A fame enim plurimi qui inhabitant terram interient, & gladius perdet ceteros qui superaverint à fame,
24 Et mortui sicut stercora projicientur, & non erit qui consoletur eos: Derelinquetur enim terra deserta, & civitates ejus dejicientur.
25 Non derelinquetur qui colat terram, & qui seminet eā.
26 Ligna dabunt fructus, & quis vindemiabit illa?
27 Uva matura fiet, & quis calcabit illam? erit enim locis magna desertio.
28 Cupiet enim homo hominem videre, vel vocem ejus audire.
29 Relinquentur enim de civitate decem, & duo de agro, qui absconderint se in densis nemoribus, & scissuris petrarū:
30 Quemadmodum derelinquuntur in oliveto & singulis arboribus tres aut quatuor olivæ.
31 Aut sicut in vinea vindemiata racemi relinquuntur ab his qui diligenter vineam scrutantur:
32 Sic relinquentur in diebus illis tres aut quatuor ab scrutantibus domos eorum in rhomphæa.
33 Et relinquetur terra deserta, & agri ejus inveterabunt, & viæ ejus, & omnes semitæ ejus germinabunt spinas, eò quòd non transient homines per eam.
34 Lugebunt virgines non habentes sponsos, lugebunt mulieres non habentes viros, lugebunt filiæ earum non habentes adjutōrium:
35 Sponsi earum in bello consumentur, & viri earum in fame exterentur.
36 Audite verò ista, & cognoscite ea servi Domini.
37 Ecce verbum Domini, excipite illud: ne diis credatis de quibus dicit Dominus.
38 Ecce appropinquant mala, & non tardant.
39 Quemadmodum prægnans cùm parit in nono mense filium suum, appropinquante hora partus ejus, ante horas duas vel tres, dolores circumeunt ventrem ejus, & prodeunte infante de ventre, non tardabunt uno puncto:
40 Sic non morabuntur mala ad prodeundum super terram, & sæculum gemet: & dolores circumtenebunt illud.
41 Audite verbum plebs mea: parate vos in pugnam, & in malis sic estote, quasi advenæ terræ.
42 Qui vendit, quasi qui fugiat: & qui emit, quasi qui perditurus.
43 Qui mercatur, quasi qui fructum non capiat: & qui ædificat, quasi non habitaturus.
44 Qui seminat quasi qui non meret: sic & qui vineam putat, quasi non vindemiaturus.
45 Qui nubunt, sic quasi filios non facturi: & qui non nubunt, sic quasi vidui.
46 Propter quod qui laborant, sine causa laborant:
47 Fructus enim illorum alienigenæ metent, & substantiam illorum rapient, & domos evertent, & filios eorum captivabunt, quia in captivitate & fame generant natos suos.
48 Et qui negotiantur in rapina, quantum diu exornant civitates & domos suas, & possessiones, & personas suas,
49 Tantò magis adzelabor eos super peccata sua, dicit Dominus.
50 Quomodo zelatur fornicaria mulierem idoneam & bonam valdè,
51 Sic zelabitur justitia iniquitatem cùm exornat se, & accusat eam in facie, cùm venerit qui defendat exquirentem omne pecccatum super terram.
52 Propterea nolite similari ei, nec operibus ejus:
53 Quoniam adhuc pusillum, & tolletur iniquitas à terra, & justitia regnabit in vos.
54 Non dicat peccator se non peccasse, quoniam carbones ignis comburet super caput ejus, qui dicit: Non peccavi coram Domino Deo & gloria ipsius.
55 Ecce Dominus cognoscet omnia opera hominum, & adinventiones illorū, & cogitationes illorum, & corda illorū.

56 Dixit

56 Dixit enim: Fiat terra, & facta est: fiat cælum, & factum est.
37 Et in verbo illius stellæ fundatæ sunt, & novit numerum stellarum.
58 Qui scrutatur abyssum: & thesauros illarum: qui mensus est mare, & conceptum ejus.
59 Qui conclusit mare in medio aquarum, & suspendit terram super aquas verbo suo.
60 Qui extendit cælum quasi cameram, super aquas fundavit eum.
61 Qui posuit in deserto fontes aquarum, & super verticem montium lacus ad emittendum flumina ab eminenti petra, ut potaret terram.
62 Qui finxit hominem, & posuit cor suum in medio corporis, & misit ei spiritum, vitam, & intellectum,
63 Et spiramen Dei omnipotentis qui fecit omnia, & scrutinat omnia absconsa in absconsis terræ.
64 Hic novit adinventionem vestram, & quæ cogitatis in cordibus vestris, peccātes & volētes occultare peccata vestra,
65 Propter quod Dominus scrutinando scrutinavit omnia opera vestra, & traducet vos omnes,
66 Et vos confusi eritis cùm processerint peccata vestra coram hominibus, & iniquitates erunt, quæ accusatores stabunt in die illo.
67 Quid facietis? aut quomodo abscondetis peccata vestra coram Deo & angelis ejus?
68 Ecce judex Deus, timete eum. Desinite à peccatis vestris, & oblivīscamini iniquitates vestras jam agere eas in sempiterno, & Deus educet vos, & liberabit de omni tribulatione.
69 Ecce enim incenditur ardor super vos turbæ copiosæ, & rapient quosdam ex vobis, & cibabunt idolis occisos:
70 Et qui consenserint eis, & erunt illis in derisum, & in improperium, & in conculcationem.
71 Erit enim locis locus, & in vicinas civitates exurrectio multa super timentes Dominum.
72 Erunt quasi insani nemini parcentes, ad diripiendum & devastandum adhuc timentes Dominum.
73 Quia devastabunt & diripient substantias, & de domibus suis eos ejicient.
74 Tunc parebit probatio electorum meorum, ut aurum quod probatur ab igne.
75 Audite dilecti mei, dicit Dominus: Ecce adsunt dies tribulationis, & de his liberabo vos.
76 Ne timeatis, nec hæsitetis, quoniam Deus dux vester est.
77 Et qui servat mandata & præcepta mea, dicit Dominus Deus, ne præponderent vos peccata vestra, ne superelevent se iniquitates vestræ.
78 Væ qui constringuntur à peccatis suis, & obteguntur ab iniquitatibus suis, quemadmodum aget constringitur à silva, & spinis tegitur semita ejus per quam non transit homo, & excluditur, & mittitur ad devorationem ignis.

HIERONYMI
PROLOGUS GALEATUS.

VIGINTI & duas litteras esse apud Hebræos, Syrorum quoque lingua & Chaldæorum testatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis est. nam & ipsi viginti duo elementa habent eodem sono, sed diversis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Moysi totidem litteris scriptitant, figuris tantùm & apicibus discrepantes. Certúmque est Esdram scribam, legisque doctorem, post captam Jerosolymam & instaurationem templi sub Zorobabel, alias litteras reperisse quibus nunc utimur: cùm ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. In libro quoque Numerorum, hæc eadem supputatio, sub Levitarum ac Sacerdotum censu, mysticè ostenditur. Et nomen Domini tetragrammaton, in quibusdam Græcis voluminibus, usque hodie antiquis expressum litteris invenimus. Sed & Psalmi trigesimus sextus, & centesimus decimus, & centesimus undecimus, & centesimus decimus octavus, & centesimus quadragesimus quartus, quamquam diverso scribantur metro, tamen ejusdem numeri texuntur alphabeto. Et Jeremiæ Lamentationes, & Oratio ejus: Salomonis quoque in fine Proverbia, ab eo loco in quo ait, Mulierem fortem quis inveniet? iisdem alphabetis vel incisionibus supputantur. Porrò quinque litteræ duplices apud Hebræos sunt, Caph, Mem, Nun, Pe, Sade: aliter enim scribuntur per has principia medietatésque verborum, aliter fines. Unde & quinque à plerisque libri, duplices, æstimantur, Samuel, Melachim, Dibre hajamin, Esdras, Jeremias, cum Cinoth, id est, Lamentationibus suis. Quomodo igitur viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus Hebraïcè omne quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi litteris & exordiis, in Dei doctrina, tenera adhuc & lactens viri justi eruditur infantia.

Primus apud eos liber, vocatur בראשית Beresith: quem nos Genesim dicimus.

Secundus, ואלה שמות Velle semoth: qui Exodus appellatur.

Tertius, ויקרא Vaijcra, id est Leviticus.

Quartus, וידבר Vaiedabber, quem Numeros vocamus.

Quintus, אלה הדברים Elle haddebarim, qui Deuteronomium prænotatur.

Hi sunt quinque libri Moysi, quos propriè תורה Thora, id est Legem appellant.

Secundum, Prophetarum ordinem faciunt: & incipiunt ab Jesu filio Nave: qui apud eos יהושע בן נון Josue ben Nun dicitur,

Deinde subtexunt שפטים Sophetim, id est Judicum librum. Et in eumdem compingunt Ruth: quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia.

Tertius sequitur שמואל Samuël, quem nos Regum primum & secundum dicimus.

Quartus, מלכים Melachim, id est Regum, qui tertio & quarto Regum volumine continetur.

Meliúsque multò est מלכים Melachim, id est Regum, quàm ממלכות Mamlachot, id est Regnorum dicere. Non enim multarum gentium describit regna, sed unius Israëlitici populi, qui tribubus duodecim continetur.

Quintus, est ישעיה Isaias.

Sextus, ירמיה Jeremias.

Septimus, יחזקאל Ezechiel.

Octavus, liber duodecim Prophetarum: qui apud illos vocatur תרי עשר There asar.

Tertius ordo, Hagiographa possidet.

Et primus liber incipit à איוב Job.

Secundus à דויד David: quem quinque incisionibus & uno Psalmorum volumine comprehendunt.

Tertius est שלמה Salomon, tres libros habens: Proverbia, quæ illi משלי Misle, id est Parabolas appellant.

Quartus, Ecclesiasten, id est קהלת Coheleth.

Quintus, Canticum canticorum, quem titulo שיר השירים Sir hassirim prænotant.

Sextus, est דניאל Daniel.

Septimus, דברי הימים Dibre hajamim, id est Verba dierum: quod significantiùs, Chronicon totius divinæ historiæ possumus appellare. qui liber apud nos Paralipomenon primus & secundus inscribitur.

Octavus, עזרא Esdras: qui & ipse similiter apud Græcos & Latinos in duos libros divisus est,

Nonus, אסתר Esther.

Atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atque ita sunt patiter Veteris legis libri vigintiduo : id est, Moysi quinque, & Prophetarum octo, Hagiographorum novem. Quamquam nonnulli רות וקינות Ruth & Cinoth, inter Hagiographa scriptitent, & hos libros in suo putent numero supputándos: ac per hoc esse priscæ legis libros vigintiquatuor : quos sub numero vigintiquatuor seniorum, Apocalypsis Joannis inducit adorantes Agnum, & coronas suas prostratis vultibus offerentes: stantibus coràm quatuor animalibus, oculatis antè & retrò, id est in præteritum & in futurum respicientibus, & indefessa voce clamantibus, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Hic prologus, Scripturarum quasi galeatum principium, omnibus libris quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest: ut scire valeamus, quidquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Jesu filij Syrach liber, & Judith, & Tobias, & Pastor, non sunt in canone. Machabæorum primum librum, Hebraïcum reperi. Secundus, Græcus est: quod ex ipsa quoque phrasi probari potest. Quæ cùm ita se habeant, obsecro te Lector, ne laborem meum, reprehensionem existimes antiquorum. In templo Dei offert unusquisque quod potest: alij aurum, argentum, & lapides pretiosos: alij byssum & purpuram & coccum offerunt & hyacinthum: nobiscum benè agitur, si obtulerimus pelles & caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria judicat. Unde & tota illa tabernaculi pulchritudo, & per singulas species, Ecclesiæ præsentis futuræque distinctio, pellibus tegitur & ciliciis, ardorémque solis & injuriam imbrium ea quæ viliora sunt prohibent. Lege ergo primum, Samuel, & Melachim meum: meum inquam, meum. Quidquid enim crebriùs vertendo, & emendando solicitiùs & didicimus & tenemus, nostrum est. Et cùm intellexeris quod anteà nescíebas, vel interpretem me æstimato, si gratus es; vel Paraphrasten, si ingratus. quamquam mihi omnino conscius non sim, mutasse me quippiam de Hebraica veritate. Certè si incredulus es, lege Græcos codices, & Latinos, & confer cum iis opusculis quæ nuper emendavimus: & ubicumque discrepare inter se videris, interroga quem libet Hebræorum cui magis accommodare debeas fidem: & si nostra firmaverit, puto quòd eum non æstimes conjectorem, ut in eodem loco mecum similiter divinarit. Sed & vos famulas Christi rogo (quæ Domini discumbentis pretiosissima fidei myrrha ungitis caput, quæ nequaquā Salvatoré quæritis in sepulchro, quibus jam ad Patrem Christus ascendit) ut contra latrantes canes, qui adversum me rabido ore desæviunt, & circumeunt civitatem, atque in eo se doctos arbitrantur, si aliis detrahant, orationum vestrarum clypeos opponatis. Ego sciens humilitatem meam, illius semper sententiæ recordabor: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversum me. Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Psal. 38.

HIERONYMUS PAVLINO.

FRater Ambrosius tua mihi munuscula perferens, detulit simul & suavissimas litteras, quæ à principio amicitiarum, fidem probatæ jam fidei, & veteris amicitiæ præferebant. Vera enim illa necessitudo est, & Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantùm corporum, non subdola & palpans adulatio: sed Dei timor, & Divinarum scripturarum studia conciliant. Legimus in veteribus historiis quosdam lustrasse provincias, novos adisse populos, maria transisse: ut eos quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates, sic Plato Ægyptum & Architam Tarentinum, eámque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissimè peragravit: ut qui Athenis magister erat, & potens, cujusque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus: malens aliena verecundè discere, quàm sua impudenter ingerere. Denique dum litteras quasi toto fugientes orbe persequitur, captus à piratis & venumdatus, etiam tyranno crudelissimo paruit, captivus, vinctus & servus: tamen quia philosophus, major emente se fuit. Ad Titum livium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ Galliarúmque finibus quosdam venisse nobiles legimus: & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus sæculis; celebrandúmque miraculum, ut urbem tantam ingressi, aliud extra urbem quærerent. Apollonius, sive ille magus, ut vulgus loquitur, sive philosophus, ut Pythagorici tradunt, intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit: & ad extremum, latissimo Phison amne transmisso, pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos, de natura, de motibus siderum, ac dierum cursu audiret docentem. Inde per Ælamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos, reversus Alexandriam, perrexit Æthiopiam, ut Gymnosophistas, & famosissimam Solis mensam videret in fabulo. Invenit ille vir ubique quod disceret; & semper proficiens, semper se melior fieret. Scripsit super hoc plenissimè octo voluminibus Philostratus.

II. Act. 9. c.

Quid loquar de sæculi hominibus, cum Apostolus Paulus, vas electionis & magister Gentium, quid de conscientia tanti in se hospitis loquebatur, An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? 2. Cor. 13. a post Damascum Arabiámque lustratam, ascenderit Jerosolymam, ut videret Petrum, & manserit apud eum diebus quindecim? Hoc enim mysterio hebdomadis & ogdoadis, futurus gentium prædicator instruendus erat. Rursúmque post annos quatuordecim, assumpto Barnaba & Tito, & exposuerit Apostolis Evangelium, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset. Habet enim nescio quid latentis ἐνεργείας viva vox, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa, fortiùs sonat. Unde & Æschines cùm Rhodi exularet, & legeretur illa Demosthenis oratio, quam adversus eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus, susspirans ait. Quid si ipsam audissetis bestiam, sua

III.

verba resonantem: Hæc non dico, quòd sit in me aliquid tale, quod vel possis à me audire, vel velis discere: sed quòd ardor tuus & discendi studium etiam absque nobis per se probari debeat. Ingenium docile, & sine doctore laudabile est. Non quid invenias, sed quid quæras consideramus. Mollis cera, & ad formandum facilis, etiam si artificis & plastæ cessent manus: tamen virtute totum est quidquid esse potest. Paulus Apostolus ad pedes Gamalielis legem Moysi & Prophetas didicisse se gloriatur, ut armatus spiritalibus telis, posteà diceret confidenter, Arma nostræ militiæ, non carnalia sunt, sed potentia à Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & captivantes omnem intellectum ad obediendum Christo, & parati subjugare omnem inobedientiam. Ad Timotheum scribit ab infantia sacris litteris eruditum, & hortatur ad studium lectionis, ne negligat gratiam quæ data sit ei per impositionem manus Presbyterij. Tito præcipit ut inter ceteras virtutes Episcopi, quem brevi sermone depinxit, scientiam quoque in eo eligat Scripturarum. Obtinentem, inquit, eum qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, & contra dicentes revincere. Sancta quippe rusticitas solùm sibi prodest: & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet si destruentibus non resistat. Malachias Propheta, immò per Aggæum Dominus, Interroga, ait, Sacerdotes legem: in tantum Sacerdotis officium est interrogatum respondere de Lege. Et in Deuteronomio legimus, Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; seniores tuos, & dicent tibi. In Psalmo quoque centesimo decimooctavo, Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Et in descriptione justi viri, cùm eum David arbori vitæ, quæ est in paradiso, compararet, inter ceteras virtutes & hoc intulit. In lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte, Daniel in fine sacratissimæ visionis, ait, justos fulgere sicut stellas, & intelligentes, id est doctos, quasi firmamentum. Vides quantum inter se distent, justa rusticitas, & docta justitia? Alij stellis, alij cælo comparantur. Quamquam juxta Hebraïcam veritatem utrumque de eruditis possit intelligi. Ita enim apud eos legimus, Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Cur dicitur Paulus

Act. 22. a. Gal. 1. d. Gal. 2. d. Tit. 1. b. IV. Deut. 32. a. Psal. 1. Dan. 12. b. Act. 9. c.

Apostolus vas electionis? Nempe quia legis & Scripturarum sanctarum erat armarium. Pharisæi stupent in doctrina Domini: & mirantur in Petro & Joanne quomodo legem sciant, cùm litteras non didicerint. Quidquid enim aliis exercitatio, & quotidiana in lege meditatio tribuere solet, illis hoc Spiritus sanctus suggerebat, & erant juxta quod scriptum est, θεοδίδακτοι. Duodecim annos Salvator impleverat, & in templo senes de quæstionibus legis interrogans, magis docet dum prudenter interrogat. Nisi fortè rusticum Petrum, rusticum dicimus Joannem: quorum uterque dicere poterat, Etsi imperitus sermone, non tamen scientia. Joannes rusticus, piscator, indoctus? & unde illa vox obsecro, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum? Λόγος enim Græcè multa significat: nam & verbum est, & ratio, & supputatio, & causa uniuscujusque rei, per quam sunt singula quæ subsistunt: quæ universa rectè intelligimus in Christo. Hoc doctus Plato nescivit, hoc Demosthenes eloquens ignoravit. Perdam, inquit, sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vera sapientia perdet falsam sapientiam; & quamquam stultitia prædicationis in cruce sit, tamen Paulus sapientiam loquitur inter perfectos: sapientiam autem non sæculi hujus, nec principum sæculi istius, quæ destruitur; sed loquitur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinavit Deus ante sæcula. Dei sapientia, Christus est. Christus enim, Dei virtus, & Dei sapientia. Hæc sapientia in mysterio abscondita est: de qua & noni Psalmi titulus prænotatur, Pro occultis filij. in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Et qui in mysterio absconditus erat, prædestinatus est ante sæcula: prædestinatus autem & præfiguratus in Lege & Prophetis. Unde & Propheræ appellabantur Videntes: quia videbant eum, quem ceteri non videbant. Abraham vidit diem ejus, & lætatus est. Aperiebantur cæli Ezechieli, qui populo peccatori clausi erant. Revela, inquit, David oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Lex enim spiritualis est, & revelatione opus est, ut intelligatur, ac revelata facie Dei gloriam contemplemur. Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur: quem si dederis homini scienti litteras ut legat, respondebit tibi, Non possum: signatus est enim. Quanti hodie putant se nosse litteras, tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reseraverit qui habet clavem David; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit: In Actibus Apostolorum sanctus Eunuchus, immò vir (sic enim eum Scriptura cognominat) cùm legeret Isaiam Prophetam, interrogatus à Philippo, Putásne intelligis, quæ legis? Respondit, Quomodo possum, nisi aliquis me docuerit? Ego (ut de me loquar interim) nec sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior, qui de Æthiopia, id est de extremis mundi finibus, venit ad templum, reliquit aulam regiam: & tantus amator legis divinæque scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo legeret Litteras sacras. Et tamen cùm librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volveret, labiis personaret, ignorabat eum quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Jesum, qui clausus latebat in littera. O mira doctoris virtus! eadem hora credit Eunuchus, baptizatur, & fidelis & sanctus factus est; ac magister de discipulo, plus in deserto fonte Ecclesiæ, quàm in aurato synagogæ templo reperit. Hæc à me perstricta sunt breviter (neque enim epistolaris angustia evagari longiùs patiebatur) ut intelligeres te in Scripturis sacris sine prævio & monstrante semitam non posse ingredi. Taceo de grammaticis, rhetoribus, philosophis, geometris, dialecticis, musicis, astronomis, astrologis, medicis, quorum scientia mortalibus vel utilissima est, & in tres partes scinditur, τὸ δόγμα, ἢ μέτρον, ἢ ἀστρολογίαν. Ad minores artes veniam, & quæ non tam lingua, quàm manu administrantur. Agricolæ, cæmentarij, fabri metallorum, lignorúmque cæsores, lanarij quoque & fullones, & ceteri qui variam supellectilem, & vilia opuscula fabricantur, absque doctore esse non possunt quod cupiunt. Quod medicorum est, promittunt medici: tractant fabrilia fabri. sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant. Scribimus indocti doctique poëmata passim. Hanc garrula anus, hanc

Isa. 54. d. Joan. 6. a. Luc. 2. f. 2. Cor. 11. b. Joan. 1. a. V. Abd. 1. c. Isa. 29. c. 1. Cor. 1. c. 2. Cor. 1. b. Coloss. 2. a. Joan. 8. g. Ezech. 1. a. Psal. 118. Rom. 7. c. 2. Cor. 3. d. Apoc. 5. a. Isa. 29. c. Apoc. 3. b. Act. 8. f. VI.

delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Alij adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris Litteris philosophantur. Alij discunt, prò pudor, à feminis, quòd viros doceant. & ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immò audacia, ediderunt aliis quod ipsi non intelligunt. Taceo de mei similibus, qui si fortè ad Scripturas sanctas post sæculares litteras venerint, & sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant. nec scire dignantur quid Prophetæ, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia: quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam, Scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas, & Vergiliocentonas: ac non sic etiam Maronem sine Christo posse dicere Christianum, quia scripserit: Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna. Jam nova progenies cælo demittitur alto. Et Patrem loquentem ad Filium: Nate meæ vires mea magna potentia solus. Et post verba Salvatoris in cruce; Talia perstabat memorans, fixúsque manebat. Puerilia sunt hæc, & circulatorum ludo similia, docere quod ignores: immò, ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire quod nescias.

Videlicet manifestissima est Genesis, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de divisione terræ, de confusione linguarum & gentium, usque ad exitum scribitur Hebræorum. V I. Genesis.

Patet Exodus cum decem plagis, cum decalogo, cum mysticis divinisque præceptis. Exodus.

In promptu est Leviticus liber, in quo singula sacrificia, immò singulæ pænè syllabæ, & vestes Aaron, & totus ordo Leviticus spirant cælestia sacramenta. Leviticus.

Numeri verò, nónne totius Arithmeticæ, & prophetiæ Balaam, & quadraginta duarum per eremum mansionum mysteria continent? Numeri.

Deuteronomium quoque secunda lex, & Evangelicæ legis præfiguratio, nónne sic ea habet quæ priora sunt, ut tamen nova sint omnia de veteribus? Hucusque Moyses, hucusque Pentateuchus: quibus quinque verbis loqui se velle Apostolus in Ecclesia gloriatur. Deuteronomium. 1. Cor. 14.

Job exemplar patientiæ, quæ non mysteria suo sermone complectitur? Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur: omnésque leges Dialecticæ, propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat. Singula in eo verba, plena sunt sensibus. Et (ut de ceteris sileam) resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestiùs, vel cautiùs scripserit. Scio, inquit, quòd redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Job.

Veniam ad Jesum Nave, qui typum Domini non solùm gessit, verùm etiam nomine præfert. transit Jordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, & per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Ecclesiæ cælestisque Jerusalem spiritualia regna describit. Iosue filius Nave.

In Judicum libro, quot principes populi, tot figuræ sunt. Liber Iudicum.

Ruth Moabitis, Isaiæ explet vaticinium, dicentis, Emitte agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. Ruth. Isa. 16. a.

Samuel in Heli mortuo, & occiso Saul, veterem legem abolitam monstrat. Porrò in Sadoc atque David, novi sacerdotij, novique imperij sacramenta testatur. Reg. I. & II.

Melachim, id est tertius & quartus Regum liber, à Salomone usque ad Jechoniam, & à Jeroboam filio Nabat usque ad Oseæ qui ductus est in Assyrios, regnum Juda & regnum describit Israël. Si historiam respicias, verba simplicia sunt: si in litteris sensum latentē inspexeris, Ecclesiæ paucitas, & hæreticorum contra Ecclesiā bella narrātur. Reg. III. & IV.

Duodecim Prophetæ in unius voluminis angustias coarctati, multò aliud, quàm sonet in littera, præfigurant.

Oseæ crebrò nominat Ephraim, Samariam, Joseph, Jezrahel, Oseæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioel. Jezrahel, & uxorem fornicariam, & fornicationis filios, & adulteram cubiculo clausam mariti, multo tempore sedere viduam, & sub veste lugubri, viri ad se reditum præstolari.

Joel filius Phatuel describit terram duodecim tribuum, eruca, bruchо, locusta, rubigine vastante consumptam: & post eversionem prioris populi, effusum iri Spiritum sanctum super servos Dei & ancillas, id est super centum viginti credentium nomina, & effusum iri in cœnaculo Sion. Qui centum viginti, ab uno usque ad quindecim paulatim & per incrementa, surgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in Psalterio mysticè continentur.

Amos. Amos pastor, & rusticus, & ruborum mora distringens, paucis verbis explicari non potest. Quis enim digne exprimat tria aut quatuor scelera Damasci, & Gazæ, & Tyri, & Idumææ, & filiorum Ammon & Moab; & in septimo & octavo gradu Judæ & Israël? Hic loquitur ad vaccas pingues, quæ sunt in Samariæ monte, & ruituram domum majorem minorémque testatur. Ipse cernit fictorem locustæ, & stantem Dominum super murum litum vel adamantinum, & uncinum pomorum, attrahentem supplicia peccatoribus, & famem in terram; non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.

Abdias. Abdias, qui interpretatur Servus Dei, pertonat contra Edom sanguineum terrenúmque hominem: fratris quoque Jacob semper æmulum, hasta percutit spiritali.

Ionas. Jonas columba pulcherrima, naufragio suo passionem Domini præfigurans, mundum ad pœnitentiam revocat: & sub nomine Ninive, Gentibus salutem nuntiat.

Michæas. Michæas de Morasthi coheres Christi, vastationem annuntiat filiæ latronis, & obsidionem ponit contra eam; quia maxillam percusserit judicis Israël.

Nahum. Nahum consolator orbis increpat civitatem sanguinum, & post eversionem illius loquitur, Ecce super montes pedes evangelizantis, & annuntiantis pacem.

Habacuc. Habacuc luctator fortis & rigidus, stat super custodiam suam, & figit gradum super munitionem, ut Christum in cruce contempletur, & dicat, Operuit cælos gloria ejus, & laudis ejus plena est terra. Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus.

Sophonias. Sophonias speculator, & arcanorum Dei cognitor, audit clamorem à Porta piscium, & ejulatum à Secunda, & contritionem à collibus. Indicit quoque ululatum habitatoribus Pilæ, quia conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt universi qui involuti erant argento.

Aggæus. Aggæus festivus & lætus, qui seminavit in lacrymis, ut in gaudio meteret; destructum templum ædificat, Deúmque Patrem inducit loquentem: Adhuc unum modicum, & ego commovebo cælum & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.

Zacharias. Zacharias memor Domini sui, multiplex in prophetia, Jesum vestibus sordidis indutum, & lapidem oculorum septem, candelabrúmque aureum cum totidem lucernis quot oculis; duas quoque olivas à sinistris lampadis cernit & dextris: ut post equos nigros, rufos, albos, & varios, & dissipatas quadrigas ex Ephraim, & equum de Jerusalem, pauperem regem vaticinetur & prædicet, sedentem super pullum filium asinæ subjugalis.

Malachias. Malachias apertè, & in fine omnium Prophetarum, de abjectione Israël, & vocatione Gentium. Non est mihi, ait, voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.

Isaias. Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, & Danielem, quis potest vel intelligere, vel exponere? Quorum primus non prophetiam mihi videtur texere, sed Evangelium.

Ieremias. Secundus virgam nuceam, & ollam succensam à facie aquilonis, & pardum spoliatum suis coloribus, & quadruplex diversis metris nectit alphabetum.

Ezechiel. Tertius principia & finem tantis habet obscuritatibus involuta, ut apud Hebræos, istæ partes cum exordio Geneseos ante annos triginta non legantur.

Quartus verò, qui & extremus inter quatuor Prophetas, temporum conscius, & totius mundi σύνοψις, lapidem præcisum de monte sine manibus, & regna omnia subvertentem, claro sermone pronuntiat. Daniel.

David. David Simonides noster, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus, Christum lyra personat, & in decachordo psalterio, ab inferis excitat resurgentem.

Proverbia. Salomon pacificus & amabilis Domini, mores corrigit, naturam docet, Ecclesiam jungit & Christum, sanctarúmque nuptiarum dulce canit epithalamium.

Ecclesiastes. Cantic. Esther. Esther in Ecclesiæ typo, populum liberat de periculo, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivij, & diem celebrem mittit in posteros.

Paralip. Paralipomenon liber, id est instrumenti veteris ἐπιτομή, tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula quippe nomina junctúrasque verborum, & prætermissæ in Regum libris tanguntur historiæ, & innumerabiles explicantur Evangelij quæstiones.

Esdras. Nehemias. Esdras & Nehemias, adjutor videlicet, & consolator à Domino, in unum volumen coarctantur, instaurant templum, muros extruunt civitatis: omnísque illa turba populi redeuntis in patriam, & descriptio sacerdotum, Levitarum, Israëlis, proselytorum, ac per singulas familias murorum ac turrium opera divisa, aliud in cortice præferunt, aliud retinent in medulla. Cernis me Scripturarum amore raptum, excessisse modum epistolæ, & tamen non implesse quod volui. Audivimus tantùm, quid nosse, quid cupere debeamus, ut & nos quoque possimus dicere: Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore. Ceterùm illud Socraticum impletur in nobis, Hoc tantum scio, quod nescio. Ps. 118.

Matthæus. Tangam & novum breviter Testamentum.

Marcus. Lucas. Ioannes. Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes, quadriga Domini, & verum Cherubim, quod interpretatur scientiæ multitudo, per totum corpus oculati sunt, scintillæ emicant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos, & in sublime tendentes, terga pennata & ubique volitantia, tenent se mutuò, sibíque perplexi sunt, & quasi rota in rota volvuntur, & pergunt quocumque eos flatus Spiritus sancti perduxerit. Ezech. 1.

Paulus. Paulus Apostolus ad septem scribit Ecclesias: octava enim ad Hebræos, à plerisque extra numerum ponitur. Apostolius. Timotheum instruit ac Titum, & Philemonem pro fugitivo famulo deprecatur. Super quo melius tacere puto, quàm pauca scribere.

Actus. Apostolorum. Actus Apostolorum nudam quidem sonare videntur historiam, & nascentis Ecclesiæ infantiam texere: sed si noverimus scriptorem eorum Lucam esse medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis esse medicinam. 2. Cor. 8.

Iacobus. Petrus. Ioannes. Iudas. Jacobus, Petrus, Joannes, Judas, septem Epistolas ediderunt, tam mysticas, quàm succinctas, & breves pariter ac longas: breves in verbis, longas in sententiis: ut rarus sit, qui non in earum lectione cæcutiat.

Apocal. Apocalypsis Joannis, tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi, & pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. Oro te, frater charissime, inter hæc vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere. Nónne tibi videtur jam hic in terris regni cælestis habitaculum? Nolo offendaris in Scripturis sanctis simplicitate, & quasi vilitate verborum, quæ vel vitio Interpretum, vel de industria sic prolata sunt, ut rusticam concionem faciliùs instruerent, & in una eadémque sententia aliter doctus, aliter audiret indoctus. Non sum tam petulans, & hebes, ut hæc me nosse pollicear, & eorum fructus capere, quorum radices in cælo fixæ sunt: sed velle fateor. Sedenti me præfero, magistrum renuens, comitem spondeo. Petenti datur, pulsanti aperitur, quærens invenit. Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in cælo. Obviis te manibus excipiam, & (ut ineptè aliquid, ac de Hermagoræ tumiditate effutiam) quidquid quæsieris, tecum scire conabor. Habes hîc amantissi Matt. 7. a. Luc. 11. b.

amantissimum tui fratrem Eusebium, qui litterarum tuarum mihi gratiam duplicavit, referens honestatem morum tuorum, contemptum sæculi, fidem amicitiæ, amorem Christi. Nam prudentiam & eloquij venustatem etiam absque illo ipsa epistola præferebat. Festina, quæso te, & hærentis in salo naviculæ funem magis præcide, quàm solve. Nemo renuntiaturus sæculo benè potest vendere quæ contempsit ut venderet. Quidquid in sumptus de tuo tuleris, pro lucro computa. Antiquum dictum est, Avaro tam deest quod habet, quàm quod non habet. Credenti totus mundus divitiarum est: infidelis autem etiam obolo indiget. Sic vivamus, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Victus & vestitus divitiæ Christianorum sunt. Si habes in potestate rem tuam, vende: si non habes, projice. Tollenti tunicam, & pallium relinquendum est. Scilicet nisi tu, semper recrastinans, & diem de die trahens, cautè & pedetentim tuas possessiunculas vendideris, non habet Christus unde alat pauperes suos. Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Apostoli navem tantùm & retia reliquerunt. Vidua duo æra misit in gazophylacium, & præfertur Crœsi divitiis. Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. VIII. Prov. 17. 2. Cor. 6. b. Matt. 5. f. Matt. 4. c. Mar. 12. a. Luc. 21. a.

PRÆFATIO SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI IN PENTATEUCHUM MOYSI, AD DESIDERIUM.

Dan. 9. DESIDERII mei desideratas accepi epistolas, qui quodam præsagio futurorum, cum Daniele sortitus est nomen, obsecrantis, ut translatum in Latinam linguam de Hebræo sermone Pentateuchum, nostrorum auribus traderem. Periculosum opus certè, & obtrectatorum meorum latratibus patens: qui me asserunt in Septuaginta Interpretum suggillationem nova pro veteribus cudere, ita ingenium quasi vinum probantes: cùm ego sæpissimè testatus sim, me pro virili portione in tabernaculo Dei offerre quæ possim, nec opes alterius aliorum paupertate fœdari. Quod ut auderem, Origenis me studium provocavit, qui editioni antiquæ translationem Theodotionis miscuit, asteriscо & obelo opus omne distinguens: dum aut elucescere facit quæ minùs antè fuerant: aut superflua quæque jugulat & confodit, maximè quæ Evangelistarum & Apostolorum auctoritas promulgavit. In quibus multa de Veteri Testamento legimus, quæ in nostris codicibus non habentur: ut est illud. Ex Ægypto vocavi filium meum: &, Quoniam Nazaræus vocabitur: &, Videbunt in quem compunxerunt: &, Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: &, Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se: & multa alia quæ proprium σύνταγμα desiderant. Interrogemus ergo eos ubi hæc scripta sint: & cùm dicere non potuerint, de libris Hebræis proferamus. Primum testimonium est in Osee, secundum in Isaia, tertium in Zacharia, quartum in Proverbiis, quintum æquè in Isaia. Quod multi ignorantes, apocryphorum deliramenta sectantur: & Hiberas nænias libris authenticis præferunt. Causas erroris non est meum exponere. Judæi prudenti factum dicunt esse consilio: ne Ptolemæus unius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet. Quod maximè idcircò faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Denique ubicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre & Filio & Spiritu sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt: ut &j regi satisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent. Et nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scriptitarint: cùm Aristæas ejusdem Ptolomæi σωσιγραφεὺς, & multo pòst tempore Josephus, nihil tale retulerint: sed in una basilica congregatos, contulisse scribant, non prophetasse. Aliud est enim vatem, aliud est esse interpretem: ibi Spiritus ventura prædicit: hic eruditio & verborum copia, ea quæ intelligit transfert. Nisi fortè putandus est Tullius, Oeconomicum Xenophontis, & Platonis Protagoram, & Demosthenis pro Ctesiphonte orationem, afflatus rhetorico spiritu transtulisse. Aut aliter de eisdem libris per Septuaginta Interpretes, aliter per Apostolos Spiritus sanctus testimonia texuit: ut quod illi tacuerunt, hi scriptum esse mentiti sint. Quid igitur? damnamus veteres? Minimè. Sed post priorum studia, in domo Domini quod possumus, laboramus. Illi interpretati sunt ante adventum Christi, & quod nesciebant, dubiis protulere sententiis: nos verò post passionem & resurrectionem ejus, non tàm prophetiam quàm historiam scribimus. aliter enim audita, aliter visa narrantur. quod meliùs intelligimus, meliùs & proferimus. Audi igitur æmule, obtrectator ausculta: non damno, non reprehendo Septuaginta: sed confidenter cunctis illis Apostolos præfero. Per istorum os mihi Christus sonat, quos ante Prophetas inter spiritalia charismata positos lego: in quibus ultimum pænè gradum interpretes tenent. Quid livore torqueris? quid imperitorum animos contra me concitas? Sicubi in translatione tibi videor errare, interroga Hebræos, diversarum urbium magistros consule. Quod illi habent de Christo, tui codices non habent. Aliud est, si contra se posteà Ab Apostolis usurpata testimonia probaverunt, & emendatiora sunt exemplaria Latina quàm Græca, & Græca, quàm Hebraïca. Verùm hæc contra invidos. Nunc te precor Desideri charissime, ut me, quia tantum opus subire fecisti, & à Genesi exordium capere, orationibus juves: quò possim eodem spiritu quo scripti sunt libri, in Latinum eos transferre sermonem. Exod. 35. Osee 11. Isa. 11. Zach. 12. Prov. 18. Isa. 64.

EJUSDEM IN JOSUE PRÆFATIO.

TAndem finito Pentateucho Moysi, velut grandi fœnore liberati, ad Jesum filium Nave manum mittamus, quem Hebræi יהושע בן-נון id est Josue filium Nun, vocant: & ad Judicum librum, quem שפטים appellant: ad Ruth quoque & Esther, quos eisdem nominibus efferunt. Monemúsque lectorem ut silvam Hebraïcorum nominum, & distinctiones per membra divisas, diligens scriptor conservet: ne & noster labor, & illius studium pereat. Et ut in primis, quod sæpe testatus sum, sciat me non in reprehensionem veterum nova cudere, sicut amici mei criminantur: sed pro virili parte offerre linguæ meæ hominibus (quos tamen nostra delectant) ut pro Græcorum Ἑξαπλοῖς, quæ & sumptu & labore maximo indigent, editionem nostram habeant. Et sicubi in antiquorum voluminum lectione dubitarint, hæc illis conferentes, inveniant quod requirunt: maximè cùm apud Latinos tot sint exemplaria, quot codices: & unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit vel subtraxerit quod ei visum est: & utique non possit verum esse quod dissonat. Unde cesset arcuato vulnere contra nos insurgere scorpius, & sanctũ opus venenata carpere lingua, vel

Universidad de ... Biblioteca

suscipiens, si placet, vel contemnens, si displicet: memineritque illorum versuum, Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos, Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam. Quæ enim audientis vel legentis utilitas est, nos laborando sudare, & alios detrahendo laborare? dolere Judæos quòd calumniandi eis & irridendi Christianos sit ablata occasio, & Ecclesiæ homines id despicere, immò lacerare, unde adversarij torqueantur? Quòd si vetus eis tantùm interpretatio placet, quæ & mihi non displicet, & nihil extra recipiendum putant; cur ea quæ sub asteriscis & obelis vel addita sunt vel amputata, legunt, & negligũt? Quare Danielem juxta Theodotionis translationem, Ecclesiæ susceperunt? Cur Origenem mirantur, & Eusebium Pamphili, cunctas editiones similiter differentes? Aut quæ fuit stultitia, postquam vera dixerint, proferre quæ falsa sunt? Unde autem in novo Testamento probare poterunt assumpta testimonia, quæ in in libris veteribus non habentur? Hæc dicimus, ne omnino calumniantibus tacere videamur. Ceterùm post sanctæ Paulæ dormitionem, cujus vita virtutis exemplum est, & hos libros quos Eustochio virgini Christi negare non potui: decrevimus dum spiritus hos regit artus, Prophetarum explanationi incumbere, & omissum jam diu opus, quasi quodam postliminio, repetere: præsertim cùm & admirabilis sanctúsque vir Pammachius, hoc idem litteris flagitet; & nos ad patriam festinantes, mortiferos sirenarum cantus surda debeamus aure transire.

Psal. 49.

PRÆFATIONEM EIUSDEM sancti Hieronymi in libros Regum suprà reperies, ideò in principio positam, quòd librorum sacrorum ordinem contineat. Inscribitur autem, Prologus galeatus.

EJUSDEM IN LIBRUM PARALIPOMENON PRÆFATIO.

SI Septuaginta Interpretum, pura & ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superfluè me, Chromati Episcoporum sanctissimè atque doctissime, impelleres, ut Hebræa tibi volumina Latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, & nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem, justum erat etiam nostro silentio comprobari. Nunc verò cùm pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, & germana illa antiquáque translatio corrupta sit, atque violata; nostri arbitrij putas, aut è pluribus judicare quid verum sit, aut novum opus in veteri opere cudere, illudentibúsque Judæis, cornicum, ut dicitur, oculos configere. Alexandria & Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam, Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has provinciæ Palæstinos codices legunt; quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus vulgaverunt: totúsque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat. Et certè Origenes non solùm exempla composuit quatuor editionum, è regione singula verba describens, ut unus dissentiens, statim ceteris inter se consentientibus arguatur; sed, quod majoris, audaciæ est, in editione Septuaginta Theodotionis editionem miscuit, asteriscis designans quæ minus fuerant, & virgulis quæ ex superfluo videbantur apposita. Si igitur aliis licuit non tenere quod semel susceperant; & post Septuaginta cellulas, quæ vulgò sine auctore jactantur, singulas cellulas aperuere, hócque in Ecclesiis legitur quod Septuaginta nescierunt; cur me non suscipiant Latini mei, qui inviolata editione veteri ita novam condidi, ut laborem meum Hebræis, & quod his majus est, Apostolis auctoribus comprobem? Scripsi nuper librum de optimo genere interpretandi, ostendens illa de
Matt. 2. Evangelio, Ex Ægypto vocavi filium meum, &, Quoniam Nazaræus vocabitur: &, Videbunt in quem compunxe-
Ioan. 19. runt: & illud Apostoli, Quæ oculus non vidit, nec auris
1. Cor. 2. audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus illum: ceteráque his similia, in Hebræorum libris inveniri. Certè Apostoli & Evangelistæ, Septuaginta Interpretes noverant: & unde eis hæc quæ in Septuaginta Interpretibus non habentur? Christus Dominus noster utriusque Testamenti conditor, in Evangelio secundùm Joannem, Qui credit, inquit in me, sicut dicit Scri- Ioan. 7.
ptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Utique scriptum est, quod Salvator scriptum esse testatur. Ubi scriptum est? Septuaginta non habent: apocrypha nescit Ecclesia. Ad Hebræos igitur revertendum est, unde & Dominus loquitur, & discipuli exempla præsumunt. Hæc pace veterum loquor, & obtrectatoribus meis tantùm respondeo, qui canino dente me rodunt, in publico detrahentes, & legentes in angulis, iidem & accusatores & defensores, cùm in aliis probent quod in me reprobant: quasi virtus & vitium non in rebus sit, sed cum auctore mutetur. Ceterùm memini, editionem Septuaginta translatorum, olim de Græco emendatam tribuisse me nostris: nec inimicum debere existimari eorum, quos in conventu fratrum semper edissero. Et quòd nunc דברי הימים, id est Verba dierum, interpretatus sum: idcircò feci, ut inextricabiles moras, & silvam nominum, quæ scriptorum confusa sunt vitio, sensuumque barbariem, & apertiùs & per versuum cola digererem, mihimetipsi & meis juxta Ismeniam canens, si aures surdæ sunt ceterorum.

AD DOMNIONEM ET ROGATIANUM, IN EUNDEM PRÆFATIO EJUSDEM.

QUomodo Græcorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint; & tertium Virgilij librum, qui à Troade per Leucaten, & Acroceraunia, & ad Siciliam, & inde ad ostia Tiberis navigaverint: ita sanctam Scripturam lucidiùs intuebitur, qui Judæam oculis contemplatus sit, & antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Unde & nobis curæ fuit, cum eruditissimis Hebræorum hunc laborem subire: ut circumiremus provinciam, quam universæ Christi Ecclesiæ sonant. Fateor enim, mi Domnion & Rogatiane charissimi, numquam me in divinis voluminibus, propriis viribus credidisse, nec habuisse opinionem meam, sed ea etiam de quibus scire me arbitrabar, interrogare me solitum. quànto magis de his super quibus anceps eram? Denique cum à me nuper litteris flagitassetis, ut vobis librum Paralipomenon Latino sermone transferrem de Tiberiade quemdam legis Doctorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, assumpsi: & contuli cum eo à vertice, ut aiunt, usque ad extremum unguem: & sic confirmatus, ausus sum facere quod jubebatis. Liberè enim vobis loquor, ita in Græcis & Latinis codicibus hic nominum liber vitiosus est, ut non tam Hebræa quàm Barbara quædam, & Sarmatica nomina conjecta arbitrandum sit: Nec hoc Septuaginta Interpretibus, qui Spiritu sancto pleni, ea quæ vera fuerunt transtulerant, sed scriptorum culpæ adscribendum, dum de emendatis inemendata scriptitant: & sæpè tria nomina, subtractis è medio syllabis, in unum vocabulum cogunt, vel è regione unum nomen, propter latitudinem suam, in duo vel tria vocabula dividunt. Sed & ipsæ appellationes, non homines, ut plerique existimant, sed urbes, & regiones, & saltus, & provincias sonant, & obliquè sub interpretatione & figura eorum, quædam narrantur historiæ: de quibus in regnorum libro dicitur, Nónne ecce hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? Quæ utique in nostris codicibus non habentur. Hoc primùm sciendum, quòd apud Hebræos, liber Paralipomenon, unus sit: & apud illos vocatus, דברי הימים, id est verba dierum: qui propter magnitudinem, apud nos divisus est. quod nonnulli etiam in Bruto, Ciceronis dialogo, faciunt, ut eum in tres partes secent, cùm unus à suo auctore sit editus. Deinde etiam illud attendendum, quòd frequenter nomina, non vocabula hominum, sed rerum, ut dixi, significantias sonant. Ad extremum, quòd omnis eruditio Scripturarum in hoc continetur: & historiæ quæ vel prætermissæ sunt in suis locis, vel perstrictæ leviter, hìc per quædam verborum compendia explicentur. Orationum itaque vestrarum adjutus auxilio, misi librum benevolis placiturum, tamen invidis displiciturum esse non ambigo. Optima enim quæque, ut ait Plinius, malunt contemnere plerique, quàm discere. Si quis in hac interpretatione voluerit aliquid reprehendere, interroget Hebræos, suam conscientiam recolat, videat ordinem textúmque sermonis; & tunc nostro labori, si potuerit, detrahat. Vbicumque ergo asteriscos, id est stellas, radiare in hoc volumine videritis: ibi sciatis de Hebræo additum, quod in Latinis codicibus non habetur. Vbi verò obelus, transversa scilicet virga, præposita est, illic signatur quid Septuaginta Interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus sancti auctoritatem, licet in Hebræis voluminibus non legatur.

EJUSDEM AD DOMNIONEM ET ROGATIANUM, IN ESDRAM, ET NEHEMIAM PRÆFATIO.

UTrùm difficilius sit, facere quod poscitis, an negare, necdum statui. nam neque vobis aliquid imperantibus abnuere, sententiæ est: & magnitudo oneris impositi ita cervices premit, ut ante sub fasce ruendum sit, quàm levandum. Accedunt ad hoc invidorum studia; qui omne quod scribimus, reprehendendum putant: & interdum contra se conscientia repugnante, publicè lacerant quod occultè legunt, in tantum ut clamare compellar,
Ps. 119. & dicere: Domine, libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Tertius annus est quòd semper scribitis atque rescribitis, ut Esdræ librum & Esther, vobis de Hebræo transferam: quasi non habeatis Græca & Latina volumina: aut quidquid illud est quod à nobis vertitur, non statim ab omnibus conspuendum sit. Frustrà autem, ut ait quidam, niti, neque aliud fatigando nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Itaque obsecro vos mi Domnion & Rogatiane charissimi, ut privata lectione contenti, libros non efferatis in publicum, nec fastidiosis cibos ingeratis: vitetísque eorum supercilium; qui judicare tantùm de aliis, & ipsi facere nihil noverunt. Si qui autem fratrum sunt quibus nostra non displicent, his tribuatis exemplar, admonentes ut Hebræa nomina, quorum grandis in hoc volumine copia est, distinctè & per intervalla transcribant. Nihil enim proderit emendasse librum, nisi emendatio, librariorum diligentia, conservetur. Nec quemquam moveat quòd unus à nobis liber editus est: nec apocryphorum tertij & quarti somniis delectetur: quia & apud Hebræos Esdræ Nehemiæque sermones in unum volumen coarctantur: & quæ non habentur apud illos, nec de vigintiquatuor senibus sunt, procul abjicienda. Si quis autem Septuaginta vobis opposuerit Interpretes, quorum exemplaria varietas ipsa lacerata & inversa demonstrat; nec potest utique verum asseri quod diversum est: mittite eum ad Evangelia: in quibus multa ponuntur quasi de veteri Testamento, quæ apud Septuaginta Interpretes non habentur, velut illud, Quoniam Nazaræus vocabitur: &, Ex Ægypto vocavi filium meum: &, Videbunt in quem compunxerunt; multáque alia, quæ latiori operi reservamus: & quærite ab eo ubi scripta sint. cúmque proferre non potuerit, vos legite de his exemplaribus quæ nuper à nobis edita, maledicorum quotidie linguis confodiuntur. Sed ut ad compendium veniam, certè quod illaturus sum, æquissimum est. Edidi aliquid quod non habetur in Græco, aut aliter habetur quàm à me versum est? Quid interpretem laniant? interrogent Hebræos: & ipsis auctoribus, translationi meæ vel arrogent vel derogent fidem. Porrò aliud est, si clausis, quod dicitur, oculis mihi volunt maledicere; & non imitantur Græcorum studium ac benevolentiam, qui post Septuaginta Translatores. jam Christi Evangelio coruscante, Judæos & Hebionitas legis veteris Interpretes, Aquilam videlicet, & Symmachum, & Theodotionem, & curiosè legunt, & per Origenis laborem in Hexaplis, Ecclesiis dedicarunt. Quantò magis Latini grati esse deberent, quòd exultantem cernerent Græciam à se aliquid mutuari? Primùm enim magnorum sumptuum est & infinitæ difficultatis, exemplaria posse habere omnia: deindè etiam qui habuerint, & Hebræi sermonis ignari sunt, magis errabunt, ignorantes quis è multis verius dixerit. Quod etiam sapientissimo cuidam nuper apud Græcos accidit, ut interdum Scripturæ sensum relinquens, uniuscujusque interpretis sequeretur errorem. Nos autem qui Hebrææ linguæ saltem parvam habemus scientiam, & Latinus nobis utcumque sermo non deest, & de aliis magis possumus judicare, & ea quæ ipsi intelligimus, in nostra lingua promere. Itaque licèt hydra sibilet, victorque Sinon incendia jactet: numquam meum, juvante Christo, silebit eloquium: etiam præcisa lingua balbutiet. Legant qui volunt: qui nolunt abjiciant. Eventilent apices, litteras calumnientur: magis vestra charitate provocabor ad studium, quàm illorum detractione & odio deterrebor.

EJUSDEM AD CHROMATIUM ET ELIODORUM IN TOBIAM PRÆFATIO.

MIrari non desino exactionis vestræ instantiam. exigitis enim ut librum Chaldæo sermone conscriptum, ad Latinum stylum traham; librum utique Tobiæ, quem Hebræi de catalogo divinarum Scripturarum secantes, his quæ hagiographa memorant, manciparunt. Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio. Arguunt & nos Hebræorum studia: & imputant nobis, contra suum canonem. Latinis auribus ista transferre. Sed melius esse judicans Pharisæorum displicere judicio, & Episcoporum jussionibus deservire, institi ut potui. Et quia vicina est Chaldæorum lingua sermoni Hebraico; utriusque linguæ peritissimum loquacem reperiens, unius diei laborem arripui: & quidquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego accito notario, sermonibus Latinis exposui. Orationibus vestris mercedem hujus operis compensabo, cùm gratum vobis didicero, me, quod jubere estis dignati, complesse.

EJUSDEM PRÆFATIO IN LIBRUM JUDITH.

APud Hebræos liber Judith inter hagiographa legitur: cujus auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minùs idonea judicatur. Chaldæo tamen sermone conscriptus, inter historias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestræ, immò exactioni: & sepositis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic unam lucubratiunculam dedi, magis sensum è sensu, quàm ex verbo verbum transferens. Multorum codicum varietatem vitiosissimam amputavi: sola ea, quæ intelligentia integra in verbis Chaldæis invenire potui, Latinis expressi. Accipite Judith viduam, castitatis exemplum, & triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non solùm feminis, sed & viris imitabilem dedit, qui castitatis ejus remunerator, virtutem ei talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vinceret, & insuperabilem superaret.

EJUSDEM IN LIBRUM ESTHER PRÆFATIO.

LIbrum Esther variis translatoribus constat esse vitiatum: quem ego de archivis Hebræorum revelans, verbum è verbo expressiùs transtuli. Quem librum editio vulgata, laciniosis hinc inde verborum finibus trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant, & audiri: sicut solitum est scholaribus disciplinis, sumpto themate, excogitare quibus verbis uti potuit qui injuriam passus est, vel qui injuriam fecit. Vos autem ô Paula & Eustochium, quoniam & bibliothecas Hebræorum studuistis intrare, & Interpretum certamina comprobastis, tenentes Esther Hebraicum librum, per singula verba nostram translationem aspicite; ut possitis agnoscere, me nihil etiam augmentasse addendo, sed fideli testimonio simpliciter, sicut in Hebræo

Universidad de Deusto Biblioteca

habetur, hiſtoriam Hebraïcam Latinæ linguæ tradidiſſe. Nec affectamus laudes hominum, nec vituperationes expa-
Pſal. 52. veſcimus. Deo enim placere curantes, minas hominum
Galat. 1. penitus non timemus: quoniam Deus diſſipat oſſa eorum qui hominibus placere deſiderant: & ſecundùm Apoſtolum. Qui ejuſmodi ſunt, ſervi Chriſti eſſe non poſſunt. Rurſum, in libro Eſther alphabetum ex minio uſque ad Teth litteram fecimus diverſis in locis, volentes ſcilicet Septuaginta Interpretum ordinem per hoc inſinuare ſtudioſo lectori. Nos enim juxta morem Hebraïcum, ordinem proſequi etiam in Septuaginta editione maluimus.

EJUSDEM IN LIBRUM JOB PRÆFATIO.

Cogor per ſingulos Scripturæ divinæ libros adverſariorum reſpondere maledictis: qui interpretationem meam reprehenſionem Septuaginta Interpretum criminantur: quaſi non & apud Græcos Aquila, Symmachus, & Theodotio, vel verbum è verbo, vel ſenſum è ſenſu, vel ex utroque commixtum, & mediè temperatum genus tranſlationis expreſſerint; & omnia Veteris inſtrumenti volumina Origenes obelis aſteriſciſque diſtinxerit, quos vel additos, vel de Theodotione ſumptos, tranſlationi antiquæ inſeruit, probans defuiſſe quod additum eſt. Diſcant igitur obtrectatores mei recipere in toto, quod in partibus ſuſceperunt, aut interpretationem meam cum aſteriſcis ſuis radere. Neque enim fieri poteſt, ut quos plura intermiſiſſe ſuſceperint, non eoſdem etiam in quibuſdam erraſſe fateantur, præcipuè in Job: cui ſi ea quæ ſub aſteriſcis addita ſunt, ſubtraxeris, pars maxima detruncabitur. & hoc duntaxat apud Græcos. Ceterùm apud Latinos, ante eam tranſlationem, quam ſub aſteriſcis & obelis nuper edidimus, ſeptingenti fermè aut octingenti verſus deſunt; ut decurtatus & laceratus corroſúſque liber, fœditatem ſui publicè legentibus præbeat. Hæc autem tranſlatio nullum de veteribus ſequitur Interpretem: ſed ex ipſo Hebraïco, Arabicoque ſermone, & interdum Syro, nunc verba, nunc ſenſus, nunc ſimul utrumque reſonabit. Obliquus enim etiam apud Hebræos totus liber fertur & lubricus: & quod Græci rhetores vocant, ἐσχηματισμένος, dum qui aliud loquitur, aliud agit: ut ſi velis anguillam vel murenulam ſtrictis tenere manibus, quantò fortiùs preſſeris, tantò citiùs elabitur. Memini me ob intelligentiam hujus voluminis, Lyddæum quemdam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemiſſe nummis: cujus doctrina an aliquid profecerim, neſcio: hoc vnum ſcio, non potuiſſe me interpretari, niſi quod antè intellexeram. A principio itaque voluminis, uſque ad verba Job, apud Hebræos proſa oratio eſt. Porrò à verbis Job, in quibus ait, Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo: uſque ad eum
Job. 42. locum, ubi ante finem voluminis ſcriptum eſt. Idcircò ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere: hexametri verſus ſunt, dactylo ſpondeóque currentes: & propter linguæ idioma, crebrò recipientes & alios pedes, non earumdem ſyllabarum, ſed eorumdem temporum. Interdum quoque rhythmus ipſe dulcis & tinnulus fertur numeris pedum ſolutis: quod metrici magis quàm ſimplex lector intelligunt. A ſupradicto autem verſu uſque ad finem libri, parvum comma quod remanet, proſa oratione contexitur. Quòd ſi cui videtur incredulum, metra ſcilicet eſſe apud Hebræos, & in morem noſtri Flacci, Græcíque Pindari, & Alcæi, & Sapphus, vel Pſalterium, vel Lamentationes Jeremiæ, vel omnia fermè Scripturarum cantica comprehendi, legat Philonem, Joſephum, Origenem, Cæſarienſem Euſebium. & eorum teſtimonio me verum dicere comprobabit. Audiant quapropter canes mei, idcircò me in hoc volumine laboraſſe, non ut interpretationem antiquam reprehenderem, ſed ut ea quæ in illa aut obſcura ſunt, aut omiſſa, aut certè ſcriptorum vitio depravata, manifeſtiora noſtra interpretatione fierent: Ut qui Hebræorum ſermonem ex parte didicimus, & in Latino pænè ab ipſis cunabulis inter Grammaticos & Rhetores & Philoſophos detriti ſumus. Quòd ſi apud Græcos, poſt Septuaginta editionem, jam Chriſti Evangelio coruſcante, Judæus Aquila, & Symmachus ac Theodotio, Judaïzantes hæretici, ſunt recepti, qui multa myſteria Salvatoris ſubdola interpretatione celarunt, & tamen in ἑξαπλοῖς, habentur apud Eccleſias, & explanantur ab Eccleſiaſticis viris: quantò magis ego Chriſtianus, & de parentibus Chriſtianis natus, & vexillum Crucis in mea fronte portans, cujus ſtudium fuit omiſſa repetere, depravata corrigere, & Sacramenta Eccleſiæ puro & fideli aperire ſermone; vel à faſtidioſis, vel à malignis lectoribus non debeo reprobari? Habeant qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentóque deſcriptos, vel uncialibus, ut vulgò aiunt, litteris onera magis exarata, quàm codices: dummodò mihi, meíſque permittant pauperes habere ſchedulas, & non tam pulchros codices, quàm emendatos. Utraque autem editio, & Septuaginta juxta Græcos, & mea juxta Hebræos, in Latinum meo labore tranſlata eſt. Eligat unuſquiſque quod vult: & ſtudioſum me magis, quàm malevolum probet.

ALIA EJUSDEM PRÆFATIO.

Si aut fiſcellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in ſudore vultus mei comederem panem, & ventris opus ſolicita mente pertractarem; nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem quia juxta ſententiam Salvatoris, volo operari cibum qui non perit, & antiquam divinorum voluminum viam ſentibus virgultíſque purgare; error mihi geminus infligitur: corrector vitiorum, falſarius dicor, & errores non auferre, ſed ſerere. Tanta eſt enim vetuſtatis conſuetudo, ut etiam confeſſa pleriſque vitia placeant: dum magis pulchros habere volunt codices, quàm emendatos. Quapropter, ô fratres dilectiſſimi, unicum nobilitatis & humilitatis exemplar, pro flabello, calathis, ſportelliſque, munuſculis monachorum, ſpiritalia hæc & manſura dona ſuſcipite; ac beatum Job, qui adhuc apud Latinos jacebat in ſtercore, & vermibus ſcatebat errorum, integrum immaculatúmque gaudete. Quomodo enim poſt probationem atque victoriam, duplicia ſunt ei univerſa reddita; ita ego in lingua noſtra, ut audacter loquar, feci eum habere quæ amiſerat. Igitur & vos, & unumquemque lectorem ſolita præfatione commoneo, & in principiis librorum eadem ſemper annectens, rogo, ut ubicumque præcedentes virgulas videritis, ſciatis ea quæ ſubjecta ſunt, in Hebraïcis voluminibus non haberi. Porrò ubi ſtellæ imago præfulſerit, ex Hebræo in ſermone noſtro addita ſunt, necnon & illa quæ haberi videbantur, & ita corrupta erant, ut ſenſum legentibus tollerent, orantibus vobis magno labore correxi: magis utile quid ex otio meo Eccleſiis Chriſti venturum ratus, quàm ex aliorum negotio.

EIUSDEM IN PSALTERIUM, quod ſecundùm Septuaginta editionem correxit, Præfatio.

Pſalterium Romæ dudum poſitus emendaram: & juxta Septuaginta Interpretes, licet curſim, magna tamen ex parte correxeram. Quod quia rurſum videtis, ô Paula & Euſtochium, ſcriptorum vitio depravatum, plúſque antiquum errorem, quàm novam emendationem valere: me cogitis, ut veluti quodam novali, ſciſſum jam arvum exerceam, & obliquis ſulcis renaſcentes ſpinas eradicem, æquum eſſe dicentes, ut quod crebrò malè pullulat, crebrius ſuccidatur. Unde conſueta præfatione commoneo tam vos, quibus fortè labor iſte deſudat, quàm eos qui exemplaria iſtiuſmodi habere voluerint, ut quæ diligenter emendavi, cum cura & diligentia tranſcribantur. Notet ſibi unuſquiſque vel jacentem lineam, vel radiantia ſigna; id eſt obelos, vel aſteriſcos. Et ubicumque viderit virgulam præcedentem, ab ea uſque ad duo puncta quæ impreſſimus, ſciat in Septuaginta tranſlatoribus plus haberi. Ubi autem perſpexerit ſtellæ ſimilitudinem, de Hebræis voluminibus additum noverit æquè uſque ad duo puncta, juxta Theodotionis dumtaxat editionem, qui ſimplicitate ſermonis

à ſeptuaginta Interpretibus non diſcordat. Hæc ergo & vobis & ſtudioſo cuique feciſſe me ſciens, non ambigo multos fore, qui vel invidia, vel ſupercilio malint contemnere videri præclara, quàm diſcere, & de turbulento magis rivo, quàm de puriſſimo fonte potare.

EJUSDEM PRÆFATIO IN LIBROS SALOMONIS.

Jungat epiſtola, quos jungit ſacerdotium: immò charta non dividat, quos Chriſti nectit amor. Commentarios in Oſee, Amos, Zachariam, Malachiam, quos poſcitis, ſcripſiſſem, ſi licuiſſet præ valetudine. Mittitis ſolatia ſumptuum: notarios noſtros & librarios ſuſtentatis, ut vobis potiſſimum noſtrum deſudet ingenium. Et ecce ex latere frequens turba diverſa poſcentium: quaſi aut æquum ſit, me, vobis eſurientibus, aliis laborare: aut in ratione dati & accepti, cuiquam, præter vos, obnoxius ſim. Itaque longa ægrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem, & apud vos mutus eſſem, tridui opus nomini veſtro conſecravi, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum, משלי quas Hebræi Parabolas, vulgata autem editio Proverbia vocat: קהלת, quem Græcè Eccleſiaſten, Latinè concionatorem poſſumus dicere: שיר השירים, quod in noſtra lingua vertitur Canticum canticorum. Fertur & panæretos Jeſu filij Sirach liber, & alius pſeudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inſcribitur. Quorum priorem, Hebraïcum reperi; non Eccleſiaſticum, ut apud Latinos, ſed Parabolas prænotatum, cui juncti erant Eccleſiaſtes & Canticum canticorum: ut ſimilitudinem Salomonis non ſolùm librorum numero, ſed etiam materiarum genere coæquaret. Secundus apud Hebræos nuſquam eſt, quin & ipſe ſtylus, Græcam eloquentiam redolet: & nonnulli ſcriptorum veterum hunc eſſe Judæi Philonis affirmant. Sicut ergo Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter canonicas Scripturas non recipit: ſic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam. Si cui ſanè Septuaginta Interpretum magis editio placet, habet eam à nobis olim emendatam. Neque enim nova ſic cudimus, ut vetera deſtruamus. Et tamen cùm diligentiſſimè legerit, ſciat magis noſtra ſcripta intelligi, quæ non in tertium vas transfuſa coacuerint: ſed ſtatim de prælo puriſſimæ commendata teſtæ, ſuum ſaporem ſervaverint.

AD PAULAM ET EUSTOCHIUM IN TRANSLATIONEM ISAIÆ EX HEBRAICA VERITATE, ejuſdem Præfatio.

Nemo cùm Prophetas verſibus viderit eſſe deſcriptos, metro eos exiſtimet apud Hebræos ligari, & aliquid ſimile habere de Pſalmis & operibus Salomonis: ſed quod in Demoſthene, & Tullio ſolet fieri, ut per cola ſcribantur & commata, qui utique proſa, & non verſibus conſcripſerunt. Nos quoque utilitati legentium providentes, interpretationem novam, novo ſcribendi genere diſtinximus. Ac primùm de Iſaia ſciendum, quòd in ſermone ſuo diſertus ſit: quippe ut vir nobilis & urbanæ eloquentiæ, nec habens quidquam in eloquio ruſticitatis admiſtum. Unde accidit, ut præ cæteris, florem ſermonis ejus, tranſlatio non potuerit conſervare. Deinde etiam hoc adjiciendum, quòd non tam Propheta dicendus ſit, quàm Evangeliſta. Ita enim univerſa Chriſti Eccleſiæque myſteria ad liquidum proſecutus eſt, ut non putes eum de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere. Unde conjicio noluiſſe tunc temporis, Septuaginta Interpretes fidei ſuæ ſacramenta perſpicuè Ethnicis prodere; ne ſanctum canibus, & margaritas porcis darent: quæ, cùm hanc editionem legeritis, ab illis animadvertetis abſcondita. Nec ignoro quanti laboris ſit Prophetas intelligere; nec facilè quempiam poſſe judicare de interpretatione, niſi intellexerit antequam legerit: nos quoque patere morſibus plurimorum, qui ſtimulante invidia, quod conſequi non valent, deſpiciunt. Sciens ergo & prudens in flammam mitto manum: & nihilominùs hoc à faſtidioſis lectoribus precor, ut quomodo Græci poſt Septuaginta tranſlatores Aquilam & Symmachum & Theodotionem legunt, vel ob ſtudium doctrinæ ſuæ, vel ut Septuaginta magis ex collatione eorum intelligant: ſic & iſti ſaltem unum poſt priores habere dignentur interpretem. Legant priùs & poſteà deſpiciant: ne videantur, non ex judicio, ſed ex odij præſumptione ignorata damnare. Prophetavit autem Iſaias in Jeruſalem, & in Judæa, necdum decem tribubus in captivitatem ductis: ac de utroque regno, nunc commiſtim, nunc ſeparatim texit oraculum. Et cùm interdum ad præſentem reſpiciat hiſtoriam, & poſt Babyloniæ captivitatem reditum populi ſignificet in Judæam: tamen omnis ejus cura de vocatione Gentium, & adventu Chriſti eſt. Quem quantò plus amatis, ô Paula & Euſtochium, tantò magis ab eo petite, ut pro obtrectatione præſenti qua me indeſinenter æmuli laniant, ipſe mihi mercedem reſtituat in futuro: qui ſcit me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione ſudaſſe, ne Judæi de falſitate Scripturarum Eccleſiis ejus diutiùs inſultarent.

EJVSDEM IN JEREMIAM PRÆFATIO.

Jeremias Propheta, cui hic prologus ſcribitur, ſermone quidem apud Hebræos Iſaia & Oſee & quibuſdam aliis Prophetis videtur eſſe ruſticior, ſed ſenſibus par eſt: quippe qui eodem ſpiritu prophetaverit. Porrò ſimplicitas eloquij, à loco ei in quo natus eſt, accidit. Fuit enim Anathothites, qui eſt uſque hodie viculus, tribus ab Jeroſolymis diſtans millibus, ſacerdos ex ſacerdotibus, & in matris utero ſanctificatus: virginitate ſua Evangelicum virum Chriſti Eccleſiæ dedicans. Hic vaticinari exorſus eſt puer: & captivitatem urbis atque Judææ, non ſolùm ſpiritu, ſed & oculis carnis intuitus eſt. Jam decem tribus Iſraël Aſſyrij in Medos tranſtulerant: jam terras earum, coloniæ Gentium poſſidebant. Unde in Juda tantum, & in Benjamin prophetavit: & civitatis ſuæ ruinas quadruplici planxit alphabeto, quod nos menſuræ metri verſibúſque reddidimus. Prætereà ordinem viſionum, qui apud Græcos & Latinos omnino confuſus eſt ad priſtinam fidem correximus. Librum autem Baruch notarij ejus, qui apud Hebræos nec legitur nec habetur, prætermiſimus: pro his omnibus maledicta ab æmulis præſtolantes, quibus me neceſſe eſt per ſingula opuſcula reſpondere. Et hoc patior: quia vos me cogitis. Ceterùm ad compendium mali, rectius fuerat modum furori eorum ſilentio meo ponere, quàm quotidie novi aliquid ſcriptitantem, invidorum inſaniam provocare.

EJVSDEM IN EZECHIELEM PRÆFATIO.

Ezechiel Propheta cum Joachim rege Juda captivus ductus eſt in Babylonem: ibíque iis qui cum eo captivi fuerant, prophetavit, pœnitentibus quòd ad Jeremiæ vaticinium ſe ultrò adverſariis tradidiſſent, & viderent adhuc urbem Jeroſolymam ſtare, quam ille caſuram eſſe prædixerat. Trigeſimo autem ætatis ſuæ anno, & captivitatis quinto, exorſus eſt ad concaptivos loqui. Et eodem tempore, licet poſterior, hic in Chaldæa, Jeremias in Judæa prophetaverunt. Sermo ejus nec ſatis diſertus, nec admodum ruſticus eſt: ſed ex utroque mediè temperatus. Sacerdos & ipſe fuit, ſicut Jeremias: principia voluminis & finem magnis habens obſcuritatibus involuta. Sed & vulgata ejus editio non multum diſtat ab Hebraïco. Vnde non ſatis miror quid cauſæ extiterit, ut ſi eoſdem in univerſis libris habemus interpretes, in aliis eadem, in aliis diverſa tranſtulerint. Legite igitur & hunc juxta tranſlationem noſtram; quoniam per cola ſcriptus & commata, manifeſtiorem legentibus ſenſum tribuit. Si autem amici mei & hunc ſubſannaverint; dicite eis quòd nemo eos compellat ut ſcribant. Sed vereor ne illud eis eveniat quod Græcè ſignificantiùs dicitur, ut vocentur φαγολοίδοροι, quod eſt, manducantes ſannas.

EJUSDEM IN DANIELEM PRÆFATIO.

DAniclem Prophetam juxta Septuaginta Interpretes, Domini Salvatoris Ecclesiæ non legunt, utentes Theodotionis editione: & hoc cur acciderit, nescio. Sive enim quia sermo Chaldaicus est, & quibusdam proprietatibus à nostro eloquio discrepat, noluerunt Septuaginta Interpretes easdem linguæ lineas in translatione servare: sive sub nomine eorum ab alio nescio quo non satis Chaldæam linguam sciente, editus est liber: sive aliud quid causæ extiterit ignorans: hoc unum affirmare possum, quòd multùm à veritate discordet, & recto judicio repudiatus sit. Sciendum quippe est Danielem maximè & Esdram, Hebraïcis quidem litteris, sed Chaldæo sermone conscriptos: & unam Jeremiæ pericopen: Job quoque cum Arabica lingua plurimam habere societatem. Denique & ego adolescentulus, post Quintiliani & Tullij lectionem ac flores rhetoricos, cùm me in linguæ hujus pistrinum reclusissem: & multo sudore, multóque tempore vix cœpissem anhelantia stridentiáque verba resonare, & quasi per cryptam ambulans, rarum desuper lumen aspicerem, impegi novissimè in Danielem: & tanto tædio affectus sum, ut desperatione subita omnem laborem veterem volucrim contemnere. Verùm adhortante me quodam Hebræo, & illud mihi crebriùs in sua lingua ingerente, Labor improbus omnia vincit: & qui mihi videbar sciolus, inter Hebræos cœpi rursus esse discipulus Chaldaïcus. Et ut verum fatear, usque ad præsentem diem magis possum sermonem Chaldaïcum legere & intelligere, quàm sonare. Hæc idcircò refero, ut difficultatem vobis Danielis ostenderem: qui apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnũ trium puerorum, nec Belis draconisque fabulas: quas nos, quia in toto orbe dispersæ sunt, veru antepositio, easque jugulante, subjecimus: ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse. Audivi ego quemdam de præceptoribus Judæorum, cùm Susannæ derideret historiam, & à Græco nescio quo eam diceret esse confictam; illud opponere quod Origeni quoque Africanus opposuit, etymologias has ἀπὸ τῦ σχίνη σχίσαι, καὶ ἀπὸ τῦ πρίνη πρίσαι, de Græco sermone descendere. Cujus rei nos intelligentiam nostris hanc possumus dare: Vt verbi gratia, dicamus de arbore ilice dixisse eum, illicò pereas: & à lentisco, in lentem te comminuat angelus: vel non lentè pereas: aut lentus, id est flexibilis ducaris ad mortem: sive aliud quid ad arboris nomen convenientis. Deinde tantum fuisse otij tribus pueris cavillabatur, ut in camino æstuantis incendij metro luderent, & per ordinem ad laudem Dei omnia elementa provocarent. aut quod miraculum, divinæque aspirationis judicium, vel draconem interfectum offa picis, vel sacerdotum Belis machinas deprehensas: quæ magis prudentia solertis viri, quàm prophetali essent spiritu perpetrata? Cùm verò ad Habacuc veniret, & de Judæa in Chaldæam raptum discophorum lectitaret, quærebat exemplum, ubi legissemus in toto veteri Testamento, quemquam sanctorum gravi volasse corpore, & in puncto horæ tanta terrarum spatia transisse. Cui cùm quidam è nostris satis ad loquendum promptulus, Ezechielem adduxisset in medium, & diceret eum de Chaldæa in Judæam fuisse translatum: derisit hominem, & ex ipso volumine demonstravit Ezechielem in spiritu se vidisse transpositum. Denique & Apostolum nostrum, vidclicet ut eruditum virum, & qui legem ab Hebræis didicisset, non fuisse ausum affirmare se raptum in corpore, sed dixisse: Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit. His & talibus argumentis apocryphas in libro Ecclesiæ fabulas arguebat. Super qua re lectoris arbitrio judicium derelinquens, illud admoneo, non haberi Danielem apud Hebræos inter Prophetas, sed inter eos qui hagiographa conscripserunt. In tres siquidem partes omnis ab eis Scriptura dividitur: in legem, in Prophetas, & in hagiographa, id est, in quinque, & octo, & in undecim libros: de quo non est hujus temporis disserere. Quæ autem ex hoc Propheta, immò contra hunc librum, Porphyrius objiciat: testes sunt Methodius, Eusebius, & Apollinarius: qui multis versuum millibus ejus vesaniæ respondentes, nescio an curioso lectori satisfecerint. Unde obsecro vos ô Paula & Eustochium, fundatis pro me ad Dominum preces: ut quamdiu in hoc corpusculo sum, scribam aliquid gratum vobis, utile Ecclesiæ, dignum posteris. Præsentium quippe judiciis oblatrantium non satis moveor: qui in utramque partem, aut amore labuntur, aut odio.

2. Cor. 12.

EJUSDEM IN XII. PROPHETAS PRÆFATIO.

NOn est idem ordo duodecim Prophetarum apud Hebræos, qui est apud nos. Vnde secundùm id quod ibi legitur, hîc quoque dispositi sunt. Osee commaticus est, & quasi per sententias loquês. Joël planus in principiis: in fine obscurior. Et usque ad Malachiam, habent singuli proprietates suas: quem Esdram scribam, legísque doctorem, Hebræi autumant. Et quia longum est nunc de omnibus dicere: hoc tantùm vos ô Paula & Eustochium admonitas volo, unum librum esse duodecim Prophetarum: & Osee synchronon Isaiæ: Malachiam verò Aggæi & Zachariæ fuisse temporibus. In quibus autem tempus non præfertur in titulo; sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus & hi qui ante eos habent titulos prophetaverunt.

EJUSDEM IN EVANGELISTAS AD DAMASUM PRÆFATIO.

NOvum opus me facere cogis ex veteri: ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam: & quia inter se variant, quæ sint illa quæ cum Græca consentiant veritate, decernam. Pius labor, sed periculosa præsumptio, judicare de ceteris, ipsum ab omnibus judicandum: senis mutare linguam, & canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus, cùm in manus volumen assumpserit, & à saliva quam semel imbibit, viderit discrepare quod lectitat; non statim erumpat in vocem, me falsarium, me clamitans esse sacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere? Adversus quam invidiam duplex causa me consolatur: quòd & tu qui summus sacerdos es, fieri jubes: & verum non esse quod variat, etiam maledicorum testimonio comprobatur. Si enim Latinis exemplaribus fides est adhibenda: respondeant quibus: tot enim sunt exemplaria pænè quot codices. Sin autem veritas est quærenda de pluribus: cur non ad Græcam originem revertentes, ea quæ vel à vitiosis interpretibus malè reddita, vel à præsumptoribus imperitis emendata perversiùs, vel à librariis dormitantibus aut addita sunt, aut mutata, corrigimus? Neque verò ego de Veteri disputo Testamento, quod à Septuaginta senioribus in Græcam linguam versum, tertio gradu ad nos usque pervenit. Non quæro quid Aquila, quid Symmachus sapiant, quare Theodotion inter novos & veteres medius incedat. Sit illa vera interpretatio quam Apostoli probaverunt. De novo nunc loquor Testamento: quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit. Hoc certè cùm in nostro sermone discordat, & in diversos rivulorum tramites ducit, uno de fonte quærendum est. Prætermitto eos codices quos à Luciano & Hesychio nuncupatos, paucorum hominum asserit perversa contentio: quibus utique nec in toto Veteri instrumento post Septuaginta Interpretes, emendare quid licuit, nec in novo profuit emendasse: cùm multarum gentium linguis Scriptura antè translata, doceat falsa esse quæ addita sunt. Igitur hæc præsens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia, quorum ordo est iste, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes: codicum Græcorum emendata collatione, sed veterum, quæ ne multùm à lectionis Latinæ consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantùm quæ sensum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant. Canones quoque, quos Eusebius Cæsariensis Episcopus Alexandrinus secutus Ammonium, in decé numeros ordinavit, sicut in Græco habentur, expressimus

expressimus. Quòd si quis de curiosis voluerit nosse, quæ in Evangeliis, vel eadem, vel vicina, vel sola sint, eorum distinctione cognoscet. Magnus siquidem in nostris codicibus error inolevit, dum quod in eadem, re alius Evangelista plus dixit, in alio quia minus putaverint, addiderunt. Vel dum eumdem sensum alius aliter expressit, ille qui unum è quatuor primum legerat, ad ejus exemplum ceteros quoque existimaverit emendandos. Unde accidit ut apud nos mixta sint omnia, & in Marco plura Lucæ atque Matthæi. Rursum in Matthæo plura Joannis & Marci, & in cæteris reliquorum quæ aliis propria sunt, inveniantur. Cùm itaque canones legeris qui subjecti sunt, confusionis errore sublato, & similia omnium scies, & singulis sua quæque restitues. In canone primo concordant quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes. In secundo tres, Matthæus, Marcus, Lucas. In tertio tres, Matthæus, Lucas, Joannes. In quarto tres, Matthæus, Marcus, Joannes. In quinto duo, Matthæus, Lucas. In sexto duo, Matthæus, Marcus. In septimo duo, Matthæus, Joannes. In octavo duo, Lucas, Marcus. In nono duo, Lucas, Joannes. In decimo, propria quique quæ non habentur in aliis, ediderunt. Singulis verò Evangeliis: ab uno incipiens usque ad finem librorum, dispar numerus accrescit. Hic nigro colore descriptus, sub se habet alium ex minio discolorem numerum, qui ad decem usque procedens, indicat prior numerus in quo sit canone requirendus. Cùm ergo aperto codice, verbi gratia, illud sive illud capitulum scire volueris cujus canonis sit, statim ex subjecto numero doceberis, & recurrens ad principia, in quibus canonum est distincta congeries, eodémque statim canone ex titulo frontis invento, illum quem quærebas numerum, ejusdem Evangelistæ qui & ipse ex inscriptione signatur, invenies, atque è vicino ceterorum tramitibus inspectis, quos numeros è regione habeant, annotabis, & cùm scieris, recurres ad volumina singulorum, & sine mora repertis numeris quos antè signaveras, reperies & loca in quibus vel eadem vel vicina dixerunt. Sciendum tamen, ne quis ignarum ex similitudine numerorum errot involvat, quòd sicubi in subnotatione canonum distinctorum, in canone quolibet tres Evangelistæ bis, ter vel quater, aut etiam ampliùs eumdem numerum per ordinem habuerint annotatum, & quartus è contrario, discrepantes; quòd id tres illi in eo loco semel dixerint, quartus toties in corpore voluminis sui ponat, quoties diversi numeri in ejus canone positi stant contra prædictorum numerorum continuatas similitudines. Item si in uno quolibet eorum aut etiam duobus idem in canone numerus bis, ter, & quater, aut eo ampliùs reperiatur in ordine collocatus, & dispares inveniantur in ceteris: dubium non erit, quin id quod illius illorúmve canonis numerus bis terque repetitum ab his in volumine semel dictum esse ostendit, alter alterius eorum toties uno atque eodem sensu loquantur, quoties prætulerint in numerorum annotatione distantiam. Et hoc in omnium novem canonum collatione servabitur. Ceterùm in decimo (quoniam propria singulorum tantummodò continentur) non potest contra id comparatio esse quod solum est. Opto ut in Christo valeas, & memineris mei Papa beatissime.

EIVSDEM EX CATALOGO SCRIPTORVM Ecclesiasticorum.

PAulus Apostolus, qui antè Saulus, extra numerum duodecim Apostolorum, de tribu Benjamin & oppido Judææ Giscchalis fuit. quo à Romanis capto, cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigravit, à quibus ob studia legis missus Jerosolyma, à Gamaliel vito doctissimo, cujus Lucas meminit, eruditus est. Cùm autem interfuisset neci martyris Stephani, & acceptis à Pontifice templi epistolis, ad persequendos eos qui Christo crediderant, Damascum pergeret, revelatione compulsus ad fidem, quæ in Actibus Apostolorum scribitur, in vas electionis de persecutore translatus est. Cúmque primùm ad prædicationem ejus Sergius Paulus Proconsul Cypri credidisset, ab eo, quòd eum Christi fidei subegerat, sortitus est nomen Paulus, & juncto sibi Barnaba, multis urbibus peragratis, revertensque Jerosolymam, à Petro, Jacobóque & Joanne, Gentium Apostolus ordinatur. Et quia in Actibus Apostolorum plenissimè de ejus conversatione scriptum est, hoc tantùm dicam, quòd post passionem Domini vigesimoquinto anno, id est secundo Neronis, eo tempore quo Festus procurator Judææ successit Felici, Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens custodia, adversus Judæos de adventu Christi quotidie disputavit. Sciendum autem in prima satisfactione, (necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ) Paulum à Nerone dimissum, ut Evangelium Christi in Occidentis quoque partibus prædicaret, sicut ipse scribit in secunda epistola ad Timotheum (eo tempore quo & passus est, de vinculis dictat Epistolam.) In prima mea satisfactione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non eis imputetur. Dominus autem mihi affuit, & confortavit me, ut per me prædicatio compleretur, & audirent omnes Gentes: & liberatus sum de ore leonis. Manifestissimè leonem propter crudelitatem, Neronem significans. Et in sequentibus, Liberatus sum de ore leonis. Et statim, Liberavit me Dominus ab omni opere malo, & salvavit me in regnum suum cæleste, quòd scilicet præsens sibi sentiret imminere martyrium. Nam & in eadem Epistola præmiserat, Ego enim jam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Hic ergo decimoquarto Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus, sepultúsque est in via Ostiensi, anno post passionem Domini trigesimoseptimo. Scripsit autem novem ad septem Ecclesias Epistolas, ad Romanos unam, ad Corinthios duas, ad Galatas unam, ad Ephesios unam, ad Philippenses unam, ad Colossenses unam, ad Thessalonicenses duas. Præterea ad discipulos suos, Timotheo duas, Tito unam, Philemoni unam. Epistola autem quæ fertur ad Hebræos, non ejus creditur, propter styli sermonisque distantiam: sed vel Barnabæ juxta Tertullianum, vel Lucæ Evangelistæ juxta quosdam: vel Clementis Romanæ posteà Ecclesiæ Episcopi, quem aiunt sententias Pauli proprio ordinasse & ornasse sermone: vel certè quia Paulus scribebat ad Hebræos, & propter invidiam sui apud eos nominis, titulum in principio salutationis amputaverat, scripserat ut Hebræus Hebræis Hebraicè, id est suo eloquio disertissimè, ut ea quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentiùs verterentur in Græcum, & hanc causam esse, quòd à ceteris Pauli epistolis discrepare videatur. Legunt quidam & ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur.

EIVSDEM EX CATOLOGO SCRIPTORVM Ecclesiasticorum.

JAcobus, qui appellatur frater Domini, cognomento Justus, ut nonnulli existimant, Joseph, ex alia uxore; ut autem mihi videtur, Mariæ sororis matris Domini, cujus Joannes in libro suo meminit, filius, post passionem Domini, statim ab Apostolis Jerosolymorum Episcopus ordinatus, unam tantùm scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est: quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem. Egesippus vicinus Apostolicorum temporum, in quinto commentariorum libro de Jacobo narrans, ait, Suscepit Ecclesiam Jerosolymæ, post Apostolos, frater Domini Jacobus, cognomento Justus, multi siquidem Jacobi vocabantur. Hic de utero matris sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, numquam attonsus est, nec unctus unguento, nec usus balneo. huic soli licitum erat ingredi Sancta sanctorũ: siquidem vestibus laneis non utebantur, sed lineis: solúsque ingrediebatur templum: & fixis genibus, pro populo deprecabatur, in tantum ut camelorum duritiem traxisse ejus genua crederentur. Dicit & alia multa, quæ enumerare longum est. Sed & Josephus in vigesimo libro Antiquitatum refert, & Clemens in septimo ὑποτυπώσεων, mortuo Festo, qui Judæam regebat, missum à Nerone esse successorem ejus Albinum: qui cùm necdum ad provinciam perveniisset, Ananus, inquit, Pontifex adolescens,

lescens, Anani filius, de genere Sacerdotali, accepta occasione ἐπιτροπῆς, concilium congregavit, & compellens publicè Jacobum, ut Christum Dei filium denegaret, contradicentem lapidari jussit. qui cùm præcipitatus de pinna templi, confractis cruribus adhuc semivivus tendens ad cælum manus diceret, Domine ignosce eis: quod enim faciunt, nesciunt: fullonis fuste quo uda vestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus interiit. Tradit item Josephus, tantæ eum sanctitatis fuisse, & celebritatis in populo, ut propter ejus necem, creditum sit subversam esse Jerosolymam. Hic est de quo Paulus Apostolus scribit ad Galatas, Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. Et Apostolorum super hoc crebriùs acta testantur. Evangelium quoque quod appellatur secundùm Hebræos, & à me nuper in Græcum Latinúmque sermonem translatum est, quo & Origenes sæpè utitur, post resurrectionem Salvatoris refert: Dominus autem cùm dedisset sindonem servo Sacerdotis, ivit ad Jacobum, & apparuit ei. Juraverat enim Jacobus se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. Rursúsque post paululum, Afferte, ait Dominus, mensam & panem. Statímque additur, Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Jacobo Justo, & dixit ei, Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis à dormientibus. Triginta itaque annos Jerosolymis rexit Ecclesiam, id est usque ad septimum Neronis annum, & juxta templum, ubi & præcipitatus fuerat, sepultus est. Titulum usque ad obsidionem Titi & ultimam Hadriani notissimum habuit. Quidam è nostris in Monte oliveti eum conditum putant: sed falsa eorum opinio est.

EIUSDEM EX CATALOGO scriptorum Ecclesiasticorum.

SImon Petrus filius Jonæ, provinciæ Galilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibíque viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum Neronis, id est decimum quartum. A quo & affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus elevatis, asserens se indignum ut sic crucifigeretur ut Dominus suus. Scripsit duas Epistolas, quæ Catholicæ nominantur: quarum secunda à plerisque ejus esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam. Sed & Evangelium juxta Marcum, qui auditor ejus & interpres fuit, hujus dicitur. Libri autem, è quibus unus Actorum ejus inscribitur, alius Evangelij, tertius prædicationis, quartus Apocalypsis, quintus judicij, inter apocryphas Scripturas reputantur. Sepultus Romæ in Vaticano juxta viam triumphalem, totius urbis veneratione celebratur.

EIUSDEM EX CATALOGO scriptorum Eccl siasticorum.

JUdas frater Jacobi, parvam quidem, quæ de septem Catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque rejicitur: tamen auctoritatem vetustate jam & usu meruit, & inter sanctas Scripturas computatur.



INDEX TESTIMONIORUM A CHRISTO ET APOSTOLIS IN NOVO TESTAMENTO CITATORUM EX VETERI.

Quæ huc in id congesta sunt, ut pij Lectores nativam quorumdam intelligentiam, quæ ab ipso Christo vero interprete, & spiritu ejus per Apostolos sit tradita, assequantur, perspiciántque in quem usum ea Apostoli & Evangelistæ adduxerint.

GENESIS.

1 d Masculum & feminam fecit eos. Matt.19.a.Mar.10.a
2 a Requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Heb. 4.b
2 b Factus est primus homo Adam in animam viventem. 1. Cor. 15. f
2 d Dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori. Matt. 19. a. Marc.10. a. Ephes. 5. g. 1. Cor.6.d
2 d Erunt duo in carne una. Matt. 19. a. Marc. 10.a. Corinth. 6.d. Gal. 3.b
12 a Exi de terra tua & de cognatione tua. Act.7.a
12 a Et in semine tuo benedicentur omnes gentes. Act.3.d.Eph.5.g
15 b Sic erit semen tuum. Rom.4. c
15 b Credidit Abraham Deo; & reputatum est illi ad justitiam. Rom. 4.a.Jac.2.d. Gal.3.a.
15 c Erit semen tuum peregrinum in terra non sua. Act. 7.a
17 a Quia patrem multarum gentium constitui te. Rom. 4. c
18 b Secundùm hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Rom.9.b
21 b Ejice ancillam & filium ejus. Gal 4. d
21 b In Isaac vocabitur tibi semen. Rom.9.b
22 c Nisi benedicens benedicam te, & multipl. Heb.6.c
22 d Quia benedicentur in te omnes gentes. Gal.3.b. Act.3.d
25 c Quia major serviet minori. Rom. 9. c.

EXODUS.

3 b Ego sum Deus Abraham, &c. Matth. 22. c. Marc.12. c.Luc.20.f
9 d In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam. Rom. 9. d
12 g Os non comminuetis ex eo. Joan. 19.f
13 a Omne masculinum adaperiens vulvam. Luc.2.d
16 d Qui multum, non abundavit, &c. 2. Cor.8.c
20 c Non mœchaberis. Matt.5.d
20 c Non adulterabis, Non occides, Non furtum facies, Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium, Non concupiscées. Rom. 13. c
20 c Non concupiscees. Rom.7.b
20 c Non occides. Mat.5.c. Luc.18.d
20 c Honora patrem tuum & matrem tuam. Matt.15. a. Mar.7. b Ephes. 6.a
21 c Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. Matt. 15.a Marc. 7. b
21 c Oculum pro oculo, dentem pro dente. Matt.5.f
22 d Principi populi tui non maledices. Act.23.a
24 c Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Heb.9.e
25 g Vide, omnia facito secundùm exemplar quod tibi ostensum est, &c. Heb.8.b.Act.7.f
32 a Fac nobis deos qui præcedant nos. Act.7.c
33 d Miserebor cui voluero, &c. Rom.9.c
34 d Non sicut Moyses ponebat velamen super faciem. 2.Cor.2.c

LEVIT.

12 g Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. 1.Pet.1.c
18 a Qui fecerit homo, vivet in ea. Rom.10.b.Gal.3.b
19 c Non perjurabis. Matth.5.e
19 d Diliges proximum tuum sicut teipsum. Rom.13.d. Gal.5.c.Jac.2. b. Matt.22.d. Mar.12.c
19 d Diliges proximum tuum. Matt.5.g
20 b Qui maledixerit patri, & matri, &c. Matth.15.a
24 d Oculum pro oculo. Matth.5.f
26 b Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, &c. 2.Cor.6.d

NUMERI.

9 b Os non comminuetis ex eo. Joan. 19. f

DEUTER.

4 d Etenim Deus noster ignis consumens est. Heb.12.g
5 b Non concupisces. Rom.7. c.13. c
5 b Non occides. Matt.5.c. Luc.18.d
5 b Non mœchaberis. Matt.5.d.Luc. 18. d
5 b Non furtum facies. Luc. 18.d. Rom.13.c
5 b Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium. Luc.18. d. Rom.13.c
5 b Honora patrem & matrem. Matt. 15.a.Mar.7.b. Ephes.6.a
6 a Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est. Mar.12.c
6 a Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Matt.22.d. Marc. 12.c. Luc.10.c
6 c 10.d. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Matt. 4. b. Luc.4.b
6 c Non tentabis Dominum Deum tuum. Mar.4.b.Luc.4.b
8 a Non in solo pane vivit homo. Matt.4.a. Luc.4.a
10 d Deus personam hominis non accipit. Gal.2.b
18 c Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus. Act.3.d.7.c
19 d In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Matt. 18. b. Joan.8.e. 2. Cor.13.a
19 d Oculum pro oculo, dentem pro dente. Matt.5.f
21 d Maledictus omnis qui pendet in ligno. Gal.3.b
25 b Non alligabis os bovi trituranti. 1.Cor.9.a.1.Tim.5.c
25 b Si quis mortuus fuerit non habens filium. Matt. 21. c. Mar. 12. b. Luc.20.c
27 d Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, &c. Gal.3.b
30 c Quis ascendet in cælum? Rom. 10. b
30 c Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Rom.10.b
32 c Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, &c. Rom.10. d
32 c Mihi vindictam, ego retribuam. Rom.12.d

JOSUE.

1 a Non te deseram, neque derelinquam. Heb.13.a

REG. II.

7 c Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Heb.1.b

REG. III.

19 b Domine, prophetas tuos occiderunt, &c. Rom.11.a
19 b Reliqui mihi septem millia virorum. Rom.11.a

JOB.

5 c Comprehendam sapientes in astutia eorum. 1.Cor.3.d

LIBER PSALM.

2 a Quare fremuerunt gentes. Act.4.c
2 b Filius meus es tu, ego hodie genui te. Act.13.c.Heb.1.b.5.b

2 c Reges eos in virga ferrea. Apoc. 2. g. 19. c
4 b Irascimini, & nolite peccare. Ephes. 4. f
5 c Sepulchrum patens est guttur eorum. Rom. 3. b
6 c Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Matt. 7. d. 25. d. Luc. 13. f
8 b Ex ore infantium, & lactentium, &c. Matt. 21. b
8 c Quid est homo quòd memor es ejus? Heb. 2. a
8 c Omnia subjecit sub pedibus ejus. 1. Cor. 15. d
9 c Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Rom. 3. c
13 a Non est justus quisquam, non est intelligens. Rom. 3. b
13 b Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Rom. 3. c
15 c Providebam Dominum in conspectu, &c. Act. 2. d
15 d Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Act. 20. e. 13. e
17 a Ego ero fidens in eum. Heb. 2. c
17 g Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine. Rom. 15. b
18 a Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum. Rom. 10. d
21 a Eli, Eli, lamma sabacthani. Matt. 27. e. Marc. 15. c
11 c Diviserunt sibi vestimenta mea. Matt. 27. d. Joan. 19. e
21 c Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. Heb. 2. c
23 a Domini est terra, & plenitudo ejus. 1. Cor. 10. f
24 c Odio habuerunt me gratis. Joan. 15. d
30 a In manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23. f
31 a Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Rom. 4. a
33 c Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos. 1. Pet. 3. b
39 b Hostiam & oblationem noluisti. Heb. 10. b
40 c Qui manducat mecum panem. Joan. 13. b
43 d Propter te mortificamur tota die. Rom. 8. g
44 b Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. Heb. 1. c
50 a Ut justificeris in sermonibus tuis. Rom. 3. a
54 d Jacta super Dominum curam tuam. 1. Pet. 5. b
61 d Unusquisque autem propriam mercedem accipiet. 1. Cor. 3. b
67 d Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem. Ephes. 4. b
68 b Zelus domus tuæ comedit me. Joan. 2. d
68 b Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Rom. 15. a
68 c Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. Rom. 11. b
68 c Fiat commoratio eorum deserta. Actor. 1. d
68 e In siti mea potaverunt me aceto. Joan. 19. f
77 a Aperiam in parabolis os meum. Matt. 13. e
77 c Panem cæli dedit eis. Joan. 6. d
81 b Ego dixi Dij estis. Joan. 10. g
88 d Inveni David servũ meũ. Act. 13. d
90 c Angelis suis mandavit de te. Matt. 4. a. Luc. 4. b
93 b Dominus novit cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt. 1. Cor. 3. d
94 c Hodie si vocem ejus audieritis. Heb. 3. b
94 d Sicut juravi in ira mea. Heb. 4. a
96 b Et adorent eum omnes angeli ejus. Heb. 1. c
101 Tu in principio Domine terram fundasti. Heb. 1. c
103 a Qui facit angelos suos spiritus. Heb. 1. c
108 b Et episcopatum ejus accipiat alter. Act. 1. d
109 a Dixit Dominus Domino meo. Matt. 22. d. Luc. 20. g. Act. 2. f.
109 a Sede à dextris meis. Heb. 1. d
109 a Donec ponam inimicos tuos scabellum, &c. Heb. 1. d. 1. Cor. 15. d
109 b Tu es sacerdos in æternum. Heb. 5. b. 7. c
109 b Juravit Dominus, & non pœnitebit eum. Heb. 7. c
111 b Dispersit dedit pauperibus. 2. Cor. 9. c
115 a Credidi, propter quod locutus sum. 2 Cor. 4. c
115 a Omnis homo mendax. Rom. 3. a
116 a Laudate Dominum omnes gentes. Rom. 15. c
117 a Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo. Heb. 13. b
117 d Lapidem quem reprobaverunt ædificantes. Matt. 21. d. Marci 12. a. Actor. 4. b. 1. Pet. 2. b
131 c De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Act. 2. c
139 a Venenum aspidum sub labiis eorum. Rom. 3. b

PROVERB.

3 a Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Rom. 12. d
3 b Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, &c. Heb. 12. b
3 b Quem diligit Dominus corripit, &c. Heb. 12. b. Apoc. 3. d
10 b Charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. 4. b
17 c Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat. 1. Thess. 5. d. 1. Pet. 3. b
20 c Qui maledixerit patri vel matri. Matt. 15. a. Marc. 7. b.
25 c Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Rom. 12. d
26 b Canis reversus ad vomitum 2. Pet. 2. d

ISAIAS.

1 c Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen. Rom. 9. f
5 d Homo plantavit vineam. Matth. 21. b. Luc. 20. b. Mar. 11. a
6 a Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth. Apo. 4. c
6 c Auditu audietis, & non intelligetis. Matt. 13. b. Marc. 4. b. Luc. 8. b. Act. 28. f. Joan. 12. f. Rom. 11. b
7 c Ecce Virgo in utero habebit. Matt. 1. d
8 d Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus. Heb. 2. d
9 a Terra Zabulon & terra Nepthali. Matt. 4. c
10 e Si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris. Rom. 9. f
11 a Revelabitur ille iniquus quem Dominus interficiet spiritu oris sui. 2. Thess. 2. c
11 c Erit radix Jesse. Rom. 15. c. Act. 13. d
21 c Cecidit cecidit Babylon illa magna. Apoc. 14. b
22 d Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. 1. Cor. 15. e
22 f Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clavem David. Apoc. 3. b
25 c Absterget Dominus omnem lacrymam ab oculis, &c. Apoc. 7. d. 21. b
28 c Quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic. 1. Cor. 14. d
28 d Ecce pono in Sion lapidem offensionis. Rom. 9. g. 1. Petri 2. b. Actor. 4. b
29 d Populus hic labiis me honorat. Matt. 15. a. Marc. 7. b
29 e Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam, &c. 1. Cor. 1. c
33 c Ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor hujus sæculi? 1. Cor. 1. c
40 a Vox clamantis in deserto. Matt. 3. a. Marc. 1. a. Luc. 3. a. Joan. 1. c
40 b Omnis caro fœnum. 1. Pet. 1. d. Jac. 1. d
40 d Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis instruxit eum. 1. Cor. 2. d
40 d Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Rom. 11. d
41 b 44. a. Ego sum primus & novissimus. Apoc. 1. d. 22. c
42 a Ecce puer meus quem elegi. Matt. 12. b
43 d Ecce nova facio omnia. Apoc. 21. b. 2. Cor. 5. d
45 b Numquid dicit figmentum ei qui se, &c. Rom. 9. d
45 d Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu. Rom. 14. b
49 b Posui te in lucem Gentiũ. Act. 13. g
49 c Tempore accepto exaudivi te, &c. 2. Cor. 6. a
49 e Non esurient neque sitient ampliùs. Apoc. 7. d
50 b Tunc expuerunt in faciem ejus. Matt. 26. g
52 b Quam speciosi pedes evangelizantium pacem. Rom. 10. c
52 d Propter quod exite de medio eorum, & separamini, &c. 2. Cor. 6. d
52 d Nomen Dei per vos blasphematur. Rom. 2. d
52 d Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt. Rom. 15. e
53 a Domine, quis credidit auditui nostro. Rom. 10. c. Joan. 12. f
53 b Ipse infirmitates nostras accepit. Matt. 8. c
53 c Tanquam ovis ad occisionẽ. Act. 8. f
53 d Et cum iniquis reputatus est. Mar. 15. c. Luc. 22, d

53 e Qui

53 e Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus. 1. Pet. 2. d. 1. Joan. 3. a
53 e Qui peccata nostra pertulit in corpore. 1. Pet. 2. d
54 a Lætare sterilis quæ non paris. Gal. 4. d
54 c Et erunt omnes docibiles Dei. Joan. 6. e
55 a Et qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Apoc. 22. d
55 b Dabo vobis sancta David fidelia. Act. 13. e
56 c Domus mea domus orationis vocabitur. Matth. 21. b. Marc. 11. c. Luc. 19. g
59 b Contritio & infelicitas in viis eorum. Rom. 3. b
59 c Galeam salutis assumite. Eph. 6. c. 1. Thess. 5. b
59 d Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Jacob. Rom. 11. c
60 c Et portæ eius non claudentur per diem. Apoc. 21. g
60 d Et civitas non eget sole neque luna. Apoc. 21. g
60 d Nox ultrà non erit. Apoc. 22. a
61 a Spiritus Domini super me. Luc. 4. c
62 d Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit. Matth. 21. a
64 b Quod oculus non vidit, nec auris audivit, &c. 1. Cor. 2. b
65 a Inventus sum non à quærentibus me. Rom. 10. d
65 a Tota die expandi manus meas ad populum non credentem. Rom. 10. d
65 c Novos verò cælos, & novam terram. 2. Pet. 3. c. Apoc. 21. a
66 a Cælum mihi sedes est. Act. 7. f
66 g Ubi vermis eorum non moritur. Mar. 9. g

JEREM.

5 b Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Matt. 21. b. Mar. 11. c. Luc. 19. g
9 g Qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. Cor. 1. d. 2. Cor. 10. d
10 a Quis non timebit te Domine. Apoc. 15. b
17 d Ego sum scrutans renes & corda. Apoc. 2. f
31 c Vox in Rama audita est. Matth. 2. d
31 a Ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios. 2. Cor. 6. d
31 a Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Juda testamentum novum. Heb. 8. c
31 f Hoc autem testamentum quod testabor ad illos, &c. Dabo leges meas in cordibus eorum. Hebr. 10. c
51 a Cecidit cecidit Babylon magna. Apoc. 18. a

EZECH.

3 Accipe librum, & devora illum. Apoc. 10. d
20 b Qui fecerit homo, vivet in ea. Rom. 10. b
32 b Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum. Matt. 24. c
36 c Nomen Dei per vos blasphematur inter Gentes. Rom. 2. d

DANIEL.

9 g Cùm videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele propheta. Matt. 24. b. Mar. 13. b. Luc. 21. d

OSEE.

1 d Et erit in loco ubi dictum est eis. Non plebs mea vos, &c. Rom. 9. c
2 d Vocabo non plebem meam, plebem meam. Rom. 9. e. 1. Pet. 2. b
6 c Misericordiam volo, & non sacrificium. Matth. 9. b. 12. a
10 b Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos. Luc. 23. d
11 a Ex Ægypto vocavi filium meum. Matt. 2. c
13 d Absorpta est mors in victoria. 1. Cor. 15. g

JOEL.

2 g Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo. Actor. 2. c
2 g Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Rom. 10. c

AMOS.

5 g Numquid victimas & hostias obtulistis mihi. Act. 7. e
6 a Væ vobis divitibus. Luc. 6. d
9 c Post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David. Act. 15. c

JONAS.

2 a Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus. Matth. 12. c. Luc. 11. d
3 b Pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Matth. 12. c. Luc. 11. d

MICHÆ.

5 a Et tu Bethlehẽ terra Juda. Mat. 2. a
7 b Veni separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem. Matth. 10. d. Luc. 12. g

AGGÆ.

2 b Adhuc semel, & ego movebo non solùm terrã, sed & cælũ. Heb. 12. g

HABAC.

1 b Videte contemptores, & admiramini, & disperdimini, quia opus operor ego in diebus vestris. Act. 13. f
2 a Justus autem ex fide vivit. Rom. 1. Gal. 3. b

NAHUM.

1 d Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem: Rom. 10. c

ZACHAR.

8 c Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. Eph. 4. f
9 b Ecce rex tuus venit. Matt. 21. a Joan. 12. b
11 c Et acceperunt triginta argenteos. Matt. 27. a
12 c Videbunt in quem compunxerunt. Joan. 19. g
13 c Percutiam pastorem. Matth. 26. c. Marc. 14. b

MALACH.

1 a Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Rom. 9. c
3 a Ecce ego mitto angelum meum. Matth. 11. b. Marc. 1. a. Luc. 7. d. Joan. 1. c
4 b Ipse est Elias qui venturus erat. Matth. 11. b
4 b Quid est quod scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primum venire? Matt. 17. b. Marc. 19. b
4 b Ut convertat corda patrum in filios. Luc. 1. b

HEBRAICORUM, CHALDÆORUM, GRÆCORUMQUE NOMINUM INTERPRETATIO.

AARON, Mons sive Montanus.
Abba, Pater, Syrum est verbum.
Abbarim Transitus, plu. nu. sive Transeuntes.
Abdemelech, Servus regis.
Abdenago, Servus claritatis.
Abdias, Servus Domini.
Abdon, Servus.
Abel, per aleph, Luctus, Civitas.
Abel, per he in principio, Vanitas, filius Adam.
Abessalom, Pater pacis.
Abia, pater Domini.
Abiathar, Pater excellens.
Abigail, Pater exultationis.
Abimelech, Pater rex.
Abinadab, Pater spontaneus.
Abisag, Patris ignorantia.
Abner, Patris lucerna.
Abra, Ancilla, Græcum verbum.
Abram, Pater excelsus.
Abraham, Pater multitudinis.
Absalon, Pater pacis.
Acan, Tribulatio.
Accaron, sterilitas.
Achab, Frater patris.
Achaia, Dolor, vel Tristitia.
Achaz, Apprehendens, sive Possidens.
Achimelech, Frater meus rex.
Achitob, Frater bonitatis.
Adam, Homo, sive Terrenus, aut Rufus.
Adon, Dominus, aut Basis.
Adonai, Domini mei, numero multitudinis. unum est ex nominibus Dei, quod interpres aliquando posuit pro nomine Dei tetragrammaton.
Adonias, Dominator, Dominus.
Ægyptus, Angustiæ, sive Tribulationes, Hebraice Misraim.
Æneas, Laudatus.
Æthiopia Græcè, ardorem significat. Hebraicè Cus dicitur, id est Nigredo vel Nigra:
Agabus, Locusta.
Agag, Tectum.
Agar, Peregrina.
Aggæus, Festivus.
Ahod, Laudans.
Alexander, Auxiliator virilis.
Alexandria, Hebraicè dicitur No: quod interpretatur Crudum, sive Irritatio.
Alleluia, Laudate Dominum.
Amalec, Populus lambens.
Amam, Mater, Timor eorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aman, Conturbans.
Amana, Fides, ſive Veritas.
Amaſai, per aleph, Fortis vel Robuſtus.
Amaſai, per ain, Populi munus.
Amelech, Rex.
Amen, Fiat, Efficiatur, aut firmum ſit.
Aminadab, Populus ſpontaneus.
Ammon, Populus ejus.
Amnon, Fidelis aut Verax.
Amorrhæi, Amari, Rebelles.
Amos, per aleph, Fortis, pater Iſaiæ.
Amos, per ain, Oneratus, unus ex duodecim Prophetis.
Amri, per aleph, Amarus, vel Loquens.
Amri, per ain, Manipulus, vel Dominium, Princeps militiæ Iſraëliticæ.
Anania, Nubes Domini.
Anathoth, Reſponſiones, ſive Cantica.
Andreas, Fortiſſimus.
Anna, Gratioſa, ſive Miſericors.
Antiochia, pro vehiculo.
Aphrica Hebraïcè Pul dicitur, id eſt, Caſus vel Ruina, Iſaiæ 66. 34.
Aphrica, Nahum 3.9. Put. Cralla, ſive Pinguis.
Apoſtolus, Miſſus, Legatus.
Arabes, Veſpertini, 2. Par. 16. 2.
Arabes, Pſalm. 71. 15. Hebraïcè Saba, id eſt, Converſio.
Aram, Celſitudo, Sublimitas.
Ararat, Maledictio tremoris.
Arbee, Quatuor.
Architriclinus, Princeps triclinij.
Areopagita, De colle Martis.
Areopagus, Collis Martis.
Arcuna, Arca, vel Canticum.
Argob, Gleba, vel Glarea.
Armenia, Hebraïcè dicitur Ararat, Maledictio tremoris.
Arnon, Exultans.
Arphaxad, Sanans.
Artaxerxes, Lumen, ſive Maledictio.
Aſaph, Congregans.
Aſer per ſamech, Vinctus, filius Caath.
Aſer, per ſin, Beatitudo, ſive Felicitas, filius Jacob.
Aſſuerus, Princeps & Caput.
Aſſur, Inſidians, ſive Beatus.
Aſtaroth, Greges ſive Divitiæ.
Athalia, Tempus Domino.
Athene, Sine cumulo.
Attalia, Augens, vel Nutriens.
Ava, Iniquitas.
Axa, Adornata.
Azarias, Auxilium Domini.
Azor, adjutor.
Azotus, Hebraïcè Aſdod, Deprædatio.

B.

Baal, Idolum, aut Dominans.
Baal, Oſee 10. 24. Arbel legendum, id eſt, Pugnavit Deus.
Baalim, Idola, Dominantes.
Babel, Confuſio, Commiſtio.
Bala, Inveterata, Turbata, ancilla Rachel, per he in fine.
Bala, Deglutiens, Deſtruens, urbs, per ain in fine.
Balaam, Vetuſtas populi.
Balac, Deſtruens.
Banaias, Filius Domini.
Barac, Fulgur.
Barachias, Benedicens Dominum.
Bar-iona, Filius columbæ.
Barnabas, Filius conſolationis.
Barſabas, Filius Converſionis.
Barthimæus, Filius cæcus.
Bartholomæus, Filius ſuſpendétis aquas.
Baruch, Benedictus.
Bathuel, Filiatio Dei.
Batus, menſura liquidorum.
Beel-phegor, Idolum hiatus.
Beel-zebub, idolum muſcæ.
Beera, Puteus.
Behemot, Jumenta, Quadrupedia.
Bel, Vetuſtus.
Bela, Deglutiens, Deſtruens.
Belial, Perverſus, Abſque jugo.
Ben-ennom, Filius divitiarum ſuarum.
Benjamin, Filius dexteræ.
Ben-oni, Filius doloris mei.
Bera, Puteus.
Bereſith, In principio. Sic vocatur primus liber Legis.
Berſabee, Puteus juramenti.
Beth-abara, Domus tranſitus.
Beth-ania, Domus obedientiæ vel afflictionis.
Beth-aven, Domus vanitatis.
Beth-dagon, Domus frumenti.
Beth-el, Domus Dei.
Bether, Diviſio.
Beth-lehem, Domus panis.
Beth-phage, Domus oris vallium.
Beth-phogor, Domus hiatus.
Beth-ſabee, Domus juramenti, civitas.
Beth-ſaida, Domus frugum.
Bethſames, Domus ſolis.
Bethul, Virgo.
Bezec, Fulgur.
Boanerges, vel juxta S. Hieronymum, Banereem, Filij tonitrui.
Booz, In fortitudine.
Borith, herba in qua eſt acrimonia ſaporis.
Boſor, Munitio.
Boſra, idem.

C.

Caath, Congregatio, Obtuſio.
Cades, Sanctitas.
Cain, Poſſeſſio, Poſſeſſus.
Caleb, Quaſi cor.
Cana, Zelus, Æmulatio.
Cananæus, id eſt, ex Cana vico Galilææ.
Capharnaum, Ager pœnitentiæ.
Cappadoces, Hebraïcè Caphthorim, id eſt Sphærulæ.
Cariath-iarim. Civitas ſilvarum.
Cariath-ſepher, Civitas litterarum.
Carmel, Cognitio circumciſionis, vel Agnus circumciſus.
Carthaginenſes, Hebraïcè Tharſis, id eſt, Contemplatio gaudij.
Cedar, Nigredo, Triſtitia.
Cedes, Sanctitas.
Cedron, Denigratus, Triſtis.
Cephas, Petrus, à petra, Syrum.
Cetura, Aromatizans.
Chæreas, Lætus.
Chaldæa, Hebraïcè Chaſdim, id eſt, Quaſi dæmones.
Cham, Calidus, Calor.
Chanaan, Mercator, Negotiator.
Charmel, idem quod Carmel.
Cherub, Quaſi magiſter.
Chodchod, Jaſpis.
Chorræi, Furores.
Chriſtus, Unctus.
Chus, Æthiops.
Cin, Poſſeſſio, Emptio.
Cinoth, Lamentationes.
Cis, Durus, Stipula.
Cleophas, Gloria omnis.
Cœleſyria, Curva Syria.
Coloſſenſes, Supplicio affecti.
Corban, Corbana, Donum, Oblatio.
Core, Calvus, Calvitiũ, per heth in fine.
Core, per aleph in fine, Vocans, Legens, 1. Par. 9. 19.
Corozaim, Hic eſt myſterium.
Cosbi, Mendax.
Cyprus, Pulchra.
Cyrus, Quaſi miſer.

D.

Dagon, Frumentum.
Dalila, Pauperras.
Damaſcus, Sanguinis ſuccus.
Damaſcus, 1. Reg. 16. b. Similitudo incendij, Hebr. Dumeſec.
Dan, Judicans, ſive Judicium.
Daniel, Judicium Dei.
Darius, Requirens.
Damaſcus, Generationis procuratio.
Dathan, Ritus, Lex.
David, Dilectus.
Debora, Apes, Verbum.
Decapolis, Decem civitatũ, (ſub. regio.)
Diabolus, Criminator, Calumniator.
Diabolus, Habacuc 3.4. Hebr. Reſeph, id eſt, Volucris, Flamma.
Dibre haiamim, Verba dierum.
Didymus, Gemellus.
Dina, Judicium, vel Judicans.
Dionyſius, Divinitus ſtillatus.
Dithalaſſum, Duo maria.
Doëg, Solicitus, Anxius.
Dor, Generatio.
Dura, Generatio, vel Habitatio.

E.

Ebal, Acervus vetuſtatis.
Eccleſiaſtes, Concionator.
Eden, Voluptas, Deliciæ.
Edom, Rufus.
Eglon, Vitulus.
Elcana, Deus zelotes.
Eleazar, Dei adjutorium.
Elehanan, Dei gratia ſive miſericordia.
Eliacim, Dei reſurrectio.
Elias, Deus Dominus.
Eliezer, Dei adjutorium.
Elimelech, Deus meus rex.
Eliſabeth, Deus juramenti.
Eliſæus, Dei ſalus, Deus ſalvans.
Elle haddebarim, hæc ſunt verba, ſic incipit quintus liber Legis.
Elnathan, Deus dedit.
Emmanuel, Nobiſcum Deus.
Emmaus, Timens conſilium.
Enac, Gigas, Torques.
Encænia, Renovatio, Dedicatio.
Ennom, Ecce illi.
Enos, Homo, vel Vir.
Ephraim, Frugifer, Creſcens.
Ephraim, Hebraïcè Ephra, id eſt, Pulverulenta, ſive plumbea. 2. Reg. 13. 7.
Ephrata, Ubertas, ſive Frugifera.
Ephron, Pulvis.
Eſau, Faciens, Operans.
Eſdras, Adjutor, Atrium.
Eſther, Occulta, Abſcondita.
Etam, Avis eorum.
Etham, fortitudo eorum.
Eubulus, Prudens.
Ezechias, Fortitudo Domini.
Ezechiel, Fortitudo Dei.
Ezriel, Auxilium Dei.

Gabaa,

G.

Gabaa, Collis.
Gabriel, Vir Deus, aut Dei.
Gad, Felix, Accinctus.
Gadgad, Felicitas felicitatis, Accinctus exercitus.
Galaad, Abjectio.
Galaad, Acervus teſtimonij.
Galatæ, Lactantes.
Galgal, Rota, Revolutio.
Galilæa, Volubilis.
Gazer, Præſciſſio.
Gazophylacium, ubi theſauri templi ſervabantur.
Gebal, Terminus.
Gedeon, Conterens.
Gehenna, Vallis triſtitiæ.
Gehennom, Vallis contriſtans.
Gelboë, Revolutio inveſtigationis.
Gerſom, Advena ibi.
Gerſon, Exilium ejus.
Gibli, Termini.
Gihon, Pectus, Exitus.
Gog, Tectum.
Golgotha, Calvaria, ubi capita mortuorum reponuntur.
Goliath, Tranſmigratio.
Gomor, genus menſuræ.
Gomorrha, Populus rebellis.
Græci, Hebraïcè Jevanim, id eſt Deceptores.

H.

Habacuc, Luctator.
Hananias, Gratia Domini.
Haram, Deſtructus.
Havoth-iair, Oppida illuminationis.
Hebal, Acervus vetuſtatis.
Heber, Socius, Particeps, per heth in principio.
Heber, per ain, Tranſitus.
Hebræus, Tranſiens.
Hebron, Societas.
Heli, Oblatio.
Heliopolis, Hebraïcè dicitur On, id eſt. Dolor.
Henoch, Dedicatus.
Hermon, Deſtructio.
Heſron, Sagitta exultationis.
Heva, Viva, Vivens.
Hierapolis, Sacra civitas.
Hieronymus, Sacrum nomen.
Holofernes, Fortis dux.
Hor, Mons.
Horeb, Deſertum.
Horma, Deſtructio.
Hur, Libertas.
Hus, Conſilium.
Hymenæus, Carmen nuptiale.

I.

Jabel, Defluens.
Jabes, Siccitas, per ſin in fine.
Jabes, Triſtitia, per ſade in fine.
Jacob, Supplantator.
Jahel, Aſcendens, Damula.
Jahiel, Vivit Deus.
Jairitis, Illuminatus.
Jamin, Dextera, vel Dexter.
Japheth, Dilatatus.
Jaſon, Sanans.
Javan, Decipiens.
Ichabod, Ubi gloria, Væ gloriæ.
Idumæa, Rufa, Terrena.
Jebus, Conculcatio.
Jechonias, Præparatio Domini.
Jehu, Ipſe, Exiſtens.
Jehus, Tinea corroſus, per ſin.
Jehus, 1. Par. 8. 10. Conſilians, per ſade.
Jemini, Dextera, vel Dexter.
Jephthe, Aperiens.
Jerameel, Miſericordia Domini.
Jeremias, Celſitudo Domini.
Jericho, Luna, Menſis.
Jerobaal, Impugnans idolum.
Jerobaal, Impugnans populum.
Jeroſolyma, Viſio pacis, Viſio perfecta.
Jeruſalem, idem.
Jeſſe, Ens, Exiſtens.
Jesboc, Eſt vacuus.
Jeſus, Hebraïcè Jehoſua, Dominus ſalvator.
Jethro, Excellens.
Jexonias, Auſcultatio Domini.
Jezrahel, Semen Dei.
Indus, id eſt, de India, Hebraïcè dicitur Hodu, id eſt, Laudatio.
India, Job. 28. 16. Hebraïcè Ophir, id eſt Cinis.
Joab, Paternitas, Habens patrem.
Joachaz, Domini apprehenſio.
Joachaz, 2. Par. 34. 8. Appendens.
Joachim, Domini præparatio.
Joacim, Domini reſurrectio.
Joas, Diffidens, Deſperans.
Joas, Domini ignis, 4. Regum 11. 21. Hebr. Jehoas.
Joas, 1. Par. 7. 8. & 27. 28. Tinea corroſus per ain.
Job, Dolens, Gemens.
Joel, Volens, Incipiens.
Johanan, Gratioſus, Pius, Miſericors.
Johannes, idem.
Jonas, Columba.
Jonadab, Spontaneus.
Jonathan, Domini donum, filius Saul.
Joram, Excelſus.
Jordanis, Fluvius judicij.
Joſaphat, Dominus Judex.
Joſeph, Augmentum.
Joſeph, Pſalm. 80. 2. Domini augmentum, Hebr. Jehoſeph.
Joſias, Ignis Domini.
Joſue, Dominus ſalvator.
Iſaac, Riſus.
Iſai, Munus aut Ens.
Iſai, 1. Par. 2. 13. Vir meus.
Iſaias, Domini ſalus.
Isboſeth, Vir confuſionis.
Iſcariotes, Vir occiſionis.
Iſmahel, Exauditio Dei.
Iſraël, Prævalens Deo.
Iſſachar, eſt Merces, Præmium.
Ithamar, Inſula palmæ.
Jubilæus, Buccina.
Judas, Laudatio.
Julius, Lanuginoſus.

L.

Laban, Albus, Candidus.
Lamech, Pauper, Humiliatus.
Lapidoth, Fulgura.
Lazarus, Dei adjutorium.
Lechi, Maxilla.
Leci, Lex.
Levi, Copulatus.
Leviathan, Copulatio, Societas ſua.
Lia, Laborioſa, Fatigata.
Libanus, Candidus.
Libya, Hebraïcè Lubim, Cor maris.
Lithoſtrotos, Lapidibus ſtratus.
Lot, Involutus, Colligatus.

M.

Maacha, Attrita.
Maaſias, Opus Domini.
Maceda, Incendium.
Madian, Judicium, Litigans.
Magdalena, Magnifica.
Magi, Sapientes, vel Philoſophi.
Malachias, Nuntius meus.
Malaleel, Laudans Deum.
Malchus, Rex.
Mammona, Pecunia, Divitiæ.
Mamzer, De ſcorto natus.
Manahem, Conſolator.
Manaſſes, Oblitus, Oblivio.
Manue, Requies.
Mara, Amara.
Mardochai, Amara contritio.
Maria, Exaltata, Amaritudinis mare.
Martha, Provocans.
Maſſa, Onus.
Maſpha, Specula.
Mathuſael, Mortem ſuam poſtulans.
Matthæus, Donatus.
Melchias, Rex Dominus.
Melchi-ſedec, Rex juſtitiæ.
Melchi-ſua, Rex ſalvator.
Meſollam, Pacificus.
Meſopotamia, Regio ſic dicta, quòd duobus fluviis Euphrate & Tigre ambiatur.
Micha, Pauper.
Michael, Quis ſicut Deus?
Michæas, idem.
Michol, Quis omnia?
Miphiboſeth, De ore ignominia.
Miſael, Quis poſtulatus?
Miſle, Proverbia, Nomen libri.
Miſphat, Judicium.
Mna, Libra, Talentum.
Moab, De Patre.
Moria, Amaritudo.
Moſa, Azymum, per ſade.
Moſa, 1. Par. 8. 9. Onus.
Moyſes, Attractus (ſub. de aquis.
Myſia, Sceleſta.

N.

Naaman, Pulcher.
Nabal, Stultus.
Nabo, Loquela, Prophetia.
Naboth, idem.
Nabuchodonoſor, Planctus judicij.
Nachor, Raucus, Aridus.
Nadab, Spontaneus.
Nahaſſon, Coluber, Serpens.
Nahum, Conſolator.
Naim, Pulcher.
Nathan, Donatus.
Nathanael, Donum Dei.
Nazaræi, Separati, Sanctificati.
Nazareth, Sanctificata, Separata. Si autem per ſade ſcribatur, Cuſtodita vel Florida interpretatur.
Neapolis, Nova civitas.
Nehemias, Conſolatio.
Nehuſtans, Æneum.
Nemrod, Rebellis.
Nephthali, Æquiparatio.
Ninive, Pulchra.
Noë, Ceſſatio, Requies.
Noëma, Decora.

O.

Obadias, Servus Domini.
Obed, Servus.
Obed-edom, Servus hominis.
Ochosias, Apprehensio.
Odollam, Testimonium illis.
Og, Subcinericius panis.
Olla, Elevatio, Holocaustum.
Onam, Dolor.
Onana, Dolor, Iniquitas.
Onesimus, Utilis.
Oolla, Tabernaculum.
Ophni, Pugnus, Pugillus.
Oreb, Corvus.
Osee, Salvator.
Oza, Fortitudo.
Ozias, Fortitudo Domini.
Oziel, Fortitudo Dei.

P.

Palæstina, Conspersa (sub. cinere.)
Paracletus, Consolator, Advocatus.
Parasceve, Præparatio.
Pascha, Transitus.
Pentateuchus, Quinque volumina.
Pentecoste, Quinquagesima (sub. dies)
Petrus, Saxum, Petra.
Phacee, Aperiens.
Phanuel, Videns Deum.
Pharao, Dissipans.
Phares, Divisio, filius Judæ.
Phares per sin 1. Paral. 7. 16. Eques.
Pharisæi, Divisi.
Phase, Transitus.
Phasga, Collis.
Philisthæa, Conspersa cinere.
Phinees, Facies confidentiæ.
Phogor, Hiatus.
Phul, Aphrica.
Pigmæi, Hebraïcè dicuntur Gamadim.
Probatica, Ovina, locus ubi pecora sacrificanda tenebantur.
Proselytus, Advena, Peregrinus.

R.

Raab, Psal. 86. 4. Superba, Fortis.
Rabba, Multa, Grandis.
Rachel, Ovis.
Raguel, Pastor Dei.
Rahab, Lata, Dilatata.
Ram, Excelsus.
Rameses, Tonitruum, Tineæ.
Raphael, Medicina Dei.
Raphaim, Gigantes, Medici.
Rebecca, Saginata.
Rebla, Reblatha, Rixa.
Rechab, Quadriga.
Remmon, Malum granatum.
Respha, Extensio.
Roboam, Dilatans populum.
Roma, Excelsa, Sublimis.
Ruben, Videns filium.
Ruma, Excelsa.
Ruth, Saturata.

S.

Saaph, Cogitans.
Saba, per sin, Conversio, Captivitas.
Saba per samech, Circuitio.
Sabaoth, Exercitus, in plurali.
Sabata, Circuitus.
Sabbathismus, Requies, Cessatio.
Sabbatum, idem.
Sadducæi, Justi.
Sadoc, Justus.
Sale, Missio.
Salem, vel Sallem, Pax.
Salmanasar, Pax ligata.
Salmon, Pacificus.
Salomith, idem, f. g.
Salomon, Pacificus.
Salphaad, Umbra formidinis.
Samaria, Custodia, Adamas.
Samson, Sol ejus, Nominis iteratio.
Samuel, Positus à Deo.
Saphan, Hericius, Cuniculus.
Saphat, Judicans.
Sara, per he in fine, Domina, uxor Abrahæ.
Sara, per heth in fine, Odorans, Domina odoris.
Sarai, Domina mea.
Sareptha, Angustia, Bucellæ.
Saron, sive Sorona, Planities.
Sathan, Adversarius.
Saul, Postulatus, Commodatus.
Saul, 1. Reg. 9. 2. Hebraïcè Sual, Vulpes.
Scenopegia, Festum tabernaculorum.
Schibboleth, Spica.
Sedecias, Justus Domini.
Segor, Parva.
Sehon, Eradicatio.
Sela dissolvens, filius Judæ.
Sellum, Pacificus.
Sellum, Manens.
Sem, Nomen, Fama, Positus.
Semei, Obediens.
Semei, 1. Par. 2. 28. Nomen meum.
Sennacherib, Rubus destructionis.
Seon, Sonitus.
Sepharuaim, Libri, vel Scribæ.
Sephora, Pulchra, aut Tuba, Exod. 1. 15. per sin.
Sephora, Exod. 2. 21. Avis, Passer, uxor Moysis.
Seth, Positus.
Setim, Expansiones.
Siba, Exercitus, Militia.
Sibboleth, Onus.
Sicera, Ebrietas.
Sichem, Humerus.
Sihor, Niger, Turbidus, Nilus.
Siloë, Missus, Mittens.
Simeon, Audiens, Exauditio.
Simon, Obediens.
Sin, Rubus, Exod. 16. 1. per samech, Sin, per sade, Arma, Scutum.
Sion, Acervus, 2. Reg. 5. 7.
Sion, Deut. 4. 48. Strepitus.
Sisara, Hirundinem videns.
Sodoma, Secretum eorum.
Somer, Custos.
Sophtim, Judices.
Sorec, Vinea.
Stephanus, Coronatus,
Sulamitis, Pacifica, perfecta.
Sunamitis, Dormiens.
Susanna, Lilium, Rosa.

T.

Tarsus, Alata, Pennata.
Thabor, Electio, Puritas.
Thaddæus, Laudans.
Thamar, Palma, Dactylus.
Thare, Odorans, Spirans.
Tharsis, Contemplatio gaudij.
Thau, Signum.
Thecua, Spes, Funiculus.
Teraphim, Simulachra.
Thomas, Abyssus, Geminus.
Thopheth, Tympanum, Seductio.
Timæus, Cæcus, Cæcitas.
Timothæus, Honor Dei.
Titus, Honorabilis.
Tobias, Bonus dominus.
Tubalcain, Mundana possessio.
Tyrij, Hebraïcè Sorim, id est, Tribulantes.

V.

Vaicra, Et vocavit, Liber Levitici.
Vaiedabber, Et locutus est. Liber Numerorum.
Vasthi, Potans, Bibens.
Veelle semoth, Et hæc sunt nomina. Secundus liber Legis qui Exodus Græcè vocatur.
Ur, Ignis.
Urias, Ignis Domini.

Z.

Zabad, Dos, Dotatus.
Zabdi, idem.
Zabulon, Habitaculum.
Zachæus, Purus.
Zacharias, Memoria Domini.
Zambri, Cantans.
Zara, Oriens.
Zebedæus, Dos, Dotatus.
Zebe, Victima.
Zelotes, Æmulator.
Zelpha, Distillatio oris.
Zorobabel, Alienus à confusione.

FINIS.

INDEX BIBLICUS,

QUI RES EAS DE QUIBUS IN SACRIS BIBLIIS AGITUR,

Ad certa Capita, alphabeti ordine digesta, revocatas summa brevitate complectitur.

IN hoc Bibliorum Indice, Candide Lector, primus numerus, libri caput denotat; proximè deinde sequentes usque ad hoc signum †, vel (si hoc signum non adsit) ad proximam usque sequentis libri citationem, sunt versuum in eodem capite signatorum notæ. Exempli gratia, in voce AARON, *Exod. 4. 14. 16. 30†5. 1†6. 13†7. 1. 2. legendum est: Exodi capite 4. versu 14. versu 16. & vers. 30. Item c. 5. versu 1. cap. 6. versu 13. cap. 7. versu 1. & 2. Cum autem asteriscus seu stella in hunc modum (Levit. 8.*.) numero apponitur, indicium est, rem de qua agitur, per plures versus in eo capite tractari: vel significat locum illum esse inter reliqua diligentius notandum. Porrò, si quod queris, in versu hìc notato contingat non adeò perspicuè inveniri, tum aliquot ex propinquis versibus antecedentibus vel sequentibus tibi erunt perlustrandi. In librorum nominibus ad faciliorem & certiorem distinctionem id observatum est, ut Eccle. Ecclesiasten, Eccli. verò Ecclesiasticum notet.*

AARON adjungitur fratri suo Moysi socius, Exo. 4. 14. 16. 30†5. 1†6. 13†7. 1. 2. Mich. 6. 4. Fuit pronepos Levi, Exod. 6. 16. 18. 20. peculiari ritu consecratur cum suis filiis ad ministerium sacerdotij, Levit. 8.*. Num. 3. 10. Deuteron. 18. 5. Heb. 5. 4. sicut Dominus præscripserat, Exod. 29.*. † 40. 12. Aaronis & filiorum sacerdotalis ornatus, Exod. 28*. Aaronis sacerdotis auctoritatem qui noluerunt agnoscere, inusitato genere mortis intereunt, Num. 16. 3. 11. 30. 31. Aaron insigni miraculo ostenditur præ ceteris à Deo in Sacerdotem summum electus, Num. 17. 5. 8. post oblationem factam benedicit extensa manu populo, Levit. 9. 22. jure perpetuo accipit pro officio sacerdotali oblationes & primitias à populo, Num. 18. 8. 9. 11. 12*. & à Levitis decimas decimarum, Num. 18. 26. 28. moritur, Num. 20. 29†33. 38. Deut. 10. 6†32. 50. succedit ei in summo Sacerdotio Eleazar, Num. 20. 28. Deut. 10. 6. Aaronis laus, Eccli. 45. 7. 8. 9*.

ABARIM mons, unde moriturus jam Moyses terram Chanaan prospexit, Num. 21. 11†27. 12†33. 44.*. Deuter. 32. 49.

ABBA pater, Marc. 14. 36*. Rom. 8. 15. Galat. 4. 6.

ABDEMELECH propugnator & patronus Jeremiæ, Jerem. 38. 7. liberatur à gladio Chaldæorum, 39. 16. 17. 18.

ABDENAGO appellatur Azarias, Dan. 1. 7. mittitur in fornacem ardentem, 3. 21.

ABDIAS abscondit & alit prophetas Domini, 3. Reg. 18. 4. 13.

ABDON Judex in Israël, Jud. 12. 13.

ABEL occiditur à fratre Cain, Gen. 4. 8. 1. Joan. 3. 12. de eodem lege Matth. 23. 35. Luc. 11. 51. Hebr. 11. 4† 24. 12.

ABIA, ABIAM, vel ABIAS filius Roboam, rex Juda, 3. Reg. 14. 31†15. 1. 2. Par. 13. 2. 4. 15. 17*. reliquit Asa regni successorem, 3. Reg. 15. 8. Matth. 1. 7.

ABIATHAR sacerdos effugit manus Saulis, 1. Reg. 22. 20. confugit ad David in Ceilam, 23. 6. cum Adonia se conjungit, 3. Reg. 1. 7. amovetur sacerdotio, 2. 27. juxta illud 1. Reg. 2. 30. 32.

ABIDAN dux Benjamin, Num. 1. 11.

ABIGAIL, uxor impij Nabal, 1. Reg. 25. 3. nubit Davidi regi post mortem Nabal, 25. 42.

ABIMELECH rex Geraris aufert Abrahæ Saram, Gen. 20. 2. init pactum cum Abraham, 21. 23. 32. init pactum cum Isaac, 26. 31.

Abimelech filius Gedeonis, Jud. 8. 31. occidit 70. suos fratres, & ictu lapidis molaris interficitur, 9. 5. 53*. 2. Reg. 11. 21.

ABIRON effert se contra Moysen, unde & terra dehiscens, eum absorbet, Numer. 16*. †26. 10. Deut. 11. 6. Psal. 105. 17. Eccli. 45. 22.

ABISAG Sunamitis ducitur ad regem David, 3. Reg. 1. 3. petitur ab Adonia in uxorem, 2. 17.

ABISAI filius Sarviæ, sororis Davidis, 2. Reg. 2. 18†16. 9†19. 21†20. 6† 23. 18.

ABIU & Nadab filij Aaron igne absumuntur, Levit. 10. 2†16. 1. Num. 3. 4†26. 61.

ABIUD filius Zorobabel, Matth. 1. 13. appellatur Hanania, 1. Paral. 3. 19.

ABNEGATIO sui ipsius, Gen. 12. 4†22. 1. 9. Deut. 33. 9. 3. Reg. 19. 20. 2. Mach. 6. 19. 23. Matth. 4. 19†5. 29†10. 39†16. 24† 19. 21. Marc. 10. 21. Luc. 9. 23†14. 26†17. 33. Joan. 12. 25.

Abnegatio omnium rerum, Gen. 22. 1. Deut. 33. 9. Ruth, 2. 11. Matth. 4. 19†19. †1. 27. Marc. 1. 18†10. 28. Luc. 5. 11†14. 26†18. 22. 1. Corinth. 7. 29. Philippens. 3. 7.

ABNER præfectus militum Saulis, creat Isbosseth regem Israël, 2. Regum 2. 8. pascitur cum David, 3. 12. occiditur à Joab. 2. Reg. 3. 27.

ABRA ancilla Judith, Judith 8. 32†10. 2. libertate donatur, 16. 28.

ABRAM filius Thare habet Sarai uxorem, Gen. 11. 29. egreditur ex patria in terram Chanaan præcipiente Domino, 12. 4. proficiscitur in Ægyptum. 12. 10. redit inde in Chanaan, 13. 1. liberat Lot fratrem suum ex manibus hostium, 14. 14. accipit promissionem seminis, 15. 4†17. 16†18. 10. concumbit cum Agar 16. 4. accipit promissionem seminis & signum fœderis, appellatúrque Abraham, 17. 5. orat pro Sodomitis, 18. 23. 28. 32. Isaac ei nascitur, 21. 2. paratus est offerre Isaac, 22. 9. mittit servum qui quærat uxorem filio suo Isaac, 24. 4. moritur, 25. 8. commendatur, Eccli. 44. 20. appellatur pater multarum gentium, & omnium credentium, Gen. 17. 5. Isa. 51. 2. Mat. 3. 9. Luc. 19. 9. Joan. 8. 39. Rom. 4. 11. 17. 18†9. 7. Galat. 3. 8. De ipso & ejus semine vide Jos. 24. 3. Is. 41. 8†51. 2. Ezech. 33. 24. 2. Esd. 9. 7. Matth. 8. 11. Actor. 7. 2. 16. Heb. 11. 17.

ABRAHÆ filij qui dicantur, Joan. 8. 33. Rom. 9. 7. Gal. 3. 7.

ABSALOM filius David, 2. Reg. 3. occidit suum fratrem, & fugit ad Tholomai regem Gessur, 13. 37. revocatur, 14. 21. 23. conatur patris occupare regnum, 15. 6. concumbit cum patris concubinis, 16. 22. juxta prophetiam, 12. 11. tribus hastis transfigitur à Joab, 18. 14.

ABSTINENTIA à quibusdam cibis, Gen. 1. 29. 30†2. 17†3. 11†9. 4. Exod. 12. 9*. †13. 6†21. 28†22. 31†29. 34. Lev. 6. 24 †7. 18*. †11. 4*. †17. 27*. †19. 7†22. 23. 8.*†14. Num. 6. 4. †18. 10. Deut. 12. 16 †14. †3*. Tob. 1. 12. Judith 12. 2. Dan. 1. 8. 2. Machab. 7. 1. Matth. 12. 4. Marc. 2. 23. Luc. 6. 1. Act. 15. 29.

Abstinentia à vino. Levit. 10. 8†11. 34. Num. 6. 3. Jud. 13. 4. 14. Jerem. 35. 6. Ezec. 44. 21. Luc. 1. 15.

Abstinendum à cibo & potu etiam licito propter scandalum alterius. 2. Machab. 6. 24. Rom. 14. 20. 21. 1. Cor. 8. 13.

Abstinentiæ præceptum violare nolentes, Jer. 35. 6*. 2. Mach. 6. 19*. †7. 2*.

Abusus vestium, Isa. 3. 18. Ezech. 7. 20. Esther 14. 16. Matt. 11. 8. Mar. 12. 38. Luc. 7. 25†16. 19†20. 45. 1. Tim. 2. 9. 1. Pet. 3. 3.

ACCEPTIO personarum, vide Persona.

ACCEPTIO munerum, Exod. 23. 8. Num. 35. 31. Deut. 10. 17†16. 19. †27. 25. 2. Par. 19. 7. Job. 15. 34†36. 18. Prov. 14. 20†15. 27†17. 23. †19. 6†22. 9†28. 21. Eccli. 4. 36†7. 6†20. 31. Isa. 1. 23†5. 23†33. 15. Judæ 16.

ACEDIA, 2. Reg. 11*. Proverb. 6. 6†10 4. 26†12. 11†13. 4†18. 8†19. 15. 24†20 4. 13†21. 25†24. 30†26. 13†28. 19. Ezech. 16. 49. Eccli. 33. 26. Rom. 12. 11.

ACHAB impius Rex Israël, 3. Reg. 16. 29. 30†18*. vincit Syrios, 20. 20. 29. init fœdus cum Benhadad rege Syriæ 20. 34. exercet tyrannidem in Naboth 3. Reg. 21. 2. trajicitur telo, & sanguinem ejus canes lambunt. 22. 38. secundùm verba Eliæ. 21. 19. filij ejus pereunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

4.Reg.10.7†11. secundùm illud 3.Reg. 21.21.4.Reg.9.7.

Achaia, Act.18.12.27†19.21.Rom. 15.26.1.Cor.16.15.2.ad Cor.1.1†9.2† 11.10.1.ad Thess.1.7.

Achan lapidatur, Ios.7.25.1.Par.2.7. in valle Achor, Ios.7.24†15.7.Isaiæ 65. 10.Osee 2.15.

Achaz filius Joatham impius rex Judæ, 4.Reg.16*.2. Paral.28*.Isaiæ 7*. Matth. 1. 9. appellatur Eliezer, Luc.3. 29.Ezechias filius in regnum patri succedit,2.Paral.28.27. Matth.1.10.

Achias filius Achitob, sacerdos Domini, 1. Reg.14.3.18.appellatur Achimelech, 21.1.

Achimelech sacerdos dat Davidi panes propositionis, 1.Reg.21.6.& gladium Goliath,21.9.transfigitur, 22.18. appellatur Ahias, 14. 3. vocatur Abiathar, Marc.2.26.

Achior dux Ammonitarum, Judith. 5.5. traditur in manus filiorum Israël.6.7.fit Judæus.14.6.

Achis rex Geth donat Davidi civitatem Siceleg,1.Reg.27.6.

Achitophel Davidi à consiliis adhæret Absaloni,2.Reg.15.12. dat impium consilium.16.21.suspendit se, 17.23.

Adam creatur, Gen.1.27. collocatur in paradiso, & ligni scientiæ usus ei interdicitur, 2. 15. persuasione Evæ præceptum violat,& paradiso pellitur. 3.6. 23.Osee 6.7.moritur,Genes.5.5.Rom.5. 14.1.Cor.15.22.

Adhortari ad bonum, Gen. 13. 8† 45.24.Ios.22.5.2. Paral. 30. 6†32.7.2. Esdr. 5. 6. 9. Actor. 11. 23†14.21†20. 17*. 1. Thess. 5.11. Tit.2*.†3.1.Heb. 3.12.

Adonias affectat regnum patris sui, 3.Reg. 1.5. uxorem petit Abisag,& occiditur.2.17.25.34.

Adonibesec capitur,Judic.1.6.

Adoratio Angelis & hominibus tributa, Genes.18.2†19.1†23. 12†27. 29†33.3*. †42. 6†43. 26. Exod.18.7. Num. 22.31.1. Reg.20.41†25.23†28. 14.2. Reg.9.6†14.3*. 3. Reg.1.16.23. Judith 10. 20. Esther 3. 2. Dan. 2. 46. Actor.10.25.

Adramelech idolum,4.Reg.17.31.

Adramelech usus subsidio fratris sui Sarasar, occidit patrem Sennacherib, 4. Reg.19.37.Isaiæ 37.38.

Adventus Domini expectandus Matth. 24.42†25. 13†26.40. Mar.13. 33. Luc. 12. 40†21. 34. Rom. 13. 12. Ephes.6. 18. Coloss.4.1.1. Thess.5.6.1. Pet.4.7†5.8.Apoc.3. 3†16.15.

Adulterium, luxuria, & fornicatio, Gen.6. 2†19.5.31. 33.*.†38.15. Exo. 22.16.Levit. 18*, †19. 29†20. 10.13† 21.9. Num. 25.1.6. Deut.22.13.22.23 †23.17.Jud.19.2.25.1. Reg.2.22. Tob. 4.13. Prov. 2. 16†5*. 7. 10*.†22. 14 †23.27†29.3.Eccl.7.27. Eccli.23.25*. †25.4. Ezec.22.10. Actor. 15.20.Rom. 1.26.1. Cor.5.1†6.9.15†10.8.Ephes.5. 5. Col. 3. 5. 1. Thess.4. 3.1. Tim.1.10. Heb.13.4.

Adulterium carnale & spirituale prohibetur,committitur, & punitur Genes. 20.2†26.7. Exod.20.15. Levit. 18.8† 20.10.Num.5.13.Deut.5.18†22.22.30. 5.7†13. 26. Osee 2.4†4.2. Sap. 3.16. Jud. 19.2.2. Reg.11.4†12.1.9. Job.24. 15†31.1.9. Psal.72.27. Prov.5.3.8. 20 †6.24.32†7*.Isaiæ 57.1.Jer.2.36†3.1† 5.7†13. 26.Osee 2. 4†4. 2. Sap.3. 16. Matt.5.27†14.3†19.9.Joan.8.3.1.Cor. 6.10.1.Thess.4.3.Heb.13.4.Jacob.4.4.

Aduran, super tributa seu quæstor ærarius Davidi, 2. Reg. 20.14.posteà à tributis ipsi Roboam,lapidatur. 3. Reg. 12. 18.

Ægyptiaca captivitas prædicitur, Gen. 15.13.incipit,Ex.1.8.13.Act.7.18.

De Ægypto exitus,& liberatio Israëlis promittitur Gen. 15. 16†48.21†50.14. Ex.3.17†6. 6. adimpletur,& exeunt viri 600000. Exod. 12. 37. 51†13*†14. *. Num.33.1.Deu.16.1.Ose.13.4.Mich.6.4.

In Ægyptum redire improbè flagitat Israëliticus populus. Exod. 14. 11†16. 3†17.3.Num.11.5†14.4†20.3.

Contra Ægyptum prophetatur Isaiæ 19.1.11.18†20.3. Jer.43. 20† 44. 30† 46*.Ezech.29*.†30. *†31*.†32*.

Ægyptiaca redemptio frequenter in memoriam revocatur tanquam summum beneficium. Exod. 20.2. Levit.22.33† 26.13.Deut.4.37†5.6†7.8†8.14†16.6. Jud.2.1†6.8.1.Reg.10.18.4.Reg.17.7. Mich.6.4.

Ægyptus affligitur plagis variis, Exod. 7*. 8*. 9*. 10*11*. ut prædixit Dominus, Exod. 3. 19.

Ægyptus expugnatur à Rege Babyloniæ, 4. Reg.24.7.Jerem.46.2.

Ægyptij prodeunt in pugnam contra Judam.2.Par.12.2.

Ægypto potitur Antiochus, 1. Mac. 1.17. in Ægyptum fugit Christus Herodem,Matth.2.13.

Ægrotatio & morbus pœna peccati, Exod. 15.26. Levit. 26.16. Num.12*. Deut.7.15†28.27. 60.2.Reg.24.15.4. Reg.5.25.2.Paral.21.18.Joan.5.14.

Ægroti visitandi sunt & consolandi, Genes.48.1.4.Reg.8.29†13.14. Job 2. 11. Psalm. 40.4. Eccl.7.3. Eccli.7. 38. Matt.25.37.40.Joan.11.3†12.9.2.Cor. 1.4.

Quomodo se viri sancti in morbo & decessu ab hac vita habuerint,Gen.49*. †50.14. Deut.31.1.6.Ios. 13*. †23*.† 24*.1.Reg.12*.3.Reg.2.1.7.2.Par.32. 24.Tob.4.*.Is.38.1. 1. Mach.2.49.61.

Æneas sanatur, Actor. 9.33.

Agabus imminentem famem prædicit, Act.11.28. & Paulo manus injiciendas,21.11.

Agag rex Amalechitarum capitur à rege Saule.1.Reg.15.8.jubente Samuele occiditur, 15.33. juxta prophetiam, Num.24. 20.

Agar ancilla Saræ parit Ismahelem. Genes. 16. 15. expellitur cum filio suo. 21.14.Galat.4.30.

Agareni è sua terra per Rubenitas proffigantur,1.Paral.5.19.

Aggæus prophetat Judæis. Agg. 1.3. 1.Esd.5*.†6.14.

Agrippa audit Paulum, Actor. 26.2.

Ahias propheta in Silo scëat pallium in 12. partes. 3. Reg. 11. 30. mala prædicit uxori Jeroboam,14.6.10.scripsit prophetias.2.Par.9.29.

Ahira dux Nephthali,Num.1.15.

Alcimus perjurus Judæus adeptus est sacerdotium,1.Mac.7.5.9.2.Mac.14. 3.13.periit subita morte.1.Mac.9.55.56.

Alexander rex Græcorum, occiso Dario,regnum suum filiis divisit,1.Mac. 1.7.vide Dan.7.6†8. 8†11.4.

Alpha & ω.principium & finis, primus & novissimus est Dominus,Isai.41. 4†44.6†48. 12. Apocal.1. 8†2. 8†21. 6†22.13.

Alphæus, pater Jacobi Apostoli. Mat.10.3.Marc.3.18. Luc.6.15. Actor. 1.3.

Altare holocausti, Exod.27.1†38. 1.Num.7*.2.Reg.24.25.3. Reg.18.32. 4.Reg.16.15.2. Paral.1.5†4.1†15.8.1. Esd.3.2.Ezec.43.13.1. Mach.4. 47.53.

Altare incensi, Exod. 30.1.10†37. 25†40.10.

Amalech filius Esau nascitur, Gen. 36.12.16. pugnat contra Israël, Exod. 17. 8. Num. 14.43. Judic.6.3. cæditur. 7*.1. Reg. 14. 48. funditus deletur. 1. Reg.15. 2.8. juxta verba Exod. 17. 14. Num.24.20. Deut.25.19.

Aman postquam ad honores fuit evectus,fit lethalis hostis Judæorum,Esther. 3.*. suspenditur, 7.10. eodem supplicio afficiuntur & decem filij ejus. 9.13.

Amasa filius Abigail sororis Davidis,1.Par.2.17.fit dux militiæ apud Absalonem,2.Reg. 17.25.

Post militiæ Davidis præficitur,19.13. tandem à Joab per fraudem occiditur, 20.10.causa cædis ponitur, Regum 19.

Amasia filius Joas recensetur populum. 2.Paral.25.5.ulciscitur cædem patris sui, 4.Reg.12.21†14.5.bello devincit Edomæos, 14. 7. capitur, & occiditur. 14. 13. relinquit successorem filium Azariam regem,15.1.appellatur Levi, Luc. 3. 29.

Amici veri & ficti, Deut.13.6†33.9. 2.Reg.3.27†13.14†15. 19†20.8. Psal. 40.10†54.14.Prov.14. 20†18. 24†27. 10.19. Eccli.6. 7†7.20†9. 12†12.14† 22. 25†37.10. Jerem. 9.4†12.6†41.1. Daniel. 11. 26. Mich.7.5. Matt.10.35. Luc. 12. 53. Joann. 13. 18. 1. Thess. 2.14.

Aminadab filius Aram. Matth. 1.4. hunc Naasson filius ejus in regno secutus est.Num.1.7†7.12†10.14.

Ammon filius Lot & filiæ ejus, Gen. 19. 38. Ammonitæ prohibentur ab ingressu templi. Deut. 23.3.2. Esd.13.1. cæduntur ab Israël. Jud. 11.32. 1.Reg. 11.11.2.Reg.8.12†10*.†12.26. adversus Ammon prophetatur, Psal. 82. 8. Jerem.49.1.Ezech.21.20†25.2.Amos 1. 13.Sophon.2.8.

Amnon filius David oppressit sororem suam Thamar, 2.Reg. 13.14. unde & ab Absalone fratre suo confoditur, 13.28.

Amon filius Manasse rex Juda occiditur,4.Reg.21.19.23. ei in regno succedit filius Josias.4.Reg.22.1.

Amori filius Chanaan, Gen.10.16. Amorrhæi non patiuntur Israëlem per suos terminos proficisci, Num.11. 23. Jud.11.19.

Amri impius rex Israël. 3. Reg. 16. 16.17. 22. 23. contra Amri, Mich. 6. 16.

Anamelech idolum Sepharuaim, 4. Reg.17.31.

Ananias prophetat contra Jeremiam, Jerem.28.1.

Ananias cum uxore Saphira subitò moritur, Actor.5.5.10.

Anathoth civitas Benjamin, Jerem. 32.7. ubi & Jeremias est natus, Jerem.1. 1†29.27. & sacerdos Abiathar, 3. Reg. 2. 26.

Anathothitæ nolunt Jeremiam audire,Jerem.11.21.

Andreas à Christo vocatur, Matth. 4.18.Mar.1.16. Joan.1.40.

Andronicus vicarius Antiochi occiditur,2.Mach. 4. 38.

Angeli, horúmque ministerium, & natura,Gen.16.7*.18*.19*.21.17.†22. 11†24.7†28.12.†31.11. 65†32.24†48. 16.Exod.3.2†13.21†14.19†23.20†32. 33†33.2.Num.20.16†22.22.Jos.5.13. Jud.2.1†5.23†6. 11.14.20†13.3.6.9. 1.Reg.29.9.2.Reg.14. 17†19. 27†24. 16.3.Reg.13.18†19.5.4. Reg.1.3.15† 19.35. 1. Par.21.15.2.Par.32.21. Psal. 33. 8†90. 11†102. 20†103.4†148. 2. Isa.6.6†37.36.Dan.3.49†6. 22†8. 16† 9.21†10.5.10.16†12.1.Zach.2.3†3.1. 6†4.1†5.5.10†6.4.Mal.2.7†3.1.Jud.13. 20.Tob.5.27†6*.9*.12.*Tob.7.5†8.3 †10.11†11.2.Batuch 6.6.2. Mach.11. 8.Mar.1.20†2. 3.19†4.11†1.10†13. 39. 49†16.27†18. 0†22.30†24.31† 26.53†28.2.Mar.13.32.Luc.1.13.19. 28†2.9.15†12.8†16.22†22.43.Jos.1. 5.1†5.4†20.12.Act.1.10†5. 19†6.5† 7.30†8. 26†10. 3†11. 15†12.7.11.23† 23.9†27.23.Rom.8.38.Gal.1. 8†3.19 †4.14.Col.2.18.2. Thess.1.7.1. Tim.3. 16†5.21.Heb.1*.†2.2†12. 22†13.2.1. Pet. 1. 12†3. 22. 2. Pet. 2. 11.Judæ 9. Apoc*.

Angelorum ruina. Job.4. 18†15.15. Isai.14.9.Ezech.28.2.14.17.Joan.8.44. 2.Pet.2.4.Jud.6.

Angelorum nomine appellantur doctores & prædicatores,Isai.33.7.Malac. 2.7†3.1.Matth.11.10. Marc.1.2. Luc. 7.27.Gal.4.14.Apoc.2*.3*.

Animæ quorundam piorum statim post mortem sunt cum Christo,2. Cor. 5.8.Phil.1.24.Apoc.14.13. cõtra eos qui putãt illas usque in diẽ judicij quiescere.

Anna parit prophetam Samuel.1.Reg. 1. 20.

Anna prophetissa laudat Dominum Deum, Luc.2.36.

Annas socer Caiphæ, Luc.3.2.Ioan. 18.13.Actor.4.6.

Antichristus & ejus regnum. Isai. 11.4.Ezec.38*.39*.Dan.7.7.19. 24†8. 9.23†9.27†12.1.Zach.11.15.Matt.24. 24.Marc.13.6.Joan.5.43. Act.20.29.2. Thess.2.3.1.Tim.4.1.2. Tim.3.1.2.Pet. 2*.1.Joan.2.18.22†4.3.2.Joan.1.7. Judæ 20. Apoc. 11.7†12. 8†23*.†14.9† 17*.†19.20†20. 2.8.

Antiochia suscipit Apostolorum de Christo prædicationẽ.Act.11.19.26†13.1.

Antiochus illustris proficiscitur in Ægyptum. 1. Mach.1.18. destruit templum, & subvertit civitatem Jerusalem. 1. Mach. 1. 23.33. 2.Mach.5.16.erigit idolum super altare Domini.1. Mach. 1. 1.57.moritur,6.16.2. Mac.9*.

Antiochus Eupator, filius prædicti Antiochi,fit rex,1.Mach.6.17. cũ exercitu tendit in Judæam,6.31. non servat Israëli fidem,6.62.cæditur,7.4.

Antiquæ viæ inquirendæ, & observandæ,& à novis declinandum,Jerem.6. 16.Prov.22.28.Eccli.8.11†39.1.Rom. 16.17,Gal.16.17.Gal.1.6.7.8.1.Tim.6. 20.2.Tim.4.3.2.Petr.3.17.1.Joan.2.24. 2.Joan.ver.7.Judæ ver. 18.19.20.

Apollo vir facundus, & Scripturarum peritus,Actor.18.24.1.Cor.1.12†3. 4†16.12.

Apollonius dux in Syria, 1. Mach. 3.12†10.69.

Apostolus magnus est Christus, Heb.3.1.

Apostoli eliguntur ex discipulis,Luc. 6. 13. mittuntur ad annuntiandum regnum Dei in Judæa, Matth. 10.*Luc.9. 2.4.46. revertuntur, 9. 10. mittuntur in universum mundum ad evangelizãdum. Matth.28.19.Marc.16.15.Lucæ 24. 46. Joan.15.16.27†20.22.Actor.1.8†10.42.

Apostoli usi sunt membranis, seu libris 2. Tim. 4.13. hortantur ad studium legendi.1.Tim.4.13.15. Opifices autem qui noctes & dies aliis occupantur, jubentur non immiscere se ecclesiasticis rebus, Eccli. 38. 26. 37.

Apostoli & Prophetæ habuerunt spiritum Dei,Exod.4.12.2.Reg.23.2. Dan. 9.10.Zach.7.7.Mat.10.20. Mar.13.11. Joan.14.17.Actor.1.1†2.4†4.31†9.17† 19.6.1. Cor.2.12†12.3.2. Cor.13.3.1. Thess. 4.8. 2. Tim.3. 16.1.Pet.1.11.2. Pet.1.21.

Apparitiones Dei, Angelorum & hominum, Gen. 32.24. Exod.3*.Num. 22.21.Jos.5.13.1.Reg.28.11.Matth.17. 3†28.2.9.Mar.9.3†16.5.9.12.14. Luc. 9.30†24. 4.15.36. Joan. 20.12.14.19. 26†21.1.Act.1.10†16.9†18.9.

Aqua nihil nocumenti vel impedimenti adfert electis Dei, Exod.14. 22. Psal.65.6.Isaiæ 43.2.Jonæ 2.5.

Aqua nominatur persecutio, Psal.68. 16†143.7.Prov.17.14. Mat.7. 25.Luc. 6.48.Apoc.12.17.

Aquæ assimilantur cognitio Dei, & dona Spiritus sancti,Isaiæ 11.9†12. 3† 35.6†43.20†44.3. Ezech.47*. Zac.14. 8.Joan.4.10†7.38.

Aqua benedicta: vide Benedictio.

Arad rex Chananitarum pugnat contra Israël, Num. 21.1.

Aram, qui & Ram nominatur,filius Esron,genuit Aminadab, Ruth 4.19.1. Paral.2.10.Matth.1.4. Lucæ 3. 33.

Aran frater Abraham, & pater Lot, Genes.11.27.

Arca Noë,Gen.6. 14†7*. †8*. Sap. 10. 4†14. 6. Matth. 24. 38. Luc.17.27. Heb.11.7.1.Pet.3.20.

Arca fœderis Domini paratur, Exod. 25. 10. 21. assumitur in castra contra Philisthæos,1.Reg. 4.5.capitur, 4.11.

Arca quid continebat, Exod.16. 34. Deut. 10. 2†31. 26. Reg.8.9.2. Paral.5. 10.Heb.9.4.

Archelaus regnat loco patris sui Herodis. Matth. 2. 22.

Arioli & aruspices, Dan.2. 2.27†4. 6†5.7.11.Act.19.13. vide incantatores.

Aristarchus socius sancto Paulo & in itinere,& in vinculis, Actor.19.29† 20,4†27. 2. Coloss.4.10.

Arphaxad rex Medorum, à Nabuchodonosor victus, Judith. 1.5.6.

Arsaces rex Persarum & Medorum superat Demetrium,1. Mach. 14.13.

Artaxerxes rex Persarum recipit litteras plenas querelis adversus Judæos, 1. Esdr.4.7.17.respondet,jubet ædificationem templi impediri, 4.21.permittit Israëli ædificare templum. 1. Esdr. 7*.

Asa filius Abiam rex Juda tollit idola. 3. Reg. 15. 8.12. subsidium quærit à Syris,& moritur,15.19. 24. Josaphat filius ejus rex post eum. 1. Par. 3.10.

Asaph cantor Davidis. 1. Paral.6.39 †16.5.

Asarhaddon, postquam pater ejus Sennacherib confossus est,succedit in regnum,4. Regum 19.37. Isaiæ 37.38.

Aseneth parit ipsi Joseph Ephraim, & Manasse,Gen.41.50†46.20.

Asia subjicitur Romanorum imperio, 1.Mach.8.6.

Assuerus rex Persarum instruit splendidam cœnam,Esther,1.3.accipit Esther uxorem,2.9.17. relinquit Darium filium suum successorem,Daniel.9.1.

Assur filius Sem filij Noë constituit regnum Assyriorum, Genes. 10. 22.1. Paral. 1.17.

Assur virga furoris Domini, Isaiæ 10. 5. contra Assyrios prophetatur, Num. 24.24.Isaiæ 10.5†14.21†17. 3†30.28. 31†31.8.

Rex Assur expugnat Israëlitas, & trãsfert in Assyriam,4.Reg.15.29*.†16*. †17*.expugnat civitates Judæ, 4.Reg. 18*.2.Par.32*. Ezech.36*.

Assyriorum exercitus ab angelo cæditur, 4.Reg. 19. 37.2. Par.32.21.Isaiæ 37. 36. Eccli. 48. 24. 1. Mach.7.41.2. Mach.8.19.Tob.1.21. Jonæ 2.5.

Astaroth, Jud.2.13†10.6.1. Reg.7. 3†12.10.

Athalia filia Amos regis Israël, 4. Reg. 8. 26. perdit totam ferè regiam stirpem,11.1.regnat sex annos in Judæa, 2. Paral.22. 12. interimitur,4.Reg.11. 16.10.

Atheonobius mittitur ad Simonem, 1.Mach.15.28.

Avaritia, Jos.7.20.1. Reg.8.3†25. 3.10.3.Reg.21.2.4.Reg.5.20.22.Psalm. 36. 16. 21. Prov.1. 19†11.28†27.2† 15.6.16. 27†28.16. 22†30. 15. Eccl.2. 26†4.8†5.9†6.1.Isai.5.8†56.11.Jerem. 6. 13†8. 10. Ezech. 22.13. Amos 8.4. Mich.6.10.Habac.2.9. Eccli.14.3†31. 3†41.4.2.Mach.4. 50†10.20. Matth.6. 19†26.14.46†27.3.Marc.8.36.Luc.12. 15.Joan.12.4. Act.5.1†8.19†24. 26.1. Cor.6.10.Ephes.5.3. Phil.4.11. Col.3. 5.1.Tim.6.9.ad Titum 1.7.11.Heb.13.5.

Audiendum verbum Dei, *vide* Verbum Dei.

Axa filia Caleb traditur Othonieli in uxorem, Jos.15.17.Jud.1.13.

Azarias filius Amasiæ rex Juda fit leprosus,4.Reg.15.5.2. Par.26.19. reliquit filium Joatham regem. 4. Reg. 15. 32.1.Paral.3.12.appellatur Ozias,2.Par. 26.19.Matth.1.9. Matt.Luc.3.29.

Azarias propheta mittitur ad regem Asa,2. Par.15.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

B.

BAal idolum Samaritanorum, 3. Reg. 16. 31. altare Baal destruitur, Jud. 6. 25. 30. Sacerdotes Baal occiduntur, 3. Regum 18. 40. 4 Reg. 10. 25 † 23. 5.

Baana & Rechab suspenduntur, 2. Reg. 4. 12.

Baasa impius rex Israël pugnat contra Asa regem Juda, 3. Reg. 15. 16*. cum omni progenie sua extirpatur, 16. 4. 11. secundùm verbum Jehu, 16. 12. 3.

Babylonica captivitas 70. annorum prædicitur, Lev. 26. 31. Deut. 4. 26 † 28. 36. 49. 4. Reg. 20. 17. Isai. 5. 13. 19. Jerem. 13. 19. 24 † 16. 9 † 20. 4. 6 † 25. 8. Ezech. 7*. 12*. 22. 5. Mich. 3. 12 † 4. 10. Habac. 1. 6. Baruch 6. 1.

Babylonicæ captivitatis initium, 4. Reg. 24*. 25*. 2. Paralip. 36 † 3. Esd. 1. 40. 52.

Finis captivitatis promittitur & prophetatur, Levit. 26. 41. Deu. 4. 29 † 30. 2. 3. Reg 8. 33. 2. Paral. 6. 24. 37. Isa. 14. † 40. 1 † 48. 20. Jerem. 12. 15 † 16. 15 † 24. 5 † 25. 12 † 29. 10 † 30*. † 31. 9 † 32. 37 † 16. 27. Exech. 11. 17. Dan. 9. 2. 25. Baruch 6. 2. Liberatio fit, Esdr. 1*. 2*. 3. Esd. 2. 1.

Babylonicæ captivitatis causa, 4. Reg. 17. 7. 13. 18. contra Babylonem, Psal. 136. 8. Isa. 13*. † 14. 2. 4 † 21. 2. 9 † 47*. Jerem. 25. 12 † 50*. 51*. Baruc. 4. 27. Apoc. 14. 8 † 16. 19 † 17. *. 18. *

Bacchides dux Demetrij, 1. Mach. 7. 8. occidit Judam ex præcepto Demetrij, 9. 18.

Balaam conducitur ad maledicendum Israël, Num. 22*. † 23*. docetur à Domino quid illi loquendum sit. 23. 5. 26. Balaam doctrina, 2. Pet. 2. 15. Apoc. 2. 14.

Balac rex Moabitarum mittit nuntios ad Balaam, Num. 22. 5. Jos. 24. 9. vide Judic. 11. 25. Michææ 6. 5. Apocal. 2. 14.

Balthassar videt manum scribentem, Daniel 5. 5. occiditur, & regnum ejus delabitur ad manus Darij, 5. 30 † 6. 1.

Banaias dux Cerethi & Phelethi, 2. Reg. 20. 23. Davidi à consiliis 23. 23. 1. Paral. 11. 25. postea præfectus militum Salomonis, 3. Reg. 2. 35.

Baptismus à Christo præceptus, Matthæi 28. 19. Marc. 16. 16. Joan. 3. 5.

Baptismum docuerunt Apostoli, & administrarunt, Actor. 2. 38. 41 † 8. 12. 36 † 9. 18 † 10. 47 † 16. 15. 33 † 19. 4 † 22. 16. Rom. 6. 3. 1. Cor. 1. 14. Galat. 3. 17. Ephes. 4. 5. Heb. 6. 2.

Baptismus salvat, 1. Pet. 3. 21. baptismus est lavacrũ regenerationis. Tit. 3. 5.

Baptismus tollit omnia peccata, Gen. 17. 14. Isaiæ 44. 3. Ezech. 36. 25. Zachar. 13. 1. Matth. 18. 14 † 28. 19. Marc. 1. 4 † 16. 16. Joan. 1. 33 † 3. 5. Act. 2. 38 † 8. 12. 38 † 16. 33 † 18. 8. Romanor. 6. 3. 4. 5. 6*. 1. Cor. 6. 11. Ephes. 5. 26. Coloss. 2. 11*. Tit. 3. 5*. Hebr. 10. 22. 1. Pet. 3. 21.

Baptismus non est iterandus, Ephes. 4. 5. Hebr. 6. 6 † 10. 26. Idem declarat ipsius figura, Genes. 17. 14. 1. Cor. 10. 2.

Baptismus Joannis. Matth. 3. 6 † 21. 25. Mar. 1. 4 † 11. 30. Luc. 3. 16 † 7. 29 † 20. 4. Joan. 1. 25. 33 † 3. 23. Act. 1. 5 † 11. 16 † 13. 24 † 19. 3.

Baptismus pœnitentiæ prædicatur, Mar. 1. 4. Luc. 3. 3. Act. 2. 38 † 13. 24 † 19. 3. Rom. 6. 3. Col. 2. 12.

Baptismi nomine significatur passio, Matth. 20. 22. Marc. 10. 38. Luc. 12. 50.

Baptismus in Spiritu sancto & igne Matt. 3. 11. Marc. 1. 8. Luc. 3. 16. Joan. 1. 33. Actor. 1. 5 † 2. 4 † 11. 15.

Baptizandi sunt parvuli, Genes. 17. 14. Exod. 4. 24. 25. 26. Matth. 11. 28 † 18. 14 † 19. 13. Mar. 10. 14. Luc. 18. 15. Joan. 3. 5. Actor. 2. 39. 41 † 16. 15. 33 † 18. 8. 1. Cor. 1. 16 † 10. 2 † 15. 22. 1. Tim. 2. 4.

Baptizari in Scripturis aliquando exprimitur per verbum Illuminari. Hebr. 6. 4. aliquando per Renovari, Hebr. 6. 6.

Baptizatus Christus, Matth. 3. 15. Marc. 1. 9. Luc. 3. 21. in baptizatum delabitur Spiritus sanctus, Mat. 3. 16. Marc. 1. 8. Luc. 3. 21. Joan. 1. 33.

Baptizat Christus per discipulos, Joan. 3. 22 † 4. 2.

Baptizata integra domus, 1. Cor. 1. 14. Actor. 16. 15. 33 † 18. 8 † 16. 33.

Baptizati accipiunt Spiritum sanctum, Actor. 2. 38 † 19. 5. induunt Christum, Galat. 3. 27. in morte ipsius baptizantur, Rom. 6. 3. in unum corpus baptizantur, 1. Corinth. 12. 13. 27.

Baptizatus Simon Magus, Actor. 8. 13.

Baptizatus Eunuchus, Actor. 8. 38.

Baptizatus Cornelius gentilis, Actor. 10. 47.

Barabbas latro dimittitur, Matth. 27. 16. Marc. 15. 15. Lucæ 23. 25. Joan. 18. 40. Actor. 3. 14.

Bariesu à Deo per Paulum usu oculorum privatur, Act. 13. 11.

Barnabas ponit pretium agri ante pedes Apostolorum, Act. 4. 37. ducit Paulum ad Apostolos, 9. 27. mittitur Antiochiam, 11. 22. redit in Jerusalem, 11. 30. iterùm recepit se Antiochiam cum Paulo 12. 25.

Bartimæus visu donatur, Mar. 10. 46. 52.

Baruch filius Neriæ, Jer. 32. 12. dictante Jeremia scribit librum, qui comburitur, 36*. conscribit alium, qui populo prælegitur, 45. 2. Baruch. 1. 3.

Barzellai providet regi David de cibis, 2. Reg. 17. 27. deducit eum usque ad Jordanem, 19. 31*. David præcepit ut filiis Barzellai benefiat. 3. Reg. 2. 7.

Barzellai quoniam suæ genealogiæ scripturam demonstrare non poterat, rejicitur à Sacerdotio, 1. Esdr. 2. 62. 1. Esdr. 7. 64.

Basemath filia Salomonis, uxor Achimaas, 3. Reg. 4. 15.

Bathuel filius Nachor pater Rebeccæ, Genes. 22. 23.

Beatitudo seu beatorum gaudium, & vita æterna, Sap. 3. 7 † 5. 1. 16. Isaiæ 25. 9 † 30. 29 † 49. 10 † 60*. 64. 2. Jerem. 31. 3. 8. 13. Daniel. 12. 13. Matth. 13. 43 † 19. 28 † 25*. Mar. 12. 25. Luc. 9. 33 † 16. 21 † 22. 29. Joan. 16. 20 † 17. 2. 24. Rom. 8. 30. 1. Cor. 2. 9 † 15. 41. 2. Cor. 12. 3. 2. Tim. 4. 8. 1. Pet. 1. 4. 8 † 5. 4. Heb. 10. 35 † 12. 23. Jac. 1. 12. Apoc. 2*. 3*. 7. 9. 15 † 14. 1 † 21. 22*.

Beatitudo quomodo comparetur, Isai. 25. 9. Matth. 20. 23 † 25. 34. Mar. 10. 40. Joan. 3. 15. 16. 36 † 5. 24 † 20. 29. Act. 2. 21 † 15. 11 † 16. 31. Rom. 1. 16 † 10. 4. Eph. 1. 13 † 1. 6. 1. Thess. 5. 9. 2. Thess. 2. 13. 2. Timoth. 1. 9. Tit. 1. 2 † 3. 5. 1. Petri 1. 9. Heb. 5. 12.

Belis & Draconis historia, Dan. 14*.

Bellum est pœna peccati, Lev. 26. 24. Deut. 28. 36. 49. Judic. 2. 13 † 3. 1. 8. † 4. 1 † 6. 1 † 10. 6 † 13. 1. Isaiæ 5. 25. Jerem. 5. 15.

In Belli necessitate quomodo se quis habere debeat, Exod. 17. 8. 12. 1. Reg. 17. 20*. 2. Paral. 12. 2. 6 † 14. 9. 12 † 18*. 20. 1 † 32. 1. 6. Judith 8. 9*. 1. Machab. 3. 16. 20 † 4. 7. 10 † 7. 41. 45. 2. Machab. 8. 16. 19. Deus pugnat pro suis, Exod. 14. 13. Deut. 1. 30 † 3. 22. 1. Reg. 17. 46. 2. Paral. 20. 15. Psalm. 17. 35 † 143. 1. Isaiæ 30. 15. Quære Victoria.

Bellandum armis quoque spiritualibus, Rom. 13. 12. 2. Cor. 10. 4. Eph. 6. 11. Galat. 5. 17.

Bellum quibus de causis susceperint olim fideles. Gen. 14. 14. Jud. 9. 27 † 20*. Josue 10. 1. 7. 1. Reg. 30. 1. 8.

Benedictio qua homo homini benedicit, Gen. 14. 19 † 27. 4*. † 28. 4 † 48. 9. Exod. 11. 31. 39. 43. Lev. 9. 22. Num. 24. 9*. Deut. 10. 8 † 33. 1. Josue 8. 33 † 14. 13 † 15. 19 † 22. 6. 1. Reg. 2. 20. 2. Reg. 6. 18 † 13. 26 † 14. 22 † 19. 29. 3. Reg. 1. 47 † 8. 14. 4. Reg. 10. 14. 1. Par. 16. 2. 2. Par. 6. 3. Jud. 15. 10. Ps. 117. 126 † 128. 8. Prov. 17. 14. 1. Mach. 2. 69. Luc. 2. 34 † 6. 28. Rom. 12. 14. Heb. 7. 2.

Benedictio qua creaturæ consecrantur & sanctificantur, Exod. 28. 2 † 29. 6. 27. Levit. 21. 10 † 22. 2 † 27. 28. 29. 30. Numer. 5. 17 † 31. 6. Josue 6. 24. Jud. 17. 3. 1. Reg. 21. 5. 1. Paral. 18. 11. 3. Esdr. 1. 41. 1. Timoth. 4. 5*. Hebr. 9. 21. 3. Hinc consecratio sacerdotum, vestium, altarium, templorum, cereorum, aquæ lustralis, & cetera.

Benhadad servat fidem & pactum cum rege Asa, 3. Reg. 15. 20. obsidet Samariam, 20. 1. 4. Reg. 6. 24. ægrotat & moritur, 8. 7. 15.

Benhadad filius Hazaël fit rex Syriæ, 4. Reg. 5. 14. subjicit sibi Israëlem, 13. 3.

Benjamin filius Jacob nascitur, Genes. 35. 16.

Benjamitæ abutuntur uxore Levitæ, Judic. 19. 25. puniuntur, 20. 41.

Beselel insignis artifex, Exod. 31. 1 † 35. 30.

Bestiæ & bruta animantia non crudeliter tractanda, Genes. 33. 13. Exod. 23. 12. Num. 22. 23. 28. Deut. 5. 14 † 22. 10. Prov. 12. 10. Eccli. 7. 24.

Betsabee filia Eliam uxor Uriæ à David cognoscitur, & parit, 2. Regum 11. 4. 27. puer ægrotat & moritur, 12. 15. 18. fit uxor Davidis, parit ei Salomonem, 12. 24. 1. Paral. 3. 5. Matth. 1. 6.

Bethsaida urbs nativa Andreæ & Philippi, Joann. 1. 44 † 12. 21. deploratur, Matth. 11. 21. Luc. 10. 13.

Bethsamitæ graviter puniuntur, 1. Reg. 6. 19.

Bona opera pietásque vera in Deum commendantur, Exod. 19. 5 † 20*. † 23. 19. 25. Deut. 5. 6. 11. 16 † 10. 12. Josue 22. 5. 1. Reg. 15. 22. Psal. 2. 10 † 39. 7 † 49. 14. Prov. 3. 1 † 14. 31 † 1. 3. Isaiæ 1. 16 † 58. 6. Ierem. 22. 3. Ezech. 18. 6. Ose. 6. 11.

Mich.

Mich. 6. 8. Zach. 7. 9 † 8. 16. Eccli. 35. 12. Matt. 5. 24. 29. 39. Luc. 1. 75 † 3. 11. Joan. 12. 26. Rom. 12. * 13*. 14. 17. Philip. 3. 3. Jac. 1. 27. vide Opera.

Bonitas & benignitas Dei erga suos, Gen. 18. 26. 30. Exod. 6. 1 † 3. 26 † 11. 7 † 20. 6 † 34. 6. Num. 20. 8. Deut. 4. 29 † 5. 10 † 7. 9 † 10. 18 † 28. 1 † 30. 3 † 32. 10. 2. Reg. 7. 12 † 12. 13 † 24. 14. 3. Reg. 8. 23. 4. Reg. 20. 5. 2. Esd. 9. 8. Sap. 11. 24. Eccli. 2. 12 † 18. 1. Psalm. 31. 5 † 35. 7 † 36. 25 † 85. 5 † 102*. † 135*. † 144. 8. Isaiæ 30. 18 † 54. 5. 7 † 55. 7. Jerem. 12. 15. † 18. 8. Ezech. 18. 27 † 33. 15. Ose. 2. 21. Joel. 2. 13. Jonæ 4. 2. Matth. 11. 28 † 18. 19. Luc. 1. 30 † 6. 36 † 15. 20. 27 † 23. 43. Rom. 11. 4. 31. 2. Cor. 1. 3. Ephes. 2. 4. 1. Tim. 1. 13. 16.

C.

Cæcitas tum corporis, tum animi, Gen. 19. 11. Deut. 28. 28. 4. Reg. 6. 18. Psal. 68. 24 † 145. 8. Isaiæ 6. 10 † 42. 7. 16. 18 † 35. 5 † 29. 18 † 43. 6 † 56. 10 † 59. 10. Sap. 2. 21. Tob. 2. 11. 2. Mach. 10. 30. Matth. 15. 14. Marc. 8. 18. Luc. 4. 19. Joann. 9. 1. 4 † 12. 40. Actor. 9. 8. 18 † 13. 11. Rom. 1. 21 † 11. 10. 2. Corinth. 4. 4. Ephes. 4. 18. 2. Pet. 1. 9. 1. Joann. 2. 11. Apoc. 3. 17.

Cæci illuminantur, Tob. 11. 15. Matt. 9. 30 † 20. 34. Marc. 8. 25 † 10. 46. Luc. 18. 35. Joan. 9. 7.

Cæremoniæ Ecclesiasticæ, seu cultus externus, Gen. 8. 20 † 14. 18 † 15. 9 † 17. 10 † 22*. † 26. 5. 28. 1 † 33. 20 † 43. 4. 26. Exod. 12*. † 18. 20 † 19*. Levit. 18. 34. † 9*. † 10. 19 † 12*. † 14*. † 23*. † 24*. Num. 1. 50 † 4*. † 5*. † 6*. † 7*. † 8*. † 9*. † 15*. 1. Par. 23*. 1. Esd. 6*. Matth. 2. 11.

Cæremoniæ seu ritus certi in orando, 3. Reg. 8. 22. 54 † 27. 21 † 18. 42. 2. Paral. 5. 12*. Matth. 2. 11 † 26. 39. Mar. 14. 35. Lucæ 22. 4*. 1. Cor. 11. 4*. Tim. 2. 8.

Cain primus filius Adam nascitur, Gen. 4. 1. occidit suum fratrem Abel, 4. 8. Sap. 10. 3. 1. Joan. 3. 12.

Caleb filius Hesron, 1. Paral. 2. 18. explorator terræ Chanaan, Num. 13. 8. 31 † 14. 6. 24. 30. 38. Postulat, & consequitur terram Hebron. Jos. 14. 6. 9. 13 † 21. 12. Judic. 1. 20. 2. Paralip. 6. 56.

Calix iræ & furoris, Isaiæ 51. 17. Jerem. 25. 15. Psalm. 59. 5 † 74. 9. Apoc. 16. 19.

Calix passionis, Matth. 20. 22 † 26. 38. 1. Mar. 10. 38. Luc. 22. 42. Jo. 18. 11.

Camos, vide Chamos.

Cana civitas Galilææ, ubi Christus aquam in vinum mutavit, Joan. 2. 1.

Capharnaum, civitas Galilææ, in qua cœpit Jesus prædicare, Matth. 4. 17. Luc. 4. 31. curat ibidem servum Centurionis, Matt. 8. 13. appellatur civitas ejus, 9. 1. increpatur, 11. 13.

Captivos invisere, Genes. 14. 14. 1. Reg. 30. 9. Tob. 1. 15. Jerem. 38. 9. Matt. 25. 37. Actor. 12. 5. 2. Tim. 1. 16. Hebr. 13. 3.

Captivos non deserit Deus, Genes. 39. 21. Sap. 10. 13. Isai. 42. 7. Act. 5. 18 † 12. 17 † 16. 25.

Carnem suam crucifigere quomodo quisque debeat. Eccli. 19. 1. Rom. 6. 12 † 8. 12. 13. 14. Gal. 5. 16. Ephes. 4. 22 † 5. 3. Tit. 2. 12. 1. Pet. 1. 1 † 4. 2. 6. Heb. 12. 1.

Castitas cœlibum præfertur castitati conjugali, Psal. 44. 15. Sap. 6. 20. Matt. 19. 12 † 22. 30. 1. Cor. 7. 25. 32. 34. 38*. Apoc. 14. 4.

Castitas hæc consulitur ut perfectio Evangelica, Matth. 19. 12. 1. Corinth. 7. 25.

Castitatis laus, 1. Reg. 21. 5. Tobiæ 6. 16*. Judit. 15. 11 † 16. 26. Psal. 44. 15. Proverb. 22. 11. Sap. 3. 13. 14 † 4. 1. 2 † 6. 20. Eccli. 6. 28 † 26. 20. Isaiæ 7. 14 † 56. 3. 4. 5*. Zach. 9. 17. 2. Mach. 14. 38. Matth. 5. 8. 48 † 19. 12 † 22. 30*. † 25. 1. Luc. 1. 27 † 20. 34. Act. 24. 25. Rom. 2. 7. 1. Cor. 7. 25*. 2. Cor. 6. 5 † 11. 2. 1. Timoth. 2. 2 † 3. 2 † 4. 12 † 5. 2. Tit. 1. 8. † 2. 5. Apoc. 14. 4.

Cavendum à pseudoprophetis, Matth. 7. 15. Marc. 8. 15 † 13. 6. Lucæ 17. 23.

Caiphas summus sacerdos consilium dat contra Christum, Joan. 11. 49 † 18. 14. prohibet Apostolis ne prædicent, Actor. 4. 18.

Cephas, vide Petrus.

Cereorum & lampadum in templis usus, 2. Paral. 4. 20.

Certi non sumus de accepta peccatorum remissione, vel vita æterna consequenda, Eccles. 9. 1. 2. Eccli. 5. 5. Rom. 8. 17 † 11. 20. 1. Cor. 4. 3. 4. 5 † 9. 27 † 10. 12. Phil. 2. 2 † 3. 11. 13. 1. Timoth. 1. 19. 2. Pet. 3. 17. Heb. 3. 14 † 4. 1.

Chamos, sive Camos, idolum Moabitarum, Num. 21. 29. huic Salomon ædificat templum, 3. Reg. 11. 7. destruitur. 4. Reg. 23. 13.

Chanaan filius Noë maledicitur, Gen. 9. 25 † 10. 1. 6. laus terræ Chanaan, Deut. 11. 10. Terra Chanaan promittitur Abrahamo & ejus semini. Gen. 12. 7 † 13. 15 † 15. 18 † 17. 8 † 26. 4 † 35. 12. Ex. 3. 8. 17. Lev. 20. 24. Deut. 9. 6. datur, Josue 13. 6. quam ob causam Deus Chananæos expulerit, Lev. 18. 25. Deut. 9. 4 † 8. 12 † 10. 17. quamobrem paulatim & non simul illas nationes profligaverit, Exod. 23. 29. Deut. 7. 22. Jud. 2. 23. † 3. 1. descriptio & divisio terræ Chanaan, Genes. 10. 19. Exod. 23. 31. Num. 26. 53. † 33. 54 † 34*. Josue 13*. † 14*. † 15*. † 16*. † 17*. † 18*. † 19*. Ezech. 47. 13. 21.

Chananææ mulieris filia à dæmonio liberatur, Matth. 15. 28.

Charitas virtus fide præstantior. Prov. 10. 12. Matth. 22. 38 † 25*. ubi à nuptiis excluduntur non habentes oleum charitatis. Marc. 12. 33. 1. Cor. 12. 31*. † 13. 1. 8. 13*. Col. 3. 14. 1. Tim. 1. 5. 1. Pet. 4. 8. 1. Joan. 4. 16.

Charitas fraterna, Gen. 13. 8. Lev. 19. 18. Deut. 22. 1. 1. Reg. 18. 1. Eccli. 25. 2. Psal. 132. 1. Prov. 10. 12. Matt. 7. 3 † 9. 19 † 22. 38. Joan. 13. 4. 34 † 15. 12. Rom. 12. 10 † 13. 9. 1. Cor. 13*. Gal. 5. 14. Eph. 4. 5 † 5. 1. Philip. 2. 2. Coloss. 3. 13. 1. Thessal. 4. 9. 1. Tim. 1. 5. Hebr. 13. 1. 1. Petr. 4. 8. 1. Ioan. 3. 23 † 4. 7. Diligendi etiam inimici, Exod. 23. 4. 1. Reg. 24. 5. 7 † 26. 5 † 30. 11. 1. Reg. 19. 19. 4. Reg. 6. 21. Job. 31. 29. Prov. 25. 21. Matth. 5. 44. Luc. 6. 27. 35 † 23. 33. Actor. 7. 60. Rom. 12. 20. vide Dilectio.

Choreas ducere, Exod. 32. 6. 19. Jud. 11. 34 † 21. 21. 2. Reg. 6. 14. Ps. 149. 3 † 150. 4.

Christus Jesus verus Deus & homo promittitur, Gen. 3. 15 † 12. 3 † 17. 19. 21 † 22. 18 † 26. 4 † 28. 14 † 49. 10. Num. 24. 17. Deut. 18. 18. 1. Reg. 2. 10. 35. 2. Reg. 17. 13. Psalm. 2*. 21*. 109. 1. Isai. 7. 15 † 8. 3 † 9. 6 † 11. 1. 10 † 28. 16 † 40. 9 † 42. 1 † 45. 1 † 46. 13 † 49. 1. 6. 20 † 50. 5 † 52. 10 † 59. 20 † 53*. † 60. 1 † 62. 11. Jer. 23. 5 † 30. 9 † 33. 15. Ezech. 17. 22 † 34. 11. 15. 23 † 37. 24. Dan. 7. 13 † 9. 24. Mich. 5. 1. Agg. 2. 8. Zach. 2. 10 † 3. 8 † 9. 9. Malach. 3. 1.

Christus secundùm promissum Dei Patris primùm in tempore propter nos verus homo factus, & nobiscum conversatus, Joan. 1. 14. Deus in carne manifestatus est. 1. Tim. 3. 16. 1. Joann. 4. 2. Deus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati; Rom. 8. 3.

Christus est verus Dei Filius, Matth. 3. 17*. 14. 33 † 17. 5. Marc. 1. 11 † 5. 7 † 9. 7 † 15. 39. Luc. 1. 31 † 3. 22 † 9. 3. 5. Joan. 1. 34. 49 † 6. 69 † 9. 36 † 11. 27 † 19. 7. Rom. 1. 4 † 8. 3. Hebr. 1. 2 † 5. 8 † 6. 6 † 7. 3 † 10. 29. 2. Pet. 1. 17. 1. Joan. 3. 8 † 4. 9 † 5. 20.

Christus conceptus de Spiritu sancto, Matth. 1. 20. Luc. 1. 35.

Christus natus ex Maria virgine, Matth. 1. 25. Luc. 1. 31 † 2. 6. 11. Gal. 4. 4. Isai. 7. 14. natus in Bethleem, Matth. 2. 1. Luc. 2. 6. 11. Joan. 7. 41. Mich. 5. 1.

Christus sine peccato, Isaiæ 53. 12. Joan. 8. 46. 2. Corinth. 5. 21. 1. Pet. 2. 22. 1. Joan. 3. 5. Heb. 4. 15 † 7. 26. circúciditur, Luc. 2. 21. Baptizatur in Jordane, Mat. 3. 16. Marc. 1. 9. Luc. 3. 21.

Christus manifestatur & demonstratur certis testimoniis, Matth. 1. 1. 16. 23 † 3. 11 † 8. 29 † 11. 5 † 16. 6 † 17. 5 † 22. 44 † 26. 64 † 27. 53. Mar. 9. 7 † 15. 39. Luc. 1. 41. 31 † 2. 10. 16*. † 9. 29 † 22. 68. Joan. 1. 14. 29. 31. 49 † 2. 11 † 3. 2. 13. 16. 35 † 5. 39 † 6. 69 † 7. 40 † 9. 35 † 10. 7. 24. 36 † 11. 27. 41 † 12. 17 † 14*. † 15. 25 † 17. 1 † 20. 28. Rom. 1. 2 † 8. 3 † 9. 5. 2. Cor. 5. 19. Galat. 4. 4. Philip. 2. 6. Col. 1. 9. 1. Tim. 3. 13. Tit. 2. 11. Hebr. 1*. † 5*. 1. Joann. 5. 20.

Christus est agnus Dei, Isai. 53. 7. Joan. 1. 29. Actor. 8. 31. 1. Corint. 5. 7. Apoc. 5. 6. 12 † 7. 9. 17 † 14. 1 † 13. 8 † 17. 14.

Christus est dominus dominantium, & Rex regum. Ezech. 37. 24. Psal. 2. 6 † 24. 7. Coloss. 2. 10. 1. Tim. 6. 15. Apoc. 1. 5 † 17. 14 † 19. 6. Christus est imago Dei Sap. 7. 26. 2. Cor. 4. 4. Hebr. 1. 3.

Christus est lux gentium & totius mundi, Isaiæ 2. 5 † 9. 2 † 42. 6 † 49. 6 † 60. 1. 19. Matth. 4. 16. Luc. 2. 32. Joan. 1. 4 † 3. 19 † 8. 12 † 9. 5 † 12. 35. 46. Actor. 13. 47. 1. Joan. 1. 5 † 2. 8. Apoc. 21. 23.

Christus verus pastor, Isai. 40. 11. Ezech. 34*. † 37. 24. Mich. 5. 3. Zach. 13. 7. Matth. 26. 30. Marc. 14. 27. Joann. 10. 11. Heb. 13. 20. 1. Petr. 2. 25 † 5. 4

Christus docuit & prædicavit, Matth. 4. 17 † 5*. 6*. 7*. Marc. 1. 14. Luc. 4. 15 † 6. 20*. curavit omnem infirmitatem, Matt. 4. 23 † 8*. † 9. 2. 20. 28. Marc. 8. 23. Luc. 17. 12.

Christus est transfiguratus, Matth. 17. 2. Marc. 9. 2. Luc. 9. 29.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christus per proditorem traditur. quære Judas.
Christus passus est, Psalm. 21*. Is. 53*. Dan. 9. 26. Matth. 16. 21† 17. 12. 22† 20. 18. 22† 26. 37. 66† 27*. Mar. 8. 31† 9. 31. Luc. 17. 25† 18. 31† 23.*. Joan. 18. 28† 19*. Act. 3. 18† 8. 31† 17. 3. Rom. 8. 32. 1. Pet. 2. 21† 4. 1. Hebr. 2. 18† 13. 12.
Christus est crucifixus, Matth. 27. 35. Marc. 15. 24. Luc. 23. 32. Joan. 19. 18. Actor. 2. 23† 4. 10. 1. Cor. 2. 2. 2. Corint. 13. 4.
Christi passio prædicta & præfigurata est Gen. 22. 2. Num. 21. 8. Psalm. 21*. Isaiæ 53*. Dan. 9. 26. Matth. 20. 22. Joan. 3. 14. 16† 8. 28† 12. 23.
Christus mortuus est, & sepultus propter peccata nostra, Matt. 27. 49. 58. Mar. 15. 37. 42. Luc. 23. 45. 49. Joann. 19. 30. 40. Actor. 13. 29. Rom. 5. 6† 6. 10† 8. 34† 14. 9. 1. Cor. 15. 3. 2. Corinth. 5. 15. 1. Thess. 5. 10. ut prædixerat futurum, Matth. 16. 21† 20. 22.
Christus tertia die resurrexit à mortuis, Ps. 15. 19. Matth. 28. 6. Marc. 16. 6. Luc. 24. 5. Joan. 20. 9. Actor. 2. 24. 31† 10. 40† 13. 30† 17. 31. Rom. 4. 25† 8. 34† 14. 9. 1. Cor. 15. 4. 12. 2. Tit. 2. 8. idque prædictum & præfiguratum est, Psalm. 15. 10. Jonæ 2. 1. Matt. 12. 40† 16. 21† 17. 22† 20. 22. Marc. 8. 31† 9. 31† 10. 34. Luc. 11. 30† 18. 33. Joan. 2. 19.
Christus ascendit in cælum, Matt. 16. 19. Lucæ 24. 51. Joan. 3. 13† 6. 62. Actor. 1. 9. Ephes. 1. 20† 4. 8. 1. Pet. 3. 22. Hebr. 4. 14. Psalm. 67. 19.
Christus est Deus & Dei filius à principio & ab æterno, Joan. 1. 1† 8. 58† 17. 5. 24. Michææ 5. 2. Prov. 8. 22. Col. 1. 16. Heb. 1. 2.
Christus mediator, reconciliator, & advocatus, Joann. 6. 44. 65† 10. 7† 14. 6. Act. 4. 12. Rom. 3. 25† 5. 2† 8. 34. Gal. 3. 20. Eph. 2. 14. 17. Col. 1. 19. 1. Tim. 2. 5. Heb. 7. 24† 8. 6† 9. 15† 12. 24. 1. Joan. 2. 1† 4. 10.
Christus sedet ad dexteram Dei Patris, Psalm. 109. 1. Matt. 22. 44. Marc. 16. 19. Luc. 22. 69. Actor. 7. 56. Rom. 8. 34. Ephes. 1. 20. Coloss. 3. 1. 1. Petr. 3. 22. Hebr. 1. 13† 10. 12† 12. 2.
Christus venturus est judicare vivos & mortuos, Psalm. 95. 13. Matth. 16. 27† 24. 30† 25. 21. Luc. 17. 24. 30† 21. 25. Joan. 5. 22. Actor. 1. 11† 10. 42† 17. 31. Rom. 2. 16. 2. Corinth. 5. 10. 1. Thess. 4. 16. 2. Thess. 1. 7. 2. Timoth. 4. 1. 1. Pet. 4. 5. Hebr. 9. 28. Jud. 14. Apocal. 1. 7† 20. 11.
Christo omnia tradita sunt à Patre, & subjecta, Matth. 11. 27† 28. 18. Luc. 10. 22. Joan. 3. 35† 17. 2. Ephes. 1. 22.
Per Christum cuncta sunt creata, Psal. 32. 6. Joan. 1. 3. Ephes. 3. 9. Coloss. 1. 15. Hebr. 1. 2.
Christus manet in æternum, Ps. 109. 4. Isaiæ 9. 7. Dan. 7. 14. Mich. 5. 1. Joan. 12. 34.
Christus est leo, Apoc. 5. 5.
Christus est stella matutina. 2. Pet. 1. 19. Apoc. 22. 16.
Christus novit omnia, Joan. 16. 30† 21. 17. Apoc. 2. 23.
Christus est unum cum Patre, Joan. 10. 30† 14. 10. 20† 17. 11.
Christus sibi reputat fieri quod Christianis fit, Zach. 2. 8. Prov. 14. 31† 17. 5. Matth. 10. 42† 18. 5† 25. 35. Marc. 9. 40. Luc. 10. 16. Actor. 9. 4. 1. Thess. 4. 8.
Christiani appellantur fideles, Act. 11. 26† 26. 28. 2. Cor. 10. 7.
Christiani dicuntur sancti, quia sanctitatem profitentur, Act. 9. 41. Rom. 1. 7† 12. 13† 15. 26† 16. 2. 15. 1. Cor. 1. 2† 6. 1† 14. 33. 2. Corint. 1. 1† 91. 12† 13. 12. Ephes. 1. 1. 15† 3. 8. 18† 4. 12† 6. 18. Phil. 1. 1† 4. 21. Col. 1*. 1. Thess. 5. 27. 1. Tim. 5. 10. Hebr. 6. 10† 13. 24.
Christianis vivendum sicut Christus vixit, Galat. 2. 19. 1. Joan. 1. 7† 2. 6† 3. 3.
Christiani erunt cum Christo, Joan. 12. 26† 14. 3† 17. 24.
Cius filius Cham, Gen. 10. 6. Paral. 1. 8.
Cius Ai amicus Davidis, nuntiat Davidi quid in eum meditetur Absalom, 2. Reg. 15. 32† 17. 15. 16.
Chusan Rasathaim rex Syriæ regnat super Israël octo annos, Judic. 3. 8.
Cibus qui Judæis vetitus, Exod. 21. 28† 22. 31. Lev. 3. 17† 7. 23† 11. 4† 17. 10. 13† 19. 26. Deut. 12. 16. 23† 14. 7. 10. 1. Reg. 14. 32.
Ciborum & potus in conviviis luxus, Isaiæ, 5. 12. Ezech. 16. 49. Luc. 22. 34† 16. 19. Rom. 13. 13. Galat. 5. 21. 1. Pet. 4. 3. 2. Pet. 2. 13. vide Ebrietas.
Cibare esurientes seu fame laborantes, Deut. 23. 4. Jud. 8. 5. 1. Reg. 21. 3† 35. 8. 23. 2. Reg. 16. 1. Isaiæ 58. 7. Matth. 25. 35.
Cibus sumendus cum gratiarum actione. vide Gratia.
Cibi delectus habendus. vide Abstinentia.
Circumcisio carnalis & spiritualis, Gen. 17. 10† 21. 4† 34. 24. Exod. 4. 25† 12. 44. Levit. 12. 3. Deut. 10. 16† 30. 6. Josue 5. 2. 7. Judith 14. 6. Jerem. 4. 4† 6. 10† 9. 25. 1. Mach. 1. 16. 51. 63. 2. Mach. 6. 10. Luc. 1. 59† 2. 21. Joan. 7. 22. Actor. 7. 8† 15. 1. 24† 16. 3. Roman. 2. 25. 29† 3. 1† 4. 10. 1. Corinth. 7. 19. Galat. 2. 3† 5. 2† 6. 12. Ephes. 2. 11. Philip. 3. 2. Coloss. 2. 11† 3. 11.
Claudius Cæsar Romanus præcipit omnes Judæos exire Roma. Actor. 18. 2. hujus tempore magna erat in orbe annonæ caritas, Actor. 11. 28.
Claudius Lysias mittit Paulum ad Felicem præfectum Cæsareæ. Act. 23. 23. 30.
Cleopatra filia Ptolemæi traditur Alexandro, Mach. 10. 58. huic adimitur & traditur Demetrio, 11. 12.
Cleophas ibat cum altero discipulo in Emmaus, Lucæ 24. 13. cognovit Christum in fractione panis, 24. 30.
Cogitationes pravæ quas odit Dominus, Zach. 8. 17. Prov. 6. 14. Matt. 15. 19. Marc. 7. 21.
Cogitationes cordis Deus novit, 3. Reg. 8. 39. 2. Paral. 6. 30. Joan. 2. 25. & nulla latet eum, Job 42. 2. Eccli. 42. 19. Isaiæ 29. 15. Matth. 9. 4. Hebr. 4. 12. noverunt eas & alij, quibus Deus voluerit revelare, 4. Reg. 5. 26† 6. 12. Dan. 1. 29*.
Cognoscere licet subinde homines ex verbis & factis, Eccli. 19. 27† 27. 9. Matth. 7. 16† 12. 33. Lucæ 6. 44.
Cognosci Deus humana sapientia non potest, nisi ipse revelet parvulis & humilibus. Matth. 11. 25† 16. 17. Luc. 10. 21. Joan. 7. 28† 8. 19. 27† 10. 14† 14. 4† 15. 15† 17. 6. Actor. 17. 23. 1. Corinth. 1. 17. 18† 2. 6. 10† 3. 19. Coloss. 1. 26.
Concionatorum, Pastorum, & Prophetarum officium, 1. Regum 12. 23. Isaiæ 58. 1† 61. 1. Jerem. 1. 5. Ezech. 3. 1. 9. 12† 33. 2. 7. Actor. 3. 18. 24. vide Episcoporum electio & officium.
Concordia fratrum commendatur, Psalm. 132. 1. Eccli. 25. 2. Rom. 12. 16. idem sapere, idemque sentire jubemur. Rom. 12. 16† 15. 6. 1. Corinth. 1. 10. Eph. 4. 3. Phil. 2. 2† 3. 17† 4. 2. 1. Pet. 3. 8.
Concupiscentia prohibetur & punitur. Exod. 20. 17. Num. 11. 33† 21. 5. 6. Josue 7. 21. 24. Eccli. 19. 1† 42. 11. Job. 31. 1. Prov. 6. 25. Matth. 5. 28. Marc. 4. 19. Rom. 6. 12† 7. 8† 13. 14. Galat. 5. 16. Coloss. 3. 5. 1. Thess. 4. 3. 1. Timoth. 6. 11. 2. Tim. 2. 22. 1. Corinth. 10. 6. 1. Pet. 1† 2. 11† 4. 3. 2. Pet. 1. 4. 1. Joan. 2. 16. Jacobi 1. 14† 4. 1. Judæ 23.
Concupiscentias carnis crucifigere, refrænare, & mortificare jubemur. Eccli. 18. 30. Rom. 6. 12† 8. 8. 12† 13. 14. Galat. 5. 16. Ephes. 4. 22† 5. 3. Coloss. 3. 5. Tit. 2. 12. 1. Pet. 2. 1† 4. 3. 6. Hebr. 12. 1.
Condonandum fratri in nos peccanti. Eccli. 28. 8. Matth. 5. 23† 6. 14† 18. 22. 35. Lucæ 17. 3. Ephes. 4. 32. Coloss. 3. 13.
Confessio peccatorum in scripturis varia, & multiplex, Genes. 41. 9. Levit. 16. 21. 39† 26. 40. Num. 5. 6. Jos. 7. 19. 2. Reg. 24. 17. 1. Esdr. 9. 6. 2. Esdr. 9. 2. Psalm. 27. 7† 31. 5† 37. 19† 73. 19† 94. 1. Proverb. 16. 3† 18. 17† 28. 13. Eccli. 4. 25. 31† 7. 34† 17. 27. Isaiæ 38. 15. Daniel. 9. 5. Matt. 3. 6† 16. 19. Luc. 11. 4† 18. 13. Joan. 20. 23. Jac. 5. 16. 1. Joan. 1. 8. 9.
Confirmationis Sacramentum, Act. 8. 17. Heb. 6. 2.
Confiteri Christum & ejus doctrinam, Matth. 10. 32. Lucæ 12. 8. Rom. 10. 9. 1. Petr. 13. 15. vide Erubescere Evangelium.
Conjuratio & seditio, ejúsque punitio, Num. 16*. † 20. 2. Judic. 9. 23. 31. 34† 12. 1. 4. 2. Reg. 20*. 3. Reg. 1. 5. Esther 2. 21. Actor. 5. 36. 37† 19. 23† 23. 13. 20.
Connubium. vide Matrimonium.
Connubium spiritale inter Deum & animam, Cantic.*. Isa. 50. 1† 54. 5† 62. 4. Jerem. 31. 22. Ezech. 16. 7. 8. Osee 2. 20. Matth. 9. 15† 22. 2† 25. 5. Mar. 2. 19. 2. Cor. 11. 2. Apoc. 19. 7† 21. 2. 9.
Conscientiæ bonæ tranquillitas, Proverb. 15. 15. Eccli. 13. 30. 1. Joan. 3. 21. 2. Corinth. 1. 12. conscientiæ malæ perturbatio, Sap. 17. 10. 11.
Consecratio sacerdotum, dierum, altarium, vestium, ceterarúmque rerum, quarum est usus in sacris, Exod. 28. 41† 29. 1. 7. 21. 29. 35† 32. 29† 40. 11. Levit. 7. 30. 37† 8. 9. 22. 31. 33† 18. 21† 21. 7. 10† 22. 2. 3† 23. 12† 27. 10. 16. 21. 28. Num. 3. 3† 6. 5. 9. 13† 7. 1*. † 8. 12† 18. 10. Jos. 6. 24. Judic. 16. 17† 17. 3. 3. Reg. 15. 13. 1. Par. 10. 10† 18. 11† 22. 19. 2. Par. 2. 4† 17. 16† 23. 9† 26. 18. 1. Esdr. 3. 5† 8. 25. Eccli. 49. 9.
Consilia mala dissipat Deus, Genes. 11. 7† 37. 18† 50. 19. Num. 22*. 2. Reg. 15*. † 17. 14. 2. Esdr. 4. 8. 15. Esther 7. 5*. Job 5. 13. Psalm. 2. 4† 20. 12† 32. 10. Isaiæ 7. 8† 19. 3. Matth. 27. 62. Actor. 5. 19† 9. 24† 23. 12. 19† 27. 42.
Consolatio pauperum. vide Eleemosyna.
Consortium bonorum, & malorum. vide Societas.
Constantia fidelium, 1. Reg. 13. 13 † 16. 26*. 3. Reg. 18. 4. 13. 4. Reg. 3. 13. Sap. 5. 1. Judith 13. 3. 10. 1. Mach. 1. 65† 2. 16. 24† 34. 42. 2. Mach. 6. 10. 19*. † 7*. Daniel. 13*. Matth. 14. 3. Actor. 4. 8. 13. 1. Thess. 1. 6.
Constitutiones superiorum potestatem constituendi habentium, servandæ sunt ut ipsius Dei, Exod. 16. 8. Luc. 10. 16. Act. 16. 4. 1. Thess. 4. 2. 8. Rom. 13. 1. Tit. 3. 1.
Consulendus Deus dubiis in rebus, & ejus vicarij, Genes. 25. 22. Exod. 18. 19. Levit. 24. 12. Num. 9. 7. 26† 15. 34† 27. 5. Deut. 1. 17† 17. 8. Josue 9. 14. Judic. 1. 1† 18. 5† 20. 18. 23† 21. 2. 1. Reg. 10. 22† 23. 4. 10. 12† 30. 8. 2. Reg. 2. 1† 5. 19. 23† 21. 1. 3. Reg. 14. 2† 22. 5. 6. 15. 4. Reg. 3. 11. 16† 8. 8† 22. 13. 2. Paral. 18. 4. 14† 33. 18. Psal. 118. 24. Isai. 8. 11† 30. 1 † 45. 11. Jerem. 37. 3. 5† 42. 2. Ezech. 14. 1. 2. Zach. 7. 2. Tob. 4. 19. Eccli. 37. 19. Luc. 16. 29.
Consulendi non sunt diuini, vel magi, vel incantatores, & arioli. Levit. 19. 31† 20. 6. Deut. 18. 11. 1. Reg. 28. 7. 9. 3. Reg. 22. 6. 4. Reg. 1. 2. 6† 3. 13. 2. Par. 18. 5. Dan. 2. 2† 4. 5† 5. 6.
Contristare Spiritum sanctum, Ephes. 4. 30.
Contristari ad pœnitentiam commendatur, 2. Cor. 7. 9.
Contritio vera prædicatur, Jerem. 7. 3. Matth. 3. 2† 4. 17. Luc. 3. 3. 8† 13. 5† 24. 47. Actor. 2. 38† 3. 19† 8. 22† 17. 30 † 20. 21† 26. 20.
Contritioni veræ promittitur remissio seu venia, Deut. 4. 29† 30. 2. 1. Reg. 7. 3. 2. Paral. 7. 14† 30. 6† 34. 26. Job. 22. 23. Proverb. 28. 13. Psal. 31. 5. Isai. 1. 16 † 30. 18† 45. 22† 55. 7† 59. 20. Jerem. 3. 10. 17† 18. 8† 29. 12† 31. 18. 20. Ezech. 18. 21. 27† 33. 14. Osee 14. 2. Joel. 2. 12. Jon. 3. 8. Zachar. 1. 3. Malach. 2. 7. Eccli. 17. 23. Luc. 15. 18. Actor. 3. 19† 26. 18. 20.
Contritio quærenda & amplectenda dum sani sumus, Eccl. 17. 24† 18. 25.
Contritionis veræ exempla, Jud. 10. 15. 2. Reg. 12. 13† 24. 10. 17. 2. Paral. 12. 6† 33. 12. Jonæ 3*. Judith 4. 8. Matth. 26. 74. Lucæ 7. 37. 44† 15. 18† 18. 13† 19. 8† 21. 62† 23. 41. Actor. 2. 37.
Contritionis falsæ exempla, Gen. 4. 13† 27. 38. Exod. 8. 8† 9. 27† 10. 16. Josue 7. 20. Jud. 1. 7. 1. Reg. 15. 24. 30† 24. 17. 3. Reg. 13. 6† 21. 27. Sap. 5. 3. 1. Mach. 6. 12. 2. Mach. 9. 12. Matth. 27. 4. Actor. 8. 13. 22. Hebr. 12. 17.
Cooperari gratiæ Dei. vide Liberum arbitrium.
Cor sive voluntas hominis à Deo pro facto acceptatur, Genes. 4. 4† 22. 11. Exod. 25. 2† 35. 5. Deut. 19. 5. Matth. 15. 8. Marc. 12. 41. Lucæ 21. 1. 2. Cor. 8. 12. quære Voluntas pro facto.
Cor mundatur & sanctificeatur per Christum, Psalm. 50. 4. Joan. 13. 10† 15. 3† 17. 19. Actor. 15. 9. 1. Cor. 6. 11. Ephes. 5. 26. 1. Pet. 1. 22. 1. Joan. 1. 7† 3. 3. Hebr. 1. 3† 9. 14† 10. 14† 13. 12.
Cornelius Centurio convertitur, Act. 10. 3. 44.
Corona vitæ, 4. Esd. 2. 43. Sap. 5. 17. 2. Timoth. 4. 8. 1. Pet. 5. 4. Jac. 1. 12. Apoc. 2. 10.
Correptio fraterna, Genes. 37. 21. Levit. 19. 18. Psalm. 140. 5. Prov. 1. 20† 9. 7† 10. 17† 12. 1† 13. 1† 15. 31† 17. 10 † 24. 25† 25. 12† 27. 5† 28. 23† 29. 1. Eccl. 7. 6. Eccli. 19. 15† 20. 1† 21. 7† 32. 13. Osee 4. 4. Matth. 18. 15. Luc. 17. 3. Gal. 2. 11† 6. 3. 1. Tim. 5. 20. 2. Tim. 2. 25. Hebr. 3. 13. Jacobi 5. 19.
Correptio impiorum est piis in timorem & cautionem, vide Impiorum.
Corripiens alterum qualis esse debeat, Matt. 7. 3. Luc. 6. 41. Joan. 8. 3. 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 6.
Creator omnium rerum Deus Gen. 1. 1. Exod. 20. 11. 1. Paralip. 29. 10. Psal. 88. 12† 95. 5† 113. 15† 120. 2† 123. 8† 145. 6. Isaiæ 37. 16† 40. 28† 42. 5† 44. 24† 45. 12† 48. 13† 51. 13. Jerem. 10. 12 † 32. 17† 51. 15. Zach. 12. 1. Jonæ 1. 9. Eccli. 1. 8. Baruch 3. 32. Matth. 11. 25. Joan. 1. 3. Actor. 4. 24† 14. 14† 17. 24. 1. Corinth. 8. 6. Ephes. 3. 9. Col. 1. 16. Heb. 1. 2. 10† 3. 4† 11. 3. Apoc. 4. 11 † 10. 6† 14. 7.
Crescere in scientia, Ephes. 4. 15. Coloss. 1. 10. 1. Petr. 2. 2.
Crux & tribulatio omnibus piè viventibus, Genes. 4. 8† 27. 41† 37. 18. 2. Reg. 16. 5. 13. Eccli. 2. 1. Psal. 33. 20. Proverb. 24. 16. Matth. 10. 16*. † 12. 14 † 16. 24† 24. 9. Mar. 13. 9. Luc. 14. 26† 21. 11. Joan. 15. 20 † 16. 1. Act. 9. 23. Gal. 4. 29. 1. Thess. 3. 3. 2. Timoth. 3. 12. 1. Pet. 4. 1. 12† 5. 10.
Crux à Deo imponitur ad nostram utilitatem, 2. Reg. 7. 14. Job. 5. 17† 33. 16. Proverb. 3. 11. Jerem. 46. 28. 2. Machab. 6. 12. Tob. 2. 8† 12. 13. Judith 8. 22. 1. Corinth. 11. 31. 1. Pet. 4. 17. Heb. 12. 5. Apoc. 3. 19.
Per Crucem & res adversas pertingimus ad cognitionem Dei & ad æternam gloriam, Exod. 1. 12. 2. Par. 33. 11. Jud. 8. 15. 21. Proverb. 6. 23. Matth. 7. 24. Luc. 24. 26. 46. Joan. 12. 25. Actor. 14. 21. Rom. 8. 17. 2. Cor. 4. 8. 17† 5. 1. Phil. 2. 8. 2. Thess. 1*. Heb. 2. 9† 12. 2.
Crux patienter est & læto animo ferenda, Matth. 5. 10† 10. 38. Joan. 15. 20† 16. 33. Actor. 5. 41† 16. 25. 2. Cor. 8. 2. Col. 1. 24. Heb. 10. 34. Jacob. 1. 2. 12. 1. Pet. 4. 12. 16.
in Cruce & afflictione consolatio, Job 5. 17*. Prov. 18. 12. Isaiæ 26. 12. 19. Thren. 3. 28. Matth. 5. 10. Joan. 15. 20† 16. 20. 33. Rom. 8. 18. 1. Cor. 10. 13. 2. Cor. 1. 4. 8.
per Crucem experitur nos Dominus, Judith 8. 21. Eccli. 2. 1† 27. 8. Prov. 17. 3. Sap. 3. 5. 6. Thess. 1. 4. 1. Pet. 1. 7.
Cultus Dei verus requirit præter opus externum etiam affectum hominis internum, Deut. 5. 29† 6. 5† 10. 12† 11. 13† 26. 16† 28. 47† 30. 2. Jos. 22. 5. 1. Regum 12. 20. Eccle. 7. 31. Is. 29. 13† 46. 11. Matth. 15. 8† 22. 36. Joan. 4. 23.
Cultus externus Deo gratus. vide Cæremoniæ.
Cyrus rex Persarum permittit captivos Israëlitas in Judæam redire. 2. Paral. 36. 22. 1. Esd. 1. 1. 3. Esdr. 2. 1. restituit eis vasa quondam à Nabuchodonosor ablata. 1. Esd. 1. 7† 5. 14. Dan. 1. 2.

D.

Dæmones expelluntur. Matth. 8. 16. 31† 9. 33† 12. 22† 17. 18. Luc. 4. 35† 8. 2. 28† 9. 42† 10. 17† 13. 10. Act. 5. 16† 8. 7† 16. 18. etiam per malos. Matth. 7. 22. Mar. 9. 38. Luc. 9. 49. Actor. 19. 13.
Dæmones agnoscunt & credunt Deum, Matth. 8. 29. Marc. 1. 24† 3. 11† 5. 7. Luc. 4. 34. 41† 8. 28. Act. 19. 15. Jac. 2. 19.
Dæmonibus immolare nefas, Lev. 17. 7. Deut. 32. 17. Paral. 11. 15. Psalm. 105. 37. Bar. 3. 4. 1. Cor. 11. 20.
Dagon idolum Philistinorum, Jud. 16. 23. 1. Reg. 5. 2. 1. Machab. 10. 83. † 11. 4.
Damascus metropolis Syriæ vastatur à Theglath-Phalasar, 4. Reg. 16. 9. contra Damascum prophetia. Isai. 17. 1† 8. 4. Jerem. 49. 23. Amos 1. 3.
Damnatio æterna quæ parata est diabolo & omnibus impiis, Sap. 5.*. Job 10. 22† 36. 12. Isaiæ 24. 21† 30. 33 † 66. 24. Dan. 7. 11. Matth. 3. 12† 5. 29† 8. 12. 29† 13. 50† 18. 8† 22. 13† 23. 33† 25. 30. 42. Mar. 9. 47. Luc. 3. 17† 16. 23. 25. Hebr. 10. 27. 2. Thess. 1. 8. 2. Pet. 2. 4. Judæ 6. Apocal. 19. 20† 20. 10† 21. 8.
Dan filius Jacob, Gen. 30. 6. tribus Dan quærit sibi possessionem, Jud. 18. 1. pugnat contra Lesem, & expugnat Josue, 19. 47.
Daniel appellatur Baltassar, Dan. 1. 7. interpretatur somnia. 2. 31† 4. 7. 11. 18. 25. constituitur gubernator totius regni Babel, Daniel 6. 3. projicitur in lacum leonum, 6. 16. liberat Susannam, 13. 51. 60.
Dare melius quàm accipere, Eccli. 4. 36. Act. 20. 33.
Dandum sine acceptione personarum, maximè autem domesticis fidei, Eccli. 7. 35† 12. 8. Matt. 5. 42. Lucæ 6. 30. 38. Roman. 12. 13. Galat. 6. 10. vide Eleemosyna.
Darius filius Assueri, Daniel. 9. 5. occupat regnum Babel, 6. 1. impiam legem statuit, 6. 8. præparat regium convivium, 3. Esdr. 3. 1.
Darius renovat mandatum Cyri, 1. Esdr. 6. 1.
Darius cæditur ab Alexandro rege Macedoniæ, 1. Mach. 1. 1.
David filius Isai (qui Jesse appellatur, Matth. 1. 6.) à Samuele ungitur, 1. Reg. 16. 13. interfecit leonem, ursum, & Goliath gigantem, 17. 34. 49. pacisciur cum Jonatha, 18. 3† 20. 8. 16. 23† 23. 18. manducat panes propositionis, 21. 3. simulat amentiam coram Achis rege,

Universidad de Deusto
Biblioteca

21. 13. fugit cum patre & matre in Maspha, 22.3. præcidit oram chlamydis Saul, 24.5. mittit ad Nabal decem iuuenes, 25.5. tollit hastam Saulis, 26. 11. fugit ad Achis regem Geth, 27.2. ungitur in Hebron in regem Iuda, 2. Reg. 2. 4. poscitque eum regem universus Israel, 2. Reg. 5. 1. 1. Paral. 11. 3† 12.38. iuxta verbum Ionathæ, 1. Reg. 23. 17. & Saulis 24. 21. committit adulterium & homicidium, 2. Reg. 11*. pœnitet eum peccati, 12. 13. fugit à facie filij sui Ablalom, 15. 14. libavit aquam Domino, 23. 16. recenset populum, 24. 2. emit ab Areuna aream, 4. 24. consilium capit de domo Dei ædificanda, 1. Paral. 17. 1. constituit operarios & architectos, 23*. 14*. 25*. 6*. 27*. relinquit sibi successorem Salomonem filium, 3. Reg. 1. 30. moritur, & sepelitur, 2. 10. Act. 2. 29† 13. 36. commendatur, Eccli. 47. 2.

David spiritualis (qui est Christus) promittitur, Jeremiæ 30. 9. Ezech. 34. 24† 37. 23.

Davidis filius appellatur Christus, Matth. 1*.† 15. 22† 22. 45. Marc. 12. 35. Luc. 20. 41. Actor. 2. 29† 13. 22. 2. Tim. 2. 8. Apoc. 5. 5.

Decimarum usus & decimæ, Gen. 14. 20† 28. 23. Levit. 27. 30. Numer. 18. 21. 28. Deut. 12. 6† 14. 28† 26. 12. 1. Reg. 8. 15. 2. Paral. 31. 5. 2. Esd. 10. 37. Heb. 7. 2.

Decimæ debentur sacerdotibus, Deut. 18. 3. 2. Paral. 31. 4. vide Sacerdotes.

Dedicatio templi, vel altarium, Num. 7. 10. 11. 84. 88. 3. Reg. 8. 26. 63. 65. 2. Paral. 7. 5. 9† 15. 8. 1. Esdræ 6. 16. 17. 2. Esdr. 12. 27. 3. Esdræ 7. 7. Psalm. 29. 1. 1. Mach. 4. 56. 57. 59. 2. Mach. 2. 9. 12. 20.

Demetrius filius Seleuci exercet tyrannidem, 1. Mach. 7. 1. fœdus inire cupit cum Jonatha, 10. 3. fœdus ictum violat. 11. 53.

Demetrius aurifaber negotium facessit Paulo, Act. 19. 23.

Detractio, Psalm. 14. 3† 100. 5. Eccles. 10. 20. Prov. 10. 18† 11. 13† 16. 28† 20. 19† 26. 20. Roman. 1. 30 2. Cor. 12. 20. 1. Pet. 2. 1. 12. Jacob. 4. 11.

Deus est omnipotens, & nihil apud eum est impossibile, Gen. 17. 1† 18. 14† 35. 11† 43. 14† 48. 3. Num. 11. 23. 1. Reg. 14. 6. 2. Paralip. 14. 11. Sap. 11. 22. Job 42. 2. Isaiæ 40. 10*† 46. 9† 50. 2† 59. 1. Jerem. 32. 17. 27. Zachar. 8. 6. Matth. 19. 26. Marc. 9. 23† 10. 27† 14. 36. Lucæ 1. 37† 18. 27. Ephes. 3. 20. Apoc. 16. 7. 14† 19. 6.

Deus omnia regit & gubernat pro sua voluntate, Gen. 45. 5† 50. 9. Deut. 8. 18. 1. Reg. 9*. Sap. 12. 13. Tob. 7. 12. Job 9. 5† 12. 13. Psalm. 102. 19† 113. 3† 126. 1. Prov. 10. 22† 16. 4. 9† 19. 21† 20. 24† 21. 1. 30. Eccles. 3. 15. Isaiæ 26. 16† 45. 7. Jerem. 10. 23† 27. 5. Dan. 2. 21† 5. 18. Matth. 6. 33† 11. 26† 20. 14. Luc. 12. 31. Joan. 5. 17. Rom. 9. 15. 2. Cor. 3. 5. Phil. 2. 13. Hebr. 13. 21. Apoc. 4. 11.

Deus est pater omnium fidelium ipsi obtemperantium, Deut. 32. 6. Psalm. 102. 13. Prov. 1. 7. Jerem. 3. 4. 14. 19. Malach. 1. 6. Matth. 6. 9† 18. 14† 23. 8. Luc. 11. 2. Joan. 20. 17. Rom. 8. 15. 1. Corinth. 8. 6. 2. Corinth. 1. 3† 6. 18. Eph. 3. 14† 4. 6. 1. Thess. 1. 3. 2. Thess. 1. 1. 2. 2. 16.

Deus est verax & fidelis, Exod. 34. 6. Num. 9. 23. 19. Deut. 7. 9† 32. 41. Reg. 15 29. Isaiæ 49. 7. Joa. 3. 33† 8. 26. Rom. 3. 4. 1. Cor. 1. 8† 10. 13. 1. Thess. 5. 24. 2. Thess. 3. 3. 2. Tim. 2. 13. Tit. 1. 2. 1. Joan. 1. 9† 5. 20. Hebr. 10. 23. Apoc. 3. 7. 14.

Deus est in essentia unus, præter quem non est alius, Exod. 3. 14. Deut. 4. 35† 6. 4† 7. 9. † 10. 17† 32. 39. 1. Reg. 7. 22. 3. Reg. 8. 60† 18. 36. 1. Par. 19. 20. Sap. 12. 13. Is. 37. 16† 43. 10† 44. 6. 24† 45*. †46. 9. Osee 13. 4. Tob. 8. 20† 13. 4. Eccli. 36. 5. Mar. 12. 29. Joan. 17. 3. 1. Corinth. 8. 6† 12. 6. Gal. 3. 10. Ephes. 4. 6. 1. Tim. 2. 5.

Deus est trinus in personis, & unus in essentia. vide Trinitas.

Deus æternus est, nec principium habet, nec finem, sed est ipse principium & finis, Genes. 21. 33. Exod. 15. 18. Job 36. 26. Isai. 41. 4† 43. 10† 44. 6† 48. 12† 57. 15. Dan. 7. 9. Rom. 16. 26. Heb. 1. 8. Apoc. 1. 8. 17† 21. 6† 22. 13.

Deus novit, audit, & videt omnia, Exod. 3. 19. Num. 12. 2. Deut. 31. 21. 1. Reg. 2. 3. 16. 7. 2. Par. 16. 9. Job 14. 6† 22. 11† 28. 24† 31. 4† 42. 2. Psal. 7. 10† 32. 13† 37. 10† 89. 8† 130. 8. Proverb. 5. 21† 15. 3. 11† 14. 12. Isaiæ 29. 15† 40. 27† 48. 4. Jer. 1. 5† 7. 11† 17. 10† 23. 24 † 32. 19. Ezec. 11. 5. Eccli. 16. 15† 17. 13 † 23. 27† 39. 24. 27† 40. 9. Sap. 1. 10. 2. Mach. 9. 5† 12. 22. Matth. 6. 4† 21. 2. Marc. 2. 8† 14. 13. Luc. 22. 10. Joan. 1. 47† 13. 21† 16. 30† 21. 17. Actor. 15. 8. Rom. 8. 27. 1. Thess. 2. 4. 1. Joan. 3. 20. Hebr. 4. 13. Apoc. 2. 23.

Deum nemo videre potest, Exod. 33. 20. Deut. 4. 12. Joan. 1. 18† 6. 46. 1. Tim. 6. 16. 1. Joan. 4. 12.

Deus & divina omnia non possunt humana industria aut ingenio comprehendi, Exod. 33. 20. 3. Reg. 3. 5. Job 32. 8. Psalm. 93. 10† 118*. †142. 8. Isa. 12. 22† 54. 13. Matth. 11. 25† 13. 11† 16. 17. Luc. 8. 10† 10. 21† 24. 44. Joan. 1. 10† 3. 3† 6. 44. 65† 14. 8. 17† 17. 6. Act. 16. 14. Rom. 1. 19† 11. 33. 1. Corinth. 2*. Galat. 1. 11. 1. Tit. 6. 16. Apocal. 3. 7.

Deus est immensus & incircumscriptus, 3. Reg. 8. 27. 2. Paral. 2. 6† 6. 18. Job 11. 8. Psalm. 138. 7. 10. Isaiæ 6. 3† 66. 1. Jerem. 23. 24. Amos 9. 2. Sap. 1. 7. Matth. 5. 35. Actor. 7. 48† 17. 24.

Deus testatur se Deum, id est, salvatorem & consolatorem Israëlis, omniúmque eorum qui ritè ipsum colunt & invocant, Genes. 17. 1. 7. Exod. 6. 2† 20. 2† 29. 45. Levit. 26. 11. Psalm. 17. 3 † 49. 6. Isaiæ 30. 19. Jerem. 31. 33† 32. 38. Ezech. 37. 23. Joan. 10. 17.

Deus est Dominus ac creator cæli & terræ. vide Creator.

Deus nihil eorum quæ fecit, odit, Sap. 11. 25.

Deus est judex totius mundi, reddens unicuique mercedem pro merito, Gen. 18. 25. Deut. 10. 17. Job 34. 11. Psalm. 7. 9† 61. 13† 93. 2† 95. 13. Isai. 11. 3. Eccli. 35. 22. 27. Jerem. 17. 10† 25. 14 Matth. 16. 27† 25. 31. Act. 17. 31. Rom. 2. 6. 2. Tim. 4. 8. Hebr. 12. 23.

Dei misericordia, patientia, charitas, sapientia, verbum. quære suis quæque locis.

Deo soli attributa, subinde in scripturis & aliis per communicationem tribuuntur, vt vocabulum, Deus, soli Deo tribuitur. Deuter. 6. 4† 32. 39. 1. Reg. 2. 2. Psal. 85. 10. 2. Mach. 8. 38. Mar. 12. 29. aliis tribuitur, Exod. 7. 1† 22. 8. 1. Reg. 18. 13. Psal. 46. 10† 81. 6.

Deus solus bonus, Matt. 19. 7. Luc. 18. 19. aliis tribuitur bonitas, Gen. 1. 31† 3. 6† 49. 15. Num. 14. 7. 1. Reg. 29. 9. 2. Reg. 18. 27. 1. Par. 28. 8. Tob. 12. 8. Jud. 12. 12. 14. Psal. 110. 10† 146. 1. Proverb. 18. 22† 22. 1. Eccle. 7. 2. Sap. 8. 19. Eccli. 14. 5. Jerem. 7. 3. Matth. 7. 17. Marc. 9. 50. Luc. 6. 45.

Deus solus sanctus, 1. Reg. 2. 2. aliis sanctitas tribuitur. Exod. 3. 5† 12. 16† 22. 31† 28. 2† 29. 29. 31† 30. 9† 35. 2. Levit. 11. 44. Num. 16. 5. Deut. 6. 7. Josue 5. 15. 2. Reg. 22. 26. 4. Reg. 4. 9. Judith 8. 29. Psalm. 5. 8. Matth. 7. 6. Rom. 7. 12.

Deus solus fortis, 1. Reg. 2. 2. aliis fortitudo attributa, Gen. 32. 28† 49. 14. Ps. 53. 5. Cant. 3. 7. Isaiæ 19. 14. Jerem. 9. 23. Matt. 12. 9. Marc. 3. 27. Luc. 11. 21. Heb. 11. 34. 1. Pet. 5. 9.

Deus solus justus, 2. Machab. 1. 25. alij quoque justi, Genes. 7. 2† 18. 23. Psalm. 33. 16† 36. 29. 30. Prov. 8. 8. Sap. 5. 16. Matth. 1. 19† 10. 41† 25. 46. Lucæ 1. 6. Rom. 1. 17.

Deus solus pius, Apoc. 15. 4. alij etiam pij, 1. Pet. 2. 9.

Deus solus beatus, 1. Tim. 6. 15.
alij beati, Gen. 30. 13. Psal. 1. 1† 32. 1. 2† 40. 1† 118. 1† 126. 1. Matth. 5*. † 16. 17† 24. 46. Lucæ 1. 45† 14. 14. Jac. 1. 1.

Deus solus potens, 1. Tim. 6. 15.
alij potentes, Exod. 18. 21. Psal. 111. 2. Luc. 1. 52. Act. 8. 27† 18. 24.

Deus solus immortalis, 2. Tim. 6. 16. aliis tribuitur immortalitas, Sap. 1. 15† 4. 1† 8. 17.

Deus facit mirabilia solus, Psal. 71. 18† 135. 4. Eccle. 11. 4.
alii quoque faciunt mirabilia, Deut. 34. 12. Eccl. 31. 9† 48. 15.

Deus solus novit arcanas animi cogitationes, 3. Reg. 8. 39. 2. Paral. 6. 20.
alij quoque noverunt, 1. Reg. 9. 19. 4. Reg. 5. 26.

Deus solus peccata remittit, Lucæ 5. 21. dimittunt & alij, Matth. 18. 18. Joan. 20. 23.

Deo soli honor & gloria, Psal. 113. 1. Isaiæ 42. 8. 1. Timoth. 1. 17.
aliis quoque tribuuntur, 4. Reg. 14. 10. 2. Par. 17. 5. Psalm. 149. 9. Eccl. 31. 10. Luc. 14. 10. Joan. 5. 44.

Deus solus adorandus, Exod. 20. 5. Levit. 26. 1. Deut. 5. 9. Matth. 4. 10.
aliis adoratio tribuitur, Gen. 18. 2. vide Adoratio.

Deo soli serviendum, Deuter. 6. 13. † 10. 20. 1. Reg. 7. 3. Matt. 4. 10. Luc. 4. 8.
aliis etiam post Deum serviendum, Genes. 25. 23 † 29. 20† 47. 25. 1. Tim. 6. 2.

Deus

Deus cujus mali sit causa, & cujus non sit. vide Malum.

Diabolus studet semper perditioni hominum, Genes. 3. 1*. 1. Par. 21. 1. Job 1*. 2*. Zach. 3. 1. Matth. 4. 3. 9† 8. 28† 13. 19. Luc. 8. 12† 13. 9. 14† 22. 31. Act. 5. 3† 13. 8. 2. Cor. 4. 4† 11. 14. Ephes. 6. 11. 1. Thess. 2. 18. 1. Petr. 5. 8. Apoc. 2. 10† 12. 9† 20. 7.

Diabolus non plura potest quàm ei Deus permittit, 3. Reg. 22. 22. 2. Paral. 18. 20. Job. 1. 12† 2. 6. Matt. 8. 31. Marc. 5. 12. 13. Ephes. 2. 2. 2. Tim. 2. 26. Apoc. 20. 7.

Diabolus pater & princeps mundi omniúmque impiorum, Matth. 4. 9. Luc. 4. 6. Job 41. 25. Joan. 8. 44† 12. 31† 14. 30† 16. 11. 2. Corinth. 4. 4. Eph. 2. 2† 6. 12. Coloss. 2. 15.

Diaboli imperium per Christum sublatum, Gen. 3. 15. 1. Reg. 17*. Iob 26. 13. Isaiæ 9. 4† 14. 8. 12† 27. 1† 52. 3. Zach. 3. 2. Matth. 12. 29. Luc. 10. 18. † 11. 22. Joan. 12. 31. Coloss. 1. 13† 2. 15. 2. Tim. 1. 10. 1. Joan. 3. 8. Heb. 2. 14. Apoc. 12. 9† 20. 2.

Diaboli filij, Joan. 8. 44. Actor. 13. 10. 1. Joan. 3. 10.

Diaconi, Act. 6. 3† 21. 8. Phil. 1. 1. 1. Tim. 3. 8.

Diana colitur Ephesi, & in universa Asia, Actor. 19. 27.

Dies novissimi, & judicium extremum, 1. Reg. 2. 10. Psalm. 95. 13. Isaiæ 2. 10. 19† 13. 4. 6. 13† 26. 21† 27. 1† 30. 30† 66. 15. 24. Jerem. 30. 23. Dan. 7. 9. Soph. 1. 2. 14. Malach. 4. 1. 4. Esd. 2. 27 † 13. 32. Matth. 12. 36† 13. 41. 49† 16. 27† 24*. † 25. 31. 42. Marc. 13*. Luc. 17. 24. 30. Act. 1. 11† 3. 20† 17. 31. Rom. 2. 5. 16† 14. 10. 1. Corint. 15*. 2. Cor. 5. 10. 1. Thess. 4. 16† 5. 22. Thess. 1. 7† 2. 1. Tit. 2. 13. 2. Petr. 3. 13. Hebr. 9. 28. Judæ 14. Apoc. 1. 7† 20. 11.

Dies Domini, Isaiæ 13. 6. Jerem. 30. 7. Amos 5. 18. Joël 2. 1. 31. Soph. 1. 14. Mal. 4. 1. 4. Esd. 2. 27. Phil. 1. 6† 2. 10. 1. Thess. 5. 2. 2. Tim. 4. 8.

Dies Domini & hora nulli cognita, Matth. 24. 36. 50. Marc. 13. 32. Luc. 17. 24. 30. Actor. 1. 7. 1. Thess. 5. 1. 2. Petr. 3. 10. Apoc. 3. 3† 16. 15.

Dies pro annis, Num. 14. 34. Ezec. 4. 6.

Dilectio Dei erga suos, Exod. 20. 5† 34. 14. Deut. 4. 24† 6. 15† 7. 8. Josue 24. 19. Prov. 8. 17. Eccli. 4. 18. Jerem. 31. 3. Joan. 3. 16† 10. 11† 13. 1. 18† 15. 9† 16. 27. Ro. 5. 8. Ga. 2. 2. 1. Eph. 3. 19† 5. 2.

Diligendus est Deus super omnia Genes. 22. 2. 9. Exod 20. 6. Deut. 5. 10† 6. 5† 10. 12† 11. 1. 13. 22† 30. 6. Jos. 22. 5. Ecc. 7. 32† 34. 19† 47. 11. Matth. 10. 37† 22. 36. Marc. 12. 30. Luc. 7. 47† 10. 27. Joan. 21. 15. Rom. 5. 5† 8. 28. 35. 1. Cor. 10. 21. 1. Joan. 4. 17.

Dilectio. vide Charitas.

Dina filia Jacob, Genes. 30. 21. violatur à Sichem, cap. 34. 2.

Dionysius Areopagita convertitur, Actor. 17. 34.

Discordia vitanda, Proverb. 6. 19† 10. 12† 15. 18† 16. 28† 17. 11† 18. 6† 30. 33, Matth. 12. 24*. Luc. 11. 17. 1. Cor. 14. 33. Gal. 5. 15. 2. Tim. 2. 23.

Divini. vide Incantatores.

Divites quomodo se erga pauperes habere debeant, Lev. 25. 35. Deut. 15. 7. 10. Job 31. 16. Psalm. 61. 11. Prov. 14. 31 † 17. 5† 19. 17† 21. 13† 22. 7† 28. 27† 30. 7. Eccle. 11. 1. Eccli. 4. 4† 7. 35† 11. 10† 29. 12† 31. 8. Isaiæ 23. 18. Matth. 6. 19† 19. 21. Luc. 14. 13† 16*. † 18. 22. Actor. 2. 45† 4. 34. 1. Tim. 6. 18. vide Eleemosyna.

Divitiarum vanitas & contemptus, & quemadmodum in divitiis non sit sperandum, Psal. 38. 7† 48*. † 51. 9. Prov. 10. 2† 11. 4. 28† 15. 16† 18. 11† 22. 16† 23. 4† 28. 11† 30. 7. Eccle. 5. 9. 12† 6. 2. Isaiæ 2. 7. Jerem. 17. 3. 11† 22. 13. Ezech. 7. 19. Soph. 1. 18. Eccli. 5. 1. 10† 10. 10† 11. 7† 14. 1† 31. 3. Matth. 3. 22† 19. 21. Luc. 8. 14† 12. 15. 1. Timoth. 6. 9. Jacob. 1. 11.

contra Divites impios, 1. Reg. 25. 2. Job 20. 19† 27*. Prov. 23. 4† 28. 8. 20. 27. Eccl. 6. 1. Isaiæ 5. 8† 32. 9. Jerem. 15. 13. Amos 6. 1† 8. 4. Hab. 2. 5. Luc. 6. 24† 16. 19. 24. Jacob. 5. 1. vide Avaritia.

Doctrina Apostolica scripta & non scripta firmiter tenenda, Rom. 16. 17. Gal. 1. 8. 11. 2. Thess. 1. 15. 1. Cor. 11. 3. 34.

Doctrina Apostolorum est Christi doctrina, Luc. 10. 16. 1. Corinth. 14. 37. 2. Cor. 2. 14. 17† 7. 20. 1. Thess. 2. 2. 13. Galat. 1. 11.

Doeg servus Saulis prodit sacerdotem Abimelech, 1. Reg. 22. 9. 18. cædit Sacerdotes Domini, 22. 18.

Dolus, Jerem. 9. 6. Psal. 34. 20† 9. 28. Prov. 12. 17. Marc. 7. 22. Actor. 5. 1. Rom. 1. 29.

Domus ædificata super petram firma manebit, Psalm. 45. 2. Matth. 7. 24† 16. 18. Luc. 6. 48. Rom. 8. 35.

Domus corporis nostri, 2. Cor. 5. 1. 2. Petr. 1. 14.

Domini & dominæ erga servos & ancillas totámque familiam officium, & potestas, Exod. 21. 2. 20. 26. Lev. 19. 13† 25. 38. Deut. 5. 14. 21† 15. 12. 16† 24. 15. Job 31. 13. Prov. 29. 19. Jerem. 34. 9. 14. Eccli. 7. 22† 33. 31† 42. 16. Ephes. 6. 9. Col. 4. 1.

Donaria recipere, sitne prohibitum, Genes. 14. 22. Exod. 18. 21† 23. 8. Num. 22. 18. Deut. 10. 17† 27. 25. 1. Reg. 8. 3† 12. 3. 3. Reg. 13. 7. 4. Reg. 5. 16. 2. Par. 19. 7. Job 15. 34. Ps. 14. 5† 25. 10. Prov. 15. 27† 17. 23. Is. 1. 23† 5. 23† 33. 15† 45. 13. Ezech. 13. 19† 22. 12. Dan. 5. 17. Mich. 3. 11. Eccli. 8. 3† 20. 31. Actor. 20. 35.

Drusilla uxor Felicis præfecti, audit doctrinam Evangelicam à Paulo, Actor. 24. 24.

E.

Ebrietas, & gula, Genes. 9. 21† 19. 32. 35† 25. 29. Lev. 10. 9. 1. Reg. 25. 36. 2. Reg. 11. 13† 13. 28. 3. Reg. 20. 12. 16. Prov. 20. 1† 11. 17† 23. 1. 2. 3. 20. 29† 31. 4. Eccli. 19. 1† 23. 6† 31. 12. 17*. 31. 35† 37. 32*. Isa. 5. 11. 22† 22. 13† 28. 7† 56. 12. Ezech. 16. 49. Dan. 5. 2. Osee 4. 11. Joël 1. 5. Mich. 2. 11. Habac. 2. 5. 16. Judi. 13. 4. Sap. 2. 7. 1. Mach. 16. 16. Luc. 12. 45† 21. 34. Rom. 13. 13. 1. Corinth. 5. 10† 6. 10† 15. 31. Gal. 5. 21. Ephes. 5. 18. 1. Thess. 5. 7. 1. Tim. 3. 3. Tit. 1. 7. 1. Petr. 4. 3. Hebr. 12. 16. vide Jejunium.

Ebrietas iram Dei provocat, Isa. 5. 11. 22† 28. 1. Dan. 5. 2. Joël. 1. 4. 5. 1. Cor. 6. 10. mentem alienat, Prov. 23. 31. Eccli. 19. 2. Isaiæ 28. 1. 7. Osee 4. 11. ad libidinem incendit, Prov. 20. 1. Eph. 5. 18. facultates dissipat, Prov. 25. 20. Eccli. 19. 1. secretum detegit, Prov. 31. 4. Habac. 2. 15. ad furorem & rixas excitat, Prov. 20. 1† 23. 29. Eccli. 31. 38. 40. Osee 7. 5.

Ebron, vide Hebron.

Ecclesia accipitur pro templo materiali, Deut. 23. 1. Judic. 20. 2. Jud. 6. 21. Psalm. 67. 27. Thren. 1. 10. Joël. 2. 16. 1. Cor. 11. 18† 14. 34.

Ecclesia accipitur pro cœtu fidelium, Num. 19. 20† 20. 4. 1. Reg. 17. 47. 3. Reg. 8. 14. 55. 1. Par. 29. 1*. 2. Paral. 1. 3. Psal. 21. 26† 25. 12† 34. 18† 106. 32† 149. 1. 1. Machab. 4. 37† 5. 16† 14. 19. Matth. 16. 18. Actor. 5. 11† 8. 1† 16. 4. Rom. 16. 16. 23. 1. Cor. 6. 5† 11. 16† 12. 28† 14. 5. 2. Corinth. 8. 18. 23. 24† 11. 8† 12. 13. Ephes. 5. 23. Philip. 4. 15. Col. 1. 15. 1. Timoth. 3. 5. 15. Jac. 5. 14. Apoc. 1. 11† 22. 16.

Ecclesia pro cœtu unius provinciæ, 3. Reg. 8. 14. Actor. 9. 31† 11. 26† 12. 1† 13. 1† 15. 1† 19. 32† 20. 17. Rom. 16. 2. 1. Corinth. 1. 2† 16. 1. 2. Corinth. 8. 2. Gal. 1. 2. 2. Thess. 1. 1*. 1. Pet. 5. 13. Apoc. 2. 1*. † 3. 1.

Ecclesia pro Prælatis & Præpositis, 3. Reg. 8. 14. Matth. 18. 17.

Ecclesia est una & visibilis præfigurata per unam & visibilem arcam Noë, Genes. 6. 14. 1. Petr. 3. 20. per civitatem sanctam Jerusalem, Apoc. 21. 2. per hortum conclusum & fontem signatum, Cant. 4. 12. per unam columbam, 6. 8. per vineam, Psalm. 79. 9. Cant. 2. 15. Is. 5. 2*. Jerem. 2. 21† 12. 10. Matth. 20. 1*. Marc. 12. 1. Luc. 20. 9. Apoc. 14. 15. per navem, Luc. 5. 3. per sagenam comprehendentem bonos & malos pisces, Matth. 13. 47. per agrum, Matth. 13. 24. per regnum cælorum, Matth. 13*. † 25*.

Ecclesia firmamentum veritatis errare non potest, Isaiæ 29. 21. Matth. 16. 18† 28. 20. Luc. 22. 32. Joan. 14. 16† 16. 13† 17. 11. 20. 1. Tim. 3. 15*. 1. Joan. 1. 27.

Ecclesia est corpus Christi, Cant. 4. 7. 9. 11. 12. Ephes. 1. 22† 4. 4† 5. 23. 1. Cor. 12. 27.

Ecclesia fidelium nascitur & propagatur per sanam doctrinam, Joan. 1. 12† 3. 3. Ro. 8. 13† 9. 8. Gal. 3. 20† 4. 19. Eph. 1. 5. Tit. 1. 1. 1. Cor. 4. 15. Phil. 10. 1. Pet. 1. 23. 1. Joan. 3. 9† 5. 1. 18. Jacob. 1. 18.

Ecclesia seu fidelium cœtus, tenetur sacerdotibus pastoribúsque suis quæ ad vitam sunt tuendam necessaria suppeditare, Deut. 12. 19† 14. 27† 16. 11† 25. 4. 1. Esdr. 7. 23. Matth. 10. 10. Lucæ 10. 7. Rom. 15. 27. 1. Cor. 9. 7. 11. Galat. 6. 8. Phil. 2. 29† 4. 10. 16. 1. Thess. 5. 12. Heb. 13. 7. Tenetur etiam pro suis præfectis orare, Actor. 4. 29† 12. 5. Rom. 15. 30. Ephes. 6. 18. Phil. 1. 19. Colos. 4. 2. 2. Thess. 3. 1. Heb. 13. 18.

Ecclesia est sponsa Christi, Psal. 44. 11. Ezech. 16. 9. 2. Corinth. 11. 2. Ephes. 5. 26. Apoc. 19. 8† 21. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiæ caput est Christus, Osee 2.2. 1.Cor.12.27. Ephes. 1.22†4.15†5. 23. Col.1.18†2.10.

Ecclesiæ quasi membra quædam sunt veri fideles, eidem capiti Christo ejúsque vicario subjecti, cujuscunque nationis fuerint, sive Judæi, sive Gentiles, Isa 43.9. Joan. 10.16.1. Cor.12.12. Eph. 3.6.

Ecclesiæ claves promittuntur, & potestas, Matth. 16.19. traduntur, Joan. 20. 23. exercentur, Matth. 18.17. vide Excommunicatio & Confessio.

Ecclesiam sibi Christus comparavit & emit Sanguine suo, Actor. 20.28. 1. Corinth. 6.20†7.23. Ephes. 2.13. Colos. 1. 14. 1. Petr. 1.18. Hebr. 9.12. 1. Joan. 1.7. Apoc. 1.5†5.9.†14.4.

Ecclesiam suam Deus protegit & custodit, Exod. 13. 21†29.45. Levit. 26. 12. Deut. 7.20†23.14†31.3.3. Reg. 6.13. Psalm. 90. 1.11†131.13. Isaiæ 43.2. Jer. 46.28. Matth. 18.20†28.20. Joan. 14.23. 2. Corinth. 6.16.

Edom frater Jacob, filius Isaac, appellatur Esau, Gen. 25.25.

Edumæi negant Israëlitis transitum per suam regionem, Nu. 20. 14. cæduntur, & fiunt servi domui Israël, 2. Reg. 8. 14. deficiunt ab Israël, & creant sibi regem, 4 Reg. 8. 20. superantur à Juda, 14. 7. 2. Paral. 25. 12.

Contra Edumæos prophetia, Num. 24. 18. Psalm. 136. 7. Isaiæ 21. 11†34. 5. Jerem. 49. 7. Thren. 4. 22. Ezech. 25. 13. 14†32. 29†35*. †36. 5. Amos 1. 11. Abdiæ 1. 1*. vide Esau.

Eleazar filius Aaron, Exod. 6. 23† 28. 4. partitur cum Josue terram Chanaan, Josue 14. 1. juxta præceptum Domini, Num. 34. 17. consecratur Sacerdos, Levit. 8. 24*. fit post mortem patris summus Sacerdos, Num. 20. 26. Deut. 10. 6. moritur & sepelitur, Josue 24. 23. filium habet cui Phinees nomen erat, Exod. 6. 25. quem in demortui patris locum sufficiunt, Num. 25. 7. 12.

Eleazar filius Saura occidit elephantem, quo in vulnere procumbente, ipse oppressus suffocatur, 1. Machab. 6. 43.

Eleazari senis martyrium, 2. Mach. 6. 18. 24.

Eleemosyna pauperibus eroganda, Exod. 22. 25†23. 11. Levit. 19. 10†23. 22†25. 34. Deut. 15. 7. 10†24. 19. 3. Reg. 17. 10. 2. Esdr. 8. 11. Esther 9. 22. Psalm. 40. 1†81. 4†111. 9. Proverb. 3. 9. 28†11. 18. 25†14. 21. 31†18. 17†21. 13. 21†22. 9†28. 27†31. 20. Eccles. 11. 1. Isaiæ 58. 7. Ezech. 16. 49†18. 7. Dan. 4. 29. Eccli. 4. 2†7. 35†12. 3†14. 11†29. 12†35. 4. Tob. 1. 4†4. 7. 17†12. 9†14. 12. Matth. 6. 3†10. 42†19. 21†25. 35. 42. Luc. 3. 11†6. 35†11. 41†12. 33†14. 13†16. 9. 21†19. 8†21. 1. Actor. 2. 42† 6. 2†9. 39†10. 2†11. 29†20. 35. Rom. 12. 8†15. 26. 1. Corinth. 16. 1*. 2. Corint. 8. 4. 1†9*. Eph. 4. 28. Hebr. 13. 16. 1. Joan. 3. 17. Jacobi 2. 15. quære Misericordia.

Eli sacerdos in Silo, 1. Reg. 1. 3. filij ejus reprehenduntur, 2. 12. 22. è solio lapsus fractis cervicibus moritur, 4. 18.

Elias vide Helias.

Eliseus ungitur Propheta, 3. Reg. 19. 19. juxta præscriptum Domini, 19. 16. transit Jordanem, 4. Reg. 2. 14. sanat aquam, 2. 20. revocat puerum ad vitam, 4. 32. mundat Naaman à lepra, 5. 14. percutit Syrios cæcitate, 6. 18. prædicit rerum abundantiam, 7. 1. ægrotat, & moritur, 13. 14. 20. mortuum ejus corpus excitat mortuum, 13. 21. commendatur, Eccli. 48. 13.

Elymas magus fit cæcus, Actor. 13. 8.

Emere & vendere quomodo oporteat, Genes. 23. 9. 14†25. 31†33. 19†41. 57† 42*. Levit. 19. 13. 35†25. 14. 46. Deut. 15. 1†25. 13. 2. Reg. 4. 21. Eccli. 27. 3† 42. 25. Proverb. 11. 1. 26†16. 11†20. 10. 23. Isaiæ 23. 18. Jerem. 32. 6. Ezech. 45. 10. Mich. 6. 10. Matth. 7. 2. Luc. 14. 18. 1. Corinth. 7. 30. 1. Thess. 4. 6.

Ephron, quia negabat Judæ transitum, funditus perdita est, 1. Mach. 5. 46. 2. Mach. 12. 27.

Episcopi, eorum electio, & officium, Matth. 20. 23. 26. Luc. 4. 16†22. 26. Joan. 10. 4. 14†21. 15. Actor. 1. 24†6. 3† 11. 22†14. 20†20. 28. Rom. 13. 16. 25. 1. Cor. 3. 5†4. 1†16. 1. 9. 2. Cor. 3. 6†4. 5† 10. 8†6. 4. Ephes. 1. 15†3. 2. Col. 1. 23. 1. Tit. 3. 1†4. 6. 2. Tim. 2. 1. 15. 24. Tit. 1. 5. 1. Pet. 5. 2. vide Concionator.

Erubescere nullus debet Evangelium, Psalm. 39. 11. Eccli. 42. 9. 21. Mar. 8. 38. Luc. 9. 26. Rom. 1. 16. 2. Tim. 1. 8.

Erubescendum propter peccata, Ezec. 16. 52. Eccli. 42. 11.

Esaias, vide Isaias.

Esau filius Isaac nascitur, Gen. 25. 24. vendit sua primogenita, 25. 31. Heb. 12. 16. supplantatur à fratre suo Jacob, Genes. 27*. ducit filiam Ismaëlis, 28. 9† 36. 3. procedit cótra Jacob cum 400. viris. 32. 6. osculatur suum fratrem Jacob, 33. 4. in Esau pugnare prohibetur Israël, Deut. 2. 4. vide Edom.

Esdras Scriba proficiscitur ex Babylone, 1. Esd. 7. 6. separat mulieres Gentiles ex Israël, 9*. †10*. legit coram multitudine librum Legis, 2. Esdræ 8. 2. 3. Esdr. 9. 39. appellatur Josedec. 1. Paral. 6. 15.

Esurire justitiam, Isaiæ 55. 1. Psalm. 106. 9. Matth. 5. 6. Luc. 1. 53†6. 21. Apoc. 21. 6†22. 17.

Eva formatur ex costa Adæ, Gen. 2. 21. comedit fructum vetitum, 3. 6.

Evangelium Christi ejúsque prædicatio, Gen. 3. 15. Isai. 53. 1†55. 5†61. 1. Matth. 1. 21†11. 28†28. 19. Marc. 16. 15. Luc. 2. 10†24. 46. Joan. 3. 16†6. 35†8. 12†10. 9†12. 46. Rom. 1. 16†3. 21. 24† 8. 3. 1. Corinth. 1. 15. 29†4. 15†15. 1. 2. Cor. 5. 18. Galat. 1. 6. 11. Ephes. 1. 13. 1. Tim. 1. 15. 1. Tim. 1. 8†2. 8. 1. Petr. 4. 17.

Evangelium adfert fiduciam, simul & timorem, consolationem, & terrorem, Matth. 3. 7*. †5. 20. 23†7. 13. 19. 23†8. 12†9. 15†10. 33†11. 12†12. 37. 41†13. 29. 40. 50†15. 13†16. 27†18. 6. 7†20. 16 †22. 13. 14†24. 12. 24*. †25. 12. 13. 30. 41*. Marc. 10. 25. 31†13*. Luc. 3. 17†6. 24. 25†9. 62†12. 20. 40. 48†13. 5. 26. 30†16. 22†17. 30. 34†19. 22*. †20. 47† 21*. Joan. 5. 28†15. 16. Actor. 5. 5. 6*. Rom. 1. 18†2. 5. 6*. †6. 23†9. 18*. †11. 20. 22†13. 2. 3. 4†14. 12. 1. Corinth. 3. 13. 17†5. 5†10. 8†11. 29*. †15. 51†16. 22. 2. Corinth. 7. 1. 8. 10†13. 5. Galat. 5. 21. 24. Ephes. 5. 5. Philem. 2. 12. 1. Tim. 5. 24. Hebr. 9. 27†10. 27. 11*. Jac. 4. 9†5. 1. 1. Petr. 4. 18†5. 8. 2. Petr. 1. 10†2. 4*. †3. 10*. Judæ 15.

Evangelizanti debetur necessaria vitæ sustentatio, Matt. 10. 9. Marc. 6. 8. Lucæ 9. 4†10. 7. Rom. 23. 26. 1. Cor. 9. 7. 11. 13. Galat. 6. 6. 1. Timoth. 5. 17. 2. Tim. 2. 6.

Eucharistia, Matth. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. 1. Corinth. 11. 34*. † 10. 16. frequenter sumenda, Actor. 2. 42 †20. 7. præfiguratur, Exod. 16. 15*.

Eucharistia sub altera tantùm nimirum panis specie, Joan. 6. 58. data à Christo, Luc. 24. 30. 31. ab Apostolis, Actor. 2. 42†20. 7.

in Eucharistia non remanet substantia panis post consecrationem, sed est verum Christi corpus & sanguis, Matth. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. Joan. 6. 51.

Eucharistiam in publicis Supplicationibus circumferendam esse, præfiguratum, Jos. 6. 6. 7. 11*. 20. 1. Reg. 4. 3. 2. Reg. 6. 4. 5. 6.

Eucharistia adoranda, Psal. 31. 2. 8. 30 † 98. 5. Joan. 9. 38.

Exactio, census, & tributum debetur, Principibus, Matth. 17. 24†22. 17. Marc. 12. 16. Lucæ 20. 22. Rom. 13. 7.

Excommunicatio à Christo instituta & præcepta, Matth. 5. 29†16. 19†18. 8. 18. Marc. 9. 42. Joan. 20. 23.

Excommunicatio in usu fuit Apostolis, 1. Cor. 5. 3. 10. 2. Thess. 3. 6. 14. 1. Tim. 1. 20. Tit. 3. 10.

Excommunicatio exercenda ad ædificationem & emundationem Ecclesiæ, & ad correctionem ejus qui excommunicatur, 1. Corinth. 5. 4. 1. Tim. 1. 20. 2. Thess. 3. 14. ut spiritus ejus salvus fiat, 1. Cor. 5*.

Excommunicatio Pharisæorum, Joan. 9. 22. 34†12. 42†16. 2.

Excommunicandi, qui in moribus aut doctrina graviter errantes admoniti, nolunt resipiscere, Prov. 22. 10. Matth. 18. 17. Rom. 16. 16. 1. Cor. 5*. 2. Cor. 2. 8. 2. Thess. 3*. 1. Tim. 1. 20†6. 5. 2. Tim. 2. 17. 21†3. 5. Tit. 3. 10. Joan. epist. 2. 10.

Excommunicati vitandi, Matt. 18. 17. 1. Cor. 5*. Tit. 3. 10.

Exequiæ celebrantur, Genes. 23. 2. 3† 50. 10. Deut. 34. 8. 2. Reg. 3. 31*.

Ezechias filius impij Achaz cùm esset rex, tamen pius fuit, 4. Reg. 16. 20. frangit serpentem æneum, 18. 4. deficit ab Assyriis, 18. 7. mittit nuntium ad Isaiam prophetam, 19. 2. Isa. 37. 2. decumbit ex gravi morbo, 4. Reg. 29. 1. Isa. 38. 1. ostendit Babyloniis suum thesaurum, & reprehenditur, 4. Reg. 20. 12. 14. Isa. 39. 1. 5. commendatur, Eccli. 48. 19.

Ezechiel cum aliis captivis vehitur in Babylonem, Ezech. 1. 1. vocatur, & mittitur, 2. 3. commendatur, Eccli. 49. 10.

F.

Facere pro Sacrificare in Scripturis, Levit. 15. 15. 30. Num. 6. 11. 16. †8. 12†9. 2. 4. 10. 14. Judic. 13. 16. Lucæ 22. 19.

Fama bona præstantior divitiis, Prov. 22. 1. Eccles. 7. 2. Eccli. 41. 15. 16.

Fames & annonæ caritas, Gen. 12. 10 †26. 1†41*. 42*. 43*. 44*. 45*. 47*. Exod. 16. 3. Deut. 28. 53†32. 24. Ruth 1. 1. 2. Reg. 21. 1†24. 13. 3. Reg. 8. 37*. 18. 2. 4. Reg. 4. 38†6. 25†8. 1†25. 3. 2. Paral. 6. 28†20. 9. 2. Esdr. 5*. Psal. 36. 19. Isaiæ 5. 13. Jerem. 14. 1. 12. 15†15. 2†29. 17 †34. 17. Ezech. 5. 12. 16†11. Joël. 1*. Amos 4. 6. Agg. 1. 6. 10†2. 17. Matth. 24. 7. Luc. 4. 25†15. 14. Actor. 7. 11†11. 28. Rom. 8. 35. 2. Corint. 9. 14†11. 27. Apoc. 6. 8†18. 8.

Fames verbi Dei, 1. Reg. 3. 1. 2. Par. 15. 3. Osee 3. 4†4. 1. Amos 8. 11.

Famulorum famularúmque officium, Genes. 16. 4. 6†24*. †30. 25†31. 4†39. 1. 6. Exod. 21. 1. 20. 4. Reg. 5. 20. 25. Prov. 14. 35†17. 2†19. 10†29. 19. Eccle. 2. 7. Eccli. 5. 22†10. 28. Jerem. 34. 8. Joël. 2. 29. Luc. 12. 37. 45. Actor. 12. 13. 1. Corinth. 7. 21. Ephes. 6. 5. Colos. 3. 22. 1. Tim. 6. 1. Tit. 2. 9. 1. Pet. 2. 18.

Felix præfectus Judææ, Actor. 23. 24†24*.

Fermentum, mala doctrina, Levit. 2. 11†6. 16. Deut. 16. 3. Matth. 16. 6. Marc. 8. 15. Luc. 12. 1. 1. Corinth. 5. 5. Gal. 5. 9.

Festa Judæorum, & in primis festum Paschæ, vide Pascha.

Festum Pentecostes, Exod. 22. 16†34. 22. Num. 28. 26. Deut. 16. 9. Joan. 5. 1. Actor. 2. 1†20. 16.

Festum tubarum, Levit. 23. 24. Num. 29. 1. 2. Paral. 5. 3.

Festum expiationum, Levit. 16. 30† 23. 27. Num. 29. 7. 8.

Festum tabernaculorum, Exod. 23. 16. Levit. 23. 34. Num. 22. 12. Deut. 16. 13†31. 10. 1. Esdr. 3. 4. 2. Esdr. 8. 15. 17. 2. Mach. 1. 9†10. 6. Joan. 7. 2.

Festum Sabbati. vide Sabbatum.

Festum neomeniæ, Num. 28. 11. 1. Reg. 20. 5. Ezech. 45. 18.

Festorum violatio quàm graviter puniatur, Num. 15. 32.

Festus præfectus Judææ, Act. 24. 27.

Fides in Scripturis variè accipitur, videlicet pro fidelitate & veritate Dei in servandis promissis, Psal. 32. 4. Isaiæ 11. 5. Thre. 3. 23. Osee 2. 20†5. 9. Rom. 3. 3. pro veritate & constantia verborum inter homines, Gen. 39. 16†44. 32. Levit. 6. 2. Eccli. 22. 28. Jerem. 42. 5. 1. Mach. 10. 17. 1. Tim. 2. 7. pro virtute Theologica, Sap. 1. 2†3. 14. Hab. 2. 4. Matth. 8. 13†9. 22†17. 20. Marc. 5. 34. Luc. 5. 20. Rom. 3. 21†4. 3†5. 1. pro fide viva & formata per charitatem, Hab. 2. 4. Matth. 9. 22†15. 28. Mar. 5. 34†10. 52. Luc. 7. 50. Rom. 3. 12. Gal. 5. 6. Heb. 11*. pro fide mortua absque charitate. Matth. 7. 21. 22. 1. Corinth. 13. 2†15. 2. Jac. 2. 26. pro sponsione seu voto, 1. Tim. 5. 12. pro fiducia, Iacob. 1. 6.

Fides charitate inferior. vide Charitas.

Fides viva quæ per charitatem operatur, magnæ virtutis est, Matth. 9. 2. 22. 29†21. 22. Mar. 16. 16. Luc. 18. 42. Joan. 1. 12†3. 15. 16. 36†6. 35†7. 38†11. 25† 14. 12†20. 29. Actor. 3. 16†10. 43†15. 9 †16. 31. Rom. 1. 16†3. 22. Galat. 3. 8. Ephes. 2. 7. Hebr. 11. 6*.

Fides non facit nos certos aut securos de accepta peccatorum remissione, aut consequenda vita æterna. vide Certi.

Fides sine operibus non justificat, 1. Cor. 13. 2. Gal. 5. 6. Jac. 2. 24.

Fides ipsa etiam appellatur opus bonum, Phil. 1. 6.

Fides est una, Ephes. 4. 5.

Fidei vivæ & operanti tribuitur justitia & salus, Gen. 15. 6. Marc. 16. 16. Luc. 1. 45†8. 48†23. 41. Joa. 5. 24†17. 3. Actor. 13. 38†16. 31. Rom. 3. 22†4. 3. 22†5*. †10. 1. 10. Phil. 3. 9. 1. Pet. 2. 6. Hebr. 4. 3.

Fidei prædicatio ad eorum qui præsunt in Ecclesia judicium referenda est, Gal. 1. 2.

Fidem Gentilium etiam respicit Deus, Jerem. 39. 18. Matth. 8. 5. 13†15. 28. Luc. 7. 9†10. 33†17. 16. Joan. 4. 47. Act. 10. 3†8. 26.

Fideles Deus liberat à communi perditione, & internecione impiorum, Gen. 6*. 7*. 8*. 19*. Exod. 8. 22†9. 4. 6. 26†10. 23†11. 7. Num. 16. 20. 26. 31. Jerem. 39. 18. Dan. 6. 22. 2. Pet. 2. 7.

Infidelitas seu incredulitas punitur, Genes. 19. 11. 17. 26. Num. 11. 21†14. 11†20. 12. Deut. 9. 20. 4. Reg. 7. 2. 17. 4. Esdr. 15. 4. Psalm. 77. 32. Eccli. 2. 15. Matth. 8. 28†14. 30†17. 17. Marc. 16. 16. Luc. 1. 16†24. 24. Joan. 3. 18. 36†6. 7 †8. 24†12. 48†20. 27. Rom. 11. 20. Heb. 3. 18†4. 2†11. 6. Apoc. 21. 8.

Filiorum officium erga parentes, Gen. 9. 23†22. 2. 7†27. 1†28. 7†37. 14*. Exod. 20. 12†21. 17. Levit. 19. 3. 32 †20. 9†21. 9. Deut. 5. 16†21. 15. 18†27. 16. Jud. 14. 1. 1. Reg. 2. 11. 18. 22†3. 1. 7 †8. 1†18. 5. 3. Reg. 2. 19. 4. Reg. 2. 23† 12. 2†22. 1. 2. Paral. 34. 3. Eccli. 3. 1. 8† 6. 18†7. 29†8. 7. 11†22. 3†23. 18†25. 10†32. 24. Tob. 4. 1†14. 5. Job. 1. 4†8. 4†32. 4. 6. Prov. 1. 8†4. 1†6. 20†10. 1† 13. 1†15. 20†19. 26†20. 11. 20†22. 15† 23. 19. 25†28. 24†30. 17. Jerem. 35. 16. Ezech. 22. 7. Matth. 4. 20†10. 35†15. 4† 19. 19. Marc. 10. 19. Luc. 2. 48†8. 20. Actor. 7. 14†22. 3. Ephes. 6. 1. Colos. 3. 20. 1. Tim. 5. 1. 1. Pet. 5. 5.

Foenum & herba citò transiens omnis homo, Psalm. 89. 6†128. 6. Isa. 40. 6. Eccli. 14. 15. 1. Pet. 1. 24. Jac. 1. 10.

Foenus. vide Usura.

Fornicatio iram Dei provocat, Deut. 22. 21. Prov. 23. 27. Eccli. 19. 3. Jer. 5. 7. Osee 4. 14. 1. Cor. 6. 9. 13. 15. Col. 3. 5. Hebr. 13. 4. corpus enervat, & facultates absumit, Job. 31. 12. Prov. 23. 27† 29. 3†31. 3. Eccli. 9. 6. infamiam adfert, Eccli. 9. 10†41. 21. fornicationis occasiones vitandæ, Eccli. 9. 4. 12†42. 12. fornicatio non solùm in opere externo, sed & in affectu prohibetur, Exod. 20. 17. Matt. 5. 28.

Fornicatio spiritalis, quæ est hæresis & idololatria, 2. Deut. 31. 16. Jud. 2. 17†27. 33. Isai. 1. 21†57. 3. Jerem. 3. 1. Ezech. 6. 9†16*. Osee 1. 2†. 2. 4†4. 15. Apoc. 18. 3.

Fratres & sorores Christi qui sint, Matth. 12. 49†28. 10. Marc. 3. 33. Luc. 8. 21. Joan. 20. 17. Heb. 2. 12. Psalm. 21. 23.

Fraus. quære Dolus.

Frugtus boni operis. quære Opus.

Fundamentum est Christus, 1. Corinth. 3. 11. Ephes. 2. 20. 1. Pet. 2. 6. fundamentum etiam Apostoli, Ephes. 2. 20. Apoc. 21. 14.

& peculiariter Petrus, Matth. 16. 18*. Joan. 21. 15. 17. cuius fides numquam deficiet, Luc. 22. 31.

Furtum prohibetur, committitur, & punitur, Exod. 20. 15†21. 17†22. 1. Lev. 19. 11. Deut. 5. 19†24. 7. Jo. 7. 1. 19. Tob. 2. 21. Prov. 6. 30. Osee 4. 2. 2. Mach. 12. 40. Matth. 19. 18. Joan. 12. 6. 1. Cor. 6. 10. Apoc. 9. 21.

Fures dicuntur, verbum Dei & doctrinam veram adulterantes, Jerem. 23. 30. Joan. 10. 1.

G.

Gaal opponit se Abimelech, Jud. 9. 26. 35. 39.

Gabaonitæ redimunt vitam astu quodam, Josue 9*. obsidentur, & obsidione liberantur, 10. 5*. Propter ipsos injustè à Saule occisos suspenduntur filij Saulis, 2. Reg. 21. 1. 6. 9.

Gabelus venit cum Raphael ad nuptias Tobiæ, Tob. 9. 7.

Gabriel apparet prophetæ Danieli, Dan. 8. 16†9. 21. Zachariæ sacerdoti, Luc. 1. 11. Virgini Mariæ, 1. 26.

Gad filius Jacob ex Lia, Gen. 30. 11†25. 26.

Gadditæ recipiunt suam hereditatem, Num. 32*. Deut. 3. 12. Jos. 13. 24.

Gad propheta admoner David, ut non maneat in terra Moabitarum, 1. Reg. 22. 5.

nuntiat Davidi iram Dei, 2. Reg. 24. 11. 18.

Gaius, 1. Corinth. 1. 14. capitur, Actor. 19. 29. deducit Paulum in Asiam, 20. 4. hospitio cum suscipit, Rom. 16. 23.

Galgal, sive Galgala, civitas Israël, Jos. 4. 14. in Galgal circumciditur populus, & celebrat Pascha, 5. 2. 7. 10. egreditur inde ad liberandos Gabaonitas, 10. 7. revertitur, 10. 43.

Galilæa recipit Christum, Joan. 4. 45. in Galilæa incipit Christus prædicare, Matth. 4. 12. Actor. 10. 37.

Gamaliel, vir peritus Legis, Actor. 5. 34†22. 3.

Gamaliel dux Manassitarum, Nu. 1. 10.

Gaudere & lætari honestè licet, 1. Par. 29. 9*. 2. Esd. 12. 42. Psal. 67. 4. Luc. 1. 14. 1. Thess. 1. 6†5. 16.

Gaudendum non est more Gentilium, Eccle. 2. 2†7. 3. Osee 9. 1. Amos 6. 8. Prov. 2. 14. Jac. 4. 9. Gaudium in persecutione, Matt. 5. 12. Actor. 5. 41†20. 24. Rom. 5. 3. Col. 1. 24. Heb. 10. 34†11. 25.

Gaudium spiritus, Luc. 10. 21. Rom. 12. 12†14. 17. Galat. 5. 22. Philip. 4. 4. 1. Thess. 5. 16.

Gaudium salutis æternæ, Isa. 25. 18† 26. 1†33. 20†65. 12. Sap. 3. 1. 7. vide Beatitudo.

Gedeon dux & judex in Israël, Jud. 6*. †7*. †8*.

Gemitus quis probandus, quis improbandus, Exod. 2. 24. Ezech. 9. 4. Tob. 3. 1. 2. Mach. 6. 30. Rom. 8. 2. Jac. 5. 9.

Gentium vocatio, Genes. 49. 10. Nu. 24. 17. Deut. 32. 43. 2. Reg. 23. 44. 50. 3. Reg. 8. 41. Psalm. 2. 8†21. 28†67. 32.†

Universidad de Deusto
Biblioteca

71.8.17.85†86.4.Isaiæ 2.2†11. 10† 19. 18†25. 7†27. 13†29. 17†35*. †41. 25†43. 5†45. 14†49*. †51.5†54*.†55 *.†56. 3.6†60. 3. 9†65.1†66.19.20. Jerem.9 24†24. 6†6.19. Osee 2.1.24. Joël.2.28.Mich.4.2.Soph.3.9. Zach.2. 11†8209.10.Matth.2.2.7†8. 11†21. 31.43†21.9. Joan.10.16. Act.8.26.30† 10*.1.Cor.12.13.Ephes.2.10.

Gentilium mores non sunt nobis imitandi,Levit.18.3†20.23.Jerem.10.2.

Genu omne flectendum Domino, Psalm.21. 30. Isa.45.23. Rom.14. 11. Phil.2.10.

Gerson filius Levi, Num.3.17.Gersonitarum ministerium,3.25†4.22.

Giesi minister Elisei, 4.Reg.4.25. fit leprosus,5.26.

Gladius non cuivis permittendus, Matth.26.51.Marc.14.47. Luc. 22. 49. Joan.18.10.

Gladius spiritus est verbum Dei, 4. Esdr.13.9.27. Isaiæ 11. 4†27.1†31.8† 49.2†.66.16. Ephes. 6.17. Hebr.4.12. Apoc.1.16†2.16†19.15.2. Thess.2.8.

Gloria Dei in omnibus quærenda, Jos.7. 19. Psalm.113.1. Matt.6.9.Joan. 9.24†17.4.Actor.3. 12†12. 23.1.Cor. 6.20†10.31.Phil.1.20.Col.3.17. Tit.2. 10. quære Honor.

Gloria beatorum. vide Beatitudo.

Godolia filius Ahicam gladio interimitur, 4.Reg.25.25. Jerem.41.2.

Gratia in Scripturis accipitur pro beneficio, Ruth 2. 20. 2. Reg.2.6†15. 20.Prov.4 9.Eccli.7.37†29.20. pro favore,Gen.6.8†18.3†19. 19†39.21.Exo. 12. 36. Tob. 3.13. Esth.2.17.Prov.13. 15. Eccli.4.25.Dan.1.19.Act.2. 47†24. 27†25.9.pro præmio quod à Deo expectatur, Prov.1.9†12.2.2. Mach.12.46. Luc.6.33.1.Petr.2.19. pro dono aliquo gratis dato, Esth. 15. 17. Psalm. 44. 3. Prov. 3. 22†16.23†22.11.1. Cor.12*. Ephes.4.7.1. Pet.4. 10. pro dono supernaturali Deo gratum faciente, Psal. 83. 12.Luc.1.28†2.40. Joan.1.15. Rom.1. 7.1. Cor. 16. 23.2. Cor.1.12. Gal.5.5. Hebr. 13. 9. Jac.4. 6. pro re grata,pulchra, accepta, & amabili, Prov. 31.30. Eccle.10.12.Eccli.7.21†11.19†26.16. 19†40.22.Luc.4.22. Ephes.4.29.

Gratiæ donum quàm sit occultum & reconditum, quódque nemo facilè illud sibi arrogare debeat, Job 9.20.21. Psal. 2.1 †18.13†14.2. Prov.14.1†.0.9. Eccle.9.11.12.Eccli.5.5. Jerem. 17.9.1. Corinth. 4. 4.2. Corinth.10.14†13.5. Gal.6.3.Philip.2.12.1.Petri 4.18.2.Petri 1.10.1.Joan.4.1.

Gratia qua quis hominibus gratus est,etiam illa à Deo est, Exod.3. 21†11. 3†12.36.4. Reg.25.27.1. Esd.2.5.Psal. 105. 46. Jerem.40.2.3.4. Dan.1.9.Tob. 1.13.1.Act.24.23†27.3†28.19.

Gratus animus erga Deum & homines commendatur,Genes.4.3†8. 20†14. 21†23*. 24.48†26.25.Exod.15.1.Lev. 25.6.Num.15.17†31.48.Deut.4.9†6.5. Jud. 5.1. 1. Reg. 2. 1†14. 35†31. 11. 2.Reg.10.2†19.33.3.Reg.2.7.1.Paral. 29.10.20.2. Paral.15.11†20.26. Esther 6*.Tob.9†12.1.7. Eccli.7.22†32. 28† 35.13.1. Mach.4. 24†5.54.2. Mach.3. 33.Matth.11.25.Marc.5.19.Luc.18.43. Joan.11.40.Actor.4.21†27.35. Rom.6. 17. 2. Cor. 6.1. Ephes.5. 19. Phil. 4.6. Col.2.7†3.15.1.Thess.5.18.2.Thess.1. 3.1.Tim.4.3.

Gratiæ agendæ ante & post cibum sumptum, Deut.8. 10.1. Reg.9.13. Isa. 61.9.Matt.14.19†15.36†26.25. Marc. 6.41†8.6†14.22.Luc.9.16. Joan.6.11. 23.Actor.27.35. Rom.14.6.1. Cor. 10. 30.1.Timot.4.3.

Gula. vide Ebrietas, & Ciborum luxus.

H.

Hæreticos & infideles relinquit Deus ad justorum probationem, Jud.3.1.1. Cor.11.19.

Hæretici jam inde à temporibus Apostolorum exiterunt, 1. Tim. 1. 20. 2. Timot. 2. 18. 1. Joan. 2. 18. 2. Joan.7. Apoc.2.15.

Hæreticos futuros etiam nostris temporibus prædictum est, Matth.24. 5.24. Joan.5.43.1.Tim.4.1.2. Tim.3.1.2.Pet. 2.1†3.3.Judæ 18.

Hæreticorum mores & doctrina, ibid.

Hæretici vitandi,Deut.13.1. Matt.7. 15.Rom.16.17.2. Tim.2.17†3.5. Tit.3. 10.2.Thess.3.14. Joan.1.10.

Hæretici malè tolerantur à præfectis, Apoc.2.14.

Hæretici tollendi è medio, Deut.13.5† 18.20.3.Reg.18.40*.4.Reg.10. 25*.

Hæresis, fornicatio spiritalis. vide Fornicatio.

Hazael famulus Benhadad regis Syriæ,4.Reg.8.11.15. juxta mandatum Domini,3.Reg.19.15. percussit Israël in universis finibus suis,4.Reg.20. 32†12. 17†13. 3. quemadmodum prophetatum est,4.Reg.8.11.13.moritur,13.24.

Helias vir pilosus, & zona pellicea cinctus renibus, 4. Reg.1.8.

Heliæ orationis efficacia, 3. Reg. 17. 1.Jac.5.17.18.alitur ministerio corvi, 3. Reg. 17.2. excitat puerum mortuum,17. 19.occidit prophetas Baal, 18.40. fugit Jezabel, 19.3. mittitur in Damascum, ut ungeret Hazael regem Syriæ, 19.15. mittitur ad Achab, 21.17. ad Heliam missi principes quinquagenarij cum suis, igne cælitus demisso consumuntur, 4. Reg. 1. 10. assumitur per turbinem in cælum, 2.11. apparet in transfiguratione Domini,Matt.17.3.Luc.9.30.

Heliodorus à cubiculis Seleuco, tentat thesaurum templi auferre, 2. Mach.3.7.13.punitur à Deo,3.24.

Heliseus. vide Eliseus.

Herodes Ascalonita occidit innocentes pueros,Matt.2.16. & moritur, 2. 19.

Herodes Antipas filius Herodis, tetrarcha Galilææ, Luc. 3. 1. occidit Joannem Baptistam, Matth.14.9. Herodes & Pilatus morte Christi inter se reconciliantur, Lucæ 23. 12. Act.4.27.

Herus & Hera. vide Dominus & Domina.

Hesron filius Phares, Genes. 46. 12. Matth. 1. 3. relinquit post se Aram, & appellatur Jephonne, 1. Par. 4. 15.

Hester fit uxor Assueri, Esther 2*. precibus suis apud Assuerum latam de Judæis uno die occidendis sententiam revocat, Esther 8. 3. 8.

Hieremias. vide Jeremias.

Hierusalem. vide Jerusalem.

Holofernes dux Nabuchodonosor mittitur contra Israël, Jud. 2. 4. blasphemat Deum,6.1.

obsidet Bethuliam,7.1.proprio gladio cervix ei præciditur,13.8.

caput ejus conspiciendum ponitur in muris civitatis, 14. 1. totus Assyricus exercitus se in fugam dedit, 15.1.

Homo creatus est ad imaginem Dei, Gen.1.16†2.7†5.1†9.6. Sap. 2.23. Eccli.17.1.Job 10.8.Psa.118.73.Jac.3.9.

Homo maledicitur, Genes.3.17.

benedicitur in Christo, Gen. 12. 3† 22.18. Gal.3.8.

Hominis regeneratio, Matth. 18. 3. Joan.1.13†3.3.6†4.14†7. 31.1.Corint. 4.15.Galat.4.19. Ephes.4.22. Colos.3. 8.Tit.3.5.1.Pet.1.23†2.2. Jac.1.18.

Homo pulvis & lutum, Gen.2. 7†3. 19†18.27.Eccle.12.7. Eccli.17. 1†18. 8†41.13.Job 4.19†10.8†34.15. Psalm. 77.39†102.14†143.4.Isaiæ 40.6.

Homicidium,latrocinium, & sanguinis effusio,Gen.4*.†9.6†37.18. Exod. 2. 12†20. 13†22.2. Lev.24.21. Num. 25.7*. Deut.5. 17†19.4. 11†21. 1†27. 24. Jos. 20.3. Jud.9.5.1. Reg.18. 17.2. Reg.3.27†4.7.12.3.Reg.2.5.25.34.46. 4.Reg.14.5†21.16. Prov.6. 17†28.17. Eccli.34.25.27.Thren.4.13.Ezech.11. 6†22. 1†24. 6. Osee 4.2. Matth.5.21† 19. 18†23. 34†26.51. Joan.8.44. Rom. 13.9.Gal.5.21.1.Joa.3.12.Apoc.13.10.

Honor qui ab hominibus proficiscitur,non magni faciendus,Num.16.1.Jud. 9.1.1.Reg.10.27.2.Reg.15.1.3.Reg.1. 5.Esth. 3.1*.†6.6. Eccli.9. 16†10.29. 30. Jerem. 9. 23. Matt.6. 1†8.4†9. 30 †17.9†20.21.26.Marc.1. 44†5. 43†7. 36†8.26†9. 8†10.35.43. Lucæ 22.24. Joan.6.15†8.50†12.43.Act.10.26†14. 14.Gal.6.2.Phil.2.3.1.Thess.2.6.1.Pet. 5.3.3.Jos.9.Apoc.19.10†22.9.

Honor Dei, quære Gloria.

Honorandi parentes. vide Parentes.

Hospitalitas commendatur, Isa.58. 7.Matt.25.36.Luc.14.13. Rom.12. 13. 1.Tim.3.2. Tit.1.8.1. Petri 4.9.3.Joan. 5.9.Hebr.13.2. Jac.1.27.

Hospitalitatis exempla, Genes. 18. 3 †19.2†24.31.Jos.2*.Jud.13.15†19.4. 9.3. Reg.17.10.17.4.Reg.4.8.Job 1.4† 31.17.Tob.2.1.Lucæ 10.38†19. 6.Act. 16.15†28.2.7.

Inhospitalitas,Jud.8.5†19.18.1. Reg. 25.9.14.Sap.19.13.

Humilitas Deo Grata est,Gen.18.27† 29.31†41.40.Jud.6.15.1.Reg.1*.†2.1. 8†7.9.10.2.Reg.6.16.21.2. Par.12.6.8 †32.26†33.12†34.26.Psal.33.19.Prov. 11.2†16.19†18.12†22. 22†25.7†29. 23.Isai.37.1†57.15†66.2.Jer.1.6.Jon.3. 5. Eccli. 3. 18†7.19. Jud.4.7. 11†9. 16. Mar.3.11†5.3†8.8†11.20†15.27†18. 4†20.26†21.5†23.7.11.Mar.9.34†10. 43.Luc.1.48†9.42†14.7. 11†15.19† 18.13†22.26. Joan.13.4. Actor.10.26. Rom.11.20†12.16.1. Cor.4.6†15.8. Phil.2.3. Col.3.12. Hebr.11. 24.1.Pet. 5.5.Jac.1.9†4.10.Apoc.4.1†19.10.

Hymenæus pseudo apostolus, 2. ad Tim.2.17.

Hypo

Hypocrisis, 1.Reg.15.11*.†18*.2. Reg.15.2.7.4.Reg.1.6.9.Job 8.13†13. 16†15.34†20*†27.8†36.13. Prov. 30. 13.Eccli.1.36†19.24.Isa.29. 13†38.2. Jerem. 9. 8. Ezech.33.30. Mal.3.13. 2. Mach.6.24. Matt. 2.7. 16†6.2.16†7.5† 15.7†16.3†22.18†23*. †24.51. Mar.7. 6.Luc.11.44†12.1.56†18.11. Actor.5. 1†8.18†13.8.Ro.2*. Gal. 2.13.1. Tim. 4.2.2.Tim.3.5.1.Thess.5.22.1.Pet.2.1.

I.

Jabes in Galaad opprimitur ab Israël, Jud.21.10.obsidetur,1.Reg.11.1.viri Jabes Galaad exhibent misericordiam Sauli,& filio ejus, 31.12.

Jacob filius Isaac nascitur, Gen. 25. 23. emit à fratre Esau primogenita,Gen. 25.31.præripit Esau benedictionem, 27. 5*. proficiscitur ad Laban, 28.10. videt scalam,& vovet votum,28.12.20.

servit Laban pro duabus filiabus, 29. 18.revertitur in patriam,31.17.

luctatur cum Angelo,32.24. vocatur Israël,32.28†35.10.3.Reg.18.31.mittit filios in Ægyptum,42.1.

migrat cum tota sua familia in Ægyptum, 46*. Deut. 10. 22. filios Joseph adoptat in suos,48.5.8.

benedicit duodecim filiis, & moritur, 49.33.sepelitur cum patribus suis in terra Chanaan, 50.4.7. secundùm promissionem, 47.29.& secundùm mandatum, 49.29.commendatur, Eccli.44. 24. vide Israël.

Jacobus Zebedæi filius vocatur,Matt. 4.10.occiditur,Actor.12.2.

Jebus appellatur Jerusalem, Jos.15.8. Jud.19.10.1.Par.11.4.

Jebusæos expugnare non poterat Israël, Jud. 1. 21. superantur tamen à David,2. Reg. 5.8.

Jehu filius Hanani prophetæ arguit regem Josaphat, 2.Par.19.2.

mittitur ad Baasa regem Israël, 3. Reg.16.1.7.

Jehu filius Josaphat filij Namsi ungitur ut rex esset Israël, ad delendam domum Achab, 4.Reg.9.1.6.

juxta præscriptum, 3. Reg.19. 16.

occidit Jezabel, 4. Reg.9.30.33.

occidit septuaginta filios Achab,10. 1. jubet comprehendi & jugulari fratres Ochoziæ regis Juda, 10. 14. perdit servos Baal, 4. Reg.10.17.25.moritur,10.35.

Jejunium, & jejunandum esse, Joël. 2. 12. Tobiæ 12.8. Matth. 6.16*. Mar.2.20.Luc.2.36†5.35.Rom.13.13. 1.Cor.7.5.2.Cor.6.5†11.27.Actor.13. 2. 3. 14.22. Ephes.5. 18.1. Thess. 5.6. Tit.2.2.1. Pet.1.13†5. 8. vide Quadragesima.

Jejunij meritum, Jer.35.14.19.Jon.3. 7.9.10.Judith 4.8†8.6.Matth.17.21†6. 17.Lucæ 2.37.

Jejunatur pro mortuis, 1.Reg.31.13. 2.Reg.1.12†3.35.1.Paral.10.12.

Jejunij exempla, Exod. 24. 18†34. 28.Deut.9.9.18.Jud.20.26.1. Reg.7.6† 31.13.2.Reg.3.35†12.16.2. Paral.20. 3.1. Esdr. 8.21.2. Esdr. 1.4. Esth.4. 3. Psalm. 34.13. Jer.36.9. Dan.10.3. Jon. 3.5.Jud.4.7†8.5. Tob.3.10. Marc.4.1† 9. 14. Luc. 2. 37†5. 33. Actor.10.30† 13.3†14.23.

Jejunium indictum à rege Saule, 1. Reg.14.24.à Josaphat, 2. Paral.20.3.à Ninivitis & eorum rege, Jon. 3. 5.7. ab Esdra, 1.Esdr.8. 21.ab Esth. & Mardochæo,Esth.4.16. vide Abstinentia.

Jeremias propheta ex Anathoth, Jerem. 29. 27. vocatur, & à Deo mittitur, 1.4.

Jeremias persecutionem patitur Jere. 18. 19†20. 1†26.7†33. 1†37. 12†38. 4. 7.

Jeremias invenit gratiam apud Nabuchodonosor,Jerem. 39.11.

Jeremias vinculis solvitur à Nabuzardan,Jerem.40.1.

Jeremias luget Josiam, 2.Par. 35.25.

Jericho expugnatur & exuritur,Jos.6., 20.24. reædificatur ab Hiel, 3.Reg. 16. 34.appellatur civitas Palmarum, Deut. 34.3.2.Paral.28.15.

Jeroboam filius Nabat, servus Salomonis, fit inimicus Israëli, 3.Reg.11. 26.2.Paral.13.6. fit rex decem tribuum, 3. Reg. 12. 20. juxta verbum Ahiæ, 11. 29.erigit duos aureos vitulos, & falsum cultum Dei,12.28.31. idque punitur & exprobratur,14.7†15.25†16.19. 26.4. Reg.3.3†10.29.32†13.2.6. 11†14. 24 †15.9.18.24†17. 22†23.15.

manus ejus exarescit, 3. Reg. 13. 4. curatur, 13. 6. moritur, 14. 20. tota ejus domus perditur,15.29.juxta quod prædictum fuerat, 14.10. contra Jeroboam, Amos 7. 10.

Jeroboam filius Joas fit rex Israël, 4. Reg.13.13†14.16.moritur,14.29.

Jerusalem expugnatur à filiis Judæ, Judic. 1.8. eligitur à Deo in habitaculum,3.Reg.8*.2.Paral.6. 2†7.16.

Jerusalem appellatur Jebus, Jos.15.8. Jud.19.10.1.Par.11.4.

Jerusalem appellatur Salem, Psalm. 75. 3.

Jerosolymam quæ tribus Jacob inhabitaverint,1.Par.9.3.2.Esd.11.1.

Jerusalem obsidetur à rege Syriæ & Israelis,4.Reg.16.5.à rege Nabuchodonosor,4.Reg.24.10†25.1.

Jerusalem exuritur, & evertitur,4. Reg.25.9.iterùm excolitur & reparatur, 2.Esd.3*.†6.15.

contra Jerusalem & ejus cives,4.Reg. 21. 12†23.27. Isa.1.6†3. 1†22. 1.8† 29.1.7†65.2. Jerem.4.3.9†7*. †13*.† 17.19†19.3.6†21.3†23.39†25.8†32. 3. 26†34.1†38.3†39.8.Ezech.3.6†4*. †5*.†10.2†15*. †21.6†22*.†23*. Soph.3.1.

Jerusalem destruenda per Romanos, Dan.9.26.Zach.14.1. Matth. 24. 1.15. Luc. 13.35†19.41†20.16†21. 6.Ioan. 11.48.

Jerusalem spiritualis, Ecclesia sancta Psal.121.3.Isa.33.20†54.11†60*.†62. 6†65.16.18. Tob.13.19. Baruch 5.1.7. Galat.4.26.Heb.11.10†12.22. Apoc.3. 12†21.2.10.

Jezabel impia, impij Achab conjunx,3.Reg. 16.31†21.5.7.

occidit prophetas Domini, 18.4. 13. minatur Eliæ prophetæ mortem, 19.2. à canibus dilaceratur, 4. Reg.9.33.juxta verbum Eliæ prophetæ,3. Reg.21.23.

Illuminati dicuntur baptizati Hebr.6.4.

Imagines jussit Deus fieri, Exod. 25. 18*. Num.21.8*.

Imagines fecit Salomon,3.Reg.6.35† 7.25. 9.36†10. 9.2.Par.3.10. 14†4.3.

Imaginum usus,Num.21.8.Sap.16.6. Jos. 2. 26*. de altari in testimonium & memoriam extructo.

Immisericordia, & ejus punitio, Exod. 1. 12. Deut.23.3. Jud.8.6. 15.1. Reg.25.15.38.Job 20. 19. Prov.21. 10. Eccli. 12.13. Amos 1.6. Matth.18. 30. 34†25.42. Luc. 16.21.23.Jacobi 2.13.

Impatientia, & ejus punitio, Exod. 14.11†15.24†16.1.7†17.2.Num.11.1. 10†14.1.26†21.5.Job 3.1.Prov.12.16. Eccli.2. 16.

Impiorum dicta,facta,& cogitata contra pios, Sap.2*. Psal.9*.10*. 11*. 13*.Prov.4.14.

Impiorum prosperitas, Job 10.3†21. 7.10.Psal. 72.2.8†9.1.8.4.Esd.3.28.31. Jerem. 12.1.Hab.1.13.2.Mach.6*.

Impiorum prosperitas bonis admirationem parit, Job 21. 7.13. Psal.72. 2. Eccle.7.16.Jerem.12.1.Habac.1.13.Malach.3.15.

Impij incidunt in mala quæ piis parantur,1.Reg.17.42†31.4. Esth.7. 10. Ps. 7.16†9. 16†34. 8†36.14. Prov.26.27. Eccle.10.8. Isa.33.1. Jerem.48*.Dan.3. 22†6. 24†13. 62. Eccli.27. 28. Judith 13.4.Apoc.18.6.

Impij incidunt frequenter in malum quod timent, Job 6.16. Prov.1.26†10. 24.Isa.66.4.

Impiorum subita & improvisa punitio, dispersio & eversio, Gen.7. 21†14. 15†19.24†34.25.Exod.14.24. Lev.10. 2.Nu.11.33†16.31.Jos.10.9†11.7. Jud. 4.20†7.12.15.21†8.11†16. 28.1.Reg. 30. 16. 2. Reg. 13.28.3. Reg.16.2†18. 40†20. 13. 19. Job 4.8†5.3†8.13†15. 20†18*.†20*.†27.14†36.12. Psalm.1. 5†36*. Prov.1. 27†6. 15†10. 25†12.7. Isa.5.24†47.9. Jerem.15. 8.Dan.5.30.1. Mach.2.62†4.3. Matth.24.38. Luc.12. 20.46†16.23. 25†17.27.29.1. Th.5.3.

Impiorum punitio bonis est ad timorem & cautionem, Deut.13.11†17.18† 19. 20†21. 21. Prov. 19. 25†21. 11. Eccli.23.37.Actor.5.11.1. Tim.5.20.

Impios deridebit Deus, Psal.2. 4†36. 13†58.9.Prov.1.26.Sap.4.12.

Impositio manuũ varia in veteri Testamento,Gen.48.14. Ex.29.10. Lev.1.4† 3.2.Num.27.23.Dan.13.34.Mar.10.16.

Impositio manuum in Sacramento ordinis & confirmationis, Actor. 6.6†8. 17†13. 3†19. 16. 1.Tit. 4.14†5.21.2. Tim.1.6.

Impudicitia contra naturam, Genes. 19.5†38. 7. Lev.18.22†20.13. Jud.19. 22.30.Rom.1.27.1.Cor.6.10.Ephes.5. 12.1.Tim.1.10.2.Pet.2.7.8.

Incantationes & maleficia,Exod.7. 11†8.18†22.18. Lev.19. 11†20. 6.27. Num.23.23.Deut.18.10.11. Reg.28*.4. Reg. 17. 17†21. 6. Isaiæ 2.6†44. 25† 47.13.Jerem.10.2.Dan.2.2.10.Mich.5. 11. Actor. 8. 8†13. 6†16. 6. 16†19.19. Galat.5.20. Apoc.18.23†21.8.

Incestus grave peccatũ, Lev.18.6.7 †20.12.14.Deut.22.30.1.Cor.5.1.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDULGENTIÆ, 2. Corinth. 2.10.
INFERNUS & damnatio parata diabolo & angelis ejus. vide Damnatio.
Inferni pœna varia & horribilis, Deut. 32. 22. Job 24. 19. Psalm. 10.6† 20.10†48. 5†111.10. Sap.11.17. Eccli. 21.10. Isaiæ 30.33†33.11.13. 14†34. 9. Jerem. 9.15. Mal. 4.1. Matt. 8.12. Luc. 13.27†16.23. Apoc. 14.9†18.7†20.14. numquam terminanda, Isa. 66.24. Matth. 25.41.46. Marc. 9.47.2. Thess. 1.9.
INFIDELITAS. vide Fides.
INFIRMITAS corporalis. vide Ægrotatio.
INGRATITUDO, & ejus punitio, Gen. 31.1†40.23. Exod. 1.8. Deut. 23.3*. Ju. 2.1†6.8†8.33†12.1.1. Reg. 10. 18†12. 8†25.3.10.2. Reg. 14.30.2. Paral. 24.21. Prov. 17.13. Isa. 1.2†5.4. Jer. 2.5.6. Ezech. 16*. Osee 10.1†13.2.6. Mich. 6.3. Sap. 16. 29. 1. Mach. 16.16.19. Matth. 11.10. Luc. 17.18. Joan. 11.46. Rom. 1. 21.2. Tim. 3.2.
INIMICUS non passim contemnendus est, 1. Reg. 14.14†17.45.2. Reg. 21. 20. 3. Reg. 20*. 4. Reg. 14.8.
Inimico reconciliato non temerè credendum est, 1. Reg. 14.17*26.21.2. Reg. 3.26.1. Mach. 12.24.
INIQUITAS abundabit, 4. Esdr. 5.2†14. 16. Matth. 24.12.1. Joan. 5.19. vide Impij & Mali.
INNOCENTIA sua cuique tuenda, & malæ suspiciones amovendæ, Jos. 22.22. 1. Reg. 1. 14.3. Reg. 18.17. Jerem. 37. 12. Actor. 2.14†6.14†7. 2†28.17.
INOBEDIENTIA eiúsque punitio, Gen. 3.16. 17†19.17.26. Lev. 10.1†16.14*. Num. 14.28.41†16.31†20.24. Deut. 11. 16.28†17.12†18.19.20†27. 16*.†28. 15*. 1. Reg. 12. 15†13.11†15.24†28. 16.2. Reg. 6.6.3. Reg. 11.9†12. 15.11† 14. 17†20. 35*.2. Par. 7.19†26.16.19. Isa. 24.5. Jerem. 11.3. 8†13. 8†17.27† 26.4†35* Jon. 1.3. Matt. 17.17. Actor. 7. 39. Rom. 2. 8. Galat. 8. 10. 2. Thess. 1.8.
INVIDIA & odium, Genes. 4.5†26.14 †27.41†30.1†37.4.11. Exod. 1.8†20. 13. Levit. 19.17. Num. 12. 1†35.20.23. Deut. 19. 11.1. Reg. 18.7.11. Sap. 2.24. Prov. 10.12.18. Ezech. 25.15. Dan. 6.3. Luc. 15.28. Joan. 12.4. Rom. 1.29†13. 13. Gal. 5.15.20. Jac. 3.14†4.2.1. Pet. 2. 1.1. Joan. 3.13.15†4.20.
JOAB filius Sarviæ, 2. Reg. 2.13. confodit Abner, 3.27. reconciliat Absalonem per Thecuam, 14*. confodit Amasa. 20.9. confoditur ipse, 3. Reg. 2.28.34. juxta mandatum Dauid, 1.5.7.
JOACHAZ filius Jehu, rex Israël, 4. Reg. 10.35†13.1.
Joachaz filius Josiæ exuitur regno, & vehitur in Ægyptum, ubi & moritur, 4. Reg. 23. 34. captivitas ejus prædicitur, Ezech. 19.4. appellatur Johanan, 1. Par. 3. 15. post ipsum creatur rex frater ejus Eliachim, 4. Reg. 23.34.
JOACHIN filius Joacim fit rex Juda, 4. Reg. 24.8. ducitur captivus à Nabuchodonosor in Babyloniam, 24.12.15. dimittitur ex carcere, & ad honores evehitur, 25.24. appellatur Jechonias, Jerem. 37.1. appellatur Neri, Luc. 2.27. ei succedit patruus Matthanias, 4. Reg. 24.17.
JOACIM, anteà dictus Eliacim, filius Josiæ, fit rex Juda, 4. Reg. 23. 34.3. Esd. 1. 37. combussit libros sermonum Jeremiæ, Jer. 36.21. appellatur Melchi, Luc. 3.24. moritur, 4. Reg. 24.1.5. post ipsum constituitur rex filius Joachin, 4. Reg. 24.6.
JOANNA uxor Chusæ sequitur Christum, Luc. 8. 3.
JOANNES Baptista filius Zachariæ, Luc. 1.55.59.67. Evangelium regni denuntiat, & baptizat, Matth. 3. 1. Mar. 1. 4.5. Jo. 1. 28†3. 23. 26. vestitus ejus ex pilis camelorum, & victus locustæ, & mel silvestre, Marc. 1.6. noluit haberi major quàm erat, Jo. 1.19. 20.26†3.28. mittit discipulos ad Christum, Matth. 11.2. capite truncatur, Matt. 14.8. dicitur Elias, Mal. 4.5. Matt. 11. 14†17. 10. Luc. 1.17.
Joannes filius Zebedei vocatur, Matt. 4.22. unicè à Christo diligitur, Joan. 13. 23†19. 26†20. 2†21. 7. 20. scribit quæ vidit, Joan. 19.35†21.24. 1. Joan. 1.1.
JOAS filius Ochoziæ solus evadit, dum senatus regius occiditur, 4. Reg. 11.2. coronatur rex in Juda, 11.12. occidit Zachariam filium Joiadæ, 2. Par. 24.21. Matt. 23.35. occiditur à suis ministris, 2. Paral. 24.25.4. Reg. 12.20. post ipsum filius ejus Amasias rex constitutus est, 1. Paral. 3.12.2. Par. 24.27.
Joas filius Joachaz rex Israël, 4. Reg. 13.9. pugnat contra Amasiam, subvertit mœnia Jerusalem, destruit templum, & moritur, 4. Reg. 14.13.16.
JOIADA Sacerdos jussit occidi Athaliam reginam, 4. Reg. 11.15.2. Par. 24. 14. moritur, 24. 15.
JONAS prophetat, 4. Reg. 14. 25. præcipitatur in mare, Jonæ 1.15. deglutit eum piscis à Domino præparatus, 2.1. in cujus ventre erat tribus diebus & tribus noctibus, ibid. Matt. 12.40.
JONATHAS filius Saulis prosternit Philisthæos, 1. Reg. 13.3†14.1.11. liberatur per populum à patre ob mel degustatum occidendus, 14. 45. ferit fœdus cum Davide, 18. 3†20. 8†23. 18. cæditur, 31.7.
Jonathas filius Mathathiæ, præfectus militaris Judæorum, 1. Mach. 9.31. fœdus init cum Demetrio, 10.3.15. capitur, 12.48. occiditur cum suis filiis, 13.23.
JORAM filius Josaphat rex Juda, 3. Reg. 22.51. occidit sex fratres suos, 2. Paral. 21.4. moritur, 4. Reg. 8.24.2. Par. 21.19.
Joram rex Israël, 4. Reg. 1. 17†3.1. procedit contra Hazaël regem Syriæ, 8. 28. accepto vulnere curatur in Jezrahel, 9.15. moritur, 9.24.
JOSAPHAT filius Asa rex Juda, 3. Reg. 22.41. mittit qui verum Dei cultum doceant in civitates Juda, 2. Paral. 17.7. fœdere jungitur cum impio Achab, 18. 3. ideóque arguitur à Propheta, 19.2. jungit se Ochoziæ, 2. Par. 20.35. moritur, 21. 1. habuit successorem filium Joram, 1. Par. 3.11.
JOSEPH filius Jacob, Gen. 30.23. videt somnium, 37. 5. 9. venditur à fratribus Ismaëlitis, 37.26. Psalm. 104. 17. falsò accusatur, Gen 39.17. mtttitur in carcerem, 39.20†41.14. constituitur dominus universæ Ægypti, 45. 40. datur ei filia Putipharis uxor, 41.45. detegit se fratribus suis, 45. 1. moritur, 50.24. ossa ejus transferuntur ex Ægypto, Exod. 13.19. sepelitur in Sichem, Josue 24.32.
Joseph conjunx B. Virginis Mariæ, Matth. 16. fugit in Ægyptum, 2. 14.
JOSIAS filius Amon rex Iuda, 4. Reg. 21.24†22*. ejus nativitas prædicta est, 3. Reg. 13.2. legit librum Legis, 4. Reg. 23.2. celebrat Pascha, 23.21. vulneratur à sagittariis, & moritur, 2. Paral. 35.23. 24.4. Reg. 23.29. lugetur, 2. Paral. 35. 24. ei succedit Joachaz, 4. Regum 23. 30. 34.
JOSUE pugnat contra Amalech, Exod. 17.9. 13. mittitur exploraturus terram Chanaan, Num. 13.2. eam populo commendat, 14.6. constituitur loco Moysis dux populi, 17.18. Deut. 3.21†31.3.7. 14. Josue 1. 6. mittit exploratores, 2. 1. transit Jordanem, 3.16. erigit duodecim lapides in Galgal, 4.3.8.20. angelus Domini apparet ei, Josue 5.13. benedicit populo, 8.33. ascendit Josue ad liberandos Gabaonitas, 10.7. Sol & Luna steterunt ad imperium Josue, 10.12. revertitur Josue in Galgal post liberatos Gabaonitas, 10.43. percutit 31. reges, 12*.
accipit suam portionem in divisione terræ, 19.49. moritur, 24.29. Jud. 2.8. commendatur, Eccli. 46.1.
IRACUNDIA, quantum malit pariat, Gen. 4.5. Job 5.2. Prov. 12.16†14.3†15. 18†17. 19†19. 19†27.3†29.22. Eccle. 7.10. Eccli. 25.22†28.6.14†30.26. Matt. 5.22. Luc. 4.28. Gal. 5.20. Ephes. 4.26. Col. 3.8. Tit. 1.7. Jac. 1.19.
IRÆ alterius cedendum potiùs quam repugnandum, Genes. 27.42. Prov. 22. 24†29.22. Eccli. 8.19. Matt. 2.13.
ISAIAS filius Amos, Isai. 1.1. vocatur & mittitur, 6.8†49.1.
ISMAEL filius Abrahæ ex Agar nascitur, Genes. 16.15. moritur, 25.17.
Ismael filius Nathaniæ occidit Godoliam, aliósque Judæos, Jerem. 41.2.6.
ISRAEL appellatur, qui antè Jacob dicebatur, quære Jacob.
Israël populus & hereditas Domini, Exod. 3.7†5. 1†6.7†19. 5. Lev. 30.26. Deut. 4.20†7.6†9.29†10.15†14.2†26. 18†32.9.1. Reg. 10.1†12.22.2. Reg. 7. 23.3. Reg. 8.53. Isai. 19.25†43.1. Jerem. 13.11.
decem tribus Israël separant se à domo David, 3. Reg. 12.3.9.16. secundùm verba Ahiæ prophetæ, 11.29. transferuntur in Assyriam, 4. Reg. 15.29†17.6. secundùm prophetiam, Deut. 4.26. multi ex Israël sequuntur Levitas in Jerusalem, 2. Paral. 11.13.
contra decem tribus. vide Samaria.
JUDÆORUM cærimoniæ erant umbra futurorum, Exod. 13.9.14. Num. 15.38. Deut. 16.1. Ezech. 20.10.1. Cor. 10.1.2. Corinth. 3.13. Heb. 7.17†8. 5†9.1.10. 23†10.1.
Iudæorum quædam certæ consuetudines, Gen. 32.31. Jud. 11.40. Ruth 4.7.2. Paral. 35.25.
JUDAS filius Jacob nascitur, Gen. 29. 35. nescius concumbit cum filij sui uxore Thamar, 38.15. sponder pro fratre suo Benjamin, 43. 9. prædicitur sceptrum non auferendum de Juda, donec veniat Messias

Messias, 49.10. Deut. 33.7. Jud. 1.2.2. Reg. 7.12.2. Par. 6.6.
contra Judam & Jerusalem. vide Jerusalem.
Judas Machabæus eligitur dux fratrum suorum, 1. Mach. 2.66. pugnat strenuè, 3*.†4*.†5*.†7.25.2. Mach. 8.1† 10.16*.†11.6†12*.†13*.†14*.†15*. cæditur, 1. Machab. 9.17.
Judas Iscariotes eligitur in Apostolum, Matth. 10.4. init pactum cum Pharisæis, Luc. 22.4. prodit Christum, Matth. 26.20.46. Marc. 14.43. Joan. 18. 5. secundùm Prophetiam, Psalm. 40. 10 †54. 14†108. 8. Joan. 6.70†12.4†13. 21*. suspendit se, Matth. 27.4. Actor. 1.18.
Judas Galilæus dispersus cum suis, Actor. 5.37.
Judas & Silas cum Paulo & Barnaba Antiochiam mittuntur, Actor. 15. 22. 17.
JUDICABUNT Sancti de hoc mundo, Sap. 3.8†5.1. Matth. 19.28. 1. Cor. 6.2. Jud. 14.
Judicium perversum, Eccli. 11.9. Matt. 7†12.7. Luc. 6. 37†7.33. Joan. 7.24†9. 16. Actor. 28.4. Rom. 2.1†14. 4.13.1. Corinth. 4.5.1. Tim. 5.21. Jac. 4.11.
Judicium Dei extremum, & quemadmodum Christus in fine mundi judicaturus sit, 1. Reg. 2. 10. &c. vide Dies novissimi.
Judicium debet præcedere deliberatio & cognitio causæ, Gen. 3. 11†11. 5†18.21. Exod. 3.8†23.2. Deut. 13.6† 17.9†19.18. Jos. 7. 19†22.13. Jud. 20.3. 12. Prov. 18.13. Eccli. 11.7. Dan. 13.51. 1. Mach. 7.7.
Judicium hominum. vide Opinio.
Judicum officium, & auctoritas, Exod. 18.13.21†21*.†22*.†23*. Lev. 19.15 †24.11.23. Deut. 1.13. 16†17*.†18.15 †25.1†27.19. Jos. 7.19. 1. Reg. 8†12.5. 2. Paral. 19.6. Eccli. 4.50†10.11†42.12. Psal. 81*. Prov. 18.5.19†24.23†28.15. Isa. 5.16†10.1. Jere. 5.26. Luc. 18.2†23. 1.13.23. Joan. 7.24†8.15. Jac. 2.4.
Judices Israël rexerunt circa 350. annos, Actor. 13.20.
Judex universi mundi est Deus. vide Deus.
JUDITH vidua Bethuliæ dives & honesta, Judith 18. 1*. præcidit Holoferni caput, 13.10. moritur, 16. 28.
JURARE quatenus liceat vel non liceat, & quàm variis modis contingat, Gen. 14.22†21.24†22.16†24. 3†25.33 †26.3.31†31.53†42.15†47. 31†50.5. Exod. 13.19†20.7†22.11†23.13. Lev. 5.4†19.12. Num. 14.21†30*. Deut. 6. 13†7.8†10.20. Jos. 2. 12†6. 22†9. 15† 23.7. Judic. 21.1.7.18.1. Reg. 14.24†19. 6†24.23†25.34†28.10†30.15.2. Reg. 3.35†19.7†21.2.17.3. Reg. 1.13.29†2. 8†8.31†19.2.2. Paral. 6.22†15.14†36. 13.1. Esdr. 10.5.2. Esdr. 10.29. Job 27. 1. Psal. 14.4†23.4†62.12†88.4†94.11 †101.9†109.4. Isa. 14.24†19. 18†45. 23†49. 18†54.9†65.15. Jer. 4. 2†5.2. 7†12. 16†22.5†44. 26†51.14. Osee 4. 15. Amos 6.8†8.7. Soph. 1.5. Zach. 8. 17. Jud. 1.12. Eccli. 23.9.17. Matth. 5.33 †23.16. 18. 20.21. 22. Hebr. 6. 13. 16. Apoc. 10.6.
Jurandum non est temerè, nec per cælum, nec per terram, nec per aliquid quod in iis est, Matth. 5.34. Jac. 5.12.
JUSTI verè in hac vita, Luc. 1.6†15.7. Joan. 8.36†17.17.19.1. Cor. 6.11. Hebr. 12.23*.2. Pet. 2.7.1. Joan. 3.1.7. Apoc. 3.4†14.5. vide Peccatum.
JUSTITIÆ summa perfectio non habetur in hac vita, in qua sine peccato non vivimus, Gen. 6. 5†8. 21. Exod. 34. 7. Num. 14. 18. 3. Reg. 8.46.2. Par. 6. 36. Job 4.17†9. 1.15. 20†25.4. Psalm. 13. 1†50. 7†52.1†129.3†142.2. Prov. 20. 9. Eccle. 7.21. Isa. 64.4. Jer. 2.19. 20†30. 11. Mich. 7.2. Nah. 1.3. Sap. 12.10. Matt. 6. 12. Luc. 17.3. 10. Rom. 3. 9. 23†7*. Galat. 3.22. Ephes. 2.3.1. Jo. 1. 8. vide Peccatum.
Justitia nostra est per Christum, & primam justificationem, peccatorúmque remissionem nulla præcedunt merita, Gen. 15.6. Isa. 45.25†53.8.13. Jerem. 23. 6†33.16. Dan. 6.22. Heb. 2.4. Zach. 9. 11. Actor. 10.43†13.39. Rom. 1.17†3. 22. 24†5.1. 18†10.4.10.1. Cor. 1.30. Galat. 2.16†3.11†5.5. Phil. 3.9. Tit. 3.7. 1. Pet. 3. 18.
JUSTIFICATIO qua quis ex justo fit justior, ascribitur bonis operibus, Eccli. 18. 22. Rom. 2. 13. Jac. 2. 21. 24. Apoc. 22.11.
Justificatio impij non solùm fidei ascribitur, sed etiam aliis virtutibus, ut Spei, Rom. 8.23. Charitati, Exod. 20.6. Prov. 10.12. Luc. 7.47.1. Cor. 13.4. Gal. 5.6.1. Pet. 4.8.1. Joan. 4.7. 8.9. Timori, Eccli. 1.27. 28. Pœnitentiæ operibus, Sap. 11.24. Ezech. 18.21.22. Matth. 3.2. 8. Lucæ 7. ubi ponitur exemplum Magdalenæ, 15. exemplum filij prodigi, 18. exemplum Publicani.

L.

LABAN hospitio excipit famulum Abrahæ, Gen. 24.32. mercede conducit Jacob, 29.14.20. persequitur Jacob, 31.22.
LABOR & dolor communis omnibus hominibus, Gen. 3.17. Exod. 20. 9†34. 21. Deu. 5. 13. Tob. 2.19. Psal. 127.2. Prov. 6.6†10.4†14.4†20.4. Eccle. 5.11. Eccli. 29. 19. Joan. 21.3. Act. 18.3†20. 34.1. Cor. 4.12. Ephes. 4.28.1. Thess. 2. 9†4.1.2. Thess. 3.8.12.
Labor non ditat sine Dei benedictione, Genes. 3.17†26.3. 12†30.27. Deut. 8. 18. Job 42. 12. Prov. 10. 22. Eccli. 11. 6.
Laboranti merces debetur, Lev. 19. 13. Deut. 24.15†25.4. Tob. 4.15. Eccli. 7.22†34. 25.26. Jerem. 22.13. Mal. 3.5. Matth. 10.10. Luc. 10.7.1. Cor. 9.9. 14.1. Timoth. 5.18. Jac. 5.4.
Laboris manuum & agriculturæ laus & utilitas, Prov. 12.11†13.4†14.23† 24.27†28.19.
LACHIS traditur in manus Israëlis, Jos. 10.32. extruitur, 2. Par. 11.9.
LAICI ne se sacris præter officium misceant, Levit. 10.1*. Num. 1.51†3.10. nec vasa sacrata temerè contingant, Num. 1.51†4.15.19.20†18.7.2. Reg. 6. 6.2. Par. 26.18.
LAIS oppugnatur à Danitis, expugnatur, ædificatur, & appellatur Dan, Judith 18. 27. appellatur Lesen, Josue 19. 47.
LAUDANDUS Deus ante & post sumptum cibum, Deut. 8.10. vide Gratia.
Laudare Deum pro merito non possumus, Psalm. 95.4†105.2†118. 164†144. 3. Eccli. 43.2.32.
Laudes Deo canendæ Psalm. 46. 2† 146. 7†149.1. Isa. 12.4. Eph. 5.19. Col. 3.16. Heb. 13.15. Jac. 5.13.
LAZARUS jacet ante ostium divitis epulonis, Luc. 16.20.
Lazarus suscitatur à morte, Joan. 11. 43. persecutionem sustinet à Judæis, 12. 10.
LEBBAUS cognomine Thaddæus discipulus Christi, Matth. 10.3. appellatur Judas filius Jacobi, Luc. 6.16.
LEPRA quomodo cognoscatur, Lev. 13*.14*.
Lepram mittit Deus propter peccatum, Exod. 4.4. Num. 12.8.4. Reg. 5.1. 27†15.5.2. Par. 26.18.19.21.
Lepra mundatur, Exod. 4.7. Num. 12. 15.4. Reg. 5.14. Matt. 8.2. Luc. 17.14.
Leprosorum segregatio, Levit. 13.49. Num. 5.2.4. Reg. 15.5.
LEVI nascitur, Gen. 29. 34.
occidit cum fratre suo Simeone Sichemitas, 34. 25. punitio istius facti, 49.5.
Levitarum habitatio, jus, & debita vitæ sustentatio, Levit. 10. 12†25. 32. Num. 18.11.24†35.2.7. Deut. 10.8†12. 12.19†14.27†18.1†26.11. Jos. 13.14. 33†18.7†21*. 2. Esdr. 10. 35.37.†13. 10. Ezech. 48.13. Eccli. 7.32.
Levitarum ministerium & officium, Num. 1. 49†3*.†4.1†8*.†18. 2. 23. Deut. 10. 8. Jos. 3.6.1. Paral. 6.31*.†9. 14*.†Par. 19.8. Ezech. 44.11.
Levitas assumit sibi in ministerium Deus pro primogenitis Israëlis, Num. 3. 12.40*.†8.16.
Levitæ puniunt peccatum erecti vituli, Exod. 32.26.
Levitæ expelluntur ex Israël, 2. Par. 11.14.
LEX prima, & præceptum datur, Gen. 2.16. violatur, 3.4.6.
Lex decem mandatorum datur Moysi, Exod. 20*. Deut. 5*.
Legis tabulæ dantur, Exod. 31. 18. Deut. 5. 22. franguntur, Exod. 32. 19. Deut. 9. 17. dantur aliæ tabulæ, Exod. 34.27. Deut. 10.1.
Legis natura, officium & operatio, Rom. 3. 20†4. 15†5. 20†7.1.7. Gal. 3. 19.1. Tim. 1.8. Heb. 7.18.27.
Legem Dei sine spiritu ejus non possumus implere, Deut. 5. 29. Psalm. 118. 24. Luc. 18.22. Act. 15.10. Rom. 8.2.
punitio vel merces eorum, qui Legem Dei prævaricantur, vel observant. vide Obedientia, & Inobedientia.
Legis cærimoniæ abrogantur per Christum, Matth. 11.13. Marc. 15.38. Act. 13.38†15.11. Rom. 6. 14†7. 4†8. 3. Gal. 3.13†4.5. Ephes. 2.13. Col. 2.14. 1. Pet. 1.11.18.
Lex legitur, Deut. 1.5†31.9.11. Jos. 8. 33. 4. Reg. 23.2.2. Esdr. 8. 8†9.3.3. Esdr. 9.39.2. Mach. 8.19.23.
Lex nova Christianorum consistit potissimùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

potissimùm in Charitate, Matt.5.44†7.12†22.36.Joan.13.34.Rom.13.10.Gal.5.14†6.2.1.Tim.1.5.

Lia nubit Jacob patriarchæ, Gen.29.21.gignit ei multos liberos, 19.31.

Liber vitæ, Exod.32.32. Psalm. 68.29.Phil.4.3.Apoc.3.5†20.12†21.27.

Liberum arbitrium etiam post lapsum in homine mansit,Gen.4.7.Deut.30.19.Jos.24.15.Psal.26.9.Sap.9.10.Eccli.15.18†31.10.1. Cor.3.9†7.37.

Liberum arbitrium cooperatur gratiæ Dei, 1. Reg. 7.3.2. Par.12.14.Psalm.9.17†72.13. Prov. 16.1.5.9. Eccli.2.20. Isa.1.16.17.18†40.3†46.8†55.6.7. Jer. 3.1.12.2†4.3.4.14†7.3†18.8.11†25.5†26.13†32.15. Ezech. 18.21. 22.27. 28. 30. 31†33.14.15.16.19. Zach.1.3. Mal. 3.7. Matth.3.2. 3†11.33†12. 28. Marc. 1. 3. Luc. 3.4. Joan. 1.23†7. 37. Actor. 13.19†8.22†9.6. Rom. 10.13.3. 1.Cor.3.9†5.10.2.Cor.7.1. Eph.5.14. Phil.2.12.13†4.13. Col. 1.29†3. 9.10. 1. Tim.4. 16.2. Tim.2.21. Heb.4.16† 12.12.13.Jac.4.8.1.Pet.1.22.1.Joan.3. 3.Apoc.3.20.

Libertas Evangelica, Joan.8.32. Ro. 6.18†8.2. 21.Gal.5.13.1.Pet.1.18†2. 16*.2.Pet.2. 9.

Libertas prava, & improbanda, Job 11.12.Jer.34.15.Osee 7.16.2.Pet.2.18.

A lingua mala cavendum, Lev.19. 16.Job 5.21.Psal.51.4†139.4. 12†140. 3. Pro. 4.24†10.18†11.9†12.13.19† 15.2†16. 27.28†17.20†18*.†20. 19† 21.23†26.20†30.11. Eccle. 5.2.Sap.1. 11. Eccli.5. 16†5.12†28*.1. Cor.15. 33.1.Pet.2.1.Jac.1.19†3.5.8†4.11.vide Detractio.

Lingua discretè moderanda, Prov.10. 19†12.14†13.2.3†17.27†1 . 21†21. 23. Eccli.14.1†20. 5†.22. 33†23. 17. Matth.12.36. Luc.6.45. Jac.1. 19†3.2. 1.Pet. 3.10.vide Loquenda.

Lobna occupatur, Jos. 10.29. deficit à Juda,4. Reg. 8.22.oppugnatur ab Assyriis,19.8.

Longanimitas. vide Patientia.

Loquenda sunt vera,honesta, & quæ audientibus prodesse queant, Exod. 22. 28.Psal.14*.Prov.13.2†24.26†25.11† 29. 20. Eccle.5.2. Eccli.7.37. Matth.5. 37†12.36. Ephes.4.29†5.3. Col.3.8.1. Pet.3.10.

Loquendi tempus & opportunitas, Prov. 15. 23†25.11. Eccle. 8.5. Eccli. 11. 8†20.6†32. 9†33. 4. quomodo loquendum, Job 6.29.Prov.15.4†16.20. 22†29. 11. Eccli. 4.34†5.16†6.5.Col. 4. 6.

Lot liberatur ab incendio Sodomorum, Genes.19. 15.17. 2. Pet. 2.7. uxor ejus mutatur in statuam salis, Gen. 19. 26. Sap. 10.7. Luc. 17. 32. concumbit cum duabus filiabus suis,Gen.19.31.35.

Lotio pedum, Gen.18. 4†19.2†24. 32†43.24.Joan.13.4.14.1. Tim.5. 10.

Lucas medicus,Col.4.14.manet cum Paulo,2.ad Tim.4.11.

Lucifer cecidit è cælo, Isa.13.12.

Lux est Christus, Isa.9.2†42.6†60. 1.19†49.6. Joan.1.5†8.12†9.5†12.35. 46.1.Joan.1.5†2.8.

Lux sunt Christiani, Prov.4. 18. Isa. 62.1.Matt.5.15. Rom.2.19. Phil.2.15.

Lydia purpuraria credit in Christum,Actor.16.14.

Lysias dux exercitus Antiochi, 1. Mach.3.32. pactum init cum Judæis, 6. 58. capitur & jussu Demetrij occiditur, 7. 2.

M.

Maacha filia Tholmai regis in Gessur,mater Absalonis, 2. Reg. 3. 3.

Maacha filia Abessalom, mater Abiam regis Juda,3.Reg.15.2.

appellatur Michaia,2.Par.13.2.

Macedonia mittit eleemosynas pauperibus Jerosolymitanis, Rom. 15.26.2. Cor.8.1.

Paulus vocatur in Macedoniam, Actor.16.9.

Madian filius Abraham, Gen. 25.2. Deus præcipit vt cædantur Madianitæ, Num. 25.16. Madianitæ cæduntur cum suo rege,31.7.

opprimunt Israëlem, Judic.6.1 .irruit in eos Gedeon, 7*.

Magdalena. vide Maria.

Magi Pharaonis virgas suas vertunt in colubros, Exod.7.12.

Magi primitiæ Gentium Christum adorant, Matth.2.11.

Magia. vide Incantationes.

Malaleel nascitur, Gen.5.12.

Malcho præcidit Petrus auriculam, Joan.18.10.

Maledictio & benedictio, Gen. 3. 14.17†8. 21†9.25†24. 41†27.28†48. 15. 20†49.7. Num.5.21. Deut.11.26† 27.15.Jos.8.34.Jud.9.20.1. Reg.17.43. 2.Reg.2.5†16.7.4. Reg.2.24.2. Esd.5. 13.Prov.26,2.Jerem.29.22†49.13.Zac. 8. 13.

Maleficia. vide Incantationes.

Malum dicens bonum, punietur, Isa. 5.20.Mal.2.17.Prov.14.24.

Malum declinandum, & bonum faciendum, Prov. 3. 7. Isa. 1.16. Ezech. 18. 21.

Malorum consortium vitandum,Psal. 1*.†25.4.Prov.1.10†14.7†24.21†29. 24.Eccli.8.18†13*.2.Cor.6.14.2.Joan. 10.Apoc.18.4.

Malum non est reddendum pro malo, Prov.20.22†24.29. Rom.12. 14.17.1. Corint.4.12.1.Thess.5.15.1. Petr.3.9.

Malum pœnæ est à Deo, Deut. 32. 23.3. Reg.9.9†21.29. Isa.45.7. Jer.11. 11†32.42.Baruc. 2.2. Amos 3.6.Jon.3. 10.Mic.1.12†2.3.

Malum culpæ summè aversatur Deus, tantum abest ut eum auctorem habeat, Exod. 23. 7.2. Par.19.7. Jud. 5.21. Job 34. 10. Psal. 5.5.7†44.8. Prov.15.8.9. Sap.4.9. Eccli.15.21. Osee 13.9.Rom. 9.14.2.Cor.6.15.Jac.1.13.

Malos rectores & præpositos permittit Deus ob peccata populi, 3. Reg.12. 14. Job 34.30. Isa. 29. 10. Ezech.14.9. Osee 13.11.2.Thess.2.11.

jubétque obedientiam illis præstare, Matth.23.3.

Malorum etiam ministrorum opera utitur Deus, Matt.7.22. Mar.9.38.Luc. 9.49.

Manahem rex Israël, 4. Regum 15.14.

Manasses primogenitus Joseph nascitur,Gen.41.51†48.14.

Manasses impius, filius pij Ezechiæ, rex Juda, 4.Reg.21.1.6.2. Par.32. 33† 33.1. Jer.15.4. ducitur vinctus in Babylonem, & per pœnitentiam convertitur ad Dominum, & exauditus recuperat regnum,2. Par.33.11.13. relinquit post se Amon,4.Reg.21.18. Matth.1.10.appellatur Her, Luc.3.28.

Manendum est nobis in Christo, Jo. 15.4.Rom.8.1.1.Cor.4.15†12.13.Col. 2.6.1.Joan.2.6.28†3.24†4.13.

Manna,Exod.16*.Num.11.7. Deut. 8.3. Jos.5.12. Psalm.77.24. Sap.16.20. Joan.6.31.

Mansuetudo,Jos.7*.19.1.Reg.25*. 2. Reg.16.10. Prov.15.1. Eccli.1. 29. Matth. 5. 4†11. 29. Galat. 5.23†6. 1. Ephes.4.2.Colos.3.12.1.Timoth.2.25. Tit.3.2.

Mardochæus defensor & tutor Esther,captivus abductus in Babylonem, Esther 2.5.7.à rege summo honore affectus,6.10.revertitur de captivitate in Jerusalem,1.Esd.2.2.2.Esdr.7.7.

Mare creatur, Gen.1.9. concluditur suis terminis, 1.9. Job 26.10. 28. 26. Prov.8.29. Jer.5.21. cedit filiis Israël, Exod. 14. 21. sedatur verbis Christi, Matth.8.26.

Maria soror Aaron laudat Dominum,Exod.15.21.fit leprosa, Num.12*. Deut.24.9.moritur,Num.20.1.

Maria virgo prænuntiata, Gen.3.15. Num. 24.17. Psal.18. 6†44. 10†45.5† 84.2†86.3†131.8.Prov.31.10. 29†9.1. Cantic. 1*.2*.3*.4*.5*.6*. Eccli.24*. Isa. 7. 14†11. 1†19. 1†45. 8. Jerem. 31.22.

Maria vocatur & est mater Domini, Luc. 1. 43. mater Jesu, Matth.2. 13. Joan.19.25.

Mariæ perpetua virginitas significatur,Exod.3.2. Jud.6.37.38.39.40. Psal. 18.6.Cant.2.2†4.7†6.9.Isa.7.14†11.1 †35. 1. 2†66.7. Ezech.44.2.Dan.2.34. Matth.1.20.Luc.1.35.

Maria virgo multis dotata virtutibus, fide dives, Prov.31.18. Luc.1.38. 45.Jo.2.5. spe plena,Eccli.14.24.Joan. 2.5.charitate perfecta,Eccli.24.24.Luc. 1.56†2.7. Joan. 2. 3†19.25. casta,vide suprà,Mariæ perpetua virginitas.castitatem vovit perpetuam, Luc.1.35.humilis, Luc.1. 38.48. misericors, Joan.2.3. prudens, Luc.2.19. modesta, Luc.2.48. pia, Luc. 1. 46. 47.benigna, Luc.1.40. fortis,Prov.31.10*.Joan.19.25.sapiens, Prov.31.26.Joan.2.5.

pauper, Matth.2.11.Luc.2.7.24.patiens, Matth.2. 13. Luc. 2. 35. virtute præcellens omnes,Prov.31.29. Eccli.24. 25.Luc.1.28.48.

Maria salutatur ab Angelo, Luc. 1. 28. visitat Elisabeth, & laudat Deum, Luc. 1.39. 46. proficiscitur cum Joseph in Bethlehem, Luc. 2. 4. in Ægyptum, Matt.2.14. revertitur inde in terram Israël, Matt. 2. 14. invenit Christum in templo, Luc. 2. 46. assistit cruci, & Apostolo Joanni commendatur, Joan. 19. 25. manet cum Apostolis, Actor. 1. 14.

Maria Magdalena deflet sua peccata, Luc.

Luc.7.38. obtinet peccatorum remissionem, Luc.7. 48. liberata septem dæmoniis,adhæret & ministrat Christo, Luc. 8.2.3.ungit Dominum,Matt.26.6.Matt. 14.3.Joan.11.2†12.3. adest Christo in cruce morienti, Joan.19.25.stat ad monumentum plorans,Joan.20.11.

Christus ei apparet post resurrectionem,Marc.16.9.Joan.20.14.

nuntiat resurrectionem discipulis, Jo. 20.18.

Mariti officium & auctoritas in uxorem,Gen.3.16.Num.5.12. 18†30.7. 13. Deut. 22.5.13†24.1.Prov.5.18†18.22† 51.10.Eccle.9.9.Eccli.7.28†9.1†25. 2. 27†26.1.Mal.2.14.16.1. Cor.7*.†11. 2.10.Ephes.5.22.Col.3.18. Tit.2. 4.1. Tim.2.11.1.Pet.3.1.

Martha hospitio excipit Dominum, Luc.10.38. ostendit suam fidem, Joan. 11.27.

Mathan sacerdos Baal occiditur, 4. Reg.11.18.2. Par.23.17.

Mathias eligitur in Apostolum, Actor.1.26.

Mathusalem filius Henoch nascitur, Gen. 5.21. vivit 969.annis, & moritur, Gen.5.27.

Matrimonium, Gen. 1. 27. 28†2. 21.22.23.24†3.6.12.17†4.1. 17†9. 1† 19.26†24.3†29.21. Exod.2.1†20.17. Lev.18*.20.10. Deut.5.21†7.3†22.23 †24.1. Jos.23. 12. Jud.3.6†14.2. 7. 15. Esdr.9.2.2. Esd.13.23.Esth.2.17. Tob. 4.13†6.17†7.15.16†8.9. Prov. 18.22† 19.14.Eccli.25.2.Jerem. 3.1. Mat.5.32 †19.3.5†22.24.30.Mar.6.18†10.2.6.7. 8.9†12.20*.Luc.2.5.†3.19†16.18†20. 34.Joan.2.1.2.Rom.7.2. 3.1. Cor. 7*. Ephes.5.31.32.1.Tim.3.2†5.9.Heb.13. 4.1.Pet.3.1.

Matrimonium indissolubile, Gen. 2. Matth.5.32†19.7.Marc.10.11.Luc.16. 18.1.Cor.7.10.

Matrimonium spiritale, quære Connubium.

Matrimonium cuius rei sacramentum, Ephes.5. 32. confert gratiam & sanctificationem,1.Thess.4.4.

Matthæus publicanus vocatur, Matt. 9.9†10.3.appellatur Levi filius Alphæi, Mar.2.14.Luc.5.27.

Matthania patruus Joachim constituitur rex Juda,4.Reg.24.17.appellatur Zedechias,1.Par.3.15.

Matthathias Sacerdos ostendit studium pro tuenda religione, 1. Mach.1. 24. pugnat strenuè, 2. 41. monet filios suos ad observationem legis Dei, 2. 49. 64.

Medi occupant regnum Babyloniæ, Dan.5.31.

Melchisedech Sacerdos, & rex Salem,Gen.14.18.Psal.109.4. Hebr. 7.1.

Mendacium,Gen.3.4†37.19†39.17. Lev. 19.11.2. Reg.1.2.7.4. Reg.5. 25. Prov.6.19†12.22.Sap.1.11. Eccli.7.13 †20.26.28†25.4.Osee 4. 2. Joan. 8.44. Actor. 5.4. 8. Eph.4.25. Col.3. 9. vide Testimonium.

Menelaus proditor patriæ usurpat sibi summum Sacerdotium, 2. Matth. 4. 24.extremo supplicio afficitur,2.Mach. 13.4.5.6.

Mensura qua mensi fuerimus remetietur nobis,Exod.21.23.Jud.1.7.1.Reg. 15.33. 2. Reg.12.25.Psal.17.21. Prov. 22. 23. Isa.33.1†65.6†66.4. Jerem.50. 15. 29†51. 49. Ezec. 16. 59. Joël. 3.7. Matt.7.2.Mar.4.24.Luc.6.38.

Mensuræ & pondera debent esse justa, Lev.18. 35. Deut.25.13. Ezech.45. 10. Mich.6.11. Amos 8.5.Prov.16.11† 20.10.

Merari filius Levi,Num.3.17.

Meraritarum officium,3. 33†4. 42.

Merces debetur operibus, Gen.4.7† 15.1.Ps. 118.112.Prov.11.18.Sap.5.16† 10.17.Eccli.2.8†11.24†18.22†36.18† 51. 30.38. Isa.3.10.Jerem.31.16.Matt. 5.12†6.1†10.41.32†20.8. Marc.9. 41. Luc.6.35†10.7.Joan.4.36. Rom.4.4.1. Cor.3.8.1.Tim.5.18.Apoc.22.12.

Merita operum, Eccli. 18. 31†16. 15†38.18. vide Opera.

Merob filia Saulis, 1. Reg.14.49. promittitur Davidi in uxorem,18.17.

Messias, id est Christus,& verus unctus est Dominus noster Jesus,Joan.1.4† 4.25†7.41†11.27.Matth.26.64. Marc. 14.62.Luc.22.67.Act.17.3†18. 28†19. 4.1.Joan.5.1.

Micha parat ephod idolo matris suæ, Jud. 17. 5. conducit Levitam,17. 7.10. idolum & ephod auferuntur, similiter & Sacerdos abducitur,18.13.18. 20.

Micha,filius Miphiboseth,2.Reg.9.12.

Michæas prophetat contrarium pseudoprophetis, 3. Reg.22.13. 15.23. 2.Par.18.14.

Michael pugnat cum diabolo, Dan. 10.13.Jud.9.Apoc.12.7.

Michol sive Michal filia Saulis,datur Davidi in uxorem, 1.Reg.18. 27. juxta promissionem regis, 17.25. conservat Davidi vitam, demittens eum per fenestram,19.12.subducitur ei,& datur Phalti,sive Phaltiel,25.44.redditur ei,2.Reg. 3.14.15. deridet ipsum saltantem coram Domino, 6.16.

Militare. vide Bellum.

Ministrorum etiam malorum opera dignatur uti Dei bonitas, Matth.7.22. Marc.9.38. Luc.9.49.quos & jubet audiri,Matt.23.3.

Miphiboseth filius Jonathæ, 2.Reg. 4. 4. invenit gratiam coram Davide, 9. 7*.parcit ei David,21.7. appellatur Meribbaal,1.Par.9.40.

Miphiboseth filius Saulis suspenditur, 2.Reg.21.8.

Miracula operatur Deus per Sanctos & eorum reliquias. vide Sancti & Reliquiæ.

Misericordia. vide Bonitas Dei. item Charitas.

Misericordiæ opera proximo exhibenda,1.Reg.15.6.2. Par.28.9.15. Psal. 111.5.9. Prov.24.21. 31†19. 7.25.21. Eccli.4.1.29†35.18.Isa.58.7.Osee 6.11. Mich.6.8. Zach.7.9.Matth. 5.7†9.13† 10. 41†18. 33†25.41.Mat.9.40. Luc.6. 35†11.33. Rom.12.13. Gal.6.12.Col. 3.12.1.Tim.5.10.quære Eleemosyna.

Missæ sacrificium olim prædictum & prænuntiatum, Lev.26.9.10. 11.12. Psalm.22.5†109.4.Isa.2.2.3†19.19.20 †56.7†61.6†66.19.20.21. Jerem. 31.31 †33.16.17.18.Dan.12.11. Amos 9.11. Malach.1.10.11.

Missæ sacrificium per varias figuras veteris Testamenti significatum, Gen. 14.18†16.6†22.13.Exod.12. 5.24†25. 30. 29.2.15.Lev.2.1.13†3.12†4.23†5. 7. 11†6. 15†9.8†14.4†16.3†19. 21. Num.15.24†18.17.1.Reg.21.4.3. Reg. 19.6.4.Reg.4.41.Dan.8.12.appellatúrque iuge sacrificium,Dan.11.31†12.11. nec interibit offerens sacrificium, Jerem. 33.18.21.

Missæ sacrificium à Christo institutum, Luc. 22. 19. & ab ejus discipulis usitatum,Act.13.2. Λειτουργούντων δ' αὐτῶν.

Missæ sacrificij mentionem facit Paulus, 1. Cor.10.16†11.23*.

Moab filius Lot & filiæ ejus natu majoris, Gen.19. 37. contra Moabitas pugnare,Israëli à Deo prohibetur, Deut.2. 8. factus est Moab ferviens Davidi sub tributo,2.Reg.8.2.deficiunt Moabitæ ab Israël,4.Reg.1.1†3.5.irruunt latrunculi de Moab in terram Israël, 13. 20. non admittebantur in ecclesiam, Deu.23. 3. 2.Esdr.13.1.contra Moab prophetatur, Num.21.29†24.17.Psalm. 59.10†107. 10.Isa. 16*. †25.10.Jerem.48.1.Ezech. 25.8.Amos 2.1.Soph.2.8.

Moloch idolum,Levit.18.21†20.2. appellatur Melchom,1.Par.20. 2.Jerem. 49.1.Amos 1.15. Soph.1.5.de Moloch vide item, 3. Reg.11.5.7.4.Reg.23.10.

Morbus. vide Ægrotatio.

Mors est pœna peccati, Gen.2.17† 3. 19. Rom. 5.12.17†6.23.1. Corinth. 15.21.Ephes.2.2. Col.2.13.1.Tim.5.6. Jac.1.15.

Mors & certus dies mortis omni homini constitutus est,Deut.31.14.Jos.23. 14.1. Reg. 26.10. Job 14.5.Psalm.88. 49.Eccles.3.3†8.8†9.5.Eccli.17.3†41. 1. Joan. 7. 30†8.20. Rom.5. 12†6.23. Heb.9.27.

Mortis hora incertissima,Eccle.9.12. Matth.24.43. Luc.12. 40.1. Thess.5.2. 2. Thess.2.2. Jac.4.13.

Mors corporis,justis est quasi somnus quidam,& dormitio,Deut.31.16.2.Reg. 7. 12. 3. Reg.2. 10†11. 21. 43†14.20. Sap.3.3. Matth.9.24. Joan.11.11. Act. 7.60†13.36.1.Corinth.11.29.1. Thess. 4.13.

Mortem nostram sua morte devicit Christus, Isa.25.8. Osee 13.14.Rom.6. 9. 1. Corinth. 15. 54. 2. Timoth. 1. 10. Hebr.2.14.Apoc.21.4.

Mortem qui sibi intulerint, Jud.9.54 †16.29.1. Reg. 31.4.2. Reg. 17.23.3. Reg. 16. 18. 2. Mach. 10. 13†14.41. Matth.27.5.Actor.1.18.

Mortuos lugere quatenus permittatur,aut prohibeatur,Levit.19.28. Deut. 14.1†34.8.2.Reg.1.11†3.32†10.2†12. 16†14.2†19.1†21.10.13. Eccli.22.10† 38. 16. 1. Mach. 9. 20†12.52†13. 26. Matth. 9. 3. Luc.7.13.Joan.11.33.Act. 8.2†9.39.2.Thess.4.13.

Mortui ad vitam revocantur, 3. Reg. 17.20.4. Reg.4.33†13.21. Matth.9.25 †27. 52. Marc. 5. 41. Luc.7. 13†8. 54. Joan.11.43.Act.9.40†20.10.

Mortuorum sepultura. vide Sepeliendi mortui.

Mortuorum suffragia. vide Purgatorium.

Moyses nascitur ex Levi, Ex.2.1†6. 20. Act.7.20.percutit Ægyptium,& fugit in Madian,Exod.2.12.15.accipit Sephoram Madianitem uxorem, Ex.2. 21. mittitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

mittitur ad Pharaonem in Ægyptum, 3.10*.†5.1†6.12†7*.†8*.†9*.†10*. revertitur cum uxore & liberis in Ægyptum, 4.20. orat pro Pharaone, 8.12.30 †9.28.33†10.17.
orat pro populo, 14.15†17.4.11†32. 11.13.31. Num. 11.2†14.13.17†21.7. Deut. 9.18.26. accipit primò tabulas, Exod. 31.18. has confringit videns populi idololatriam, Exod. 32.19.
accipit iterùm nouas, 34.28.
in faciem ejus intueri non poterat populus Israëliticus, 34.30.2.Cor.3.7.
mittit exploratores in terram Chanaan, Num. 13.2. probat se à Deo esse missum, Num. 16.28.31. videt terram promissionis & moritur, 20.12†27.12. Deut. 34.1.5. apparet in transfiguratione Christi, Matt. 17.3. Luc. 9.30. commendatur, Eccli. 45.1.
diabolus altercatur cum Angelo Michaële de Moysis corpore, Jud. 9.

Mundi corde, Psal. 23.4†50.12†72. 1.Matt. 5.8.1.Pet. 1.22.

Mundities interior & exterior commendatur, Matth. 23.25. Luc. 11.39.2. Cor. 7.1.

Murmuratores quos imitentur, & quæ illis pœna metuenda, Exod. 14. 11†15.24† 6.2.7.8†17.2. Num. 11. 1*.†11.1.9.10†14.2.27*.†16.3†17.13 †20.2†21.5*. Deut. 1.27. Ios. 9.18. Jud. 8.10. Sap. 1.11. Matt. 20.12. Luc. 19.2† 19.7. Joan. 6.41*. Act. 6.1.2. Cor. 10.10. Jud. 16.

N.

Naaman militum præfectus apud regem Syriæ mundatur à lepra, 4. Reg. 5.1†4 Luc. 4.27.

Naas rex Ammonitarum pugnat contra Jabes, 1. Reg. 11.1. moritur, 2. Reg. 10.1.

Naas pater Abigail, 2. Reg. 17.25.

Nabal vir iniquus, 1. Reg. 25.25.26.

Naboth, quia regi Achab vineam negabat, lapidatur, 3. Reg. 21.2.13.

Nabuchodonosor potentissimus rex Babylonis, Jerem. 27.6. invadit Ægyptum, 4. Reg. 24.7. Jer. 46.2. ascendit in Jerusalem, 4. Reg. 24.1.10†25.1. Jerem. 39.1. juxta prophetiam, Jerem. 25.8†32. 28. erigit auream statuam, Dan. 3.1. habitat septem annos inter feras, 4. 28. 30. ingens superbia ejus, amplitudo dominij, & crudelitas explicatur, Isa. 14. 2.8.

Nabuzardan dux militiæ regis Babylonis destruit domum Dei, muros Jerusalem, & populum, qui remanserat, transfert, cum omnibus vasis templi, in Babylonem, 4. Reg. 25.8. Ierem. 39.9. 11†52.12.

Nachor avus Abraham, Gen. 11. 23.25.

Nadab & Abiu igne absumuntur, Levit. 10.2†16.1. Num. 3.4†26.61.

Nadab rex Israël, 3. Reg. 14.20. creditur, 15.28.

Nahasson filius Aminadab princeps & dux tribus Juda, Num. 1.7†2.3† 7.12.

Nahum prædicat in Ninive, Nahum 1*.†2*.†3*.

Nathan filius Davidis, 2. Reg. 5.14. appellatur Matthata, Luc. 3.31.

Nathan propheta mittitur ad Regem David, 2. Reg. 7.4†12.1.

Nathanael dux tribus Issachar, Num. 1.8.

Nathanaël videtur à Christo, Joan. 1.47.

Christus manifestat se ipsi Nathanaël, 21.2.

Nechao rex Ægypti, 4. Reg. 23.29. 2. Par. 35.20†36.3.

Negotiatio. vide Emere & Vendere.

Nehemias pincerna Artaxerxis, 2. Esd. 1.11. mittitur in Judæam ad ædificandum quæ erant destructa, 2.9. appellatur Athersata, 8.9.

Nemrod potens erat & robustus venator, Gen. 10.8.

Nicanor dux Lysiæ, 1. Mach. 3.38. & etiam dux exercitus Demetrij, 7.26. minatur se succensurum templum, 7.34. cæditur, 7.43.1. Mach. 15.28.

Nicodemus occultus discipulus Christi, Joan. 3.1†7.50†19.39.

Ninive ædificatur ab Assur, Gen. 10. 11. pœnitentiam agit de peccatis suis, Jon. 3.5*. desolatio & destructio Ninive, Nah. 1*.†2*.†3*. Soph. 2.13. Tob. 14.5.
stabit in judicio, & condemnabit obcæcatos Judæos, Matt. 12.41.

Noe filius Lamech, Gen. 5.30.
præco divinæ justitiæ, 2. Pet. 2.5.
ædificat arcam, Gen. 6*. ingreditur arcam, 7.17. egreditur, 8.15.
accipit signum fœderis, 9.8.14.
commendatur, Eccli. 44.17.

Noemi uxor Elimelech, Ruth 1.2.

Novum Testamentum, Jerem. 31.31. Matt. 26.28. Mar. 14.24. Luc. 22.20.1. Corinth. 11.24. Heb. 8.8†9.15†10.16† 13.20.

Novum cælum & nova terra post mundi innovationem, Isa. 65.17†66. 22.2. Pet. 3.13. Apoc. 21.1.

Nudi vestiendi, Isa. 48.7. Ezech. 18. 7. Tob. 1.17. Matth. 25.26.39. vide Misericordia.

O.

Obed filius Booz ex Ruth, Ruth 4. 17. Matth. 1.5.

Obediendum Deo ejúsque præceptis, & quæ obedientibus sit constituta merces, Gen. 12.4†17.9.23†22*.†26.5. Exod. 1.17†15.26†19.5†20.6†23.22. 25. Lev. 20.22†26.3.11. Deu. 4.40†7*. †11*.†13.4†17.15†18.15†24.8†27. 10†28.1.12. Jos. 22.1.1. Reg. 12.14† 15.22.4. Reg. 10.30.2. Par. 7.17. Prov. 1.8.33†15.31. Isa. 1.19†48.18†55.2. Jer. 7.23†11.4†17.24†35*. Dan. 3.16. Eccli. 35.7.2. Mach. 7.30. Matth. 4.19† 7.24†8.21†15.3†17.5†25.3. Luc. 5.4† 10.16. Joan. 2.7. Act. 4.19†5.32. Rom. 16.19. Phil. 2.8.12.1. Thess. 4.3†5.18.1. Pet. 1.12. Jac. 1.22.

Obedientia inferiorum erga superiores. vide Subditorum officium.

Oblatio omnis debet esse sine vitio aut macula, Levit. 1.3†3.1†22.19. Nu. 28.3.31. Deut. 15.21. Eccli. 35.14. Ezec. 43.23. Mal. 1.8.14.

Oblationes Deo gratæ cælitus accenduntur, Gen. 4.4†8.20†15.17. Levit. 9. 24. Jud. 6.21†13.19.3. Reg. 18.38.1. Paral. 21.26. 2. Par. 7.1.2. Mach. 1. 22†2.10.

Oblationes quotidianæ, Exod. 29.38. Num. 28.3.1. Esdr. 3.2.

Oblationes propriorum filiorum, Lev. 18.21†20.2. Deut. 12.31†18.10. Jud. 11.39.4. Reg. 3.27†16.3†17.17 †21.6.2. Par. 28.3. Psal. 105.37. Isai. 57. 5. Jerem. 7.31†19.5. Ezech. 16.20.36† 20.31†23.37.

Oblationum convivia cum gaudio celebrantur, Gen. 31.46. Exod. 18.12† 32.6. Nu. 25.2. Deut. 12*.†27.7.1. Reg. 1. 4†9.12*.†16.5.1. Reg. 15.12.3. Reg. 1. 9†3.15.1. Par. 29.21.

Oblationes impiorum, Genes. 4.3.1. Reg. 15.21. Psalm. 39.7†49.7†50.18. Prov. 15.8†21.27. Eccli. 35.15. Isa. 1.10 †43.23†61.8†66.3. Jerem. 6.20†7.20 †14.12. Osee 5.6†8.13†9.4. Amos 5. 22. Mich. 6.7. Mal. 1.7.13. Matth. 9.13† 22.7. Mar. 12.33. Heb. 10.5.

Occidere. vide Homicidium.

Ochosias filius Joram rex Juda, 4. Reg. 8.24. fugit in Mageddo à facie Jehu, & cæditur, 9.27.
habet sibi successorem Joas regem, 1. Par. 3.11.

Oculus simplex & rectus, Eccli. 35. 12. Matt. 6.22. Luc. 3.1.34.

Oculus nequam, Gen. 6.2. Prov. 6.13. Eccle. 4.8. Eccli. 14.8†31.14. Matt. 6.22. Marc. 7.22. Luc. 11.34.1. Joan. 2.16.

Oculorum custodia quantopere sit necessaria ad vitandum peccata, Gen. 3. 6†6.2†34.2†38.15†39.9.7.2. Reg. 11. 2*.†13.1. Prov. 23.26.33. Eccli. 9.5.7. 8.9.11*.†25.28*.†41.25†42.12. Judith 10.17.18*.†.12.16. Dan. 13.8*. Matt. 5.28.2. Pet. 2.14.

Oculus mentis vel intellectus, Num. 24.3. Deut. 29.4. Isa. 6.9. Luc. 24.29. Actor. 26.18. Ephes. 1.18.

Odium. vide Invidia.
Odio habenda malitia, Psal. 96.10† 138.21. Amos 5.15†6.8. Rom. 12.9.

Offerre pro defunctis, 2. Mach. 12.13.

Officium subditorum. vide infra, Subditorum.

Og rex Basan cæditur, Num. 21.33. Deut. 3.2†29.7†31.4. Psalm. 135.20.

Onesiphoro optat Paulus misericordiam, 2. Tim. 1.16.

Onias summus sacerdos offert pro Heliodoro, 2. Mac. 3.32. cæditur, 4.34.

Operum merita, & retributio seu merces, Psal. 118.112. Prov. 11.18. Eccli. 36.18. Isa. 3.10. Matth. 5.12†10. 42†16.27†25.34. Rom. 2.6.1. Cor. 15. 28.2. Cor. 5.10.2. Tim. 4.8. Hebr. 6.10† 10.35†11.26. Jac. 2.24. Apoc. 20.7. 8†22.12.

Opera mala Deo displicent, & pœnam merentur, Gen. 3.11†4.7†6.3.5.6. 7†7.4†9.6†11.4*.†17.14†18.20†19. 11.24.26†10.3†42.21†44.16. Exod. 3. 9†7*.8*.9*.10*.11*.12*.14*.20*.21*. 22*.†31.13†32.9.27.28.33. Levit. 10. 12. & deinceps per omnes sacræ Scripturæ libros.

Opera bona Deo grata sunt, & præmium merentur, Gen. 4.4.7†5.24†6.8. 9†8.20.121†20.7† 22.16*.†26.4.5† 29.32. Exod. 1.20†20*.†23.22.25. Lev. 11.43.44.45. & sic deinceps per totam scripturam.

Operari benè propter mercedem & retributionem licitum est, Psal. 118.112. Matth. 5.12.2. Timot. 4.8. Hebr. 11.26.
non in quolibet Opere homo peccat, 2. Pet. 1.10.1. Joan. 3.6.9†5.18.

Operum bonorum commemoratio, 4. Reg. 20.3. Job 6.2.3. Psal. 17.21.22.25 †131.1. Isa. 38.3.

Opera bona quæ sint. vide Bona opera.

Opera à nobis proximo exhibita tamquam sibi facta reputat Deus, sive bona sint, sive mala, Isa. 37.23. Jerem. 1.19. Zac. 2.8. Matth. 25.40. Act. 9.5.1. Cor. 8.12.

Opiniones & cogitationes hominum frequenter sunt erroneæ, Levit. 10.1. Nu. 15.39. Deut. 12.8†29.19.1. Reg. 15. 9.2. Reg. 6.6. Prov. 12.15†14.12†21.2. Isa. 5.21†7.12†14.13†55.8. Matth. 3. 14†16.22. Marc. 8.32. Joan. 12.4† 13.8.

Orare in nomine Jesu, Joan. 14.13 †15.16†16.23.26.1. Joan. 5.14.

Orare quemadmodum oporteat, frequenter ignoramus, Matth. 20.20. Marc. 10.35. Rom. 8.26. Jac. 4.3.

Orare noctes & dies, Psal. 118.62. Luc. 18.1.1. Thess. 3.10.1. Timoth. 5.5. 2. Timoth. 1.3.

Orare sine intermissione, Matth. 7.7. Luc. 11.9†18.1. Actor. 10.2. Eph. 6.18. Col. 4.2.1. Thess. 5.17.

Orare ut fidei prædicatio successus habeat felices, Ephes. 6.19. Col. 4.3.2. Thess. 3.1.

Orare alium pro alio, Jerem. 42.2.20. Baruch 1.13.2. Mach. 1.6. Ephes. 6.18. Col. 4.2.1. Thess. 5.25.2. Thess. 3.1.1. Tim. 2.1. Jac. 5.16.

Orare pro inimicis, Num. 16.22.46. 2. Mach. 3.33. Matth. 5.44. Luc. 6.28† 23.34. Actor. 7.60.

Orare Sanctos cum Christo regnantes. vide Sanctos.

Orare pro defunctis. vide Purgatorium.

Oratio quomodo, quando, cui & ubi fieri debeat, & quid petendum, Num. 11. 16.24. Deut. 4.7. Iud. 10.10.15. 1. Reg. 1.11.2. Reg. 22.2.7.3. Reg. 3.7. Isa. 65. 24. Amos 7.2. Eccli. 35.26. Tob. 3.11*. Jud. 4.11. Matt. 6.5.9†7.7†18.19†20.20 †21.22†26.38. Marc. 11.24†13.33. Luc. 11.2.9†18.1†22.40. Joan. 4.23†9. 31†14.13†15.7†16.23. Act. 1.14†2. 42†4.24.31†10.2†1.23. Rom. 8.26†12. 12.1. Cor. 14.13. Eph. 6.18. Col. 4.2.1. Th. 5.17.1. Tim. 2.1. Heb. 13.18.1. Pet. 3.12.1. Joan. 5.4. Jac. 1.6†4.3†5.13. Apoc. 19.10†22.9.

Orationes quæ fiunt quemadmodum oportet, exaudit Deus, Gen. 16.11†21. 17. Exod. 2.24†3.7†6.5†22.23.27. Deut. 4.7†15.9.1. Reg. 7.9.10†9.16† 12.18.2. Reg. 22.4.7.3. Reg. 13.6†17. 22†18.36.4. Reg. 13.5†20.5.2. Par. 32. 22†33.13.4. Esd. 15.7. Jud. 4.8.12. Tob. 3.24. Ps. 3.5†4.4†9.13†17.7†21.25† 33.7†49.15†54.17†117.5†119.1†144. 19. Prov. 15.29. Eccli. 4.9†21.6†36.14. 26†48.22. Isa. 30.19†37.15.21†55.7. Jerem. 29.12. Thr. 3.56. Dan. 13.44. Jon. 2.3. Zach. 13.9.2. Mach. 3.22. Joan. 9. 31. Act. 10.4.

Orationes quorumdam quare non exaudiat Deus, Deu. 1.45†31.18. Jud. 10.1.1. Reg. 8.18. Psal. 17.42. Prov. 1.28 †15.29†21.13†28.9. Eccli. 34.29.31. Isa. 1.15. Jerem. 7.16†11.11.14† 4.12† 15.1. Ezech. 8.18†14.16.20. Mich. 3.4. Zach. 7.13.4. Esdr. 1.26.1. Mach. 9.13. Joan. 9.31. Heb. 12.17. Jac. 4.3.

Orationum Sanctorum exempla, Gen. 32.9. Exod. 32.11.13. Num. 14.19. Deut. 9.26.3. Reg. 8.15*.4. Reg. 20.3.2. Par. 6.16*.†14.11†20.6.12.1. Esd. 9. 6*.2. Esd. 1*. Sap. 9*. Eccli. 23.2†36.1. 11†51*. Baruc. 1.17.2†2.6*.†3.1.9. Tob. 3.1.12†8.7†13.1. Jud. 9.2†16*. Esth. 14.3. Isa. 33.2†37.16†64*. Jer. 10. 24†17.13.14†18.19†32.16. Thre. 5*. Dan. 9.6†13.42. Jonæ 2*. Habac. 3*. 3. Esdr. 8.74.4. Esdr. 3*.1†6.38*.1. Mach. 7.37.2. Mach. 6.30. Act. 4.24.

Ordinis sacramentum, Jos. 20.22.1. Tim. 4.14†5.22.2. Tim. 1.6. Tit. 1.5.

Oreb & Zeb interficiuntur, Jud. 7.27.

Osculum pudicum, pacis & charitatis symbolum, Genes. 29.13†45.14†48. 10. Exod. 4.27. Luc. 15.20. Actor. 20. 37. Rom. 16.15.1. Cor. 16.20.2. Cor. 13. 12.1. Thess. 5.26.1. Pet. 5.14.

Otium. vide Acedia.

Ozias sacerdos recipit Achior in domum suam, Jud. 6.19.
præscribit Domini miserationi tempus quinque dierum, 7.23.
Ozias. vide Usia.

P.

Pactum cum quibus non sit ineundum, Exod. 23.32†34.15. Deut. 7.3† 20.13.3. Reg. 20.36.42.

Pactum contra Dei voluntatem cum infidelibus initum, punitur, Jud. 1.24.27 †3.5.3. Reg. 20.34.41.2. Par. 19.2.

Pactum init Deus cum populo, Gen. 17.2.7. Exod. 19.5. Deut. 5.2. Jerem. 31. 31.33.

Pactum init populus cum Deo, Jos. 24.25.4. Reg. 23.3.2. Par. 15.12†23.16. 2. Esd. 10.29.

Parentum officium, Gen. 18.19†21. 19†24.2†25.6†34.4.29†49*. Ex. 10.2 †12.26†13.13.14†21.10. Lev. 19.29. Num. 30.6. Deut. 4.9†6.7.20†11.19† 21.19†22.15.19†32.46. Jos. 4.21.1. Reg. 2.23†3.13.3. Reg. 2.1. Job. 1.5. Ps. 77.3. Prov. 1.8†4.1†5.7†11.29†13.24 †19.18†20.2†22.6.15†23.13†29.17. Eccli. 4.23†7.25†8.11†17.1†25.10†26. 13†30.1.11†33.32†42.5. Tob. 1.10† 4*.†10.13†14.5.11.1. Mach. 2.49.64.2. Mach. 6.24.28†7.20.21.27. Dan. 13.3. Matt. 10.37. Eph. 6.4. Col. 3.21.2. Tim. 3.15. Tit. 2.4.

Paschæ festi institutio & celebratio, Exod. 12*.†13.6†23.15†34.18. Lev. 23.5. Num. 9.2.11†28.17. Deut. 16.1.5. Jos. 5.10.4. Reg. 23.21.1. Par. 30.1.15† 35.1.1. Esdr. 6.19.3. Esd. 1.10†7.10. Ezech. 45.21. Matth. 26.19. Marc. 14. 12. Luc. 22.7.

Pastores, præceptores, & alij præfecti qua debeant esse solicitudine & cura in eos quos suæ fidei commissos habent, Prov. 27.23.24. Sap. 6.23.26. Ezec. 34.4*. Matth. 18.12†24.45. Luc. 15.4. Joan. 10.11*.†13.1*.†17.9.11*.†18. 8. Act. 20.22.28.31. Rom. 9.2.3†12.7. 8.1. Cor. 4.14.2. Cor. 11.28.29. Galat. 3.19.

Patiens & longanimis est Deus, Gen. 6.3. Exod. 34.6. Num. 14.18. Psalm. 85.15†102.8†144.8. Eccle. 8.12. Isa. 30. 18. Joel. 2.13. Jonæ 4.2. Nahum 1.3. Sap. 11.24†15.1. Matth. 18.27. Rom. 2.4.1. Tim. 1.16. 2. Pet. 4.9.

Patientia & longanimitas fidelium in omni genere afflictionum, Gen. 12.4. 6.1. Reg. 16.10. Job 1.20†2.9†7.2. Pro. 3.11†14.29†15.1†16.32†25.15. Eccli. 1.29†2.4.4. Esdr. 10.15. Tob. 2.8.2. Mach. 6.20†7*. Matth. 5.39. Rom. 5.3† 12.12†15.4.2. Cor. 6.4. Galat. 5.22. Eph. 4.2.1. Thess. 5.14.2. Thess. 1.4.7.1. Tit. 6.11.2. Tim. 2.3.12.1. Pet. 1.6†2.19 †3.14.17†4.1.2. Pet. 1.6. Hebr. 10.36† 11.25†12.1. Jac. 5.7.

Impatientia & ejus punitio, Exo. 14. 11†15.24†16.2.7†17.2. Num. 11.1.10 †14.1.28†21.6. Job 3.1. Eccli. 2.16.

Pauperes. vide Eleemosyna.

Paulus Judæus ex tribu Benjamin, Rom. 11.1. Phil. 3.5. natus & educatus Tarsi, Actor. 22.3. persequitur Christianos, 9.1. Gal. 1.13.1. Tim. 1.13. conversio ejus singularis, Actor. 9*.
Paulus doctor gentium, Rom. 11.13† 15.16. Gal. 2.2.8.1. Tim. 2.7.2. Tim. 1. 11. prædicat Antiochiæ, Act. 13.16*. Iconiæ, 14.1. Lystri, 14.6.13. Thessalonicæ, 17.1. Beroeæ, 17.10. Athenis, 17. 22.28. Corinthi, 18.1. vocatur in Macedoniam, Act. 16.9. capitur, 21.27. deducitur Cæsaream, 23.23.30. vehitur Romam, 27*.28*. sistitur Neroni, 2. Timoth. 4.22.
Paulus nemini voluit esse oneri, Actor. 20.33.2. Cor. 11.9.11†12.13. 1. Thess. 2.9.2. Thess. 3.8. vocabatur olim Saulus, Act. 7.59†9.1†13.1.

Pax quædam temporalis, quædam æterna, Gen. 13.6†26.22†45.24. Lev. 26.6. Num. 6.27. Jerem. 29.7. Eccli. 25. 2†28.15.19. Matt. 5.9. Marc. 9.50. Luc. 14.32. Act. 9.31. Rom. 12.18.1. Corint. 14.33. Eph. 4.3.2. Tim. 2.22.1. Pet. 3.11. Heb. 12.14. Jac. 3.18. Apoc. 6.4.
Pax interna qualis est inter Deum & ejus amicos, Isa. 2.4†9.6†11.6.7†66. 12. Osee 2.14.20. Mich. 4.3. Zach. 9. 10. Luc. 2.14†24.36. Joan. 14.17†16. 33†20.19. Act. 10.36. Rom. 5.1. Eph. 2. 14. Phil. 4.7.
Pacem & misericordiam promittunt mendaces prophetæ, Jerem. 6.14†8.8. 12†14.13†23.16. Ezech. 13.10.16. Mich. 3.5.1. Thess. 5.3.

Peccati origo, Gen. 2.17†3.6. Rom. 5.12.1. Cor. 15.21.
Peccatum originale, Job 14.4†15. 14. Ps. 50.7. Rom. 3.9.23†5.12*. effectus ejus, Gen. 8.21. Eccli. 17.30. Rom. 5. 12.17†6.23†7.8.11.13.17*. Gal. 5.17. Ephes. 2.3. tollitur ejus reatus per Christum, Joan. 1.29. Rom. 3.23.24†5.9.15. 17.18.19†6.3†7.24†8.1.2. Gal. 3.22. Ephes. 2.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Peccatum solus Deus propria auctoritate remittere potest, Exod. 34. 7. Psal. 18. 13 †31. 5 †102. 12. Isai. 43. 25 †44. 22 †53 *. Jerem. 31. 34 †33. 8. Mich. 7. 18. Matth. 9. 1. Mar. 2. 5. Lucæ 5. 20 †7. 48.

Peccatum Sacerdos remittit auctoritate divina, Matth. 18. 18. Joan. 20. 23.

Peccatum remittitur per Christum, Is. 53 *. Dan. 9. 24. Matt. 1. 21 †9. 2 †11. 28 †20. 28 †26. 27. Marc. 2. 5. Luc. 24. 46. Joan. 1. 29. Act. 2. 38 †4. 12 †10. 35. 43 †13. 38. Rom. 4. 25 †5. 9. 1. Cor. 6. 11 † 15. 3. 2. Corinth. 5. 21. Gal. 1. 4. Col. 1. 14. Ephes. 1. 7 †5. 25. 1. Tim. 1. 15. Tit. 2. 14. 1. Pet. 1. 18 †2. 14 †3. 18 †4. 1. Hebr. 1. 3 † 9. 12. 14. 1. Joan. 1. 7 †2. 12 †3. 5. Apoc. 1. 5.

Peccatum in Spiritum sanctum, Matt. 12. 31. Mar. 3. 28. Luc. 11. 15 †12. 10. Heb. 6. 6 †10. 26. 1. Joan. 5. 16.

Peccatum vindictam clamans, Gen. 4. 10 †18. 20. Exod. 22. 23. 27. Eccli. 35. 18. Jac. 5. 4.

Peccanti in nos fratri condonandum. vide Remittendum.

Propter Peccatum unius aut paucorum puniuntur multi, Gen. 3 *. Num. 16. 20 *. Jos. 7 *. Jud. 19. 25. 2. Reg. 24 *.

Peccatum contra naturam, Gen. 19 *. Jud. 19. 22 *. Lev. 20. 13. Rom. 1. 27. 1. Cor. 6. 10. 1. Tim. 1. 10.

Peccatum ex ignorantia, Lev. 42 †5. 15. Num. 15. 27. Luc. 23. 34. Joan. 9. 41 † 15. 24. Actor. 3. 17. 1. Tim. 1. 13.

Peccatum ex malitia & data opera, Num. 15. 30. Eccli. 10. 14. Matt. 28. 13. Jo. 11. 49. Act. 4. 18. Heb. 6. 5 †10. 16.

Peccatorum confessio. vide supra Confessio.

Peccatum non solùm non imputatur, sed etiam verè remittitur, & anima abluitur ac mundatur, Psal. 50. 12. Act. 2. 38. 1. Corinth. 6. 11. 2. Pet. 1. 9. 1. Joan. 1. 9.

Peculium Dei ejus populus, Ex. 19. 5. Deut. 7. 6 †14. 2. Joan. 1. 11. Eph. 1. 14. 1. Pet. 2. 9.

Pedum lotio. vide suprà Lotio.

Peregrinis benefaciendum est, Gen. 18. 2. Exod. 22. 21 †23. 9. Lev. 19. 33 † 23. 22. Num. 15. 14. Deut. 10. 18 †14. 21 †24. 14. 17 †26. 11 *. Ezech. 22. 29 †47. 21. Zach. 7. 10.

Peregrini sumus & advenæ in hac vita, Gen. 15. 13 †23. 4 †47. 9. 1. Par. 29. 15. Ps. 38. 13 †118. 19. 2. Cor. 5. 8. Phil. 3. 20. Heb. 11. 13. 1. Pet. 2. 11.

Peregrinationes pietatis gratia susceptæ sunt utiles, 3. Reg. 8. 41. 4. Reg. 5. 10.

Perjurii & falsi crimen, Exod. 8. 8. 15. 28. Lev. 5. 4. 1. Reg. 19. 6 *. 3. Reg. 8. 31. Jer. 7. 9. Zach. 5. 3. Mal. 3. 5. 1. Mach. 6. 62 †7. 15. 18 †11. 53 †13. 16. 19. 2. Mach. 4. 34 †12. 3. Matth. 26. 72. 1. Tim. 1. 10.

Persæ invadunt Babylonem, Dan. 5. 28. juxta prophetiam Isaiæ, 21. 9. Jer. 51. 8. 11. 41. 55.

Perseverantia, Gen. 19. 15. 16. Job 2. 3. Prov. 3. 31 †23. 17. Ezech. 18. 24 † 33. 13. Eccli. 2. 2 †11. 11 †35. 9. Matth. 10. 22 †15. 22 †24. 13. Luc. 9. 54. Joan. 6. 62. Act. 2. 42 †11. 23 †13. 43 †14. 21. Heb. 3 *. 2. Pet. 2. 20. 1. Joan. 2. 24. Apoc. 2. 16.

Persecutio. vide Crux.

Personarum acceptio illicita, nec Deus personam respicit, Levit. 19. 15. Deut. 1. 17 †10. 17 †17. 2. 1. Reg. 16. 7. 2. Par. 19. 7. Sap. 6. 8. Job 34. 19. Prov. 18. 5 †24. 23 †28. 21. Eccli. 35. 15. 16. Is. 11. 3. Malac. 2. 9. Matt. 22. 16. Mar. 12. 14. Luc. 20. 21. Actor. 10. 34. Rom. 2. 11. Galat. 2. 6. Ephes. 6. 9. Col. 3. 25. 1. Pet. 1. 17. Jac. 2. 9.

Petere. vide Orare.

Petrus à Christo vocatur, Matth. 4. 18. confitetur Christum, 16. 16. appellatur Simon, 4. 18 †10. 2. Joan. 20. 2. appellatur Cephas, Joan. 1. 42. 1. Cor. 1. 12 †3. 22 †9. 5. Galat. 2. 9. appellatur Simon Bar-Iona, & Simon Joannis, Matth. 16. 17. Joan. 21. 15. negat Christum, & de negatione facta pœnitentiam agit, Mat. 26. 69. 70. 72. 75. prædicat, & loquitur, Actor. 1. 16 †2 *. †3. 12 *. †4. 1 †10. 34. sanat claudum, 3. 4. conjicitur in carcerem, 12. 3.

Petrus primus Apostolorum, Matt. 10. 2 †16. 18 †16. 24 *. Lucæ 22. 31 *. Joan. 21. 17 *.

Phacee filius Romeliæ, postquam occidit Phaceiam, fit rex Israël, 4. Reg. 15. 25. 27. pugnat contra Jerusalem, Isai. 7. 1. occidit de Juda centum viginti millia virorum uno die, 2. Par. 28. 6.

Phaceia filius Manahem fit rex Israël, 4. Reg. 15. 22. 23.

Phanuel turris subvertitur à Gedeone, occisis habitatoribus civitatis, Jud. 8. 8. 13. 17.

Pharao affligitur propter Saram uxorem Abraham, Gen. 12. 17.

Pharao somnia videt, Gen. 41. 1. quæ ei à Joseph explicantur, 41. 25.

Pharao Israëlem opprimit servitute, Exod. 1. 8 *. submergitur cum omni suo exercitu, 14. 24. 28.

Pharaonis filiam accipit Salomon uxorem, 3. Reg. 3. 1.

Pharao Nechao capit regem Joachaz, 4. Reg. 23. 34.

Pharisæus invitat Christum, Luc. 7. 36.

Pharisæus & Publicanus orant simul in templo, Luc. 18. 10.

Pharisæi graviter increpantur, Matth. 3. 7 †7. 1 †16. 4 †23 *. Joan. 8. 44. Act. 7. 51 †23. 3. Phil. 3. 2.

Phassur percutit Jeremiam prophetam, Jerem. 20. 2.

Phegiel dux tribus Aser, Num. 1. 13.

Phigellus & Hermogenes avertuntur à Paulo, 2. ad Timoth. 1. 15.

Philippus vocatur à Christo, Joan. 1. 43. recensetur inter Apostolos, Mat. 10. 3. cupit videre Patrem, Joan. 4. 8.

Philippus diaconus eligitur, Act. 6. 5. prædicat in Samaria, Actor. 8. 5. baptizat Æthiopem eunuchum, Act. 8. 37. suscipit Paulum & socios ejus hospitio, Actor. 21. 2.

Philisthæi persequuntur Israëlem, Jud. 3. 3 †10. 7 †15. 9. 1. Reg. 4 *. †5 *. †13. 5 †17 *. †23. 1 †28. 1 †29. 1 †31. 1. 2. Reg. 5. 17. 22 †21. 15. 18.

Philistæi cæduntur, Jud. 3. 31. 1. Reg. 7. 11 †13. 3 †14 *. †17. 50 †18. 27 †19. 8 †23. 5. 2. Reg. 5. 24 †8. 1. 4. Reg. 18. 8.

contra Philisthæos, vide Isa. 14. 29. Jerem. 47. 1. 4. Ezech. 25. 15. Amos 1. Sophon. 4. 2. 5. Zach. 9. 6.

Phinees filius Eleazari, Exod. 6. 25. Jud. 20. 28. placat Deum zelo suo, Nu. 25. 7. 12. Psalm. 105. 30. mittitur in terram Galaad, Jos. 22. 13.

Phinees filius Heli, 1. Reg. 1. 3. periit propter sua peccata, 4. 11.

Phul rex Assyriorum copias adducit contra Jerusalem, 4. Reg. 15. 19.

Pietas. vide Bona opera.

Pignus salutis nostræ est Spiritus sanctus, Rom. 8. 16. 2. Cor. 1. 22. †5. 5. Eph. 1. 13 †4. 30.

Pigritia. vide Acedia.

Pilatus & Herodes fiunt amici, Luc. 23. 12.

Pilatus Christum innocentem morti addicit, Matt. 27. 26. Joan. 19. 16.

Plaga Dei seu vindicta, Exod. 7 *. 8 *. 9 *. 14 *. 4. Reg. 8. 28. 2. Paral. 6. 28. Psal. 77. 44 †104. 27. Jerem. 15. 2.

Poena peccati non statim universa remittitur remissa culpa, Num. 14. 20. 22. 23. 2. Reg. 12. 13. 14 *. †24 *. 1. Paral. 21 *.

Poenitentia, & satisfactio pro peccatis, Psalm. 6. 7. Matth. 3. 8. Luc. 3. 8. Actor. 2. 38 †8. 22. 2. Corint. 7. 10.

Pœnitentia prædicatur, Jerem. 7. 5. Matt. 3. 2 †4. 17. Luc. 3. 3. 8 †13. 3 †24. 47. Actor. 2. 38 †3. 19 †8. 21 †17. 30 †20. 22 †26. 20.

Pœnitentiæ veræ & non fictæ promissa est venia, Deut. 4. 29 †30. 2. 1. Reg. 7. 3. 2. Paral. 7. 14 †20. 6 †34. 26. Job 22. 23. Prov. 18. 13. Psalm. 31. 5. Eccli. 17. 23. Isai. 1. 16 †30. 18 †45. 22 †55. 7 †59. 20. Jerem. 3. 10. 17 †18. 8 †29. 12 †31. 18. 10. Ezech. 18. 21. 27 †33. 14. Osee 14. 2. Joël 2. 12. Jon. 3. 8. Zach. 1. 4. Malac. 3. 7. Luc. 15. 18. Act. 3. 19 †26. 18. 20.

Pœnitentia agenda est dum sani sumus, Eccli. 17. 24 †18. 25.

Pœnitentiæ veræ exempla, Jud. 10. 15. 2. Reg. 12. 13 †24. 10. 17. 2. Paral. 12. 6 †33. 12. Jonæ 3 *. Judith 4. 8. Matt. 26. 75. Luc. 7. 37. 44 †15. 18 †18. 13 †19. 8 † 22. 62 †23. 41. Act. 2. 37.

Pœnitentiæ falsæ exempla, Genes. 4. 13 †27. 38. Exod. 8. 8 †9. 27 †10. 16. Jos. 7. 20. Jud. 1. 7. 1. Reg. 15. 24. 30 †24. 19. 3. Reg. 13. 6 †21. 27. Sap. 5. 3. 1. Mach. 6. 12. 2. Mach. 9. 12. Matth. 27. 4. Actor. 8. 13. 23. Heb. 12. 17.

Prædicatores. vide Concionatores.

Præfecti. vide Superiores & Pastores.

Precari. vide Orare.

Primitiæ fructuum debentur Deo ejúsque Sacerdotibus, Exod. 23. 19 †34. 26. Levit. 23. 10. Num. 18. 13. Deut. 18. 4 †26. 1. 10. 2. Par. 31. 5. 2. Esd. 10. 35. 37. Prov. 3. 9. Tob. 1. 7.

Primogenita omnia Ægyptiorum moriuntur, Exod. 12. 29. Psal. 77. 51 † 134. 8 †135. 10.

Primogenitum omne Deo consecratur, Exod. 13. 2 †22. 29 †34. 20. Levit. 27. 26. Num. 3. 13 †8. 17. Deut. 15. 19. 1. Reg. 1. 24. Luc. 2. 23.

Primogenitorum jura, privilegia, & prærogativæ, Gen. 25. 31 †49. 3. Deut. 21. 15. 2. Par. 21. 3.

Primo

Primogeniti aliquando à Deo rejiciuntur, Genes. 48. 17 †49. 4. Rom. 9. 13.

Proditio, & ejus punitio, Gen. 37. 23. Jud. 1. 24. 1. Reg. 23. 19. Isaiæ 22. 15. 2. Mach. 3. 4 †4. 1 †10. 20 †13. 21. Matth. 26. 14. 47.

Promissio. vide Votum.

Promissiones Dei cum conditione fiunt, Deut. 19. 8 †28 *. †33. 4. Levit. 26 *. 1. Reg. 2. 30. Ezech. 18 *. †33. 15. 19. Marc. 16. 16. Joan. 3. 16. 36 †6. 47 †8. 31 †13. 17 †15. 7. 14. Rom. 8. 17. Col. 1. 23. Heb. 3. 14. 2. Pet. 1. 4. Apoc. 2 *. †3 *. †21. 7.

Prophetæ. vide Concionatores.

Providentia. vide Dei gubernatio & providentia.

Pseudoprophetæ, & eorum punitio, & quòd non sint audiendi, Deut. 13. 1 †18. 20. 3. Reg. 13. 11 †18. 40 †22. 6. 10. 4. Reg. 10. 19. Prov. 28. 10. Isa. 3. 11 † 28. 7 †56. 10. Jerem. 14. 13. 15 † 23 *. †27. 9. †28 *. †29. 8. 21. 25. Ezec. 13 *. †14. 9 †22. 25 †34. 2. 8. 18. Amos 7. 10. Mich. 3. 5. Zach. 13. 2. Matth. 7. 15 †24. 11. Luc. 12. 1. Act. 20. 29. 1. Cor. 15. 12. Phil. 3. 2. Col. 2. 8. 1. Tim. 4. 1. 2. Tit. 1. 17 †3. 1. 2. Pet. 2 *. 1. Joan. 4. 1. Jud. 4. 8 *.

Pseudoprophetæ habentur qui currunt antequam per ordinariam potestatem mittantur, Jerem. 14. 14 †23. 32 † 27. 15. Ezech. 13. 6.

Ptolemæus oppugnatur ab Antiocho, 1. Mach. 1. 19. init amicitiam cum Alexandro filio Antiochi, 10. 51. pugnat cum Alexandro, & moritur 11. 1. 18.

Ptolemæus Macer veneno vitam suam finivit, 2. Mach. 10. 12. 13.

Publius suscipit hospitio Paulum, Actor. 28. 8.

Purgatorium, id est, locum ubi sunt animæ, quæ vivorum precibus & operibus juvari possunt, & purgantur, esse confirmatur, 2. Mach. 12. 43. 46 *. Matth. 5. 25 † 12. 32. 1. Cor. 3. 16. Phil. 2. 10. 2. Timot. 1. 18. 1. Joan. 5. 16. Apoc. 5. 3. 13.

Q.

Quadragesimalis jejunij exempla, Moyses, Exod. 24. 18 † 34. 28. Deut. 9. 9. 18. Elias. 3. Reg. 19. 8. Christus, Matth. 4. 2. vide jejunium.

Quæstiones inutiles quæ sunt vitandæ, Genes. 3. 1. 6. Prov. 25. 27. Eccle. 7. 11. Eccli. 3. 21. Matth. 24. 3. Joan. 6. 52 † 21. 21. Actor. 1. 6. 1. Tim. 1. 4 †6. 3. 2. Tim. 2. 16. Tit. 3. 9.

Quiescendum à peccatis, Rom. 6. 6 *. Galat. 2. 18.

Quies continget populo Dei, Heb. 4. 9.

Quietem & pacem certam consequentur justi, Sap. 3. 3 †4. 1. Isai. 57. 2. Luc. 16. 22. Apoc. 14. 13.

Quietem invenire animæ suæ, Jerem. 6. 16. Matt. 11. 29.

R.

Rabba obsidetur, 2. Reg. 11. 1 †12. 26. 1. Par. 20. 1.

Rabsaces Sennacherib archipincerna, 4. Reg. 18. 17. Isa. 36. 37.

Rachel pascit oves patris sui, Gen. 29. 9. traditur Jacob in uxorem, 29. 29. clàm tollit idola patris sui, 31. 19. ob difficultatem partus periclitatur, 35. 17.

Rahab exploratores missos in urbem Jericho, excipit hospitio, Jos. 2. 1. Jac. 2. 25. servatur cum suis, Jos. 6. 17. 23.

Rahab uxor Salmon, 1. Paral. 2. 11. Matth. 1. 5.

Raphael Angelus Domini medicus & dux Tobiæ, Tob. 5. 5 †6 *. †. 12. 12.

Rationem Deo quisque pro se redditurus est, Matt. 12. 36 †18. 23 †45. 31 *. Rom. 14. 12. 2. Cor. 5. 10.

Razias Judæus gladio se interimit, 2. Mach. 14. 37. 41.

Razon adversarius Israëlis, 3. Reg. 11. 23.

Rebecca filias Bathuelis, Gen. 22. 23. uxor Isaac, 24. 50. parit geminos, 25. 24.

Rachab pater Jonadab, amici Jehu regis Israël, 4. Reg. 10. 15.

Redimere novit Deus suos multis modis ex angustia, Gen. 19 *. Exod. 14 *. †18. 8. 1. Reg. 23. 14. 26. 4. Reg. 7 *. 2. Paral. 18. 31 † 20. 24. 1. Esdr. 8. 22. Psalm. 4. 9 †90. 9. Est. 7. 5. Is. 41. 10 †43. 1. Dan. 3. 91 †6. 21. 23. 2. Pet. 2. 9.

Refugii civitates, Exod. 21. 13. Num. 35. 11. Deut. 4. 41 †19. 2. 7. Jos. 20 *. 3. Reg. 1. 50 †2. 28.

Regeneratio. vide Homo.

Regeneratio est immutatio carnis in spiritum, Joan. 3. 5. carnalium affectionum in spiritalem affectum, Rom. 8. 5. 13. infidelitatis in fidem, Joan. 1. 12. Gal. 3. 26. 1. Joan. 5. 1. innovatio mentis per Spiritum sanctum, Tit. 3. 5. Gal. 4. 6. atque adeò carnalis naturæ in divinam naturam, 2. Petr. 1. 4. Col. 2. 11. ut qui mali fuimus, sanctificemur, 1. Cor. 6. 11. Ephes. 5. 8.

Regenerati interiùs, etiam exteriùs in novitate vitæ ambulabunt, Rom. 6 *. †7. 6 †12. 1. Ephes. 4. 22. Col. 3. 9. 1. Cor. 5. 7. 2. Cor. 5. 15. 1. Petr. 4. 1.

Reges quid facere, quidve fugere debeant, Deut. 17. 19. 1. Reg. 8 *. 3. Reg. 2. 2 †10. 9. Par. 9. 1 †19. 5. Sap. 6 *. †9. * Job 34. 30. Psalm. 2. 10 †100 *. Prov. 14. 28 †19. 12 †20. 8. 26 †28. 15 † 29. 4. 14 †31. 4. Jerem. 22. 2. vide Superiorum officium.

Regnum Dei vim patitur, Matth. 11. 12. Luc. 16. 16. Gal. 5. 16. Apoc. 2 *. †3 *. †21. 7.

Regnum Dei spirituale, internum & æternum, Gen. 49. 10. Num. 24. 17. 1. Reg. 2. 10 †7. 9. 10. 1. Par. 18. 11 †29. 2. 4. Psal. 2. 2. 6 †9. 8 †21. 28 †44. 7 †71. 1 † 109 *. †144. 11. Isa. 9. 6 †11 *. †32. 26 † 40. 9 †42. 1. Jer. 23. 5. 6 †33 *. Ezech. 34. 23 †37. 24. Dan. 2. 44 †4. 33 †7. 14. 27 † 9. 24. 25. Osee 3. 5. Mich. 4. 1. 4. †5. 1. Zach. 9. 9. Matth. 13 *. Luc. 1. 28 †12. 31. 32 †22. 29 †23. 2. Joan. 6. 14 †12. 14. 34 †18. 33. 36. 1. Timoth. 1. 17. Heb. 1. 8 †2. 9.

Relinquentes omnia propter Christum, centuplum recipient, Matth. 19. 29. Marc. 10. 29. Luc. 18. 29.

Reliquiæ & vestes Sanctorum quam vim à Deo habeant, quidque per eas operetur Deus, ut pallium Eliæ, 4. Reg. 2. 14. ossa Elisæi, 4. Reg. 13. 21. fimbria Christi, Matth. 9. 20 †14. 36. sudaria Pauli, Act. 19. 12. umbra Petri, Act. 5. 15.

Remittendum proximo in nos peccanti, Eccl. 28. 8. Matth. 5. 23 †6. 13 † 18. 22. 35. Luc. 17. 3. Ephes. 4. 32. Col. 3. 13.

Repudii libellus, Deut. 24. 1. Isa. 50. 1. Jer. 3. 3. Malach. 2. 16. Matth. 5. 30 †19. 7. Marc. 10. 4.

Respha concubina Saul, ad quam ingressus est Abner, 2. Reg. 3. 7.

custodit corpora eorum qui in crucem sublati erant, 21. 10.

Resurrectio mortuorum, & carnis ad gloriam facta mutatio, Exod. 5. 6. Job 14. 13 †19. 26 †21. 30. Isa. 26. 19 †66. 14. Ezech. 37. 1. 9. Dan. 12. 12. Jonæ 2. 11. Soph. 3. 8. 4. Esd. 2. 16 † 14. 35. 2. Mach. 7. 9. 14. 23. Matth. 22. 23. 31. Luc. 20. 35. Joan. 5. 21. 28 †6. 39 †11. 24. Actor. 24. 15. 1. Cor. 15 *. 2. Cor. 4. 14 †5 *. Col. 3. 4. Phil. 3. 21 †4. 3. 1. Thess. 4. 13. 16. 2. Tit. 2. 11. Apoc. 20. 12.

Revelationes & visiones, Josue 5. 13. 4. Reg. 17. 9. 2. Mach. 3. 24 †5. 2 † 10. 29 † 11. 8. vide Apparitiones.

Roboam filius Salomonis, rex Juda constituit, 3. Reg. 12. 1. deficit Israël à Roboam ad Jeroboam, 12. 19. præcipit ei Deus ne pugnet contra Israël, 2. Paral. 11. 2. oppugnatur à Sisac rege Ægypti, 12. 2. 9.

moritur, 3. Reg. 14. 31. regnat Abiam filius ejus pro eo, 15. 1.

Romani, cum Judæis pacis & societatis fœdera ineunt, 1. Mach. 8. 14. 17. 27 † 12. 1 †14. 17. 20.

Romanorum Gentilium laus, 1. Mac. 8. 2. 9.

Romanorum Christianorum laus, Rom. 1. 8.

Romanos destructuros Jerusalem & templum Domini, Num. 24. 24. Isa. 5. 26 †6. 11. Dan. 9. 26 †11. 30. 31. Luc. 19. 41. †21. 20. Joan. 11. 48.

Ruben primogenitus Jacob nascitur, Gen. 29. 32. violat thorum patris sui, 35. 22. dantur ob id primogenita ejus filiis Joseph, 49. 5. 1. Par. 5. 1. nititur fratrem suum Joseph liberare, Gen. 37. 21. 22. 29.

dicit patri, Duos filios meos interfice, si non reduxero Benjamin, 42. 37. filiis Ruben primò requies datur, Num. 32 *. Deut. 3. 12 †29. 8. Josue 1. 12 †13. 23. cæduntur, 4. Reg. 10. 33. transferuntur ad terram Assyriorum, 15. 29. 1. Par. 5. 26. secundùm prophetiam, Genes. 49. 4. ædificant altare, Jos. 22. 10. dimicaverunt contra Agarenos, 1. Par. 5. 19.

Ruth Moabitis, Ruth. 1. 4. accipit eam uxorem Booz, & parit Obed, 4. 13. 1. Par. 2. 12. Matth. 1. 5.

S.

Sabbatum, Gen. 2. 2. Exod. 16. 23 †20. 8 †23. 12 †31. 14. 17 † 34.

Universidad de Deusto
Biblioteca

21†35. 2. Lev. 19. 3†23. 3. 15†25. 4. Num. 15. 3. †28. 9. Deut. 5. 12. Isa. 56. 2. 4†58. 13†66. 25. Jere. 17. 21. 27. Ezech. 20. 12†22. 8. Esdr. 13. 16. 22. 1. Mach. 1. 47†2. 33. 41. 2. Mach. 15. 1. Matth. 12. 1. 10. Marc. 2. 23†3. 2†6. 2. Lucæ 4. 16. 31†6. 1†13. 11. 14†14. 1. Joan. 5. 16†7. 22†9. 14. Actor. 13. 14. 27. 44† 15. 21†18. 4†20. 7. 1. Corint. 16. 2. Heb. 4. 4. 10.

Sacerdotes Legis, & horum munus, Exod. 29. 44† 30. 7. Lev. 10. 1. 6. 9† 21*. †22*. †24. 3. Num. 3. 10†4. 5. 11† 10. 8†18. 1. 7. Deut. 21. 5. 1. Reg. 2. 28. 35. 1. Paral. 6. 49. 2. Par. 26. 17. Ezech. 44. 15. 20. Hebr. 5. 7† 10. 11.

Sacerdotum multitudo in veteri Lege, 1. Par. 23. 3. ubi numerantur, 38000.

Sacerdotum Legis indumenta, ornamenta, & ordinatio. Exod. 28*.† 29. 1† 39. 1†40. 12. Lev. 8. 1. 8.

Sacerdotibus dabantur decimæ & primitiæ, Num. 5. 9. 10† 18. 8. 11*. Deut. 18. 3. ut liberi à solicitudine comparandi victum, possent vacare Legi Dei, 2. Par. 31. 4*. vide Decimæ.

Sacerdotibus Legis assignabatur necessaria vitæ sustentatio, Exod. 29. 26. Levit. 2. 3. 10†5. 3†6. 9. 9†7. 6. 32†10. 13†24. 9. Num. 3. 48†5. 9†18. 8. 11. 28. Deut. 18. 1. 1. Reg. 2. 8. 4. Reg. 12. 16. 1. Paral. 6. 54. 2. Par. 31. 4. 2. Esd. 10. 36. Eccli. 45. 25.

Sacerdotes mali, & eorum punitio, Num. 16*. 1. Reg. 2. 22*. †3. 13. 3. Reg. 2. 26. Isa. 3. 11. Jerem. 2. 5†8. 7. Os. 4. 6. 9 †5*. Mal. 1*†2. 1. 8. Mach. 7. 5. 9. 21.

Sacerdos, non Lex aut Scriptura est judex quæstionum exortientium, Deut. 17. 9. 12. Malach. 2. 7.

Sacrificium novi Testamenti appellatur juge sacrificium, Dan. 11. 31† 12. 11. celebrabitur donec veniat Dominus, 1. Cor. 1. 6. quære Missæ sacrificium, & Oblatio.

Sadducæi negant mortuorum resurrectionem, Matth. 22. 23. Act. 4. 1†23. 8.

Salmanasar rex Assyriorum egreditur primò contra Samariam, & transfert Israël cum Osee rege in Assyrios, 4. Reg. 17. 6. secundò capit Samariam, 18. 9.

Salomonis filij Davidis nativitas promittitur, 2. Reg. 7. 12.

nascitur, 2. Reg. 5. 14†12. 24. ungitur in regem super Israël, 3. Reg. 1. 33. Dominus apparuit ei per somnium nocte in Gabaon, à quo sapientiam postulat, 3. 5. 9. 2. Paral. 1. 7. dirimit litem meretricum, 3. Reg. 3. 16. 24. de ejus sapientia, magnitudine divitiarum, potestate & ministris, 2. Paral. 9. 3. init fœdus cum Hiram rege Tyri, 3. Reg. 5. 12.

postquam ædificavit templum, dedit Hiram viginti oppida, 9. 11. venit ad eum regina Saba, 10. 1. Matth. 11. 42. Luc. 11. 31. ædificavit fanum Chamos idolo Moab in monte, 3. Reg. 12. 7.

Chananæos facit sibi tributarios, 1. Paral. 8. 7. ungitur secundò in regem, 2. Paral. 29. 22. moritur, 3. Reg. 11. 43. succedit ei filius Roboam, 14. 21.

Salus. vide Beatitudo.

Samaria, quæ posteà metropolis fuit decem tribuum Israël, extruitur, 3. Reg. 16. 17. obsidetur à Syriis, 4. Reg. 6. 24. obsidetur ab Assyriis usque ad tertium annum: capitur, & abducitur populus, 4. Reg. 17. 5.

contra Samariam prophetatur, Isa. 7. 30†9. 7. Ezech. 23*. Osee 8*. †13*. Amos 3. 12. Mich. 1. 5.

Samaria nolebat recipere verbum Dei, Luc. 9. 52. recipit verbum Dei, Act. 8. 5.

Samaritanus miseretur vulnerati, Luc. 10. 33.

Samaritana loquitur cum Christo apud puteum, Joan. 4. 7.

Samson nascitur, Jud. 13. 24. juxta promissionem Angeli, 13. 3. uxorem accipit in Thamnata, & dilacerat leonem, 14. 1. 5. 10.

nocet Philisthæis, eisque vim infert, 15. 4. 8. moritur, 16. 29. 0.

Samuel, 1. Reg. 1. 20. adducitur ad domum Domini in Silo, 1. 24. vocatur à Domino, 3. 4. 10. congregat universum Israël in Masphat, & clamat ad Dominum pro Israël, 7. 5. 9. posuit filios suos Judices, Israël, 8. 1. probat se innocentem, 12. 3. interficit Agag, 15. 33.

David regem ungit, 16. 13. moritur, 25. 1. propheratSauli post mortem, 28. 15. 16. Eccli. 46. 23. laudatur, Eccli 46. 16.

Sanaballat præfectus Samariæ conatur impedire templi ædificationem, 2. Esd. 2. 10.

Sanctus est Deus, Isa. 6. 3. Apoc. 4. 8.

Sancti & mundi esse debemus, Levit. 11. 44†19. 2†20. 7. 26†21. 6. Deut. 26. 19. Ephes. 5. 26. 1. Thess. 4. 5. 1. Petr. 1. 16. qui sanctus, sanctificetur adhuc, Apoc. 22. 11.

Sanctum Domini, Exod. 35. 2. Levit. 16*. Psal. 113. 2. Matt 7. 6. Luc. 1. 31.

Sancti pro nobis orant, Jerem. 15. 1. 2. Mach. 15. 14. Apoc. 5. 8†8. 3. propter eorum preces & merita multa nobis largitur Deus, quamvis illi vita functi sint, Genes. 26. 5. 24. Exod. 32. 13. 14 3. Reg. 11. 12. 13. 32. 34†15. 4. 5. 4. Reg. 19. 34†20. 6. Isa. 37. 35. Eccl. 44. 24.

Sanctos oramus sine injuria Mediatoris, ut pro nobis orent, sicut & petimus ab aliis hominibus preces, ut Paulus Rom. 15. 30. Col. 4. 3. Eph. 6. 19. 1. Thess. 5. 25. 2. Thess. 3. 1. Hebr. 13. 18. Nec mirum Sanctos nostras preces cognoscere: quia sunt sicut Angeli Dei, Matth. 22. 30. Luc. 15. 10. & offerunt Deo nostras preces, Tob. 12. 12. Apoc. 5. 8†8. 3. Nec huic contrarium est, quòd Deus solus est inspector cordis, quia & homines cognoverunt secreta cordium Deo revelante, Dan. 2 29. 4. Reg. 5. 26. †6. 12.

Sanctorum ministerio aliquando tribuitur quod soli Deo præcipuè convenit, Matth. 18. 6. 18. Joann. 20. 13. Rom. 11. 14. 1. Cor. 9. 20. 21. 1. Timoth. 4. 16. Jacob. 5. 19. vide titulum, Deo soli attributa, &c.

in Sanctorum memoriam Deum orare, docent nos majorum exempla, Gen. 31. 9†48. 16. Exod. 32. 13. Deut. 9. 27. 3. Reg. 18. 36. 1. Paral. 29. 18. 2. Paral. 5. 42. Tob. 7. 15. Esther 13. 15†14. 18. Isa. 6. 17. Dan. 3. 35.

Sancti sunt cum Christo in cælis regnantes, Joan. 12. 26†17. 24. 2. Cor. 5. 8. Phil. 1. 23. Apoc. 3. 21†7. 9†14. 13.

Sancti etiam vita defuncti rectè à nobis laudantur, Eccli. 44*. Joann. 12. 26.

in Sanctis suis Deus laudatur, Psal. 150. 1.

Sancti judicabunt, quære Judicabunt.

Sancti faciunt miracula, ut Moyses & Aaron, Exod. 7†8†9†10†11. Elias excitat puerum mortuum, 3. Reg. 17. 22. claudit cælum ne pluat, 17. 1. Jac. 5. 17. aperit clausum, 3. Reg. 18. 41. 45. Jac. 5. 18. Eliæ pallium dividit aquas, 4. Reg. 2. 8. 14. Elisæus excitat puerum viduæ mortuum, 4. Reg. 4. 35. sanat aquas missò in eas sale, 2. 21. 22. oleum multiplicat, 4. 6. mittit farinam in ollam, 4. 41. Naaman Syrum sanat, 5. 14. facit natare ferrum, 6. 6. Elisæus mortuus per contactum ossium suorum operatur, 13. 21.

Apostoli ejiciunt dæmonia, Marc. 6. 13†16. 17. Luc. 10. 17. Joannes & Petrus sanant claudum, Actor. 3. 6.

Petrus excitat Tabitham, 9. 41.

etiam sola sua umbra sanat, 5. 15.

Paulus restituit claudum, 14. 9.

etiam per sudaria curat infirmos, 19. 12. reddit vitæ puerum ex lapsu mortuum, 20. 10.

Sancti plura quoque alia fecere miracula, quæ longum esset enumerare, ad Heb. 11. 32*.

Sanguinis conspersio, Exod. 24. 6† 29. 20. Levit. 1. 5. 11†3. 2. 8. 13†4. 6. 16† 7. 2†8. 19. 30†9. 18†16. 14. 18†17. 6. 2. Par. 30. 16. Ezech. 43. 20. Heb. 9. 13. 14. 19. 21. 22.

Sanguinis Christi conspersio, Heb. 9. 14†10. 19†12. 24. 1. Pet. 1. 22.

Sanguinis esus prohibitus, Gen. 9. 4. Levit. 3. 17†7. 26†17. 10. 14†19. 26. Deut. 12. 16. 23†15. 23. 1. Regum 14. 32. Actor. 15. 20†21. 25.

Sanguinis fluxus sistitur, Matth. 9. 20.

Sanguinis innocentis effusio, Deu. 19. 5. 11†27. 24. 2. Reg. 20. 9. 3. Reg. 21. 13. 4. Reg. 21. 16†24. 4. 2. Par. 24. 22. Prov. 6. 17†28. 17. Isa. 26. 11. Jerem. 7. 6†22. 3. Ezech. 22. 4. 4. Esdr. 1. 32. Matth. 23. 34. Luc. 11. 50. Apoc. 6. 10. †18. 24.

Sanguinis innocentis effusio clamat vindictam coram Deo, Gen. 4. 10. 4. Esd. 15. 8. Apoc. 6. 10.

Sanguine Christi empti sumus, 1. Cor. 6. 20†7. 23. Actor. 20. 28. 1. Pet. 1. 18. Apoc. 5. 9.

Sapientiæ divinæ origo, proprietas, laus, & utilitas, Deut. 4. 6†29. 9. Job 28. 20†32. 7. Eccl. 7. 12†9. 13. Sap. 6. 13. 16†7*. 8*. 9*. 10*. Eccl. 1*. †3. 1. 31†4. 12. 28. 29†21. 12†24*. † 39. 14. Luc. 21. 15. Rom. 11. 33. 1. Cor. 1. 17†2. 6. 10†3. 19. Col. 2. 3. Jac. 1. 5†3. 15.

Saphira mentitur Spiritui sancto, & cadit in terram mortua, Act. 5. 1. 8.

Sara filia Raguelis Tobiæ in uxorem traditur, Tob. 7. 10. 15.

Sarvia. vide Zarvia.

Satisfactio. vide Pœnitentia.

Saul de tribu Benjamin quærit asinas, 1. Reg. 9. 3. ungitur in regem à Samuele, 10. 1†11. 14. Actor. 13. 21. juxta mandatum. 1. Reg. 9. 15. percussit Ammon. 11. 11. obtulit holocaustum. 13. 9. à regno rejicitur, 13. 13 †15. 22. 26. 28†16*. exagitat eum spiritus nequam, 16. 14†18. 10†19. 9. nititur David configere, 18. 10†19. 10. persequitur eum, 23*. trucidat sacerdotes Domini, 22. 18. mulierem habentem pythonem consulit, 28. 7. seipsum interficit, 31. 4. sepelitur, 31. 13. filij ejus in crucem tolluntur, 2. Reg. 21. 9.

Scandalum seu offendiculum proximo, nec in vita, nec in doctrina ponendum, Levit. 4. 3. Num. 31. 16. 2. Reg. 11. 14. 1. Esdr. 8. 22. Prov. 28. 10. 2. Mach. 6. 24. Matth. 17. 27†18. 6. Marc. 9. 42. Luc. 17. 1. Rom. 14. 1. 15. 1. Cor. 8*. †10. 32. 2. Cor. 6. 3. 1. Thess. 5. 22.

quicumque nobis scandalo esse possent, vitabimus, Exod. 34. 12. Deut. 7. 2. 16†13*. Matt. 5. 29†16. 22. Mar. 9. 42. Rom. 16. 17.

Scientia Dei. vide Dei.

Scriptura sacra unde sit, & quis ejus usus, Exod. 17. 14†34. 27. Deut. 4. 1†17. 18†31. 9. Jos. 1. 8. Is. 8. 9. †30. 8†34. 16. Jer. 30. 2†36. 2. 10†45. 1. Baruch 1. 3. 14†4. 1. 2. Esd. 8. 2. 3. Esd. 9. 39. 4. Esdr. 15. 1. Dan. 10. 21. Matth. 4. 4†22. 29. Luc. 4. 4†16. 29. Joan. 5. 39†10. 44†20. 30. Actor. 15. 21†17. 11. Rom. 1. 2†4. 23†15. 4. 1. Cor. 9. 9†10. 11†15. 3. 2. Tim. 3. 15. 2. Pet. 1. 20†3. 1. Apoc. 1. 19.

Scriptura difficilis intellectu, 2. Pet. 3. 15. nec omnia scriptis Apostoli mandarunt, Joan. 20. 30†21. 25. 1. Cor. 11. 34. 2. Thess. 3. 15. Joan. epist. 2. 12 †epist. 3. 18.

Scriptura nec lex est judex, sed Sacerdos, Deut. 17. 18. Ezech. 44. 24*. Malach. 2. 7. quære Sacerdotum officium.

Seb & Oreb interficiuntur, Jud. 7. 25.

Sebæ, quia regnum affectarat, caput præciditur, 2. Reg. 20. 22.

Securitas perfecta de peccatorum remissione aut salute consequenda non habetur in hac vita, Eccles. 9. 1. 2. vide Certi.

Sedecias pseudopropheta, 3. Reg. 22. 11. 2. Par. 18. 10. comburitur, Jer. 29. 22.

Sedecias. vide Zedecias.

Seditiosi puniuntur, Num. 16. 31*. vide Murmuratores.

Seleucus Asiæ rex, 2. Mac. 3. 3.

Semaia mittitur ad Roboam, 3. Reg. 12. 22. 2. Paral. 11. 2†12. 5. 7.

Semei maledicit Davidi, 2. Reg. 16. 5. 13. veniam impetrat à David. 2. Reg. 19. 23. occiditur ex præcepto David, 3. Reg. 2. 9. 42. 46.

Sennacherib oppugnat universas civitates Juda munitas, 4. Reg. 18. 13. 2. Par. 32. 1. blasphemat Deum, Isa. 36*. interimitur à filiis. 4. Reg. 19. 37. Isa. 37. 37. secundùm verba Isaiæ, 10. 33†31. 8†33. 1.

Sepelire mortuos, opus misericordiæ, Genes. 23. 19†25. 9†35. 19. 29. †50. 5. 13. 25. Num. 20. 1. Deut 10. 6† 21. 23. Jos. 24. 30. Jud. 12. 7. 1. Reg. 25. 1†31. 13. 2. Reg. 2. 32†3. 32. 3. Reg. 2. 10. 31. 34†11. 43†13. 29†14. 31. 4. Regum 13. 20. 2. Paral. 16. 14†24. 16†35. 24. Tob. 1. 20†2. 3. 7†4. 3. 18†8. 14†12. 12†14. 13. 16. 4. Esd. 2. 23. Eccli. 7. 37†38. 16. Matth. 14. 12†27. 58. Joann. 19. 39. Actor. 13. 29. 1. Cor. 15. 4.

Sephora. vide Ziphora.

Sermo Christianorum. vide Loquenda.

Serpens æneus erigitur, Num. 21. 8. tollitur, & appellatur Nehustan, 4. Reg. 18. 4. cujus typum gesserit, Joan. 3. 14.

Siba. vide Ziba.

Siceleg. vide Ziceleg.

Sichem filius Hemor Dinam rapit & concumbit cum illa, Gen. 34. 2. necatur, 34. 26.

Signa futurorum, Genes. 9. 12. Exod. 31. 13. Jos. 2. 18. 1. Reg. 2. 34†10. 2. 2. Reg. 5. 24. 4. Reg. 19. 29. Isa. 38. 7. Tob. 5. 3. Luc. 2. 12.

Signa in memoriam præteritorum, Exod. 12. 3. 8. Num. 15. 38†16. 38. 40†17. 10. Jos. 4. 6*.

Signa & miracula fiunt, ut per ea omnipotentia, veritas, justitia, & bonitas Dei innotescat, Exod. 4. 2. 6†7. 17†16. 12. Jos. 3. 10. 14. 3. Reg. 13. 4†17. 14†18. 38†20. 13. 28. 4. Reg. 5. 14†20. 9. Matth. 8. 26†9. 2†14. 28.

Sihon rex Amorrhæorum concedere noluit ut Israël transiret per fines suos, Num. 21. 23. Deut. 2. 30. percussus est in ore gladij, Num. 21. 24.

Silas cum Paulo mittitur Antiochiam, Act. 15. 27. profectus est cum Paulo, 15. 40. remansit Beroeæ, 17. 14.

Silere est utile, Prov. 17. 20. Eccl. 3. 7. Eccli. 20. 6†32. 12.

Silo locus in quo fuit domus Dei, Jos. 18. 1. Jud. 18. 31†20. 18. 1. Reg. 1. 3. convenerunt omnes in Silo propter Rubenitas, Jos. 22. 12. de Silo affertur arca, 1. Reg. 4. 4. Jerem. 7. 12.† 26. 6.

Simeon nascitur, Genes. 29. 33. interficit cum Levi Sichemitas, 34. 25. eam ob rem arguuntur à patre, 49. 5. in vinculis tenetur in Ægypto, 42. 25.

Simon in Bethania excipit Dominum, Matth. 26. 6. Marc. 14. 3. Jo. 12. 1.

Simonia. vide Vendi dona Dei.

Simplicibus & humilibus revelat subinde Deus quod abscondit iis qui sibi videntur sapientes, Isa. 29. 18. 24† 32. 4. Eccl. 9. 15. Matt. 11. 25. Luc. 2. 9. 5†5. 8†10. 21. Actor. 4. 13. 1. Cor. 1. 24†2. 1*.

Simplex & rectus, Gen. 20. 6. Job 1. 8. Matth. 10. 16. Actor. 2. 46. Rom. 16. 18. Eph. 6. 5. Col. 3. 22.

Simulatio & hypocrisis cavenda, Eccli. 1. 36. Isaiæ 32. 6. Jerem. 9. 6. Job 15. 34. 2. Mach. 6. 24. Matt. 23*.

Sobrietas. vide Temperantia.

Societas bonorum quærenda, malorum vitanda, Gen. 19. 15. Lev. 7. 19. Num. 16. 25†25. 4. Jos. 23. 12. 2. Par. 19. 2. Job 31. 1. Psalm. 25. 4. 8†36. 1. Prov. 1. 10†4. 14†6. 25†13. 20. †20. 19†22. 10. 24†23. 6. 17†24. 1. 21. †29. 27. Jerem. 16. 8. Eccl. 6. 35†8. 1. 18†9. 21†12. 10†13. 1. 20. Tob. 1. 5. Matt. 7. 15. Actor. 19. 9. 2. Cor. 6. 14. Eph. 5. 11. 2. Tim. 4. 14. Apoc. 18. 4.

Sodoma & Gomorrha amœnissimo loco sita, Gen. 13. 10. spoliantur, Gen. 14. 11. subvertuntur à Domino. Gen. 19. 25. Deut. 29. 23. Sap. 10. 6. 7. secundùm verba Domini. 18. 20. causa, Ezech. 16. 49.

Sol & Luna creantur, Gen. 1. 16. steterunt ad imperium Josue, Jos. 10. 12. retrocessit sol decem gradibus ad petitionem Ezechiæ, & preces Isa. 4. Reg. 20. 11. amittet lumen, Matt. 27. 44. Marc. 15. 33. Luc. 23. 44.

Solicitudo nimia, Ex. 34. 21. Lev. 25. 20. Deut. 8. 3. Job 7. 8. Psalm. 54. 23 †144. 15. 16. Prov. 10. 3†13. 25. Matt. 6. 25†10. 9. 23†13. 22†16. 7. Luc. 8. 14†12. 22†14. 18†21. 31. 1. Cor. 7, 32. Philip. 4. 6. Heb. 13. 5. 1. Pet. 5. 7.

Somnia & visiones in quibus olim Deus suam voluntatem aperiebat, Genes. 20. 3†28. 12†31. 24†37. 5. 9†40. 8 †41. 2†46. 2. Num. 12. 6. Jud. 7. 13. 15. 1. Reg. 3. 4. 8. 11†28. 6. 2. Reg. 7. 4. 3. Reg. 3. 5. 5. Job 7. 13†33. 15. Dan. 2. 1 †7. 1. 2. Mach. 15. 11. 14. Matt. 1. 20†2. 12. 13. Actor. 16. 9†18. 9†23. 11†27. 23.

Somnia & visiones, quæ non conveniunt cum doctrina Christi & Ecclesiæ, sunt contemnenda, Deut. 13. 1. Eccl. 5. 2. Eccli. 34. 1*. Jerem. 23. 16. 25†27. 9† 29. 8.

Sorobabel filius Salathiel, 2. Esdr. 12. 1. Matth. 1. 13. Luc. 3. 27. instaurat templum Domini Jerosolymis, 1. Esd. 3. 3. Esd. 5. 70. Eccl. 49. 13. genuit Abiud, Matt. 1. 13.

Sorores Christi. vide Fratres.

Sors, Lev. 16. 8. Num. 17*. †26. 55 †33. 54. Josue 7. 14†18. 10. 1. Reg. 10. 20†14. 17. 42. 1. Par. 25. 5. 2. Esdr. 11. 1. Prov. 16. 33†18. 18. Ezech. 21. 19. Jonæ 1. 7. Act. 1. 17.

Sosipater comes Pauli, Act. 20. 4.

Sosthenes princeps Synagogæ percutitur, Act. 18. 17.

Spes justorum non in temporalibus rebus, sed in Deo ejúsque promissionibus fundatur, Gen. 26. 5. Jud. 7. 24. 1. Reg. 4. 3†17. 45†22. 1. 3. Reg. 20. 28. 1. Par. 19. 13. 2. Par. 25. 7†32. 7†16. 7† 20. 15. 20. Jud. 9. 13. Psal. 9. 11. †13. 6† 21. 5. 10†4. 2†30. 2†39. 5†61*. † 70. 1†90. 2†113. 9. 10. 11†141. 6†145. 5. Prov. 3. 5†22. 19†28. 25†30. 5. Sap. 3. 4. 9. Eccli. 2. 6. 12†33. 9†34. 14. Isai. 26. 4†29. 19†30. 1. 15†31. 1†36. 7†40. 30. Jerem. 2. 33†7. 4†9. 22. †17. 7†39. 18. Thren. 3. 24. Ezech. 29. 6. Osee 12. 6. Mich. 7. 5. 7. Nahum 1. 7. 1. Mac. 3. 18. Matth. 10. 37†12. 21. Rom. 5. 2†8. 24. 2. Cor. 5. 2. Col. 1. 27. 1. Thess. 1. 3. Tim. 1†6. 17. Heb. 2. 6. 1. Pet. 1. 13.

Spes non facit nos securos, nec excludit timorem. vide Timor.

Spes impiorum evanescet, & in quibus confidunt, vana sunt omnia, 4. Reg. 18. 21. Job 8. 13†11. 20†14. 19† 20. 4. Prov. 10. 28†11. 7. 23†25. 19. Sap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5. 15. Eccli. 5. 1. 10. Isa. 28. 15. 18 †30. 2. 12†57. 11. Jerem. 9. 12†17. 7. 1. Mach. 2. 62.

Spinæ appellantur solicitudines hujus mundi, divitiæ, & voluptates vitæ, Matt. 13. 7. 22. † 19. 22. Mar. 4. 7. 18 † 10. 22. Luc. 8. 7. 14. †. 18. 22.

Spiritus sanctus promittitur, Isa. 44. 3. Ezech. 11. 19. † 36. 26 † 39. 29. Joël. 2. 28. Matth. 3. 11. Joan. 7. 39. † 14. 16. 23 † 15. 26. † 16. 7. mittitur, Act. 2. 1.

Spiritus Dei edocet mentes, Exod. 4. 12. Psal. 31. 8. Isa. 54. 13. Matth. 10. 20. Marc. 13. 11. Luc. 12. 11 † 21. 14. Joan. 6. 45 † 24. 16. 26 † 15. 26 † 16. 13. Rom. 8. 16. 26. 2. Cor. 1. 22. † 5. 5. Eph. 1. 13 † 4. 20. 21. 1. Joan. 2. 27.

Spiritus probandi sunt utrùm à Deo sint, Judit. 8. 28. 1. Cor. 14. 29. 1. Thes. 5. 21. 1. Joan. 4. 1.

Sponsus spiritualis est Christus, Isai. 54. 5 † 62. 4. Jer. 31. 22. Ezec. 16 8. Matth. 9. 15 † 25. 1. Mar. 2. 19. Luc. 5. 34. Jon. 3. 29. 2. Cor. 11. 2. Eph. 5. 24. Apoc. 19. 7 † 21. 2.

Sponsa Christi, vide Ecclesia.

Stephanus eligitur, Act. 6. 5. accusatur, 6. 11. respondet ad accusationem, 7.* lapidatur, 7. 57.

Stultitia, Prov. 14. 29. † 20. 3 † 26. 1. † 27. 22. Baruch 3. 23. Eccles. 10. 2. Eccli. 33. 5. Matth. 7. 26. † 25. 2. Mar. 7. 22. Ephes. 5. 4.

Stultitia est apud Deum sapientia hujus mundi, 1. Cor. 1. 18 *. † 3. 19.

Stultorum corda in eorum sunt ore, & contra sapientum os in corde est, Eccli. 21. 23.

Subditorum officium, Exod. 10. 28 † 22. 28. Num. 16* Josue 1. 16. 2. Esdr. 5. 16. Baruch 1. 11. Prov. 13. 13 † 20. 2† 24. 21 † 25. 6. Eccle. 8. 2 † 10. 16. Jerem. 29. 7. Matth. 17. 24 † 22. 16. 21. Luc. 20. 22. Rom. 13. 1. 7. 1. Thes. 5. 12. 1. Tim. 2. 1. Heb. 13. 17. Tit. 3. 1. Pet. 2. 13.

Superiorum judicum & rectorum officium & potestas in subditos, Gen. 9. 6. Exod. 1. 8. * † 5 *. † 18. 13. 17. † 22. 8. Levit. 24. 10. 23. Num. 11. 16. 24 † 25. 4 † 27. 15. 18. Deut. 1. 13. 17 † 17. 1 † 19. 17. Jos. 1. 10. Jud. 2. 7. 16. 1. Reg. 10. 24. 3. Reg. 3. 7. 2. Par. 19. 5. 8. Job 29*. †34. 30. Psalm. 81* Prov. 8. 15† 11. 14 † 12. 24 † 16. 10 † 20. 8 † 28. 15 † 29. 4. 14 † 31. 4. Eccle. 10. 1, 12. Sap. 1. 1 † 6*. Eccli. 7. 4 † 10. 1. 24† 17. 18. Isai. 1. 23. 26† 3. 2 † 10. 1† 32. 1. Jer. 5. 26 † 22. 2 † 27 *. Ezech. 22. 6. 12 † 45. 9. Dan. 2. 21. Osee 13. 10. Mich. 3. 1. 9. Matth. 22. 17. 21 † 26. 51. Luc. 20. 22. Joann. 3. 31 † 19. 11. 1. Cor. 15. 24. Rom. 12. 8 † 13. 1. 2. Tit. 21. Tit. 3. 1. Heb. 13. 17. 1. Pet. 2. 13. vide Rex, Judex.

Superbia prohibetur, committitur & punitur, Gen. 3. 17† 11. 5. 7. Exod. 5. 2 † 14. 26. 1. Reg. 17 * 4. Reg. 18. 19 *. † 19. 35. Tob. 4. 14. Jud. 9. 16. † 13 *. Prov. 6. 17 † 11. 2 † 13. 10 † 15 25 † 16. 5. 18 † 18. 12 † 25. 6† 29. 23. Eccli. 10. 9. 11. 16 † 25. 4. Isai. 3. 15. 17 † 9. 8 † 10. 8 † 14. 9 † 36 *. † 37. 10. 24† 39. 2. 5 † 47. 8. Jerem. 48. 29 † 49. 16. Ezech. 16. 49 † 28. 2 † 31. 10. Dan. 4. 19. 27 † 5. 22. Abdiæ 1. 3. Malach. 2. 11. 2. Mach. 9. 4. 6. Luc. 1. 47 † 10. 15 † 14. 7. 11 † 18. 11 † 22. 24. Act. 12. 21. Rom. 1. 30 † 11. 20. 2. Tim. 3. 2. 1. Pet. 5. 5. 2. Pet. 2. 18. Jud. 16. Apoc. 18 *.

Susannæ historia, Dan. cap. 13 *.

Syri imperant Israëli, Jud. 3. 8. opprimuntur ab Othoniel, 3. 10. cæduntur à Davide, eique fiunt tributarij, 2. Reg. 8. 5. iuvant filios Ammon contra David, 10. 6. fugientes à facie Israël, occiduntur à David, 10. 13. 18. Samariam obsidentes cæduntur, 3. Reg. 20. 29. pugnant contra Israël, 4. Reg. 6. 8. mentis stupore immisso, quasi cæci ducuntur in Samariam, 6. 18. 19.

Obsident Samariam, 6. 24. territi à Deo solvunt obsidionem, 7. 6. 7. vastantur à rege Assyriorum, & transferuntur Cyrenem, 4. Reg. 16. 9. desolatio eorum prænuntiatur, Isai. 17. 1. Jer. 49. 23. Amos 1. 3.

T

Tabitha suscitatur à mortuis, Act. 9. 36. 40.

Temperantia in cibo, potu & concubitu, Tob. 6 15. Eccl. 3. 6. Eccli. 31. 18 † 32. 7. Dan. 1. 8. 11. Rom. 13. 13 † 14. 17. 1. Corinth. 7 *. Gal. 5 23. 1. Tim. 3. 2. 2. Tim. 1. 7. Tit. 1. 8 † 2. 6. 12. 1. Petr. 1. 13 † 5. 8. 2. Petr. 1. 6.

Templum Salomonis quando, quanto tempore, & qua forma sit extructum, 3. Reg. 6 *. † 7*. 2. Par. 3 *. 4 * promissio ejus, 2. Reg. 7. 13. extruitur ope Gentilium, 3. Reg. 5 *. consecratur, 8 *. 2. Par. 7. 7. profanatur per Achaz, 2. Par. 28. 21. iterum consecratur per Ezechiam, 2. Paral. 29 *. profanatur, & denuò consecratur per Manasse, 2. Paral. 33. 7. 15. exuritur, 4. Reg. 25. 9. prout prædictum erat, 2. Par. 7. 20. iterùm extruitur, 1. Esd. 1*. 3*. 4*. 5*. † 6. 3. 7. spoliatur & accenditur, 1. Mach. 1. 23. 33. profanatur, 1. 49. 57. mundatur & consecratur, 4. 36. 2. Mach. 10. 1. ejus devastatio, Dan. 9. 26. Matth. 24. 2. Mar. 13. 2. Luc. 19. 41.

contra Templum prophetatur, Levit. 26. 31. 3. Reg. 9. 7. 4. Reg. 21. 12. 2. Par. 7. 20. Psal. 73. 6. Isai. 66. 1. Jerem. 7. 3. 17 † 26. 6. 12. Amos 9. 1. Mich. 3. 12. Zach. 11. 2.

Templum spirituale & domus Dei, 2. Reg. 7. 13. Prov. 9. 1. Aggæi 2. 8. Matt. 7. 24 † 16. 18. Joan. 2. 19. 1. Cor. 3. 16 † 6. 19. 2. Cor. 6. 16. Ephes. 2. 20. 1. Tim. 1. 15. Heb. 3. 6. 1. Pet. 2. 5. vide Ecclesia.

Templa idolorum, 1. Reg. 5. 2 † 31. 9. 3. Reg. 11. 7. 4. Reg. 10. 21 † 17. 32 † 19. 37. 1. Paral. 11. 10. Baruch 6. 16. 30. 54. Isai. 37. 38. Jerem. 43. 12. Dan. 14 *. 1. Mach. 1. 50 † 6. 2 † 10. 83. 2. Mach. 6. 2. Actor. 19. 27.

Templum domus Dei, & domus orationis vocatur, Isa. 56. 7. Matth. 21. 13. Christus ipse & omnes fideles frequenter in templo versabantur, Matth. 24. 1. Marc. 11. 11 † 12. 35. Luc. 2. 30 † 19. 45. Actor. 2. 46 † 3. 1 † 5. 20. 21 † 21. 26 † 22. 17.

in Templo oratur Deus, & exaudit, 3. Reg. 9. 3 † 8. 29. 2. Par. 6. 19. Matt. 21. 13.

Templa manufacta non inhabitat Deus quasi iis concludi possit, vel illis indigeat, ut homo ædibus, 3. Reg. 8. 27. 2. Par. 6. 18. Isai. 66. 1. Jer. 23. 24. Act. 7. 48 † 17. 3.

alioqui Deus in Templis materialibus habitare dicitur, 3. Reg. 6. 13 † 8. 12. 1. Par. 23. 25. Psal. 77. 60 † 131. 13. Jer. 7. 3. 7. Matth. 23. 21. Act. 7. 46.

Templum dicitur locus sanctus, Gen. 28. 17. Exod. 3. 5.

Templum magnis muneribus dotatum, 2. Paral. 1*. 2*. 3*. 4*. 5*. 2. Mach. 3. 2.

Templi profanatores à Deo puniuntur, Isai. 56. 5*. 2. Machab. 3. 25. 26*. Matth. 21. 12. Joan. 2. 15.

Temporis opportunitas in omnibus rebus observanda, Eccle. 3. 1 † 8. 5. Eccli. 20. 6 † 32. 20. Rom. 12. 11.

Tenebræ trium dierum in Ægypto, Exod. 10. 22. Psalm. 104. 28. Sap. 17. 2 † 19. 16.

in Tenebris versatur mundus, & amat eas, 4. Esdr. 14. 20. Isai. 9. 1 † 59. 9 † 60. 2. Joann. 1. 5 † 3. 19 † 8. 12 † 12. 35. Actor. 26. 17. 1. Thes. 5. 7. 1. Joan. 2. 11.

Tentare Deum non licet, Exod. 14. 11 † 17. 2. Deut. 6. 16. Judith 8. 11. Matth. 4. 7. 1. Cor. 10. 9.

Tentat seu veriùs probat Deus suos variis modis, Gen. 22. 1*. Exod. 15. 25 † 16. 4 † 20. 20. Deut. 8. 2 † 13. 3. Jud. 2. 22 † 3. 1. 2. Paral. 32. 21. Tob. 2. 8. Job 1. 12 * Sapient. 3. 5. Eccle. 2. 4. † 27. 18. Zach. 13. 9. Rom. 5. 4. 2. Pet. 2. 9. Jacob. 1. 2.

Tentari non patitur Deus suos supra id quod possunt, 1. Cor. 10. 13. 2. Pet. 2. 9. Apoc. 2. 10.

Tertullus Orator accusat Paulum, Act. 24. 2.

Testamentum, Galat. 4. 24. Heb. 9. 1 † 13. 20. vide Novum Testamentum.

Testimonium tum verum, tum falsum, Exod. 20. 16 † 23. 1. Num. 35. 30. Deut. 5. 20 † 17. 11 † 19. 15. 18. 3. Reg. 21. 10. Psalm. 26. 12 † 34. 11. Prov. 6. 19† 14. 5 † 19. 5. 9† 21. 28† 24. 28† 25. 18. Dan. 13. 34*. Matth. 18. 16 † 19. 18 † 26. 59 † 28. 13. Marc. 10. 19. Joan. 8. 17. Actor. 6. 11. Rom. 13. 9. 2. Cor. 13. 1. 1. Tim. 5. 19. Heb. 10. 28. vide Mendacium.

Thaddæus. vide Lebbæus.

Thamar concumbit cum Juda suo socero, Gen. 38. 15. gignit geminos Phares & Zara, 38. 27 † 46. 12.

Thamar violatur ab Amnon fratre suo, 2. Reg. 13. 14.

Thamar filia Absalonis, 2. Reg. 14. 27.

Thare pater Abraham, Genes. 11. 26.

Thebes obsidetur, Jud. 9. 50.

Thebni rex Israël, 3. Reg. 16. 21.

Thecuitis mittitur ad regem David, ut impetret reductionem Absalom, 2. Reg. 14. 2*.

Theglath-Phalasar devictâ magnam partem

partem Israëlitarum transtulit in Assyrios, 4. Reg. 15. 29*.

Theodas occisus est, Act. 5. 37.

Thesaurus minùs diligendus magis diligitur, Osee 9. 1. Matth. 6. 19† 19. 22. Marc. 10. 22. Luc. 12. 22. 33† 18. 23. Joan. 6. 26. 2. Cor. 4. 18.

Thola dux in Israël, Jud. 10. 1.

Tholomai rex Gessur, 2. Reg. 13. 37.

Thomas Dydimus paratum se offert cum Christo ire in mortem, Joan. 11. 16. erat incredulus, 20. 25. 27.

Timendus est Deus, & ante oculos habendus, Genes. 22. 12† 31. 49. Exod. 1. 17† 20. 20. Deut. 4. 9† 6. 2. 13. 24† 10. 12. 20† 13. 4. Josue 24. 14. Jud. 6. 10. 4. Reg. 17. 36. 2. Paral. 20. 15. Job 1. 8† 28. 28. Psalm. 26. 1† 32. 8† 33. 8. 10† 110. 5† 111. 1† 127. 1. Prov. 1. 7† 3. 7† 9. 10† 14. 2. 27† 15. 16† 16. 6† 22. 4† 24. 21. Eccle. 12. 11. Eccli. 1. 11*. † 2. 7. 12. 18† 7. 31† 10. 23† 15. 1† 25. 16† 33. 1† 34. 16 † 41. 16. Isaiæ 8. 5† 41. 10† 43. 1† 51. 12. Jerem. 10. 7† 32. 39. Baruch 3. 7. 4. Esdr. 16. 68. Matth. 10. 28. Luc. 12. 5. 1. Pet. 2. 17† 3. 15. Ap. 14. 7.

Timoris Dei fructus, utilitas & laus, Gen. 20. 9. Psalm. 102. 17† 124. 1† 117*. Proverb. 10. 27† 14. 27† 19. 23† 22. 4. ejus defectus, causa peccandi, Genes. 20. 11.

Timore punit Deus & terrore, Gen. 35. 5. Exod. 23. 27. Lev. 26. 36. Deut. 2. 24† 11. 25† 28. 10. 65. Jos. 2. 9† 10. 10. Jud. 4. 5† 7. 21. 1. Reg. 7. 10. 4. Reg. 7. 6. 1. Par. 15. 17. 2. Par. 14. 14† 17. 10† 20. 29. Psal. 9. 20. Jerem. 49. 37. Jud. 14. 14† 15. 1. 2. Machab. 3. 24.

Timoris Dei exempla, Exod. 1. 17† 14. 31. 3. Reg. 18. 3. 2. Par. 19. 7. Tob. 1*. †2. 9. 13† 3. 18† 9. 12. Jud. 8. 8. Job 31. 23. Jonæ 1. 16. Prov. 31. 30. 2. Mach. 6. 30. Luc. 2. 25. Act. 8. 2† 9. 31† 10. 2. 35.

Timor & solicitudo non repugnat fidei, aut spei, Psal. 2. 11. Eccle. 9. 1. 2. Eccli. 5. 5. Rom. 11. 20*. 1. Cor. 9. 27† 10. 12. Philipp. 2. 12*. † 3. 11. 13. Hebr. 3. 14† 4. 1*. 2. Pet. 3. 17.

Timent & reverentur bonos etiam mali, Gen. 20. 8. Exod. 14. 25. 1. Reg. 18. 12. 4. Reg. 1. 14. 2. Esdr. 6. 16. 1. Mach. 3. 25† 12. 28. Marc. 6. 20. Act. 5. 13† 16. 29.

Timotheus circumciditur, & proficiscitur cum Paulo, Act. 16. 3. mittitur cum Paulo in Macedoniam, 19. 22. accepit gratiam per impositionem manuum, 1. Timoth. 4. 14. 2. Timoth. 1. 6.

Titum Gentilem noluit Paulus circumcidi, Gal. 2. 3. Titus à Paulo constitutus Episcopus Cretensis, Tit. 1. 5.

Tobias vir pius, & in pietate constans, Tob. 1. 1*. fit cæcus, 2. 11. visum recipit, 11. 14.

Traditiones etiam sine scripto ab Apostolis acceptæ, servandæ nobis sunt, 2. Thes. 2. 15.

Tradiderunt Apostoli quædam viva tantùm voce, 1. Cor. 11. 43. epist. Joan. 2. vers. 12. & 3. vers. 13.

Tribulatio. vide Crux.

Tributum. vide Exactio.

Trinitas figurata, & declarata, Gen. 1. 26† 18. 2. Exod. 3. 6. 15. 16† 4. 5. Psal. 32. 6. Isai. 6. 3† 34. 16† 48. 16† 61. 1. Matth. 3. 16† 10. 20† 17. 5† 28. 19. Lucæ 4. 18. Joan. 3. 35† 14. 16. 26† 15. 26† 16. 3. 1. Joan. 5. 7.

Tripudiare. vide Choreas ducere.

Tristari immoderatè propter temporalia, minimè laudandum, Prov. 12. 25† 15. 13† 17. 22. Eccli. 30. 22† 38. 19. 1. Mach. 6. 8. 2. Cor. 7. 10.

Tryphon partium Alexandri transit ad Emalchuel Arabem, 1. Machab. 11. 39. cupiens regnum Antiochi occupare, & fingens se amicum apud Ptolemaida, dolo capit Jonathan, 12. 39. 49. à Simone accepta pecunia Jonathan occidit cum filiis, 12. 19. 23. interimit Antiochum filium Alexandri. 13. 31.

Tuba clangent angeli in consummatione sæculi, Matth. 24. 31. 1. Cor. 15. 52. 1. Thes. 4. 16.

V.

Væ væ quibus & quas ob causas interminetur Scriptura, Num. 21. 29. Eccle. 4. 10† 10. 16. Isa. 1. 4. 24† 3. 9. 11† 5. 8. 18† 6. 5† 10. 1† 17. 12† 18. 1† 24. 16† 28. 1† 29. 1† 30. 1† 31. 1† 33. 1† 45. 9. Jerem. 4. 31† 13. 27† 22. 13† 23. 1† 45. 3† 48. 1. Ezech. 6. 11† 13. 3. 18† 16. 23† 30. 2† 34. 2. Osee 7. 13. Joël. 1. 15*. Amos 5. 18† 6. 1. Mich. 2. 1. Nahum 3. 1. Habac. 2. 6. 12. Soph. 2. 5† 3. 1. Jud. 16. 20. Eccli. 2. 14† 41. 11. Matth. 11. 21† 18. 7† 23. 13*. Luc. 6. 24† 10. 13† 11. 42† 17. 1. 1. Cor. 9. 16. Judæ 11. Apoc. 8. 13† 9. 22† 11. 14† 12. 12† 18. 10. 16.

Vasthi spernit regis imperium, & ab eo repudiatur, Esther 1. 9. 19.

Vendi non debent dona Dei, 4. Reg. 5. 22. 26*. Dan. 5. 17. Matth. 10. 8. Actor. 8. 20† 20. 35. 1. Cor. 9. 15. 2. Cor. 11. 9† 12. 13. quære Emere.

Venter pro Deo eligitur, Rom. 16. 18. Phil. 3. 19.

Verbum Dei semper ob oculos ponendum, Deut. 4. 1† 6. 6. 17† 11. 18. Num. 15. 39. Psal. 1. 2. Prov. 3. 1† 4. 1. 20 † 6. 20† 7. 1.

à Verbo Dei non recedendum, Deut. 4. 2† 5. 32† 28. 14. Jos. 1. 7† 23. 6. Prov. 4. 27. Isaiæ 30. 21.

Verbum Dei universum non est scriptis traditum, Joan. 14. 26† 20. 21† 21. 25. 1. Cor. 11. 34. 2. Thes. 2. 15. 2. Joan. 12. 3. Joan. 18.

Verbum Dei, non audiendum solùm & loquendum, sed & corde credendum & factis præstandum. Deut. 5. 1. 27† 6. 1† 31. 12. Isa. 29. 13. Ezech. 33. 31. Matth. 5. 22† 7. 24† 15. 8† 28. 20. Luc. 6. 47† 11. 28† 12. 47. Joan. 13. 17. Heb. 4. 2. Jacob. 1. 22.

Verbi Dei contemptus & punitio ejus, 3. Reg. 13. 4. 4. Reg. 17. 14. 19. 2. Paral. 30. 6. 10† 36. 15. Proverb. 1. 24. 28† 28. 9. Isaiæ 28. 14† 30. 9. 14† 65. 10† 66. 4. Jerem. 2. 5† 5. 12. 20† 7. 13† 16. 9† 19*. † 25. 4. Ezech. 33. 30. Matth. 10. 14† 11. 20. Luc. 10. 10. Actor. 13. 45† 18. 6. Rom. 1. 21. 30. 2. Thes. 2. 10. Heb. 2. 3. vide Inobedientia.

Verbum Dei manet in æternum, Num. 23. 19. Tob. 14. 6. Ps. 32. 11† 116. 2† 118. 89. Isai. 40. 8† 51. 6† 54. 10. Matth. 5. 18† 24. 35. Marc. 13. 31. Luc. 16. 7† 21. 31. 1. Pet. 1. 25.

Verbum Dei quantæ sit virtutis & efficacitatis, Gen. 1*. Psal. 32. 9. Job 38. 11. Isai. 46. 10† 55. 11. Matth. 8. 13. 26. Mar. 1. 27. Luc. 5. 13. 24† 8. 24† 18. 42.

Verbum Dei est cibus animæ, Deut. 8. 3. Sap. 16. 26. Jerem. 15. 16. Ezech. 3. 3. Matth. 4. 4. Luc. 4. 4.

Verba sunt ponderanda & non leviter effutienda, Psal. 111. 5. Prov. 15. 2. 23. 13. 3† 20. 15† 17. 27† 21. 23† 25. 11. Eccle. 5. 2† 12. 10. Eccli. 5. 12† 20. 7† 23. 7† 28. 29† 32. 18. Matth. 12. 36. Col. 4. 6. Jacob. 1. 19.

Veritas, Isai. 59. 15. 3. Esdr. 3. 12† 4. 33. 4. Esdr. 1. 17. Zach. 8. 16. Ephes. 4. 25.

Vestiendi sunt nudi, Isai. 58. 7. Tob. 1. 17. Ezech. 18. 7. Matth. 25. 36. vide Eleemosyna.

Vestium abusus. vide Abusus.

Vestes scindere, Gen. 44. 13. Jos. 7. 6. Jud. 11. 35. 1. Reg. 4. 12. 2. Reg. 13. 31. 3. Reg. 2. 12. 4. Reg. 5. 7† 6. 30† 11. 14† 18† 37. † 19. 1† 22. 11. 14. Esth. 4. 1. Jer. 36. 24. Joël. 2. 13. 1. Mach. 2. 14† 3. 47† 4. 31† 11. 71. Matth. 26. 65. Actor. 14. 13 † 16. 22.

Via per quam justi ambulant, quæ & qualis sit, Psal. 118. 5. Prov. 3. 6. 17† 16. 5. 27. Eccli. 5. 12. Isai. 26. 7† 30. 31† 35. 8† 40. 3. Jerem. 31. 21. Osee 14. 10. 1. Thes. 4. 1. Heb. 12. 13.

Via justorum à Domino dirigitur, Tob. 4. 20. Psalm. 16. 5† 24. 4† 118. 35. Prov. 4. 12. 18† 13. 6† 16. 9† 20. 24. Isai. 48. 17. Jer. 10. 23. Mich. 4. 2.

Via justorum remunerationem à Deo expectat, Psalm. 24. 12. Prov. 12. 28. Jer. 6. 16† 7. 3.

Via impiorum qualis, Psalm. 118. 3. Prov. 4. 19. 26. 27† 12. 15† 21. 2† 22. Is. 57. 10.

Viæ impiorum exitus & finis, Job 6. 18. Prov. 14. 12† 28. 18. Eccli. 2. 16† 21. 11. Jerem. 2. 36† 4. 18.

Victoria à Deo expectanda est, Gen. 14. 14. Exod. 17. 9. Deut. 7. 18. Jos. 11. 6. Jud. 7. 7. 1. Reg. 14. 6† 17. 45. 2. Par. 14. 11† 16. 8† 24. 24† 25. 8. Psalm. 117. 16. Prov. 21. 31. Jud. 9. 15.

Victoria potiuntur pauci contra multos, Gen. 14. 14. Jud. 7. 2. 4. Jos. 11. 1. 7. 1. Reg. 14. 6. 14. 2. Par. 13. 14† 14. 11. 12† 24. 24. 1. Mac. 3. 16. 22. post partâ victoriam triumphus instituitur, Num. 31. 13. Jud. 11. 34. 1. Reg. 18. 6. 2. Mach. 3. 7.

Vidua benefaciendum est, Ex. 22. 22. Deut. 16. 14† 24. 17. 19† 26. 12† 27. 19. Judith 16. 28. Job 24. 3† 31. 16. Eccli. 4. 10. Jsai. 1. 27. Jerem. 22. 3. Zach. 7. 10. Mal. 3. 5. Matth. 23. 14. 1. Tim. 5. 3. 16. Jac. 1. 27.

Viduas pias quid deceat, Jud. 8. 4. Luc. 2. 37. 1. Tim. 5. 3. 5. Tit. 2. 3.

Vigilare. vide Adventus Domini.

Vindicta soli Deo ejúsque ministris

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac magistratui cómissa, unde & aliis est prohibita, Gen.15.14. Lev.19.18.Deut. 32.35.Jud.8.20†16.20.Psal.7.7†9.13† 93.1. Prov. 17. 1†20. 22†24.29†28. 22.Eccli.28.1.Ezech.25.12.14.Nahum 1. 2. Matth.5.39. Luc.9. 54†18. 6.7.8. Rom.12.19.Gal.5.10.1. Thess. 5. 15.2. Tim. 4.14.Heb.10.30.1. Pet.3.9. Jac.5. 4.Apoc.6.10. vide Remissio.

Vinea, Gen.9. 20. Deut.23.24.Isa. 5.1.Cant.8.11.Matth.20.1†21.33.

Virginitas commendatur, Matt.19. 12.1.Corinth.7.25*.Apoc.14.4.

Virginitas præfertur conjugio, 1. Cor.7.38.40.

Virgines servantur, Num. 31. 18† 21.11.

Virgines olim ut nunc conclusæ, 2. Mach. 3.19.

Visitare & consolari infirmos seu ægrotos, opus misericordiæ, Genes.48. 1.4.Reg.8.29†13.14.Job 2.11.Psal.40. 4. Eccles. 7. 3. Eccli. 7. 28†38. 13. Matth. 25. 37. 40. Joan.11. 3†12.9.2. Corinth.1.4.

Visere Sanctos desiderat Paulus, Rom.1.11†15.23.32. Gal.4.20.1.Thess. 2. 17.

Vita fidelium ad quam regulam sit instituenda,Genes. 17. 1. Exod.20.11*. Levit. 11. 44†19. 2†20. 7. 29†21. 8. Matth.5.48†11.29.Luc.6.36. Joan.12. 26†13. 13†15.12†21. 15. Rom. 6. 4†8.29†13.14†15. 2. Ephes.2.9†4.1. 23†5. 1.9. Phil.1.27†2.5.14.Col.2.6† 3. 9. 12*. 1. Thess.4. 3. Tit.2.11†3. 8. Heb.12.2.1.Pet.1.15†2*.†3.17†4.1.1. Joan.1.7†2.6.

Vitæ humanæ brevitas & vanitas, Genes.3.19.2.Reg.14.14.1.Paral.29.15. Job3.20†7.6†8.9†9.21.25†13.28†14. 1.Psalm.38.6†89.5.9†101. 4. 12†102. 15†108.23†143.4.Eccle.2. 23†3. 10† 7.1.Sap.2.5†5.9.Eccli.14. 18†17.31† 18.8†40.6†41. 1. Tob. 4. 23. Is. 40. 6. Lucæ 12.18.Ephes.5.16.Hebr.13.14.1. Pet.1.14.Jac.1.10 4 14.

Vitam pro fratribus ponere, Esth.'4. 15. Jud. 13. 3.25. Joan. 15.13.1.Joan. 3. 16.

Vitis, Genes.49.11.Iud.9.12. Zach. 3.10.1.Mach.14.12. Joan.15.1.

Vitis palmes appellatur populus Israëliticus, Osee 10.1.Joan. 15.5.

Vitulus erigitur in idolum, Exod. 32.4. Deut.9. 16.3. Reg.12.28.4. Reg. 10.29†17.16.Psalm.105.19. Osee 8. 5. Actor.7. 40.

Vivendum Deo,non sibi, Rom. 14.7. 2. Cor. 5. 15. Gal.2.20.2. Thess.5.10. 1. Pet.4.2.

Unctionis extremæ Sacramentum, Jac. 5. 14.

Voluntas nostra accommodanda voluntati divinæ, 1.Reg.3.18. 2. Reg.10. 12†15.20. 1. Machab. 3. 60. Matth. 6. 10†26. 39. Marc. 14. 36. Luc. 22. 42. Actor.21.41.1.Cor.4.19. Heb.6.3. Jac. 4.15.vide Abnegatio.

Voluntas Dei, Matth.7. 21†12. 50. Marc. 3. 35. Joann. 6. 39. Rom. 12. 2. Eph. 5. 17. Coloss.1.9. 1. Thess.4.3.1. Tim.1.2.4.1. Joan.2.17.

Voluntas Dei non est ut aliquis pereat,Ezech.18.23.Joan.6.39. 1. Timot. 2.4.2.Petri 3. 9.

Voluntatem pro opere acceptat Deus,Genes.20.3.6†22.9.2.Reg.11. 14 †12.9.3.Reg.21.19. vide Cor.

Voluptas carnis. vide Concupiscentia.

Votum, Genes. 28. 20. Levit.27.1. Num.6*. †21.2†30*. Deut.23. 21. Jud. 11. 30.1.Reg.11.2.Reg.15.8. Psal.75.12. Eccle. 5. 3. Baruch 6. 34. Matth. 14. 7. Actor.18.18†21. 23†23.12.

Votum castitatis servandæ, seu non cognoscendi virum,Lucæ 1.34.

non sine damnatione violatur, 1. Tim.5.12*.

Urias defert litteras Davidis ad Joab, 2. Reg.11.14.

Urias prophetat contra Jerusalem, ideóque eductus de Ægypto,occiditur à Joacim,Jerem.26.20.23.

Urias Sacerdos juxta præceptum regis Achaz extruit altare, 4.Reg.16.11.

Uriel angelus Dei,4.Esd.4.1†5. 20.

Usia rex Juda pugnat adversus Philisthæos, sumit sibi officium Sacerdotum,adolere volens incensum, lepra punitur, moritur, 2. Par. 26. 17. 20. 23. appellatur Azarias, 4. Reg. 15. 1. appellatur Ozias, Matth.1.9.

Usura, Exod. 22. 25. Lev.25. 35. Deut.23.19.2.Esd.5.7. Psal.14.5. Prov. 22.16†28.8. Jerem.15.10. Ezech.18. 8. 13†21.12.Luc.6.34†19.8.

Uxoris officium, Gen.2. 22†3. 16. Num.30.7.13.Deut.22.5. Esther 1.10*. Tob.10.12.Prov.11.16†12.4. Isa.3.15. 17.1.Cor.7*.†11.5.9†14.34. Ephes.5. 22. Col.3.18.1. Tim.2.11†3. 11†5.2. 10. Tit. 2.4.1.Petr.3.1.vide Mariti officium.

Z.

Zachæus excipit Christum suis ædibus, Luc.19.6.

Zacharias filius Joiadæ sive Barachiæ sacerdotis lapidatur, 2. Paral. 24. 20.Matth.23.35.

Zacharias propheta tempore Darij, Zach.1.1.

Zacharias pater Joannis Baptistæ, Luc.1.5.

Zadoch filius Abiathar fit summus Sacerdos, 3. Reg.2.35.

Zalphaad filiæ postulant hereditatem, Num. 27. 1. 7†36. 2. Josue 17. 3.

Zaruia filia Isai soror Davidis genuit Abisai, Joab, & Asaël, 2. Reg.2. 18.1.Paral.2.16.

Zebedæus pater Jacobi, & Joannis, Matth.4. 21. uxor ejus Salome intercedit pro filiis apud Christum, Matth. 20.20.

Zebee & Salmana reges Madianitarum capiuntur,Jud. 8.*

Zedecias, qui & Mathanias, patruus Joachin substituitur pro eo in regno Juda, 4. Reg. 24. 18. Jerem. 37. 1. obsessa à Nabuchodonosor Jerusalem Zedecias effossis oculis ac vinctus, necatisque coram se filiis, in Babylonem ducitur, 4. Reg. 25. 1. 6. 7.Jerem. 39. 4.7†52.3. quemadmodum ei prædictum erat, Jerem. 27. 12†37.16. Ezech. 12.3 †17.16†21.*

Zelus & Zelotypia, Gen. 34. 2.25. 27. Exod. 32. 19. 27. Num.25. 7. Jud. 20.1.8.1. Reg.11.6†15.11.32.3. Reg. 18. 40†19. 10. 14.4.Reg.10*.1,Mach. 2.24.Matth.21.12. Joan.2.17. Actor.9. 1.Phil. 3. 2.

Ziba servus Saulis constituitur procurator Miphiboseth, 2. Reg. 9. 9. donantur ipsi omnia bona Miphiboseth, 16. 2. procedit obviàm Regi David, 19. 17.

Zicelec donatur regi David, 1. Reg. 27. 5. exuitur ab Amalechitis, 30. 1.

Ziphora uxor Moysi, Exod. 2. 21. circumcidit filium suum, 4. 25.

Zorobabel. vide Sorobabel.

INDEX
EPISTOLARUM ET EVANGELIORUM.

QUÆ E VETERI ET NOVO TESTAMENTO EXCERPTA, in Ecclesia Dominicis & aliis festis diebus leguntur, juxta Missalis reformationem ex decreto Sacrosancti Concilij Tridentini restituti Pij V. Pont.Max. jussu editis,& Clem. VIII. auctoritate recogniti.

ADVENTUS.

Dominica prima.

Epistola, Scientes quia hora. Rom. 13.
Evangelium, Erunt signa in sole. Luc.21.

Dominica secunda.

Epistola, Quæcumque scripta sunt. Rom. 15.
Evangelium, Cùm audisset Joannes in vinculis. Matt. 11.

Dominica tertia.

Epistola, Sic nos existimet homo. Philipp. 4.
Evangelium, Miserunt Judæi ab Jerosolymis. Joan. 1.

Feria quarta Quatuor Temporum.

Epistola, Erit in novissimis diebus. Isa. 2.
Item Epistola, Locutus est Dominus ad Achaz. Isa. 7.
Evangelium, Missus est Angelus Gabriel. Luc. 2.

Feria sexta.

Epistola, Egredietur virga. Isa. 11.
Evangelium, Exurgens Maria. Luc.1.

Sabbato.

Epistola, Clamabunt ad Dominum. Isa.19.
Item Epistola, Lætabitur deserta. Isai. 35.
Item Epistola, Super montem excelsum. Isa.40.
Item Epist. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro. Is. 45.
Item Epistola, Angelus Domini descendit cũ Azari 1.Dan.3.
Item Epistola, Rogamus vos per adventum, 2.Thess.2.
Evangelium, Anno quintodecimo imperij Tiberij. Luc.3.

Dominica quarta.

Epistola, Sic nos existimet homo. 1. Cor. 4.
Evangelium, Anno quintodecimo. Luc. 3.

In vigilia Nativitatis Domini.

Epistola, Paulus servus Jesu Christi. Rom. 1.
Evangel. Cùm esset desponsata. Matth. 1.

25. Decemb. In Nativitate Domini.

Ad primam Missam in nocte.

Epist. Apparuit gratia Dei. Tit. 2.
Evang. Exiit edictum à Cæsare Augusto. Luc. 2.

Ad secundam Missam in Aurora.

Epist. apparuit benignitas & humanitas. Tit. 3.
Evangel. Pastores loquebantur ad invicem. Luc. 2.

Ad tertiam Missam in die.

Epistol. Multifariam multisque modis. Hebr. 1.
Evangel. In principio erat Verbum. Joan. 1.

26. Decemb. *In festo S. Stephani Protomartyris.*

Epist. Stephanus plenus gratia. Act. 6.
Evangel. Ecce ego mitto, ad finem capitis. Matth. 23.

27. Decembris. *In festo Sancti Ioannis Apostoli & Evangelistæ.*

Epist. Qui timet Deum, faciet bona. Eccl. 15.
Evangel. Sequere me. Joan. 21.

28. Decemb. *In festo SS. Innocentium.*

Epist. Vidi supra montem Sion. Apoc.
Evang. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph. Matt. 2.

29. Decemb. *In festo S. Thomæ Cantuariensis Episcopi & martyris.*

Epist. Omnis pontifex ex hominibus assumptus. Heb. 5.
Evangel. Ego sum pastor bonus. Joan. 10.

Dominica infra Octavam Nativitatis Domini.

Epist. Quanto tempore heres parvulus est. Galat. 4.
Evangel. Erant Joseph & Maria mater Jesu. Luc. 2.

In Octava Nativitatis Domini.

Epist. Apparuit benignitas & humanitas. Tit.3.
Evangel. Pastores loquebantur ad invicem. Luc.2.

31. Decemb. *In festo sancti Sylvestri Papæ & Confessoris.*

Epist. Testificor coram Deo. 2. Timoth.4.
Evangel. Sint lumbi vestri præcincti. Luc.12.

1. Januarij. *In die Circũcisionis & Octava Nativitatis Domini.*

Epist. Apparuit gratia Dei.2.
Evang. Postquam consummati sunt dies octo. Luc.2.

6. Januarij. *In Epiphania Domini.*

Epist. Surge illuminare Jerusalem. Isa. 60.
Evangel. Cùm natus esset Jesus. Matth.2.

Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

Epist. Obsecro vos per misericordiam Dei. Rom.12.
Evangel. Cùm factus esset Jesus annorum duodecim. Luc.2. usque ad finem capitis.

In Octava Epiphaniæ.

Epist. Surge illuminare Jerusalem. Isa. 60.
Evang. Vidit Joannes Jesum venientem ad se. Joan. 1.

Dominica secunda post Epiphaniam.

Epist. Habentes donationes. Rom.12.
Evang. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Joan. 2.

Dominica tertia post Epiphaniam.

Epist. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Rom. 12.
Evang. Cùm descendisset Jesus de monte. Matth.8.

Dominica quarta post Epiphaniam.

Epist. Nemini quidquam debeatis. Rom.13.
Evangel. Ascendente Jesu in naviculam. Matt. 8.

Dominica quinta post Epiphaniam.

Epist. Induite vos sicut electi Dei. Coloss. 3.
Evang. Simile factum est regnum cælorum homini qui seminavit. Matth. 13.

Dominica sexta post Epiphaniam.

Epist. Gratias agimus Deo. 1. Thess. 1.
Evang. Simile est regnũ cælorum grano sinapis. Matth. 13.

Dominica in Septuagesima.

Epistola, Nescitis, quòd hi qui in stadio currunt. 1. Cor.9.
Evang. Simile est regnum cælorum homini patrifamilias. Matth. 20.

Dominica in Sexagesima.

Epist. libenter sustertis. 2. Cor. 11.
Evang. Cùm turba plurima conveniret. Luc. 8.

Dominica in Quinquagesima.

Epist. Si linguis hominum loquar. 1. Cor. 13.
Evang. Assumpsit Jesus duodecim discipulos suos. Luc.18.

Feria quarta Cinerum.

Epist. Convertimini ad me. Joël. 2.
Evang. Cùm jejunatis. Matth. 6.

Feria quinta.

Epist. Ægrotavit Ezechias. Isa. 38.
Evang. Cùm introisset Jesus Capharnaum. Matt. 8.

Feria sexta.

Epistola, Clama, ne cesses. Isai. 58.
Evang. Audistis quia dictum est antiquis. Matth. 5.

Sabbato.

Epistola, Si abstuleris de medio tui catenam. Isa. 58.
Evang. cùm serò esset factum, ad finem usque capitis, Mar. 6.

Dominica prima in Quadragesima.

Epistola, Hortamur vos. 2. Cor. 6.
Evangelium, Ductus est Jesus in desertum. Matth. 4.

Feria secunda.

Epistola, Ecce ego requiram oves. Ezech. 34.
Evangelium, Cùm venerit filius hominis in majestate sua. Matth. 25.

Feria tertia.

Epist. Quærite Dominum, dum inveniri potest. Isa. 55.
Evangel. Cùm intrasset Jesus Jerosolymam. Matth. 21.

Feria quarta Quatuor Temporum Quadragesimæ.

Epistola, Ascendit ad me in montem, Exod. 24.
Item alia Epist. Venit Elias in Bersabee Juda. 3. Reg. 19.
Evang. Magister volumus à te signum videre. Matth. 12.

Feria quinta.

Epist. Factus est sermo Domini ad me dicens. Ezech. 18.
Evang. Egressus Iesus secessit in partes Tyri. Matth. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Feria Quarta Quatuor Temporum Quadrageſimæ.

Epiſt. Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Ezech. 18.
Evangelium, Erat dies feſtus Judæorum. Joan. 5.

Sabbato Quatuor Temporum Quadrageſimæ.

Epiſtola, Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum. Deut. 20.
Item alia Epiſt. Si cuſtodieritis mandata. Deut. 11.
Item alia Epiſtola, Orationem faciebant Sacerdotes. 2. Machab. 1.
Item alia Epiſt. Miſerere noſtri Deus omnium. Eccl. 36.
Item alia Epiſtol. Angelus Domini deſcendit cum Azaria. Dan. 3.
Item alia Epiſtola, Rogamus vos corripite inquietos. 1. Theſſ. 5.
Evang. Aſſumpſit Jeſus Petrum & Jacobum. Matt. 17.

Dominica ſecunda in Quadrageſima.

Epiſt. Rogamus vos & obſecramus in Domino Jeſu. 1. The. 4.
Evang. Aſſumpſit Jeſus Petrum & Jacobum. Matth. 17.

Feria ſecunda.

Epiſtola, Oravit David Dominum, dicens, Dominus Deus noſter qui eduxiſti populum. Dan. 9.
Evangelium, Ego vado & quæretis me. Joan 8.

Feria tertia.

Epiſtola, Factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens, Surge & vade in Sarepta. 3. Reg. 17.
Evangelium, Super cathedram Moyſi. Matth. 25.

Feria quarta.

Epiſtola, Oravit Mardochæus ad Dominum. Eſther 15.
Evang. Aſcendens Jeſus Jeroſolymam aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecretò. Matth. 20.

Feria quinta.

Epiſtola, Maledictus homo qui confidit in homine. Hier. 17.
Evangelium, Homo quidam erat dives. Luc. 16.

Feria ſexta.

Epiſtola, Dicit Joſeph fratribus ſuis, Audite ſomnium meum. Geneſ. 37.
Evangelium, Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam. Matth. 21.

Sabbato.

Epiſtola, Dicit Rebecca filio ſuo Jacob. Gen. 27.
Evang. Homo quidam habuit duos filios. Luc. 15.

Dominica tertia in Quadrageſima.

Epiſtola, Eſtote imitatores Dei. Epheſ. 5.
Evangelium, Erat Jeſus ejiciens dæmonium. Luc. 11.

Feria ſecunda.

Epiſt. Naaman princeps militiæ regis Syriæ. 4. Reg. 5.
Evangel. Utique dicetis mihi hanc ſimilitudinem. Luc. 4.

Feria tertia.

Epiſt. Mulier quædam clamabat ad Eliſæum. 4. Reg. 4.
Evangelium, Si peccaverit in te frater tuus. Matth. 18.

Feria quarta.

Epiſt. Honora patrem tuum, & matrem tuam. Exod. 20.
Evangel. Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur. Matth. 11.

Feria quinta.

Epiſtola, Factum eſt verbum Domini ad me. Hier. 7.
Evangelium, Surgens Jeſus de Synagoga. Luc. 4.

Feria Sexta.

Epiſtola, Convenerunt filij Iſraël adverſus Moyſen. Nu. 20.
Evangelium, Venit Jeſus in civitatem Samariæ. Joan. 4.

Sabbato.

Epiſtola, Erat vir in Babylone, Dan. 13.
Evangel. Perrexit Jeſus in montem Oliveti. Joan. 8.

Dominica quarta in Quadrageſima.

Epiſtola, Scriptum eſt quoniam Abraham, Galat. 4.
Evangelium, Abiit Jeſus trans mare Galilææ. Joan. 6.

Feria ſecunda.

Epiſtola, Venerunt duæ mulieres meretrices. 4. Reg. 3.
Evangelium, Propè erat Paſcha Judæorum. Joan. 2.

Feria tertia.

Epiſtola, Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens, Deſcende de monte. Exod. 32.
Evangelium, Jam die feſto mediante. Joan. 7.

Feria quarta.

Epiſtola, Sanctificabo nomen meum. Ezech. 36.
Item alia Epiſtola, Lavamini, mundi eſtote. Iſa. 1.
Evangelium, Prætereùs Jeſus vidit hominem cæcum. Joan. 9.

Feria quinta.

Epiſtola, Venit mulier Sunamitis ad Eliſæum. 4. Reg. 4.
Evangel. Ibat Jeſus in civitatem, quæ vocatur Naim. Luc. 7.

Feria ſexta.

Epiſtola, Ægrotavit filius mulieris matris familias. 3. Reg. 17.
Evangelium, Erat quidam languens Lazarus. Joan. 11.

Sabbato.

Epiſtola, In tempore placito exaudivi te. Iſai. 49.
Evangelium, Ego ſum lux mundi. Joan. 8.

Dominica de Paſſione.

Epiſtola, Chriſtus aſſiſtens pontifex. Heb. 9.
Evang. Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. 8.

Feria ſecunda.

Epiſtola, Surge & vade in Niniven. Jonæ 3.
Evangelium, Miſerunt principes & Phariſæi miniſtros. Joa. 7.

Feria tertia.

Epiſt. Congregati ſunt Babylonij ad regem. Dan. 14.
Evangelium, Ambulabat Jeſus in Galilæam. Joan. 7.

Feria quarta.

Epiſtola, Loquere ad univerſum cœtum filiorum Iſraël. Levit. 19.
Evangel. Facta ſunt Encænia Jeroſolymis. Joan. 10.

Feria quinta.

Epiſtola, Oravit Azarias Dominum. Dan. 3.
Evangel. Rogabat Jeſum quidam Phariſæus. Luc. 7.

Feria ſexta.

Epiſtola, Dixit Hieremias, Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur. Hier. 17.
Evang. Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium. Joan. 11.

Sabbato.

Epiſtola, Dixerunt impij Judæi ad invicem. Hier. 18.
Evang. Cogitaverunt principes ſacerdotum. Joan. 11.

Dominica in Palmis.

Poſt benedictionem Palmarum.

Epiſtola, Venerunt filij Iſraël in Elim. Exod. 15.
Evangelium, Cùm appropinquaſſet Jeſus Jeroſolymis. Matth. 21.

Ad Miſſam.

Epiſtola, Hoc enim ſentite. Phil. 2.
Evang. Paſſio Domini ſecundùm Matthæum. 26.

Feria ſecunda majoris Hebdomadæ.

Epiſtola, Dominus meus aperuit mihi aurem. Iſai. 50.
Evangelium, Ante ſex dies paſchæ. Joan. 12.

Feria tertia majoris Hebdomadæ.

Epiſtola, Dixit Hieremias, Domine demonſtraſti mihi. Hier. 11.
Evang. Paſſio Domini noſtri ſecundùm Marcum. 14.

Feria quarta majoris Hebdomadæ.

Epiſtola, Dicite filiæ Sion, Ecce Salvator tuus venit. Iſai. 62.
Alia Epiſt. Domine quis credidit auditui noſtro? Iſa. 50.
Evangelium, Paſſio Domini ſecundùm Lucam. 22.

Feria quinta in Cœna Domini.

Epiſtola, Convenientibus nobis in unum. 1. Cor. 11.
Evang. Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus. Joan. 13.

Feria ſexta in Paraſceve.

Epiſt. In tribulatione ſua manè conſurgent. Oſee 6.
Alia Epiſtola, Dixit Dominus ad Moyſen & Aaron in terra Ægypti. Exod. 12.
Evang. Paſſio Domini ſecundùm Joannem. 18. & 19.

Sabbato ſancto.

Epiſtola, Si conſurrexiſtis cum Chriſto. Coloſſ. 3.
Evangelium, Veſpere autem ſabbati. Matth. 28.

Dominica Reſurrectionis Domini.

Epiſtola, Expurgate vetus fermentum. 1. Cor. 5.
Evangel. Maria Magdalene & Jacobi & Salome. Marc. 16.

Feria ſecunda.

Epiſt. Stans Petrus in medio plebis dixit, Viri fratres. Act. 20.
Evangelium, Duo ex diſcipulis Jeſu ibant. Luc. 24.

Feria tertia.

Epiſt. Surgens Paulus & manu ſilentium indicens. Act. 13.
Evangel. Stetit Jeſus in medio diſcipulorum ſuorum. Luc. 24.

Feria quarta.

Epiſt. Aperiens Petrus os ſuum dixit, Viri Iſraëlitæ. Act. 3.
Evangelium, Manifeſtavit ſe iterùm Jeſus. Joan. 21.

Feria

Feria quinta.

Epiſt. Angelus Domini locutus eſt ad Philippum. Act. 8.
Evang. Maria ſtabat ad monumentum foris. Joan. 20.

Feria ſexta.

Epiſtola, Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris. 1. Pet. 3.
Evang. Undecim diſcipuli abierunt in Galilæam. Matth. 28.

Sabbato in Albis.

Epiſtola, Deponentes omnem malitiam. 1. Pet. 2.
Evang. Una ſabbati Maria Magdalene venit manè. Joan. 20.

Dominica in Albis in octava Paſchæ.

Epiſt. Omne quod natum eſt ex Deo vincit. 1. Joan. 5.
Evangelium, Cùm eſſet ſerò die illa. Joan. 20.

Dominica ſecunda poſt Paſcha.

Epiſtola, Chriſtus paſſus eſt pro nobis. 1. Pet. 1.
Evangelium, Ego ſum Paſtor bonus. Joan. 10.

Dominica tertia poſt Paſcha.

Epiſtola, obſecro vos tanquam advenas. 1. Pet. 2.
Evang. Modicum & jam non videbitis me. Joan. 16.

Dominica quarta poſt Paſcha.

Epiſtola, Omne datum optimum. Jacob. 1.
Evangelium, Vado ad eum qui miſit me. Joan. 16.

Dominica quinta poſt Paſcha.

Epiſtola, Eſtote factores verbi. Jacob. 1.
Evang. Amen amen dico vobis: ſi quid petieritis. Joan. 16.

In Rogationibus.

Epiſtola, Confitemini alterutrum peccata veſtra. Jacob. 5.
Evangelium, Quis veſtrûm habebit amicum. Luc. 11.

In Vigilia Aſcenſionis.

Epiſtola, Unicuique noſtrûm data eſt gratia. Epheſ. 4.
Evangelium, Sublevatis Jeſus oculis in cælum, dixit Joan. 17.

In die Aſcenſionis Domini.

Epiſtola, Primùm quidem ſermonem feci. Act. 1.
Evangelium, Recumbentibus undecim diſcipulis. Marc. 10.

Dominica infra octavam Aſcenſionis.

Epiſt. Eſtote prudentes & vigilate in orationibus. 1. Pet. 4.
Evangelium, Cùm venerit paracletus. Joan. 15.

Sabbato in vigilia Pentecoſtes.

Epiſtola, Factum eſt cùm Apollo eſſet Corinthi. Act. 19.
Evangel. Si diligitis me, mandata mea ſervate. Joan. 14.

In Dominica Pentecoſtes.

Epiſtola, Cùm complerentur dies Pentecoſtes. Act. 2.
Evang. Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit. Joan. 15.

Feria ſecunda.

Epiſt. Aperiens Petrus os ſuum dixit, Viri fratres. Act. 10.
Evang. Dixit Jeſus Nicodemo, Sic Deus dilexit. Joan. 3.

Feria tertia.

Epiſt. Cùm audiſſent Apoſtoli qui erant Jeroſolymis Act. 8.
Evangelium, Amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium. Joan. 10.

Feria quarta quatuor Temp. Pentecoſtes.

Epiſtola, Stans Petrus cum undecim levavit vocem. Act. 2.
Alia Epiſt. Per manus Apoſtolorum fiebant ſigna. Act. 5.
Evangelium, Nemo poteſt venire ad me. Joan. 6.

Feria quinta.

Epiſtola, Philippus deſcendens in civitatem Samariæ. Act. 8.
Evangel. Convocatis Jeſus duodecim Apoſtolis. Luc. 9.

Feria ſexta quatuor temp. Pentecoſtes.

Epiſt. Exultate filiæ Sion, & lætamini in Deo veſtro. Joël. 2.
Evangel. Factum eſt in una dierum, & Jeſus docebat. Luc. 5.

Sabbato quatuor temp. Pentecoſtes.

Epiſtola, Effundens ſpiritum meum, Joël. 2.
Alia Epiſtola, Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos. Lev. 2.
Alia Epiſt. Audi Iſraël quæ ego præcipio tibi. Deut. 26.
Alia Epiſtola, Si in præceptis meis ambulaveritis. Lev. 26.
Alia Epiſt. Angelus Domini deſcendit cum Azaria. Dan. 3.
Alia Epiſtola, Juſtificati ex fide pacem habeamus. Rom. 5.
Evangelium, Surgens Jeſus de Synagoga. Luc. 4.

In feſto ſanctiſſimæ Trinitatis.

Epiſtola, O altitudo divitiarum. Rom. 11.
Evangelium, Data eſt mihi omnis poteſtas. Matth. 28.

Dominica prima poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Deus Charitas eſt. 1. Joan. 4.
Evangelium, Eſtote miſericordes. Luc. 6.

In ſolemnitate Corporis Chriſti.

Epiſt. Ego enim accepi à Domino. 1. Cor. 11.
Evang. Caro mea verè eſt cibus. Joan. 6.

Dominica ſecunda poſt Pentecoſten quæ eſt infra Octavam Corporis Chriſti.

Epiſtola, Nolite mirari, ſi odit vos mundus. 1. Joan. 3.
Evangelium, Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. 14.

In Octava Corporis Chriſti.

Epiſtola, Ego enim accepi à Domino. 1. Cor. 11.
Evang. Caro mea verè eſt cibus. Joan. 6.

Dominica tertia poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Humiliamini ſub potenti manu Dei. 1. Pet. 5.
Evang. Erant appropinquantes ad Jeſum publicani. Luc. 15.

Dominica quarta poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Exiſtimo, quòd non ſunt condignæ. Rom. 8.
Evangelium, Cùm turbæ irruerent in Jeſum. Luc. 5.

Dominica quinta poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Omnes unanimes in oratione eſtote. 1. Petr. 3.
Evangel. Amen dico vobis niſi abundaverit. Matth. 5.

Dominica ſexta poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu. Rom. 6.
Evang. Cùm turba multa eſſet cum Jeſu. Marc. 8.

Dominica ſeptima poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Humanum dico propter infirmitatem. Rom. 6.
Evang. Attendite à falſis prophetis. Matth. 7.

Dominica octava poſt Pentecoſten.

Epiſt. Debitores ſumus non carni. Rom. 8.
Evang. Homo quidam erat dives, qui habebat. Luc. 16.

Dominica nona poſt Pentecoſten.

Epiſt. Non ſimus concupiſcentes malorum. 1. Cor. 10.
Evangelium, Cùm appropinquaret Jeſus Jeruſalem, videns. Luc. 19.

Dominica decima poſt Pentecoſten.

Epiſt. Scitis quoniam cùm gentes eſſetis. 1. Cor. 12.
Evangelium, Dixit Jeſus ad quoſdam qui in ſe confidebant tanquam juſti. Luc. 18.

Dominica undecima poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Notum facio vobis Evangelium. 1. Cor. 15.
Evangelium, Exiens Jeſus de finibus Tyri. Mar. 7.

Dominica duodecima poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Fiduciam talem habemus. 2. Corint. 13.
Evang. Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Luc. 10.

Dominica decimatertia poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, Gal. 3.
Evang. Dum iter Jeſus in Jeruſalem tranſibat. Luc. 17.

Dominica decimaquarta poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Spiritu ambulate. Galat. 5.
Evang. Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Matth. 6.

Dominica decimaquinta poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Si ſpiritu vivimus. Galat. 5.
Evangel. Ibat Jeſus in Civitatem, quæ vocatur Naim. Luc. 7.

Dominica decimaſexta poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Obſecro vos ne deficiatis. Epheſ. 3.
Evangelium, Cùm intraret Jeſus in domum cujuſdam principis. Luc. 14.

Dominica decimaſeptima poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Obſecro vos ego vinctus in Domino. Epheſ. 4.
Evangelium, Accesſerunt ad Jeſum Phariſæi, & interrogavit. Matth. 22.

Feria quarta Quatuor Temporum Septembris.

Epiſtola, Ecce dies veniunt. Amos 9.
Alia Epiſtola, Congregatus eſt omnis populus, Nehem. vel 2. Eſdr. 8.
Evangelium, Reſpondens unus de turba. Mar. 9.

Feria ſexta Quatuor Temporum Septembris.

Epiſtola, Convertere Iſraël ad Dominum. Oſee 14.
Evang. Rogabat Jeſum quidam Phariſæus. Luc. 7.

Sabbato Quatuor Temporum Septembris.

Epiſtola, Decimo die menſis hujus ſeptimi. Levit. 23.
Alia Epiſt. A quinto decimo die menſis ſeptimi. Levit. 23.
Alia Epiſtola, Domine Deus noſter. Mich. 7.
Alia Epiſt. Factum eſt verbum Domini ad me. Zach. 8.
Alia Epiſt. Angelus Domini deſcendit cum Azaria. Dan. 1.
Alia Epiſt. Tabernaculum factum eſt primum. Heb. 9.
Evangelium, Dicebat Jeſus turbis ſimilitudinem hanc: Arborem ſici habebat. &c. Luc. 13.

Dominica

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dominica decima octava post Pentecosten.
Epist. Gratias ago Deo meo semper pro vobis. 1.Cor. 1.
Evangelium, Ascendens Jesus in naviculam transfretavit. Matth. 6.
Dominica decima nona post Pentecosten.
Epistola, Renovamini spiritu mentis vestræ. Ephes. 4.
Evang. Simile factum est regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio suo. Matth. 22.
Dominica vigesima post Pentecosten.
Epistola, Videte quomodo cautè ambuletis. Ephes. 5.
Evangelium, Erat quidam regulus. Ioan. 4.
Dominica vigesima prima post Pentecosten.
Epistola, Confortamini in Domino. Ephes. 6.
Evang. Simile est regnum cælorum homini regi qui voluit rationem ponere cum servis suis. Matth. 18.
Dominica vigesima secunda post Pentecosten.
Epistola, Confidimus in Domino Jesu. Philip. 1.
Evang. Abeuntes Pharisæi consilium inierunt. Matt. 22.
Dominica vigesimatertia post Pentecosten.
Epistola, Imitatores mei estote. Phil. 3.
Evang. Loquente Jesu ad turbas, ecce princeps unus. Mat. 9.
Dominica vigesimaquarta & ultima post Pentecosten.
Epistola, Non cessamus pro vobis orantes. Coloss. 1.
Evang. Cùm videritis abominationem desolationis. Mat. 24.

PROPRIUM SANCTORUM.

30. Novembris. *In festo sancti Andreæ Apostoli.*
Epistola, Corde enim creditur ad justitiam. Rom. 10.
Evang. Ambulans Jesus juxta mare Galilææ. Matt. 24.
8. Decembris. *In Conceptione B. Mariæ Virginis.*
Epistola, Dominus possedit me. Prov. 8.
Evang. Liber generationis Jesu Christi. Matth. 1.
21. Decembris. *In festo sancti Thomæ Apostoli.*
Epistola, Jam non estis hospites & advenæ. Ephes. 2.
Evangelium, Thomas unus ex duodecim. Joan. 20.
17. Januarij. *In festo sancti Antonij Abbatis.*
Epistola. Dilectus Deo & hominibus. Eccl. 45.
Evangelium, Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19.
20. Januarij. *In festo SS. Fabiani & Sebastiani.*
Epistola. Sancti per fidem vicerunt regna. Heb. 11.
Evangelium, Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri. Luc. 6.
25. Januarij. *In conversione sancti Pauli Apostoli.*
Epistola, Saulus adhuc spirans minarum. Act. 9.
Evangelium, Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19.
2. Februarij. *In festo Purificationis B. Mariæ Virginis.*
Epistola, Ecce ego mitto Angelum. Malach. 3.
Evang. Postquam impleti sunt dies purgationis. Luc. 2.
24. vel 25. Februarij. *In festo sancti Mathiæ Apostoli.*
Epist. Exurgens Petrus in medio fratrum, dixit. Act. 1.
Evangelium, Respondens Jesus, dixit, Confiteor tibi pater. Matth. 11.
25. Martij. *In festo Annuntiationis B. Mariæ Virginis.*
Epistola, Locutus est Dominus ad Achaz. Isai. 7.
Evangelium, Missus est Angelus. Luc. 1.
25. Aprilis. *In festo sancti Marci Evangelistæ.*
Epist. Similitudo vultus quatuor animalium. Ezech. 1.
Evangelium, Designavit Dominus & alios septuaginta duos. Luc. 10.
1. Maij. *In festo sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi.*
Epistola. Stabunt justi in magna constantia. Sap. 5.
Evangelium, Non turbetur cor vestrum. Joan. 14.
3. Maij. *In festo Inventionis sanctæ Crucis.*
Epistola, Hoc enim sentite in vobis. Philip 2.
Evang. Erat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine. Joan. 3.
22. Junij. *In festo sancti Ioannis Baptistæ.*
Epistola, Audite Insulæ. Isai. 49.
Evang. Elisabeth impletum est tempus pariendi. Luc. 1.
29. Junij. *In festo sanctorum Apostolorum Petri & Pauli.*
Epistola, Misit Herodes rex manus. Act. 12.
Evangelium, Venit Jesus in partes Cæsareæ. Philip. 16.
2. Julij. *In festo Visitationis B. Mariæ Virginis.*
Epistola, Ecce iste venit saliens in montibus. Cant. 2.
Evangelium, Exurgens Maria abiit in montana. Luc. 1.
22. Julij. *In festo sanctæ Mariæ Magdalenæ.*
Epistola, Surgam & circuibo civitatem. Cant. 3.
Evangelium, Rogabat Jesum quidam Pharisæus. Luc. 7.
25. Julij. *In festo sancti Iacobi Apostoli.*
Epistola, Puto quòd Deus nos Apostolos. 1.Cor. 4.
Evangelium, Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi. Matth. 10.
26. Julij. *In festo sanctæ Annæ matris B. Mariæ Virginis.*
Epistola, Mulierem fortem quis inveniet? Prov. 31.
Evangelium, Simile est regnum cælorum thesauro abscondito. Matth. 13.
6. Augusti. *In festo Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi.*
Epistola, Non doctas fabulas secuti. 2.Pet. 1.
Evang. Assumpsit Jesus Petrum & Jacobum. Matth. 17.
10. Augusti. *In festo sancti Laurentij Martyris.*
Epistola, Qui parcè seminat, parcè & metet. 2. Cor. 9.
Evang. Amen amen dico vobis nisi granũ frumenti. Joan. 12.
15. Augusti. *In Assumptione B. Mariæ Virginis.*
Epistola, In omnibus requiem quæsivi. Eccl. 24.
Evang. Intravit Jesus in quoddam castellum. Luc. 6.
24. Augusti. *In festo S. Bartholomæi Apostoli.*
Epistola, Vos estis corpus Christi, & membra de membro. 1. Cor. 12.
Evangelium, Exiit Jesus in montem orare. Luc. 6.
25. Augusti. *In festo S. Ludovici Confessoris Regis Francorum.*
Ep. Justum deduxit Dominus per vias rectas. Sap. 10.
Evangelium, Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam. Luc. 19.
29. Augusti. *In Decolatione S. Ioannis Baptistæ.*
Epistola, Factum est verbum Domini ad me. Hierem. 1.
Evangelium, Misit Herodes ac tenuit Joannem. Mar. 6.
8. Septemb. *In Nativitate B. Mariæ Virginis.*
Epistola, Dominus possedit me in initio viarum suarum. Prov. 8.
Evang. Liber generationis Jesu Christi. Matth. 1.
14. Septembris. *In festo Exaltationis S. Crucis.*
Epistola, Hoc sentite in vobis. Philipp. 2.
Evang. Nunc judicium est mundi. Joan. 12.
22. Septembris. *In festo sancti Matthæi Apostoli & Evangelistæ.*
Epist. Similitudo vultus quatuor animalium. Ezech. 1.
Evang. Vidit Jesus hominem sedentem in telonio. Matth. 9.
4. Septembris. *In festo Dedicationis sancti Michaëlis Archangeli.*
Ep. Significavit Deus quæ oportet fieri citò. Apoc. 1.
Evang. Accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes, Quis putas. Matth. 18.
4. Octobris. *In festo sancti Francisci Confessoris.*
Epistola, Mihi autem absit gloriari. Galat. 6.
Evangelium, Respondens autem Jesus dixit, Confiteor tibi pater. Matth. 11.
9. Octobris. *In festo sanctorum Martyrum Dionysij & Sociorum.*
Epistola, Stans Paulus in medio Areopagi. Act. 17.
Evang. Attendite à fermento Pharisæorum. Luc. 22.
18. Octobris. *In festo sancti Lucæ Evangelistæ.*
Epistola, Gratias ago Deo. 2. Cor. 8.
Evang. Designavit Dñs & alios septuaginta duos. Luc. 10.
28. Octobris. *In festo SS. Apostolorum Simonis & Judæ.*
Epistola, Unicuique nostrùm data est gratia. Ephes. 4.
Evang. Hæc mando vobis ut diligatis invicem. Joan. 15.
1. Novembris. *In festo omnium Sanctorum.*
Epist. Ecce ego Joannes vidi alterum Angelum. Apoc. 7.
Evangel. Videns Jesus turbas ascendit in montem. Matt. 5.
2. Decembris. *In Commemoratione Defunctorum.*
Epistola, Ecce mysterium vobis dico. 1. Cor. 15.
Alia Epistola, Vir fortissimus Judas. 2. Mach. 12.
Alia Ep. Audivi vocem de cælo dicentem mihi. Ap. 14.
Evangelium, Amen amen dico vobis, quia venit hora. Joan. 5.
Aliud Evangelium, Dixit Martha ad Jesum. Joan. 11.
Aliud Evang. Omne quod dat mihi Pater, Joan. 6.
Aliud Evangelium, Ego sum. panis vivus. Joan. 6.
11. Novemb. *In festo S. Martini Episcopi & Confessoris.*
Epistola, Ecce sacerdos magnus. Eccl. 44. & 45.
Evangelium, Nemo accendit lucernam. Luc. 11.

21. Novemb. *In festo Præsentationis Beatæ Mariæ Virginis.*
Epistola, Ab initio & ante sæcula. Eccl. 24.
Evangelium, Loquente Jesu ad turbas. Luc. 11.
In festo sanctæ Catharinæ virginis & Martyris.
Epistola, Confitebor tibi Domine rex. Eccl. 51.
Evang. Simile est regnũ cælorum decẽ virginibus. Matt. 25.

COMMUNE SANCTORUM.

In natali Apostolorum.
Epistola, Jam non estis hospites & advenæ. Eph. 2.
Evangelium, Hoc est præceptum meum. Joan. 15.
In natali unius Martyris Pontificis.
Epistola, Beatus vir qui suffert. Jacob. 1.
Alia Epistola, Benedictus Deus & pater Domini nostri. 2. Cor. 1.
Evangel. Si quis venit ad me, & non odit. Luc. 14.
Aliud Evang. Si quis vult venire post me. Matth. 16.
In natali unius Martyris non Pontificis.
Epistola, Justum deduxit Dominus. Sap. 10.
Omne gaudium. Jacob. 1.
Alia Epist. Memor esto Dominum Jesum. 2. Timoth. 2.
Communicantes, 1. Pet. 4.
Evang. Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram. Matth. 10.
Aliud Ev. Nihil opertum quod non reveletur. Matt. 10.
Nisi granum frumenti. Joan. 12.
De uno Martyre temp. Paschali.
Epistola, Stabunt justi in magna constantia. Sap. 5.
Evangelium, Ego sum vitis vera. Joan. 15.
De pluribus Martyribus temp. Paschali.
Epist. Benedictus Deus & Pater. 1. Pet. 1. Post hæc ego Joannes audivi. Apoc. 19.
Evangelium, Ego sum vitis. Joan. 15.
Aliud Evangelium, Amen amen dico vobis, quia plorabitis. Joan. 16.
Commune plurimorum Martyrum extra tempus Paschale.
Epistola, Justorum animæ. Sap. 3.
Alia Epistola, Justi autem in perpetuum. Sap. 5.
Alia Epist. Rememoramini pristinos dies. Hebr. 10.
Alia Epist. Reddidit Deus justis mercedem. Sap. 10.
Alia Epistola, Justificati ex fide. Rom. 5.
Alia Epist. Non sunt condignæ passiones. Rom. 8.
Alia Epist. Exhibeamus nosmetipsos. 2. Cor. 6.
Alia Epist. Sancti per fidem vicerunt regna. Heb. 11.
Alia Epist. Respondit unus de Senioribus. Apoc. 5.
Evangelium, Cùm audieritis prælia. Luc. 21.
Aliud Evang. Descendens Jesus de monte stetit in loco campestri. Luc. 6.
Aliud Ev. Sedente Jesu super montem Oliveti. Mat. 24.
Aliud Evang. Videns Jesus turbas ascendit in montẽ. Mat. 5.
Aliud Evangelium, Respondens Jesus dixit, Confiteor tibi pater. Matth. 11.
Aliud Evangelium, Væ vobis qui ædificatis monumenta. Luc. 11.
Aliud Evangelium, Qui vos audit me audit. Luc. 10.
Aliud Evangelium, Attendite à fermento Pharisæorum Luc. 12.
Commune Confessoris Pontificis.
Epistola, Ecce Sacerdos magnus. Eccles. 44. & 45.
Alia Epistola, Plæres facti sunt Sacerdotes. Heb. 7.
Alia Epistola, Omnis pontifex ex hominibus assumptus. Heb. 5.
Alia Epist. Mementote præpositorum vestrorum. Hebr. 13.
Evangelium, Homo quidam peregrè. Matth. 25.
Aliud Evangelium, Vigilate, quia nescitis. Matth. 24.
Aliud Evangelium, Nemo accendit lucernam. Luc. 11.
Aliud Evangelium. Videte, vigilate, & orate. Marc. 13.
Commune Doctorum.
Epistola, Testificor coram Deo. 2. Timoth. 4. Justus cor suum tradit. Eccl. 30.
Evangelium, Vos estis sal terræ. Matth. 5.
Commune Confessoris non Pontificis.
Epistola, Beatus est qui inventus est sine macula. Eccli. 31.
Alia Epistola, Spectaculum facti sumus mundo. 1. Cor. 4.
Alia Epistola, Quæ mihi fuerunt lucra. Philip. 3.
Evangelium, Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12.
Aliud Evangelium, Nolite timere pusillus grex. Luc. 12.
Aliud Evangelium, Homo quidam nobilis abiit regionem longinquam. Luc. 9.
Commune Abbatum.
Epistola, Dilectus Deo & hominibus. Eccl. 45.
Evangelium, Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19.
Commune Virginum & Martyrum.
Epistola. Confitebor tibi Domine rex. Eccl. 51.
Alia Epistola, Domine Deus meus, exaltasti. Eccli. 51.
Evangelium, Simile est regnum cælorum decem virginibus. Matth. 5.
Aliud Evangelium, Simile est regnum cælorum thesauro abscondito. Matth. 13.
Commune Virginum non Martyrum.
Epistola, De virginibus præceptum Domini non habeo. 1. Cor. 7.
Alia Epistola, Qui gloriatur in Domino. 2. Cor. 10.
Evangelium, Simile est regnum cælorum decem virginibus. Matth. 25.
Aliud Evangelium, Simile est regnum cælorum thesauro abscondito. Matth. 13.
Commune Mulierum sanctarum nec Virginum nec Martyrum.
Epistola, Mulierem fortem. Proverb. 31.
Alia Epistola, Viduas honora quæ verè viduæ sunt. 1. Tim. 5.
Evangelium, Simile est regnum cælorum thesauro abscondito. Matth. 13.
In Dedicatione Ecclesiæ.
Epistola, Vidi civitatem sanctam Jerusalem. Apoc. 21.
Evangelium, Ingressus Jesus, perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zacchæus. Luc. 19.
In Sponsalibus.
Epistola, Mulieres viris suis subditæ sint. Ephes. 5.
Evangelium, Si licet homini dimittere uxorem. Matth. 19.
Ad tollendum schisma.
Epistola, Obsecro vos ut dignè ambuletis. Ephes. 4.
Evangelium, Sublevatis Jesus oculis in cælum, dixit: Pater sancte serva eos in nomine tuo. Joan. 17.
Pro quacunque necessitate.
Epistola, Si iniquitates nostræ contenderint contra nos. Hier. 14.
Evangelium, Habete fidem Dei. Marc. 12.
Pro remissione peccatorum.
Epistola, Condelector legi Dei. Rom. 7.
Evangelium, Petite & dabitur vobis. Luc. 11.
Contra Paganos.
Epistola Oravit Mardochæus ad Dominum. Esther 13.
Evangelium, Quis vestrùm habebit amicum. Luc. 11.
In tempore belli.
Epist. Accesserunt omnes principes bellatorum. Hier. 41.
Evangelium, Dic nobis quando hæc erunt. Matth. 24.
Pro pace.
Epistola, Fratribus qui sunt per Ægyptum. 2. Machab. 1.
Evangelium, Cùm esset serò die illa. Joan. 20.
Pro vitanda mortalitate vel tempore pestis.
Epistola, Immisit Dominus pestilentiam in Israël. 2. Reg. 24.
Evangelium, Surgens Jesus de Synagoga. Luc. 4.
Pro infirmis.
Epistola, Testatur aliquis vestrùm. Jacob. 5.
Evangel. Cùm introisset Jesus Capharnaum. Matth. 8.
Pro peregrinantibus vel iter agentibus.
Epist. Egressus Jacob de Bersabee, pergebat Haran. Gen. 28.
Evangelium, Euntes prædicate dicentes: quia appropinquavit regnum cælorum. Matth. 10.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mi Padre espiritua

77

77 77 77

77

Zuasti

Zuasti

Z

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca